


A. Van Dyck pinxit *H. F. Diamaer sculpsit*

AUBERTI MIRÆI
CATHEDRALIS ECCLESIÆ ANTVERPIENSIS DECANI
OPERA DIPLOMATICA, ET HISTORICA,
IN QUIBUS


Continentur Chartæ Fundationum ac Donationum piarum, Teſtamenta, Privilegia, Fœdera Principum, & alia tum ſacræ tum profanæ Antiquitatis Monumenta, à Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibuſque Belgii edita, & ad Germaniam inferiorem, vicinaſque Provincias ſpectantia, ex ipſis Tabularum publicarum fontibus eruta.

EDITIO SECUNDA
AUCTIOR ET CORRECTIOR.

JOANNES FRANCISCUS FOPPENS, BRUXELLENSIS, S. T. L. Cathedralis Eccleſiæ Brugenſis Canonicus, & in alma Univerſitate Lovanienſi Philoſophiæ Profeſſor, Notas & Indices addidit, Diplomata multa cum ſuis Originalibus contulit, aliaque plura hactenus inedita adjunxit.

TOMUS PRIMUS,

Continens Codicem Donationum Piarum, Diplomata Belgica, Donationes Belgicas, & Notitiam Eccleſiarum Belgii.



BRUXELLIS,
Typis FRANCISCI FOPPENS, ſub ſignô S. Spiritûs.
MDCCXXIII.

EXCELLENTISSIMO VIRO DOMINO

D. FRANCISCO PHILIPPO

PRINCIPI DE RUBEMPRÉ

ET DE EVERBERGH,

COMITI

DE VERTAING, VERTIGNEUL, ELFAUT, AUBIGNY ET AUTREPPE,

BARONI DE PRAET,

DOMINO DITIONIS DE LA WOUSTINE &c.

AUREI VELLERIS EQUITI,

Sacræ Cæsareæ ac Catholicæ Majestatis Consilii Statûs in Belgio Assessori,

MAGNOQUE VENATORI

DUCATUS BRABANTIÆ, &c. &c.

Excellentissime Princeps,

QUæ Pietas antiqua dedit Rudibusque Figuris
In levi pinxit Corio mansura per Ævum
(Sic certè voluêre & erant mansura per Ævum
Omnia, Custodum nî turpis inertia tradat
Muribus aut Blattis, aut Ignorantia scindat,
Forfice luxurians, aut exedat ipsa Vetustas)
Quidquid id est, quodcumq; potest reperire benigni
Instrumentum Animi, quod Plumbum aut Cera fidelis

b Roboret,

Roboret, AUBERTUS collecto Fasce MYRÆUS
Eruit ex tenebris, firmans & in Ultima Mundi.
Hæc operis Messis; sed eras, AUBERTE, fateris,
Unicus, & Spicas liquisti mille legendas
Post Messem. Curas juvat intendisse Secundas,
Nec tamen extremas. Legat, oro, Belgica tandem
Qualiacumque latent Rerum Instrumenta suarum:
Nomina Pontificum, Hirsutorum Insignia Regum
Magnanimosque Duces Procerumque Examina longa,
Quosque Patres Patriæ, quosque Alma Ecclesia Mater
Evexit. Quô nunc abiit tam blanda voluntas
Donandi, Cœloque Domos Cœtusque sacrandi!
Luxus heri prognatus opes intercipit, Ardor
Interit, & lassi quasi bruma est Ultima Mundi.
Quem circumspiciam qui Simplicatis Avitæ
Virtutumque tenax, hoc fulgeat ante Volumen,
Dulce Patrocinii dignatus Nomen apisci?
Nonne RUBEMPRÆUM? Tu scilicet, Optime Princeps,
Et laudas Veterum & sequeris vestigia Morum,
Integer, erectus, constans in Tramite Veri,
Hostis Adulantûm, nec adulans ipse, nec ardens
Crescere, sufficiensque Tibi: quodque omnia Laudum
Nomina Culmen habet, Sapiens Homo, Teque recordans
Esse Hominem. At plures sunt illis moribus, esto,
Fortunâ in tantâ. Sed qui Virtutibus addant
Pallada, multa legant, aveant cognoscere Rectum,
Quidque olim gestum fuerit bene, jamque geratur,
Scire velint, & turpe putent nescire vel illis
Imprimis, Natalis Honos quibus Otia fecit;
Qualem Te Bruxella Parens & Regia jactat
Belgica; jam paucos hâc novimus indole Natos
Magnanimos Heroäs. Amor jacet ille sciendi;
Quippe labor gravis est: Cicero, Cæsarque valete!
Stertamus, quando Studii sine parte molesti,
Fulgemus tamen, & cæcus nos Mundus adorat.
Quàm diversus Amor, Princeps, Tuus! Ipse Minervam
Diligis & Musas, neque Mæcenatis abhorres
Nomen & officium. Par est Clementia; quamquam

Cæsaris

Cæsaris Augusti * discinctior ille Sodalis Propensior in Otium.
Audierit; Tu semper Onus portare laboras
Et proprium & Patriæ, Pars incorrupta Senatûs
Cæsarei, cui cana Fides ac Regula cordi,
Consulere in Medium, Belgasque fovere professo.
Nonne pii Cives exultavere vicissim
Nuper, Iäsonio dum Vellere Cæsar Honores
Auxit Everbergi? Quod Honores auxit & ultrà;
Ipse Merodæo Regum de Sanguine Cretus
Induis Auratum invicto sub Cæsare Torquem,
Cæsaris absentis Personam explente Merodo,
Stirpis qui tantæ Caput est: tandemque, quod oro
Faxint Cœlicolæ, ludit dum Masculus Heres,
Westerloe, Tibi, spem tecum concipit Orbis
Victurum ulteriùs per Te quoque nomen Avitum!
Interea, ô Princeps, Sancti quem fœdera Lecti
Inseruêre aliunde, *Rubempræo*que dederunt
Esse Novo, genuisse Novos, Insignia Gentis
Antiquæ ad seros cum Sanguine ferre Nepotes;
Non erit ingratum, quando hoc Insignia Gentis
Atque *Rubempræum* nomen petit, addere paucis
Unde *Rubempræi*, quàm lucida Stirpis Origo?
Rex Bela Pannoniæ Generis certissimus Auctor:
Divûm Progenies, neque Barbarus ampliùs Hunnus:
Ramus ab * *Atteulâ* Regum Rege: *Attila* vulgo Sic vocatur in nummis: vide Bandurum.
Dicitur, evertit Scythicis qui Viribus Orbem
Romanum, atque ægrè Tibi, Roma superba, pepercit.
Inde Duces, Stephanusque, Genus qui primus Olympo
Et Christo cicuravit: ab hôc Bela Sanguine cretus.
Hujus Alexander *fundo sine* Regia Proles,
Natu Prima tamen, Dravoque Istroque relictis,
Arva Palæstinæ Solymæaque Regna petivit
Trans Mare, Bellator Cœlo Sacer. Acer in Armis
Dux Operis Lodoix: vocat hunc Ecclesia Sanctum.
Cepit Alexander Lunatas arduus Urbes;
Ipsum inter reliquos *Pelusion. Exsilit idem Damiata.
Primus in Ægypto nigrâ è Rate, ad ostia Nili,
Obtruncatque simul sævo mucrone superbum

Saracenorum. Regem * Arabum fuscosque Duces. Tum cæde cruentâ
In Ripâ viridante, pedem quâ fixerat Heros,
Fit *Ruber in Prato.* Francorum Idiomate nomen
Transiit ad Natos, Confirmatore Monarchâ.
Aurea simplicitas, (quandò huc Burgundia necdum
Francigenûm Fastus transfuderat, atque *Baronum*
Primum Nomen erat sub Principe) passa Barones
Esse *Rubempræos*, Gentis testatur Honores.
Croyacæ Matres: hic alter Originis Index,
Alter Apex. *Halevina* Ducum generosa Propago
Accessit, Rami Mavortis, & inclita Bello
Pectora. Tam clarâ se Stirpe ANTONIUS infert,
Marte togâque *Boni* fidissima Dextra *Philippi.*
Ipsum Burgundus cùm Velleris Auctor in Albo
Scripsisset tantorum Equitum, mors Improba Torquem
Ante Datum rapuit. Satus hôc famosior Heres,
Delicium Audacis Caroli, quia fidus & Audax,
JOANNES. Pepulit Francas cum Fratre Catervas,
Leucorumque Oras (nunc Luxemburga vocatur)
Restituit Domino. Primum Dux ipse Ministrum
Esse suum voluit. Cor idem gestare putâsses.
Quare hunc Auratô dum donat Vellere Princeps,
Ordine post Reges Primum locat. Intuor Arma,
Magnifica Arma Viri, Signumque illustre *Craonum*
Cröyacam præter Genitricem, & Nobile Scutum
Flandriaci Comitis, *Rentæanas*que Dolabras.
Non mihi si fuerit scribendi Copia Libri
Quantus hic est noster, Patrono Principe felix,
Ornamenta Domûs dignè proponere possim.
Non tamen est Equitis pulcrâ de Morte tacendum.
Unum Cor tulerat cum Principe: ***Primus*** in Armis
Et titulo & dextrâ: Primas Legatus in Aulas,
Audacis Caroli Personam gesserat Audax;
Cum Carolo cecidit. Nancæum testor, & istam
Funestam Tibi, Belga, Diem: si torva Philippi
Progenies, Audax nimiùm quia semper ovârat
Antè, RUBEMPRÆOS habuisset in Agmine plures;
Nunquam, Belga, malos sensisses, Orbe, tumultus

Pupil-

Pupillâ Dominum lugens cum Virgine raptum.
Obruerat Numerus. Duraverat ira Leones
In letum. Jacuêre ſimul: duo Corpora Lectô
Compoſuit Lotharus quaſi jactabundus eôdem:
Hos vici! & tumulo ſociavit. Ab hoſte probata eſt
Intemerata fides, ut & inlachrimâſſe feratur.
Sic Moriens *Ruber in Prato*, cum Lampada Vitæ
Traderet Heredi, CAROLO quoque, tradidit unà
Immortalem Habitum Fidei, Roburque Paternum
Conſtans, impavidum. Sic Magno vidimus Æſtu
Dum vehemens Aquilo furioſis flatibus urguet
Oceanum, ut Gentes tutas male miſceat Undis;
Terrea jam moles per Verbera crebra fatiſcit
Admittitque Salum; ſed quæ Natura Creatrix
Saxa Mari objecit, nullam ſensêre ruinam,
Fluctibus edixere feris: Non ibitis ultrà;
Servarunt Populos juga tutò ad firma colentes.
Sæva Procella fuit poſt fata Audacis & atrum
Certamen. Dictu infandum! Veſania Gentes
Civiliſque furor miſcebat: & ipſa furebat
Nobilitas. Stetit illa Domus pro Sanguine Sacro
Principis extincti, * Fernandigenâque Maritô, Maximiliano Ferdinandi Filio.
Arma movens Furias contra, Pacemque reducens.
Mutatum eſt Nomen: ſucceſſerat Auſtria Francis:
Non mutata Fides. Piget enumerare tumultus,
Belgica! ſed dicam Te Teſte, & Patre Supremo:
Pro Rege atque Fide ſemper ſtetit illa Propago:
Nulla RUBEMPRÆOS traxit violentia retrò.
Creverunt opibus ſine Crimine, ut Auſtria crevit,
Connubiis. Memorare queam Primaria Mundi
Stemmata. Junxit Hymen quot Regibus atque Tetrarchis!
Vellera perrexere dari. Tutela * Dianæ Venationis.
Totque Equitum Turmæ ingentes peditumque Catervæ
Credita *Everbergis*: tandem ſic maluit Æther,
Quod centum ſenſere Domus, ut Maſcula Proles
Deficeret, Dominam ſpectarent cuncta *Brigittam*,
Ut Seriem felix Torus hâc in Gente ſecundam
Inciperet, Nomenque reviveret, aque Monarchis
Iſta

Ista probaretur, procederet Auspice Cœlo,
Insitio, *Rubros*que daret prodire Nepotes.
Nuptum Nimpha datur. Comitis Domus Inclita Sponsi:
Immortale ferunt *à Rheno* Flumine Nomen.
Cetera cuncta placent; sed non erat ille Maritus
Unde RUBEMPRÆUM Genus instauraret Olympus.
Nempè erat in Fatis Soboles ut Celsa Merodi
Tot cum conspicuis Virtutibus, illud haberet
Depositum Antiqui Generis, Dominæque crearet
Heredes! Venêre Beato digna Parenti
Pignora, nec Virtus utriusque Propaginis unquam
Absuerit! Misce æternum, Dignissime Princeps,
Fœdere Adoptivo binorum Stemmata Regum;
Regnatorem Istri, cum Sceptris * Amnis Iberi! (Fluvius Arragoniæ.)
Terræ **Augusta* Caput: Gentem dixere Priores (Cæsar Augusta.)
Autrigonas; nunc regna solent *Aragonica* dici.
Inde *Merodæi* Regum venêre Nepotes,
Sicut *Everbergos* Bela Rex Stephanusque crearunt.
Ad Regale Genus *Diplomata* tendite Regum,
Nec dubita, Liber, optato quin Patre potitus,
Felix in Lucem venias, ab eôque legaris
Qui fovet imprimis pulchras & promovet Artes.

Excellentissime Princeps

Excellentiæ Tuæ

Devotissimi & obligatissimi famuli

FRANCISCUS FOPPENS
ÆGIDIUS DENIQUE

PRÆFATIO.

Cum Celeberrimus Auctor noster nunquam intermoriturae memoriae, Miræus, primùm animum adjecit, ut è tenebris erueret in Archivis abditas passim & ignotas, ibique cum blatris & tineis luctantes, authenticas Serenissimorum Principum nostrorum, aliorumque Illustrissimorum Virorum, Donationum Piarum & Fundationum Chartas, planè intellexit quanto Reipublicæ litterariæ subsidio, antiquitatum studiosis prodesse possent, quæ edi curavit Opera sua Diplomatica. Certè non firmiori quàm hujusmodi fulcrò nititur Historia; quam retroactis procul seculis plurium Scriptorum inscitia, barbaries, quandoque & adulatio, ita fabulis involverunt, ut quod ornandum susceperant, fœdè deformarint. Hinc tot populares enati sunt errores, quos lucidioris ævi doctissimorum Virorum criteria vixdum hactenus expurgare potuerunt.

Hæc potissimùm causa fuit, cur laudatissimus Auctor noster, indefesso labore de Republica bene mereri fategerit (velut in Præfationibus suis non obscurè pluries indicat) tanto quidem successu, ut præclarissimos æmulos in antiquarum collectionum curam adverterit. Ejus methodo memorandus Butkens nostras, tantam Brabanticis suis Trophæis fidem, famam, æstimationemque conciliavit. Anecdotorum ingentia volumina deinceps evulgari cœperunt, partemque laudis sequacium suorum, jure sibi vindicat Miræus, cum exemplo præiverit posteris; qui si magis memoratu quædam digna eruerint, felicitati; si plura, benevolentiæ Chartophylacum adscribendum est.

Conquestus est meritò Gramaius, diligentissimus Antiquitatum Belgicarum indagator, multorum obserata Archiva sibi non patuisse, sive eùm invidorum avaritia scientiæ, sive primævæ Fundationum institutionis neglectus, sive bonorum in alios usus commutatio à veterum monumentorum inspectione arcuerit. Credibile est Miræo nostro idem accidisse, dum *Codicem Donationum Piarum* primùm evulgavit, exiguum sanè mole; sed copiosâ utilitate pretiosum, quæ & sensim plures incendit, ut lubenter cum Viro tanto communicarent scriniorum suorum arcana, cum ex publico applausu intelligerent, ob integerrimi Viri fidem, non tantùm jura sua sic stabiliri, ut vel temporum, quod fit, calamitate deperditis autographis, salva sibi sua constarent privilegia; sed & insuper originum suarum Antiquitatem pulcrè ostentari: cum & aliunde æquum videretur, Patronorum suorum munificentiæ hanc gratiam referre, quâ eorum amplissima beneficia omnibus innotescerent.

Ita factum est, ut post evulgatum *Codicem Donationum Piarum*, in lucem Auctor noster dederit Libros duos *Diplomatum Belgicorum*, quos deinde exceperunt ampliores duo *Donationum Belgicarum*, hosque demum Liber, quem *Notitiam Ecclesiarum Belgii* nuncupavit, quo in Opere Diplomatico substitit; nova procul dubio addituros, nisi mortalis vitæ suus cuique esset terminus.

Ceterum quod præfatos Libros ejusdem certè argumenti omnes, diversis titulis in-

dicàrit, ideo potiſſimùm feciſſe videtur, ut quodlibet Opus per ſe, ut dicunt, ſubſiſtens, & integrum cenſeretur; ne ſi eumdem titulum in plures tomos digeſſiſſet, Opus ſibi numquam perficiendum, ob materiæ inexhauſtæ copiam, inchoaſſe videretur: tum & antichroniſmum committi in diverſis tomis oportebat, cum non omnia ſimul Diplomata ei ad manum præſto eſſe potuerint.

Facile quidem nobis fuerat, in hac nova editione, ſerie temporum ſervatâ, quæque diſponere; verùm religioni duximus, ſeparata tanti Viri Opera, tranſpoſitis continuò Diplomatibus, in unum corpus confundere; quippe & ipſi pariter prævidebamus, ingens quod præſtolabamur undique Auctarium, non ita nobis deductum iri, ut continuus ordo ad finem uſque protenderetur, quod certè & tertiùm ordiri, in tres partes dividendo, coacti ſumus: fruſtraque adcò in Auctoris Opere emendaturi, quod in Supplemento noſtro evitare non potuiſſemus. Neque nobis id vitio, multòque minùs benemeritis de Typographia noſtra ſimul & Republica vertatur, qui Auctario noſtro adornando inſignem opem præſtiterunt; ſat citò enim præſtat qui benevolus donar, quis namque benefico diem tempuſque præfigat?

Cognoſce nunc Philarchæe Lector, quid in hac nova Diplomatum Miræi editione, quæ rariora dudum undique expetebantur, præſtiterimus; certè nulli ſumptui pepercimus, ut ea caſtigatiſſima denuo prodirent Ac primùm perquiſivimus; quæ & nacti ſumus, horum Librorum uſualia ipſius Miræi exemplaria, quæ nobis ut magno ſubſidio fuerunt, ita hanc editionem plurimùm illuſtrant: iis ſiquidem Auctor intexuit adverſaria ſuâ manu exarata, in quibus ſui ipſe Operis cenſor errata emendat, notas auget, & explanat, Diplomatum fragmenta integritati reſtituit; ut jam ſecundam ab ipſo Auctore recognitam editionem publico offeramus.

Porrò quanti & ſumptùs & laboris opus ſit, quod adjunximus Auctarium, nec Miræi Libris impar, facilè æſtimabit, qui expenderit, ex procul diſſitis per totum Belgium locis, aliiſque Regionibus, tam multa ſimul tam brevi tempore debuiſſe colligi; cum multorum annorum ſpatio ſolertiſſimus Miræus, vix plura repererit. Demum quod in margine ad initia Diplomatum, citaverimus Archiva unde eruta ſunt, ſeu Antiquitatum Viros ſtudioſos, qui ea vel impetrarunt, vel ſuggeſſerunt, non tantùm ad fidem præſtandam; ſed & gratitudinis ergo factum eſt, ut beneficium agnoſceremus, & laudaremus, Illuſtrium Capitulorum, Abbatiarum, Monaſteriorum, & aliorum quorumcumque, qui laborem noſtrum promoverunt, cui ſi pariter Lector faveris, voti nos damnas, impenſamque omnem & operam rectè nobis gratulamur collocatas.

AM-

AMPLISSIMO VIRO
DOMINO
D. PETRO PECQUIO,
EQUITI AURATO,
PHILIPPO IV.
REGI CATHOLICO
BELGARUMQUE PRINCIPI
A CONSILIIS STATUS,
BRABANTIÆQUE CANCELLARIO.

PRincipum nostrorum DONATIONES PIÆ, aliaque Diplomata, *Henrici Uweni*, Gelriæ Cancellarii, doctrinâ clarissimi, hortatu, à me colligi primùm cœpta, tuo nunc impulsu, VIR AMPLISSIME, in publicum prodeunt. Ea variorum apud nos Principatuum origines aperiunt, multa Antiquitatis Belgicæ, cùm sacræ tum politicæ, arcana hactenus abdita recludunt, ad omnis denique nostratis Historiæ illustrationem conferunt.

Itaque ne in leges peccare videar, quæ Sigilli Principali, cui praees, rationem omnem Tibi reddi sanxerunt, Principum nostrorum Diplomata ac Tabulas ad tribunal tuum adfero: ut judices, an earum exempla ex fide à me repræsententur. Et verò unus inter Belgicæ nostræ primos hoc genus antiquæ doctrinæ intelligis, unus æstimas, unus inter gravissima Reipublicæ negotia, si quando otium detur, libentissimè tractas.

Laudandum sanè studium in Viro ad Reipublicæ clavum sedente. Unâ enim hâc ratione veterum nostrorum Principum in Deum pietas, erga Ecclesias munificentia, aliæque posteris imitandæ actiones fideliter discuntur: negotiorum denique omnium, quæ Majores nostri usurparunt, formulæ certò cognoscuntur. Quod sine jactantia dixero, invenient hîc quod discant Theologi, Jureconsulti, Historiæ item Ecclesiasticæ ac Politicæ, præsertim nostratis, studiosi. Priamis, Brabonibus, Forestariis, Alberonibus,

nibus, & id genus ſuppoſititiis Principibus exploſis; Rothingum cum Bebelina, Gothilonem Magnum cum Filio Stephano IX. Papa, Godefridum Barbatum cum Beatrice, Godefridum Gibboſum cum Mathilde, Godefridum Bullonium cum tribus Fratribus, alioſque Marchiones hîc ſuos ANTVERPIA, Ragineros Comites HANNONIA, Wicmannos GANDA, Balduinos ALOSTUM, Aufridos LOVANIUM, LOTHARINGIA denique ſuperior & inferior, ſuos quæque Duces, velut ab Orco revocatos hîc agnoſcent, atque ex iis non paucos etiam loquentes audient.

Hunc porrò Antiquitatis Belgicæ Theſaurum (ſic appellare liceat) tuo Tibi jure deberi nemo negaverit, qui & res omnes noſtrates apprimè calles, & omnium diſciplinarum atque elegantiarum ſtudioſiſſimus exiſtis. Omitto præſtantiſſimas ingenii dotes, exactiſſimam Juriſprudentiæ cognitionem, Legationes in Gallia, Germania & alibi laudatiſſimè obitas, denique maxima Chriſtianæ Reipublicæ negotia à Te feliciſſimè pertractata. Prætereo illuſtres & in ore omnium poſitas Virtutes tuas, cùm privatas, tum publicas: ut Te velut ſuum hodie Papinianum univerſa Belgica meritò ſuſpiciat ac veneretur. Deſino itaque, & rogo, ut libens volenſque accipias hoc munus antiquarium, ſuâ quidem naturâ Tibi debitum, ab illo autem oblatum, qui & virtutum admiratione & beneficiorum memoriâ ſe in primis obnoxium profitetur. Bruxellis X. Kal. Maias M. DC. XXIV.

AMPLITUDINIS VESTRÆ,

Studioſiſſimus

AUB. MIRÆUS.

AD LECTOREM.

Magnorum ac piorum Virorum hortatu, ex Cœnobiorum, Urbiumque Archivis, privatis item ac publicis Bibliothecis, ingenti labóre ac ſumptu, à multis retrò annis, cum plus otii mihi eſſet, Donationes *ac* Diplomata *Principum noſtrorum eruere cœpi. Horum unam nunc Centuriam profero: plures per me, aut alium Deo adjutante daturus, ſi quæ ad æternas velut tenebras illuſtris Antiquitatis monumenta perperam nonnulli damnarunt, in lucem produxerint, & nobiſcum amicè communicarint, in ſuum Patriæque noſtræ bonum atque ornamentum.* Theſauri inviſi, & ſapientiæ abſconditæ nulla eſt utilitas: *ut Sapiens Hebræus veriſſimè adfirmat. Cum blattis itaque ac tineis pugnantia (quod indignum) exempla Principalium Litterarum utinam in lucem adſpectumque publicum proferant tot opimorum prædiorum à Principibus donatorum poſſeſſores, & vel eo ſaltem nomine gratos ſeſe memoreſque præſtent! In quo voto deſino.*

VITA

VITA ET ELOGIUM
AUBERTI MIRÆI

Ex Antonio Sandero, Valerio Andrea, & aliis.

AUBERTUS MIRÆUS, *vernaculè* Le Mire, *anno* 1573. *pridie Kalendas Decembris Bruxellæ nascitur, Patre* GUILIELMO, *qui à recepta reductaque ad legitimi sui Principis obsequium per* Alexandrum Farnesium *Parmæ Ducem, Civitate Patria, satagente faventeque* Farnesio, *primus è Catholicis civibus Questuræ ejusdem Urbis præfectus fuit: Matrem habuit* JOANNAM SPEECKAERT, *Bruxellensem; Patruum verò Illustriss. ac Reverendiss. D.* Joannem Miræum, *IV. Antverpiensium Episcopum laudatissimæ memoriæ Virum. Familia* MIRÆI *antea stabilita fuerat Cameraci, ubi Progenitores ejus inter primarios Cives atque Patricios à sæculo claruerant,*

Litteris politioribus egregiè Duaci delibutus AUBERTUS, *Philosophiam ibidem discere cœpit, Professorem nactus Eximium Virum* Georgium Colvenerium *dein S. T. D. illiusque Academiæ Cancellarium; absolvit verò Lovanii in Pædagogio Falconensi, in quo septimum locum primæ Lineæ anno* 1591. *in Promotione generali Facultatis Artium obtinuit. Quin & paulò post in eodem Falconis Gymnasio Humaniores ipse Litteras, magno cum auditorum suorum fructu, aliquamdiu peritè professus est, auditor ipse* Justi Lipsii *ferè continuus, atque interioris admissionis Discipulus & Amicus.*

Studiis Sacris dans operam, in Collegium Majus Theologorum migravit, cui tum præerat Vir Eximius Joannes Clarius, *Sacræ Theologiæ Doctor, à quo rei œconomicæ administrationem sibi imponi passus est, quoque agente primò Beneficium simplex in Ecclesia Collegiata S. Petri Anderlechtensi, dein Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Antverpiensi ex Indulto Nominationis Academicæ anno* 1598. *obtinuit.*

Itaque decurso Studii Theologici curriculo, absolutisque pro Licentia, ut vocant, Disputationibus, Antverpiam venit; ubi inter honestissimos optimosque Viros, & florem in ea Civitate Belgarum, mox eminere cœpit, & cum per annos aliquot Reverendissimo Patruo suo fuisset à secretis, atque ad summi momenti negotia adhibitus, varias quoque alias functiones obivit, Scholastici, Sigilliferi, Bibliothecarii; quæ licet totum hominem occupare potuissent, tanto ardebat amore Musarum, ut obtemperare sibi non posset, quin ubicumque locorum semper legeret, disquireret, observaret, notaret, excerperet aut scriberet, & apes imitatus è floribus aptioribus Auctorum probatorum mellilegium copularet.

Adeoque MIRÆO *nobis adaptare licebit, quod* Plinius Secundus *scripsit de seniore Patruo suo* lib. 3. ep. 5. *lucubrare eum solitum, non auspicandi causâ, sed studendi à multa nocte; somni fuisse parcissimi; nihil legisse, quod non adnotaret excerperetque. Addens se correptum ab eo, cur ambularet, dixisseque:* Poteras has horas non perdere. *Nam pe-*

vire omne tempus arbitrabatur, quod Studiis non impertiretur. Nonne videtur tibi, *inquit*, recordanti quantum legerit, quantum scripserit, nec in officiis ullis, nec in amicitia Principum fuisse? Rursus, cùm audis, quid studiis laboris impenderit, nec scripsisse satis, nec legisse? Hujus rei in MIRÆO fidem (*inquit Valerius Andreas*) ipse facere possum, quem ille aliquanto tempore domesticum mensæ suæ adhibuit, & deinceps, quoad vixit, amicum & in ferventi gratia habuit.

Anno 1610. *à Patruo Episcopo Antverpiensi missus fuit, primò in Bataviam, ac deinde in Galliam, ut impiis hæreticorum conatibus tempestivè occurreretur, qui Religionem orthodoxam contra pacta Induciarum, per Diœcesim Antverpiensem turbare satagebant.*

A morte ejusdem sui Patrui, anno 1611. *Duacum profectus est, ut Fundationem sex Bursarum, trium nempè in Philosophia, ac totidem in Theologia, in Collegio ac Seminario Regio, prout memoratus Episcopus ibidem institui supremis Tabulis mandarat, promoveret; ibique S. Theologiæ Laureâ IV. Nonas Maii ab Eximio Viro* Guilielmo Estio *S. T. D. ac Cancellario donatus est.*

Nec diu post à Sacris Oratorii Serenissimorum Principum Alberti & Isabellæ, *Pastor ac Bibliothecarius Aulæ, Protonotarius Apostolicus, & postremò à morte* Joannis Delrio *anno* 1624. *Decanus nominatus est Cathedralis Ecclesiæ Antverpiensis, atque Episcopatùs ejusdem Vicarius Generalis.*

Vir fuit de Ecclesiasticis, in Belgio præsertim, Antiquitatibus optimè meritus: qui hoc unum agebat maximè, ut ἀνέκδοτα *hactenus, & cum blattis tineisque luctantia in lucem aspectumque publicum proferret; ut Ecclesiæ statum ac regimen ob oculos poneret; ut Sacrorum Ordinum initia progressusque erueret; ut Principatuum Belgii origines hactenus obscuras illustraret, ac pleraque alia Belgicæ Antiquitatis arcana hactenus abdita recluderet, idque non ex conjecturis aut fabellis popularibus, sed ex probatæ notæ Historicis ac Chronographis; quinimò ex ipsis Principum Diplomatibus, quæ in eam rem ex publicis privatisque Bibliothecis atque Archivis plurima ingenti labore ac sumptu collegit & publici juris fecit: quò ferè spectant sequentia:*

Elogia Illustrium Belgii Scriptorum, *iterum & auctiùs edita, Antverpiæ* 1609. *in* 4. *typis Davidis Martini.*

Elogia Illustrium Gentis Spinulæ. *Ibid. apud Verdussium* 1608. 4. & *Coloniæ*, 1611. 4. *apud Joannem Kinchium.*

Vita Viri Clarissimi Justi Lipsii, *Doctoris sui, ex ipsius potissimùm scriptis concinnata, Antverpiæ* 1609. 8. & *in Elogiis Belgicis, ac Fama postuma ejusdem Lipsii apud Moretum.*

Origines Monasteriorum Benedictinorum, *per Belgium. Antv. typis Verdussii* 1608. 8.

Origines Cartusianorum, *per Orbem universum. Coloniæ*, 1609. 8. *apud Hieratum.*

Origines Ordinum Equestrium sive Militarium. *Libri II. Antverpiæ* 1609. 4. & *Coloniæ apud Kinchium* 1638. 8.

Origines Virginum Ordinis D. Virginis Annuntiatæ, *Antverpiæ* 1618. 4.

Origines Ordinis Carmelitani, *ab* Elia *Propheta inchoati, ab* Alberto *Patriarcha vitæ regulâ temperati, à* S. Teresa *ad primævam disciplinam revocati, Ibid.* 1610 8.

Origines Ordinum Augustinianorum, *sub Regula D. Augustini militantium, Gallicè. Ibid.* 1611. 8.

Origines Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, *Coloniæ typis Bernardi Gualteri*, 1614. 8.

Originum Monasticarum *libri V.*

Laudatio S. Thomæ Aquinatis, *ejusque doctrinæ, dicta Bruxellis. Ibid.* 1620. 8.

Chronicon Ordinis Præmonstratensis; *in quo initia ejus, progressusque ac Viri celebres, Cœnobiaque commemorantur. Ibid.* 1613. 8.

Chronicon Cisterciense; *in quo ejus quoque Ordinis, à* S. Roberto, *Abbate Molismensi primùm inchoati, à* S. Bernardo *mirificè aucti & propagati, initia & incrementa. Ibid.* 1613. 8.

Chronicon Benedictinum, *sive Benedictinorum Cœnobiorum origines, &c. Ibid.* 1614. 8.

De Congregationibus Clericorum in communi viventium. *Ibid.* 1632. 8.

De Collegiis Canonicorum *liber singularis. Ibid.* 1615. 8.

Notitia Episcopatuum Orbis universi, *anno* 1611. *Antverpiæ, ac denuò auctior & emendatior edita typis Plantinianis anno* 1613. 8.

Politia Ecclesiastica, *sive* De statu Religionis Christianæ per totum Orbem, *lib. IV. Coloniæ*, 1609. 8. & *Lugduni in Gallia* 1620. 12.

Geographia Ecclesiastica; *in qua Provinciæ*, *Metropoles*, *Urbesque titulo Episcopali illustres. Ibid. in* 12.

Oratio in Exequiis Rudolphi II. Imperatoris; *Antverpiæ habita*, *typis Plantinianis*, 1612. 4.

Commentarius de Bello Bohemico, *Ferdinandi II. Imperatoris auspiciis. Bruxellæ*, 1621. 4. & *Coloniæ* 1622. 8.

Galliæ Belgicæ sub Imperatoribus Romanis & Viarum in ea Militarium typus; *cum descriptione*; *auctore* Auberto Miræo. *Antverp. apud Joannem Cnobbarum* 1633.

Elogium & Funus Serenissimi Alberti Pii *Principis*, *Bruxellæ* 1622.

Commentarius de Vita Alberti Pii *Principis &c. typis Plantinianis*, 1622. 4.

Laudatio Funebris Sereniss. Isabellæ Claræ Eugeniæ *&c. Ibid.* 1634. 4.

Chronicon Rerum toto Orbe gestarum, *à Christo nato ad hæc usque tempora*; *Auctoribus*, Eusebio *Episcopo Cæsariensi*, B. Hieronymo *Presbytero*, Sigeberto *Gemblacensi Monacho*, Anselmo *Gemblacensi Abbate*, *aliisque*: *cum Auctario* Miræi *ab anno* 1200. *ad annum* 1608. 4. *apud Verdussium.*

Petri Divæi Historia Brabantica, *à* Miræo *eruta & illustrata*; *cum Auctariolo*; *Ibid.* 1610. 4.

Disquisitio de SS. Virginibus Coloniensibus, 1608. 4.

Fasti SS. Belgici ac Burgundici. *Bruxellis apud Joannem Pepermannum*, 1622. 8.

Rerum Belgicarum Annales. *Ibid.* 1624. 8.

Stemmata Principum Belgii, *ex Diplomatibus ac Tabulis publicis potissimùm concinnata. Ibidem* 1626. *typis Meerbecii.*

Codex Donationum Piarum, *præsertim Belgicarum. Ibid.* 1624. 4.

Diplomata Belgica, *Libri II. Ibidem apud Joannem Pepermannum* 1628. 4.

Donationes Belgicæ; *Libri II. Antverpiæ apud Joannem Cnobbarum* 1629. 4.

Notitia Ecclesiarum Belgii, *Ibid.* 1630. 4. *Omnia cum Notis.*

Rerum Belgicarum Chronicon, *à Julii Cæsaris in Galliam adventu usque ad annum* 1636. *Ibidem apud Guilielmum Lesteenum.*

Codex Regularium & Constitutionum Clericalium, *cum Notis*, *typis Trognæsii* 1638. *fol.*


Bibliotheca Ecclesiastica, *sive Nomenclatores VII. veteres*, S. Hieronymus *Presbyter & Doctor Ecclesiæ*, Gennadius *Massiliensis*, S. Isidorus *Hispalensis*, S. Ildefonsus *Toletanus*, Honorius *Augustodunensis*, Sigebertus *Gemblacensis*. Henricus *Gandavensis*; *cum* Miræi Auctariis & Scholiis, *Ibid. apud Jacobum Mesium* 1639. *fol.*

Bibliothecæ Ecclesiasticæ pars altera, *sive de Scriptoribus Ecclesiasticis ab anno* 1494, *quo Joannes Trithemius Abbas Spanheim. desinit*, *usque ad sua tempora. Huic operi*, *dum* Miræus *insudaret*, *immortuus est*, *ac tandem Antverpiæ fol. anno* 1649. *prodiit curâ Nepotis ejus* Auberti vanden Eede, *Canonici & Scholastici Cath. Antverpiensis*, *dein Archidiaconi atque VIII. Antverpiensium Episcopi.*

Cæterum Aubertus Miræus *amicis & familiaribus utebatur omnibus ferè ævi sui Doctissimis Viris undequaque ad illum vel concurrentibus*, *vel per Litteras cum eo communicantibus*, *inter quos familiarissimè cum eodem conversati sunt* Andreas Schottus, Heribertus Rosweydus, Ægidius Bucherius, *Presbyteri Societatis Jesu*, Christophorus Butkens, *Prælatus S. Salvatoris Antverpiæ*, Godefridus Wendelinus *Canonicus Tornacensis*, Nicolaus Rockoxius, *Vir Consularis*, Petrus Paulus Rubenius, *ævi sui Apelles*, Cornelius & Henricus Lancelotti *Fratres ex Ord. S. Augustini S. T. Doctores*, *ac præ cæteris* Gaspar Gevartius, *Urbis Antverpiensis Archigrammatæus.*

Tandem inter continuos Studiorum labores, *Veterum Scriptorum elucidationes*, *novarumque Historiarum ac Dissertationum editiones*, *è vivis eripitur Antverpiæ die* 19. *Octobris* 1640, *anno ætatis* 67. *relinquens perennem summæ eruditionis famam*, *quam Scripta ejus*, *in toto Orbe Christiano magni habita*, *testantur. Sepultus est in Choro Cathedralis Ecclesiæ Antverpiensis*, *ubi legitur duplex Inscriptio*, *quam hæredes in hujus Viri memoriam poni curarunt.*

EPITAPHIUM
In ambitu Chori.



D. O. M. S.

AUBERTO MIRÆO. H. Cath. Eccl. Decano,
Studiis Scriptisque Clarissimo,
Qui Ordinibus Religiosis origines,
Annalibus gesta, Piis Fundatoribus famam,
Historiis lucem, Scriptoribus per elogia vitam,
Patriæ claritudinem, Ecclesiæ huic
Decus asseruit:
Quibus assiduè laboranti, ac fœliciter operanti
& perennare dignissimo
Mors manum injecit anno M. IↃC. XL.
Mens. Oct. die XIX. vitæ ejus LXVII.
Joan. Carol. Franchemius Miræi ex asse Hæres
Avunculo magno, Proparenti opt. in H. E. Choro
Condito, Gratitud. ergò Monumentum P. C.

In Choro à parte meridionali.

Uni Trinoque Deo S.
Cui quod de terra acceperat,
Eidem hìc reddidit
AUBERTUS MIRÆUS Bruxellen. Guil. F.
JOANNIS quond. hìc Episc. ex Fratre N.
Hujus Cath. Eccles. Decanus, &
Episcopat. Vicarius General.
Protonot. Apostol. S. Th. Lic.
Ser. ALBERTO & ISABELLÆ Austriæ Archid.
Belgii Principibus à Sacris Oratorii,
Et Bibliothecæ Præfectus.
Piis manibus lector benè apprecare.

APPROBATIONES CENSORUM.

Approbatio Codicis Donationum Piarum.

MEmoriâ ac laude sæculorum dignum censeo R. D. Auberti Miræi, Viri longè doctissimi, Codicem Piarum Donationum, cùm quod varia piæ liberalitatis monumenta à Pontificibus, Imperatoribus, Regibus ac Principibus, in favorem Ecclesiarum præsertim Belgicarum edita, distinctè & cum veritate commemoret, tum quòd nihil contineat quod aut Catholicam Religionem, aut Christianos Principes, aut mores offendat. Quare summo eum fructu & legentium voluptate, ac Ecclesiæ Belgicæ honore, in lucem emitti, & omnium manibus teri posse judico. Datum Bruxellæ VII. Kalendas Maias M. DC. XXIV.

HENRICUS SMEYERS S. Th. L.
Scholasticus Bruxellensis, Lib. Censor.

Approbatio Diplomatum Belgicorum.

DIplomata hæc Belgica, quæ Vir Rev. & Cl. Aubertus Miræus, Decanus Antverpiensis, & Ser. Isabellæ Claræ Eugeniæ Hisp. Infanti à Sacris Oratorii, ex variis seu privatis seu publicis Bibliothecis atque Archivis ingenti studio collegit, cedunt in non mediocre Patriæ nostræ bonum & ornamentum; quibus illustris Antiquitatis monumenta viriliter tutatur, ne senium seu exitium & æternas perperam tenebras persentiscant. Quare hoc Opus Antiquarium non tantùm Belgicorum Procerum Nobilitatem, & antiqui Regiique sanguinis splendorem, verùm etiam Principum veterum eximiam prudentiam, pronamque ad bene merendum de Ecclesia & Republica voluntatem (quibus virtutibus quasi duabus firmissimis columnis moles Principatûs solidè subnixa stabilitaque recumbit) plenâ manu depromit. Ideoque publicam lucem meritò adspiciet. Bruxellæ VIII. Kalendas Septembris M. DC. XXVII.

HENRICUS SMEYERS, S. Th. Lic.
Scholasticus Bruxellensis, ordinarius Librorum Censor.

Approbatio Donationum Belgicarum.

EGo infrascriptus Canonicus & Pœnitentiarius Antverpiensis, legi & perlustravi hosce Donationum seu Diplomatum Belgicorum Libros duos, ex variis Archivis Ecclesiarum collectos, Notisque illustratos, Studio & Operâ Venerabilis Viri ac Reverendi admodum Domini Auberti Miræi, Cathedralis Ecclesiæ Antverpiensis Decani, necnon Vicarii Generalis Reverendissimi Domini Episcopi ibidem: qui cùm nobis proponant antiquissimas Præsulum, Regum ac Principum fundationes, donationes, contractus, fœdera, testamenta, aliaque tam sacræ quàm profanæ Antiquitatis monumenta, meritò typis mandabuntur, magno cùm exterorum tum indigenarum commodo. Antverpiæ 4. Martii, anno 1629.

ZEGERUS VAN HONTSUM
Librorum Censor.

Approbatio Notitiæ Ecclesiarum Belgii.

TRactatus, cui titulus Notitia Ecclesiarum Belgii, collectus Studio Amplissimi Viri & Reverendi admodum Domini Auberti Miræi, Decani insignis Ecclesiæ Cathedralis B. Mariæ Antverpiæ, & eruditissimis per eumdem Notationibus illustratus, continens veteres Ecclesiarum fundationes & donationes, nec non antiquissimarum Familiarum Regum, Ducum & Comitum Stirpes, magno cum fructu publicam lucem aspiciet. Datum Antverpiæ 20. Augusti 1630.

ZEGERUS VAN HONTSUM,
Canonicus & Pœnitentiarius Antverpiensis, Librorum Censor.

OPERUM
AUBERTI MIRÆI
DISPOSITIO.

Tomus primus continet

Tomus ſecundus continet

AUBERTI



J Berterham sc Br

AUBERTI MIRÆI CODEX DONATIONUM PIARUM.

CAPUT PRIMUM.

Testamentum Sancti Remigii, *Remorum Archiepiscopi, Francorum ac Belgarum Apostoli.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, gloria Deo, Amen. Ego Remigius Episcopus civitatis Remorum, Sacerdotii compos, (1) Testamentum meum condidi jure Prætorio, atque id codicillorum vice, valere præcepi, si ei juris aliquid videbitur defuisse. Quandoque ego Remigius Episcopus de hac luce transiero, tu mihi heres esto Sancta & venerabilis Ecclesia Catholica urbis Remorum, & tu fili fratris mei, Lupe Episcope, quem præcipuo semper amore dilexi, & tu nepos meus Agricola Presbyter, qui mihi obsequio tuo à pueritia placuisti, in omni substantia mea, quæ meâ sorte obvenit, antequam moriar, præter id quod unicuique donavero, legavero, darive jussero, vel unumquemque vestrum voluero habere præcipuum.

Tu sancta heres mea Remensis Ecclesia, colonos quos in *Portensi* habeo territorio, vel de paterna maternaque substantia, vel quos cum fratre meo sanctæ memoriæ Principio Episco- La terre de Porcian

A po

(1) SAncti Remigii Testamentum Flodoardus in Historia Remensis Ecclesiæ, lib. 1. c. 18, & ex eo Barnabas Brissonius, Præses Parisiensis, recitat lib. 7. de Formulis & solemnibus populi Romani verbis.

Eodem libro Brissonius habet Testamentum Hadoindi Cenomanensis Episcopi, à Flodoardo lib. 2. cap. 5. laudati, quod est ejusdem fere seculi ac styli. Idem recitat Baronius in Annalibus ad annum 652. & Cl. Robertus in Gal. Christiana. p. 299.

S. Gennadii Asturicensis in Hispania Episcopi Testamentum an. 915. scriptum ex autographo recitat Prudentius Sandovallius, Episcopus Pompelonensis, lib. de Fundationibus monasteriorum Benedictinorum in Hispania. Nos infra Cap. 8. S. Willibrordi, primi Ultrajectensis Archiepiscopi, & S. Everardi Comitis Cisoniensis Testamenta commemorabimus. Ex quibus, habent quod Jureconsulti, & antiquitatis cum sacræ tum profanæ studiosi, hauriant & discant.

Ceterùm S. Remigius obiit circa an. Christi 525. ut ex Concilio Arvernensi colligit Ægidius Bucherius, in Tabulis suis Chronologicis. Georgius Colvenerius, in Notis ad Flodoardi Hist. Remensem, vult eum vixisse usque ad annum 544, quod repugnat Concilio Arvernensi, anno 535. celebrato; cui Flavius subscripsit, S. Remigii post Romanum successor. De post Colvenerius ad me scripsit anno 1626. *Existimo nostram sententiam magis fundatam, & conformem Hincmaro, Sigeberto, Meiero & aliis, qui etiam ad Concilium Arvernense de Flavio respondi.* Quo anno idem Remigius Testamentum suum scripserit, non constat: quòd nomen Consulis, sub quo scriptum, in manuscriptis codicibus desideretur.

Quo anno S. Remigius obierit.

po commutavi, vel donatos habeo, possidebis, *Dagaredum*, *Profuturum*, *Prudentium*, *Temnaicum*, *Maurilionem*, *Baudoleifum*, *Provinciolum*; *Naviatenam*, *Lautam*, *Suffroniam*, colonas, *Amorinum* quoque servum cum omnibus quos intestatos reliquero, tuo dominio vindicabis. Nec non villas, agrosque, quos possideo in solo *Portensi*, *Tudiniacum* scilicet & *Balatonium*, sive *Plerinacum*, & *Vacculiacum*, vel quæcumque in eodem solo *Portensi* qualibet auctoritate possedi, integrè cum omnibus campis, pratis, pascuis, silvis, ad te Testamenti hujus auctoritate revocabis.

SIMILI modo, sanctissima heres mea, quæcumque tibi à propinquis & amicis meis, in quocumque solo & territorio collata sunt, sicuti disposuero in Ptochiis, Cœnobiis, Martyriis, Diaconiis, Xenodochiis, omnibusque matriculis sub tua ditione degentibus, ordinationem meam futuri successores mei, ordinis sui memores, sicut ego prædecessorum meorum, ita quoque inconvulsè & absque ulla refragatione servabunt.

Vide Onuphrium.

Ex quibus *Celtus*, quem per manum meam, *Celsa* sobrina mea tibi tradidit, & *Huldriciaca* villa, quam *Huldericus* Comes, ei loco ubi ossa mea sancti fratres, & Coëpiscopi Diœceseos tuæ ponenda elegerint, in tegumentis deserviant. Sitque locus ille successoribus meis Remorum Episcopis peculiariter proprius, & in alimoniis ibidem Deo militantium, vicus ex proprio in *Portensi* & .... villanis quoque ex Episcopio in Remensi deserviant. *Blandibaccius* villa in Portensi, quam à coheredibus meis *Benedicto* & *Hilario*, datis pretiis, emi de thesauro Ecclesiæ, & *Albiniacus* ex Episcopio, in alimoniis Clericorum Remensis Ecclesiæ communiter deputentur. Quibus etiam *Berna* ex Episcopio, quæ peculiaris prædecessoribus meis esse solebat, cum duabus villis, quas (1) LUDOWICUS, à me sacro baptismatis fonte susceptus, amore nominis mei, (2) *Biscofesheim* suâ linguâ vocatis, mihi tradidit, sive cum *Costo* & *Gleni*, vel omnibus silvis, pratis, pascuis, quæcumque per diversos Ministros in *Vosago* infra, circum, & extra, tam ultra quàm citra Rhenum, pretio dato comparavi, picem annuatim ministret, cunctisque locis regularibus, tam à me quàm ab antecessoribus meis ordinatis, sive in futuro ab Episcopis successoribus meis ordinandis, pro necessitate locorum, ad vascula vinaria componenda, annuatim distribuat.

Deest dictio in manusc.

Clodoveus I. Rex

Domus Episcopi.

CRUSCINIACUM verò & *Faram*, sive villas quas sanctissima virgo Christi *Genovefa*, à Rege Christianissimo Ludowico, pro compendio itineris sui, cùm Remensem Ecclesiam sæpissimè visitare soleret, adipisci promeruit, alimoniisque ibidem Deo famulantium deputavit, sicut ab ea ordinatum est, ita confirmo, ut *Crusciniacus* futuri Episcopi successoris mei obsequiis, & sartatectis principalis Ecclesiæ deputetur. *Faram* verò eidem Episcopo, & sartatectis Ecclesiæ, ubi jacuero, perpetualiter servire jubeo.

S. Genovefa.

Fere.

(1) LUDOWICUS. Clodoveus Magnus (quem S. Remigius Ludowicum appellat) Childerici filius, Merovei nepos, uxorem habuit S. Chlotildem, Martyrologii Romani tabulis die 3. Junii adscriptam, Chilperici Burgundionum Regis filiam.

(2) BISCHOFSHEIM. Id est, Episcopi domus. Vel hinc liquet, Francos olim Germanicâ linguâ usos fuisse.

SPARNACUS villa, quam datis quinque millia libris argenti, ab *Eulogio* comparavi, tua (sanctissima heres mea) non extraneorum heredum meorum, esse cernitur, eò quod cùm criminis accusatione Regiæ Majestatis idem teneretur obnoxius, & se minimè purgare posset, non solùm ne occideretur, dato jam dicto pretio de thesauris tuis, sed ne pecunia ejus publicaretur, unà tecum obtinui: & ideo ut præfata *Sparnacus* perpetualiter tibi ad restituendum thesaurum, stipendiisque tui Pontificis deserviat, liberali sanctione firmavi.

Espernay en Champagne.

DUODECIACUS verò, sicut à CLODOWALDO, nobilissimæ indolis puero, confirmatum est, tibi heres mea perpetualiter famuletur.

Dousy prope Cari & Mosæ confluentes. S. Clodoaldus 7. Sept.

VILLAS, quas mihi Dominus illustrisque memoriæ LUDOWICUS Rex, quem de sacro baptismatis fonte suscepi, cùm adhuc paganus Deûm ignoraret, ad proprium tradidit, locis pauperioribus deputavi: ne fortè, cùm esset Infidelis, cupidum terrenarum rerum me arbitrari posset, & non potiùs suæ salutem animæ, quàm exteriora ab ipso bona requirere. Quod & admiratus, intercedere me pro quibuscumque necessitatem patientibus, & fidelis & ante fidem, benignè liberaliterque concessit.

ET quia ex omnibus Episcopis Galliarum, pro fide & convocatione Francorum, potissimùm me laborare cognovit, dedit mihi Deus tantam gratiam in conspectu ejus, virtusque divina, quæ per Spiritum Sanctum me peccatorem plurima signa ad salutem præfatæ gentis Francorum operari fecit, ut non solùm ablata omnibus Ecclesiis regni Francorum restitueret, sed etiam de proprio, gratuitâ bonitate, plurimas ditaret Ecclesias. Neque priùs de regno ejus, quantùm passus est pedis, Ecclesiæ Remorum jungere volui, donec ut hoc omnibus Ecclesiis adimpleret, obtinui.

SED neque post ejus baptismum, nisi *Codiciacum* & *Juliacum*, super quibus jam dictus puer sanctissimus, & unanimus mihi *Clodowaldus*, & incolæ loci illius multiplicibus xeniis gravati, obnixè deprecantes, quod Regi debebant, Ecclesiæ meæ solvendum me petere compulerunt. Quod idem piissimus Rex & gratanter accipiens, promptissimâ voluntate largitus est, usibusque tuis, sanctissima heres mea, juxta ejusdem piissimi datoris præceptum, Episcopali auctoritate firmavi.

Coucy. July.

RES etiam, quas sæpe dictus Rex piissimusque Princeps, tibi in *Septimania* & *Aquitania* concessit, & eas quas in *Provincia Benedictus* quidam (cujus filiam mihi ab *Alarico* missam, gratia Sancti Spiritûs, per impositionem manus meæ peccatricis, non solùm à diabolicæ fraudis vinculo, sed ab inferis revocavit) ad usum luminis tui, & loci, ubi corpus meum jacuerit, continuatim deservire præcipio, villasque in *Austria* sive *Toringia*.

Austria id est Austrasia. Vide Bucherium in Notis sive Additamentis Tomo 2. p. 6.

FUTURO Episcopo successori meo amphibalum album paschalem relinquo, stragula columbina

lumbina duo, vela tria, quæ sunt ad ostia diebus festis triclinii, cellæ, & culinæ.

VAS argenteum triginta, & aliud decem & octo librarum, inter te, heres mea, & Diœcesim tuam Ecclesiam(1) *Laudunensem*, factis patenis atque calicibus, ad ministerium sacrosanctum, prout volui, Deo annuente, distribui.

ILLUD quoque vas aureum decem librarum, quod mihi sæpe nominatus Dominus illustrisque memoriæ LUDOWICUS Rex, quem (ut prædixi) de sacro baptismatis fonte suscepi, donare dignatus est, ut de eo facerem quod ipse voluissem, tibi heredi meæ Ecclesiæ supra memoratæ jubeo turriculum & imaginatum calicem fabricari, & epigrammata, quæ Lauduni in argenteo ipse dictavi, in hoc quoque conscribi volo. Quod faciam per me, si habuero spatium vitæ, si autem clausero ultimum diem, tu fili fratris mei LUPE Episcope, species ante dictas, tui ordinis memor, efficias.

COMPRESBYTERIS meis & Diaconibus, qui sunt Remis, XXV. solidos æqualiter dividendos in commune dimitto. Vitis plantam, super vineam meam, ad suburbanum positam, simili modo communiter possidebunt, cum *Melanio* vinitore, quem do in loco Ecclesiastici hominis *Albovichi*, ut *Albovichus* libertate plenissimâ perfruatur.

SUBDIACONIBUS solidos duodecim, Lectoribus, Ostiariis, & junioribus solidos octo jubeo dari. Pauperibus duodecim in matricula positis, ante fores Ecclesiæ exspectantibus stipem, duo solidi, unde se reficiant, inferentur, quibus *Corcellum* villam dudum deservire præcepi. Aliis pauperibus tribus, ubi fratres quotidie pedes lavare debent, quibus etiam *Balatoforum*, quod dicitur xenodochion, ad hoc ministerium statui, solidus unus dabitur.

VIDUIS quadraginta, in porticu Ecclesiæ alimoniam præstolantibus, quibus de decimis villarum *Calmisciaco*, *Tesciaco*, *Novavilla* stipendia ministrabantur, superaddo de villa *Huldriciaca* superiùs memorata, eis in perpetuum stipendia inferri, & tres solidos & denarios quatuor dari jubeo.

ECCLESIÆ *S. Victoris*, ad portam Suessonicam, solidos duos: Ecclesiæ *S. Martini*, ad portam Collatitiam, solidos duos: Ecclesiæ *S. Hilarii*, ad portam Martis, solidos duos: Ecclesiæ Sanctorum *Crispini* & *Crispiniani*, ad portam Trevericam, solidos duos: Ecclesiæ *S. Petri* infra urbem, quæ *Curtis Dominica* dicitur, solidos duos: Ecclesiæ, quam in honore omnium Martyrum supra Cryptam Remorum ædificavi, cum per auxilium virtutis Dei, ab igne dæmonis penè jam totam urbem concrematam eripui, solidos duos: Ecclesiæ, quam pro eodem signo virtutis Dei, in honore S. *Martini* & omnium Confessorum, infra urbem, ædificavi, solidos duos. Diaconiæ infra urbem, quæ dicitur *ad Apostolos*, solidos duos. Titulo *S. Mauricii*, in via Cæsarea, solidos duos. Ecclesiæ Jovinianæ, tituli beati *Agricolæ*, ubi ipse vir Christianissimus *Jovinus*, & Sanctus Martyr *Nicasius*, cum plurimis societatis suæ Christi Martyribus, requiescunt, ubi etiam quinque Confessores proximi antecessores Domni *Nicasii*, cum Sanctissima Virgine, & Martyre *Eutropia*, conditi sunt, solidos tres. Eidem quoque Ecclesiæ proprium, quod fuerat *Jovini* in solo Suessonico, cum Ecclesia Beati *Michaëlis*, rebus prioribus superaddidi.

ECCLESIÆ Sanctorum Martyrum *Timothei* & *Apollinaris*, ubi etiam Domino dante, si fratribus ac filiis meis Episcopis Diœceseos nostræ visum fuerit, ossa mea ponere disposui, solidos quatuor. Ecclesiæ *S. Joannis*, ubi virtus Christi, me orante, filiam *Benedicti* suscitavit, solidos duos. Ecclesiæ *S. Sixti*, ubi cum tribus successoribus suis requiescit, solidos tres, cui etiam de proprio meo *Plebeias* supra Matronam adjunxi. Ecclesiæ *S. Martini*, in eodem solo sanctæ Remensis Ecclesiæ positæ, solidos duos. Ecclesiæ *S. Christophori*, solidos duos. Ecclesiæ *S. Germani*, quam ipse in solo Remensi ædificavi, solidos duos: Ecclesiæ SS. Martyrum *Cosmæ* & *Damiani*, in præfatæ matris solo positæ, solidos duos. Matrona fluvius.

MATRICULÆ *S. Mariæ*, quæ dicitur Xenodochion, ubi duodecim pauperes stipem exspectant, solidus dabitur. Quam denique matriculam loco, ubicumque fratribus meis & filiis ossa mea ponere placuerit, perseverare præcipio, & ut diu noctuque pro peccatis atque criminibus meis Dominum deprecentur, de proprio hereditatis meæ jure, rebus quas antecessores mei in eorum stipendiis Domino dederunt, superaddo etiam villam *Scladronam*, & villam *S. Stephani*, & quidquid in villa *Herimundi* mihi per successionem evenit. Quod verò pretio ibidem comparavi, Ecclesiæ *S. Quintini* Martyris jam diu delegavi.

DE jam dicto *Vacculiaco*, *Fruminium*, *Dagaleifum*, *Dagaredum*, *Ductionem*, *Baudovicum*, *Udulfum*, *Vinofeifam*, liberos esse præcipio. *Temnaredus*, qui de ingenua nascitur matre, statu libertatis utatur.

TU verò fili fratris mei LUPE Episcope, tuo dominio vindicabis *Nifastem*, & matrem suam *Nuciam*. Vineam quoque quam *Æneas* vinitor colit. *Æneam* & *Monulfum*, ejus filium juniorem, jubeo libertate perfungi. *Mellosicum* porcarium, & *Paschasidem* conjugem suam, *Vernivianum* cum filiis suis, excepto *Widragasio*, cui tribui libertatem, tuo juri deputabis. Servum meum de *Cesurnico*, tuum esse præcipio. Agrorum partem ad te, quam frater meus *Principius* Episcopus tenuit, cum silvis, pratis, pascuis, revocabis. Servum meum, quem *Mellowicus* tenuit, *Viteredum* tibi derelinquo. *Teneursolum*, *Capalinum* & uxorem suam *Theodorosenam*, tuo juri dominioque transcribo. *Theodonima* quoque ex mea præceptione sit libera. *Edoneifam*, quæ homini tuo sociata fuit, & ejus cognationem retinebis. Uxorem *Aregildi*, & cognationem

(1) LAUDUNENSEM. Laudunum Clavatum hodie *Laon*, cùm ad Diœcesim Remensem pertineret, S. Remigius Lauduni Episcopatum instituit ac dotavit, ut Flodoardus in Historia Remensi lib. 1. cap. 14. & Sigebertus in Chronico ad annum quingentesimum narrant.

gnationem suam, ingenuos esse jubeo. Partem meam de prato, quod *Lauduni* juxta vos habeo, ad imitatem montium posito, & quæ *Jovia* sunt pratella, quæ tenui, ad te revocabis. *Labrinacum* tibi, ubi ossa genitricis meæ posui, cum præfixis terminis deputavi.

Tibi autem nepos meus Agricola Presbyter, qui intra domesticos parietes meos exegisti pueritiam tuam, trado atque transcribo *Merumvastem* servum, & uxorem suam *Meratenam*, & eorum filium nomine *Marcovicum*. Ejus fratrem *Medovicum* jubeo esse liberum. *Amantium* & uxorem suam tibimet relinquo. Eorum filiam esse præcipio liberam *Dasoudam*. *Alaricum* servum tuæ deputo portioni: cujus uxorem, quam redemi & manumisi, commendo ingenuam defendendam. *Bebrimodum*, & uxorem suam *Moriam*, tuo dominio vindicabis. Enrum filius *Mouacharius* gratulabitur beneficio libertatis. *Mellaricum*, & uxorem suam *Placidiam*, ad tuum dominium revocabis: *Medaridus* eorum filius sit libertus. Vineam, quam *Mellaricus* Lauduni fecit, tibi dono: *Britobaudem* servum meum, nec non etiam *Gibericum*. Vineam quam *Bebrimodus* facit, tibi catenùs derelinquo, ut diebus Festis & omnibus diebus Dominicis, sacris altaribus mea inde offeratur oblatio, atque annua convivia Remensibus Presbyteris & Diaconibus præbeantur.

Delegoque nepoti meo *Prætextato*, *Moderatum*, *Totticionem*, *Marcovicum*, *Innocentium* servum, quem accepi à Profuturo originario meo, cochlearia quattuor de majoribus, acetabulum, lacernam, quam mihi Tribunus *Friaredus* dedit, & argenteam cabutam figuratam. Filiolo illius *Parovio* acetabulum, & tria cochlearia, & casulam, cujus fimbrias commutavi.

Lacernam Colvener. in Scholiis ad Flodoardi Historiam Remensf.

Remigiæ cochlearia tria, quæ meo sunt nomine titulata, mantile ipsius, quod habeo feriale, transcribo: hichinaculum quoque dono illi, de quo *Gondebodo* dixi.

Hichinaculum. Colven. eod.

Delegoque benedictæ filiæ meæ Hilariæ Diaconæ ancillam nomine *Nocam*, & vitium pedaturam, quæ suæ jungitur vineæ, quam *Catusio* facit, dono: & partem meam de *Talpusciaco* transcribo, pro obsequiis, quæ mihi indesinenter impendit. *Aetio* nepoti meo partem de *Cesurnico*, quæ mihi sorte divisionis obvenit, cum omni jure, quod tenui atque possedi. *Ambrosium* quoque puerum ad jus illius dominiumque transmitto.

Vitalem colonum liberum esse jubeo, & familiam suam ad nepotem meum *Agathimerum* pertinere: cui vineam dono, quam posui *Vindonissæ*, & meo labore constitui, sub ea conditione, ut à partibus suis, omnibus diebus Festis ac Dominicis, pro commemoratione mea, sacris altaribus offeratur oblatio: & Laudunensibus Presbyteris atque Diaconibus annua convivia, concedente Domino, præbeantur.

Dono Ecclesiæ Laudunensi ex villis, quas mihi sanctæ recordationis præfatus Rex Ludowicus dedit, duas, *Anisiacum*, solidosque decem & octo, quos Presbyteri & Diaconi inter se æquali divisione distribuant. Partem meam de *Secio* ex integro ad se revocet Ecclesia Laudunensis, & *Lauscitam*, quam mihi carissima filia & soror mea, virgoque (ut credo) Christi sanctissima *Genovefa*, in usibus pauperum Christi, tibi dandam ad integrum delegavit.

Commendo sanctitati tuæ, fili fratris mei, Lupe Episcope, ex præfatis villis, quos libertos esse præcipio, *Catusionem*, & *Auliatenam* conjugem suam, *Nonnionem*, qui meam vineam facit. *Sonnoveisam*, quam captivam redemi, bonis parentibus natam, & ejus filium *Leutiberedum*, *Mellaridum*, & *Mellatenam*, *Vasautem*, *Cocum*, *Cæsariam*, *Dagarasenam*, & *Baudorosenam*, Leonis neptem, & *Marcoleisum* filium Totnonis: hos totos, fili fratris mei Lupe Episcope, Sacerdotali auctoritate liberos defensabis.

Tibi autem, heredi Ecclesiæ meæ, *Flavianum*, & uxorem suam *Sparagildem* dono. Eorum filiolam parvulam *Flavarasenam* liberam esse constitui. *Fedamiam* uxorem *Melani*, & eorum parvulam Remenses Presbyteri & Diaconi possidebunt.

Cispiciolum colonum liberum esse præcipio, & ad nepotem meum Aetium ejus familiam pertinere, ad utrumque, id est, ad *Aetium*, & *Agathimerum* pervenire colonicam *Passiacum*.

Pronepti meæ *Protextatæ* dono *Modorosenam*. *Profuturo Leudocharium* puerum trado. *Profuturæ* dari jubeo *Leudoneram*.

Laudunensibus Subdiaconibus, Lectoribus, Ostiariis, & Junioribus, quattuor solidos derelinquo: pauperibus in matricula positis solidus dabitur, ad eorum refectionem. Delegoque ex dato præfati Principis *Salvonarias* supra Moram, & decem solidos Ecclesiæ Suessonicæ, pro commemoratione nominis mei. Nam Sablonarias supra Matronam heredibus meis deputavi.

Forte, Sablonarias supra Mosam.

Catalaunensi Ecclesiæ, ex dato sæpe dicti filii mei, *Gellonos* supra Matronam, & solidos decem: Ecclesiæ sancti *Memmii*, *Fascinarias*, ex donis præscripti Principis, & solidos octo. *Mosomagensi* solidos quinque, *Vongensi*, agrum apud officinam molinarum, quæ ibi est constituta: *Catariugensi* Ecclesiæ solidos quattuor, totidemque *Portensi*, pro commemoratione mei nominis, inferentur.

Ecclesiæ (1) Atrebatensi, cui Domino annuente, *Vedastum* fratrem meum carissimum Episcopum consecravi, ex dono jam dicti Principis, villas duas in alimoniis Clericorum deputavi, (2) *Ortos* videlicet & *Sabucetum*: quibus etiam, pro memoria nominis mei, solidos viginti dari jubeo.

Eccl. Atrebatensis dotatur à S. Remigio.

Vide Not. Eccles. Belgic. cap. 2.

Ursi Archidiaconi familiaribus usus obsequiis, dono ei domitextilis casulam subtilem, & aliam pleniorem, duo saga delicata, tapete, quod

(1) Ecclesiæ Atrebatensi. Non *Cameracensi*, utpote adhuc oppressæ Ragnacharii idololatræ tyrannide, quem Clodoveus interfecit.

(2) Ortos. Clericis seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Atrebatensis S. Remigius dedit villas duas, Ortos, hodie *Ourton*, in meditullio Artesiæ, & Sabucetum hodie *Souché*, tertio lapide ab Atrebato.

quod habeo in lecto, & tunicam, quam tempore transitûs mei reliquero meliorem.

HEREDES mei, LUPE Episcope, & AGRICOLA Presbyter, porcos meos inter vos æqualiter dividetis. *Friaredus*, quem, ne occideretur, quatuordecim solidis comparavi, duos concessos habeat: duodecim det ad basilicæ domnorum Martyrum *Timothei* & *Apollinaris* cameram faciendam. Hæc ita do, ita lego, ita testor. Ceteri omnes exheredes estote, suntote.

HUIC autem testamento meo dolus malus abest, aberitque; in quo si qua litura vel caraxatura fuerit inventa, facta est me præsente, dum à me relegitur & emendatur. Neque ei duo priora testamenta, primum quidem quod ante XIV. & alterum quod ante septem condidi annos, obsistere, obviare, aut ullatenus nocere poterunt: eò quòd quidquid in ipsis continebatur, in præsentia fratrum meorum hîc inserta, & quæ deerant, adjuncta, insuper & quæ Dominus mihi largiri in postmodum dignatus est, superaddita noscuntur. Sed inconvulsum, & incontaminatum, præsens hoc, quod condidi, testamentum à fratribus meis successoribus, videlicet Remorum Episcopis, conservandum: à Regibus quoque Francorum, filiis scilicet meis carissimis, quos per baptismum, Jesu Christi dono, & gratiâ Spiritûs Sancti coöperante, Domino consecravi, ubique defensum, atque protectum, contra omnia & in omnibus, inviolabilem perpetuamque semper obtineat firmitatem.

ET si quis in ordine Clericali, à Presbytero usque ad Tonsum, contradicere, aut obviare ei præsumpserit, & correptus à successore meo satisfacere neglexerit, convocatis ex vicinioribus locis Remorum Diœceseos tribus Episcopis deponatur à gradu. Si verò (quod non opto, nec cupio, sed neque spero) successor quilibet mihi in hac Sede Remorum Episcopus, execrabili cupiditate ductus, res præfatas, sicut à me, auctore Domino meo Jesu Christo, ad illius honorem, & ejus pauperum consolationem ordinatæ sunt, aliorsum distrahere, immutare, commutare, seu quolibet obtentu, in usus Laicorum, beneficii gratiâ dare, aut à quolibet datas, favere, aut consentire præsumpserit, convocatis totius Diœceseos Remorum Episcopis, Presbyterisque ac Diaconibus, nec non & ex filiis meis carissimis Francis Religiosis quàm plurimis, reatûs sui pœnam, privatione sui Episcopatûs, persolvat, & nequaquam ultra recuperationem gradûs amissi, in hoc seculo, promerebitur.

Ferit. Sp. blonanae supra Mo. fam.

Eccl. A. rebatensis dotatur à S. Remigio.

Vide Not. Eccles. Belgicæ.

QUICUMQUE verò ex Laïco habitu à nobis statuta parvipendens, sibique favens, quæ pauperibus Ecclesiæ attributa sunt, abuti, aut usurpare quolibet obtentu præsumpserit, pari simul perpetuâque damnatione, alienator, petitor, dator, acceptor, pervasor, anathematis vinculo ab Ecclesia Catholica sejungantur: donec valeant, Deo miserante, condignæ satisfactionis emendatione indulgentiam promereri. Sin autem in hoc perseverare, cujuscumque donationis occasione, quilibet delegerit, spes ei præsentis ac futuræ restitutionis à successore meo, Remorum scilicet Episcopo, omnimodis auferatur.

GENERI tantummodò Regio, quod ad honorem sanctæ Ecclesiæ & defensionem pauperum, unà cum fratribus meis & Coepiscopis omnibus *Germaniæ*, *Galliæ* atque *Neustriæ*, in Regiæ Majestatis culmen perpetuò regnaturum statuens elegi, baptizavi, à fonte sacro suscepi, donoque septiformis Spiritûs consignavi, & per ejusdem sacri Chrismatis unctionem ordinato, in Regem, parcens, statuo, ut si aliquando genus illud Regium, per benedictionem meam totiens Domino consecratum, mala pro bonis reddens, Ecclesiarum Dei pervasor, destructor, depopulator, gravis aut contrarius existere voluerit, convocatis Remorum diœceseos Episcopis, primùm moneatur, & deinde Ecclesia Remensis præfata, adjunctâ sibi sorore, Ecclesia scilicet *Treverensi*, iterum conveniatur. Tertiò verò Archiepiscopis tantummodo Galliarum tribus aut quattuor convocatis, Princeps ille, quicumque fuerit, moneatur: ita ut usque ad septimam monitionem, si priùs satisfacere renuerit, paternæ pietatis longanimitate, differatur. Tandemque, si postpositis omnibus præfatis benedictionibus, incorrigibilis contumaciæ spiritum non deposuerit, & se per omnia Deo subdi nolens, benedictionibus Ecclesiæ participare noluerit, elogium segregationis à Corpore Christi ab omnibus ei porrigatur, quod per Prophetam & Regem David longè ante, eodem, qui in Episcopis est, dictante Spiritu sancto, noscitur decantatum. *Quia persecutus est* (inquit) *hominem inopem & mendicum, & compunctum corde, & non est recordatus facere misericordiam, & dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Psalm. 108. Totumque ei, quod in persona Judæ, traditoris Domini nostri Jesu Christi, & malignorum Episcoporum, Ecclesia decantare solet, per singulas ei decantetur Ecclesias, quia Dominus dixit: *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis: & quamdiu his non fecistis, nec mihi fecistis.* Et ideo quod probatur in capite, in membris intelligendum esse non dubitetur. Unum tantummodo ibi verbum per interpositionem commutetur. Matth. 25. *Fiant dies ejus pauci, & principatum ejus accipiat alter.*

QUOD utique si successores mei, Remorum scilicet Archiepiscopi, operari, sicut à me ordinatum est, neglexerint, in se, quidquid in Principibus resecandum fuerat, maledictionibus de pravati reperiant: *ut fiant dies eorum pauci, Episcopatum eorum accipiat alter.* Psalm. 108.

SI verò Dominus meus JESUS CHRISTUS vocem orationis meæ, quam quotidie pro genere illo, in conspectu divinæ majestatis specialiter fundo, audire dignatus fuerit, ut sicut à me accepit, ita in dispositione regni, & ordinatione sanctæ Dei Ecclesiæ perseveret, benedictionibus, quas Spiritus sanctus per manum meam peccatricem super caput ejus infudit, plurimæ super caput illustriùs, per eundem Spiritum sanctum, superaddantur: & ex ipso Re-

ges

ges & Imperatores procedant, qui in præsenti & in futuro, juxta voluntatem Domini, ad augmentum sanctæ suæ Ecclesiæ, virtute ejusdem, in judicio & justitia confirmati, & corroborati, regnum obtinere atque augere quotidie valeant: & in domo David, hoc est, in cælesti Jerusalem, cùm Domino in æternum regnaturi, sublimari mereantur. Amen. Peractum Remis (1) die & Consule supradicto, intercedentibus, & mediis signatoribus.

Ego Remigius Episcopus testamentum meum relegi, signavi, subscripsi, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti (Deo adjuvante) complevi.

S. Vedastus Episcopus Atrebatensis & Cameracensis. (2) Vedastus Episcopus, cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, & cui benedixit, benedixi, interfui quoque atque subscripsi.

S. Genebaudus Laudunensis. Genebaudus Episcopus, cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, & cui benedixit, benedixi, interfui quoque atque subscripsi.

S. Medardus Noviomensis & Tornacens. Medardus Episcopus, cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, & cui benedixit, benedixi, interfui quoque atque subscripsi.

S. Lupus Episcopus Suessionensis. (3) Lupus Episcopus, cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi, interfui quoque atque subscripsi.

Benedictus Episcopus, cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, & cui benedixit, benedixi, interfui quoque atque subscripsi.

Eulogius Episcopus: cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, & cui benedixit, benedixi, interfui quoque atque subscripsi.

Agricola Presbyter, cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, & cui benedixit, benedixi, interfui quoque atque subscripsi.

Theodonius Presbyter: cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, & cui benedixit, benedixi, interfui quoque atque subscripsi.

Celsinus Presbyter: cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, & cui benedixit, benedixi, interfui quoque atque subscripsi.

V. C. Pappolus interfui & subscripsi.
V. C. Eulodius interfui, & subscripsi.
V. C. Eusebius interfui, & subscripsi.
V. C. Rusticolus interfui, & signavi.
V. C. Eutropius interfui & signavi.
V. C. Daweus interfui, & signavi.

Post conditum testamentum, imò signatum, occurrit sensibus meis, ut Basilicæ Domnorum Martyrum *Timothei* & *Apollinaris* missorium argenteum sex librarum ibi deputem, ut ex eo sedes futura meorum ossium componatur.

(1) Die et Consule. Hæc desunt in Manuscriptis Codicibus: ex quo constat, S. Remigii Testamentum hactenùs plenè à nemine esse editum: quod utinam quis præstet!

(2) Vedastus. Signat primus, ut Episcoporum antiquissimus. Bucherius tom. 2. p. 7.

(3) Lupus. Qui Synodo I. Aurelianensi, Clodoveo vivo habitæ, interfuit.

CAPUT II.

Chilpericus *Francorum Rex dotat Ecclesiam Cathedralem Tornacensem, anno 575.*

Vide Chronicon nostrum Belgicum ad annum 575.

In nomine Omnipotentis Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Chilpericus, divinâ præveniente clementiâ, Rex Francorum. Quantò alios regiâ celsitudine præcellimus, tantò Christum honorare, & ejus Ecclesiam impensiùs volumus. Et in Christi repensionibus Sacerdotum & Pontificum, vel servorum Dei, quæ pro eorum utilitatibus pertinent, libenter præstamus vel concedimus, & hoc nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri, in Dei nomine pertinere confidimus.

Idcirco noscat fidelium humilitas vel magnitudo, quòd nos Apostolico viro domno Chrasmaro, (1) Noviomagensis vel Tornacensis urbis Episcopo, teloneum de navibus super fluvio *Scalt*, qui pertinet ad fiscum Tornacum, vel quolibet commercio, seu & de cariagio vel de fagenis, nec non de ponte super fluvio *Scalt*, vel de omnibus venalibus ubicumque vendantur.... undecumque teloneus exigitur, sicut Fiscus noster, & regia potestas vendicare potest, imò & justitiam de ipso teloneo, in stipendiis Canonicorum, ... nostrâ gratiâ plenè visi sumus concessisse. Quapropter per hoc præceptum speciàliùs decernimus pro donando, quod perpetualiter circa ipsum Domnum Chrasmarum Pontificem, vel ipsius sanctæ Ecclesiæ Tornacensis Successoribus suis, pro tempore, volumus esse concessum. Datum (2) *Bibrax*, Chilperici (3) anno primo, (4) Indictione XIII. in Dei nomine feliciter, Amen.

(Scaldis, l'Escaut, Schelde.) (Anno 575.)

C A-

Noyon: Tournay. (1) Noviomagensis vel Tornacensis. Anno 546. defuncto S. Eleutherio, Tornacensium Episcopo, S. Medardus Noviomagensis seu Noviomensis Episcopus, curam Ecclesiæ Tornacensis quoque suscepit. Ex eo tempore Episcopatus Noviomensis ac Tornacensis manserunt uniti, usque ad annum 1146. quo eos divisit Eugenius III. Papa, procurante S. Bernardo Abbate Claraevallis.

(2) Bibrax. Remorum opidum, J. Cæsari notum, hodie *Bray*, aut *Bresne*, prope Remos ad Axonam fluvium. Cæsar in Comment. Aliud *Bibracte* apud Augustodunum.

(3) Anno primo. Regni Austrasiæ, quod Chilpericus invaserat, Sigeberto fratre occiso. Illud tamen Regnum retinere non potuit, Childeberto Sigeberti filio demum prævalente.

(4) Indictione XIII. Legendum puto, Indictione VIII. & videtur lapsus librarii, X. pro V. transcribentis.

CAPUT III.

Origo & fundatio Abbatiæ SITHIENSIS, *quæ nunc* S. BERTINI *dicitur*, *in Artesia*, *anno* 654.

Vide Chronicon belgicum ad ann. 654.

DOMINIS sanctis Presbyteris (1) BERTINO, (2) MOMMOLENO, EBERTRANDO, ego in Dei nomine ADROALDUS, sanâ mente sanoque consilio integræ deliberationis, prout mundana peccata abstergere Dominus dignetur, dono vobis omnem rem portionis hereditatis meæ, in pago (3) *Taruanense*, quam domino patri AUDOMARO, Apostolico viro, ad Xenodochium suum ædificandum, dare voluimus: sed ipse salubre consilium nobis donavit, ut ipsam rem vobis delegarem, ut ibi Monasterium in honore Petri, Principis Apostolorum, construere debeatis, ad conversandum Monachis, ubi beati pauperes spiritu & domestici fidei adjuvari debeant, quorum voces quotidie ad aures Domini personare noscantur, quorum petitiones audit & implet.

PROPTEREA vobis in Christo patribus dono, per hanc epistolam donationis, in pago *Taruanensi*, villam proprietatis meæ nuncupatam *Sithiu*, super fluvium (4) *Agnione*, cum omni merito suo, vel adjacentiis seu aspicientiis ipsius villæ. Hæc sunt, villa *Magnigeloca*, *Vinciaco*, (5) *Tatinga*, villa *Amreio*, *Masto*, *Fabricinio*, *Lonsantavas*, & *Adsundenis* seu *Malros*, (6) *Alciaco*, *Lauriadiaca*, villa *Franciliaco*, cum omni merito eorum, cum domibus, ædificiis, terris cultis & incultis, mansiones cum silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus seu farinariis, mancipiis, accolabus, greges cum pastoribus, mobilibus & immobilibus, vel quibuslibet ædificiis.

HÆC omnia vobis ad integrum trado atque transfirmo, ut hereditate teneatis atque possideatis, & quibus volueritis ad possidendum relinquatis. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ego aut unus de heredibus meis, vel qualibet opposita persona contra hanc donationem venire cogitaverit ullo unquam tempore, in præsentia iram Dei incurrat, & S. Petri offensam, & insuper, Fisco cogente, auri libras XV. argenti pondo XXX. coactus exsolvat, & quod repetit non valeat evendicare. Et ut hæc donatio omnibus temporibus firmissima sit, manu nostrâ roboravimus, & qui signarent aut subscriberent, ad præsens rogavimus.

FACTA donatio VIII. Idus Septembris, anno XI. regni Domini nostri *Clodovei* Regis. Anno 654

ACTUM (7) *Ascio*, villâ dominicâ, publicè, coram strenuis viris, quorum nomina cum subscriptionibus vel signaculis subter tenentur inserta.

SIGNAVI ego ADROALDUS hanc donationem à me factam, in Christi nomine, peccator.

(8) AUDOMARUS, nomine, absque opere, Episcopus, pro testimonio.

EGO AGOLPHUS Presbyter. Vel Adolfus.
INGOBERTUS Presbyter.
SIGNUM (9) CHUNEBERTI Graphionis. Vel Chimeberti.
S. LAUDEBERTI. Vel Landeberti.
S. BABONI.
S. MAURILIONIS.
S. SACEBARONIS.
S. ADALBALDI.
LENDOLENUS Abbas.

CA-

Vide Malbrancium de morinis lib. 3. cap. 27. & Scholia ad ann. 640.

(1) SANCTUS BERTINUS patriâ Constantiensis, cum S. Mommoleno & Ebertrando, ex Luxovio Burgundiæ Cœnobio, ad S. Audomarum Morinensem Episcopum veniens, *Sithiense* Monasterium anno 654. construxit, opibus *Adroaldi*: in eoque Abbas primus anno 698. obiit. Est illud hodie Benedictinorum illustris Abbatia, intra muros urbis Audomaropolitanæ in Artesia, *S. Bertini* nomine clara. Idem *Adroaldus* S. Bertino dedit *Alciacum* prædium, cujus in diplomate recitato fit mentio.

(2) S. MOMMOLENUS. Seu Mommolinus, postea Episcopus Noviomensis ac Tornacensis, S. Eligii successor.

(3) TARUANENSE. Taruana seu Teruana urbs olim Episcopalis Morinorum, *Teruane*, jussu Caroli V. Imperatoris anno 1553. funditus excisa.

(4) AGNIO. Fluvius, hodie Aa dicitur.

(5) TATINGA VILLA. Fortè *Tatingen* vicus Diœcesis Audomaropolitanæ in Artesia. Gomicurtius.

(6) ALCIACO. *Aussy au Bois*, Diœcesis Audomaropolitanæ. Gomicurtius. Non autem *Aussy les Moines*, quod hodie similiter est Benedictinorum Abbatia in Artesia, alibi laudanda. Aussy.

Quoad *Aussy* variat Gomicurtius.

(7) ASCIO. *Ayx* modò dici creditur inter Pernas & Paulopolim.

(8) S. AUDOMARUS. Morinorum seu Teruanensium Episcopus: à quo nomen accepit Audomaropolis (*S. Omer*) urbs hodie Episcopalis Artesiæ. Obiit is anno 661.

(9) CHUNEBERTUS. Seu Chonebertus, *Graphio* vel *Gravio*, id est, Comes, Germanis superioribus & inferioribus. Idem, nisi fallor, est *Chonebertus*, vir illustris, monasterii Mariçolensis in Hannonia fundator, cujus meminit Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 1. cap. 27. & nos infra cap. 5. Gravé

CAPUT IV.

S. AMANDI, *Tungrensis Episcopi Epistola, seu Codicillus de sepultura sui corporis.*

Vide Chron. nostrum Belgicum ad ann. 661.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, ego AMANDUS miserrimus & peccator. Credimus ubique divinam nos pietatem regere, & clementer salvare velle, quia & ingressum nostrum in mundum, & exitum de mundo, ante secula ipse prænoscit. Proinde omnibus non habetur incognitum, qualiter nos longè latèque per universas provincias seu gentes, propter amorem Christi, seu verbum Dei annuntiare, vel baptismum tradere volentes, discursum habuimus: & nos de multis periculis pietas Dei eripuit, & usque tempore isto perducere dignata est.

SED dum jam corpore fesso, & multis laboribus fatigato, jam in summa senectute penè corpore præmortuo, exitum de hoc mundo in proximo habere speramus; & quia nos Deus in istum locellum, qui vocatur *Elnonis*, perducere dignatus est, quem super largitate regia proprio labore visi sumus construxisse; si nos ibi Deus de hoc mundo decreverit emigrare, peto & coram Christo Jesu, filio Dei, conjurare præsumo, ut nulli Episcoporum vel Abbatum, seu sæcularium virorum, aut quibuslibet potestatibus hoc contrarium sit, ut corpusculum meum in ipso monasterio, quod superius diximus, *Elnone*, inter illos fratres requiescat, ubi jam nos ad ipsos fratres & corpore & animâ commendavimus.

Elnonensis Monasterii constructor S. Amandus.

ET si in itinere, aut ubicumque finis noster provenerit, ad ipsum locum, quem superiùs memoravimus, corpusculum nostrum licentiam habeant fratres vel Abbas de ipso monasterio Elnone, ibidem revocare.

SI quis verò contradicere, aut de ipso monasterio corpus meum per fortia abstrahere, aut temerario spiritu contradicere voluerit, imprimitus S. Trinitatis offensam incurrat, & ab omnibus Ecclesiis Catholicis excommunicatus appareat, & à societate sanctorum extraneus efficiatur, & damnationem, quam Dathan & Abiron sustinuerunt, quos infernus vivos absorbuit, ipse sustineat, & sit anathema maranatha quod est perditio in adventu Domini nostri Jesu Christi. Et nec sic nostram voluntatem mutare valeat; sed hæc deliberatio nostra in perpetuo firma, & inviolata permaneat.

ET ut certiùs credatis, manu propriâ subscripsi, & omnibus hominibus Deum timentibus, ut subscribant, supplicamus & rogamus. Quam epistolam fratri nostro BAUDEMUNDO Presbytero fieri rogavimus.

FACTA epistola in monasterio Elnone, anno secundo regni THEODORICI Regis, sub die decima quinta Kal. Maii. Ann. 661 juxta Chron. Elnonense m. s.

EGO AMANDUS peccator hanc epistolam à me factam consensi & subscripsi.

EGO in Christi nomine (1) REOLUS, ac si peccator subscripsi.

EGO in Christi nomine (2) MUMMOLENUS Episcopus subscripsi.

EGO in Christi nomine (3) VINDITIANUS Episcopus, ac si peccator, hanc epistolam rogante Domino Amando, consensi & subscripsi.

EGO (4) BERTINUS Abbas subscripsi.

EGO (5) ALDEBERTUS Abbas subscripsi.

EGO (6) JOANNES, rogatus à Domino Amando, consentiens, hanc epistolam subscripsi.

EGO (7) BAUDEMUNDUS peccator, jubente Domino meo Amando, hanc epistolam deliberationis suæ scripsi & subscripsi.

CA-

(1) EX his qui subscripserunt, S. REOLUS seu REGULUS fuit Archiepiscopus Remensis, & quiescit in Orbacensi Monasterio à se fundato: de quo Flodoardus in Hist. Rem.

(2) S. MUMMOLENUS seu MOMMOLENUS fuit Noviomensis ac Tornacensis Episcopus: de quo superiore cap. 3. diximus.

(3) S. VINDITIANUS fuit Cameracensis & Atrebatensis Episcopus: de quo vide Baldericum in Chron. Cameracensi.

(4) S. BERTINUS fuit Abbas & fundator Monasterii Sithiensis, quod Bertinense nunc dicitur: de quo egimus cap. superiore.

(5) ALDEBERTUS seu Adelbertus fuit Abbas Monasterii S. Bavonis Gandensis.

(6) JOANNES fuit Abbas Blandiniensis prope Gandavum, à S. Amando constitutus.

(7) BAUDEMUNDUS fuit tertius Abbas Blandiniensis; & ab ipso, quantùm conjicio, scripta est vita S. Amandi, quam Surius publicavit. Errant enim, qui *Miloni Elnonensi* eam adscribunt, quòd auctor narret se à Bono Presbytero, qui Amandum Tornaci vidit, nonnulla accepisse. Milo autem longè posterior ætate fuit, utpote qui Caroli Calvi temporibus vixit, & anno 870. obiit.

Ceterum S. AMANDUS in Monasterio suo Elnonensi (quod hodie *S. Amandi* dicitur, & à Benedictinis Monachis possidetur, tertio lapide à Tornaco) an. 662. die 6. Februarii in Domino obdormivit: qui annus Sigeberto Gemblacensi, & Jac. Meiero, anni initium à Paschate ducentibus, est annus Christi 661. Joannes Cognatus in Hist. Tornacensi obitum ejus ad an. 672. refert. Annus mortis S. Amandi.

De annis regni THEODERICI magna apud Chronographos est quæstio, alibi à nobis aliquando tractanda. Nonnemo dubitare possit, an non sit legendum, *Anno secundo regni Lotharii Regis*, qui fuit annus Christi 661. eoque anno videtur hæc epistola à S. Amando scripta, hoc est, nono circiter mense ante obitum.

CAPUT V.

S. HUNTBERTI, *Maricolensis in Hannonia Abbatis*, donatio, *facta in favorem Ecclesiæ Maricolensis.*

Vide Chronicon nostrum Belgicum ad ann. 667.

ANNO XII. regni Domini nostri CHILDERICI gloriosi Regis, XV. Kal. Aprilis, (1) ego in Dei nomine HUNTBERTUS, etsi indignus peccator, cogitans de Dei timore, vel æterni boni retributione, seu abluendis meis peccatis; quia dicit Scriptura: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos perducant in æternas mansiones Sanctorum.* (Luc. 16.) Rursumque dicit: *Facite vobis saccos eleëmosynæ, qui non veterascunt.* (Luc. 12.)

IDCIRCO dono, quod in perpetuum donatum esse volo, ad sacrosanctum Monasterium, quod vocatur (2) MARICOLAS, quod vir illustris (3) CHONEBERTUS quondam suo opere construxit, ubi ego ipse indignus peccator Abbas præesse videor, consecratum in honore S. Mariæ, Matris Domini nostri Jesu Christi, & SS. Petri & Pauli Apostolorum, vel reliquorum Dominorum, qui in ipsa Basilica venerantur, situm in pago (4) *Fanomartensi*, super fluviolum, qui vocatur *Helpre:* hoc est, partem maximam de possessione nostra in villa nuncupata (5) *Macerias*, sita in pago Laudunensi, super fluvium *Isram*, quam de avia mea, Deo sacrata, AUDELIANA, quondam dato pretio, per venditionis titulum comparavi, hoc est, mansos Dominicos, ubi ipsa AUDELIANA mansit, vel postea nos ædificavimus, & terrationes & servos, & ancillas illos & illas.

Ann. 661 juxta Chron. Elnonense m. s.

HOS igitur mansos, cum terris consitis & pascuis, in integrum per hanc seriem epistolæ nostræ donationis, quam ULFINUM Notarium scribere rogavimus, ad ipsam Basilicam S. Mariæ Maricolis constructam, à præsenti die tradimus ad possidendum.

HÆC omnia suprà nominata ad ipsum monasterium delegavimus, ut ipsi Monachi vel successores nostri in suo jure vel dominatione à præsenti die recipiant ad possidendum, tam in terris, quàm domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, absque ullius judicis interpellatione: habeantque in sua potestate tenendi, dandi, vendendi, commutandi, vel quod exinde voluerint faciendi.

PROPTEREA in ista epistola definimus, ut nulla altera ratione calumnia in postmodum inter ipsos servos Dei, vel heredes nostros non adcrescat.

Si quis verò post nos, quod futurum esse non credimus, si aliquis de heredibus nostris, aut quælibet opposita persona contra hanc donationem nostram, quam fieri rogavimus, venire aut infringere voluerit, primitus iram Trinæ majestatis incurrat, & sit anathema, & deleatur nomen ejus de libro viventium cælesti, (Psal. 68.) & cùm justis non scribantur, sed sint consortes Judæ Iscariotis, qui Dominum tradidit, & si emendare noluerit, mutet Deus sensum ejus, & in illo judicio recipiat, quod Ananias & Saphira receperunt in præsenti, (Act. 5.) & insuper inferat cogenti fisco auri libras decem, & decem argenti pondo coactus exsolvat. Nec si quid repetit: nihil valeat vindicare, & merces nostra in antea proficiat ad salutem.

ET si aliqua instrumenta aut anterioris aut posterioris, quolibet ingenio vel argumento de nomine nostro in propinquis meis vel extraneis personis fuerint ostensa aut ullo umquam tempore apparuerint, falsarius esse cognoscatur, & inanis permaneat. Sed præsens donatio à me facta omni tempore firma & inviolata permaneat, stipulatione subnixa idoneorum testium, domini videlicet (6) VINDITIANI Episcopi, & FULBERTI mei fratris, (7) sed ill. & ill.

ACTUM Maricolis. Ipse tamen *Huntbertus*, etsi peccator Abbas propriâ manu confirmo.

B C A-

(1) EGO IN DEI NOMINE HUNTBERTUS. Ita legendum suadet sensus & contextus ipsius diplomatis, itemque ipsum autographum, quod Maricolenses adservant. Baldericus in Chronico Cameracensi lib. 1. cap. 27. hoc ipsum diploma recitat, sed in editione Duacensi, per transpositionem, legitur CHONEBERTUS, ubi legendum est, HUNTBERTUS, & è contra.

Annus mortis S. Amandi.

Fuit autem S. HUNTBERTUS sive HUMBERTUS primùm socius S. Amandi Tungrensis Episcopi, in peregrinatione Romana, post Abbas Maricolensis, ac demum Episcopus, ad conversionem infidelium: quales item Episcopos simulque Abbates URSMARUM, ERMINUM, & alios olim Laubium habuit. Porrò S. Humbertus & Antverpiæ Evangelium prædicasse traditur: quod colligi datur ex elogio, versibus heroicis concepto, quod Molanus in Natalibus SS. Belgii 25. Martii recitat. (S. Humbertus.)

Est autem verisimile, S. Humbertum unà cum S. AMANDO, viro verè Apostolico, Antverpiam venisse: de quo seq. cap. agemus.

(2) MARICOLAS, Mareclias, seu Marilias, Gallicè *Marolles.* Est hodieque illustris Benedictinorum apud Hannones Abbatia, ad Helpram fluvium, cujus primarius fundator fuit CHONEBERTUS, secundarius autem S. HUMBERTUS. (Sambram.)

(3) CHONEBERTUS. Comes pagi Fanomartensis, est idem ut arbitror, qui supra cap. 3. in Donatione per Adroaldum facta, dicitur CHONIBERTUS GRAPHIO.

(4) PAGO FANOMARTENSI. Fanum Martis hodie *Famars* primo lapide à Valentianis, cujus fit mentio in Notitia Imperii, ubi de Belgica secunda agitur. Ejusdem meminit Antoninus in Itinerario, & Eginhartus in hist. Translationis SS. Marcellini & Petri. Eruuntur ibidem hodieque plurima numismata Romana. Ex ruinis Fani Martis sunt qui suspicantur Valentianas seu Valentinianas ad Scaldim esse constructas. (Fanum Martis.)

(5) MACERIAS. Maceriæ ad Mosam, *Mesieres*, olim ad Remensem Ecclesiam, hodie ad Ducem Nivernensem, ex gente Gonzaga, pertinent. Aliæ ab his Maceriæ haud procul à Lauduno sitæ: quarum hîc mentio. Sunt & Maceriæ in Artesia nostra, quarum Dominus est V. N. PHILIPPUS GOMISCURTIUS, antiquitatis cùm sacræ

tum profanæ peritissimos, qui multa ad operis hujus illustrationem pro sua humanitate nobiscum communicavit.

(6) Vindicianus. Episcopus Atrebatensis & Cameracensis. Bruxellensium Apostolus, obiit Brosellæ, sive ut nunc loquuntur, Bruxellæ, circa annum 691. & quiescit in Monte S. Eligii, quæ est Abbatia Canonicorum Regularium, lessqui milliari ab Atrebato.

(7) Sed ill. et ill. hoc est, illius & illius: ut explicat Petrus Pithæus in Glossario Capitulorum, verbo, Fidelius.

CAPUT VI.

Rohingus, *Antverpiensium Princeps S. Willibrordo donat Ecclesiam Castri Antverpiensis, & tertiam partem telonei.*

Vide Chronicon nostrum Belgicum ad ann. 726.

Redimus mercedis lucra conquirere, si aliquid de rebus nostris, pro peccatis nostris redimendis, Sacerdotibus Dei conferimus.

Igitur ego in Dei nomine (1) Rohingus, & conjux mea Bebelina donamus Apostolico domino & patri nostro Willibrordo Episcopo, donatumque in perpetuum esse volumus, hoc est, Ecclesiam quæ constructa est infra (2) castrum Antwerpis, super fluvium Scalde, quam Dominus (3) Amandus Pontifex in honore SS. Petri & Pauli Apostolorum Principum, vel ceterorum Sanctorum construxit, & nos pro ipsa Ecclesia, vel quidquid ibidem aspicere videtur, (4) venerabili Viro Firmino, Abbati de monasterio *Quorcolodora* locellum nostrum nuncupatum (5) *Tumme* in concambio dedimus, & nos postea à die præsenti jam dictam Ecclesiam, unà cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, mansis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, adjacentiis, appendiciis, ibidem aspicientibus, farinariis, gregibus cum pastoribus, mobilibus, & immobilibus, re acquisita, & inacquisita, totum & ad integrum quidquid dici vel nominari potest, tam de dote quàm de comparato, vel de qualibet re ad nos noscitur pervenisse, nos à die præsenti, suprascripto Domino Willibrordo donamus atque tradimus: & illud telonium, quod ad partem nostram ibidem veneat, hoc est, illam tertiam partem ad integrum ei concessimus atque donavimus: in ea ratione, ut ibi thus vel luminaria debeant esse procurata, & Presbyteri, qui ibi serviunt, pro peccatis nostris Domini misericordiam debeant exorare: & ut ipse suprascriptus Dominus Willibrordus ipsam Ecclesiam vel quidquid ibidem aspicere videtur, seu ipsum telonium habeat, teneat atque possideat, dandi vel commutandi, vel quidquid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem.

Circa ann. 641.

Si quis verò, (quod futurum esse non credo) heredum vel proheredum meorum, vel quælibet opposita persona contra hanc donationis chartulam venire tentaverit, & eam infringere conatus fuerit, primitus iram Dei Omnipotentis incurrat, & sanctorum Angelorum, & à liminibus Ecclesiæ alienetur, partemque habeat cum Juda, & ultione Ananiæ, & Saphiræ, vel lepra Giezi percutiatur: insuper inferat fisci juribus auri libras duas, argenti pondo quinque. Nec si quid repetit, evindicare valeat, sed firma & immobilis hæc donatio perennibus temporibus permaneat stipulatione subnixa.

Actum publicè est hoc *Weimodo*, regia villa, cùm fecit October dies viginti, regnante Theoderico Rege anno sexto. Ann. 725. aut 726.

C A-

(1) Rohingus. Est quod sibi Antverpia nostra gratuletur de optimis ac piissimis olim Principibus suis Rohingo seu Rauchingo, & Bebelina ejus conjuge, quos haut dubie ignoraret, nisi eorum nobis memoriam Willibrordiana apud Epternacenses Abbatia conservasset. Ex hoc enim loco diploma istud, ut & subsequens, itemque Testamentum S. Willibrordi accepimus. Rohingi seu Ruthingi hujus numisma aureum se vidisse memorat Guilielmus Heda in Hist. Episcoporum Ultrajectinorum.

(2) Castrum Antwerpis. Mediæ ætatis scriptores Castrum pro oppido accipiunt. ut Castrum *Valentianas*, Castrum *Gandense*, Castrum *Loven*, & similia.

(3) Amandus Tungrensis Episcopus. vir Apostolicus, vetustissimam urbis Antverpianæ Basilicam in honorem SS Petri & Pauli (quod hactenus quoque ignoratum) consecravit. Ea Basilica hodie Castrensis seu Burgensis Ecclesia. vulgò *Borchkerke* nuncupatur. haut procul à ripa Scaldis sita. in veteri oppido seu burgo Antverpiensi, cujus ambitus fuit perexiguus, quod fossæ etiamnum integræ demonstrant.

Sub illius Basilicæ turri, æquè antiqua, visitur crypta, in qua S. Walburgis virgo egisse dicitur, cùm ex Britannia Antverpiam venisset, ut adjuva, ad messem Evangelicam à cognato suo, S. Bonifacio, Moguntino & Ultrajectino Archiepiscopo, in Germaniam evocata. Plura si voles, Fastos nostros Belgicos consule.

(4) Venerabili Viro Firmino. De eo fortè in Martyrologio Rom. 11. Martii: In finibus Ambianensium S. Firmini Abbatis.

(5) Tumme. Fortè, *Turne* vel *Deurne*, olim Turninum Latinè, vicus propè Antverpiam ad Scheinam rivulum ubi olim cœnobium fuit, in quo S. Fredegandus aliquando Monachum egit. Ejus sacra ossa Audomaropoli an. 1590. Antverpiam allata, in Cathedrali Templo ibidem adservantur. Normannis porrò in Belgicam irruentibus, Monachi, Turnino relicto, Einhamum prope Aldenardam migrasse putantur: ubi etiamnum Benedictina est Abbatia. Turninum prope Antverpiam.

CAPUT VII.

ROHINGI *ejusdem aliud diploma.*

Vide Bosschaerts de vet. Fris. Apostol.

IN nomine Dei, ego illuster vir ROHINGUS, & conjux mea BEBELINA, donamus ad sacrosanctam Ecclesiam Petri & Pauli Apostolorum, quam Dominus AMANDUS Pontifex in ANTWERPO construxit, ubi WILLIBRORDUS Episcopus præesse videtur, donatumque in perpetuum esse volumus, hoc est, villam nostram, quæ est constructa in pago (1)RENENSIUM, super fluvium (2) *Nutta*, quæ mihi de paterno jure legibus obvenit, in loco nuncupato *Preprusdare*, cum omni integritate, & in alio loco de materno jure ad me pertinente, vocato (3) *Winlindechim*, medietatem de casis, domibus, ecclesiis, mancipiis & omnibus pertinentiis tradimus atque transfundimus......

Pagus Riensis.

(1) PAGO RENENSIUM seu potiùs RIENSIUM, *het landt van Ryen*: cujus pagi caput est ANTVERPIA. Pagus autem, apud medii ævi scriptores, est idem quod districtus seu provinciola. Gallicè *Pays*, quod semel notasse suffecerit. Eadem significatione Jul. Cæsar *pagos Helvetiorum* nuncupat, quos hodie *Cantones* dicimus.

(2) NUTTA. NETA fluviolus, qui per pagum Rienlem, & Liram opidum, in Rupelam, ac demum in Scaldim devolvitur.

(3) WINLINDECHIM. Hodie *Wyneghem*, vicus altero lapide ab Antverpia paulò supra Turnunum.

CAPUT VIII.

Testamentum S. WILLIBORDI, *Archiepiscopi Ultrajectini, Hollandorum, Frisiorum, & Antverpiensium Apostoli.*

Vide Chronicon nostrum Belgicum ad annum 739.

IN Christi nomine. Oportet Christianos viam veritatis agnoscere, per quam Creatori suo dignè meritis suis servire possint, ut oblatio eleëmosynarum eorum, & devotio perveniat ad salutem: ipso Summo dicente: *Date & dabitur vobis*, & *Facite eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

INDICIRCO ego in Dei nomine (1) CLEMENS WILLIBRORDUS, Episcopus, cogitans casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata mea possum abluere, & donante Domino ad æterna gaudia pervenire, dono à die præsenti, donatumque esse perennibus temporibus volo, hoc est, ad Monasterium EPTERNACUM, quod est constructum super fluvio *Surâ*, in (2) pago *Bedensi*, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & SS. Petri & Pauli Apostolorum, & S. Joannis Baptistæ, vel ceterorum Sanctorum, ubi ego ipse CLEMENS WILLIBRORDUS custos vel gubernator præesse videor, &, si Christo placet, corpus meum ibidem requiescere debet.

Hoc est quod dono vel trado ad ipsum Sanctum locum EPTERNACUM omnem rem vel villas, seu mancipia, quæ mihi ingenui Franci, pro amore eorum & salute, tradiderunt, vel condonaverunt.

SIMILITER illas res, quas Dominus PIPINUS mihi condonavit, vel delegavit, seu matrona sua PLICTRUDIS, sive filius suus Dominus noster CAROLUS, Major domus: quas res ipsas Dominus *Carolus*, & genitor *Pipinus*, tam me vivente, quàm de ista vita migrante, pro eorum mercede condonaverunt. *Carolus Martellus.*

ET illas alias res ex parte denomino, vel homines qui mihi eas tradiderunt, vel delegaverunt, id est, ut hæc scriptura solenniter, pro temporum serie, confirmare debeat: & hi sunt homines nominibus his nominati.

ROHINGUS mihi condonavit, vel tradidit Ecclesiam aliquam, quæ est constructa in *Antverpo* Castello, super fluvio *Scalde*, in pago *Renensium*, cum appendiciis suis, villas denominatas *Vide cap. 7. Landt van Ryen.*

(1) S. WILLIBRORDUS, natione Anglo-Saxo, cum S. Suitberto, & aliis X. Sociis, Evangelii prædicandi causâ, ex Britanniis in Frisiam seu Bataviam an. 690. trajecit, & Ultrajectum venit. Inde ad PIPINUM HERSTALLIUM se contulerunt, & prædicandi facultatem impetrarunt.

An. 696. Willibrordus Romam profectus, à S. SERGIO Papa, in die & Basilica S. Cæciliæ, Frisonum Archiepiscopus est consecratus. Româ in Frisiam reversus, Sedem Episcopalem Ultrajecti statuit. *Beda Hist. lib. 5. cap. 12.*

An. XII. Childeberti Regis, III. Idus Maii, hoc est, an. 706. Pipinus Herstallius Willibrordo medietatem fisci Epternacensis dono dedit, alteram verò medietatem eidem donavit S. IRMINA, Dagoberti Regis filia, & prima Horrei, Monasterii apud Treveros à patre fundati ac dotati, Abbatissa: ut Theofridus Abbas Epternacensis, in ms. Willibrordi vita, narrat. *Kal. Dec.*

OBIIT autem S. Willibrordus, vir verè Apostolicus, an. 739. Epternaci: quod est Ducatus Luxemburgensis & Diœcesis Treverensis oppidum, ubi etiamnum quiescit in sui nominis, Benedictinorum Abbatia, à se fundata. *Mart. Rom. 14; Dec.*

(2) PAGO BEDENSI. Antonino in Itinerario Beda est vicus circa Treveros, hodie *Bitburg*. Hinc pagus Bedensis dictus, & Bedagowa in divisione regni inter Carolum Calvum, ejusque fratrem Ludovicum, infra à nobis recitanda.

tas his nominibus, (1) *Bacwalde*, *Winnelincheime*, (2) *Turgalare*, & in ipso Castello Antverpo tertiam partem de illo teloneo.

Et HERIBALDUS Clericus mihi condonabat & tradidit Ecclesiam aliam in (3) pago *Marsum*, ubi Mosa intrat in mare, cum appendiciis suis, & (4) mariscum unde (5) berbices nascuntur.

Et ANGILBALDUS mihi condonabat vel tradidit villam quæ vocatur *Wadradoch*, in pago Taxandro, super flumine (6) *Duthmala*.

W deinde Gaud. Hedæ Dummel.

Et ANSBALDUS mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in villa quæ vocatur *Busloth*, in pago Taxandrio.

Et BERETHINDA, Deo sacrata femina, mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in villa (7) BOBANSCHOT, in pago Taxandrio.

Et HENRICUS mihi condonabat in villa quæ vocatur (8) PIEPLO.

Et ENGELBERTUS mihi quondam donabat, vel tradebat mihi omnem portionem suam, in villa quæ vocatur HINESLOTEN, in pago Taxandrio.

Item quod ENGELBERTUS mihi condonabat vel tradebat villam, quæ vocatur (9) *Alpheim*, in ipso pago Taxandrio.

Item ANSBALDUS clericus mihi condonabat vel tradebat villam, quæ vocatur (10) *Diosna*, in pago Taxandrio, super fluvio Digena.

Diesna, Hedæ.

Et THIETBALDUS mihi condonabat vel tradebat Ecclesiam aliquam, quæ est in villa *Montnakim*, quæ *Araride* vocatur, cum appendiciis suis.

Mulnehem, Hedæ

Et illuster vir HEDENUS mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in villa, quæ vocatur *Aimistadi*, super fluvio, *Wielbeo*, in pago *Turingasnes*.

SUPERIUS nominatas vel scriptas res ego CLEMENS WILLIBRORDUS trado atque transfundo ad illam casam Dei superiùs nominatam *Epternacum*, vel ad illam sanctam congregationem Fratrum ibidem Deo servientium; eâ vero ratione, ut quidquid de iisdem rebus superiùs nominatis facere decreverint, in omnibus habeant potestatem faciendi, ut & ibidem omni tempore pro nostra mercede, vel seniore nostro CAROLO, Majore domus, seu eorum hominum, qui mihi suas res tradiderunt, proficiant in augmentis.

De his vide Theofridum Abb. Eptern. in vita Sancti Willibrordi.

ET illud placuit nobis inserendum. Si fuerit ullus de heredibus vel proheredibus meis, seu quælibet opposita aut extranea persona, seu judiciaria potestas, quæ contra hoc testamentum vel donationem meam, quam ego CLEMENS WILLIBRORDUS Episcopus sanâ mente plenoque consilio & devotione integrâ fieri jussi, venire aut agere, vel eam infringere voluerit, & si ista charta ei ostensa ad relegendum fuerit præsentata, se ipse exinde compescere noluerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, & sanctorum Angelorum, & ab omnibus Ecclesiis, vel consortio Christianorum efficiatur extraneus, & habeat partem cum Juda, qui Dominum tradidit, & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos deglutivit: & insuper inferat cum forio fisco auri libras decem, argenti pondo quinquaginta coactus exsolvat, & quod repetit evindicare non valeat. Actum anno VI. regnante THEODORICO Rege.

Socio fisco, ita sonant veteres Formulæ.

Ann. 725. aut 726.

(1) BACWALDE hodie *Boecholt*. WINNELINCHEIME hodie *Wyneghem*. Sunt vici duo Campaniæ Brabantinæ, propè Antverpiam.

(2) FURGALARE hodie *Voghelaer*, nisi fallor, ager prope Antverpiam notus, versus Turninum.

(3) PAGO MARSUM. Fuit is prope ostium Mosæ, ubi in Oceanum se mergit. Marsacos nonnulli hoc in tractu collocant.

Marsaci.

(4) MARISCUM. Id est, locus paludosus, *Moras* Belgis. Sic & Morini, Flandriæ occiduæ populi, quos Vergilius extremos hominum nuncupat, à paludibus, illo in tractu hodieque frequentibus, nomen induerunt.

Morini.

(5) BERBICES. *Barbeelen*, pisces in Mosa frequentes.

(6) DUTHMALA fluvius hodie *Dommele*, per Boxtellam & Silvam-Ducis defluit in Mosam.

(7) BOCANSCHOT. Hodie *Boeschot* vicus.

(8) PIEPLO. Nunc *Poppel*, vicus inter Herentaliam & Silvam Ducis, Brabantiæ oppida.

(9) ALPHEIM. Nunc *Alphen*, vicus in Diœcesi Antverpiensi, tertio lapide à Breda, gentis Nassaviæ oppido.

(10) DIOSNA. Nunc *Diesen*, in Diœcesi Silvi-ducensi, primo lapide ab Hilvaribeca. Horum trium posteriorum vicorum Ecclesias Parochiales hodie possidet Tungerloënsis Abbatia, Ord. Præmonstratensis, & solvit eatenus quotannis censum Abbatiæ Epternacensi.

Apud Hedam exstat donatio S. Willibrordo facta à Carolo Martello in Heristallio, Kal. Jan. an. 11. Theoderici Regis: Itemque aliæ donationes factæ Ecclesiæ Ultrajectensi à Pipino, Carolo Magno, Ludovico Pio, Lothario &c. Fitque earum mentio in Diplomate Suendiboldi Regis in Odibaldo XII. Episcopo Ultrajectino.

CAPUT IX.

ZACHARIÆ *Papæ Epistola ad Galliæ Belgicæ & Germaniæ Episcopos, quâ S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, & Sedis Apostolicæ Legatum ipsis commendat.*

An. 748. juxta Baron. quod & probat Sirmond. in Notis.

DILECTISSIMIS REGINFRIDO Rotomagensi Episcopo, DEODATO Bellovacensi Episcopo, REMBERTO Ambianensi Episcopo, ELISAEO Noviomensi Episcopo, FULERICO Tungrensi Episcopo, DAVID Spironensi Episcopo, AITHERICO Terouanensi Episcopo, TREWARDO Cameracensi Episcopo, BURCHARDO Vurtzenburgensi Episcopo, SENOBAUDO Laudunensi Episcopo, ROMANO Meldensi Episcopo, AGILULFO Coloniensi Episcopo, HEDDO Strasburgensi Episcopo, & ceteris amantissimis Coepiscopis, Presbyteris etiam & Diaconibus, cunctisque orthodoxis Ecclesiarum Dei Clericis, Apostolicam doctrinam tenentibus, ZACHARIAS, divinâ gratiâ præditus, Apostolicæ Sedis Pontifex,

Ettoni.

fex, servus autem servorum Dei, in Domino salutem dicit.

Gratias ago Deo Patri Omnipotenti, & Domino JESU CHRISTO, unico Filio ejus, & Spiritui sancto, qui vestra omnium corda inflammare dignatus est, per diffusam à se gratiam, ut in unitate fidei & vinculo pacis ambuletis: & sit splendor Domini Dei nostri super vos dilectissimi mihi & abundans gratia pacis & caritatis, ut sitis unum corpus spiritalis Matris vestræ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ, in qua Deo auctore præsumus, implentes illud Propheticum dictum: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.*

ETSI pro itineris longitudine corpore simus absentes, in spiritu tamen dilectionis semper sumus vobis præsentes, habentes vos in visceribus nostris, & assiduè orantes ut Deus & Dominus noster Jesus Christus multo amplius confirmet corda vestra, & corroboret in exhortatione Evangelii, in ministerio quo fungimini, ut credita vobis plebs piis vestris admonitionibus, adjutore Deo, à diabolica fraude liberata salva persistat, vosque mereamini de eorum animabus in diem Christi apportare lucrum.

Eccl. 3. SCRIPTUM quippe est: *Filii sapientiæ, Ecclesia justorum, & natio eorum obedientia & caritas.* Obsecro ergo vos carissimi mihi, ut dignè

Eph 4. ambuletis vocatione, quâ vocati estis, ut decet sanctos cùm multa patientia: supportantes invicem in caritate: solliciti servare unitatem spiritûs, in vinculo pacis & caritatis, quia finis

Tim. 1. præcepti caritas est, de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta.

GAUDEO in vobis fratres carissimi, quoniam fides vestra, & unitas erga nos pretiosa est, & manifesta, non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, dum ad fautorem & magistrum vestrum à Deo constitutum, B. Apostolorum Principem Petrum benignissimâ voluntate conversi estis.

LAUDABILIS fides vestra ex bona fama, quoniam id ipsum sapitis quod oportet sapere, & nunc Deo cooperante, est aggregata sanctitas vestra nostræ societati in uno Pastorali ovili, & est nobis unus Pastor, qui à Pastore Pastorum Domino Deo & Salvatore nostro Jesu Christo Princeps Apostolorum & noster Doctor est institutus.

HABETIS itaque nostrâ vice ad confortandam dilectionem vestram, & collaborandum vobis in Evangelium Christi, Sanctissimum ac Reverendissimum BONIFACIUM fratrem nostrum, Archiepiscopum, Apostolicæ Sedis Legatum, & nostram præsentantem vicem.

SIT ergo constantia vestra adversùs contentiones eorum, qui adversa sapiunt, & non quæ Dei sunt: & erit fortior petra constantia vestra: sicut est scriptum; *Ne timueritis ex eis, neque terreamini à facie eorum, qui corpus occidant: animam* Matt. 10.

verò non possunt occidere. Quod autem in aure auditis, prædicate in lumine, illum timentes, qui potest animam & corpus occidere & mittere in gehennam. Fratres mei in carne enim ambulantes, *non secundùm carnem militamus. Arma enim militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo: ad destructionem munitionum consilia destruentes & omnem exaltationem extollentem, se adversùs scientiam Dei: & in captivitatem redigentes, omnem cogitationem, in obsequium Christo perducentes.* De cetero, Fratres, confortamini in Domino, & in potentia fortitudinis ejus. Pax vobis multa, & gratia à Deo, & Domino nostro Jesu Christo ministretur. Amplectimur & osculamur, ac si præsentes, caritatem vestram in unitate spiritûs, in vinculo pacis & caritatis Christi. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi nobis.

Luc. 12. Eph. 6.

EPISTOLA hæc an. 748. scripta est, ut Baronius in Annalibus supputat. Ex inscriptione licet colligere, quinam Episcopi per Belgicam nostram tunc floruerint.

CAPUT X.

S. BONIFACII *Moguntini & Ultrajectini Archiepiscopi Epistola, ad Stephanum Papam circa an. 754. scripta, de statu Ecclesiæ Ultrajectinæ post obitum S. Willibrordi.*

VENERANDO ac diligendo Domino Apostolatûs privilegio prædito STEPHANO Papæ(1) BONIFACIUS, exiguus Legatus, vel Missus Germanicus Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, optabilem in Christo charitatis salutem.

TEMPORE SERGII Apostolicæ Sedis Pontificis, venit ad limina SS. Apostolorum Presbyter quidam miræ abstinentiæ & sanctitatis, generis Saxonum, nomine WILLIBRORDUS, & alio nomine CLEMENS vocatus, quem præfatus Papa Episcopum ordinavit, & ad prædicandam paganam gentem FRESONUM, transmisit in littoribus Oceani occidui.

Qui per quinquaginta annos prædicans, præfatam

(1) SANCTUS BONIFACIUS an. 704. ex Britannia in Frisiam, Evangelii prædicandi causâ, primùm venit. Romam profectus, à Gregorio II. Papa prædicandi in Germania potestatem accepit. Radbodo Frisiorum Rege, idololatrâ, an. 719. defuncto, in Frisiam secundò venit, & tribus circiter annis S. Willibrordo, Archiepiscopo Ultrajectino, cooperator fuit. ARCHIEPISCOPUS incertæ sedis à Gregorio III. an. 732. creatus, solus in laboribus gnaviter per Germaniam desudavit. Ut Archiepiscopus & Apostolicæ Sedis per Germaniam Legatus, Bavariam in Diœceses quatuor, *Salisburgensem, Frisingensem, Ratisponensem* & *Pataviensem* an. 739. divisit, OTHILONE Boiorum Duce consentiente ac probante.

fatam gentem Fresonum maxima ex parte convertit ad fidem Christi, fana & delubra destruxit, & Ecclesias construxit & Sedem Episcopalem & Ecclesiam in honore (1) *S. Salvatoris* constituens, in loco & castello quod dicitur TRAJECTUM, & in illa Sede & Ecclesia S. Salvatoris, quam construxit, prædicans usque ad debilem senectutem, permansit, & sibi Coëpiscopum ad ministerium implendum substituit, & finitis longævæ vitæ diebus, in pace migravit ad Dominum. Princeps autem Francorum CAROLOMANNUS commendavit mihi Sedem illam ad constituendum, & ordinandum Episcopum, quod & feci.

S. Salvatoris Ecclesia.

Anno 739

NUNC autem Coloniensis Episcopus, illam Sedem præfati Episcopi *Clementis*, à *Sergio* Papa ordinati, sibi usurpat, & ad se pertinere dicit, propter fundamenta cujusdam destructæ à Paganis Ecclesiolæ, quam Willibrordus dirutam usque ad solum, in Castello Trajecto reperit, & eam proprio labore à fundamento construxit, & in honore *S. Martini* consecravit.

S. Martini Ecclesia.

ET refert, quia ab antiquo Rege Francorum DAGOBERTO castellum Trajectum, cum destructa Ecclesia, ad Coloniensem parochiam donatum, in ea conditione fuisset, ut Episcopus Coloniensis gentem Fresonum ad fidem Christi converteret, & eorum prædicator esset: quod & ipse non fecit. Non prædicavit, non convertit Fresios ad fidem Christi; sed Pagana mansit gens Fresonum, usque quò venerandus Pontifex Romanæ Sedis *Sergius* supradictum servum Dei *Willibrordum* Episcopum ad prædicandum supradictæ genti transmisit, qui illam gentem, ut præfatus sum, ad fidem Christi convertit.

Et modò vult Coloniensis Episcopus Sedem supradicti *Willibrordi* prædicatoris sibi contrahere, ut non sit Episcopalis Sedes subjecta Romano Pontifici, prædicans genti Fresonum.

CUI respondebam, ut credidi, quod majus & potius fieri debeat præceptum Apostolicæ Sedis, & ordinatio Sergii Papæ, & legatio venerandi prædicatoris *Willibrordi* (ut & fiat Sedes Episcopalis, subjecta Romano Pontifici, prædicans gentem Fresonum, quia magna pars illorum adhuc Pagana est) quàm destructæ Ecclesiæ fundamenta diruta, & à Paganis conculcata, & per negligentiam Episcoporum derelicta. Sed ipse non consentit.

Sed modò Paternitatis vestræ judicium mihi intimare dignemini: & si hoc justum sit responsum, & vobis placeat, quod illi Coloniensi Episcopo reddidi, vestrâ auctoritate roborare, ut præceptum *Sergii* Papæ, & Sedes illa stabilis parmaneat.

SIC enim potestis nos, si vobis placet, adjuvare, si de scrinio Ecclesiæ vestræ exemplare jubetis, & mihi transmittere, quidquid præfato Episcopo Willibrordo ordinato *S. Sergius* præciperet & conscriberet, ut ex auctoritate Sanctitatis vestræ contradicentes convincere & superare valeam. Si autem aliter justius Sanctitati vestræ videatur, consilium Paternitatis vestræ mihi insinuare dignemini, ut sequar.

An. 742. Ratisponæ Synodum celebravit, cui *Burchardus* post Herbipolensis, *Willibaldus* post Eistadiensis, *Wittanus* Birbrugensis, Episcopi, cum suis Presbyteris, interfuerunt: adjutante *Carolomanno* Francorum Duce, Caroli Martelli filio.

Liptinensis Synodus in Hannonia.

An. 743. Kalen. Martiis. Liptinis seu Listinis (qui hodie vicus est Hannoniæ, *Lestines*, in eoque veteris palatii fundamenta supersunt) altera Synodus est celebrata, præsente PIPINO Carolomanni fratre.

HUIC Synodo *Georgius* Sedis Apostolicæ Legatus, *S. Bonifacius* Moguntinus, *S. Abel* Remensis, *Grimo* Rotomagensis, & *Harthertus* Senonensis, Archiepiscopi, interfuerunt. Georgium Legatum Apostolicum (quod hactenus à Nicolao Serario, in Hist. Moguntina, & aliis ignoratum) interfuisse constat, ex Epistola Episcoporum Carisiaci congregatorum, ad Ludovicum Galliæ Regem an. 858. scripta, & à Jac. Sirmondo, cum Capitulis Caroli Calvi, edita: in qua sic legitur: *Caroli Martelli filius Pipinus Synodum apud Liptinas congregare fecit, cui præfuit, cum S. Bonifacio, Legatus Apostolicæ Sedis, Georgius nomine. Nam & Synodum ipsam habemus.*

An. 745. S. Bonifacius, ex incertæ Sedis Archiepiscopo per Zachariam Papam, factus Moguntinus Archiepiscopus, tertiam Moguntiæ Synodum habuit: in qua *Abel*, *Burchardus* & *Willibaldus*, Episcopi supra nominati, præsentes exstiterunt.

An. 752. idem Bonifacius *Pipinum*, Caroli Magni patrem, in urbe Suessionensi coronavit, & unxit Francorum Regem, mandante Zachariâ Papâ.

An. 753. aut proximè sequenti, ad STEPHANUM Papam scripsit Epistolam, paulò ante à nobis recitatam.

An. 755. cùm in iter, ad visitandam Diœcesim Ultrajectinam, se dedisset, in villa *Dockum* (quæ hodie oppidum est Doccomium, Diœcesis Leovardiensis, in Frisia nostra occidentali) cum sodalibus suis, ab impiis pro Christo est interfectus, ac martyrio coronatus.

(1) S. SALVATORIS. Hinc discimus Sedem Episcopalem à S. Willibrordo in *S. Salvatoris* templo Ultrajecti collocatam fuisse, quæ paulò post ejus obitum, ad *S. Martini* templum est translata, vivente adhuc S. Bonifacio: ut patet ex Pipini Francorum Regis diplomatibus, lib. de Canonicorum collegiis cap. 20. per nos productis: in quorum altero idem Bonifacius *urbis Trajectensis Episcopus*, in altero *custos casæ Dei & S. Martini* nuncupatur.

CAPUT XI.

CAROLI MAGNI *Imp. sermo de fundatione Aquisgranensis Basilicæ Marianæ, illiusque consecratione per Leonem III. Papam.*

EGo CAROLUS, qui Deo favente curam regni gero, & Romanorum Imperator existo, consilio Principum regni nostri, Episcoporum, Ducum, Marchionum ac Comitum, rogatu verò tam liberorum quàm servorum in plurimo generali conventu, in diversis locis regni nostri habito, discussi prout justius & melius cunctis videbatur, primùm de lege Sanctarum Ecclesiarum, de reddendis justitiis Episcoporum, de vita & jure Presbyterorum ac Clericorum, & hæc omnia judicio & assensu nostro, secundùm instituta Patrum meorum corroboravi, firmavi & auxi, nihil de his minuens, quæ Catholici viri rectè atque legitimè

timè vivere volentes, ad observandum spirituali ac seculari decreto bonum & utile contulerint.

Deinde prout cunctis placuit prudentioribus regni nostri, legem *Saxonum*, *Noricorum*, *Suevorum*, (1) *Francorum*, *Ripuariorum*, *Salicorum*, sicut mos & potestas Imperatorum est, & omnium Antecessorum meorum semper fuit, distinxi, distinctam sub auctoritate Regia & Imperatoria stabilivi, non ex mea adinventione aut corde prolatam, sed communi consilio, & generali conventu totius Galliæ à me renovatam, & in melius auctam, sicut Patres & Prædecessores mei fecisse perhibentur. Scitis enim, & neminem latet, quia quidquid ab Imperatoribus, & Regibus præceptum & decretum est, semper ratum & pro lege tenendum est : ne quod ab universis sensatis, & justâ satis discretione vivere volentibus imperatum, & actum est, & nostrâ Imperatoriâ & Regiâ Majestate confirmatum & solidatum, violetur.

Nunc patres, fratres & amici, fautores & coadjutores gloriæ regni nostri, de omnibus statutis patris mei Pipini, quæ ad utilitatem & honorem Sanctæ Ecclesiæ firmari ac renovari petistis, quæ ad defensionem secularium rerum & legum stabiliri quæsistis, nihil minui nec abnui, sed in melius ampliavi, omnium sanis consiliis acquievi, & fui in medio vestrum quasi unus de quærentibus & petentibus æquitatem legis, nulli contradicens aut renitens dignæ & rectæ petitioni. Ergo vestri decreti & petitionis voluntarius exstiti, vos quasi patres & fratres audivi : nunc quæso ut meæ petitionis & intentionis non solùm auditores, sed & benevoli factores fieri velitis. Nec quod indecens aut intolerabile sit quæro, sed quod tota Gallia, & universi Principes potiùs concedere quàm negare debent.

Aquæ Grani unde dictæ.

Nostis qualiter ad locum, qui *Aquis*, ab aquarum calidarum aptatione, traxit vocabulum, solito more, venandi caussa ingressus, sed perplexione silvarum, errore quoque viarum, à sociis sequestratus veni, thermas calidorum fontium & palatia inibi repperi, quæ quondam (2) *Granus*, unus de Romanis Principibus, frater Neronis & Agrippæ, à principio construxerat. Quæ longâ vetustate deserta ac demolita, frutetis quoque ac vepribus occupata, nunc renovavi, pede equi nostri, in quo sedi, inter saltus, rivis aquarum calidarum perceptis & repertis : sed & ibidem Monasterium Mariæ Matri Domini nostri Jesu Christi, omni labore ac sumptu quo potui, ædificavi, lapidibus ex marmore pretioso adornavi ; quod Domino adjuvante & cooperante sic formam suscepit, ut nullum ipsi queat æquiparari.

B. Mariæ Basilica.

Itaque tam egregio opere hujus basilicæ, non solùm pro voto meo & desiderio, verùm ex divina gratia ad unguem peracto, pignora Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, à diversis terris & regnis & præcipuè *Græcorum* collegi, quæ huic sancto intuli loco, ut eorum suffragiis regnum firmetur, & peccatorum indulgentia condonetur. Præterea à Domino (3) Leone Romano Pontifice hujus Templi consecrationem & dedicationem fieri impetravi, præ nimia devotione quam erga idem opus habui, & Sanctorum pignora, quæ ibi recondita meo studio & elaboratu habentur. Decebat enim, ut idem Templum, quod cunctis monasticis ædificiis, in regno nostro formâ & structurâ præesse videtur, in honorem S. Dei Genitricis, à nobis regali studio fundatum, dignitate consecrationis præcelleret, sicut ipsa Virgo super omnes choros Sanctorum præcellens exaltata est : & ideo Domnum Apostolicum, qui omnes præcellit Ecclesiasticos gradu, ad consecrandum & dedicandum, ex sola cordis mei consideratione, elegi & accivi. Accivi etiam cum illo Romanos Cardinales, Episcopos Italiæ quoque quàm plures & Galliæ, simulque Abbates, & cujusque ordinis Clerum multum, qui huic sacræ dedicationi interessent. Acciti sunt etiam multi Romani Principes, præfecturâ & qualicumque dignitate promoti, ad id solemne, Duces, Marchiones, Comites, Principes regni nostri tam Italiæ quàm Saxoniæ, tam Bavariæ quàm Alemaniæ, (1) & utriusque Franciæ tam Orientalis quàm Occidentalis, in omnibus voto meo & desiderio obsequentes.

Consecrata a Leone.

Illic verò Domno Apostolico & omnibus prædictis nobilibus & egregiis personis congregatis, merui ab omnibus obtinere, præ nimia devotione, quam erga ipsum locum, & Matrem Domini nostri Jesu Christi habebam, ut in Templo eodem *Sedes Regia* locaretur, & locus regalis & caput Galliæ trans Alpes haberetur, ac in ipsa Sede Reges successores & heredes regni initiarentur, & sic initiati jure dehinc Imperatoriam Majestatem Romæ, sine ulla contradictione, planiùs assequerentur. Confirmatum & sancitum est hoc à Domno Leone Romano Pontifice, & à me Carolo Romanorum Imperatore Augusto, & primo auctore hujus Templi & loci, quatenus ratum & inconvulsum hoc statutum & decretum nostrum maneat, & hic Sedes regni trans Alpes habeatur, sitque caput omnium civitatum, & provinciarum Galliæ.

Aquæ Grani Sedes Regia.

Decrevimus etiam ex assensu & benevolentia

Etsi nonnulla titulorum seu dignitatum vocabula suspectum mihi reddant hunc sermonem, nolui tamen omittere nobilissimæ apud Germanos interiores Basilicæ encomium. Perstat ea hodieque forma rotunda, cum duplici ordine columnarum è marmore præstantissimo, cum cancellis æreis, & alio pretiosissimo ornatu, quem Eginhartus in Caroli Magni vita, & Petrus Becanus, Canonicus Aquisgranensis, in sua historia Aquisgranensi, fusè describunt. Sigebertus noster in Chronico ad an. 795. *Carolus Magnus exstruxit Aquisgrani Basilicam plurimæ pulchritudinis, ad cujus structuram à Roma & Ravenna columnas & marmora devehi fecit.*

(1) Carolus Magnus, dicit legem *Salicorum* esse distinctam à lege Francorum.

(2) Granus. Hunc Neronis Imp. fratrem faciunt, sed nullo auctore classico fulti. Nemo certè è vetustis scriptoribus illius meminit.

(3) Leone. Leo III. Papa ex Italia in Galliam ad Carolum Magnum bis, nimirum an. 799. & 804. venit. Nisi fallor, consecratio Basilicæ Aquisgranensis, ad prius Leonis iter est referenda.

(4) Declarat duplicem esse Franciam, Orientalem & Occidentalem.

volentia omnium Principum regni, qui ad hoc festum dedicationis convenerant, ut locum & Sedem Regiam, pro murali præsidio, contra omnes turbines, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, omnes Principes Galliæ, fideles regni, tueantur, semper locum hunc venerantes. Decrevimus etiam, si q iæ injuria aut versutia contra leges, quas statuimus, surrexerit, libero aut servo nocere tentaverit, Aquis ad hanc regiam Sedem, quam fecimus caput Galliæ, veniat, veniant Judices & defensores loci, & cum æquitate legis, caussæ decernantur, status legis resurgat, injuria condemnetur, & justitia reformetur.

Nunc ergò, quia locum hunc Majestate Regiæ Sedis, Domni Apostolici decreto, & & nostra Imperiali potentiâ, nostroque assensu exaltavimus, honestate verò hujus Templi, & plurimorum Sanctorum veneratione magnificavimus, decet, nec incongruum videtur (cum ad hoc nimiùm figitur noster animus) ut petitio mea, cujus vos non solùm auditores, sed benevolos factores fieri exoravi, apud vos obtineat, quatenus non solùm Clerici & Laici, loci hujus indigenæ, sed & omnes incolæ & advenæ, hîc inhabitare volentes, præsentes & futuri, sub tuta & libera lege, sine omni servili conditione, vitam agant, ac omnes pariter, ex avis & atavis ad hanc Sedem pertinentes, licet alibi moram facientes, ab hàc lege quam dictavero in præsentiarum, à nullo successore nostro, vel ab aliquo machinatore, legum subversore, infringantur, numquam de manu Regis alicui personæ nobili vel ignobili in beneficio tradantur.

CAPUT XII.

Caroli Magni *Imp. diploma de fundatione Episcopatûs Osnaburgensis in VVestphalia.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus Imperator Augustus, Romanorum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum & Longobardorum, nec non Dominator & Saxonum.

Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ Fidelibus, nostrisque præsentibus & futuris, quòd nos, ob nostræ mercedis augmentum, Wihoni Episcopo (1) *Osnaburgensi*, & suæ Ecclesiæ, quam nos primam in omni Saxonia in honore S. Petri, Principis Apostolorum, & SS. Martyrum Crispini & Crispiniani, construximus, quoddam nemus vel forestum, intra hæc loca situm, *Farnewinckel*, *Rustenstein*, *Angara*, *Osningsenethe*, *Dershouet*, *Egestervelt*, innumerâ collaudatione illius regionis potentum, cum omni integritate, in porcis silvestribus, cervis, avibus, & piscibus, omnique venatione, quæ sub banno usuali ad forestum deputatur, ad similitudinem foresti nostri *Aquisgrani* pertinentes, in silva *Osmugi* in perpetuum proprietatis usum donavimus.

Ea videlicet ratione, quòd si quisquam hoc idem nemus nostro banno munitum, sine prædictæ Sedis Episcopi licentia, studio venandi, vel silvam exstirpandi, vel aliud agendi unquam introierit, sciat se tam divinæ, quàm regiæ ultionis vindictam incursurum, nec non pro delicto LX. solidos nostri ponderis, quos nobis pro banno violato deberi statuimus, redditurum.

Insuper verò eidem Episcopo, ejusque successoribus perpetuam concedimus libertatem, & ab omni regali imperio absolutionem: nisi fortè contingat, ut Imperator *Romanorum*, & Rex *Græcorum* conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant; tunc Ecclesiæ illius Episcopus, cum sumptu à Rege vel Imperatore adhibito, laborem simul & honorem illius legationis assumet.

Et ea de caussa statuimus, quòd in eodem loco *Græcas & Latinas* (2) scholas in perpetuum manere

Carolus Magnus Imp. novas Episcopis Sedes novem in Germania posuit, *Monasteriensem*, *Mindensem*, *Halberstadiensem*, *Osnaburgensem*, *Paderbornensem*, *Verdensem*, *Hamburgensem*, & *Hildesheimensem*: duas ad dignitatem Archiepiscopalem provexit, *Juvaniensem*, & *Hamburgensem*.

(1) Osnaburgensium primus Episcopus fuit S. Wiho, quem Bernardus Furmerius, in Annalibus suis Frisicis, Leovardiæ in Frisia Occidentali natum fuisse scribit.

(2) Scholas. Lector notet, in Palatiis Episcoporum, itemque Ecclesiis Cathedralibus ac Monasteriis præsertim Benedictinis, celebres olim Scholas seu Gymnasia exstitisse. De *Benedictinorum* Scholis egi in Originibus Monasticis, Coloniæ excusis. De *Notgero* Leodicensi Episcopo, qui an. 1007. obiit, hæc legimus, in manusc. vitæ ejus historia.

Hæc ipsa leguntur apud Anselmum

Quanta fuerit *Notgero* in educandis pueris, Scholaribusque disciplinis instruendis sollicitudo, hinc probatur, quòd semper, dum in via pergeret, longè seu prope, Scholares adolescentes secum ducebat, qui uni ex Capellanis suis, sub arctissima parerent disciplina: quibus etiam librorum copiam, cum ceteris scholaribus utensilibus, circumferri faciebat. tom. 1. Hist. Leod. p. 217.

Sicque fiebat, ut quos plerumque rudes & illitteratos à claustro abduxisset, ipsos, quos priùs Magistros habuerant in litterarum eruditione, redeuntes superarent.

Cujus eruditionis occasione, plurimi eorum etiam in Religionis ac sanctitatis disciplina circa eum in tantum profecerunt, ut idonei fierent Rectores Ecclesiarum.

Ex illis quippe multæ civitates gavisæ sunt se habere Pastores: quarum Salisburgensis Ecclesia Archiepiscopum habuit *Gontherum*, Cameracensis duos, alterum alteri succedentem, *Rothardum* & *Erluinum*; Virdunensis *Haimonem*, (qui Haimo, Magistrum sequens, in urbe Virdunensi Monasterium B. Mariæ Magdalenæ & S. Mauri postea construxit) Tullensis Ecclesia *Hezelonem*, & Trajectensis *Adelboldum*.

Licet à multis etiam aliis, Episcopalem gradum non

manere ordinavimus, nec unquam Clericos utriusque linguæ gnaros deesse confidimus.

Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus meliùs conservetur, manu propriâ subter ea roborare decrevimus, & annulo nostro sigillari jussimus. Datum XIII. Kal. Januarii, anno quarto, Christo propitio, Imperii nostri, tricesimo septimo regni nostri in Francia, atque tricesimo primo in Italia. Actum Aquisgrani in Palatio feliciter, Amen. An. 804. Vide Annale nostrum Belgicum ad ann. 804.

assecutis, qui sub eo nihilominus coaluissent, quàm plurimæ correctæ sunt Ecclesiæ: ex quibus *Durandus*, postea Leodiensis Episcopus, Babembergensem Ecclesiam religionis & artium disciplinâ illustravit. *Ogbertus*, cum quibusdam aliis secum hinc abductis, Aquensium Clericorum vitam, perniciosæ licentiæ contagio depravatam, ad sanctæ religionis statum pro posse reduxit.

Quid de *Halbodo* dicâmus? Qui Parisios veniens, S. Genovefæ Canonicis adhæsit, & in brevi multarum Scholarum instructor fuit. Idem postea sub pontifice *Baldrico* Pragam, Bohemiæ civitatem, transmissus, cùm nonnulla ibidem Christianæ Religionis documenta dedisset, ad nos iterum cum honore remeavit.

Multi quoque alii sub tanto patre educati, religione ac studiis liberalibus diversa illustravere loca: quorum vita Religiosis moribus & doctrinis insignita, paternæ probitatis evidens est documentum. *Hactenus ex manusc. Notgeri vita.*

Lietbertus Episcopus Cameracensis rexit Scholas Cameraci, lib. 3. cap. 61. in Chron. Cameracensi.

De Eraclio Episcopo Leodiensi Scholarum promotore eximio, qui & Episcopus existens solitus est docere. Tom. 1. Hist. Leod. pag. 188.

Ulteriores Notationes Authoris vide in Notitia Ecclesiarum ad Summarium cap. 26.

CAPUT XIII.

Ludovicus Pius *Imp. ad Arnonem Archiepiscopum Salisburgensem mittit Regulas Canonicæ institutionis, à Concilio Aquisgranensi an.* 816. *collectas.*

Vide Chronicon nostrum Belgicum ad an 816, & 817.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus, venerabili Arnoni Salzburgensi Archiepiscopo in Domino salutem.

Sacrum & memorabile Concilium divino nutu, nostroque studio in Aquisgrani palatio nuper aggressatum, in quo multa ob propagandam Ecclesiasticam dignitatem, & subsequente gratiâ Christi diligenter tractata atque instituta sunt, tuam nullatenus credimus latere Sanctitatem.

Sed quia contigit eidem sancto & venerabili Concilio tuam non interfuisse Paternitatem, ad tuam destinare decrevimus Beatitudinem, per præsentem Missum nostrum, nomine *Nothonem*, *Formulas Canonicæ institutionis*, ab eodem sacro Conventu, ex sanctorum Patrum sparsim digestis sententiis, collectas, atque in unum congestas. Quas etiam idcirco penes palatium nostrum diligenter scribi fecimus, ut nihil in se, scriptorum vitio, depravationis aut detruncationis habens, ad te usque incolume perferretur.

Quapropter volumus atque decernimus, ut juxta Metropolitanæ Sedis tibi canonicè collatam dignitatem, nostræque auctoritatis sanctionem, Diœceseos tuæ Episcopos, & ceteros Ecclesiæ Prælatos, tempore & loco congruenti, ad te arcessere facias, & his coram capitulatim commemoratas institutionis formulas prælegi jubeas, & quid ob exaltandum Ecclesiastici culminis fastigium, & animarum salutem, idem sacer conventus..... crediderit, liquidò demonstres: sed & his, qui in uno collegio canonicè degunt, tenendam observandamque coram memorato Misso nostro, percenseas. At si alicujus cordis obtusio eam intelligere nequiverit, hoie sive abs te, sive ab aliis Episcopis comprovincialibus, scilicet ejus fulgore doctrinâ nitentibus, sobriè tradatur.

Sed & in hoc nihilominus circumspectam monemus esse tuam prudentiam, ut ab his, qui eas transcripturi sunt, ita transcribantur, ut nec depravata vitio scriptoris, nec detruncata

C

Anno 816. Ludovici Pii Imp. hortatu, Aquisgrani Concilium est habitum, in quo Capitula LXXX. regularis disciplinæ sunt constituta, sive, ut hodie loquimur, scripta est Regula Canonicorum, quæ exstat in tomis Conciliorum, à Binio editis, & Regula Sanctimonialium canonice viventium, quas nunc Canonicas seu Canonissas vulgus nuncupat.

Hanc posteriorem Regulam Ludovicus ad Arnonem Archiepiscopum Salisburgensem misit, cum epistola supra à me producta. Dicta autem Regula Canonissarum apud nos manusc. exstat, ex vetere codice *Nic. Fabri* Parisiensis, cùm ea in urbe ann. 1610. versaremur, desumpta, & brevi typis, Deo volente, edenda.

Canonissarum porrò, nobili stirpe progenitarum, quæque ad nuptias transire possunt, collegia, in Hannonia sunt duo, *Montense & Malbodiense*: totidem in Comitatu Namurcensi. *Andennense & Monasteriense*: in Comitatu Marchiensi sub Diœcesi Coloniensi, *Essendiense*: in Diœcesi Leodiensi, *Thorense & Blisiense*: in Ducatu Juliacensi. *Susterense*, & unum in Brabantia, *Nivellense*, omnium apud Belgas, ut arbitror, antiquissimum. De quibus, ut & de Germanicis, in qua Provincia sunt plurima, vide libellum nostrum, de Collegiis Canonicorum. Moustier,

(1) Arno. Subscripsit is testamento Caroli Magni ann. 811. quod Eginhartus recitat in ejusdem Caroli vita. Idem Arno Indicem seu Notitiam eorum, quæ Salisburgensi Ecclesiæ à *Theodone*, *Theodeberto*, *Huchberto*, *Othilone*, & *Tassilone*, Bavariæ Ducibus, tradita sunt, à senibus Monachis & Laicis diligentissimè exquisivit, & ad memoriam perpetuam conscribi jussit. Exstat ea Notitia apud Henr. Canisium tomo 2. Lectionis antiquæ.

cata ab aliquò fiat: sed sicut à prædicto Misso nostro eis demonstratum fuerit, absque aliqua depravatione vel detruncatione transcribatur. Noveris etiam, quia ideo illius exemplum apud armarium palatii nostri detentum est, ut eo probari potenter possit, quis eas incuriosè transcripserit, vel quis aliquam ejus partem detruncarit.

Patenter à ud Lol-venetiam.

Omnes ergo tuæ Diœceseos Episcopi & ceteri eas vigilanti curâ transcribere, solciti studio intelligere, instantissimæ assiduitatis exercitio, divinitus adjuti, operibus complere decertent: ut cùm nos hujus rei gratiâ, inquirendæ veritati, Kalendis Septembris (sicut eidem sacro & memorabili Concilio meminimus nos dixisse facturos) Missos nostros, per Imperium à Deo nobis collatum destinaverimus, remotâ cujuslibet difficultatis oppositione, ejusdem salutiferæ institutionis, prout Dominus eis posse dederit, strenui inveniantur operatores.

Quoniam diligenti indagine, vitâ comite, perquirere jubebimus, quis injunctum sibi officium strenuè peregerit, vel quis in claustris Canonicorum, & ceteris habitationibus construendis, & in necessariis stipendiis eis tribuendis, & in domibus ad receptacula pauperum reparandis, sanctioni nostræ paruerit, quisve Clerum suum eâdem institutione & ceteris spiritualibus documentis instruere curaverit, vel quis, caussâ avaritiæ, eos, quos Christi militia rationabiliter alere poterat, propulerit: quia unius anni spatium dedimus, ut ea quæ promissa sunt, absque ullius difficultatis excusatione perfici, ut necdum facta erant, facillimè possent.

Nosque præfatum Missum nostrum ad tuam Sanctitatem ideo direximus, ut.:... ceterorùmque Ecclesiasticorum in tua Diœcesi existentium diligenter atque subtiliter in hoc negotio intueretur studium, & opem in ceteris commonendis ferret: qui etiam nobis referret, qualiter *Prælati & Prælatæ*, eas Formulas libenter susceperint, diligenter transcribere studuerint, & devotè adimplere, juxta vires, curaverint: quoniam tamdiu illum, in tua vel comprovincialium tuorum Diœcesi morari & discurrere, unà cum Misso tuo, jussimus, donec ab omnibus memoratæ formulæ transcriberentur: ut videlicet cuncta procurans diligenterque perficiens, cùm ad nos illum redire, opere expleto, tempus permiserit, cuncta, quæ acta sunt, vestro utrorumque scripto notentur, atque per ipsum tuumque Commissum nostræ dignoscentiæ intimetur: ut sciamus quibus gratiarum actiones referre, quósque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus.

Si verò aliquis tuæ Diœcesios eidem institutioni, vestræque admonitioni procaciter reniti voluerit, & eam, quæ ab eodem sacro & venerabili Concilio constituta atque decreta est, quantum Dominus ei posse dederit, observare contempserit: præcipimus ut si antea hujuscemodi non se correxerit, quicumque ille est, ante præsentiam nostram, tuâ vel Missi nostri admonitione, venire festinet, quatenus à nobis juxta quantitatem culpæ dignè corrigatur.

Direximus præterea tibi pondus & mensuram, secundùm quæ Clericis & Sanctimonialibus panis & potus æqualiter tribuenda sunt. Quæ ut ab omnibus firmissimè atque inviolabiliter teneantur, decernimus, & ne quid incrementi aut detrimenti à quoquam patiantur, modis omnibus inhibemus.

Tuam igitur in calce epistolæ admonemus Sanctitatem, ut secundùm ministerium tibi divino munere collatum, nostræ in hoc negotio saluberrimæ admonitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas, & ceteris in parendo bonum exemplum tribuas. Dignum quippe justumque est, ut quantò sublimiùs Sacerdotii dignitate aliis supereminés, & à nobis venerabiliter diligeris, tantò magis ad Dei nostramque voluntatem exequendam devotiorem te atque promptiorem exhibeas. Vale in Domino, & ora pro nobis.

CAPUT XIV.

Ludovici Pii *Imp. diploma, concessum Monasterio S. Bavonis Gandensis, petente Einhardo Abbate, ann.* 819.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantes, beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus.

Idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum solertia, quod vir venerabilis Einhardus, Abbas ex Monasterio, quod dicitur *Ganda*, quod situm est in pago *Brachbatense*, constructum in honore S. Petri, Principis

Istud *Ludovici Pii*, ut & *Caroli Calvi*, itemque *Othonis II.* Imperatorum diplomata, in favorem Gandensis seu Bavonici Monasterii concessa, hodieque integra cum sigillis suis, Gandavi in Palatio Episcopali adservantur, quæ pro sua humanitate Reverendissimus *D. Antonius Triestius*, Episcopus Gandensis, nobis exhibuit, ac communicavit. Integra, inquam, adservantur, utpotè à Normannis (quod rarum in Belgicæ Monasteriis) numquam violata, ut narrant.

Ingruente namque Normannorum in Belgicam irruptione, Monachi Gandenses cum Sanctorum pignoribus ac diplomatibus, primò Audomaropolim, inde Lau-

Principis Apostolorum, ubi etiam S. Bavo Confessor Christi corpore quiescit, detulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis Domini & Genitoris nostri Caroli, bonæ memoriæ, præstantissimi Imperatoris, in qua continebatur insertum, qualiter ipse ob amorem Dei, tranquillitatemque fratrum in eodem monasterio degentium, semper sub plenissima defensione & immunitatis tuitione habuisset.

Pro firmitatis namque studio, postulavit nobis prædictus (1) Einhardus Abbas, ut paternæ auctoritati, firmitatis gratiâ, nostram quoque superadderemus auctoritatem. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hanc nostram auctoritatem, erga prædictum monasterium, ejusque rectores, immunitatis atque tuitionis gratiâ fieri decrevimus: per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quod moderno tempore in quibuslibet pagis ac territoriis, infra ditionem nostri Imperii, justè ac legaliter possidet, vel quæ deinceps, in ipsius sancti loci commodum voluerit divina pietas augeri, ad caussas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos, quàm & servos super terram ipsius commanentes, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris, & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat.

Sed liceat memorato Abbati, suisque successoribus res prædicti monasterii, tum omnes fredos concessos, sicut in præcepto Domini & genitoris nostri continetur, sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio, quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge, proleque nostra, atque stabilitate totius Imperii nostri, à Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet.

Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, veriùs certiùsque credatur & diligentiùs conservetur, manu propriâ subterfirmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus.

Data Idibus Aprilis, anno, Christo propitio, Imperii nostri sexto, Indictione XII. Actum Aquisgrani palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen. Ann. 819.

Signum Ludovici Serenissimi Imperatoris.

dunum Clavatum, *Laon*, Picardiæ urbem, se contulerunt, declinandæ tempestati. Quo in tractu annis plus minùs centum perstiterunt, & rebus sedatis, inde Gandavum, ad vetus suum Monasterium, postliminiò redierunt.

(1) Einhardus seu Eginhartus est is, qui Caroli Magni, nutritoris sui, ut ipse loquitur, vitam eleganter & ex fide descripsit. Exstant ejusdem Epistolæ aliquot inter Epistolas Lupi Ferrariensis editæ.

Fuit autem Einhardus Abbas XV. Cœnobii Gandensis, & primus Abbas *Selingestadensis*, in Diœcesi Moguntina, quod ipse suo ære construxit ac dotavit: ut in Chronicis Laurishamensi & Gandensi legitur.

Gandense porrò S. Petri Monasterium *S. Amandus* (qui relicto Episcopatu Tungrensi seu Trajectensi, Apostolum per Flandriam ac Brabantiam multis annis egit) exstruxit, Bavonis præcipuè opibus, quem à seculari militia ad sacram & asceticam traduxit.

In hoc Monasterio primùm Clerici simul in communi viventes, post Monachi Benedictini resederunt: qui ann. 1537. authoritate Pauli III. Rom Pontificis mutatâ veste, facti sunt Canonici, ut vocant, seculares, petente Carolo V. Imperatore, eodemque Flandriæ Comite. Triennio post, cum locus ille S. Bavonis, ad Scaldis & Lisæ confluentes situs, eidem Carolo V. videretur arci, ad custodiam urbis, excitandæ commodus, translatum est inde Collegium Canonicorum ad Parochialem S. Joannis Basilicam Gandensem, titulo S. Joannis in titulum S. Bavonis mutato, per ejusdem Pontificis decretum.

Exinde Philippo II. Rege Catholico, Caroli filio, rogante, Paulus IV. collegiatam S. Bavonis Ecclesiam ann. 1559. in Cathedralem evexit.

Fuit autem S. Bavo Agilulfi in Hasbania Comitis filius, obiitque Gandavi in Monasterio à se fundato anno 630. ut Sigebertus in Chronico supputat, aut anno proximè sequenti.

CAPUT XV.

Testamentum Everardi *Comitis, qui fundavit Cisoniensem Ecclesiam in Diœcesi Tornacensi, anno 837. conditum.*

Vide Chronicon nostrum Belgicum ad annum 837.

Ego (1) Everardus Comes, cum conjuge mea Gisla, decrevi qualiter nostri infantes, quandoque post obitum nostrum, prædium nostrum inter se, absque aliquo impedimento vel animositatis jurgio, à nobis divisum rationabili executione particulatim cum mancipiis cæterisque mobilibus, quæ ad nos pertinere videntur, potestate habitâ deinceps obtinere debeant.

Primogenitus namque noster Unroch volumus ut habeat quidquid in *Langobardia*, & in *Alamannia* de proprietate habere videmur, cum omnibus quæ ad ipsam proprietatem pertinere videntur, ut supra diximus, tam in Langobardia, quàm in Alamannia, præter *Balguinet*, & ea quæ ad eam pertinere videntur.

Secundus quoque Berengarius volumus ut habeat cortem in (2) *Anastis*, cum his omnibus, quæ ibi pertinere videntur, præter Grecinam, & cortem nostram *Hildinam* in *Hasbanio*, cum omnibus quæ adjacent ei, & quod

quod habere videmur in pago (3) *Condiestrim* volumus, ut habeat.

TERTIUS (4) ADALARDUS volumus ut habeat cortem nostram in *Cisonio*, & (5) *Cansinium*, cum omnibus quæ ad ipsam Ecclesiam in supradicto loco Cisonio, pertinere disposui, in tali tenore ut ipsam Ecclesiam eo ordine, quo ego constitui semper custodiat, & nihil auferri de iis quæ ei dedi permittat, per se aut per quemcumque, & *Summinium* cortem nostram.

QUARTUS (6) RODULPHUS volumus ut habeat (7) *Vitrei*, *Vuis*, *Mestucha*, cum omnibus supradictis locis, quæ pertinent præter Ecclesiam *Vitry*, quam ad Ecclesiam nostram cum omnibus quæ pertinent in *Cisonio* pertinere censui. Et volumus ut habeat quod in (8) *Scelleburd* habere videmur, quod *Matrid* dudum habuit, & omnes res nostras quæ conjacent in *Comitatu Tassandrio*. Ita hanc divisionem peragere volumus, ut si minus *Adalardus* aut *Rodulphus* de mansis habuerint quàm *Berengarius*, de *Anaspio* adæquare, inter eos cum mancipiis quæ supersedent debeant.

HÆC divisio omni modo inter eos ut ita permaneat, volumus, excepto si aliquis Rex Langobardorum, vel Francorum, vel etiam Alemannorum, quod absit, & fieri non credo, alicui eorum de supradictis germanis suam proprietatem ita à nobis divisam per violentiam sine caussa abstulerit, tunc volumus quod residuum fuerit, ut convenientes in unum æqualiter inter eos dividant illud.

DE filiabus verò nostris volumus ut INGELTRUD habeat *Ermen* & *Maressem*: JUDITH verò volumus ut habeat *Balgingam*, & curtem nostram in pago *Moila*, quæ vocatur (9) *Helissem*. HEILWICH verò volumus ut habeat *Hostrenheim* & *Luisinga*, & *Wendossa*, & unum mansum in *Engercsteim*.

TALEM autem legem de supradictis rebus esse censemus, ut si quisquam eorum adversùs alium aliter contentiosè surrexerit, præter quod nos inde ordinavimus aut in publico (10) placito citatio mallaverit, præsumptor ille, quia contra nostram voluntatem ire ausus fuerit, componat, cui calumniatus fuerit, auri libras mille.

DE paramento autem nostro volumus ut habeat primogenitus noster UNROCH (11) spatam unam, cum aureis hilcis & cuspide aurea, & Faculum unum de auro & gemmis, Baltheum unum de auro & gemmis, (12) spourones duos de auro & gemmis, vestitum unum de auro paratum,

(1) EVERARDUS Comes seu Marchio potentissimus uxorem habuit GISLAM, Ludovici Pii filiam, & Caroli Calvi Imp. sororem: ex qua plures utriusque sexus liberos sustulit. Possedit autem prædia amplissima variis in locis, ut in Longobardia, Comitatu Tarvisino, Alemannia, Hasbania, Taxandria, Condrusio, Austrovandia, Cisonio, Vitriaco, & alibi: ut ex Testamenti tabulis jam à me recitatis, quarum autographum in Cisoniensi Abbatia hodieque adservatur, constat.

CETERUM in Cisoniensi Monasterio RAINALDUS Remensis Archiepiscopus ann. 1129. ordinem Canonicum instituit, *Angelone* primo Abbate regulari ibidem collocato, cùm antea Hermannus cognomento Insulanus, Præpositus & Thesaurarius Cisoniensis, loco cessisset. REINALDI Diploma itemque Celestini.... Papæ extat apud Buzelinum lib. 2. cap. 25.

Everardus De hoc ipso Monasterio Cisoniensi deque S. Everardo Flodoardus lib. 4. cap. 1. in Historia Remensi ista tradit: *Formoso Papa Fulco Remensis Archiepiscopus litteras mittens, adnotat qualiter* Evrardus *Marchio. S Calixti Papæ & Martyris venerabile corpus à Romana Sede impetraverit, atque in ejus honore Monasterium in prædio suo constituerit. Quod prædium post ejus obitum, ad filium ipsius* Rodulfum *Abbatem hereditario jure devenerit; qui res ipsas, simul cum memorati Martyris gleba; vita sua diebus absque ulla contradictione tenuerit, & de sæculo migraturus easdem res, cum Monasterio, & corpore sacro, Remensi S. Dei Genitricis Ecclesiæ delegaverit, eamdemque rerum suarum heredem instituerit.*

Rodulfus. (margin note)

Hucboldus. *Tunc verò Hucboldus quidam, sororis hujus Rodulfi maritus, munus ejusdem Abbatis calumniabatur, & ab Ecclesia Dei Genitricis jure conabatur auferre. Proinde precatur, ut quid sibi sit in talibus agendum, suis eum sacris instruat litteris, & harum collationem rerum æterna stabilitate corroboret, atque contradicentes digna excommunicationis ultione percellat.*

OBIIT autem S Everardus in Italia, indeque corpus ejus Cisonium est advectum, per UNROCHUM filium primogenitum: ubi festo ritu quotannis die 16. Decembris colitur: ut in Fastis nostris Belgicis disseruimus.

CETERUM, quod hactenus à nemine notatum, filius secundò genitus S. Everardi BERENGARIUS, cujus supra in testamento fit mentio, postea Rex Italiæ ac demum Imperator fuit.

(2) ANASPIS hodie vicus *Anappe*, ad gentem Roblesiam pertinens, in Castellania Insulensi apud Flandros: quem vicum Albertus Pius, Belgarum Princeps, titulo Comitatûs decoravit.

(3) CONDIESTRIM pagus Condrusorum, *Condros* de quibus infra cap. 21.

(4) ADALARDUS Everardi filius, Cisonii sepultus est cum matre sua GISLA, teste Buzelino. Idem Adalardus auxit dotem Cisonii teste cod.

(5) CANSINIUM *Cansin*: SUMMINIUM, *Summin* vici sunt Cisonio vicini. Buzelino Camphinium p.87

(6) RODULPHUS S. Everardi filius fuit Præpositus sive Abbas Canonicorum Cisonii, teste Flodoardo lib. 4. cap. 1. Hist. Remen. & Joanne Buzelino in Gallo-Flandria lib. 2. cap, 25.

(7) VITREI Latinè Victoriacum. *Vitry* inter Atrebatum & Duacum, vicus ad Episcopum Atrebatensem spectans.

(8) SCELLEBURD vicus vicinus Comitatui Taxandriæ: ut ex subjunctis Testamenti verbis liquet. Fortè *Scelle*, propè Antverpiam, aut alius vicus illo in tractu, ad Scaldim Fl.

(9) HELISSEM. Est hoc nomine Abbatia Ord. Præmonstratensis, apud Thenas Hasbaniæ Brabantinæ oppidum: quæ an hic designetur, dubito. Hoc constat, S. Everardum illo in tractu, hoc est, hoc est, in Hasbania prædia non pauca possedisse.

(10) PLACITO & MALLAVERIT. Placitum & Mallum pro eodem apud medii ævi Scriptores usurpantur. Vitus Amerpachius in Notis ad constitutiones Caroli Magni per Lotharium Imp. ejus nepotem editas, ait in Legibus Longobardicis persæpe utramque vocem conjungi, expositionis caussâ: & Mallum esse vocem origine Germanicam. Nam locum indictum vel designatum Germani vocant *ein Mal* vel *Malstat*: unde aucupes quibusdam in locis dicunt *Malen*, hoc est, notare locum.

OB hanc conjunctionem idem Amerpachius suspicatur & nomen Placiti esse Germanicum, & deductum à *Platz*, quod significat locum vel aream. Invenitur utrumque vocabulum etiam conjunctum in Capitularibus Caroli Magni, nominatim in cap. cujus inscriptio est: Quæ ad *Niumaeca*, cap. 17. hæc leguntur: Ut nullus ad Mallum vel ad Placitum infra patriam arma portet, id est, scutum & lanceam.

(11) SPATA. Id est, Gladius. Hinc apud Hispanos est ordo Equitum S. Jacobi de Spata, qui pro tessera gladii insigne, pectori affixum, gestant.

ratum, Mantellum unum de auro paratum, cum fibula aurea, & alteram ſpatam volumus ut habeat, Urceum cum aqua, Manile argenteum unum, ciphum aureum unum, ciphos eburneos duos, (13) Bruniam unam, (14) Helmum unum, & Manicam unam ad ipſum opus, (15) Bembergas duas, Mortariolum argenteum unum, cum piſtillo. De paramento verò Capellæ noſtræ Ciboreum cum Cruce aurea, & capſa aurea, & Calicem aureum cum patena, Coronam auream cum ligno Domini, Crucem auream cum criſtallo ſuper Ciboreum, planetas duas, unam auro paratam, alteram de cendalo, Dalmaticam auro paratam, tres pannos ſuper altare auro paratos, duo Phylacteria in cruce pendentia, Evangelium de auro paratum, Sia aurea, Armillas duas auro paratas, Miſſale cum auro & argento paratum, Lectionarium ſimiliter, Urceum cum aqua, Manile argenteum unum, Thuribulum argenteum unum, (16) Pipam auream unam, Tabulas eburneas auro paratas, Pectem verò auro paratum unum, (17) Flavellum argenteum unum, Capſellam eburneam unam, Candelabra argentea duo: hæc volumus ut ſupradictus filius noſter primogenitus habeat.

Beinbergas.

Secundus Berengarius volumus ut habeat Spatas duas, unam cum hilcis argenteis, & aureis ſimul, (18) Facilum de argento & auro unum, Baltheos aureos cum gemmis duos, Spourones aureos duos. Veſtitum auro paratum unum, alterum Facilum cum gemmis aureum, Ciphos cum cornu, & argento cum auro, duos, Scutellas argenteas duas, Cochlearia argentea duo, Bruniam unam, Helmum unum, Manicam unam. De paramento Capellæ noſtræ, Altare argento paratum unum, Calicem eburneum cum patena auro paratum unum, Capſam eburneam auro paratam unam, (19) Phylacterium decriſtallo cum auro paratum unum, Evangelium eburneum unum, Lectionarium ſimile paratum, Miſſale ſimile, Commentarium ſimile, Antiphonarium ſimile, Smaragdum ſimile paratum, Thuribulum argenteum unum, Planetas duas, unam riatam, alteram de (20) cendalo, Dalmaticam variatam unam ſericam, ſimile pallium ſuper altare unum, Tabulas ad canendum auro & argento paratas: hæc volumus ut ſecundus *Berengarius* habeat.

Buzelin. Campanium p. 17

Tertius Adalardus volumus ut habeat Spatas duas, unam cum hilcis eburneis & aureis, Facilum ſimile, & balteum eburneum, & aureum, alterum Facilum aureum, & balteos aureos duos cum gemmis, Vas ad bibendum marmoreum unum, cum argento & auro paratum. Garalem argenteum unum, Ciphum argenteum unum, Pallia duo, (21) Garales argenteos cum binis cochleariis duos. Bruniam unam, & Helmum cum (22) Halsberga & Manicam unam, Bemivergas duas. De paramento Capellæ noſtræ, Altare de criſtallo & argento paratum unum, Capſam criſtallo & auro paratam unam, Calicem vitreum auro paratum unum, Calicem argenteum cum patena, Evangelium argento paratum unum, Planetam diploidam unam, de cendalo unam, Dalmaticam unam, Sericam unam, Pannum ſuper altare unum, Phylacterium unum, in quo Reliquiæ S. Remigii: hæc volumus ut tertius *Adalardus* habeat.

Beinbergas.

Quartus Rodulphus volumus ut habeat Spatas tres, Mancoſos centum, balteum unum, Garales argenteos duos, Cochlearia tria, Bruniam unam, Manicas duas, de paramento Capellæ noſtræ (23) Buſteam criſtallinam cum Reliquiis, Phylacterium de almandinis & criſtallo paratum unum, Phylacterium argenteum unum, Calicem de nuce & argento & auro paratum unum, Calicem argenteum cum patena, Planetas duas, Pannum unum ſuper altare: hæc volumus ut *Rodulphus* habeat.

Engeltrud filia noſtra volumus ut habeat ſcutellam argenteam unam, & pallium unum. Judith ut habeat ſcutellam argenteam unam, & pallium unum. Heilwich volumus ut habeat argenteum vas unum, & pallium unum, quibus ſingulis, ne de Capellæ noſtræ exortes eſſe viderentur benedictione, dedimus ſingula Philacteria de auro parata.

De libris etiam Capellæ noſtræ diviſionem inter eos facere volumus. In primis volumus, ut Unroch habeat Pſalterium noſtrum duplum, & Bibliothecam noſtram, & librum S. Auguſtini de Verbis Domini, & librum de Lege Francorum, & Ripuariorum, & Langobardorum, & Alamanorum, & Bavariorum, & librum rei militaris, & librum De diverſis ſermonibus, qui incipit de Elia & Achab, & librum De utilitate pœnitentiæ, & librum De conſtitutio-

(12) Spourones. Id eſt, Calcaria, Teutonicè *Sporen* Gallicè *Eſperons*.

(13) Brunia id eſt, Lorica, Gallis *Cuiraſſe*.

(14) Helmum ſignificat Galeam, *Helm, Heaulme*.

(15) Bembergas, id eſt, Tibialia ferrea.

(16) Pipa aurea, id eſt, Canula, ad ſumendum ſeu hauriendum Sacroſanctum Domini Sanguinem ex Calice benedicto, more veteris Eccleſiæ. Baronium in Annalibus conſule.

(17) Flavellum ſeu potiùs Flabellum, ad muſcas arcendas aut ad calorem minuendum.

(18) Facilum pugionem, *Poignart*, interpretantur.

(19) Phylacterium Gallis *Reliquaire*, capſula Sanctorum oſſa ſeu reliquias continens. Quo ſenſu etiam uſurpatur à Balderico in Chron. Cameracenſi.

(20) Cendalum *Taffetaf*, aut quid ſimile. Sic Auriflamma vexillum fuit ex cendalo.

(21) Garales cum Cochlearibus, in contextu Teſtamenti, ferè junguntur. Itaque Garalis videtur patellam *Eſquelle* ſignificare. Hiſpanis hinc fortaſſè *Iarro de aqua*.

(22) Halsberga fortè, colli tegumentum, voculo Teutonico, *Haubert*, veteri linguâ Francicâ, idem quod *Cuiraſſe*. Sic Beinberga ſeu Beinberga ſignificat tegumentum tibiæ, voce, niſi fallor, Germanicâ. Ut ut ſit, conſtat S. Everardi ævo, non ſolùm in Germania noſtra inferiore, ſed etiam in Gallia, & Inſubria, quam Langobardi occuparant, linguam Germanicam in uſu fuiſſe. Vide Nithardi hiſtoriam lib. 3.

(23) Buſtea Gallis *Boiſte* vel *Boite*, Latinè Arcula. Vide notitiam Eccleſiarum Belgii cap. 29. & Notationes ibidem.

Walgarius, Sacerdos, primus S. Everardi Comitis Sacellanus, à fundamentis deſudavit plurimùm in Ciſonio extruendo, ejuſque dotem auxit. Diploma extat apud Buzelinum lib 2. cap. 25. & in Notitia noſtra Eccleſiarum Belgii cap. 30.

constitutionibus Principum, & Edictis Imperatorum, & Synonima Isidori, & librum de quattuor virtutibus, & Evangelium, & librum bestiarum, & Cosmographiam Ethici Philosophi.

Berengarius aliud Psalterium volumus ut habeat, cum auro scriptum, & librum De civitate Dei S. Augustini, & De verbis Domini, & Gesta Pontificum Romanorum, & Gesta Francorum, & librum Isidori, Fulgentii, Martini, Episcoporum, & librum Ephrem, Synonima Isidori, & librum Glossarum, & explanationis, & dierum.

Adalardus tertium Psalterium volumus ut habeat, quod ad nostrum opus habuimus, & expositionem super epistolas Pauli, & librum S. Augustini De verbis Domini, & super Ezechielem Prophetam, & Lectionarium de Epistolis & Evangeliis cum auro scriptum, & vitam S. Martini, & librum Aniani, & volumen septem librorum Magni Orozii Pauli, & librum S. Augustini, Hieronymi Presbyteri, de hoc quod Jacobus ait: *Qui totam legem servavit, & in uno offenderit, factus est omnium reus.*

Rodulphus volumus ut habeat Psalterium cum sua expositione, quem Gisla ad suum usum habuit, & Smaragdum, & Collectaneum, & Fulgentium, & Missale cottidianum, quod semper in nostra Capella habuimus, & vitam S. Martini, & Physonomiam Lopi Medici, & ordinem priorum Principum.

Primogenita etiam filia mea Engeltrud volumus ut habeat librum qui vocatur Vitas Patrum, & librum qui appellatur Liber de doctrina S. Basilidis, & Apollonium, & Synonima Isidori.

Judith volumus ut habeat Missale unum, & librum unum, qui incipit à sermone S. Augustini De ebrietate, & legem Langobardorum, & librum Alquini ad Widonem Comitem.

Heilwich volumus ut habeat Missale unum, & Passionalem & librum Orationum cum Psalmis, & libellum De orationibus.

Gisla volumus ut habeat librum De quattuor virtutibus, & Enchiridium S. Augustini.

Hæc omnia, ut supra diximus, post quandoque obitum nostrum, ut inter eos ita divisa permaneant, absque impedimento, volumus: ab hodierno verò die (quod nunc ita prærordinavimus) quidquid de mobilibus cujuscumque rei deinceps, si vitam & sanitatem Omnipotens desuper nobis concesserit, acquisiverimus, si aliter ante obitum nostrum non ordinaverimus, sive in laboratione, seu in peculio, in prædictis, quas inter eos divisimus rebus, seu beneficiis nostris, quæ habere videmur, volumus ut super omnia medietatem Unroch filius noster, & ceteri nostri fideles, qui interfuerunt, quando hæc ita disposuimus, post nostrum obitum, pro salute animæ nostræ distribuant, tam in Francia quàm in Langobardia vel Alemania, sive in proprio, sive in beneficio, ut supra diximus.

Servos autem nostros, quantos nobis placuerit in supradictis locis dimittere liberos de nostro prædio, tam in Francia, quàm in Langobardia seu in Alemania, volumus ut liberi sint, vel cuicumque illorum de loco in locum, dum advixerimus, voluerimus dare aliquem, in nostra servamus potestate. Similiter de nostra familia, qui non de prædio nostro sunt, sed forinsecus acquisivimus, volumus ut cuicumque donaverimus eos de nostris infantibus, absque contentione ceterorum donati sint.

Hæc super omnia, sicut jam diximus, ut ita permaneant, volumus. Ego in Dei nomine Everardus Comes cum conjuge Gisla hujus testamentum divisionis fieri inter infantes nostros institui, quorum hæc sunt nomina, Unroch, Berengarius, Adalardus, Rodulphus, Engeltrud, Judith, Heilwich, coram fidelibus nostris qui interfuerunt: quorum nomina hæc.

Adalroch nepos noster.
Wellebertus Presbyter.
Werinbertus, *Lanfridus*, *Drumar*,
Uto, *Diso*, *Engelbad*,
Heribert, *Otpert*, *Fredeco*.

Actum in Comitatu *Tarvisiano* in corte nostra *Musiestro*, imperante Domino Ludovico Augusto, anno regni ejus, Christo propitio, vicesimo quarto. Ann. 837.

CAPUT XVI.

Ebo, *Remorum Archiepiscopus, Balduino Ferreo Flandriæ Comiti, mittit corpus S. Donatiani VII. Remorum Episcopi circa ann.* 842.

Ego (1) Ebo, indignus Remorum Archiepiscopus, hunc thesaurum, super gemmas & aurum pretiosum, tibi gloriose Marchio Balduine, nostrorum consilio Clericorum, transmitto, Donatianum scilicet, septimum nostræ Sedis Episcopum: miræ sanctitatis virum, pium exauditorem, & promptissimum apud Deum intercessorem, tam secularibus angustiis occupatis, quàm peccatorum sceleribus detentis. Quod nostris & Antecessorum nostrorum temporibus satis evidenter comprobatum est.

Ejus, Sanctique Remigii, ac innumerabilium Sanctorum vitæ scripta, *Wandalorum* vastatione scias esse deleta. Hunc attestatione divinæ tuæ fidei committo, quatenus cum divino servitio, in quantum vales, honorifices, & secularibus dites. Vale dilectissime in Domino.

(1) Ebo, sive Ebbo, patriâ Germanus, Himiltrudis filius, Ludovico Pio Imp. carus, & in puerili ætate collactaneus ac condiscipulus, anno 822. Remorum Archiepiscopus est ordinatus. Fuerat antea non nisi Suffraganeus Remensis Ecclesiæ: ubi, absente *Vulfario*, Stephanum Papam, & Ludovicum Pium anno 816. exceperat.

Intimus fuit Halitgario Cameracensi Episcopo,

Halitgarius Ep. Cameracensis. copo, qui hortante Ebone, *sex libellos de remediis peccatorum & ordine vel judiciis pœnitentiæ conscripsit*: ut Flodoardus in Hist. Remensi lib. 2. cap. 19. & Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 1. cap. 38. testantur. Extant hi libri apud Henricum Canisium tomo 1. Lectionis antiquæ.

It in Daniam cum Ebone. IDEM Halitgarius cum Ebone anno 818. ad Danos profectus est; ubi verbum Dei prædicarunt, auctoritate Paschalis Papæ, qui Stephano successerat. De ista ad Danos profectione sic Adamus Bremensis in Chronico: *In diebus illis, scribitur quod Ebo Remensis cum de salute gentium, religionis studio, ferveret, legationem ad gentes, cum Halitgario, suscepit à Paschali Papa; quam postea noster Ansgarius, divinâ opulante gratiâ, feliciter peregit.* Sic Adamus, qui tamen ad annum 823. hæc referre videtur.

Ebo deponitur. HUIC Evangelico operi Ebo usque ad ann. 822. incubuit, quo ad Remensem, ut dixi, Cathedram est evectus, verùm post annos XIII. tanquam auctor & incentor conspirationis adversus Ludovicum Pium, in Synodo apud Theodonis villam anno 835. est depositus. Rem fusè lib. 2. cap. 20. Flodoardus narrat. Synodi verò ipsius seriem, cum subscriptionibus Episcoporum XLIII. qui Ebonem damnarunt, Hincmarus cap. 36. posterioris operis adversus Gothescalcum recitat.

MORTUO deinde Ludovico, Sedem à LOTHARIO Imp. iterum ann. 841. Ebo obtinuit, per Edictum, quod apud Flodoardum eodem loco exstat, cum subscriptione & adsensu XX. Episcoporum.

Ex qua secundò ejectus, * Romam ad Sergium II. Papam * se contulit. Exinde, acceptâ à Lothario Abbatiâ Bobiensi S. Columbani in Italia, sed mox per eumdem ablatâ, in Saxoniam abiit, ad LUDOVICUM Germaniæ Regem: à quo Hildesheimensis Episcopus est constitutus. Ubi & obiit ann. 851. vel ut alii scribunt. ann. 854. * An. 844. ut suspicor. * Qui An. 844. factus est Papa.

Ceterùm recitatas à me Ebonis ad Balduinum Ferreum litteras, *Petrus Curtius*, Brugensium I. Episcopus, in feretro seu loculo, cui ossa S. Donatiani erant inclusa, an. 1566. reperit.

CAPUT XVII.

CONVENTUS *apud Marsnam, prope Trajectum Mosæ, anno 847. celebratus, per Lotharium Imperatorem, Ludovicum Germaniæ, & Carolum Calvum Franciæ Reges, fratres.*

HÆc quæ sequuntur Capitula sunt, quando tres Reges fratres HLOTHARIUS scilicet, HLUDOVICUS & KAROLUS, simul convenerunt secus municipium *Trajectum*, in loco qui dicitur (1) *Marsna*, (Mersen.) annò Incarnationis Dominicæ octogesimo quadragesimo septimo, per mensem Februarium, quæ etiam Capitula singulorum adnuntiationes sequuntur.

I. DE pace & concordia atque unanimitate trium fratrum & Regum inter se, & quod verissimo & non ficto caritatis vinculo sint uniti, & ut nullus deinceps scandalorum inter eos occasiones serere possit.

II. UT ipsi mutuò sibi auxilientur, & contra Dei sanctæque Ecclesiæ ac suos inimicos secundùm oportunitatem temporis invicem adjuvent.

III. UT nemo per quamlibet cupiditatem leges pacis in cujuslibet eorum regno convellere præsumat, quod si facere præsumpserit, communem ab eis ultionem incurrat.

IV. UT Ecclesiæ Christi per omne eorum regnum pristinam dignitatem honoremque retineant: & quidquid superstite Domno HLUDOVICO Imperatore jure legitimo possederunt, absque ulla diminutione recipiant.

V. UT singulis eorum fidelibus talis lex conservetur, qualem temporibus priorum Regum & præcipuè avi patrisque eorum habuisse noscuntur: si tamen & ipsi pristinam fidem erga ipsos conservent.

VI. UT rapinæ & deprædationes quæ quasi jure legitimo hactenus factæ sunt, penitus interdicantur, & nemo se impune post hæc eas præsumere posse confidat.

VII. UT in singulis partibus Regni Missi idonei constituantur, qui querelas pauperum & oppressiones, sive quorumcumque caussas examinare & secundùm legis æquitatem valeant definire. Et si ab uno in aliud Regnum hujusmodi præsumptores confugerint, ibi similiter opprimantur.

VIII. UT nullus in omni eorum Regno deinceps raptum facere præsumat, aut si fecerit, legaliter puniatur.

IX. UT Regum filii legitimam hereditatem regni secundùm definitas præsenti tempore portiones post eos retineant, & hoc quicunque ex fratribus superstes fratribus fuerit, consentiat, si tamen ipsi nepotes patruis obedientes esse consenserint.

XI. UT Legati ad (2) DUCEM BRITTONUM mittantur, qui de communi erga eos observatione pacis eum commoneant.

XI. UT similiter ad (3) REGEM NORTMANNORUM Legati mittantur, qui eum contestentur, quod aut pacem servare studebit, aut communiter eos infensos habebit.

Adnun-

(1) MARSNA sive ut Regino Prumiensis in Chronico ann. 869. vocat, MARSANA, hodie *Mersen*, primo lapide à Trajecto Mosæ, olim in Leodicensi, nunc in Ruremundensi Diœcesi sita, Regium olim Palatium habuit: quod GERBERGA Francorum Regina, unà cum villa ac prædiis adjunctis, ann. 968. dono dedit Monasterio S. Remigii Remensis: ut constat ex ejusdem diplomate, quod infra recitabimus. Cap. 37.

(2) DUCEM BRITTONUM. Nomenoium, Sigeberto Numeneum intellige, qui Britonum Aremoricorum seu Britanniæ minoris, ut hodie vocant, Dux sub Ludovico Pio fuit. Quo defuncto, Nomenoius Carolo Calvo, ann. 841. adhæsit. Sed biennio post, impellente Lamberto Comite, qui à Francis defecerat, & ipse Nomenoius defecit, Regiumque sibi titulum sumpsit. Media porrò ætas scribebat *Brittones*, duplici t. sed veteres unico. *Toto divisos orbe Britannos*: Virgilius.

(3) DUCEM NORTMANNORUM. Godefridum, qui Nortmannis seu Danis præfuit, cuique postea Carolus Calvus terram ad inhabitandum concessit. *Annal. Pith. ann.* 850.

Adnuntiatio Domni HLotharii.

NOBIS & fratribus nostris visum fuit, ut ad Dei voluntatem quærendam qualiter sancta Ecclesia recuperata esse possit, & pacem, & nos ac vos & iste populus Christianus habere possimus, nos simul conjungeremus, sicut nunc fecimus & sic simus inter nos sicut fratres per rectum esse debent: & pro certo illud sciatis, quia grati Deo sic sumus, & sic permanere adjuvante Deo in ante volumus, & in consilio & in auxilio unusquisque erga alterum parati sumus adjutorium ferre, sicut fratres in Dei voluntate & communi profectu facere debent in quibuscunque potuerimus.

Adnuntiatio Domni HLudovici.

I. SCIATIS, quia fratres nostri & nos, nostros Missos ad (1) communem nepotem nostrum in *Aquitaniam* mittimus, & ei tales Comitatus designatos mandamus, in quibus ipse cum suis interim sufficienter esse possit & fideles dilecti fratris nostri CAROLI de illo regno pacem habere possint, usque dum idem nepos noster ad commune placitum nostrum veniat, ad quod cum tali securitate à nobis accepta eum venire mandamus, ut sanus venire, & sanus stare, & sanus reverti, quantum illum Deus salvare voluerit, possit, & si tunc nostrum consilium audire voluerit, volumus cum Dei adjutorio & vestro consilio considerare, quomodo meliùs secundùm communem profectum & utilitatem in ante esse possit. Et si nostrum consilium audire non voluerit, tunc sicut meliùs cum Dei adjutorio & vestro consilio invenire potuerimus, exinde agere volumus.

II. SCIATIS etiam quia similiter Missos nostros ad BRITTONES mittimus & illos ad communem profectum & pacem hortamur. Qui si audierint, aut non audierint, cum Dei adjutorio & vestro consilio exinde etiam facere volumus.

III. SCIATIS quia communiter Missos nostros ad Nordmannos pro pace accipienda mittimus.

IV. SCIATIS etiam quia dilectus frater noster HLOTHARIUS Missos suos ad vos homines transmittit, qui usque modò in contrarietatem dilecti fratris nostri CAROLI fuerunt & illis mandat, ut per nullum ingenium in ante, sicut de Dei & sua gratia gaudere volunt, in illius & fidelium ejus contrarietatem aliquid faciant.

V. ET sciatis, quia volumus ut res Ecclesiarum in cujuscunque regno caput fuerit, tam de Episcopatibus quàm de Abbatiis, sine ulla contradictione Rectores ipsarum Ecclesiarum, sicùt tempore Domni ac genitoris nostri fecerunt, illas possideant.

VI. SIMILITER & de Episcopatibus & Monasteriis ubicunque in nostro communi regno aliter est modò quàm debeat, volumus unà cum Dei adjutorio illud emendare, ut Ecclesia Dei suum honorem debitum habere possit & populus suam legem.

Adnuntiatio Karoli.

I. SCIATIS, quia dilecti fratres nostri, & nos communiter nostrum placitum ad Missam S. Joannis apud *Parisium* condictum habemus, ubi de istis quæ illi modo dixerunt & ceteris quæ ad Dei voluntatem & nostrum ac vestrum communem profectum invenire potuerimus, consideremus, & unà cum Dei adjutorio ad effectum perducamus, & volumus ut ab hinc in ante, ubicumque unusquisque fuerit cum pace consistat, & ad illud placitum cum pace unusquisque veniat, quia in istis miseriis & rapinis usque modò multùm Deum offendimus. Unde nobis Dei misericordiam deprecari satis necessarium esse cognoscimus.

II. Volumus etiam ut unusquisque liber homo in nostro regno seniorem qualem voluerit in nobis & in nostris fidelibus accipiat.

III. MANDAMUS etiam ut nullus homo seniorem suum sine justa ratione dimittat, nec aliquis eum recipiat, nisi sicut tempore Antecessorum nostrorum consuetudo fuit.

IV. ET volumus ut sciatis quia nos fidelibus nostris rectè consentire volumus, & contra rationem eis facere non volumus. Et similiter vos ac ceteros fideles nostros admonemus, ut vos vestris hominibus rectum consentiatis & contra rationem illis non faciatis.

V. ET volumus ut cujuscumque nostrûm homo, in cujuscumque regno sit, cum seniore suo in hostem, vel aliis suis utilitatibus pergat: nisi talis regni invasio, quam Lantweri dicunt, quod absit, acciderit, ut omnis populus illius regni ad eam repellendam communiter pergat.

CA-

(1) COMMUNEM NEPOTEM. Pipinum Pipini olim Regis filium, qui hoc tempore in Aquitania regnabat. Sed Patrui, quòd Aquitaniam Carolo Calvo in partem obtigisse censerent, Pipinum Regis nomine non dignantur, & loco regni Aquitaniæ, Comitatibus aliquot contentum esse jubent.

PRÆTER hunc Conventum ann. 847. habitum, fuit & alter inter eosdem tres Reges fratres ann. 851. apud MARSNAM celebratus, cujus Capitula vide apud Jacobum Sirmundum, lib. de Caroli Calvi & Successorum aliquot Franciæ Regum Capitulis. Conventus 2. apud Marsnam.

CAPUT XVIII.

HINCMARI *Remensis Archiepiscopi Epistola anno 864. scripta ad Nicolaum I. Papam, de * Balduini Ferrei, Flandriæ Comitis, conjunctione cum Juditha, Caroli Calvi Francorum Regis Filia, & de vacatione Episcopatûs Cameracensis.*

* Bauduin, dictus Bras de Fer.

Vide Chronicon nostrum Belgicum ad ann. 864. Et quis plura de Juditha Caroli Calvi Filia nosse cupit, adeat dictum Chronicon petat ad annum 861.

* Odo Episc. Belloracensis.

DOMINO unicè singulariterque suscipiendo Patrum Patri, & summâ veneratione honorando, reverentissimo Papæ NICOLAO, Hincmarus, nomine non merito, Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus.

IN Epistola vestræ Sanctitatis, per * *Odonem* Episcopum, Episcopis in regno *Lotharii*, pro præjudicio Cameracensis Ecclesiæ directa, relegi, vestram auctoritatem sciscitaturam, cujus neglectu eadem Ecclesia, ultra decimum mensem, Pastore vacaret.

Hæ sunt Nicolai epist. 63. 64. & 65.

UNDE, ne ut negligens à vestro Apostolatu succensear, indico auctoritati vestræ, post directas *Lothario* & Episcopis regni ejus, atque *Hilduino*, qui eamdem Ecclesiam inregulariter occupavit, ita ut antequam ipsas mitteretis epistolas, hactenus præjudicium permanere, meque *Lotharium* Regem & Legatis & litteris, prout potui, sæpe & eò usque inde commonuisse, donec regiis suis litteris mihi respondit, *Hilduinum* ad vestram auctoritatem suum Legatum misisse, & nihil aliter de præfata Ecclesia, nisi ut egerat, disponere debuisse, donec à Vobis inde responsum acciperet.

BALDUINUS quoque in proximo nunc decurso mense Octobri, quinto Kalendas Novembris, per duos homines suos mihi litteras auctoritatis vestræ direxit, in quibus continetur ut easdem litteras Coëpiscopis provinciæ nostræ legerem, & (1) JUDITH paternis ac maternis obtutibus præsentandam susciperemus: si tamen intelligeremus, quod confestim præfatus Excellentissimus Rex noster, quæ de illa Vobis scriptis & verbis, per Legatos vestros, Apostolatui vestro renuntianda spopondit, adimplere vellet.

QUOD si eorum animos ad id protelandum esse intentos, investigare possemus, nequaquam eam reciperemus. Alioquin, id est, si aliter egissemus, gratiâ & communione vestrâ frui nequaquam valeremus. Quam vestræ auctoritatis epistolam, ut oportuit, reverenter suscepi, & Coëpiscopis nostris eam relegi, & pro præfata JUDITH apud fratrem & matrem illius, quantùm potuimus, ut mandastis, communiter intervenimus, & paternis ac maternis obtutibus eam præsentare studuimus.

POST quæ voluimus, quia sic nobis, secundùm sacras regulas, sicut eas intelligimus, visum fuerat (non enim sine dignis pœnitentiæ fructibus absolvi posse putamus (2) quod anathematis vinculo à sacris regulis innodatum videmus) ut juxta Ecclesiasticam traditionem priùs Ecclesiæ, quam læserant, satisfacerent: & sic demum quod præcipiunt jura legum mundialium, exequi procurarent.

SED quoniam litteras vestras, quæ inde nihil præceperunt, imò etiam nullam protelationem in eorum conjunctione fiendam significaverunt, sibi sufficere voluerunt, & sine vestra auctoritate, ad quam clamaverant, cogi, nisi alio se modo submitterent, non debuerunt.

EX altera epistola vestræ Sanctitatis eis retuli, quod non leges Ecclesiasticas dissolvistis, sed preces pro eo misistis, qui puniri secundùm leges mundanas poterat, quatenus locum pœnitendi haberet, quod contra leges divinas admiserat.

SIC & Salvator noster, qui vult omnes homines salvos fieri, & neminem vult perire, in cruce apud patrem jure Sacerdotis, pro suis persecutoribus intercessit: quod in eis qui post passionem ejus crediderunt, & compuncti pœnitentiam egerunt, qui cum patre omnia donat, efficaciter impetravit.

AD cujus instar Apostolorum Vicarius, ad quorum limina confugerunt, & Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ Summus Pontifex, quod in hominem Regem & in leges mundi peccatum est, perdonari petistis, ut quod in Regem cæli & terræ, & in leges cælestis regni offensum erat, haberent inducias per pœnitentiam abolendi.

E contrà carnales, & etiam quidam eorum, qui

D

PARTEM hujus epistolæ, quâ vacationem Episcopatûs Cameracensis tangit, Baldericus in Chronico Cameracensi lib. 1. cap. 48. recitat. Integra apud Flodoardum lib. 3. cap. 12. exstat. Porrò res ipsa sic se habet.

ANNO 863. Nonis Augusti THEODERICUS Cameracensis & Atrebatensis Episcopus obierat: ut idem Baldericus disertè affirmat. In defuncti locum Lotharius, Rex Lotharingiæ, primò *Guntbertum*, postea *Teiboldum*, denique *Hilduinum*, cognatum & Capellanum suum, contra Sacros Canones, intrudere est conatus.

SED Hincmarus Remorum Archiepiscopus, ut Metropolitanus, ipsum consecrare noluit, & decimo post Theodorici obitum mense, hoc est, anno 864. epistolam supra à me recitatam ad Nicolaum I. Papam scripsit. Hilduino itaque expulso, JOANNES anno 866. Cameracensis Episcopus est constitutus: ut idem Baldericus lib. cit. cap. 49. commemorat.

(1) JUDITH Caroli Calvi Francorum Regis filia primùm Edilulfo Regi Anglorum nupserat: ut Acta coronationis à Sirmondo, cum Capitulis Caroli Calvi, edita declarant. Edilulfo mortuo, cum Judith rediisset in Galliam, BALDUINUM FERREUM, Flandriæ Comitem, ipsius nuptias appetentem, patre inscio, sed *Ludovico* fratre, ut ferunt, approbante, volens secuta est.

BALDUINUS tamen quasi raptor est accusatus, &

qui antea conjunctioni hujusmodi contradicebant, hac defensione, ut eis visum fuerat, se protegentes, sed (sicut se habet veritas) salute nudantes, ab istius novissimæ vestræ epistolæ verbis recedere noluerunt, quam sine proclatione eorum conjunctionem debere fieri demonstrare dicebant.

DICENTI verò mihi, quia pro nulla potestate terrena, quod de Ecclesiasticis regulis intelligerem, dimittere deberem: maximè cùm etiam mecum, imò cum Deo, Domnus Rex noster, filius vester, CAROLUS faceret, quasi consulendo mihi quidam hoc dederunt consilium, in quo non meis, sed verbis eorum utar, quæ mansuetudo vestra, velut exemplum & doctrix disciplinæ Dei, mitis & humilis corde, ac patiens æquanimiter sustinebit, dicentium: ut quia non secularis, sed ecclesiastica potestas de hoc mihi negotio imperaret, conspirationem resistentium aliquantulum declinarem, ne quisquam æmulus noster vestræ Sanctitati suggereret, quasi in contemptum sancti Apostolatûs vestri, & Sedis Apostolicæ hoc egissem, & vestræ mansuetudinis erga me animum commoveret, & quamcumque excommunicationem, sicut pro *Rothado* actum fuerat (quod tamen ad me non pervenit, nisi quantum *Odo* Episcopus, & postea *Luido* detulit, antequam ad auctoritatem vestram gestorum seriem inde mittere valuissemus: vel quomodo res gesta fuerit, per Legatos vestros rescireti) obtineret: præsertim cùm in hac epistola vestræ auctoritatis legatur, quod si aliter egissemus, quàm in ea scriptum est, gratiâ & communione vestrâ frui nequaquam valeremus.

Quò contra mihi dicenti, hoc in epistola vestra ob id posuisse, ne femina illa à nobis deciperetur, & non ob hoc, ne Ecclesiæ satisfaceret: responderunt, cur aliter vellem vestram epistolam intelligere, quàm vobis placuit eam componere, cùm de in præterito mihi transmissis, ejus sensum possem manifestè cognoscere.

QUAPROPTER memor præteritarum epistolarum, mihi & Episcopis regni filii vestri Domni CAROLI à Vobis missarum, attendens etiam quæ in epistola nuper per LUIDONEM mihi Benignitas vestra mandaverat, hæc enim in *Antisiodoro*, post adventum Luidonis, ventilabantur) inter metum præteritarum; & spem posterioris epistolæ, mihi mitiora monstrantis, contentionem in hac causa dissimulando vitavi, & condescensionem quasi in tempus aliud differendo, dissimulavi, exspectans ut in caussæ hujus, quæ instat dispositione vestrâ, ex *Rothado* discere valeam, qualiter de reliquo in hujusmodi agere debeam. Auxerre.

SICQUE nihil nobis de ecclesiastico ministerio eis interdicentibus, sed tantùm quod valuimus nostram præsentiam ab hoc negotio subducentibus, BALDUINUS & JUDITH jura legum secularium, quæ elegerunt, exequi studuerunt.

DOMNUS etiam noster Rex, filius vester, huic desponsationi & conjunctioni interesse non voluit, sed missis publicæ rei ministris, sicut Vobis promisit, secundùm leges seculi eos uxoriâ conjunctione ad invicem copulari permisit, & honores BALDUINO pro vestra solummodo petitione donavit.

metu Caroli Calvi in regno Lotharii delituit, quoad Carolus, Nicolai I. Papæ litteris ac precibus flexus, annuit, ut nuptiæ solennes Antisiodori celebrarentur anno octingentesimo sexagesimo quarto: ut ex Hincmari ad Nicolaum I. epistola, quam supra recitavimus, colligere licet. Est enim ea scripta mense decimo post obitum Theodorici Cameracensis Episcopi, quem anno 863 Nonis Augusti obiisse Baldericus lib. citato cap. 47. disertè tradit.

QUOD ergo scribunt non pauci, Balduinum uxorem suam rapuisse, aut furatum fuisse, ideo dictum puta, quod illam, sine patris assensu, duxerat. Volcotem alioqui, ut dixi, secutam fuisse, Balduinus ipse semper affirmavit; ut Nicolai Papæ ad Carolum epistola 2 testatur: *Qui vestram se habere indignationem, eò quòd Judith filiam vestram, illum præ ceteris diligentem, sine vestra voluntatis consensu, in conjugium elegerit, eamque volentem acceperit, ore proprio retulit.*

(2) QUOD ANATHEMATIS VINCULO. De raptu Judithæ & anathematis inscriptionibus contra Balduinum Ferreum directis, Suffraganeis & vicinis Episcopis, vide Florent. Vander Haer des Chatelains de Lille lib. 1. cap. 3.

CAPUT XIX.

CAROLUS CALVUS *Francorum Rex prædia Gandensi S. Bavonis Monasterio olim collata confirmat, anno 864.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus gratiâ Dei Rex.

SI erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eique in eisdem locis famulantes, beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum industria, quia vir venerabilis, Noviomensium sive Tornacensium Ecclesiarum Præsul (1) REINHELMUS, curam ministerii sui gerens, nec non etiam carissimus fidelis noster ADELMUS Comes, qui & largitu nostro Rector Monasterii S. Petri, & S. Bavonis, quod vocatur *Gand*, super fluvium *Schald* siti, pari devo-

(1) REINHELMUS Episcopus Noviomensis ac Tornacensis, Flodoardo in Hist. Remensi lib. 3. cap. 19. Ragenelmus, Papinio Massono Ragenelinus, aliis Rainelmus, aut Remelinus.

devotione ad nostram accedentes magnificentiam, innotuerunt, (2) Canonicos ipsius cœnobii, Domini ac genitoris nostri Ludovici gloriosi Imperatoris, ceterorumque prædecessorum nostrorum Regum, ex villis suorum usibus delegatis, confirmationis quondam habuisse præcepta, sed nimiâ infestatione paganorum, nostrisque præpedientibus peccatis, eadem deperisse, ignique cremata fuisse.

Unde humiliter nostram deposcentes Serenitatem, petierunt denuo memoratis sanctis fratribus nostrâ benignitate idem renovari, ac restitui confirmationis præceptum, quo irrefragabiliter, nulloque inhibente, villis ac rebus ipsius Abbatiæ, suorum scilicet usibus à priscis temporibus delegatis, liberiùs deinceps uti valerent, id est, in pago *Gandense*, in villa quæ dicitur (3) *Marka*, quidquid ex ratione S. Bavonis ibidem adspicere videtur, & in pago (4) *Brachbatense* in villa *Uncorminia*, similiter cum omnibus suis adjacentiis, & in villa (5) *Flitherſala*, cum omnibus quæ ibidem pertinere noscuntur, & villa (6) *Gisingarule*, similiter cum cunctis appendiciis suis in pago verò *Mempisco*, in villa (7) *Helsca*, cum omnibus suis appendiciis, & in pago *Cameracense*, in villa *Colonia* quidquid ibidem attinet; in pago quoque *Suessonico*, in villa (8) *Vaesle*, medietatem vinearum, & Ecclesia, quæ ibi noscitur esse sita, & in pago (9) *Medelentense*, in villa *Sohelnum*, quidquid ibidem pertinet; in pago etiam *Flandrense Illumariscum*, cum vel quidquid ibidem aspicit, & in *Friesinse* similiter.

Unde animæ nostræ saluti consulentes, eorum petitionibus, quia rationabiles satis ac salutiferæ visæ sunt, libenter assensum præbuimus, ac propterea hoc magnitudinis ac celsitudinis nostræ præceptum memoratis sanctis Fratribus fieri daríque jussimus; per quod prælibatas villas atque res, sicut in eorum præceptis pleniùs continuisse visum fuit, cum omnium rerum ad se pertinentium summa integritate confirmamus, perenniter eorum usibus famulandum ac nemine inquietante, aut subtrahente vel diminuente, sive commutante, non Abbate, nec ullâ judiciariâ potestate, decernimus jure perpetuo servienda, & pro eorum libitu vel necessitate atque utilitate ordinanda: quarum sumptibus sustentati, uberiùs pro nobis & conjuge cara, quæ cum prole ac regni à Deo nobis commissi & conservandi statu & pace, omnipotentis Dei misericordiam jugis precibus eorumdem exorare delectet.

Ut autem hæc nostræ renovationis atque confirmationis auctoritas majorem in Dei nomine, per supervenientia tempora, obtineat vigorem, manu propriâ hac sub charta confirmavimus, annulique nostri impressione assignari jussimus.

Signum Karoli gloriosissimi Regis.

Datum V. Idus Octobris, Indictione XII. Anno XXV. regnante Karolo gloriosissimo Rege. Actum apud (10) *Pettingehem* villam in Dei nomine feliciter. Amen. An. 868.

(2) Canonicos. Nota Canonicos, non Monachos anno 864. in S. Bavonis Monasterio resedisse. Vide supra cap. 14.

(3) Marka. Fortè *Cortemarck*, Vicus prope *Torholtum* & *Winendaliam*. Sunt & aliæ alibi *Marcka*, ut *Marck en Pevele*, & *Marck en Barrois*, uterque Vicus in Castellania, ut loquuntur, Insulensi Flandrorum, ad Fl. *Marque*: ad cujus & Deulæ confluentes sita est Marquetta, Monialium Ord. Cisterciensis Abbatia.

(4) Bracnbatensis. Seu Bragbantensis pagus olim ab Alosto & Gandavo, extendebatur supra Tornacum & Condatum: ut ex Sigeberti Chron. datur intelligi.

(5) Flitnersala. Hodie *Flierseele* aut *Vlierseele*, vicus agri Alostani.

(6) Gisingarole. Hodie *Gysenzeele*, vulgò *Gyseele* per syncopen.

(7) Helsoca. Legendum videtur Helseca vel Helsca, & fortasse notatur *Esche*, vicus agri Alostani. Error, quia Mempiscus eò non extenditur. Gom.

(8) Vaesle. Fortè *Walez* prope Suessionensem urbem. *Gom.*

(9) Medelentensis Pagus, hodie *Melantois*: cujus pagi caput est Seclinium, *Seclin*, Collegio Canonicorum & Lipsanis S. Piati Martyris nobile. Quod an hic designetur per Schelinum aut Sohelnum, dubitari possit. In autographo legitur *Sohelnum*, quod nonnemo putat esse *Swallem*, vicum agri Alostani, ex vetusto S. Bavonis patrimonio. Sed obstat situs: nam in pago Medelentensi Sohelnum vel Schelinum collocant litteræ Caroli Calvi, jam recitatæ.

(10) Pettingehem. Hodie *Petinghem*, pagus seu vicus ad Scaldim, prope Aldenardam Flandriæ oppidum.

CAPUT XX.

Pactio Aquisgranensis, inter Carolum Calvum *Franciæ Regem, & ejus fratrem* Ludovicum *Germaniæ Regem, anno 870. pridie Nonas Martii, inita Aquisgrani.*

Ann. 870. Vide Chronicon Reg. ad hunc annum.

Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 870. Indictione tertiâ, pridie Nonas Martii, (1) anno XXXII. Karoli gloriosi Regis, Aquisgrani palatio, hæ pactiones inter ipsum & Hludovicum Regem, fratrem ipsius, factæ sunt.

(2) Ingelramnus Comes ex parte Karoli Regis.

Sic promitto ex parte senioris mei: quòd senior meus Karolus Rex fratri suo Hludovico Regi talem portionem de regno Hlotharii Regis consentit habere, qualem aut ipsi justiorem, & plùs æqualiorem, aut communes fideles eorum inter se invenerint. Nec eum in ipsa portione, vel in regno, quod

antea tenuit, per aliquam fraudem vel surreptionem, decipiet, aut forconsiliabit, si frater suus *Hludovicus* eamdem firmitatem & fidelitatem, quam ex parte senioris mei illi habeo promissam, iste frater suus *Hludovicus* seniori meo ex parte sua, quamdiu vixerit, inviolabiliter servaverit.

ITEM LEUTFRIDUS Comes ex parte HLUDOVICI Regis.

SIC promitto ego ex parte senioris mei, quod senior meus HLUDOVICUS Rex fratri suo KAROLO Regi talem portionem de regno HLOTHARII Regis consentit habere, qualem aut ipsi justiorem, aut plùs æqualiorem, aut communes fideles eorum inter se invenerint. Nec cum in ipsa portione, vel in regno, quod antea tenuit, per aliquam fraudem vel surreptionem decipiet aut forconsiliabit: si frater suus KAROLUS eandem firmitatem, & fidelitatem, quam ex parte senioris mei habeo promissam, iste frater suus *Karolus* seniori meo ex sua parte, quamdiu vixerit inviolabiliter servaverit.

HÆC eadem tertius *Theodoricus* Comes, ex parte gloriosi Regis *Karoli*, & quartus *Radulfus* Comes ex parte HLUDOVICI prosecuti sunt.

ISTI præsentes fuerunt.
* LEUTBERTUS Archiepiscopus,
* AFRIDUS Episcopus,
* ODO Episcopus,
ADALELMUS Comes,
INGELRAMNUS Comes,
LUITFRIDUS Comes,
THEODORICUS Comes,
ITEM ADELELMUS Comes.

* In Historiis Ecclesiasticis leguntur anno 870. Leutbertus Archiepisc. Moguntiæ, Alfridus Episc. Hildesiensis & Odo Episcopus Belovacens. celebres hisce temporibus Præsules.

LUDOVICO, Germaniæ Rege, ægrè ferente regnum LOTHARII, anno 869. mense Junio Placentiæ in Italia defuncti, universum à CAROLO CALVO usurpari, initâ per utrinsque Legatos apud Aquasgrani pactione, conventum est, ut regnum istud inter ipsos æquis portionibus divideretur. Itaque facta est ea Divisio, quæ proximo capite continetur, quamque Aimoinus lib. 5. cap. 25. & Petrus Pithæus in Scriptoribus XII. coætaneis recitant.

(1) ANNO XXXII. KAROLI. Initium annorum Caroli Calvi à XII. Kalendas Julias ducendum esse Jac. Sirmondus in Notis ad Capitula ejusdem Caroli, tit. 35. rectè docuit. Hinc sequitur, Martio mense anni 870. nondum expletum fuisse annum ejus tricesimum. Quare scribendum hoc loco, non XXXI. sed XXX. & eamdem ob caussam in titulo cap. sequentis legendum XXXI. non XXXIII.

(2) INGELRAMNUS. Camerarius hic Caroli Calvi fuit, eique intimus. Postea tamen, suasu Richildis Reginæ, honoribus exutus, ad Ludovicum Germaniæ Regem transiit, eique auctor fuit, ut in Galliam cum exercitu iterum anno 875. veniret: ut Aimoinus lib. 5. cap. 32. narrat.

CAPUT XXI.

Divisio regni LOTHARII *Imperatoris, anno* 870 *VI. Idus Augusti, inter* CAROLUM CALVUM *Franciæ, &* LUDOVICUM *Germaniæ Reges fratres, facta in Procaspide ad Mosam fl. haud procul ab Heristallio.*

Vide Chronicon Belgicum ad annum 870.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCLXX. regni (1) CAROLI XXXIII. Indictione III. VI. Idus Augusti, inter gloriosos Reges CAROLUM & HLUDOVICUM, fuit hæc Divisio regni facta, in (2) Procaspide, super fluvium Mosam.

Et hæc est portio, quam sibi HLUDOVICUS *accepit.*

COloniam. *Colen*, ad Rhenum.
Treveros, *Trier*, ad Mosellam.
Utrech, *Ultrajectum*, ad veterem Rheni alveum.
(3) Stratsburch, *Argentoratum*, ad Rhenum.
Basulam, *Basel*, ibidem.
(4) Abbatiam Suestre, *Susteren*, in Ducatu Juliacensi.

Berch,

HANC ipsam divisionem Aimoinus, Pithæus, & Sirmondus in Capitulis Caroli Calvi recitant. In ea quàm plurima erant menda seu vitia: ego remedium & lucem (quod à nemine hactenus præstitum) adferre conatus sum. Tu Lector fave, & juva.

REGNUM Lotharii, *Lotryck*, vulgò Lotharingia, à Lothario primo Lotharingiæ Rege, Lotharii Imp. filio, sic nuncupata. Cujus quidem Lotharii Regis anno 869. Placentiæ sine prole legitima defuncti, regnum, inter se patrui duo, Carolus Calvus Franciæ, & Ludovicus Germaniæ, Reges, anno 870. diviserunt; excluso Ludovico II. Imperatore, Lotharii fratre, cui regnum hereditario jure debebatur. Carolus porrò à regni proceribus accitus, Virduni Hattonem Episcopum, Metis Adventium illius urbis Præsulem, & Franconem Tungrensem, aliosque plurimos in fidem suscepit. Exinde V. Idus Septembris Metis in Basilica S. Stephani ab Episcopis plurimis publicè coronatus est. Habuit autem uxores duas, *Hermintrudem* Vodonis Comitis filiam, quam anno 841. duxit, & *Richildim*, Bosonis Provinciæ Regis sororem. Liberos reliquit, *Ludovicum Balbum* Regem Francorum, *Judithàm* primùm Edelulfo Angliæ Regi, post Balduino Ferreo Flandriæ Comiti nuptam, & *Ermentrudem* Abbatissam Hasnoniensem.

(1) CAROLI XXXIII. Legendum XXXI. ob caussam superiore capite allegatam.

(2) IN PROCASPIDE. Fortè legendum *in Procuspide*, hoc est, in promontoriolo seu lingua in Mosam prominente. Ut ut sit, locus, in quo Carolus & Ludovicus colloquium habuerunt, fuit inter Heristallum & Marsnam, in Diœcesi Leodiensi. Aimoinus lib. 5. cap. 25. *Carolus Pontigonem veniens Legatos accepit, nuntiantes ut ipse ad Heristallium veniret, & frater ejus Hludovicus ad Marsnam venturus esset, & in medistullio eorumdem locorum Kalendis Augusti colloquerentur.* Et post alia: *Tandem V. Kalendas Augusti ad locum colloquii convenerunt.*

(3) STRATSBURCH. In tota hac enumeratione nulla fit mentio Moguntiæ, Spiræ, & Vormatiæ: eò quod illæ civitates ad regnum Lotharii (cujus hic divisio proponitur) non pertinuissent, sed ad regnum Ludovici Transrhenani. Atque hi nimirum pagi fuerunt, qui propter vini copiam, Transrhenanis Provinciis ad-

(5) Berch, *prope Ruremundam.*
(6) Niu monasterium, *fortè Huy.*
Castellum, *Kessel*, ad Mosam.
Indam. *S. Cornelis-Munster*, prope Aquasgrani.
S. Maximini, *prope Treveros.*
Epternacum, *Echternach*, oppidum & Abbatia in Ducatu Luxemburgensi.
Horreum, *Treverense* Monasterium.
S. Gangulsi, *S. Gengoul.*
Favernacum, *Faverney*, Abb. in Comitatu Burg.
Polemniacum, *Poligny*, oppidum ibidem.
Luxovium, *Luxeuil*, oppidum & Abbatia ibidem.
Luteram, *Lure*, Abbatia in Alsatia.
(7) Balmam, *Baulme les Nonnes.*
(8) Offonis villam, *S. Leger.*
(9) Megeni Monasterium, *Moien-Moustier* Abbatia in Loth.
S. Deodati. *S. Diey*, in Loth. ad Murtham.
Bodonis Monasterium, *Bodonville*, in Vozago monte.
Stivagium, *Estivay*, Abb. in Loth. ad Murtham.

Novum Castellum. *Aix* Not. Eccles. Belg cap. 40.

* In Historiis Ecclesiasticis leguntur anno 870. Leutbertus Archiepisc. Moguntiæ, Altfridus Episc. Hildesiensis & Odo Episcopus Bellovacensis, celebres hisce temporibus Prælates.

(10) Romerici Montem. *Remiremont in Loth.*
Morbach, *Murbacum*, in Alsatia.
S. Gregorii.
Mauri Monasterium, *Maur-Munster.*
Eboresheim, *Abbatia.*
* Homowa.
Masonis Monasterium, *Maes-Munster.*
Homburg.
S. Stephani Stratsburch.
Erenstein.
S. Ursi in Salodoro. *Soleurre.*
(11) Grandi vallem, *Grandvaux.*
(12) Altam petram, *Haulte-pierre.*
(13) Justinam, *fortè, Mont Justin.*
Vallem Clusæ, *Vaucluse* in Comitatu Burg.
(14) Castellum Carnonis, *Chastel-chalon.*
(15) Heribodesheim, *Abbatia.*
Abbatiam de Aquis.
Hoenchirche.
Augustchirche.
Comitatum Testrebant, *Teysterbant.*
Batua, *Betuwe.*
(16) Hattuarias, *ad fl. Neers* in Geldria.

Masau

jecti sunt. cum Ludovici Pii filii, ***Ludovicus***, ***Carolus Calvus***, & ***Lotharius Imp. anno*** 843. paternum imperium inter se dividerent.

Suestra datur S. Willibrordo anno 714. à Pipino Herstallio. Orig. Bened. c. 22.

(4) Abbatia Suestre. Vulgò *Susteren.* Susterense Nobilium Virginum Canonicarum Collegium, in Diœcesi Leodicensi, & Ducatu Juliacensi situm intellige: quod Monasterium à S. Willibrordo Archiepiscopo Ultrajectino inchoatum, ***Suendeboldus*** Lotharingiæ Rex postea auxit, ampliterque dotavit, qui & ibidem sepultus jacet.

Prima loci Abbatissa fuit ***B. Amelberga:*** sub cujus disciplina enutritæ fuerunt duæ filiæ ejusdem Regis Suendeboldi, ***B. Benedicta***, & ***B. Cæcilia***, quæ Amelbergæ in præfectura ex ordine successerunt.

In eadem Ecclesia quiescunt *SS. Gregorius* & ***Albericus*** Ultrajectenses Episcopi, itemque ***B. Vastradis***, mater ejusdem Gregorii Episcopi. Horum corpora à diversis Episcopis Leodiensibus è terra sunt elevata, & in feretris decenter locata.

* Sic ferè Joannes Molanus, die 13. Augusti, ex vetusto codice Missali ac Matutinali Domicellarum seu Canonicarum Susterensium. in autographo Natalium Belgicorum, quod Lovanii ms. adservatur apud Zangrium Bibliopolam, quodque à me auctum & Notis illustratum spero typis aliquando edendum. Natales namque Sanctorum Belgii, qui nunc exstant, non ab ipso Molano, sed à Petro Lovio, ex Schedis Molani in ordinem sunt digesti atque editi, jussu ***Henrici Cuquii***, tunc Lovaniensis Academiæ Cancellarii, post Ruremundensis Episcopi, me Lovanii in Studiis Theologicis tunc agente. Autographum verò, quod per iniquitatem temporum, ab obitu Molani perierat seu latuerat, demum post editionem Lovianam est inventum.

(5) Berch. Latinè Mons S. Petri, aliàs Mons S. Odiliæ ad Ruram fluvium, uno milliari à Ruremunda Geldriæ urbe: quem locum ***Pipinus Herstallius*** Francorum Dux S. Wironi Episcopo, ex Scotia ad prædicandum Evangelium, illius ævi more, venienti dono dedit. Is cum sociis suis SS. Plechelmo, & Otgero, ibi monasterium ædificavit. Eumdem locum postea, Normanis per Belgicam sævientibus, Canonici Ultrajectini incoluerunt, Lothario Rege donante an. 858. extatque Lotharii Diploma apud Hedam in Hist. Ultraject. (Est Lotharii Loth. Regis quia nuncupat patrem suum Lotharium Imp. & Hermetrudem Matrem.) Spectantur ibidem hodieque veteris Monasterii rudera.

(6) Niu Monasterium, Castellum, Indam. Ex adjunctis liquet, hîc non designari Castellum Morinorum, ***Kessel*** ad Mosam, sed Novum Castellum, nominatum cap. 23. Notit. Eccles. in notationibus, nempe urbem Aquisgranensem quæ Pipino Herstallio aliisque posteris, ut supra notatum est, fuit in deliciis. Est & aliud novum Castrum in agro Cameracensi. De quo cap. 45. infra.

(7) Balma. Seu potius Palma, oppidum est Comitatus Burgundiæ, decimo miliari à Vesontione situm, cujus hodie muris inclusum est vetustissimum cœnobium monialium Benedictinarum, ***Baulme les Nonnes*** nuncupatum. Cœnobium illud, vivente adhuc S. Desiderato XI. Vesontionensi Archiepiscopo, ædificari cœptum legimus, perfectum deinde ab ejus Successore S. Germano, ab eoque virginibus Deo sacratis attributum: à Vandalis postea eversum, ac deinde circa an. 600. à Warnario, Palatii Burgundici Comite, reædificatum & proventibus auctum.

Exstat ibidem insigne ejusdem Warnarii lapideum monumentum: cui insculptum est Guntramni Regis somnium, quod Aimoinus lib. 3. cap. 3. narrat. Vide plura apud Chiffletium in Vesontione.

Vocatur autem vulgò ***Balma Nonnarum*** seu Monialium, ad discrimen faciendum à Balma Monachorum Ord. Cluniac. Abbatia in eodem Burgundiæ Comitatu.

(8) Offonis Villa. Hodie *S. Leger:* de quo loco sic in MS. Chronico S. Benigni Divionensis, quod circa an. 1060. desinit, legitur: ***Burchardus Comes dedit locum, Offonis villa dictum, quondam nobilem Abbatiam, in honore S. Leodegarii consecratam.***

(9) Megeni Monasterium. Est, nisi fallor, ***Moien-Moustier***, Abbatia in Lotharingia. In Burgundiæ Comitatu, est Prioratus ***de Mieges*** in monte Jura.

(10) Romerici Mons, oppidum & Monasterium à S. Romarico, Avendi Comite, circa an. 638. fundatum: quod est hodie nobilium virginum Canonicarum collegium in Lotharingia.

(11) Grandis Vallis, ***Grand Vaux***, olim Abbatia celebris in monte Jura, nunc Prioratus, cum Abbatia S. Claudii Jurensis unitus.

(12) Alta Petra ***Haulte Pierre***, Abbatia in Lotharingia: aut ***Moustier Haulte Pierre***, Prioratus Ord. Cluniacensis in Burgundia.

(13) Justina. An Castrum est in Burgundia, vulgò ***Mont-Justin?*** An Prioratus Ord. Cluniacensis ***Jussé*** vel ***Joué?***

(14) Castellum Carnonis vulgò ***Chastelchalon***, Abbatia monialium vetustissima, in oppido ejusdem nominis apud Burgundos: ut me docuit. V. CL. Joan. Jac. Chiffletius.

(15) Heribodesheim. Abbatia. cujus infra fiet mentio in Diplomate Ludovici Germaniæ Regis an. 908. dato.

(16) Hattuarii, sive Attuarii ad Nirsam fl. ha-

Masau subterior de ista parte, *Onder-Maeslandt*.
Item Masau superior, quod de ista parte est, *Opper-Maeslandt*.
Liugas quod est de ista parte, *Liege*.
Districtum Aquense, *Aken*, *Aix*.
Districtum Tectis seu Tetis, inter *Franchimont & Fraipont*.
In (17) Ribuarias Comitatus V. *ad Ruram fl.*
Megenensium, *Meyen*, prope Andernacum.
(18) Bedagowa, *Bidburg*, versus *Meyen*.
Nitachowa, *ager ad Nidam fl.* in Lotharingia.
(19) Sarachowa subterior: *ad fl. Sar*, in Loth.
Blesitchowa, *Blis*, versus Treveros.
(20) Selme, *Salme*, ad Saram fl.
Albechowa, *Sar alben*.
Suentisium, *Sanctoy* in Lotharingia.
Calmontis, *Chaumont* ad Mosellam in Loth.
Sarachowa superior, *Sargou*.
Odornense, quod Bernardus habuit. *Darney*, in silva Vosago.
Solocense, *Solieu*, in Burgundia.
Basiniatum, *Bassigny*.
(21) Elischowe, *ager Alisiensis*, vel *Elsatius*.
(22) Warasch, *Comitatus de Varesco*.
(23) Scudingum, *Salins*, in Comitatu Burg.
Emaus.
(24) Basalchowa, *ager Basileensis*.
In Elisatio Comitatus II. *Elsaten*.
De Frisia duas partes.

DE regno quod HLOTHARIUS habuit super istam Divisionem, propter pacis & caritatis custodiam, superaddimus istam adjectionem.

Civitatem Mettis, cum Abbatia S. Petri & S. Martini & Comitatu (25) Moslensi, cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis, quàm & vasallorum. De Arduenna, sicut flumen Urta surgit, inter Bislanc & Tumbas, ac decurrit in Mosam: & sicut (26) rectâ viâ pergit in Bedensi, secundùm quod communes fideles nostri rectiùs invenerint, excepto quod de Condustro est ad partem Orientis trans Urtam.. Et Abbatias Prumiam, & Stabolau, cum omnibus villis dominicatis & vasallorum. Metz. Ourt. Condroz. Prum. Stavelo.

Et hæc est portio, quam CAROLUS *de eodem regno sibi accepit.*

(27) LUgdunum *Lion*.
Vesontium *Besançon*.
Viennam *Vienne*.
Tungris *Tongre*.
Tullum *Toul*.
Viridunum *Verdun*.
Cameracum *Cambray*.
Vivarias, forte *Viviers*, in d. Metensi.
Ucetia, in d. Metensi.
(28) Montem Falconis, *Montfaulcon ad Mosam*.
(29) S. Michaelis, *S. Miel* in Lotharingia.
(30) Culdini Monasterium, *Col-Moustier*.
(31) S. Mariæ in Bisontione, *Jussanum monasterium*.
(32) S. Martini, in eodem loco.
(33) S. Eugendi, *S. Oyan de Joux* vulgò *S. Claude*.
S. Marcelli, *à Chalon*.
(34) S. Laurentii, *S. Laurent* in Comitatu Burg.
Leudensi.

Senno-

bitabant: ut ex Chronico Laurishamensi, quod in tomis Rerum Germanicarum exstat, colligi datur. Nersa autem, *Neers*, medio ferè itinere inter Rhenum, & Mosam, per Wachtenduncam, Gelriam, Goch, aliaque ditionis Clivensis oppida lapsus, infra Gennapiam Mosæ immergitur.

(17) RIBUARII. Seu potiùs Ripuarii ad Ruram in Annalibus Pithæanis distinctè collocantur: suntque Juliacenses hodie cum accolis. Compilator Chronici Trudonensis, quod apud me MS. exstat, part. 1. lib. 2. cap. 20. *Est autem Ribuaria terra victualibus abundans, sub qua Comitatus Juliacensis, aliorumque Principum fortalitia continentur.*

(18) BEDAGOWA. Id est Bidburgensis ager versus *Meyen*.

ALIUS est vicus Beda, Antonino notus in Itinerario, hodie *Bidburg*, oppidum Ducatûs Luxemburgensis, inter Augustam Treverorum & Ausanam vicum, nunc *Palleschett*. Porrò *Gow* vel *Gau* idem est quod ager seu terra.

(19) SARACHOWA. Ager ad Saram seu Saravum fluvium.

(20) SELME. Salme Comitatus ad Saram fl.

(21) ELISCHOWE seu ELISGOW, id est, ager Elisatiæ seu Alsatiæ.

(22) WARASCH. Tractus Sequanorum seu Burgundionum, qui etiamnum dicitur Comitatus de *Varesco*.

(23) SCUDINGUM. Hodie oppidum Salinense, seu Salinarum, in Comitatu Burgundiæ. In ms. vita S. Anatolii, Salinensis Ecclesiæ & urbis patroni: *Vallis Romano itineri pervia, Scodinga in Sequanis, ubi nunc Salinarum locus.* Salins.

(24) BASALCHOWA Basileensis ager.

(25) MOSLENSI seu Mosellensi Comitatu, ad Mosellam fl. quem Ausonius jam olim accuratè descripsit.

(26) RECTA VIA. Id est, Via militaris Romana, quæ in pago Bedensi, nunc Ducatu Luxemburgensi, populariter *Herestrate* aut *Heydenstrate* nuncupatur. *Here* majoribus nostris idem quod exercitus. *Heyden* Latinè sunt Ethnici seu Pagani: à quibus Vias militares ante Christum natum stratas vulgus credit.

Explicatio portionis, quæ CAROLO CALVO *cessit.*

(27) LUG. VES. VIENNA. Non fuerant hæ civitates in antiquo Lotharii regno, sed eidem postea ex Caroli fratris successione obtigerant.

(28) MONTEM FALCONIS. *Montfaulcon*, vicus prope Vesontionem, ad gentem Nassaviam spectans, à quo multæ toparchiæ dependent?

(29) S. MICHAELIS. Abbatia in Diœcesi, sive, ut Sigebertus in Chronico ad an. 667. loquitur, *in Parochia Virdunensi, supra Mosam, fundata à Vulfoaldo Majore domus Hildrici Regis.*

(30) CULDINI MONASTERIUM. An *Calmoustier*, vetus Canonicorum Collegium in Burgundia?

(31) S. MARIÆ IN BISONTIONE. Jussanum Monasterium in urbe Bisontina intellige, quod primùm fuit monialium, post Monachorum Benedictinorum, nunc est Minimorum ab an. 1607. ut Chiffletius in S. Donato XXV. Archiepiscopo Vesontionensi docet.

(32) S. MARTINI IN EODEM LOCO. Superest Ecclesiola seu Sacellum vetustissimum S. Martini, in claustro, ut loquuntur, S. Stephani Bisontini.

(33) S. EUGENDI. Ita legendum, non *S. Augentii*: designatur autem Abbatia Jurensis, quæ nomen *S. Eugendi*, conditoris, ac primi Abbatis, aliquot seculis gessit, nunc *S. Claudii*, in Diœcesi quidem Lugdunensi, sed in Comitatu Burgundiæ sita. S. Claude.

(34) S. LAURENTII. Vide, an notetur Prioratus Cluniacensis S. Laurentii de Rupe, in Comitatu Burgundiæ, *S. Laurent de la Roche*.

Sennonem, *Senone* Abbatia in Lotharingia.
Abbatiam Mellam.
Melbarium. *Maubeuge*, in Hannonia.
(35) Laubias, *Lobbes* Abbatia ad Sabim.
(36) S. Gaugerici, prope Cameracum.
(37) S. Salvii, prope Valentianas.
(38) Crispinio, *Crespin*, in Hannonia.
(39) Fossas, *Fosse*, in Diœc. Leodiensi.
(40) Marilias, *Maroilles*, Abbatia in Hannonia.
(41) Hunulcurt, *Honnecourt*, in Diœcesi Camer.
(42) S. Servatii, *S. Servais*, Trajecti ad Mosam.
(43) Malinas, *Malines*, ad Demeram.
(44) Ledi, *Lier*, in Brabantia ad Netam fl.
(45) Sunniacum, *Soignies*, in Hannonia.
(46) Antonium, *Antoing*, prope Tornacum.
(47) Condatum, *Condé*, in Hannonia.
(48) Merrebecchi, *Meerbeke*, prope Ninoviam.
(49) Ticlivinni, *Dickelvenne*, prope Gerardimontem, quarto lapide ab eo distans inter Aldenardam & Gandavum.
(50) Luitosa, *Leuse*, in Hannonia.
Calmontis, *Calmont*, in d. Leod.
(51) S. Mariæ in Deonant, *Dinant*.
(52) Echa, *Eyck*, prope Masëicam.
(53) Andana, *Andenne*.
(54) Wassoi, *Wasser* in Fania.
(55) Altum Montem, *Haultmont*.
(56) Comitatum Texandrum, *Kempenlandt*.
(57) In Brachbanto Comitatus IV, *Brabant*.
Cameracesium, *Pays de Cambresis*.
(58) Hanioum, *Hainau*.
(59) Lomensem, prope Namurcum.
In Hasbanio Comitatus IV. *Hasbaie*.
Masau superior de ista parte Mosæ, *Maeslandt*.
Masau subterior, quantum de ista parte est.
(60) Liugas, quod de ista parte Mosæ est, & pertinet ad Vesatum. *Liege*, *Viset*.
(61) Scarponnense, *Scarpeigne* ad Mosell. in Loth.
(62) Viridunense, *Le Verdunois*.
Dulminse.
(63) Arlon, in Ducatu Luxemburg.
Vavrense Comitatus II. *Terre de Vaisure*, aliàs *Wavart* ad Carum fl. in Lotharingia.
(64) Mosminse, *Mouson*.
Castricium, *Chastrice*, in Diœc. Catalaunensi.
(65) Condrust. *Condroz*.
De Arduenna sicut flumen Urta surgit inter Bislane & Tumbas, ac decurrit ex hac parte in Mosam: & sicut rectâ viâ ex hac parte Occidentis pergit in Bedensi, secundùm quod Missi nostri rectiùs invenerint.
Tullense, *Toul*.
Aliud Odornense, quod Termarus habuit.
Barrense, *Barrois*.
Portense, *Portian*.
Salmoringum, *Semurre*, in Ducatu Burg.
Lugdunense, *Le Lionnois*.
Viennense, *Le Viennois*.
Vivarias, *Vivarez*.
Ucetiam, *Usez*, in Occitania.
De Frisia tertiam partem.

C A-

Lobbes. (35) LAUBIAS. Laubium, illustris Monachorum Benedictinorum ad Sabim Abbatia, in Diœcesi quidem Cameracensi, sed sub ditione politica Episcopi Leodiensis, à *S. Landelino*, S. Auberti Cameracensis Episcopi discipulo circa an. 640 fundata.

(36) S. GAUGERICI, Monasterium in honorem S. Medardi Noviomensis ac Tornacensis Episcopi, à *S. Gaugerico* Cameracensi Episcopo, in vertice montis, prope muros illius urbis circa an. 600. ædificatum: ubi nunc arx Cameracensis, à Carolo V. Imp. excitata visitur. Baldericum in Chron. Cameracensi lib. 2. cap. 4. consule. Gaugericianum Monasterium est nunc Canonicorum Collegium, in Cameracensi Basilica S. Vedasti residens.

(37) S. SALVII. Prioratus unicus Ord. Cluniacensis in Belgica nostra, prope Valentianas, ad Scaldim, à Carolo Magno Imp fundatus: qui divinitus monitus S.Salvii Episcopi ac Martyris corpus ibi invenit, atque inventum honorificè sepelivit: ut Sigebertus in Chronico ann. 801. & Baldericus lib. 1. cap. 31. narrant.

(38) CRISPINUM, seu potiùs Crispinium, Abbatia Benedictinorum, ad duorum rivulorum confluentes à *S. Landelino*. (cujus ibidem corpus quiescit) circa ann. 650. fundata. Baldericus lib. 2. cap. 41.

(39) FOSSAS. *Fossense Monasterium S. Foillanus, Hibernus, dono S. Gertrudis Virginis Nivellensis, fundavit, ubi & quiescit*: Ut Sigebertus in Chron. an. 648 loquitur. Eginhartus, in Hist. Translationis SS. Marcellini & Petri, vocat Monasterium Scotorum: qualia olim multa Scoti sive Hiberni per Germaniam habuerunt.

(40) MARILIAS, sive Mareclias. Abbatia Benedictinorum in Hannonia à *Chonoberto*, pagi Fanomartensis Comite, fundata, & à S. Humberto sive Humberto Abbate dotata: de qua vide supra cap. 5.

(41) HUNULCURT, Hunulfi Curtis, sive Hunonis curia, Abbatia in Diœcesi Cameracensi, versus Galliam sita, à viro illustri *Amalfrido*, ejusque conjuge *Childebertana*, pro Sanctimonialibus fundata: quibus postea Canonici, ac demum Monachi Benedictini successerunt. Hodie fermè pessumdata per Abbates Commendatarios.

(42) S. SERVATII. Ita legendum, non *S. Gervasii*. Trajectense ad Mosam Collegium Canonicorum S. Servatii intellige: de quo Fastos & Annales nostros Belgicos vide.

(43) MALINAS. Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 2. cap. 47. *Apud Maslinas Monasterium est Canonicorum, ubi quiescit pretiosus Dei Martyr* Rumoldus, *genere Scotus, qui vitam eremiticam ducens ibidem martyrizatus est. Hoc autem Monasterium ab antiquitate constructum, regalibus emolumentis maximè augmentatur.* Ex quibus verbis colligi videtur, ante tempora Notgeri Leodiensis Episcopi (qui ann. 1007. obiit) Mechliniæ Monasterium aliquod fuisse, ab *Odone* Comite fortassis inchoatum, quodque Notgerus posteà prædiis ac præbendis XII. auxerit.

(44) LEDI Liranum oppidum ac Collegium Canonicorum intellige à S. Gummaro seu Guntmaro fundatum: de quo sic Baldericus lib. cit. c. 48. *Nec procul à Maslinis est Monasterium Canonicorum, quod ex propriis prædiis vir Dei* Guntmarus, *illustris Laicus, struxit, ibique sepultus diem resurrectionis exspectat.* Floruit is temporibus Pipini Francorum Regis.

Ceterùm LEDO & MALINA, ut rectè Molanus in Natalibus SS. Belgii 1. Julii notavit, apud Veteres accipiuntur pro maris recessu & accessu: ut in appendice ad tomum 3. Augustini, in lib. 1. De mirabilibus Sacræ Scripturæ, & alibi. Quibus adde quæ in vita S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini Willibaldus, ab Henrico Canisio editus, narrat: *In loco*, inquit, *ubi quondam pretiosus Sancti Martyris effusus est sanguis, cum consilio populi Fresonum, structura cujusdam tumuli, propter immensas Ledonis ac* Malinæ *irruptiones, quæ diverso inter se ordine, maris æstu, Oceanique recursu, sed & aquarum diminutione, infusioneque commoventur, ab imo in excelsum usque construeretur, &c.*

A maris certè fluxu *Malinam* & *Liram* seu *Ledonem* sua nomina accepisse, in SS. Rumoldi & Gummari historiis MS legitur.

(45) SUNNIACUM, *Soignies*, Hannoniæ oppidum: quod Baldericus libro 2. capite 46. *Sungeias* nuncupat: hodie *Sougias* dicimus. Est in eo oppido illustre Cano-

nicorum Collegium, quod fundatoris sui *S. Vincentii* Comitis ejusque filii *S. Landrici* Meldensis (ut creditur) Episcopi corpora adservat.

(46) Antonium. *Antoing*, vicum cum vetusto Collegio Canonicorum, ad Scaldim, prope Tornacum.

Condé. (47) Condatum, Hannoniæ oppidum, ad Scaldis & Hanæ confluentes, *olim regalis & dives Abbatia puellarum, nunc Monasterium paucorum Canonicorum. Ubi S.* Wasnulphus, *genere Scotus, cursu peregrinationis consummato sepultus, in pace obdormivit:* ut Baldericus cap. 42. loquitur.

(48) Merabbecht, Merbeca, vulgò *Meerbeke*, municipium haud procul à Ninovia Flandriæ oppido: in quo *Odelardus* Comes, ejusque conjux *Nona*, S. Amandi Tungrensis Episcopi soror Monasterium ædificarunt, quod est hodie Collegium septem Canonicorum, & habent Decanum & Scholasticum. Fastos nostros Belgicos 3. Febr. consule.

(49) Ticlivinne. *Dickelvenne*, vicus prope Gerardi-montem in Flandria: de quo vide Origines nostras Benedictinas, ubi de Gerardi-montana Abbatia agitur. Dickelvennâ Monasterium an. 1096. translatum est Gerardi-montem per Manassem Episcopum Cameracensem.

(50) Luitosa, seu potiùs Lutosa, Hannoniæ oppidum, *cum Monasterio Canonicorum, quod construxit* B. Amandus: *& est dives Abbatia, ubi vir Dei* Badilo *requiescit, qui corpus S. Mariæ Magdalenæ de Hierusalem in Burgundiam, in loco Verceliaco attulisse fertur:* ut Balder. cap. 43. loquitur.
Leuse.

Dinant. (51) S. Mariæ in Deonant, seu Dionanio oppido ad Mosam, quod *S. Monulphus* Tungrensis Episcopus circa an. 590. Ecclesiæ suæ dedit, quodque etiamnum Leodicensis Ecclesia possidet.

Eike. (52) Echa. Eike, vicus ad Mosam, in quo *Adelardus* ejusque uxor *Grinuara* Monasterium puellarum circa an. 730. construxerunt. Sanctimonialibus postea Canonici
Maeseike. sunt suffecti, qui inde ad oppidum vicinum *Maeseike* an. 1571. migrarunt: vide Fastos nostros 2. Octobris.

Andenne. (53) Andana. Sive Andenna, vicus ad Mosam inter Namurcum & Huium, in quo *S. Begga, Ansigisi vidua, se & sua Deo mancipans an. 686.* ut Sigebertus testatur, *Monasterium ædificavit*, quod hodie est nobilium Canonicarum Collegium.

(54) Waslot. Seu potiùs Wasserum, Monasterium à *S. Landelino* fundatum: cujus templum an. 844. *Theodericus* Cameracensis Episcopus dedicavit, petente Hariberto Abbate: ut Baldericus lib. 1. cap. 41. & lib. 2. cap. 3. testatur. Monasterium istud à Wassero rivo sic dictum, in silva Fania situm erat, nunc prorsus dirutum.

(55) Altus Mons. Est hodie Benedictinorum Abbatia ad Sabim, haud procul à Malbodio Hannoniæ oppido, à *S. Vincentio* Comite, qui & Sonegiense Monasterium condidit, fundata. Vide Baldericum lib. 2. cap. 35.

(56) Texandrum, sive Taxandrum Comitatum, hodie *Kempenlandt*, supra cap. 8. pro parte explicatum invenies in Testamento S. Willibrordi.

(57) In Brachbanto. Comitatus seu districtus olim quatuor fuere, qui tamen in hac Divisione non enumerantur. Quod nota contra Lipsium & alios, qui ex subjuncto *Lomensi* Pago seu Comitatu, *Lovensem* seu Lovaniensem fabricare conantur. Brachbantum porrò olim ab Alosto Tornacum usque, imò ultra Condatum extendebatur.

Sic & in Hasbanio, seu Hasbania, Gallis *Hasbaie*, Teutonis *Haspengow*, olim quatuor Comitatus fuere. Inter veteres Hasbaniæ Comites laudatur Robertus, Lamberti filius, qui Monasterio S. Trudonis *Halen, Velpen, Mechont*, & alias aliquot villas dono dedit, anno quinto post obitum Theodorici II. Francorum Regis: ut in ms. Chronico Trudonensi legitur.

(58) Hanioum, nunc Hannonia, *Hainau* sive *Hainon*, sic dicta ab Haina fluvio, qui mediam regionem intersecat. Teutonis *Henegau*, sive *Hainegow*, id est, ager Hainæ adjacens.

(59) Lomensis, seu Lomacensis pagus, hodie est pars magna Comitatûs Namurcensis. In hoc pago situm est *Bronium*, Abbatia à S. Gerardo fundata, & *Fossa*, oppidum ac Monasterium à S. Foillano fundatum: ut ex Ludovici Germaniæ Regis & Henrici Aucupis Diplomatibus, infra recitandis, datur intelligi.

(60) Liugas, vulgò *Liege*, medii ævi scriptores *Leodicum* vocant. Joannes Papa X. in epistola ad Carolum Regem vocat *Legiam*. Cui conformis est sigilli publici inscriptio: Legia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filia. In Capitulis Caroli Calvi ad an. 854. tit. 14. vocatur *Leudica*, hodie *Leodium*, Episcoporum Sedes, amœnissimo loco ad Mosam.

(61) Scarponinse, seu potiùs Scarponnense. Scarponna nota est Antonino in Itinerario & in Tabula Peutingeriana: nunc vicus *Sarponne* inter Tullum & Metas prope Mussipontem.

(62) Viridunum. Antonino Virodunum, nunc Virdunum, Mosæ adjacet.

(63) Arlon. Antonino in Itinerario *Orolaunnus vicus*, hodie oppidum Ducatûs Luxemburgensis, ex quo nonnulli *Aram Lunæ* effingunt.

(64) Mosminse, id est ager Mosomensis. Mosomum, hodie oppidum est ad Mosam, in quo Synodum olim habitam Flodoardus, & Annales Pithœani tradunt, Gallicè *Mouson*, olim Ecclesiæ Remensis, nunc præsidio militari tenetur à Rege Franciæ. S. Remigius in epistola ad Falconem Episcopum Tungrensem nuncupat Mosomagum, ut suspicor. A Mosomo diversum est oppidum Mussipontanum, *Mousson*, ad Mosam in Ducatu Barrensi situm, Academiâ clarum, quod Duci Lotharingiæ paret.

(65) Condrust. Condrusos Cæsar & alii veteres memorant: & nomen hodieque retinent in ditione Leodicensi, prope Huium oppidum.

Ceterum S. Gregorii Monasterium ad Ludovici portionem pertinens, de quo supra pag. 29. hodie Petri Domus *Peters-hausen* nuncupatur. Quod ex Hermanni Contracti Chron. per Henr. Canisium edito didici, in quo sic legitur: *Anno 979. Constantiæ Gamenolfus Episcopus obiit, eique Gebehardus Præsul succedens 16. annis Ecclesiam rexit, qui Basilicam S. Gregorii in Ripa Rheni, Abbatiamque ex suis prædiis construxit, quæ jam dicitur Petri Domus.* Construxit, inquam, seu potiùs ab aliis inchoatam Abbatiam auxit & perfecit.

Horreum celebre virginum apud Treveros cœnobium Dagobertus Galliæ Rex fundavit ac dotavit: cui loco prima Abbatissa præfuit *S. Irmina*, ejusdem Regis filia: vide supra pag. 11.

CAPUT XXII.

Carolus Calvus *Imp. prædia Abbatiæ Hasnoniensis anno 877. confirmat.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus misericordiâ Dei Imperator Augustus. Si servorum Dei utilitatibus subveniendo conferimus, profuturum nobis hoc ad æternam beatitudinem fore, nullo modo ambigimus.

Quapropter noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque tam præsentium, quàm & futurorum industria, quoniam fratrum & sororum necessitatibus in cœnobio Hasnon nuncupato, videlicet sito in Comitatu Atrebatensi, in pago (1) Ostrebanto, super fluvium *Scarpin*, sub tutela S. Petri Apostolorum principis, Deo militantium

tium subvenire cupientes, eorum indigentiis per (2) ERMENTRUDEM, filiam nostram, Abbatissam, patefactis, decernimus, per ejusdem Ermentrudis deprecationem, nostræ Altitudinis præcepta eis confirmari, quatenus per nostram munificentiam ad augmentum & utilitatem eorum ea perpetualiter possideant, quæ inferiùs descripta habentur. Concedimus igitur memorato Cœnobio infra ipsum Monasterium mansos duos, & cambas duas, silvamque unam, & insuper etiam de silva Abbatis, unde possint sexaginta porci saginari, nec non & in prædicto pago villam *Azinium*, cum omni integritate, exceptis tribus mansis, denique in ipso pago *Azinium*, quod est super fluvium *Scaldim*, cum omni integritate, exceptis mansis quinque & molendinis duobus, cum camba una & pratis duobus.

Azinium ad Scaldim.

PARI tenore largimur in præfato pago *Ostrebanto*, villam *Wavercium*, cum omni integritate, nec non in ipso pago in *Scaldinio*, dedimus eis octo mansos. De ipsis quoque tenet per nostram jussionem *Gotrannus*, quatuor, deprecante præfata Abbatissâ, quamdiù vixerit; postea verò recipiantur ad opus fratrum.

Wavercin ad Scaldim.

De cetero in Comitatu *Tardanensi* villam *Auciacum*, situm super fluvium *Wellula*, cum mansis undecim, nec non & de omnibus villis totius Abbatiæ omnem decimam pleniter statuimus largiendam, & si non suffecerit ad usus fratrum seu sororum, ex..... cuncta necessaria suppleantur. Et ut hoc per omnia tempora inviolabiliter permaneat, manu propriâ subscribi firmavimus, & annuli nostri impressione insigniri jussimus.

Tirencis vers. Noyon. Velle.

SIGNUM CAROLI gloriosissimi Imp. Augusti.

ODACRUS Notarius, ad vicem (3) Goselini, recognovit & subscripsit. Datum V. Idus Julii, Indictione X. anno tricesimo octavo regni D. CAROLI Regis in Francia, & Imperii ejus secundo. Actum (4) Carisiaco palatio Imperiali, in Dei nomine feliciter, Amen. Ann. 877.

DIPLOMATIS hujus meminit Meierus, in rebus an. 878. gestis. Fuit autem HASNONIUM olim utriusque sexus Monasterium, à viro nobili Joanne, ejusque sorore Eulalia ann. 670. fundatum, & à Vindiciano Episcopo Cameracensi in honorem S. Petri dicatum. Hodie est Illustris Monachorum Benedictinorum Abbatia, ad Scarpum fl. in Diœcesi Atrebatensi sita. De qua fusè egimus in Originibus nostris Benedictinis.

(1) OSTREBANTI seu Ostrovandiæ Comitatus, olim sub Comitatu Atrebatensi (in qua Diœcesi etiamnum est) nunc sub Hannoniæ Comitatu comprehenditur. Ostrovandiæ caput est hodie Bucemium, *Bouchain*, oppidum ad Scaldim. Olim & Duacum fuit in Ostrovandiæ Comitatu.

(2) ERMENTRUDIS fuit soror Judithæ, Balduino Ferreo, Flandriæ Comiti nuptæ: de qua vide supra c. 18.

(3) GOSELINI. Goslinus sive Gauslenus, primus Abbas S. Germani de Pratis Parisiensis & S. Dionysii in Francia, post Episcopus Parisiensis & Caroli Calvi Cancellarius, obiit 887. Reginone teste. Sororem habuit Bilichildem uxorem Comitis Pictaviensis.

(4) CARISIACUS, seu Carisiacum Palatium, hodie Cressiacum ad Isaram fluvium, *Cressy sur Oise*. Synodi apud Carisiacum plurimæ olim habitæ fuerunt.

CAPUT XXIII.

LUDOVICUS * *Germaniæ Rex Theoderico Comiti donat VVasdam, id est, VVasiam.*

* Forte Lotharingiæ.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. LOTHOWICUS Dei gratiâ Rex.

NOTUM sit omnibus fidelibus nostris tam præsentibus quàm futuris, quòd dilecta conjux nostra HEMMA Regina, adiens nostræ Celsitudinis præsentiam humiliter deprecata est, ut cuidam nostro fideli, scilicet THEODRICO Comiti, forestum (1) *Wasda*, in eodem Comitatu, cum pratis, aquis, terrisque aratoriis, exitibus & regressibus, cumque rebus pertinentibus ad prædictum forestum, perintegrè nostro daremus præcepto.

CUJUS petitionibus (prout dignum est) faventes, prædicto Comiti prædictum damus atque largimur forestum, ut habeat, teneat, possideat, cum suis ad se pertinentiis, tam ipse quàm sui heredes, seu cui ipse, suique heredes vendere vel mancipare voluerint, sine omni contradictione.

ET ut firmius maneat inconvulsumque servetur, hoc ei præceptum fieri jussimus, & manu propriâ subterfirmantes, sigillo nostro jussimus sigillari.

SIGNUM Domini LOTHOWICI gloriosissimi Regis.

GEZO Cancellarius ad vicem Domini Uthelrici Archiepiscopi summique Cancellarii, recognovit & subscripsit. Datum anno Domini DCCCLXVIII. Idus Aprilis, regnante Domino LOTHOWICO anno XIV. Indictione XIV.

Alii Odaldrici. An. 868. Deest prorsus vicesima in Gemmatione.

(1) WASDA, hodie Wasia, non Zelandia, neque Zelandiæ pars Walachria.

JANUS Dousa, lib. 5. Annalium Hollandiæ, suspicatur, *Theodericum* Comitem, ad quem ista Ludovici Germaniæ Regis liberalitas pertinuerit, fuisse avum *Theoderici I.* Hollandiæ Comitis, & patrem *Gerolfi*, qui ejusdem Theoderici Primi pater fuerit. Atque id quidem ex Reginone colligi posse videtur, qui ann. 885. *Gerolfum* & *Gardolfum*, Frisonum Comites, à *Godefrido* Normannorum Rege Legatos ad Imperatorem missos, & ann. 898 *Eberhardum* Ducem à *Walgario* seu *Walgero* Frisone, Gerolfi filio, in venatione per fraudem trucidatum fuisse scribit: Quem eumdem esse cum *Walgero*, Theoderici I. Hollandiæ Comitis fratre idem Dousa censet.

THEODERICUS autem, Gerolfi pater, nisi conjectura me fallit, fuit Ludovico Balbo, Caroli Calvi filio, Cubicularius; ipsique idem Balbus Comitatum Augustodunensem supremis tabulis ann. 879. legavit: ut apud Aimoinum lib. 5. cap. 39. legitur.

WALGERUM illum Dousa & alii, Teisterbantiæ Comitem nuncupant.

Ceterum istud Ludovici diploma mihi suspectum est, quòd ipsi titulus Augusti aut Imperatoris non tribuatur. Vide Comites Hollandiæ in Stemm. Belg.

CAPUT XXIV.

ARNULPHUS *Imp. Gerolfo Comiti, Theoderici I. Hollandiæ Comitis parenti, varia prædia confert, ann.* 889.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. ARNULPHUS Rex divinâ favente gratiâ.

NOTUM esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibusque nostris, præsentibus scilicet & futuris, qualiter quidam fidelis & venerabilis Comes noster, nomine (1) GEROLFUS mansuetudinem nostram deprecatus est, ut ei quasdam res juris nostri in proprium concederemus.

CUJUS petitioni libenter annuentes, ita fieri decrevimus. Dedimus namque ei inter *Rhenum* & *Suitbardes-hage*, in Comitatu ipsius, in locis *Northa* & *Osprettashem* nominatis, silvam unam & terram arabilem unam, & in loco qui dicitur *Bodokenlo* (2) hobam unam, in *Alburch* quoque hobas duas, & in *Hornum* bobam unam, & in loco *Huvi* vocato (3) mansum unam, & in loco *Theole* mansam unam, & in *Aske* mansam unam, & quidquid ad easdem hobas & mansas jure legitiméque pertinere videtur, cum curtilibus & ædificiis, mancipiis, campis, agris, pascuis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molinis, piscationibus, viis & inviis, accessibus & regressibus, quæsitis & inquæsitis, cultis & incultis, & cum universis appenditiis & adjacentiis, finibus ad præfatas hobas justè aspicientibus.

ET jussimus inde ei hoc nostræ auctoritatis fieri præceptum: per quod volumus, firmiterque jubemusut ante titulatus fidelis noster de iis omnibus ab hodierna die, & deinceps, omni tempore, liberam securamque habeat potestatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, vel quidquid exinde voluerit faciendi, absque ullius impedimento.

ET ut hæc concessionis nostræ auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris veriùs credatur, ac diligentiùs observetur, manu nostrâ subter eam firmavimus, annuloque nostro sigillari jussimus.

SIGNUM Domini ARNULPHI invictissimi Regis.

ASPERTUS Cancellarius, ad vicem OTMARI Archicapellani, recognovi & scripsi. Data pridie Nonas Augusti, incarnatione Domini DCCCLXXXIX. Indictione VII. anno secundo regni Arnulphi prudentissimi Regis. Actum Franconofurth in Dei nomine feliciter, Amen. An. 889.

(1) GEROLFUS, quem Regino lib. 2. Chronicorum. vocat Prisonum Comitem. fuit pater Walgarii seu Walgeri Comitis, & Theoderici I. Hollandiæ Comitis.

(2) HOBA, Flandris ac Batavis *Hoeve*, id est, fundus seu prædium.

(3) MANSUM sive MANSA, idem significat quod Hoba; teste Hotomanno, Comment. De verbis Feudistarum.

CAPUT XXV.

LUDOVICUS *Lotharingiæ Rex, Lobium,* * *Fossas,* * *& alia loca, Stephano Leodicensi Episcopo attribuit, seu confirmat, anno* 908.

* Vide supra cap. 23 ad Notas 35. & 39.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. HLODOVICUS, divinâ ordinante gratiâ Rex. Si Ecclesiis Dei, suisque rectoribus aliquid emeliorationis, ad majora sublevando, roboramus, dubium non est à Deo nos accepturos retributionem, propter cujus hæc agimus honorem.

QUOCIRCA omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, & nostrorum præsens futuraque comperiat generalitas, quoniam HEDRIMANNUS, Agrippinensis Ecclesiæ Archipræsul inclytus, simulque *Repebardus* & *Reginbarius* egregii Comites, ad nostræ sublimitatis accedentes excellentiam, vice STEPHANI venerabilis Episcopi, humiliter sunt deprecati, ut ob Dei, Sanctæque Mariæ, atque Lamberti Martyris amorem, cuncta quæ retro omnibus temporibus, Tungrensi Ecclesiæ fuerunt tradita à nostris prædecessoribus, pari voto, eidem habenda concederemus, ac nostræ auctoritatis præcepto inviolando tutaremur. Horum itaque petitionibus tanto libentiùs cessimus, quanto ampliùs id nobis à Patribus nostris profuturum prospeximus.

IDCIRCO hoc nostræ confirmationis præceptum fieri jussimus, per quod *Laubacensem* Abbatiam à Domino patre nostro *Arnulpho*, Rege gloriosissimo datam, in pago ac in Comitatu *Hainuensi* sitam, cujus ad præsens Comes videtur adesse *Sigebardus*, ac fiscum nomine *Tectis*, à Rege *Suendipolcho* fratre nostro concessum in pago ac Comitatu *Liuvensi* positum: cujus etiam in præsentiarum idem Comes dignoscitur existere *Sigebardus*: atque Abbatiam nomine (1) *Fossas*, per præstariam, à (2) *Gisla* Abbatissa, nostra

Id est Lobiensem.

Hainau.

stra consanguinea, nostræ voluntatis consensu, acquisitam, in pago ac in Comitatu *Lummensi* constitutam, cujus nunc adest Comes *Berengarius*: insuper teloneum, ac monetam de Trajecto, nostrâ donatione, cum consensu *Albuini*, eo tempore illius Comitis, concessam: pariter quoque Abbatiam (3) *Heribotesheim* nomine dictam, quæ à *Gerhardo* quondam Comite proprio jure habita, postea, pro culpa infidelitatis contra nostram Serenitatem exhibita, nostro cessit donatui versa, quam prælibato *Stephano* ipsius proprio affini, quandoquidem mansit semper fidelis, dare volentes: tamen suæ jam dictæ Ecclesiæ ipsius precatu dedimus: hæc nominata, & omnia cetera, cum omni suorum integritate, quæ ibi nunc sunt, vel justè acquiri poterunt, jam sæpius dictæ Ecclesiæ, Pastorique præsenti *Stephano*, & qui Dei nutu venturi sunt, æternaliter possidenda concedimus.

Eo videlicet ordinis modo, ut quidquid secundùm Dei ac suam dispositionem facere maluerint, libero, quemadmodum ex aliis ecclesiasticis rebus, in faciendo potiantur arbitrio, quatenus ob hanc nostræ mercedis seu parentum nostrorum emeliorationem, pro nobis & pro illis præsens, futurique Præsules, cum omni sibi congregatione commissa, Deum libenter exorare festinent.

Ut autem hujus nostræ auctoritatis confirmatio pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manu propriâ eam subterfirmavimus, annulique nostri impressione, insigniri jussimus.

Signum Domini Hlodovici Serenissimi Regis.

Ernuldus Cancellarius, ad vicem Ratpoti Archicancellarii, recognovit. Datum V. Kalendas Februarii, anno Incarnationis nongentesimo octavo, Indictione undecimâ, anno autem regni Domini Hludovici octavo. Actum Aquisgrani Palatio feliciter, Amen. An. 908.

Notandi hic Comites. Sigehardus Hainuensis, & Berengarius Lummensis seu Lomensis aliàs Lomacensis, in territorio Namurcensi, & Albuinus Trajectensis.

Berengario olim familiaris fuit *S. Gerardus* Abbas Broniensis, ut in hujus vita legitur apud Surium. Vide infra Henrici Aucupis Imp. diploma Cap. 30.

(1) Tectis. Fossas. Vide supra cap. 21.
(2) Gisla Abbatissa Commendataria ut loquuntur.
(3) Heribotesheim, forsè *Eberheim-Munster*, Latinè *Apri-Monasterium*, Abbatia Benedictinorum in Dioec. Argentin.

CAPUT XXVI.

Carolus Simplex, *Francorum Rex Egmondam cum appendicibus donat Theoderico I. Hollandiæ Comiti, an.* 913.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus, divinâ propitiante elementiâ, Rex Francorum.

Regalis celsitudinis est, nostros & fideles suos donis multiplicibus honorare. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris, quomodo adiens præsentiam solii nostri Hagano venerabilis Comes, expetiit à nostra mansuetudine dari cuidam fideli nostro nomine Theoderico quasdam res, Ecclesiam videlicet *Hecmunde*, cum omnibus ad eam jure pertinentibus, à loco qui dicitur *Zuutherdes-Hage* usque ad *Fortrapa*, & *Kinnem*.

Cujus petitionem benignè, uti decebat, suscipientes, concedimus præfato fideli nostro hæc omnia ex integro, cum mancipiis quæsitis & acquirendis, pratis, silvis, pascuis, aquis, sive aquarum decursibus. Præcipientesque jubemus, ut sicut reliquis possessionibus, quibus jure hæreditario videtur uti, ità ut his, nostri muneris largitate, rebus impensis valeat securè omni tempore vitæ suæ frui, ipse & omnis ejus posteritas. Unde & hoc præceptum nostræ clementiæ ei super his conscribi jussimus, per quod præcipimus atque mandamus, ut liberè hæc omnia teneat atque possideat, habeatque de his potestatem, juxta libitum suum, ordinandi seu faciendi, Deo in omnibus propitiante, & nemine inquietante.

Et ut hoc nostræ largitionis munus per succedentia tempora firmius habeatur, & attentiùs observetur, manu propriâ subterfirmavimus, & annuli nostri impressione jussimus sigillari.

Signum Caroli gloriosissimi Regis. (1) Hagano Notarius, ad vicem Rotgeri Archiepiscopi, summique Cancellarii, recognovit. Datum anno Domini DCCCCXIII. XVII. Kalendas Julias. Actum (2) Pladella villa, feliciter, Amen. Non DCCCLXIII ut antea legebatur.

Diplomatis hujus calculum, levi numeralis unius notæ seu litteræ correctiuncula, restituit Janus Dousa lib. 5. Annalium Hollandicorum: adeòque docuit, hoc ipsum *Caroli* Francorum Regis diploma, non ad *Calvi*, sed *simplicis* beneficentiam trahi oportere.

Comitatûs Holl. initium.

Ad eundem 913. Christi annum Dousa, & alii initia Comitatûs Hollandici referunt.

(1) Hagano Notarius. Alius ab isto fuit Hagano Comes patriâ Laudunensis, apud Carolum Simplicem gratiosissimus: ut constat ex Conradi Abbatis Urspergensis & Flodoardi Chronicis.

(2) Pladella, *Bladel*, extremum hodie est Campaniæ Brabanticæ municipium.

CAPUT XXVII.

CAROLUS SIMPLEX *Franciæ & Lotharingiæ Rex varia prædia Maricolensi Abbatiæ attribuit seu confirmat*, an. 921.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. CAROLUS Dei gratiâ Rex.

OMNIUM Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium præsentium ac futurorum noverit industria, quòd INGELRAMUS illustris Comes ad nostram se colligens magnificentiam, exposuit qualiter fratres *Maricolensis* Ecclesiæ, quæ constructa est in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, ubi etiam pretiosissimus Confessor *Humbertus* corpore quiescit humatus, penuriâ laborantes, divinum, ut expedit, nequeunt implere officium, & quod miseratus usibus eorum xxx. fratrum suppeditaverit res ad eamdem Abbatiam pertinentes.

Vide supra c. 5. IN pago videlicet *Laudunensi* in villa *Maceries* sive castello, ubi S. Humbertus est ortus, triginta tres mansos, & in eodem pago in villa *Salceriis* quinque mansos, & in pago *Hainao*, Werch'n. in villa *Vercinio*, super ipsum fluvium mansos decem: in eodem pago in villa *Lidencicas*, super Helpre. fluvium Helpram, mansos octo, & illos qui in *Halta* conjacent, censum solventes, & silvas ad eos pertinentes, ac cambam in ipso Monasterio, juxta pontem *Haisencias* cum appendiciis suis, & silvam juxta Monasterium suum, sub eo tenore,

ET de porcis fratrum ibi saginatis nemo pastionaticum exspectet, cum mancipiis & omnibus appendiciis ad prædictas res pertinentibus: obnixè obsecrans, ut has res usibus ac stipendiis eorum, præcepto nostræ auctoritatis jure firmissimo delegare dignaremur.

CUJUS salubribus monitis faventes, hoc præcellentiæ præceptum fieri, & dictis fratribus dari jussimus, per quod prædictas res omnes, cum plenissima integritate, cum terris scilicet cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, & mancipiis utriusque sexus, sæpe dictis fratribus, usibusque ac stipendiis eorum, pro animæ nostræ remissione, perpetuâ firmitate, conferentes delegamus, ut quietiùs studeant pro nobis, conjuge, ac prole, & pro regni stabilitate Domini clementiam jugiter exorare.

UT autem hæc condonatio delegationis in Dei nomine cunctis seculi temporibus validiorem stabilitatis obtineat vigorem, manu propriâ subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus.

SIGNUM CAROLI gloriosissimi Regis.

DATUM Nono Idus Januarii, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo vicesimo primo, Indictione nonâ, Palatio Lugduno.

CAPUT XXVIII.

Ejusdem CAROLI SIMPLICIS *Diploma alterum in favorem ejusdem Maricolensis Monasterii concessum an. eodem.* 921.

CHRISTI præeunte & auxiliante clementiâ KAROLUS Francorum Rex cunctis sanctæ Ecclesiæ sive Imperii fidelibus salutiferæ pacis optat stabilitatem.

NOTIFICARE volumus omnibus tam instantis quàm futuri temporis fidelibus, quòd flexi carissimorum nostrorum Comitum (1) *Isaac* & (2) *Haganonis* precibus, quasdam res, quas tenere hactenus in suo servitio solebant Abbates, vel ipsorum fideles, caussâ beneficii, quæ magis congruebant servire Fratribus Monasterii *Mariculas*, quod in honore constructum est sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Principumque Apostolorum Petri & Pauli, in quo etiam corpore quiescit almus Confessor Christi *Humbertus*, illas supratactas res, quæ subter nominetenus notabuntur, nostrâ potestate Regiâ, prædicti loci Fratribus perenniter confirmaremus.

RES igitur de quibus loquimur, conjacent in subdesignatis locis. In pago *Hainoensi*, super fluvium Helpram, in villa *Taisneras*, sunt Taisniere mansi xxx. cum Ecclesia, culturis, pratis, mancipiis, silva & omnibus ibi adspicientibus.

ET in loco, qui vocatur *Fagetus*, mansi Fayt quinque sunt in prædicto pago super fluvium eumdem, cum omnibus inibi respicientibus.

ATQUE in *Flobodeica* mansi dicuntur quinque, cum suis omnibus appendiciis, & in loco qui fertur *Magnus Mons* mansus unus & ibi aspicientia.

JUXTA hunc quoque locellum in *Didineicas*

SHUNTBERTI Abbatis, itemque Caroli Simplicis Diplomata, in favorem Maricolensis Abbatiæ concessa, vide supra cap. 5. & 27.

(1) ISAAC Comes Cameracensis.

(2) HAGANO Comes intimus Carolo Simplici. Hi ambo fuerunt Abbates Commendatarii, seu potius Usurpatores Cœnobii Maricolensis.

cas est mansus unus, & in ipso Monasterio est pratum unum, ex quo solet fieri sæpe Fratribus molestia.

Hæc igitur supra verbo tenus omnia descripta, secundùm prædictorum nostrorum fidelium, *Isaac* scilicet & *Haganonis* humilem petitionem, ad mensam Fratrum jam dicti Monasterii Maricolensis, regali auctoritate concedimus, ad stipendia & servitia exhibenda: nullique hominum amodo servitutis debitum solvant, nisi jam dictis Fratribus.

Datum VII. Idus Januarii, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo vicesimo primo, Indictione nonâ, Palatio (3) Lugduno.

(3) Lugdunum. Laudunum Clavatum hic notari existimo. Sic Pardulus Lugdunensium Episcopus dicitur in Synodo Suessionensi sub Carolo Calvo an. 853. Vide supra pag. 3. in Not.

CAPUT XXIX.

Pactum Bonnense, inter Carolum Simplicem *Franciæ &* Henricum Aucupem *Germaniæ Reges an.* 921. *initum.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, divinâ propitiante clementiâ anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXI. anno verò regni Domini & gloriosissimi Regis Francorum Occidentalium Caroli XXIX. (1) redintegrante XXIV. (2) largiore verò hereditate indeptâ X. Indictione IX. anno quoque regni Domini & magnificentissimi Regis Francorum Orientalium Heinrici tertio, inter ipsos præfatos Principes unanimitatis Pactum, ac societatis amicitia quæsita repertaque exordia sumpsit, prout visa sunt competentia.

Convenerunt enim ambo illustres Reges, sicut inter se discurrentibus Legatis convenerant II. Nonas Novembris feriâ primâ: Domnus enim Carolus super Rhenum flumen ad Bonnam Castrum, & strenuus Heinricus ex altera parte Rheni. Et eâ tantùm die mutuis se visibus intuentes super ripas ejusdem fluminis huc & ultra, ut sui fierent fideles innoxii sacramento, quo hanc eorum conventionem fuerant polliciti.

Verum feriâ quartâ VII. Idus Novembris in medio Rheni fluminis sæpius dicti Principes, in navibus quisque suis, in tertiam ascenderunt, quæ ancorata in fluminis medio gratiâ eorum colloquii fixa erat: ibique in primo hanc sibi vicissim convenientiam ob statum pacis, juramento sanxerunt ita:

Ego Carolus divinâ propitiante clementiâ Rex Francorum Occidentalium, amodo ero huic amico meo Regi Orientali Heinrico amicus, sicut amicus per rectum debet esse suo amico, secundùm meum scire ac posse: eâ verò ratione si ipse mihi juraverit ipsum eumdemque sacramentum, & attenderit quæ promiserit. Sic me Deus adjuvet, & istæ sanctæ Reliquiæ.

E contra Rex Heinricus eamdem promissionem sacramento eisdem prosecutus est verbis subsequenter, ut hujus amicitiæ firmitas inviolabiliter observaretur.

Hæc sunt nomina Episcoporum qui cum nobilibus ac fidelibus Laicis firmitatem, quam præmemorati Reges inter se fecerunt, collaudando acceptaverunt, & manibus suis Sacramentum firmaverunt, numquam à se destruendam.

Pactio ista non ad annum 926. aut ad an. 923. ut Sigebertus in Chronico suo retulit, sed ad ann. 921. est referenda: juxta Flodoardum in Chronico, & rationes, quas Jac. Sirmondus allegat in Notis ad Capitula Caroli Calvi.

Plerique rerum Gallicarum scriptores Caroli Simplicis annorum exordium ab obitu Odonis
858. Regis, hoc est, à tertio die ante Nonas Januarias anni octingentesimi nonagesimi octavi, Carolus autem ipse in diplomatibus suis quinquennio altiùs repetit: à die videlicet, quo Remis Fulco Archiepiscopus ipsum unxit in
893. Regem, hoc est, à quinto die ante Kalendas Februarias anni octingentesimi nonagesimi tertii. Quem annum Re-
892. gino indicat, cùm Regem levatum ait sub finem anni octingentesimi nonagesimi secundi. Nam cùm annos à Christi Incarnatione in Martio ordiatur, non à Natali, anno cuique primos etiam sequentis anni menses adnumerat. Denique Caroli Simplicis regnum ab hoc, quem diximus, Christi anno in ejus diplomatibus inchoari facilè perspiciet, qui ejus annos cum Indictionibus comparabit. Exempla qui volet, apud Sirmondum citato loco reperiet.

(1) Redintegrante XXIV. Carolus Simplex quo tempore in Regem confirmatus est, integrum regnum sua in potestate non habuit, quia Odo Rex quamdiu vixit, Aquitaniam & Burgundiam tenuit. Mortuo post quinquennium Odone, quæ ab illo possessa fuerant, recepit, regnumque redintegravit. Atque hujus redintegrationis annos regni sui annis Carolus deinceps in suis diplomatibus subjunxit.

Semper igitur redintegrationis anni solido ferè quinquennio annis regni pauciores sunt: & solidum fuisset, si Odo, qui III. Nonas Januarias obiit, ad V. Kalendas Februarias, quo die Carolus Simplex inunctus fuit, vitam produxisset.

(2) Largiore Hered. Indepta X. Hoc ad regnum Lotharii pertinet, cujus accessione Carolus Simplex hereditatem suam amplificavit: quia non solùm partem illam recepit, quam avus & pater ejus olim possederant, sed alteram etiam, quæ Regum Transrhenanorum fuerat.

Ceterùm quo anno regnum Lotharii is receperit, investigandum restat. Sigebertus noster in Chronico receptum anno 915. notat. Sed ex hoc loco, & ex variis ejusdem Caroli diplomatibus Sirmondus rectè concludit, Ann. 912.
quadriennio ante, hoc est, anno Christi nongentesimo duodecimo, regni autem Caroli vicesimo, receptum fuisse. Quo nimirum tempore, Ludovico ex Caroli Magni stirpe apud Germanos postremo, Rege sine liberis defuncto, Carolo ut legitimo heredi, jure licuit non regnum modò Lotharii, sed Germaniam quoque ipsam, si par in armis vis fuisset, repetere.

Episcopi ex parte Domini Regis Caroli.

HERIMANNUS Archiepiscopus Agrippinæ, quæ modò est Colonia vocitata.
RODGERUS Archiepiscopus Treverorum.
STEPHANUS Præsul Cameracorum.
BOVO Episcopus Catalaunensium.
BALDRICUS Trajectensium Episcopus.

Hæc nomina Comitum.

MATFREDUS, Erkengerus, Hagano, Boso, Waltkerus, Isaac, Ragenberus, Theodricus, Adalardus, Adelelmus.

Episcopi ex parte Regis inclyti Heinrici.

HERIGERUS Archiepiscopus Moguntiacorum.
NITHARDUS Episcopus * Mimmogerneferdæ. (* Nunc dicitur, Monasteriensis.)
DODO Episcopus Osnobroggæ.
RICAWDO Eiscopus Vangionum, quæ nunc dicitur Wormatia.
HONVARDUS Episcopus Paderbornensis.
NOTINGUS Epicopus Constantiæ Alemannicæ.

Hæc sunt momina Comitum.

EVRARDUS, Chonradus, Herimannus, Hato, Godefredus, Otto, Herimannus, Cobbo, Magenhardus, Fredericus, Foldac.

CAPUT XXX.

HENRICUS AUCEPS *Imp. ann.* 932. *confirmat fundationem Abbatiæ Broniensis, in Comitatu & Diœcesi Namurcensi, quæ nunc S. Gerardi nuncupatur, ab ipso fundatore ibi quiescente.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator.

NOVERIT itaque omniùm fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertia, quemdam venerabilem Abbatem GERARDUM, nostræ Regalitatis adisse præsentiam, petisseque ut Cœnobium, quod ipse, ex hereditatis suæ proprio, in pago *Lomacensi*, in loco qui dicitur *Bronium*, conversus nuper construxerat, in honore *S. Petri* Principis Apostolorum, nec non & *S. Eugenii* Toletani Archiepiscopi & Martyris, potestate regiâ contuendum susciperemus, allodiumque & possessiones, vel prædia, quæ jam dictus Abbas, seu vir nobilissimus multa possederat, & ea S. Petro ad solatium inibi Deo servientium contulerat, in nostra protectione nostrorumque Successorum deinceps consisterent.

Nos verò justis & religiosis petitionibus assensum præbentes, & à vero Remuneratore, pro hoc & aliis pietatis commerciis, mercedem sperantes, idem Monasterium cum omnibus, quæ ad ipsum pertinent, in nostra tutela perpetuò conservandum suscipimus, & statuimus, ut quamdiu locus ille, Deo protegente, inhabitabitur, Abbas ejusdem Cœnobii omnia jura, judiciariasque potestates in villa *Bronii*, & in *S. Laurentio*, in *Maisons* in parte sua quam habet, in villa *Leubinas*, in *Montinio*, & in *Merendrech* in parte sua quam habet, in villa de *Ermeton*, in *Fendeserta*, in *Romereias*, in *Manisia*, liberè & potestativè exerceat. Et in his locis, & in omnibus quæ possidet, concedimus, & confirmamus ei bannum & justitiam, impetum & burinam, ictum & sanguinem repertum, pergum regium, fora, telonea, vicecomitatum, (1) wagaria, rectum & non rectum, vectigalia, & quidquid pertinet ad judicatum, integritatem Reipublicæ, & incolumitatem, & campestria & silvestria jura, & mortimanus suas & abmatrimonia tam liberè in sempiternum possideat, sicut fundator ipsius loci, nobili prosapiâ exortus, ante conversionem suam possederat.

Nec sit qui præsumat injicere manus in servos & ancillas Ecclesiæ, vel in homines cohabitantes in omni ipsius possessione; sed soli Ecclesiæ liceat tractare pacificè de omnibus prædictis negotiis, absque calumnia alicujus sive tyrannidis. Nec sit qui contradicat huic nostræ Regiæ constitutioni. Alioquin si quis in hoc obviaverit nostræ voluntati, noverit pro certo sese graviter nostram incurrere offensam, & suspensum à gratia & benevolentia nostra. Successoresque nostros contestamur, consormes & coadjutores fore in hujusmodi stabilitione, ut Imperatoriâ dignitate roborata, sine ruina, sine vacillatione, sine alicujus malæ incursionis offendiculo, perpetuum firma duret in ævum. (Immunit.)

PRÆTEREA quia locus ille consistit in vicinia Castri Namucensis, precamur (2) *Comitem Namuci*, sicut fidelem & amicum, ut particeps nobiscum existat ipsius Ecclesiæ orationum, & grates à Deo & laudem à nobis habeat, si tempus aut res expostulaverit, rectâ manu & vero auxilio, subministret Ecclesiæ opem sui adjutorii. Si verò diabolicâ suasione incitatus excesserit, in aliquibus Ecclesiam opprimens injustè, cùm sit libera, & res ipsius authentica, si ad nostram præsentiam fratres detulerint querimoniam, consulam eis & liberabo eos ab oppressione. Hoc præceptum pro æterna remuneratione

(1) WAGARIA. Fortè idem quod Rotaticum, aut Angaria, *Droict de Corowee*.

(2) COMITEM NAMUCI Berengarium, qui & diplomati huic subscripsit. Eidem Comiti Berengario perfamiliaris fuit S. Gerardus Monasterii Broniensis Fundator: ut in hujus vita legitur. De eodem supra cap. 25.

NAMUCUM Sine R passim scribunt Sigebertus Chronographus, & alii mediæ ætatis scriptores. Sic & marmoreo tumulo insculptum legitur Montibus Hannoniæ, in Basilica S. Waldetrudis, in ambitu chori. Hodie Namurcum, *Namur*. Urbs Episcopalis ab anno 1559, sita ad Mosam fl. cui pro dote unita fuit Abbatia Broniensis,

nératione prædicto Monasterio fieri jussimus, per quod imperamus, ut ea quæ à præfato *Gerardo* ad sanctum locum, vel quæ deinceps à fidelibus Christianis eidem collata fuerint, fratres ipsius loci, cum tranquillitate, per secula firmiter habeant, teneant, & possideant, & pro salute nostra atque stabilitate totius regni misericordiam Domini jugiter exorent. Et ut per succedentium temporum curricula, veriùs credatur & attentiùs observetur, sigilli nostri impressione corroboravimus.

QUIA verò idem famulus GERARDUS præsentiam Domini Papæ in corde suo disposuit adire, & ad roborandam libertatem *Broniensis* Ecclesiæ ab ipso privilegia vult expetere; (3) mandamus patri nostro Summo Pontifici, ut traditionem, quam de eodem loco Imperiali sanximus auctoritate, Apostolicâ confirmet benedictione; ut observatores nostræ præceptionis gratiam & misericordiam, vitamque æternam à Deo consequantur. Qui autem ex his quæ prælibata sunt, quidquam irritum fecerit, vel infregerit, indissolubili anathematis vinculo constringatur, nisi resipuerit & pœnituerit, & ab Abbate & fratribus veniam promeruerit, & de cetero emendaverit.

HÆC autem sunt ingenuorum testium nomina, ut omnis legalis firmitas impleatur.

RICHARIUS Leodicensis Episcopus.
RICHUINUS Stratzburgis Episcopus.
ROTGERUS Treveris Episcopus.
BENEDICTUS Metensis Episcopus.
(4) COMES Witbertus.
COMES Berengarius.
COMES Herimannus.
SIGNUM HENRICI Regis gloriosissimi.
HILDUINUS Notarius, vice ROTGERI Archiepiscopi recognovi.

DATA Nonis Aprilis anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXII. Indictione V. Ad. 932.
regnante Henrico Rege glorioso, anno XIII. Actum Aquisgrani palatio feliciter, Amen.

(3) MANDAMUS PATRI, id est, significamus aut rogamus

(4) WITBERTUS Comes Gemblacensis, & illius Monasterii Fundator: aliis Wibertus aut Guibertus. In tabulis Martyrologii Rom. 4. Februarii dicitur Gilbertus.

CAPUT XXXI.

ARNULPHUS I. *cognomento Magnus, Flandriæ Comes, prædia varia Monasterio Blandiniensi restituit, seu donat, hortatu Transmari Noviomensis ac Tornacensis Episcopi. An.* 937.

Vide Chronicon Belgicum ad annum 937 Not. Eccl. cap. 13

ARNULPHUS, adminiculante supremi Regis clementiâ, Marchisus, sanctæ Ecclesiæ fidelibus, quocumque passim ordine, Deo Catholicè militantibus.

LEGITUR in Machabæorum libris, divinitùs exaratis, destructum Jerosolymis Templum Dei ab Antiocho Regum nefandissimo, quod post multos gravissimosque bellorum triumphos, Judas Machabæus restruxerit, & auro ac argento, quod de hostium spoliis acquirebat, decoraverit: quo scilicet facto credebat sibi affore auxilium è cælo Regis polorum.

HUJUS igitur exempli aviditate incitatus, ego humillimus ARNULPHUS, toto mentis conamine illorum gestiens particeps effici, qui præcepta servantes Dominica, terrena cælestes ad thesauros transtulerunt patrimonia, religiosorum veridicorumque hortatu virorum animatus, atque, ut ita dicam, exurgens quasi à gravi somno excitatus, cœpi cogitatione tacitâ mecum diebus noctibusque revolvere, quoddam Monasterium esse sub mea ditione antiquitus situm, à Pontifice laude bonorum digno sanctissimo AMANDO, juxta fluenta Scaldis, in castro *Gandavo*, quod *Blandinium* vocitavit, quodque Christo auspice Reliquiis B. Petri Apostolorum Principis, multorumque Sanctorum, quos à Roma secundò rediens secum detulit, solemniter nobilitavit.

EGIT autem hoc eâ tempestate, quâ Romanam Ecclesiam regebat Papa Martinus... post Beatum aulæ supernæ Clavigerum Petrum, tempore inclyti Regis Francorum *Dagoberti*, *Eligio* miræ sanctitatis Episcopo, apud Noviomagum & Tornacum præsidente.

GAUDEO quidem tantorum pignoribus Sanctorum jam dictum Monasterium multimodè illustratum, sed doleo plurimùm deesse honorem, quo tantæ dignitatis Reliquias, secundùm meam voluntatem, extollam in terra, quarum Sancti Reliquiarum in cælesti fulgent curia.

PERMISSU tandem Regis *Ludovici*, atque cum Episcopo (1) *Transmaro*, ad cujus Diœcesim pertinet locus ille, cum amicis quoque ac specialiter cum fidelibus meis consilio habito, reddens restitui loco sancto partim ex iis reditibus terræ, quos *B. Amandus* impetravit à Regibus, qui per id tempus divinis se subdiderant legibus, & ob amorem Principis Apostolorum Petri, jure perpetuo tradidit in eodem Cœnobio degentibus, partim ex iis quæ fideles quique per loca & tempora diversa, à præfati Regis Dagoberti diebus, usque ad nostra largiti sunt tempora.

ET si non omnia, saltem reddidi aliqua, quæ prædecessorum meorum tempore inde sunt abstracta: quæque existimavi sufficere Monachis, ob amorem Christi ibi morantibus, id est, censum, qui accipitur de mansionibus, quæ sitæ sunt in *portu Gandavo*, à flumine *Scalda*,

di, usque ad decursum fluminis *Legiæ*, & decimam, quam pro remedio animarum suarum Deo exsolvere debent in ipso commanentes portu.

Naulum quoque, quod à prætereuntibus exigitur supradicti Monasterii Reliquiis concessi. Floralia prati quæ adjacent ipsi portui, illorum cedo potestati: molendinum, in loco qui dicitur *Afsna* capellam unam, in honore S. Mariæ dicatam: in villa *Meron* vineam, quam secus Monasterium construxi, & terram quæ ibi adjacet usque ad portum, & alia rura quæ Monasterio sunt contigua, supra quæ construant officinas sibi congruas & hortos, in quibus plantent olera, quæ Monachis sunt commoda, ceteraque omnia, quæ in charta Abbatis *Einhardi* scripta habentur, reddidi, & propriâ manu roboravi.

In pago denique Flandrensi, juxta castrum *Oostburch* in loco nuncupato *Merona Benonis*, pastoralia quæ sufficere possunt ovibus CXX. & in alio loco mari proximo, vocabulo (2) *Combescura*, terram ad alendas oves centum, & in ipso pago medietatem fisci mei, qui vocatur (3) *Snetlinghem*, cujus pars media conjacet à plaga orientis, ex qua medietate mansum unum, dum advixero, Abbati & fratribus supradicti Monasterii concessi, & residuæ medietatis partem, post excessum vitæ meæ, ut habeant, teneant atque possideant, totis viribus concupisco.

In pago etiam *Hainau*, super fluvio (4) Savo, villam quæ vocatur (5) *Dulciaca*, cum appendiciis suis, illis reddo. In pago etiam (6) *Waza*, super fluvio Scalda, villa nuncupata (7) *Temseca*, in qua diu corpus B. Virginis requievit *Amelbergæ*, quam jure hereditario, quoad vixit, possidere visa est: & ob id illis reddidi eam, qui diu noctuque excubantes sacro corpori ejus assistunt.

Wasa. Temst.

Hæc cuncta, licet quantitate & numero videantur permodica, obtineat perpetualiter, cum suo Abbate Monachorum caterva, in supradicto Monasterio constituta, quibus solatiata queat Domino indefessè famulari.

Cupio namque atque magnopere gestio, omni tempore ævi, in sæpe fato Monasterio Monachos examussim Christo ancillari, ut actum est jam fati sanctissimi tempore *Amandi*, quique secundùm normam Sancti viventes *Benedicti*, juxta electionem suam ...... qui morte interveniente ... successerit .... Abbatem præponant sibi: cujus hortatu atque regimine animati, terrena postponentes, cælestia studeant meditari.

Si quis verò de omnibus successoribus meis hæc meæ restitutionis beneficia, quæ loco sancto, ob amorem Dei, Sanctique Principis Apostolorum Petri, ceterorumque Sanctorum, quorum ibidem pretiosa continentur busta, reddidimus, ausu nefario calumniari, vel reinficere conatus fuerit, nisi citò resipuerit, iram Dei omnipotentis, cui S. Amandus constructor loci illius sinceriter militavit, ac polorum clavigeri Petri ac Doctoris egregii Pauli, atque paradoxæ virginis Amelbergæ, omniumque incurrat offensam Sanctorum, omnique perpetim sodalitio privatus, dæmonum contuberniis indissociabiliter maneat conjunctus. Amen dicat mecum omnium bonorum virorum cœtus.

Actum Blandiniensi Cœnobio, regnante Ludovico (8) anno ..... VI. filio Regis Karoli Reclausi.

Signum Arnulphi clementissimi Comitis atque Marchisi, qui hujus schedulæ inscriptionem fieri & firmari rogavit.

Signum Transmari Episcopi.
(9) S. Folberti Episcopi.
S. Bernardi Archidiaconi.
S. Odilbaldi Archidiaconi.
S. Wulfardi Archidiaconi.
S. Engelfridi Decani.
S. Taugeradi. S. Umberti.
(10) S. Balduini, filii Arnulphi Marchisi.
(11) S. Isaac Comitis.
S. Arnulphi, filii ejus.
S. Theodorici Comitis.
(12) S. Wenemari Advocati.
S. Fulberti Vicarii.
S. Walberti. S. Balduini.
S. Leutberti. S. Ascherici.
S. Almulrici. S. Joannis.
S. Ewardi. S. Heribandi.
S. Organdi. S. Smardi.
S. Ewardi. S. Georgii.
S. Ebroini. S. Dodonis.
S. Blichardi. S. Wilhelmi.
S. Gotheri. S. Hademari.

(1) Transmarus Noviomensis ac Tornacensis Episcopus an. 937. creatus: ut Flodoardus in Chronico testatur.

(2) Lambescura fortè *Lapscure* vicus.

(3) Snetlinghem. Hodie Snelleghem vicus.

(4) Savus fluvius per agrum Cameracensem fluit.

(5) Dulciaca Villa, *Doucy*.

(6) Waza Pagus, nunc Wasia, olim Wasda. Vide supra cap. 23.

(7) Temseca celebre municipium ad Scaldim, *Tempst* Flandris. *Tamise* Gallis: in cujus loci templo hodieque ostenditur locus sepulcralis S. Amelbergæ virginis: de qua Fastos nostros consule.

(8) Anno VI. Corruptus haut dubiè est annorum numerus. Ponatur itaque annus XVI. Ludovici Regis, ab obitu patris Caroli Simplicis computando. Obiit is anno 929. Peronæ in carcere (ut Flodoardus in Chronico testatur) ideoque hìc Reclausus dicitur.

(9) Folbertus, seu Fulbertus an. 935. creatus est Episcopus Cameracensis, stylo Romano annum à Kalendis Januariis inchoante. Vide Baldericum in Chron. Cameracensi lib. 1. cap. 68. & 69.

(10) Balduinus, Arnulfi Magni, Flandriæ Comitis filius obiit ante patrem.

(11) Isaac Comes Cameracensis varias contentiones habuit cum Fulberto Episcopo: ut idem Baldericus testatur. Filius illi fuit *Arnulphus*, hìc nominatus, & N. filia, *Amulrico* Comiti, ex pago *Hainau*, nupta: ut idem Baldericus lib. citato cap. 73. narrat.

(12) Wenemarus ex familia Comitum castri Gandensis. Davidem Lindanum in Teneramunda consule.

CAPUT XXXII.

OTHO I. *Imp. Lambertum Comitem Lovaniensem anno* 948. *constituit Advocatum Gemblacensis Abbatiæ in Brabantia.*

Vide Diplomata Belgica Cap. 17. Vide Chron. Bel ad an. 948.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris æterni. OTHO divinâ favente clementiâ Rex Lothariensis & Francigenûm.

NOTUM sit præsentibus & futuris, quod quidam vir nobilis & dilectus Deo (1) WIBERTUS nomine, his temporibus construxit Monasterium in honore SS. Petri Apostoli & Exuperii Martyris gloriosi, in pago (2) *Darmiensi*, in proprietate hereditatis suæ, quæ *Gemblouces* nuncupatur.

QUI præcavens in futurum, scilicet ne aliquando secularis potentiæ homines aliquâ persuasione vel injustâ dominatione perturbent quietem Fratrum, Deo famulantium, adiit præsentiam nostram, cum venerabili ERLUINO, ejusdem loci Abbate, & locum ipsum cum omnibus ad eum pertinentibus, nostræ defensioni atque tutelæ commisit. Quod nos gratanter accepimus, & nostrâ Imperiali auctoritate decrevimus, ac sigilli nostri impressione roboravimus, ut locus ille in perpetuum, cum omnibus, quæ ad ipsum pertinent, ab omni secularium, tam majorum quàm minorum, dominio esset immunis, sub solo tantùm Regiæ defensionis munimine constitutus.

Verùm quia Fratribus ejusdem loci (si quando incumberet aliqua necessitas) grave nimis esset, propter longinquitatem terrarum, præsentiam Regis semper adire, cum electione ipsius Domni WIBERTI, & Abbatis, & Fratrum, dedimus advocatiam ipsius Abbatiæ de Gemblouces (3) *Lamberto* Comiti Lovaniensi, Viro forti & bellicoso, qui vice nostrâ, contra omnium inquietationem, adjutor eorum sit ac defensor.

(1) S. WIBERTUS, seu Guibertus (quem Fasti Romani S. Gilbertum 4. Febr. nuncupant) deposito militiæ secularis balteo, castrum suum *Gemblacum* (Giblou.) Deo & S. Petro obtulit, in eoque Monasterium an. 922. suo ære exstruxit: quod est inter Brabantina Benedictinorum Cœnobia antiquissimum. Gaudetque etiamnum Abbas Gemblacensis titulo Comitis, & in Comitiis Ordinum Brabantiæ primum inter Nobiles locum obtinet.

Obiit autem S. Guibertus in Gorziensi apud Lotharingos Cœnobio (quod nunc est Canonicorum Collegium) Diœcesis Metensis x Kal. Junii an 962. ut Sigebertus Monachus Gemblacensis in Chronico suo (quod cum autographo collatum anno 1608. typis Antverpiæ publicavi) testatur. Ejusdem sacra ossa anno 1110. è terra sunt levata, & ex Lotharingia Gemblacum translata, procurante eodem Sigeberto, qui & vitam illius scripsit à Surio editam.

(2) DARMIENSI Pago, aliis, Darniensi.

(3) LAMBERTUS hic Comes Lovaniensis, fuit filius RAGINERI I. & ALBRADÆ, frater RAGINERI II. LONGICOLLI; Hannoniæ Comitis, à S. Brunone Archiepiscopo Coloniensi in exilium missi: ut Divæus, Lipsius & Grammaius tradunt.

RAGINERUS autem Longicollus non fuit filius Manassis Comitis (ut Lipsius in Lovanio, Guisius & alii scripserunt) sed RAGINERI I. Hasbacensis & Hainaucensis Ducis, ut ipsum Dudo & Guil. Gemeticensis vocant (vide Annales meos Belgicos ad annum 924) qui ex *Albrada* tres filios sustulit, GISLEBERTUM Lotharingiæ Ducem, primum Gerbergæ (quæ post Francorum Regina fuit) Maritum, RAGINERUM LONGICOLLUM, & LAMBERTUM hunc nostrum Comitem Lovaniensem. Hæc colligi dantur ex Diplomate Marsaneinsi annô 968. per eamdem Gerbergam dato, quod in Notitia nostra Cap. 64. recitabimus, itemque ex Flodoardi Chronico ad an. 924. & 956. (Flod. an. 924.)

De Raginero Seniore multa leguntur apud Reginonem, (Vide infra cap. 37.) itemque in Fragmento Gallici scriptoris, apud Conradum Abbatem Urspergensem, ex quo hæc habe: *Hâc tempestate* Regenerus *vir nobilis partium* Caroli Simplicis *fidissimus tutor, finem vitæ accepit, cujus exequiis Carolus interfuit. Hisque peractis* Gisilberto *ejus filio jam adulto paternum honorem, coram Principibus, qui confluxerant, liberalissimè contulit. Hic cum esset opibus & genere inclytus, & conjugio* Gerbergæ, *Henrici Transrhenensis sive Aucupis filia, satis beatus, in nimiam præ insolentia temeritatem præceps contra Carolum ferebatur.*

Ceterum Raginero Longicollo in exilium pulso, quò se contulerit, aut ubi hæserit *Lambertus* Comes Lovaniensis, nusquam legimus.

Hujus Lamberti filium, & in Advocatia Gemblacensi successorem fuisse *Aufridum*, ex Bratuspantium Comite Episcopum Ultrajectinum, colligi posse videtur ex MS. Catalogo Abbatum Gemblacensium: in quo inter alia narratur: *Nobilem virum* Lambertum *medietatem Ecclesiæ de Wettine, in pago Masaw, tradidisse* Erluino *Abbati Gemblacensi, ejusque Advocato: vidente* Aufrido, *filio* Lamberti: *ut ex chartulâ exinde peractâ, & à Lamberto subscripta liquet.*

Per Bratuspantes (quos Julius Cæsar inter Bellovacos & Ambianos collocat) Sigebertus in Chronico ad an. 1012. & alii illius ætatis scriptores, ex allusione vocabuli designant Brabantos. Sigeberti verba hæc sunt: *Heinricus Imp. Godefridum Ducem cum exercitu in fines Bratuspantium mittit*, contra Lambertum Comitem Lovaniensem, ad obsidendum castrum Lovanium, sed inefficax rediit.

De Aufrido sive Ansfrido sic an. 997. idem Sigebertus: *Clarebat hoc tempore inter Gallos* Ansfridus, *qui cum fuisset Comes* Bratuspantium, *non minùs justitiâ quàm potentiâ seculari famosus, deposito militiæ cingulo, tonsuratus in Clericum, eò provectus est, ut ordinaretur Episcopus Ultrajectensis Ecclesiæ.*

Hunc ipsum Aufridum Anselmus Canonicus Leodiensis, qui antè annos plus minus quingentos Gesta Pontificum Leodiensium à Joanne Chapeavillio edita conscripsit, ubi de Notgero XLVI. Episcopo agit, disertè nuncupat COMITEM LOVANIENSEM. Ex quibus liquet AUFRIDUM, hactenus à Brabanticarum rerum scriptoribus omissum, in serie Comitum Lovaniensium, inter Lambertum I. & Lambertum II esse collocandum. (Corrigitur Catalogus Comitum Lovaniensium.)

AUFRIDO namque ad Episcopatum Ultrajectinum evecto, mox in Comitatu Lovaniensi successit LAMBERTUS II. Ragineri Longicolli filius, & maritus Gerbergæ, quæ erat filia Caroli Crassi Francorum Regis.

Quod ad Manassem in Burgundia Comitem attinet, habuit & is filium nomine Gislebertum: unde natus est error. Manassis tumulus etiamnum in Monasterio S. Viventii, in Burgundiæ Ducatu, prope *Vergeium*, ab ipso fundato, spectatur. Ejus ut & filii Gisleberti, Flodoardus in Chronico ad an. 931 meminit. (Vide Chron. Belg. ad hunc annum.)

Sic autem dedimus ei Advocatiam istam, ut numquam ipse Comes, vel successores sui in Abbatia, vel in villis ad eam pertinentibus aliquid accipere, aut per potentiam exigere debeant, præter jus & beneficium sibi constitutum. Advocati enim debent esse, non prædatores, sed defensores Ecclesiarum. Illud etiam statuimus, ut Comes Lovaniensis numquam in Advocatiam Gemblacensem, præter unum Subadvocatum habeat, id est, ut donum hujus Advocatiæ à Rege (qui major Advocatus est) plusquam ad tertiam manum numquam deveniat.

Si autem (quod nolimus) nostram constitutionem contempserit, & Advocato illi qui sub se est, ex ipsa Advocatia aliquid usurpare, vel militibus suis beneficiare consenserit, terram suam in Camera Regis sibi abjudicatam sciat, & quidquid beneficii pro ipsa advocatia tenebat, de manu Regis se amissurum noverit.

Subadvocati jura.

Porro (4) Subadvocatus in villis ad Abbatiam pertinentibus nihil aliud juris habebit, nisi per singulos annos de unaquaque domo denarium unum, gallinam unam, avenæ sextarium unum. Qui etsi aliquando habuerit bellum contra aliquem de paribus suis, quod bellum nonnisi ad ipsum pertineat, de suo procuret & provideat quæ necessaria sunt usibus belli ad se pertinentis. Neque enim propter hoc in Abbatia, vel in villis ad eam pertinentibus aut obsonia aut servitia aliqua exigere ei licebit.

Forsè Subadvocatus.

Si verò bellum aliud fuerit, quod idem Advocatus administret, quod scilicet bellum vel ad Regem vel ad Comitem Lovaniensem pertineat, tunc siquidem licebit ei (sed non sine consensu Abbatis) ut à mansionariis qui per villas Abbatiæ commorantur, aliquid subsidii accipiat, sed tamen ita mensuratè, ut numquam inde querela ad Comitem, vel à Comite ad Regias aures perveniat.

Hoc nostrum Imperiale constitutum de Advocatia Gemblacensis Ecclesiæ, quæ Regiæ defensioni subjecta est, ut per succedentia tempora fixum maneat & inconvulsum, Palatinorum Principum, & multorum Nobilium judicio, in præsentia nostra fecimus confirmari, annuli nostri impressione jussimus consigillari, ac manu nostrâ subtersignavimus.

Et sicut nos Gemblacensem Ecclesiam nostrâ clementiâ tuemur & fovemus, sic etiam volumus, ut omnes Successores nostri in perpetuum tueantur eam & foveant, quatenus & nos & ipsi orationibus eorum possimus semper adjuvari.

Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini (5) DCCCCXLVIII. Indictione XII. anno Imperii nostri XII. sub Pontificatu Domni (6) *Benedicti* Papæ, qui rogatus à nobis huic nostræ auctoritati suam quoque auctoritatem superaddidit, interdicens sub indissolubili anathematis vinculo, ne umquam hujus Constitutionis charta violetur, vel infringatur ab aliquo.

Actum in oppido *Franconefort*, mense Junio, in Martyrio Petri & Pauli feliciter.

(4) Subadvocatus, Gemblacensis constitutus fuit Toparcha de Walhain, qui pagus est Gallo-Brabantiæ prope Gemblacum, insignitus titulo Comitatûs an. 1533 per Carolum V. Cæsarem.

(5) Anno DCCCCXLVIII. De Othonis I. Imp. annis est quæstio. Sunt qui putant ipsum, vivente patre, Cæsarem designatum fuisse. Widichindum & alios consule.

(6) Benedicti Papæ. Dubitari fortasse possit, an *Benedictus* sit hîc nomen proprium, an verò adjectivum. Nam anno 948. sedebat Romæ Agapitus II. Papa, qui an alio nomine sit *Benedictus* nuncupatus, investigandum restat. Sic Benedictus I. Papa, à Græcis præsertim, dictus est *Bonosus*. Ego quod certò statuam, non habeo.

CAPUT XXXIII.

Lotharius *Francorum Rex Gandense S. Bavonis Monasterium, ab Arnulfo Flandriæ Comite ejusque filio Balduino, operâ S. Gerardi Abbatis Broniensis instauratum, suâ auctoritate firmat, Anno* 954.

Vide Chron. Belg. ad an. 954. Item Not. Eccles.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

(1) Lotharius divinâ annuente clementiâ Rex Francorum. Quandoquidem nos fidelium nostrorum petitionibus, ac præcipuè ad religionem & restaurationem sanctæ Ecclesiæ pertinentibus, assensum præbere dignum dignoscitur, notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris tam præsentibus quàm futuris, qualiter fidelis noster (2) Arnulphus Comes, ac filius ejus Balduinus, nostram adierunt clementiam, supplicantes de quodam Monasterio in vico Gandavo posito, ubi *Legia* & *Scaldis* flumina confluunt, in honore S. Petri constructo (in quo etiam S. Bavo corpore quiescit humatus, à cujus quoque tempore, aliorumque religiosorum virorum,

Chron. Belg. ad hunc annum.

(1) Lotharius. Ludovico Transmarino, Francorum Rege, Remis anno 954. defuncto, ejus ex Gerberga filius Lotharius, adhuc puer, eodem anno ab Artoldo Archiepiscopo ad S. Remigium Rex est consecratus: ut Flodoardus in aureo suo Chronico, per Pithæum edito, narrat. Sigebertus noster, in Chronico suo, hæc ad annum proximè sequentem refert. Ut ut sit, diploma istud anno primo regni, hoc est, an. 954. aut 955. datum est à Lothario Rege, adhuc puero. Quod vocabulis istis, *bona indolis*, hîc notatur; ut & infra in diplomate à Gerberga anno 968 Remigianis concesso: in quo sic legitur, *Signum juvenis magna indolis Caroli.*

(2) Arnulphus cognomento Magnus, Flandriæ Comes, Balduini Calvi filius, VI. Kal. Aprilis an. 964. juxta Mejerum, obiit, vel an. 965. juxta Flodoardum citato loco. Fuit is non solùm Bavonensis, sed & Blandiniensis Monasterii instaurator, ut supra cap. 31. docuimus.

torum, religio & regularis ordo ibidem servatus fuisse memoratur) nostrâ auctoritate voluntatis suæ devotionem confirmari.

Erat ergò idem locus multis temporibus, tam incursione Paganorum, quàm incursione & negligentiâ incolentium desertus, & in solitudinem redactus, & penè inhabitabilis effectus: ita ut nihil quidquam divini officii Deo inibi persolveretur. Piâ verò admonitione memorabilis viri Gerardi Abbatis, placuit eis eumdem restaurare, & quendam alumnum ejusdem Gerardi, religiosum videlicet virum Womarum, Abbatem ordinare, atque Monachos, qui regulam *S. Benedicti* observarent, congregare.

Quo etiam in loco transacto jam anno ordinationis suæ, dictus Womarus religiosos Abbates accessit, *Aginaldum* videlicet, (3) Gorziensis Cœnobii Abbatem... Provisorem Cœnobii S. Petri, nec non & suæ ditionis Abbates quàm plures, id est, *Hildebrandum* atque *Ledricum*, ceterosque sanctæ dictæ Ecclesiæ adjutores. Quorum instinctu & exhortatione nostram, ut dicere incohavimus, jam dictus Comes, filiusque ejus adierunt Clementiam, supplicantes litteris nostræ auctoritatis ita hoc, quod ipsi pro servitio Dei Omnipotentis, sub professione regulæ S. Benedicti incoharunt, firmiter roborari, quatenus.... succedentium annorum, nullus sanctæ Dei Ecclesiæ infidelis, contra hoc suæ devotionis affectionisque opus insurgeret, sed idem locus omni tempore in potestate Abbatis & fratrum ejusdem loci perseveraret.

Unde.... rationabilibus fidelium petitionibus annuentes, decernimus, jubemus, regiâque munificentiâ præcipimus, idem sæpe dictum Monasterium à Monachis inibi Domino, secundùm regulam S. Benedicti, militantibus .... servandum, & in perpetuum possidendum: ita ut licitè & absque ulla contradictione, tam de rebus ejusdem loci, quàm omnium ad eumdem pertinentium, quidquid rationabiliter, opportunitate temporis dictante, juxta auctoritatem normæ propriæ professionis, facere decreverunt, & potestas omnis & licentia, regiâ auctoritate, eis concedatur. Habeant sanè potestatem eligendi Abbatem regulariter, quomodocumque elegerint: ita tamen ut is, qui in præsenti tempore ejusdem Cœnobii regimen regulariter suscepisse dignoscitur, Dominus Womarus, omnium opponentium se insidiis, ab ejusdem loci regimine nunquàm privari valeat.

Ne verò alicujus fraudulentia vel contradictio contra hujus nostræ auctoritatis præceptum venire præsumat, vel illud infringere conari audeat, atque hanc Chartam privilegii irrumpere prævaleat, eam manu propriâ firmare voluimus, & annulo nostro signari præcepimus.

Signum Lotharii bonæ indolis Regis gloriosissimi.

Ego (4) Wido Cancellarius, ad vicem Artoldi Archicancellarii Regii.

Datum in Palatio Lauduni Clavati, apud Monasterium S. Joannis .... X. Decembris, anno Incarnationis Dominicæ DCCCCL.... Indictione .... anno primo regnante Lothario Rege gloriosissimo.

(3) Gorziense in Lotharingia Monasterium, Diœcesis Metensis, olim ob disciplinam monasticam fuit celeberrimum: ad quod variis è Provinciis piorum hominum concursus fiebant, ad hauriendam ac discendam regularis vitæ doctrinam. Ex nostratibus S. Guibertum Comitem & fundatorem Monasterii Gemblacensis Gorziæ Monasticen amplexum fuisse, ibidemque an. 962. obiisse Sigebertus in Chronico testatur.

In eodem Monasterio celebris fuit memoria S. Gorgonii Martyris, ob sacras ejus Reliquias ibidem conditas à *Chrodegango* Episcopo Metensi.

Ceterùm ut *Gorzia* in Lotharingia, sic *Bobium* in Insubria, *Luxovium* in Burgundia, *Dionysianum* Cœnobium & *Corbeia vetus* in Francia, *Gemeticum* in Normannia, *Corbeia nova* in Saxonia, & *Fuldense* in Westphalia, Abbatum ac Præconum Evangelicorum Seminaria olim exstiterunt.

(4) *Wido*, sive *Guido*, fuit Episcopus Mutinensis in Italia. Ita liber de Cancellariis Imperii.

CAPUT XXXIV.

Arnulfus Magnus *Flandriæ Comes an. 961 dotat Ecclesiam Brugensem S. Donatiani, quæ nunc est Cathedralis, & duodecim Canonicos in ea constituit.*

Vide Chron. Belg. ad hunc annum. Item supra Cap. 16.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen.

Ego Arnulfus dictus Magnus, Balduini Calvi genitus, per Dei misericordiam Flandriæ Marchio, considerans quod non habemus hîc manentem mansionem, sed futuram exspectamus in Domino, providens meæ ac illustris (1) Athalæ meæ conjugis & consortis mei corporis animabus, ut per hoc salutem perpetuam, & remedium nostrorum peccaminum invenire possimus, Capellam in honorem gloriosæ Virginis & Domini nostri Jesu Christi genitricis *Mariæ*, & *S. Donatiani* Archiepiscopi, à (2) Balduino avo meo, zelo divini amoris accenso, constitutam, & ab antiquo tempo-

(1) Athala. Adala sive Aleida, Arnulfi Magni conjux, fuit filia *Heriberti* Veromanduorum Comitis: qui *Carolum Simplicem*, Francorum Regem turri Peronensi inclusit, & Arnulfi patruum *Rudolphum* per Normannos in prælio oppressit.

(2) Balduino Secundo: de quo vide supra cap. 18.

re fundatam, magnificare volens, de consensu & voluntate sanctissimorum Patrum & Dominorum *N.* (3) *Tornacensis*, & *N.* (4) *Morinensis* Episcoporum, duodecim præbendarum numerum, in ipsa Ecclesia statuo: & volo quod duodecim Canonici ibidem præbendati in eadem Capella, ad honorem Dei & ejusdem Beatæ Virginis, & *S. Donatiani*, pro remedio animæ meæ, dictæque conjugis meæ, ac avorum & ceterorum parentum nostrorum, nec non & successorum nostrorum, die noctuque horis congruis, Horas Canonicas, pro vivis & defunctis, devotè celebrent & Sacrificia offerant.

Cui Capellæ, de prædictorum Episcoporum ordinatione ac consilio, quasdam decimas, de iis quas mihi & prædecessoribus meis, in Comitatu seu Marchionatu Flandriæ, de terris cultis & incultis, sanctissimi Patres (5) *Papæ Romani*, pro adjutorio expensarum nostrarum, & nostrorum militum, pro expugnatione ac resistentia contra (6) *Wandalos*, qui Flandriam & alias terras vicinas, cum Ecclesiis in ipsis constructis, crudeliter & damnabiliter devastabant, & incendio tradebant, in feudum perpetuum concesserunt, nec non & quædam alia bona in eodem Comitatu, pro eorumdem Canonicorum vita, & aliis ejusdem Capellæ expensis, dono, trado, & præsenti chartâ concedo.

Locorum verò, in quibus decimæ ac bona ipsa sita, sunt hæc:

Scilicet Ecclesia S. Michaëlis in villa *Wemebriga*, cum omnibus appendiciis, decimis, pratis, agris, mancipiis, vectigalibus, excepto Regio Fisco.

Capella S. Crucis, in villa quæ dicitur *Gera*, cum omnibus decimis, & terris adjacentibus.

Capella de *Wara*, & quæ dicitur *Ridevorda*, cum omnibus decimis, & terris sibi attinentibus.

Capella S. Christophori juxta forum; Ecclesia de *Widisgatis*, & Ecclesia de *Kenilis*, cum omnibus terris, quæ ad nos pertinent ibidem:

Dickebusse, & Wormezeele, juxta Ipras. (7) Bodium de *Thicabusca*, bodium de *Formesela*, bodium de *Ipris*;

Dixmude. Ecclesia de *Esna*, cum Capellis suis, *Dicasmutha* & *Clare*;

In Parochia *Oostkercka* apud *Budanstit*; unum aratrum, & pars alterius, & grex unus ovium cum terra tota;

Fortè pecia. In Parochia *Redenburg* terra tota: item in eadem Parochia *Oostkercka* VIII. (8) pisæ caseorum, & denarii de vitulis; de terra *Herradi*, pisæ caseorum, & omnes denarii de vitulis, de terra *Osset* VII. pisæ caseorum, & denarii de vitulis.

De terra *Vulfras* VII. pisæ caseorum, & XV. arietes, & triginta vellera agnorum, & XV. vellera arietum, & XXX. vellera agnorum.

De terra *Frobbine* III. pisæ caseorum, & denarii de vitulis.

De terra *Werenbaldi* II. pisæ caseorum, & V. arietes, & X. vellera agnorum, & V. vellera unius agni, & X. agnorum.

De terra *Herradi* V. pisæ casei, & duodecim arietes, & XXIV. vellera agnorum, & XII. vellera arietum, & XXIV. vellera agnorum.

De terra *Tanchradi* I. pisa casei.

De terra *Everbaldi* & *Wulfildis* II. pisæ caseorum.

In Parochia *Holtawe* terra in *Wegha* circiter XL. mensur. diurn.

In Parochia *Utkerck* de terra *Blidasc* X. pisæ caseorum.

In Parochia *Oostkerck* terra *Tanchradi* L. diurn. mensur.

In Parochia S. Mariæ, terra pratorum XXXII. mensur. diurn.

In Parochia *Madkercka* terra, quæ dicitur *Haddiggaland*.

Volo etiam, quod prædicti Canonici caput sibi habeant, & Majorem, qui nominetur (9) *Præpositus*, quem sibi liberè ipsi possint eligere: & isti Præposito hæc bona similiter do, trado, & concedo, quorum primum est:

Ecclesia *Oorscamp*, cum omnibus decimis, & terra ibi sita.

Bodium in villa *Sarra*, cum XIV. bonariis, & XVII. mensur. diurn.

In *Liswega* LXII. mensur. diurn.

In *Uutkercke* LXXIX. mensur. diurn.

In *Dudzela* LV. mensur. diurn.

In *Michem* XIII. mensur. diurn.

In Parochia *S. Crucis* XLV. mensur. diurn. & I. curtile.

In *Wulpis* circiter D. & quinque mensur. diur.

In *Oostkercka* centum triginta oves, cum terra.

In *Artrica* I. curtile: apud *Dicasmuta* CC. oves, cum terra.

In Parochia *Lo*, X. mensur. diurn.

Apud *Busarica* CXX. mensur. diurn.

In *Jabeca* XXX. mensur. diurn.

In *Zarkenghem* X. mensur.

In *Leswega* XVI. mensur.

In *Riedsela* IX. mensur.

(3) Tornacensis Episcopus Hadulfus, qui anno 955. electus est: teste Flodoardo in Chronico.

(4) Morinensis. Fortè Wicfredus, qui anno 948. sedere cœpit. teste eodem Flodoardo.

(5) Papæ Romani. Notet Lector, Pontificum Romanorum concessione, variorum locorum Decimas ad manus Principum & aliorum Laicorum transiisse, intuitu beneficiorum ab iis Ecclesiæ præstitorum.

(6) Wandali. Olim haud dubiè Flandriam vastarunt: sed hîc Wandalorum nomine putem designari Normannos.

(7) Bodium. Id est, Fundus, *Bodem* Flandris.

(8) Pisa. Fortè idem hîc quod pondus, *pois* vel *poids* Gallicè. Nisi malis legere, Pecia, id est, pars, *Piece* Gallicè.

(9) Præpositus Ecclesiæ S. Donatiani, fuit olim Cancellarius hereditarius Comitis Flandriæ. Ea dignitas, unà cum dote Præpositurae, nunc est annexa Episcopatui Brugensi, quem anno 1559 Paulus IV. Papa instituit, petente Philippo II. Rege Catholico, Flandriæque Comite.

In Parochia (10) *S. Mariæ* Brugensis IV. curtilia & I. pratum.

In Parochia (11) *S. Salvatoris*, in castello forinseco II. curtilia.

Rogo insuper, & jubeo atque mando, ut nullus prædictæ meæ donationi contradicat, vel dictam Capellam *B. Mariæ*, ac *S. Donatiani* impetat, sive impediat super bonis prædictis. Si quis autem iis in aliquo contraire vel contradicere voluerit, quingentas libras auri persolvat, & si fuerit heres meus (quod absit) exheres sit, & maledictionem Dei & B. Virginis Matris ejus, & S. Donatiani, & omnium Sanctorum, & meam incurrat. Si verò donatarius sit ingratus, & dono meo careat & meorum, & privetur à meis heredibus, ut ingratus.

Actum *Brugis* II. Calend. Augusti, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo primo. An. 961.

(10) & (11) Dein etiam erectæ fuêre in Collegiatas. Addit.

CAPUT XXXV.

(1) Wicmannus, *novi Castri Gandensis ab Impp. Germanicis structi Comes, dat villam Theslam Monasterio Blandiniensi, anno* 962.

Vide Chronicon nostrum Belgicum ad ann. 962.

Vide Not. Ecclef. cap. 60.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, & individuæ Trinitatis. Cùm omnipotentis Patris sapientia, eademque & virtus & Verbum Dei, cuncta essentia constituit ex nihilo, solo verbo & imperio, universaliter hoc omni creaturæ constituit, ut factum sequeretur factorem.

Et cùm jam cuncta processissent valde bona à summo & bono Deo creata, omnia subdidit usui hominis, quem in hanc excellentiam componebat, ut consimilem Deo faceret, & universis à se super terram creatis præferret.

Colvener. Respicit ad Versum Persii: O curvæ in terras animæ & cælestium inanes!

Sed væ curvæ in terris animæ & cælestium inani, degeneranti à suo factore! Deperit omnis ea creatura, quæ nec aliquando per se animadvertit, ut declinaret à malo & faceret bonum. Unde ne homo penitus periret, quem ipse creavit Deus, hominem induit, quem etiam super cælestia exaltavit......

Præterea documenta dedit, quomodo spiritu humilibus, & eleëmosynam facientibus pateret ingressus cælestium ædium, & qualiter de terrenis negotiaremur cælestia.....

Quapropter in Dei nomine ego Wicmannus, (2) gratiâ Dei, non meis meritis Comes, flagrans amore cælestis hereditatis, cupiens adipisci quamdam particulam beatitudinis, cum his, qui patrimoniis suis Domino legaliter traditis cælestem pervenerunt ad hereditatem, salubre hoc mihi visum est ut ex bonis, à clemente Domino mihi collatis, aliquam providerem æternæ felicitatis mihi portionem.

Idcirco ad Monasterium Blandinium à sanctæ recordationis patre Amando antiquitus constitutum, & in honore Principis Apostolorum Petri, doctorisque gentium Pauli consecratum, ubi requiescunt corpora *SS. Wandregisili*, *Ansberti*, *Vulframni*, Archipræsulum, cum beata Christi Virgine *Amalberga*, cujusque Rector exstat & Abbas Deo devotus Womarus, cogitans ac pertractans; supernâ Dei inspirante clementiâ, delegavi & tradidi Domino Deo, sanctissimo ejus Apostolo

(1) Wicmannus, primus novi Castri Gandensis, ab Othone I. Imp. anno 949 ad ripam Legiæ fl. structi, Comes constitutus fuit. Huic Comitatui quatuor villæ, cum appendiciis, *Asneihe, Bochels, Axla, Hulsta cum tota Wasia, subjectæ fuerunt*; ut in Chronico ms. Gandensi legitur. Hæ villæ, quatuor Ministeria seu Ambacti vulgò vocantur, *Asneda, Bochout, Axel* & *Hulst*: quæ quidem villæ sive oppida sub Diœcesi Ultrajectina fuerunt usque ad annum 1559. quo multiplicatis in Belgica Episcopatibus, sub Diœcesi Gandensi sunt collocata.

Comites Gandenses.

I. Wicmannus uxorem habuit Lutgárdim, Arnulfi Magni Flandriæ Comitis filiam: ut in eodem Chronico, & in Diplomate supra recitato legitur. Obiit ea III. Kalend. Octobris, anno 961 teste Mejero.

II. Wicmannus ex ea filium Theodericum, similiter Comitem, sustulit, qui paterno diplomati subscripsit, & anno 977. cum conjuge sua Hildegarde dedit Monasterio Blandiniensi Cleiham. (nunc *Keiham* prope Dixmudam oppidum) in pago Flandrensi, anno Regis Lotharii XXII. & Abbatis, Womari XXIII. subscribentibus *Arnulfo* Marchiso Flandrensi juniore, & Arnulfo filio prædicti Theoderici Comitis, Indictione tertiâ: ut idem Mejerus tradit.

III. Arnulfus autem Comes uxorem habuit Lietgardam, deditque is anno 998. Blandiniensibus Ecclesiam in villa Materne, nunc *Matere*. Hujus donationis diplomati subscripserunt Theodericus & Adelbertus, filii Arnulfi Comitis: ut David Lindanus lib. 3. cap. 3. in sua Teneramonda refert.

IV Theodericus patri in Comitatu Gandensi traditur successisse: ut idem Lindanus commemorat.

Ceterum Castro Gandensi à Comitibus Flandriæ occupato, * Lambertus ab iisdem primus Castellanus Gandensis est constitutus: à quo ceteri deinde Castellani seu Vicecomites Gandenses, & ex iis orta Villanorum, nunc Comitum Isenghemii familia, genus duxerunt. De quibus vide Lindanum loco citato, qui & Castellanos Gandenses, & Comites Alostanos ex Gandensium Comitum stirpe deducit: & quidem verosimiliter.

* Aut Adelbertus.

Nam ex variis dictorum Comitum & Castellanorum cùm diplomatibus tum sigillis constat, utriusque familiæ idem cognomen De Gandavo, eademque insignia gentilitia fuisse.

Comitatum porrò Alostanum ex Comitibus Castri novi Gandensis Jacobus Marchantius derivatum scribit: quò facit, Alostanum Comitatum tunc exortum, quando Gandensis desiit.

(2) Gratia Dei, hoc est, Dei miseratione, ut Episcopi hodie scribunt. Quo sensu fere accipiendum

ſtolo Petro, ac ceteris Sanctis ibidem requieſcentibus, atque ſervis Dei in ipſo loco, nunc & in futurum militaturis, mei (3) villam juris THASLAM dictam, cum Eccleſia, mancipiis, culturis, pratis, paſcuis, ſilva & omni hereditate, quæ ad ipſam reſpicit & quidquid ſperatur pars prædictæ hereditatis.

HÆC omnia, ſicut præfatus ſum, ad idem venerabile Cœnobium Blandinienſe pro remedio animæ meæ, & conjugis meæ defunctæ LUITGARDIS, trado, transfundo, atque tranſcribo, & de jure meo cedens ei, juris poteſtatiſque dominium ejuſdem loci deſtino atque concedo, ut ipſi ſervi Dei amodo & deinceps hæc recipiant ad utilitatis ſuæ profectum, habeant, teneant, poſſideant abſque ullius contradictione vel refragatione: quatenus ipſi ſervi Dei ibidem ſecundùm regulam *S. Benedicti* viventes, Deoque ſervientes liberiùs & devotiùs pro me & conjuge mea nunc defuncta, cunctiſque prædeceſſoribus meis, omnipotentis Dei, Sanctorumque ejus exorent clementiam.

SI verò, quod futurum minimè credo, quiſquam de ſucceſſoribus meis, heredibus, aut proheredibus injurioſus contradictor, ſeu quælibet extranea perſona huic traditioni meæ contraire voluerit, & infirmare, quod multorum firmatum eſt fidelium auctoritate, in primis S. Trinitatis & S. Dei Genitricis Mariæ, B. Petri, ac deinde omnium Sanctorum iram incurrat, ob offenſam, perpetuæ maledictioni ſubjaceat, & partem habeat cum iis, qui hereditatem Domini voluerunt delere de terra. Tamen iniqua præſumptio non obtineat effectum, ſed hæc nunc traditio firma permaneat & inconvulſa.

ACTUM publicè in Monaſterio Blandinio, Kalendis Novembris, anno Verbi Incarnati DCCCCLXII. Indictione V. Lotharii Regis anno XIV. Domini Womari Abbatis VIII.

SIGNUM ipſius WICMANNI Comitis, qui hanc traditionem fecit, & illuſtrium virorum teſtimonio firmari petiit.

SIGNUM illuſtris ARNULPHI Comitis, patris ſupradictæ Luitgardis Comitiſſæ.

S. THEODORICI Comitis.

S. BALDUINI. S. ARNULFI.

S. ERICI. S. EVIRWINI.

EGO quoque Wichardus, etſi indignus Monachus, interfui & ſubſcripſi.

eſt in diplomatibus, quæ minorum gentium proceres iſtâ ætate ediderunt.

(3) THASLA VILLA, nunc *Deſſelberg*, vicus prope Gandavum.

CAPUT XXXVI.

Idem de quo cap. 33.

LOTHARIUS *Rex varia prædia Bavonenſi Monaſterio an. 967 confirmat, petente Balduino Comite Cameracenſi.*

Vide etiam cap. 49. ſupra: & Chron Belg ad hanc an.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

LOTHARIUS gratiâ Dei Rex. Si ea quæ fideles noſtri pro ſtatu & utilitate Eccleſiarum in locis ſibi commiſſis ſtatuerunt, noſtris confirmamus Edictis, hoc nobis proculdubio ad æternam beatitudinem, & totius regni à Deo nobis commiſſi tutelam, manſurum eſſe credimus, & retributorem Deum exinde in futuro nos habere confidimus.

An. 914. vel 915.

Igitur ſit notum omnibus tam præſentibus quàm futuris Sanctæ Matris Eccleſiæ filiis, quòd venerabilis Comes ARNULPHUS, noſter videlicet conſanguineus, & regni noſtri Marchio nobiliſſimus, noſtram adiens Excellentiam, humiliter petierit, ut quoddam Monaſterium, in honore B. Petri Apoſtolorum Principis conſtructum ſuper fluvium *Scaldim*, quod antiquitus vocatum eſt GANDA, pro cavendo ejuſdem Cœnobii futuro periculo, & ſtatu Monaſticæ Religionis ibidem perpetualiter corroborando, noſtræ auctoritatis præcepto muniremus. Cujus petitioni tunc aſſenſum præbuimus, & ſtatuimus, ut idem Monaſterium, cum Dei auxilio, à prædicto ARNULPHO venerabili Comite moderno tempore reſtauratum, & in melius exaltatum, juxta ejuſdem loci ſcripta, & regularia ſeu Imperatoria præcepta, in ordine Monaſtico, ſub regulari diſciplina, res ſuas, piâ largitione fidelium conceſſas, quietè poſſideret. Decrevimus.... quod & regiâ auctoritate cum omni imperio præcipimus, ut præfato Monaſterio de rebus ſuis aliquod diſpendium nemo unquam inferre præſumeret, neque ad dominium ſeu Prioratum ejuſdem loci, aliquis tyrannicâ uſurpatione aſcenderet, ſive per generis nobilitatem, ſive turpis lucri illicitâ largitione, ſed ſecundùm B. Benedicti Regulam ibi Abbas conſtitueretur, & conſtitutus legitimâ poteſtate uteretur.

NUNC verò illuſtri Comite ARNULPHO ab hac vita ſublato, & ad ſuperos, ut credimus, tranſ-

MEIJERUS in Annalibus Flandriæ an. 967 Diplomatis hujus diſertè meminit, ut & alibi aliorum à nobis productorum.

(1) BALDUINUS BALZO. De eo ſic idem Meyerus: *Anno 973. obiit Balduinus, qui & Balzo, cognomine Brevis, filius Rodulphi Comitis Cameracenſis*, ſepeliturque Gandavi ad D. Petri.

De Rodulpho, Balduini Ferrei filio, Balzonis patre, per Heribertum Veromanduorum Comitem in prælio an. 898 occiſo, ſic Regino Prumienſis, in geſtis anni 899. *Rodulphus Comes pagi Cameracenſis, frater Balduini Comitis Flandrenſis, in ira commotus, propter Caſtella ab Odone Rege ſibi ablata, S. Quintini, & Peronam, dum deprædari non ceſſat Abbatiam S. Quintini, ab* Heriberto *Comite in bello occiditur.*

transfvecto, (1) Balduinus cognomento Balzo, noster ejusque consanguineus, ... (2) Arnolphi pueri, filii Balduini, filii sæpe dicti memorabilis Arnulphi, cum Reverendo Abbate Womaro, solertissimo sanctæ Religionis fautore, ac insigni propugnatore, & prælibati Gandensis Monasterii Rectore, nostram adiit Serenitatem, petens nostræ auctoritatis munimentum erga idem revocare Monasterium.

Nos verò eorum nihilominus annuentes saluberrimis petitionibus, interventu etiam dilectæ matris nostræ (3) Gerbergæ scilicet, & amabilis conjugis nostræ Emmæ, illorum Deo dignam adimplevimus postulationem, & hanc nostræ auctoritatis defensionem eis concessimus super idem Monasterium, & ejus res infra Regni nostri terminos constitutas.

In primis ergo, ex auctoritate omnipotentis Dei, à quo omne regnum & imperium est, & nostrâ, præcipimus, ut nullus Episcoporum aut Archiepiscoporum, qualicumque causâ existente, locum illum invadere, aut bannire aliquo modo audeat, nisi priùs res ad aures nostri imperii referatur, & tunc consilio nostro definiatur.

Appendentia autem hæc roboramus, omnes mansiones ultra Legiam de portu Gandavo: in *Heckenghem* mansiones decem cum Ecclesia & omnibus appendiciis, id est, in *Maglina*, mansus unus & villa *Gondelghem*, cum omnibus appendiciis suis, id est, terris, pratis, pascuis, silvis, villa *Slola & Slouderega & Desseldonck, & Tonenscla, & Spenghedonck, & Metmedonck*, cum Ecclesia, villa *Singen*, cum appendiciis suis.

In villa *Hadertinia*, mansi duo, in villa *Benghina*, mansi duo, in villa *Hemboius* mansi duo, villa *Herlinghen*, cum appendiciis, id est, terris, pratis, pascuis, silvis.

Cortryck, Singhem. In pago *Curtracensi*, *Singhehem*, mansi decem, cum Ecclesia & reliquis appendiciis, id est, terris, pratis, pascuis, silvis.

In *Haulinghem*, mansus unus, in *Aspre*, quarta pars Ecclesiæ, & septem mansi, in *Geudinghem* mansi septem, villa *Esloa*, cum triginta octo mansis & Ecclesia & reliquis adjacentiis, scilicet terris, pratis, pascuis, silvis.

Caneghem prope Tielt in territorio Cortracensi. In *Caneghem*, cum mansis tribus & Ecclesia in pago **Metelentensi*, in *Wilda*, mansus unus, in *Merendra*, mansi tres, in pago *Flandrensi*, in *Rodenborch*, mater Ecclesia cum capella & omnibus appendiciis.

* Melanthoys.

Præcaventes itaque antiqui hostis insidias, quibus servorum Dei quietem conturbare & multiformi calliditate molestare nititur, reverendo Abbati *Womaro* & ejusdem loci fratribus hanc nostræ auctoritatis tutelam, contra... perturbationis jacula, opponendam concedimus.

Videlicet ut prædicto Abbati, ejusque Fratribus, nullus Laicorum, sive Clericorum, sive Secularium, non aliquis Princeps vim aliquam inferat, nullus judex publicus ex judiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, aut agros, seu reliquas possessiones memorati Cœnobii, quas moderno tempore infra ditionem nostri imperii justè & rationabiliter possidet, vel eas quas in jure ipsius loci voluerit divina pietas augere, ad caussam audiendam, vel fredas aut tributa exigenda, vel mansiones aut paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem Monasterii, tam ingenuos quàm servos super terras ipsius commanentes, absque Abbatis jussu distringendos vel ullas redibitiones aut illicitas occasiones quærendas, nostris vel futuris temporibus, ingredi audeat vel valeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat, nec de ordinationibus Monasterii, nisi ad hoc rogatus, secundùm regulam S. Benedicti, se quisquam intromittat, nec ullam penitus vim banni aut similium inferat.

Quieto itaque jure cuncta quæ possident, & quæ Deo auxiliatore, acquisituri vel adepturi sunt, usibus eorum deserviant, quatenus absque penuria & infestatione cujusquam, tam pro anima venerabilis Arnulphi ceterorumque suorum benefactorum, quàm etiam pro totius regni nostri quiete & utilitate, divinis laudibus incumbentes, divinam clementiam exorent.

Quisquis igitur contra hujus præceptionis munimentum aliquid sinistri molitus fuerit, quod neminem facturum credimus, omnipotentis Dei iram incurrat, & judicio fidelium convictus, reatus sui pœnas exsolvens, centum auri libras coactus Monasterio conferat, & quod illicitè tentavit, frustretur & inane fiat.

Quæ nostræ Constitutionis auctoritas ut firmior inconvulsaque.... servetur, hoc ei præceptum fieri jussimus, & annulo nostri Palatii subfirmantes præcepimus insigniri.

Datum III. Nonas Maii, regnante Domino Lothario (4) anno XII. Indictione X. Actum (5) Nobiliaco feliciter, anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. LXVII. An. 967.

CA-

(2) Arnolphus, sive Arnulphus, eo nomine secundus Flandriæ Comes, patrem Balduinum eo nomine tertium an. 961. adhuc puer amisit. Ejus immaturam imperio pueritiam avus paternus *Arnulphus Magnus* aliquandiu rexit: quo defuncto curam illam *Balduinus Balzo* excepit.

(3) Gerberga. De ea agemus cap. sequenti.

(4) Anno XII. Hic calculus annorum Christi & Lotharii Regis exactè respondet calculo Sigeberti in Chronico.

(5) Nobiliacus, seu Nobiliacum oppidum, ac Monasterium S. Vedasti, *la Ville d'Arras*, est vetustæ Atrebatium civitati (quam Julius Cæsar Nemetocernam, Antoninus in Itinerario Nemetacum nuncupat, quæque nunc *la Cité d'Arras* dicitur) contiguum, muris tamen ac portis discretum. Monasterium ipsum, jam inde à temporibus Theoderici Regis, Nobiliacum est nuncupatum: ut ex ejus Diplomate constat. In civitate Episcopus Atrebatensis, cum Collegio suo Canonicorum, residet, & politicam Jurisdictionem exercet: in Nobiliaco, quod civitatem amplitudine multò nunc superat, Abbatia Vedastina visitur. Ea haud dubiè, postquam à Theoderico Rege copiosissimè ditata fuerat, occasionem dedit & causam urbis exstruendæ, confluentibus nimirum cùm accolis tum exteris, ad S. Vedasti Reliquias, miraculis tunc celebres, honorandas.

Sic & Audomaropolis, *S. Omer*, in eadem Provincia, Gislenopolis, *S. Gislain*, in Hannonia, Trudonopolis, *S. Tron*, in ditione Leodicensi, & alia alibi oppida originem atque incrementa sua Monasteriis debent.

CAPUT XXXVII.

GERBERGA *Francorum Regina alodium Marsanense, prope Trajectum Mosæ, donat Monasterio S. Remigii Remensis an.* 968.

Vide Chronicon nostrum Belgicum ad hunc annum. Vide Donat. Belg. lib. 1. cap. 58. Contuli cum originali an. 1628. quod est in Eaucourt primo lapide à Bapalme in Diœc. Atrebatens. viâ Ambianensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. (1) GERBERGA divinâ dispensante clementiâ, humilis Francorum Regina.

Cùm omnis sancta Ecclesia, ab exordio Christianæ Religionis, rite dispositis quibusque ecclesiasticis utilitatibus, donis sit maximè ditata regalibus, dignum profectò ducimus, si morem antiquorum sequentes, ex rebus nostris eamdem honorantes sublimamus, sperantes à Domino bonis æternalibus remunerari, cujus pietatis consilio actus nostros optamus in salutem dirigi.

Quocirca fidelium præsentium universitati, simul & secuturorum notum sit posteritati, quoniam locum S. REMIGII magnifici Doctoris, Francorum Apostoli, admodum gaudentes rerum incrementis feliciter prosperari, ac multiplici bonorum copiâ fortunatum haberi, delegantes solemniter per manus fidelis Advocati nostri, Comitis ARNULFI, legitimâ vestiturâ cum consilio, pietate quoque ac benigno assensu Domini OTTONIS Imperatoris Augusti, tradimus S. Remigio quoddam juris nostri prædium in alodo, in honore S. Petri consecratum, vocabulo (2) MARSNAM, in Comitatu MASAUGO, cum omnibus ad ipsum prædium pertinentibus, id est, (3) *Clumam* & (4) *Litam*, cum appendiciis suis, (5) *Hertram* & (6) *Angleduram*, cum appendiciis suis, superadditis etiam rebus aliis, quæcumque ex ipso fisco in jus dominicum jam olim devenerant: adstantibus etiam, imo collaudantibus atque confirmantibus (7) GERARDO Tullensi Episcopo, atque Comitibus EMMONE & *ANSFRIDO, nonnullisque aliis nobilibus suis. (Marsen.) (* Sic in originali semper.)

Fidentes utique tanti patris & patroni nostri plurimùm meritis adjuvari, totumque hoc agentes pro salute videlicet nostra, & remedio senioris nostri piæ memoriæ (8) GISLEBERTI, suique parentum, patris scilicet & matris, RAGENERI & ALBRADÆ, eâ scilicet ratione, ut idem locus S. Remigii, qui semper ab antiquo regiis donationibus, utpote caput Franciæ, fuerat honoratus, nostris etiam donis regalibus ditescat & polleat uberiùs, ipsumque alodum, ut sui proprium jure legitimo firmiter tenendo in perpetuum possideat, quatenus memoriam nostri ac præfati viri senioris nostri GISLEBERTI apud se jugiter fixam idem locus habeat, suisque orationibus perpetuis & sacrificiorum muneribus & votis, in conspectu Dei ejusdem * memoriam piissimè recolat. (* In originali habetur memoriæ.)

Ipsum autem alodum sub omni rerum integritate legitimâ exterminatione constat, habens mansos LXXXII, cum terris videlicet cultis & incultis, silvis, pratis, vineis, & pascuis, campis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, exitibus & regressibus.

Ceterùm si quis fortè olim tentaverit hanc traditionem regiam inquietare, eique nefas aliquod ex adverso irrogare, pœnas temeritati suæ obnoxias, ut reus majestatis, exsolvat, imo etiam Deo & S. Remigio, cum omni emendatione, juxta legis decretum satisfaciat: & sic hæc Regalis donatio nostra inviolabilis semper permaneat & inconvulsa.

Actum IV. Idus Februarii anno Incarnationis

(1) GERBERGA. Henrici Aucupis filia, Othonis I. Imp. soror, anno 929 primùm *Gisleberto* Lotharingiæ Duci, post *Ludovico Transmarino*, Francorum Regi, Caroli Simplicis filio anno 939 nupta fuit.

(2) MARSNA. Reginoni Marsana, *Mersen*, Palatium olim Regium, nunc municipium amplum, secundo lapide à Trajecto Mosæ, cum Monasteriolo seu * Præpositura, ut loquuntur: quam ad nostra usque tempora Monachi Benedictini ex Remensi S. Remigii Cœnobio, possederunt, & annis superioribus, viâ permutationis aliorum in Francia prædiorum, cesserunt Canonicis Regularibus Cœnobii quod Aquas curtas, *Eaucourt*, in Artesia nuncupant, cujus Abbas Isembardus Le Cocq anno 1628. his titulis insignitur: Comes de Courcelles, Toparcha de Ligny, Walencour, Præpositus & Dominus in Merlsen, Clemmen, Beke &c. Vide supra cap. 17. (* Theodoricus Præpositus de Marsna nominatur Testis in literis Godefridi III Lotharingiæ Ducis quibus restituit ann. 1160. Litam Monasterio S. Remigii.)

(3) CLUMA. Nunc Clemmen, vel Clummen, vicus agri Falcoburgensis.

(4) LITA, seu Lena, *Littey*, vicus Brabantiæ prope Sylvam-Ducis. (Vide Diplom. Belgic. c. 61.)

(5) HERTRA. Nunc Ertrem vel Erthen prope Leodicum.

(6) ANGLEDURA. Angleure, in eodem tractu.

(7) GERARDUS. Tullensis Episcopus, Coloniâ Agrippinâ oriundus, est is, nisi fallor, quem Leo IX. Papa in Catalogum Sanctorum retulit: ut Wibertus lib. 2. de rebus gestis ejusdem Leonis cap. 6. & Sigebertus in Chronico ad annum 1052. commemorant. (Colitur die 23. April.)

(8) GISLEBERTUS, seu Gislebertus Lotharingiæ Dux, primus Gerbergæ maritus, fuit RAGINERI Lucis (ut ipsum Regino in gestis anni 898. nuncupat) & ALBRADÆ filius: ut ex Diplomate jam recitato, itemque ex Flodoardi Chronico, & ex Fragmento Gallici scriptoris, quod ex Conrado Abbate Urspergensi Petrus Pithæus recitat, certò constat. (Vide supra cap. 32. in Notis.)

In Fragmento illo sic legitur: Hâc tempestate REGANARUS vir nobilis, partium Caroli Simplicis fidissimus tutor, finem vitæ accepit, cujus exequiis Carolus interfuit. Hisque peractis *Gisleberto* ejus filio jam adulto paternum honorem, coram Principibus, qui confluxerant, liberalissimè contulit. Hic cùm esset opibus & genere inclytus, & conjugio GERBERGÆ, Henrici Transrhenensis filiæ, satis beatus, in nimiam præ insolentia temeritatem præceps ferebatur, multaque pro abjectione Regis Caroli moliebatur. Sed victus, Rhenum pertransiens, annis aliquot apud socerum suum Henricum, patrimonio privatus, exulavit. Evoluto autem tempore, Henricus egit apud Regem Carolum, ut Gislebertus reciperetur in gratiam. Recepit itaque *Trajectum, Jupiliam, Harstallum, Marsnam, Litam & Capramontem*. Exinde in Celticam secessit, & in Neustriam transiit: sicque cum ROBERTO, Othonis sive Odonis Regis fratre, qui

nis Dominicæ DCCCCLXVIII. in præfato Comitatu in villa quæ dicitur HACTA anno XXXII. regnante Domno Othone Imperatore inclyto, ac Cæsare Augusto, filio quoque ejus æquivoco regnante anno VII.

S. Domnæ GERBERGÆ gloriosæ Reginæ, quæ Regiæ auctoritatis manu hoc scriptum, quod fieri jussit, dignanter corroboravit, & aliis confirmare mandavit.

S. Juvenis magnæ indolis (9) CAROLI.

(10) S. ARNULFI Comitis, qui vice Domnæ Reginæ hanc traditionem fecit.

(11) S. Emmonis Comitis. (12) S. Ansfridi Comitis.

S. Huberti. S. item Huberti
S. Gotramni. S. Franconis.
S. Gerardi. S. Euruini.
S. Adelstamni. S. Huniconis.
S. Godeleni. (13) S. Isaac.
S. Theoderici. S. Onulfi.
(14) S. Wilberti. S. Rotlandi.
S. Rageneri.

Data pridie Idus Februarii, manu Domnæ Reginæ, & suscepta à Domno Abbate HUGONE, qui ibi affuit cum suo Advocato EMMONE prædicto Comite.

erat Dux Celticæ, consilium pertractavit, suggerens ei de regni susceptione, & Caroli abjectione. Procedente autem tempore Robertus, collectis Principibus, an. 922 Rex est effectus.

Sic fere in Fragmento supra citato apud Conradum Abbatem Urspergensem legitur. His consonant ea quæ Flodoardus in Chronico ad an. 922. de Gisleberto narrat.

Ejusdem porrò, ut arbitror, Regeneri seu Ragineri Ducis est Diploma, quod anno 913 Indictione primâ, die 9 mensis Maii scriptum, Harçus in Annalibus Brabantiæ citat, quo is amplissimum latifundium Monasterio S. Matthiæ Treverensis dono dedit.

GISLEBERTUM verò fuisse fratrem Ragineri Longicolli, Hannoniæ Comitis, idem Flodoardus in Chronico ad an. 924. testatur: *Interea* Gislebertum Berengarius (*Lomensis seu Namurcensis Comes*) *qui sororem ipsius habebat, comprehendit; eumque oblatis obsidibus sibi pro eo filiis* Ragenarii, *fratris ipsius* Gisleberti, *dimisit. Idem verò* Gislebertus *dimissus, terram Berengarii* Ragenariique *fratris sui*, & Isaac *Comitis* (*Cameracensis*) *deprædationibus plurimis vastat.* Vide plura cap. 32. supra.

(9) CAROLUS, Dux Lotharingiæ, juvenis hîc nuncupatur, utpote an. 953 Lauduni matre Gerbergâ natus: ut idem Flodoardus in Chronico scribit.

(10) ARNULFUS. Non Flandrensis, sed alterius pagi Comes, traditionem fecit tanquam Vicarius Gerbergæ. De hoc Arnulfo agit fortasse Flodoardus in Chronico an. 959

(11) EMMO, sive Immo Comes, primùm Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, ac Lotharingiæ Ducis consiliarius fuit; post hostis factus, Capræmontem an. 960 munivit contra eundem Brunonem; teste Flodoardo.

(12) AUFRIDUS Comes Bratuspantium, post Episcopus Ultrajectinus: de quo vide supra in Notis cap. 32.

(13) ISAAC Comes Cameracensis, qui varias contentiones cum Stephano & Fulberto Episcopis Cameracensibus habuit: ut Baldericus lib. 1. cap. 65. & 70. narrat.

(14) WILBERTUS seu Guibertus Comes, & fundator Abbatiæ Gemblacensis in Brabantia: de quo supra cap. 32. egimus.

Ceterùm ex supradictis abundè liquet, *Ragineruum Longicollum* non *Manassis* (ut Lipsius, Gursius & alii scripserunt, qui fingunt Ragineruum filium Manassis, & Manassem filium Albonis, &c. quæ omnia sunt fictitia, aut Gomicurtius) sed *Ragineri* Ducis filium fuisse. *Manasses* autem (cujus occasione error natus est) Comes in Burgundia fuit, itemque fundator Monasterii S Viventii in Diœcesi Augustodunensi, ubi & sepultus jacet cum conjuge sua HERMANGARDA. Ex ea filium reliquit GISLEBERTUM, qui Burgundiæ Dux fuit, post obitum *Hugonis* cognomento *Nigri*: ut Quercetanus in sua Burgundia testatur.

CAPUT XXXVIII.

OTHO II. *Imp. prædia ablata Monachis S. Bavonis Gandensis restituit, anno 974.*

Vide supra c. 36. & Chron. Belg ad hunc an.

IN nomine Domini Dei æterni, ac Salvatoris nostri, Jesu Christi, supernâ largiente clementiâ OTHO Imperator Augustus.

SI locis, divinis cultibus mancipatis, emolumentum nostræ largitatis impendimus, id nobis procul dubio, ad præsentem vitam faciliùs transigendam, & ad æternam feliciùs capessendam, prodesse confidimus. Idcirco notum esse volumus omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm futurorum industriæ, qualiter venerabilis WOMARUS Abbas Cœnobii S. Confessoris Christi BAVONIS, Domini genitoris nostri OTHONIS, bonæ memoriæ præcellentissimi Imperatoris, Excellentiam adierit, ejus benignissimam interpellans Serenitatem, super aliquibus rebus, infra regni nostri terminos constitutis, prædicto Cœnobio S. BAVONIS aliquamdiu injustè præreptis, qui continuo more sibi consuetæ pietatis, ejus libentissimè assensum præbuit justæ petitioni, constituens & imperans præfato loco & fratribus easdem res, cum omni integritate restitui, quas etiam antea sæpe fratribus ejusdem loci, pro hoc æquè cum adeuntibus, benignè reddiderat: sed humani debiti forte præventus, ad meliora, ut credimus, transmigrans, nullum super hoc Imperialis auctoritatis scriptum ediderat.

QUAPROPTER post illius ex hac luce decessum, jam dicti venerabilis Abbatis monachi nostram adierunt Celsitudinem, rogantes ut secundùm pii nostri genitoris laudabile votum, nostræ quoque largitatis & immunitatis eis prospicere dignaretur auctoritas. Nos verò hæc omnia à fidelibus nostris comperta, procul dubiò vera esse non ignorantes, ob spem divinæ remunerationis, ac pro salute animæ ejusdem carissimi nostri patris, atque statu & incolumitate regni vel Imperii nostri, piam illorum

illorum nolumus frustrari petitionem, sed insuper res ipsas diu sibi ablatas, omni cum integritate, eis restituentes, nostræ auctoritatis immunitate ac tuitione confirmamus.

Taxandria Nordet-Wyck.

Reyn. Bouchout prope Antverp.

NOMINA autem rerum hæc sunt, hoc est, in pago *Tessandriæ*, *Nordrewic*, cum Ecclesia & omnibus appendiciis, & in pago *Bragbatense*, *Setbleta*, cum Ecclesia & omnibus suis adjacentiis: in pago quoque *Rien*, *Bouchelt*, æquè cum Ecclesia, & reliquis appenditiis.

HÆC ergo omnia sub perpetua immunitatis nostræ tuitione esse volumus, ita ut nullus noster Comes, aut Judex, aut Vicarius, aut publicus fisci exactor, vel Advocatus, vel alius aliquis, prænominatas villas ingredi audeat, ad fredas exigendas, vel paratas exigendas, vel hominibus præscripti Monasterii inibi habitantibus districtionem ingerendi, vel aliud quid potestatis exercendi, licentiam aut potestatem habeat: nisi Abbas & Advocatus, quem sibi ipse utilem & necessarium elegerit.

QUISQUIS igitur contra hujus nostræ præceptionis munimen, quod futurum minimè credimus, aliquid sinistrum molitus fuerit, primò omnipotentis Dei iram incurrat, & judicio fidelium convictus, reatûs sui pœnam exsolvens, centum auri libras coactus dicto Monasterio reddat, & quod illicitè tentaverit, frustretur & inane fiat. Et ut firmiùs maneat inconvulsumque servetur, hoc ei præceptum fieri jussimus, quod & propriâ manu firmavimus, annulique nostri impressione signari jussimus.

Signum Domini OTHONIS invictissimi Imperatoris.

(1) WILLIGISUS Cancellarius, ad vicem ROTBERTI Archicapellani notavi. Datum XII. Kalen. Febr. anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. LXXIV. Indictione II. anno regni Domini Othonis XIII. Imperii autem IV. Actum (2) *Bosgrat* in Domino feliciter, Amen.

(1) WILLIGISUS Archiepiscopus Moguntinus, humili ortus genere, patrem habuit hamaxurgum seu carpentarium, qui victûs quotidiani causâ, rotas & plaustra conficere soleret. Utque sese intra rectæ rationis ac modestiæ gyrum contineret, pristinamque suam tenuitatem semper ob oculos haberet, passim in ædificiis & parietibus rotas pinxit atque incidit. Quas pro suis hodieque insignibus non solùm Moguntina civitas, sed ipsi etiam Moguntini Archiepiscopi retinent.

Fuit primus Electus Moguntinus, obiitque an. 1011.

(2) BOSGRAT. Ita legitur in autographo, quod etiamnum Gandavi in Archiviis Palatii Episcopalis exstat: ut mirer, unde Meiero in mentem venerit hic legere, *Actum Brosella*. Potuit is legisse *Bruohsela*, & non *Brosella*, in aliis duobus diplomatibus, quorum autographa ibidem adservantur, & quorum prius sic finitur: *XIV. Kal. Febr. anno Dominica Incarnationis DCCCC. LXXVI. Indictione IV, an. verò regni Domini Othonis XV. Imperii X. actum Bruohsela.*

Alterum sic finitur: *XV. Kal. Febr. anno Dominica Incarnationis DCCCC. LXXVI. &c. ut supra.*

CAPUT XXXIX.

OTHO *II. Imp. confirmat possessiones Ecclesiæ Leodicensis, anno* 980.

Vide Chronicon Belg. ad hunc an.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTHO divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Noverint omnes nostri fideles, tam præsentes quàm etiam futuri, quòd venerabilis Episcopus Leodicensium NOTKERUS præcepta quædam nostris obtulit obtutibus, quæ ab antecessoribus nostris *Pipino*, *Carolo*, *Lodovico*, & item *Carolo*, Regibus Francorum, collata erant Ecclesiæ S. Mariæ & S. Lamberti, & insuper à patre nostro OTHONE Imperatore confirmata, super universas possessiones ejusdem Matris Ecclesiæ: quarum istæ sunt capitales (1) *Hoium*, (2) *Fosses*, *Lobies*, (3) *Tungres*, (4) *Maslines*.... & super cetera loca, cum omnibus rebus & hominibus ad ea pertinentibus, ut omni publicâ potestate exclusâ, in manu Episcopi singulariter consistant.

Nos itaque eamdem sanctæ Ecclesiæ dignitatem considerantes, Imperiali Edicto præcipimus, ut nullus Comes, nullus Judex, nisi cui Episcopus commiserit, audeat potestatem exercere super ea loca, neque placitum habere, aut freda, aut tributa, aut bannos, aut telonia, aut reditus de statione navium exigere, neque in quibuslibet aliis, quæ vel nunc habentur, vel de cetero habenda sunt.

SIQUIS autem contra hoc nostrum præceptum egerit, & ullam vim in rebus Ecclesiæ, sub nomine potestatis, fecerit, & bannum regium componat, & conatus ejus irritus fiat. Hanc auctoritatem manu propriâ firmavimus & annuli nostri impressione signari jussimus.

(5) HILDIBALDUS Cancellarius, ad vicem WILLIGISI Archicapellani, notavi. Datum VIII. Idus Januarii, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo, regni OTHONIS II. decimo nono, Imperii verò XIII. Indictione VI. Actum in Gruona.

C A-

(1) HOIUM. Oppidum ditionis hodieque Leodicensis ad Mosam fl. ab *Hoio* ejusdem nominis fluvio sic dictum. Ecclesia S. Mariæ in Hoio pertinuit olim ad Ecclesiam Cameracensem. Vide Baldericum in Chron. Cameracensi lib. 1. cap. 52.

(2) FOSSAS, LOBIAS, seu Laubias. Vide supra pag. 31.

(3) TUNGRORUM oppidum, *Tongres*, Episcopi olim Tungrensis Sedes, qui nunc Leodici residet ab anno 709, quo S. Hubertus Cathedram Trajecto Leodicum transtulit, cum corpore S. Lamberti.

(4) MASLINES, hodie Mechlinia. In Ecclesia S. Rumoldi, nunc Metropolitanâ, olim erat Monasterium duodecim Canonicorum, institutum à Notgero Leodiensi Episcopo. Fuit juris ac ditionis Leodiensis; solebatque Præpositus Capituli eligi de gremio Canonicorum S. Lamberti Leodii. Addit.

(5) HILDIBALDUS. Fuit Episcopus Wormatiensis, obiitque anno 997. Ita Liber de Cancellariis Imperii. Addit.

CAPUT XL.

OTHO III. *Imp. an.* 985 *donat Notgero Leodicensi Episcopo Comitatum Hoiensem, seu Huiensem, quem Ausfridus Comes antea tenuerat.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTHO, divinâ favente clementiâ, Rex. Cunctis fidelibus nostris, præsentibus scilicet atque futuris, per scripti hujus prætitulationem manifestari volumus: quia adiit Celsitudinem nostram venerabilis, & fidelitatis nostræ in omnibus executor, NOTKERUS, Tungrensium vel Leodicensium Episcopus, ut ei vel successoribus suis, S. Mariæ, Sanctoque Lamberto deservituris, Comitatum HOIENSEM, qui in nostra ditione hactenus erat, quemque (1) ANSFRIDUS Comes, illustris vir, qui illum ad præsens tenebat, pro Dei honore, & prædictorum Sanctorum veneratione, ipsiusque Episcopi amore reddiderat, perpetuò habendum concederemus.

ET quia quod reliquum erat regiæ ditionis, in moneta scilicet, & telonio, reliquisque redditibus, munificentiâ Regum vel Imperatorum, prædecessorum nostrorum, Ecclesiæ S. Mariæ, in Leodio vel Hoio positæ, jam cesserat & dilectissima mater nostra THEOPHANIA (2) Imperatrix, fiendum petebat, ratum duximus ejus subservire petitioni.

IGITUR super id quod ab antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus, Ecclesiæ jam dictæ Tungrensi vel Leodiensi concessum fuerat, scilicet in vicis *Trajecto*, *Hoio*, *Namuco*, (3) *Deonanto*, vel in Monasteriis, castellis, cortibus, & villis, jam ad servitium ejusdem Episcopi acquisitis, vel de cetero adquirendis, id est, ut nullus Comes vel sub Comite agens, vel Judex, aut ex judiciaria potestate, exceptis eis qui ab Episcopo suffecti fuerint, in loca supradicta residere audeat, vel ad caussas audiendas, aut freda aut tributa, aut bannos, aut telonia aut reditum de statione navium, aut aliquod omnino districtum exigendum, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut ullas redibitiones aut illicitas occasiones inquirendas, sicut continebatur in præceptis Regiis vel Imperialibus, munificentiæ vel immunitatis intuitu, super denominatis Ecclesiis jam olim concessis.

SUPER hæc, inquam, omnia, quæ dicta sunt, quæque ab Antecessoribus nostris Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Sanctique Lamberti concessa sunt, concedimus eidem venerabili NOTKERO Episcopo, & per eum, omnibus ejus successoribus, quod reliquum *Hoiensis* Comitatûs in nostra ditione superfuerat, infra eumdem vicum, vel extra, ut tam idem Episcopus, quàm & reliqui per succedentia tempora Episcopi, cuicumque fidelium suorum & nostrorum militum vel amicorum, dari illum censuerint, liberam habeant facultatem: salvâ tamen, si ita Episcopo visum fuerit, in dando nostrâ reverentiâ; vel propter debitum nobis ab omnibus honorem, vel propter bannum legaliùs faciendum.

ITAQUE pro animæ nostræ vel antecessorum nostrorum remedio, vel Dei servitio meliùs & fideliùs explendo, quidquid Cameræ nostræ provenire poterat ex Comitatu jam dicto, Ecclesiæ supradictæ, vel nostri Episcopi .... cedendum permittimus.

ET ut hoc auctoritatis nostræ præceptum & firmiùs credatur, & diligentiùs ab omnibus observetur, manu propriâ firmavimus, & annuli nostri impressione subtersignari jussimus.

(4) HILDIBALDUS Episcopus & Cancellarius, vice WILLIGISI Archicapellani, recognovi. Datum Nonis Junii, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo quinto, Indictione XIII. anno verò Tertii Othonis regnantis secundo. Actum in (5) *Gilenheim*, feliciter, amen.

C A-

(1) ANSFRIDUS ex Hoiensium & Bratuspantium, seu Lovaniensium Comite cùm factus esset Episcopus Ultrajectinus anno 990. Otho III. Imp. Comitatum Hoiensem Ecclesiæ Leodicensi perpetuò habendum concessit. Vide supra cap. 32. & infra cap. 42. in Notis.

Perpetuò, inquam, habendum concessit: quod nota, ut rarum illo ævo. Nam Comitatus & similes præfecturæ iis temporibus non erant perpetuæ aut hereditariæ: ut in Annalibus Belgicis docui..

Addit. (2) *Theophania* seu *Tiphania*, filia Constantini Porphyrogeneiæ Imperatoris Græcorum, data fuerat Uxor Othoni II. Imp. ut per hoc conjugium foedus inter utrumque Imperium Occidentale & Orientale sanciretur: quod tamen non evênit.

(3) DEONANTUM. Vide supra cap. 21. pag. 32.

(4) De Hildibaldo & Willigiso vide pag. præcedenti in Notis. Addit.

(5) GILENHEIM. (*Ingilenheim*) legere mallet Gonicurtius, olim Palatium Imperiale inter Moguntiam & Bingam.

Natus est ibidem Carolus Magnus Imperator anno 742, obiitque Imp. Ludovicus Pius 840. Est insuper locus celeberrimus in Hist. Eccles. ob varia Concilia illic habita. Addit.

CAPUT XLI.

OTHONIS III. *Imp. Diploma largitionis, quâ Theodericum Hollandiæ Comitem, Avunculum suum, est prosecutus an.* 985.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTHO, divinâ favente clementiâ Rex.

CUNCTIS fidelibus nostris, præsentibus scilicet atque futuris, manifestum esse volumus quomodo nos ob votum & amorem dilectæ genitricis nostræ, THEOPHANIÆ, videlicet Imperatricis Augustæ, nec non interventu fidelium nostrorum ECBERTI Treverensis Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopi, ac nepotis nostri HENRICI Bavariorum Ducis, fideli nostro THEODERICO Comiti, quidquid nostro concessu hactenus in beneficium tenuit, inter duo flumina, quæ vocantur *Liora* & *Hisla*, in proprium dedimus, cum omnibus utensilibus, quæ in eodem beneficio, Regio concessu, per fructuarium usum, ante hoc possedit, & totum quod nostrâ Regiâ concessione in villa, *Sunnemere* dicta, beneficiario usu usque modò, cum omni utilitate illuc aspiciente, sed etiam in proprium deinceps tenendum donavimus, adhuc quoque quidquid beneficii nostra de parte inter duo flumina *Medemelacha* & *Chimelosara* (*Gemerchi* dicta) tenuit, cum omnibus appendiciis ad idem beneficium pertinentibus, similiter in proprietatem habendam dedimus.

AD hæc etiam totum, quod de nostro jure, in pago *Texla* nuncupato, in beneficium tenuit, cum omni utilitate ad hoc appendente (excepto quod vulgari linguâ dicitur *Huslada*) ad integrum sibi in proprium tradidimus, in Comitatibus ita nuncupatis *Masalant*, *Kinhem*, *Texla*.

Texel Insula.

Maeslant. Kennemerlant.

ET ut de prædictis rebus liberam habeat potestatem donandi, commutandi, seu quidquid voluerit faciendi, hoc nostræ auctoritatis præceptum conscribi, & annuli nostri impressione sigillari jussimus, manuque propriâ subterfirmavimus.

SIGNUM Domini OTHONIS gloriosissimi Regis. HILDEBALDUS Episcopus & Cancellarius, vice WILLIGISI Archicapellani recognovi. Data VIII. Kalendas Septembris, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo quinto, Indictione decimâ tertiâ, anno autem tertii Othonis regnantis secundo. Actum Noviomago feliciter, amen.

An. 985.

DIPLOMA istud recitat Janus Dousa in suis Hollandiæ Annalibus

DE THEODERICO Hollandiæ Comite, ejusque conjuge HILDIGARDE, & eorum filio EGBERTO Treverorum Archiepiscopo, vide infra Diploma anno 1083 datum de fundatione & dotatione Abbatiæ Egmondanæ.

CAPUT XLII.

AUFRIDUS, *ex Comite factus Episcopus Ultrajectinus anno* 994, *eidem Ecclesiæ dat VVesterlo, & alias villas in Comitatu Riensi sitas.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Operæ pretium duximus, quæ subsequuntur scriptis inserere, ne posteros lateret, quod præsens ætas faceret.

QUAPROPTER desideramus notum esse cunctis Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quàm modò præsentibus, quòd ego AUFRIDUS, Dei solummodo gratiâ sanctæ Trajectensis Ecclesiæ Præsul indignus, jure confisus in Domino cum transitoriis acquirere perennis vitæ gaudia, quamdam mei juris hereditatem, quam antea potestative possederam, infra Comitatum RIEN nuncupatum, quorum locorum hæc sunt nomina, *Westerlo*, *Odlobolo*, *Mierbeke*, *Hoybeke*, *Burente*, pro me & meorum parentum remedio, cum omnibus ad hæc pertinentibus, Ecclesiis, ædificiis, agris, mancipiis, pascuis, pratis cultis, & incultis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, trado ad Ecclesiam S. Mariæ semper Virginis, sanctique Martini in Trajecto, ad restaurandum ibidem Dei servitium.

SI quis hujus rei traditionem infregerit, laqueum omnipotentis Dei iræ, ejusque Genitricis Mariæ, sanctique Martini incidat, & quasi profanus à Sanctæ Ecclesiæ liminibus sequestratus existat. Et ut veriùs credatur firmiusque observetur, sigilli nostri impressione propriâ manu designavimus.

DIPLOMA istud extat apud Guil. Hedam (qui hîc invehitur in Wesemaliæ Dominos, tanquam occupatores prædiorum Aufridi &c.) item apud Joannem Gerbrandum Leidanum Carmelitam, in Hollandiæ Chronicis.

Ceterum AUFRIDUS, ex Bratuspantium seu Lovaniensium & Hoiensium & de Oelen (ex monumentis S. Martini Ultrajectensis) Comite, factus Episcopus Ultrajectinus, dedit eidem Ecclesiæ *Westerlo*, & alias villas supra nominatas in pago Riensi, haut procul ab *Herentalia*, Campaniæ Brabantinæ oppido, sitas, quas hodieque Baro PETERSEMIUS, caput illustris familiæ *Merodia*, sub annuo censu possidet.

Ann. 994.

Idem in *Monte sancto*, primo lapide ab Amersfurto ditionis Ultrajectinæ oppido, an. 1006 Monasterium Benedi-

S Pauli Abbatia.

nedictinis Monachis ædificavit; quod an. 1050 in urbem Ultrajectinam translatum, S. PAULI nomine innotuit. Obiit autem an. 1008 aut proximè sequenti, in eodem illo suo Cœnobio conditus. Vide supra Notas ad cap. 32. itemque Joannem Becanum & Guilhelmum Hedam, rerum Ultrajectinarum scriptores.

AUFRIDI conjux HILSUNDA seu HILSUNDIS, exemplo mariti, seculum pariter relinquens, THORENSE virginum Canonicarum Collegium, ad Mosam sesquimilliari à Maseica, ditionis Leodicensis oppido, constituit ac dotavit: ad quod non nisi illustribus Comitum familiis prognatæ nunc admittuntur. Virginibus istis Canonici sex, amplissimè ab eadem Hilsunda an. 992 dotati, in Sacris celebrandis subserviunt.

CAPUT XLIII.

S. HENRICUS *Imp. Baldrico Episcopo Leodicensi, & Baldrico Comiti an.* 1008 *dat bannum bestiarum in silvis, quas possidebant.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. HENRICUS, divinâ favente clementiâ, Rex.

NOTUM sit omnibus nostris fidelibus, præsentibus scilicet & futuris: qualiter nos interventu atque petitione (1) HERIBERTI Coloniensis Archiepiscopi, bannum nostrum bestiarum, (2) BALDRICO sanctæ Leodicensis Ecclesiæ Præsuli, nec non (3) BALDRICO Comiti, super eorum proprias silvas, quæ sunt inter illa duo flumina, quæ (4) ambo *Nithe* vocantur, & tertium quod (5) *Thila* nominatur, sitæ, & quæ pertinent ad illas villas (6) *Heiste & Heisten*, ac *Badfride*, nec non (7) *Maclines*, nominatas, quod tamen totum *Waverwald* appellatur, in Comitatu verò GOZILONIS Comitis, qui (8) ANTWERF dicitur, situm, per hanc nostram præceptalem paginam, concedimus atque largimur, & de nostro jure in eorum jus ac dominium transfundimus: eâ videlicet ratione, ut præscripti BALDRICI de prænominato banno, ejusque utilitate dehinc liberam habeant, quidquid sibi placuerit, potestatem faciendi, omnium hominum contradictione remotâ.

ET ut hæc donationis nostræ auctoritas stabilis & inconvulsa omni permaneat tempore, hoc præceptum inde conscriptum, manu propriâ corroborantes, sigillo nostro insigniri jussimus.

SIGNUM Domini HENRICI Regis invictissimi.

EBERHARDUS (9) Cancellarius, vice WILLIGISI Archicapellani, recognovit. Datum pridie Idus Septembris, Indictione sextâ, anno Dominicæ Incarnationis millesimo octavo, anno verò Domini HENRICI secundi regnantis septimo. Actum Treveris feliciter, amen.

(1) S. HERIBERTUS Coloniensis Archiepiscopus anno 1021 die 16. Martii ad meliorem vitam transiit, ex opposito urbis Coloniensis in Monasterio Tuitiensi, à se condito sepultus. Vitæ ejus historiam scripsit Rupertus Abbas Tuitiensis, à Surio editam.

(2) BALDRICUS Leodiensis Episcopus, Fundator Abbatiæ S. Jacobi, in urbe Leodicensi, anno 1017 vivere desiit, & successorem habuit Wolbodonem.

(3) BALDRICUS Comes Leodicensis fuit, ut suspicor. Olim pleræque civitates Episcopales, ut Cameracensis, Atrebatensis, Ambianensis, & aliæ, suos Comites habuerunt.

(4) AMBO NITHE. Duo hîc flumina notantur, quæ *Nithe* seu *Nethe* nomen hodieque gerunt in Campania Brabantica, & in oppido Lirano confluunt, videlicet *Netha major*, & *Netha minor*.

(5) THILA, seu Thilia, *Thy* Gallis, Dilia, *Dyle* Teutonibus, flumen prope Genapiam in Gallo-Brabantia ortum, Villariense Ord. Cisterciensis Monasterium alluit, exinde Furâ rivo Lovanii auctum, in Demeram, ac denique in Scaldim influit.

(6) HEISTE. Municipium, agri Riensis hodieque notum. *Heist op den bergh.*

(7) VILLA MACLINES. Fortè *Quaet Mechelen.* Villa medii ævi scriptoribus idem quod Gallis hodie *Village.*

(8) ANTWERP. *In Comitatu Gozilonis Comitis.* Notet hîc lector Comitatum seu Marcam Antverpiensem.

(9) *Eberhardus*, anno 1006 constitutus fuit primus Episcopus Ecclesiæ Bambergensis fundatæ à S. Henrico Cæs. Addit.

CAPUT XLIV.

HUGONIS *Episcopi Noviomensis ac Tornacensis Diploma, de fundatione Abbatiæ Falempinensis, Canonicorum Regularium in Diœc. Tornacensi, per Saswalonem, Castellanum Insulensem, an.* 1039.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Apostolo attestante, nihil est præstabilius charitate; namque iniquitas liquescit eâ interveniente, & inter virtutes, dona Dei dispensat primaria sede. Hæc est quæ credentibus intonat, dicens: *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes.* Proinde revera nos Domini nostri Jesu Christi præventi sumus dilectione, cujus & nos fratres, eo perhibente, & filii Dei facti sumus benignissimâ adoptione, ut diligamus nos invicem, eâ perfectissimâ charitate, quâ prior dilexit nos, coagulatus humanitati nostræ, sine fastidio parientis, & virili semine. Hic est Jesus Christus, qui ad vitam prædestinatis dicturus est in mundi fine, *Esurivi, & dedistis mihi manducare, nudus fui & operuistis me.*

HAC itaque Divinâ veritate compulsus

(1) SASWALO, vir timoratus, Dei clementiâ providente, qui omnem creaturam vult in agnitionem veritatis venire, & vitam beatam promittit diligentibus se, ad humilitatem parvitatis nostræ venit, qui deputatus sum indignus Procurator Noviomensis & Tornacensis Ecclesiæ, & postulans quatenus & ejus petitioni favere & Deo vota ipsius satagerem offerre.

IDCIRCO notum fieri volumus tam præsentibus filiis Ecclesiæ, quàm posteritati futuræ, & successoribus sedis in præsentiarum nobis commissæ, quòd eidem SASWALONI succenso cælesti amore, & territo peccatorum suorum immensitate, ego prædictarum immeritus Ecclesiarum Pastor, HUGO nomine, & consensu Clericorum, nec non & fidelium Laicorum nostrorum, ex Sanctorum Patrum traditione & Sacrorum Canonum auctoritate concessimus collibentiam, cum corroboratione potestatis Ecclesiasticæ. Deprecatus est siquidem, ut Altari libertatem concederemus, quod est in villa *Phalempin*, in Comitatu videlicet (2) *Carenbam*, quatenus ibi ædificaret Abbatiam in honore B. Martyris *Christophori*, & ibi stabiliret pauperum Christi clerimoniam, eamque sub obtentu charitatis dotaret appendiciis terrarum atque familiarum, unde haberent ipsius Abbatiæ Clerici alimoniam.

ANNUENTIBUS itaque voto suo (3) BALDUINO Marchione, nec non & ADELA regali Comitissa, ejus conjuge, absolvendum decrevimus, eâ videlicet ratione, ut amodo careat omni venditione, & qualibet commutatione, & pristina servitute, duos tantummodo solidos singulis annis solvat ad Synodum Episcopalis censuræ. Curam animarum Episcopus electo ab ipsis fratribus Priori delegabit ipsius catervulæ, & sic erit libera ab omni reliqua conditione, nec non & Principis potestate.

HÆC sunt igitur, quæ liberaliter attribuit, favente prædicto Principe, idem SASWALO eidem Abbatiæ terras optimè fertiles, in villis videlicet *Willeradi prato*, *Rivocurt*, *Burkung*.

HÆC autem sunt nomina servorum per familias eidem Abbatiæ concessa, *Dodo*, & uxor ejus, cum infantibus, *Bernardus* cum uxore & filiis, *Florbertus* cum uxore & filiis, *David*, *Tetuus*, *Algis*, *Berengarius*, *Tetricus*, *Heibertus*, *Gunterus*, *Erembertus*, *Alguerus*, *Girbardus*, *Wille*, *Rodulphus*, *Remaldus*, *Rainerus*, *Constantus*, *Alaldus*, *Bernardus*.

SI quis igitur posthac (quod absit) temerarius filius Belial, contra hæc instituta insurrexerit, iram incurrat Omnipotentis, & deleatur nomen ejus de libro viventium, & cum justis non scribatur.

ACTUM Tornaco, Pontificali Sede, regnante in æternum Domino nostro Jesu Christo, anno Incarnationis ejusdem millesimo tricesimo nono, Indictione septimâ, imperante gloriosissimo Rege HENRICO anno duodecimo, HUGONE præsulatum agente, anno nono.

Signum Hugonis Episcopi.
S. Fureli Archidiaconi.
S. Malbodi Abbatis Cœnobii S. Amandi, cum reliquis fratribus.
Hugo Tornacensis Ecclesiæ Cancellarius scripsit.
Signum Balduini Marchionis Flandriæ.
S. Adelæ, Regiæ prolis, (4) Comitissæ.
S. Filiorum ejus, Balduini & Roberti.
S. (5) Eustathii Comitis.
S. Rogerii (6) Comitis.
S. Roberti (7) Atrebatensis.
S. (8) Walteri Cameracensis.
S. Hugonis. S. Amaldi.
S. Rodulphi. S. Anselmi.
S. Reingauldi. S. Saleconis.

CA-

(1) SASWALO. Castellanus Insulensis primus, cujus saltem nomen ad posteros transierit. Is filium reliquit ROBERTUM: ut ex Anselmi & Gerardi Tornacensium Episcoporum tabulis, quæ in Falempinensi Cœnobio extant, intelligi datur. Roberto ROGERII duo, pater & filius, ex ordine in Castellania Insulensi successerunt. Rogerius junior quatuor reliquit filios, Robertum qui in Syria militavit, Reinaldum, Hugonem, Rogerium, & Saram filiam Castellano Cortracensi nuptam. Ex his HUGO duxit Ermentrudem, & ex ea duos sustulit filios, utrumque Joannem nomine: quorum minor Falempinensis Abbas sextus fuit, alter natu grandior ex Mathilde Betuniensi, Pontis Rotrandi, Meulenbecæ & Blaringhemi Domina, genuit Robertum sine liberis mortuum, Rogerium, Guilielmum Præpositum Ecclesiæ S. Petri Insulensis, Nicolaum Canonicum Tornacensem, & Elizabetham N. Castellano Peronensi nuptam. JOANNES Elizabethæ filius, avunculis suis sine sobole defunctis, Castellaniam Insulensem atque unà Peronensem obtinuit, & ad posteros transmisit: Castellanorum Insulensium schema, vide in Notitia Eccles. Belgii sub cap. 86.

Castellani Insulenses.

Porrò Insulensis urbs est celebris Flandriæ mercatu, Gallis *Lille*, Flandris *Ryssel*. Lege Florentium Vander Haer de Castellanis Insulensibus lib. 1. cap. 1.

(2) CARENBAM Comitatus, in quo situm est Falempinum.

(3) BALDUINUS cognomento Pius, Marchio & Comes Flandriæ. Obiit anno 1067, sepultus Insulis in Ecclesia D. Petri, in qua insigne Canonicorum Capitulum fundavit.

(4) *Adela* Roberti Francorum Regis filia, Conjux Balduini.

(5) EUSTACHIUS Comes Boloniensis.

(6) ROGERIUS Comes S. Pauli, qui Canonicorum Collegium in oppido S. Pauli apud Artesios fundavit.

(7) ROBERTUS Atrebatensis Ecclesiæ S. Vedasti Advocatus, idemque Dominus Betuniæ.

(8) WALTERUS, II. Cameracensis Castellanus, de quo Baldericus in Chronico Cameracensi.

CAPUT XLV.

GERARDUS I. *Cameracensis & Atrebatensis Episcopus fundat ac dotat Abbatiam S. Andreæ, Monachorum Benedictinorum, an.* 1046 *in Castello Cameracesii, ditionis Episcopalis oppido.*

INTER cetera bonorum operum exercitia, non mediocriter viget eleëmosyna, cùm scriptum sit, *Date eleëmosynam, & omnia munda sunt vobis.* Hujus itaque rei animadversione diligenter præceptâ, ego GERARDUS Cameracensium, nomine, non merito Episcopus, cogitans de animæ meæ & successorum remedio, unum Cœnobium apud NOVUM CASTRUM S. MARIÆ, in honore S. ANDREÆ, nec non *Philippi & Jacobi*, & S. Martyris ac Virginis Dei (1) *Maxellendis* construxi. Hunc siquidem locum, pro rerum nostrarum copia, Alodiis, Ecclesiis, aliisque possessionibus dotavi, Monachosque, qui ibi Deo deservirent, substitui.

RERUM autem, quas huic Monasterio contuli possidendas, ista sunt nomina; Ecclesia de *Vendelgeias*, quam commutavi cum fratribus *S. Mariæ*, pro Alodio de *Fontanis*, quod acquisivi à *Richilde*: Ecclesia de *S. Benigno*, Ecclesia de *Ferrarias*, Ecclesia de *Jussero*, Ecclesia de *Orceto*, Ecclesia *S. Martini* in suburbio Cameracensi, & molendinus unus. De ipso novo Castro medietas telonei, & molendinus unus. Terra in suburbio ejusdem Castri, cum districtu, Ecclesia de *Furnis*, & tres mansi apud *Atrebatum*: Ecclesia de *Linçio*, cujus medietatem ROTHARDUS, de cujus beneficio ipsa Ecclesia erat, in vita sua mihi reddidit, alteram autem medietatem ab ALVONE filio ejus, quem culpâ suâ justè, secundùm judiciariam legem, proscripserat, recepi. In Laudunensi territorio *Besneium*, quod cambiavi cum (2) sororibus S. Getrudis de NIVELLA ...... & pro quinque mansis de *Wilteuva*, & pro duobus mansis apud (3) *Andrelecb*, qui sunt in pago Bracbantensi: *Fontanæ*, quam à duobus fratribus acquisivi HUGONE & WATELINO libris triginta, *Briastrum* & mansus, quem acquisivi ab HESMONE & FULCUINO septuaginta libris, mansus S. Andreæ, ex quo ab ODA suam partem sexdecim libris acquisivi, ab EVRARDO partem suam in vadimonio accepi pro centum solidis talium denariorum, quorum quindecim solùm faciant marcam. Ecclesia quoque ipsius mansi, cum decima alodiorum, ad ipsum mansum pertinentium, quam à fratribus S. Mariæ commutavi. Ista capellula duodecim denarios mihi & successoribus meis quotannis solvat.

WATENNIAS dedit BERNARDUS ad hunc locum, medietatem pro anima matris suæ, medietatem pro sua. De *Theoderici* monte dedit FULCO & soror ejus ELICHINDIS medietatem, & BERNARDUS aliam medietatem pro filio suo, quem ibi Monachum fecit. *Petrosum*, quod acquisivi à *Joanne* decem libris. *Hinlui curtis*, quam acquisivi cum filiis *Gamelonis*, HUGONE & RODULPHO. *Bireicum*, cujus medietatem ODO, propter plurimas prædas dedit, & aliam medietatem ab uxore ejus acquisivi duodecim libris.

ROMERIAS, terram *S. Humberti* totam, plurimis annis destructam, villam & Ecclesiam ad opus supradicti Cœnobii restruxi, & pro censu quinque solidos Monachis de (4) *Maricolis* singulis annis solvendos constitui. De *Chimaneis* tertia pars, inter *Elogiam* & *Gondrecheias*, viginti tres mansi, quos pro *Godescalci* anima, sine ulla advocatia, quietos & omnino liberos accepimus.

Altare de (5) *Vendelgeias*, Altare de *Orceto*, Altare de *Fontanis*, Altare de *S. Martino*, Altare de *Furnis*: hæc quinque concedo fratribus ejusdem loci hâc lege tenenda, videlicet sine personis, sine redemptione, & obsoniorum persolutione, excepto quòd singula eorum per singulos annos duodecim denarios solvant.

ET hoc oro vos, successores mei carissimi, ut id ipsum pro animabus vestris inviolatum manere consentiatis. Volo namque ut certum teneatis, quòd hanc eleëmosynam tam animæ vestræ, quàm nostræ profuturam devovi. Igitur eam, sicut prædestinata est, vestram facite: tutelam huic loco, pro viribus vestris, ferte, augete, provehite, & Monachos illos regulariter faciatis vivere.

IN omnia, quæ prælibavimus, donaria, per hujus chartæ instrumenta, huic S. ANDREÆ Monasterio contrado, & nominis nostri & fidelium nostrorum titulo auctorizo. Quod ut inconvulsum maneat & inviolatum, ipsorum fidelium nostrorum, tam Clericorum quàm Laïcorum testimonio corroboravimus.

SIGNUM (6) Lietberti Præpositi & Archidiaconi.

S. Adelini Archidiaconi.

S. Ge-

(1) MAXELLENDIS. De ea vide Baldericum in Chron. Cameracensi lib 1. cap. 23. & seq.

(2) SORORES S. Gertrudis de Nivella sunt hodie virgines Canonicæ nobiles Nivellenses in Brabantia, à S. Gertrude ejusque matre ita dotatæ.

(3) ANDRELECH, sive *Anderlecht*, Anderlacum latinè, vicus haut procul à Bruxella, cum Collegio Canonicorum SS. Petri & Guidonis.

(4) MARICOLIS Abbatia Benedictinorum in Diœcesi Cameracensi: de qua vide supra cap. 27. & cap. seq.

(5) VENDELGIAS *Vendegies* vicus pro majore parte nunc inclusus Castello Cameracesii.

(6) LIETBERTUS Præpositus & Archidiaconus, qui primus hanc donationem signavit. Gerardo I. Episcopo anno 1049. defuncto, in Cathedra Cameracensi successit. De quo vide Balderici Chronicon Cameracense.

S. Gerardi Archidiaconi.
S. Guonis Archidiaconi.
S. Ingelberti Archidiaconi.
S. Fulbaldi Archidiaconi.
S. Franconis Decani. S. Joannis Castellani.
S. Adonis militis. S. Udonis militis.
S. Oilbardi militis. S. Joannis militis.
S. Ostonis militis. S. Lilberti militis.
S. Wedrici militis.

SI quis autem de his omnibus, quæ ad hunc locum contulimus, quidquam auferre, & in proprios usus vertere voluerit, auctoritate Dei Patris omnipotentis, excommunicatus & damnatus sit, nisi resipuerit, & ad satisfactionem & emendationem venerit.

S. DOMNI GERARDI Pontificis.

ACTUM Cameraci anno Dominicæ Incar- An. 1046.
nationis millesimo quadragesimo sexto, Indictione decimâ quartâ, regni verò HENRICI Regis anno nono, Præsulatûs Domni GERARDI tricesimo sexto.

FULCHERUS Archicapellanus recognovit.

CAPUT XLVI.

CONRADUS *Imp. confirmat fundationem Abbatiæ S. Andreæ in Castello Cameracesii, à Gerardo I. Cameracensi Episcopo factam, an.* 1033.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. CONRADUS, divinâ favente gratiâ, Romanorum Imperator Augustus, credimus & scimus nobis verè proficuum, & ad transeuntis vitæ cursum prosperè transigendum, & ad æternæ bravium felicitatis obtinendum, si ad promovendas sive tuendas res Ecclesiasticas Imperii nostri profecerit auctoritas.

QUARE innotescimus omnibus Christi fidelibus & nostris tam præsentibus quàm futuris, quia GERARDUS Antistes, noster fidelis, & ad profectum animæ suæ, & omnium ante se & post se Episcoporum Ecclesiæ Cameracensis, ad conservandam quoque incolumitatem nostri & nostræ conjugis, filiique nostri, ad obtinendam etiam pacem & prosperitatem Imperii, quamdam Abbatiam in honore B. ANDREÆ Apostoli construxit, sitam in suburbio quod PERONA dicitur, ante (1) CASTRUM siquidem quod S. MARIÆ nuncupatum, jam pridem prædecessor ejus ERLUINUS videlicet Episcopus, favente tertio OTHONE Imperatore, extruxerat, in munimentum contra omnes incursus malignorum, inibi circumquaque exuberantium, in quo ipse Episcopus Gerardus (2) B. SARII Confessoris, & (3) S. MAXELLENDIS virginis sacra deposuit somata: quæ virgo scilicet, propter inextorquibilem sui cœlibatûs pudicitiam, ibi prope capitis sectione martyrii consecuta est palmam.

QUAM profectò Abbatiam idcirco ibi esse prælegit, ut quia prædecessor suus hinc munierat Cameracense Episcopium, per humanæ equidem tuitionis castrum, ipse insuper divinum procuraret præsidium, per orationes siquidem Monachorum, Deo ibidem jugiter famulantium.

DEDIT autem ipsi Abbatiæ quantum est Monasterium, telonei medium in ipso municipio, solventis nunc per singulos annos libras viginti quattuor, in annali verò mercato totum concessit teloneum: Ecclesiam de *Vendelgeias*, quæ in suburbio est, cum appendiciis suis, Ecclesiam de *Ferrarias*, cum appendiciis & partem terræ, quam ibi S. Maria videbatur habere: Ecclesiam de (4) *Orceto*, cum appendiciis suis, prædium quod dicitur de *Monchin*, & ad *Briastum* cum molendinis & (5) cambis, & reliquis appendiciis suis, quæ ex magna parte ipse Episcopus emit, Ecclesiam de *Florinis* pro quibusdam partibus, quas in concambium reddidit ei apud *Corbreium*, in Comitatu *Lommensi*, & apud *Villare* in *Darnöensi* alodium, quod acquisivit Episcopus vocatum ad *Fontanas*, cum Ecclesia & reliquis appendiciis; Ecclesiam de *Lineias* cum appendiciis, in suburbio Cameracensi Ecclesiam S. Martini, & cambam juxta, &

(1) CASTRUM S. MARIÆ. Hodie inclusum est oppido Episcopi Cameracensis, quod Castellum Cameracesii, *Chasteau en Cambresi* nuncupatur, quodque ERLUINUS sive HERLUINUS Cameracensis Episcopus munivit, & in formam oppidi redegit: indulgente & probante *Othone III.* Imperatore, cujus Diploma anno Christi millesimo primo Ravennæ datum Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 1 cap. 112 recitat. Prædicto oppido inclusæ sunt & villæ *Perona* & *Vendelgeias*, pro majori parte, quarum villarum in Diplomatibus jam recitatis & apud eumdem Baldericum frequens est mentio.

(2) S. SARIUS. Putatur fuisse Pastor seu Parochus *Lambris*, vico celebri ad Scarpum fl. prope Duacum; cujus soma seu corpus inde Cameracum, ac demum ad Castellum Cameracesii, per Gerardum I. Episcopum, unà cum corpore S. Maxellendis virginis, est translatum. De Lambris, olim fisco ac portu regio, Ecclesiæ Cathedrali B. Mariæ Cameracensis; per Carolum Simplicem Francorum Regem dato, idem Baldericus lib. 2 cap. 12 & alibi agit.

(3) S. MAXELLENDIS sectione capitis palmam martyrii consecuta est, ut in Conradi Imp. Diplomate notatur, Calderiaci, *Caudry*, tertio lapide à Cameraco itemque à Castello Cameracesii. Passa est autem circa an. 670 exstatque vitæ ac passionis ejus historia apud Surium tomo 6.

(4) ORCETUM. Hodie *Ors*, BRIASTUM, VILLARE seu VASVILLARE, & alias villas à Gerardo Episcopo donatas Monasterio S. Andreæ, à se fundato, recitat Baldericus in citato Chronico lib. 3. cap. 49.

(5) CAMBA. Nostratibus *Cam*, est officina coctoria cervisiæ: quo genere potûs, ex Cerere seu granis confecto Belgæ passim utuntur, ob vini defectum, quod apud nostrates vix nascitur: aliunde tamen copiosè advehitur.

& molendinum unum: in *Atrebato* mansionalia tria: Ecclesiam de (6) *Fornis* cum appendiciis, in *Brabanto* apud (7) *Ham*, quod S. Maria ibi priùs habebat, & partem, quam *Widericus*, & *Joannes* frater ejus Episcopo tradiderunt, quod concambiavit de alodio quod *Arnulfus* ei aliàs dederat.

An. 1046. Ergo omni rite peracto publicè & in pleno colloquio, quatenus impensus labor non periret, sed defensum & securum maneret, & pro incolumitate nostra, & nostræ conjugis, filiique nostri, & pro statu regni, Dei clementiam exoraret jugiter, per hoc nostræ auctoritatis præceptum firmiter jubemus, ne quis ulteriùs ullâ calumniâ offendere præsumat.

Maroiles. Abbatiam quoque S. Humberti in (8) *Maricolis*, quam idem Episcopus, expulsis inde inreligiosis Canonicis, in priorem Monachorum ordinem reformavit, præcipimus dein inlibatam perseveratum iri.

Hujus itaque præcepti auctoritatem, ut in nomine ipsius, qui nobis præcipiendi concessit potestatem, pleniorem obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris diligentiùs conservetur, & manu propriâ firmavimus, & sigilli nostri impressione signari jussimus.

Signum Domini Conradi Romanorum Imperatoris Augusti.

Burchardus Cancellarius recognovit. Datum (9) Indictione secundâ anno Dominicæ Incarnationis M. XXXIII, anno Domini Conradi regni XI, Imperii autem VI.

Fourne. (6) Fornis. Hodie *Fourne*, vicus Diœcesis Cameracensis, in Castellania Insulensi, ubi celebris est Deiparæ cultus, ac frequens piè peregrinantium, præsertim mulierum prægnantium, concursus.

Ham. (7) Ham in Brabanto. Arx & vicus est agri Alostani, ad Teneram fluvium, haut procul ab ipso oppido Alosto, quem vicum frater S. Gudulæ Episcopus Cameracensis (sive is fuerit Arlebbatus sive Hildebertos) dono dedit Ecclesiæ B. Mariæ Cameracensis.

(8) Maricolss, notet hic lector, in Maricolensi S. Humberti Abbatia Monachos Benedictinos à Gerardo I. Cameracensi Episcopo collocatos fuisse, amotis Canonicis.

(9) Indictione II. Sic in Autographo disertè legitur, adeoque calculus Indictionum, à Veteribus usurpatus, uno anno differt à calculo quo nunc utimur. Quod in isto Diplomate, itemque in superiore, & aliis alibi non semel observavimus.

CAPUT XLVII.

* Baldricus *Comes Bracbatensis fundat Collegium Canonicorum in urbe Bruxellensi, anno* 1047.

* Aliàs Lambertus.

Quidquid in hoc seculo fundamento bonitatis quisquam superædificat, apud Dominum in æterna remuneratione retribui confidat.

Quapropter ego (1) Baldricus Parochialem Ecclesiam Brucsellis consecrari feci, & in ea corpus sanctissimæ Virginis Christi (2) Gudilæ, quantâ potui honorificentiâ, transtuli, quod in Ecclesiola S. Gaugerici negligenter positum inveni, eidemque sanctissimæ Virgini, cum appendiciis omnibus, ipsam Ecclesiam, pro animæ meæ meorumque propinquorum remedio, legaliter coram * omnibus tradidi, addens quinque mansos in *Hasereold* & in *Wolewe* septem bonaria. Hoc totum quamvis esset parum, in clericorum duodecim præbendas dedi, & divisi, quos ibi ad serviendum Deo & sanctæ Virgini constitui, pro animæ meæ heredumque meorum & proheredum redemptione, eisque in pascuis, silvis, teloneis talem concessi libertatem, ut absque ullius redditu servitutis, liberè horum fruerentur utilitate.

* Hominibus Weymsius

His ita constitutis, quorum Ecclesia nullo erat juvamine fulta, & undique egens auxilii, ad ejus ædificationem (3) redimiculi præbendarum partem dimisi, ne statum eleemosynæ omnino viderer vendere pretio. Ad hoc etiam concessi illis, ut unusquisque fratrum ipsorum, post vitæ suæ spatium, (4) per annum

(1) Baldricus, aliàs Lambertus, ut ex subjuncto Diplomate Lietberti Cameracensis Episcopi liquet. Alii eum vocant *Lambertum Baldricum*: nam, ut notat Chiffletius ad Vindicias Hispanicas in Luminibus Genealogicis Lumine III. mos fuit mediis seculis passim usitatus, ut Principes duobus prędiri essent nominibus. Hic fundavit septem præbendas in Ecclesia S. Petri Lovanii, & totidem Bruxellis. Fuit autem Baldricus Comes Lovaniensis, & uxorem habuit Odam, Gozilonis Ducis filiam. Ad Tornacum an. 1054 cæsus, majorum tumulo apud Nivellas est illatus, relicto filio ac successore Henrico. De Comitibus Lovaniensibus vide Lipsii Lovanium, & Fastos nostros Belgicos.

(2) S Gudila Virgo, & civitatis Bruxellensis patrona circa annum 712 obiit, in vico *Ham* ad Teneram fl. haut procul ab Alosto oppido sepulta. Caroli Magni Imp. ævo, è terra, more Ecclesiæ Gallicanæ, elevata, inde transvecta est *Morsellam* seu *Mortesellam*, condito ibidem Monialium Cœnobio. Distat autem Morsella primo lapide ab Alosto: in cujus loci cœmeterio hodieque Capella S. Gudilæ sacra visitur. Exinde *Wenemaro* Cœnobii illius prædia occupante, S. Gudilæ corpus à Carolo Lotharingiæ Duce inde Bruxellam circa an. 980 translatum, & in vetustissimo orbis templo, quod S. Gaugerico Cameracensi Episcopo sacrum, in *Senna* fl. insula visitur, est collocatum. Ex hoc templo ad novam Basilicam in monte Bruxellis à se constructam Baldricus transtulit, præsente Gerardo I. Cameracensi Episcopo.

(3) Redimiculum præbendæ, id est, reditus seu census unius anni prębendæ vacantis, ad usum fabricæ templi.

(4) Per annum integrum, &c. Anni unius reditum intellige, quem annum gratiæ nuncupant, quique heredibus cedit.

num integrum, præbendam suam, cuicumque sibi placuerit, relinquat, & si quis eorum supra præbendariam terram ædificavit quidquam, per annum istum heres ejus, aut cuicumque ipse adhuc vivens concesserit, ædificationes ejus sibi auferat.

SI quis autem, quod absit, heredum aut proheredum meorum, aut etiam extranea quælibet persona, hanc meam traditionem pervertere, & inde demere tentaverit quidquam, iram Dei, & offensam *S. Michaëlis* Archangeli, cujus in prædicta Ecclesia veneratur memoria, & prædictæ S. Virginis in perpetuum incurrat, & excommunicationem sancti Pontificis, quæ in præsentia cunctorum, qui aderant, terribilis resonabat, nunquam evadat, sed semper hujus vinculi nodo appareat, ante vultum Altissimi, constrictus.

ACTUM publicè BRUCSELLÆ (5) anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo septimo, Indictione decimâ quintâ, LEONE NONO in Apostolica Sede præsidente Pontifice Summo, regnante HENRICO Imperatore tertio, Cameracensium Pontificalem Cathedram Domino GERARDO obtinente Præsule, qui in his omnibus, cum uxore mea ODA, adjutor mihi exstitit, tam auxilio quàm consilio, & præsens eamdem Ecclesiam dedicavit, &, ut præscriptum est, excommunicatione omnia firmavit. Ejus præsentiâ sunt omnia ibi constituta, & testibus idoneis firmata.

Signum Domini GERARDI prædicti Episcopi.

S. Gerardi Archidiaconi.
S. Emelini. S. Ingelberti fratris ejus.
S. Sigeri. S. Folcardi.
S. Onulfi filii ejus.
S. Geraidi. S. Lietberti.
S. Azonis Presbyteri. S. Folberti Presbyteri.
S. Ottonis. S. Joannis.
S. Fastradi. S. Joannis.
S. Stepponis. S. Siberti.
S. Thiedonis Decani. S. Heimezonis.
S. Hartfridi Presbyteri. S. Adelardi.
S. Raduifi. S. Emmonis.

(5) ANNO MXLVII Sic in autographo expresè legitur, quod non semel vidi. Datum est autem hoc Diploma (nisi fallor) ante Pascha anni millesimi quadragesimi octavi, stylo Romano, anni exordium à Kalendis Januariis inchoante. Itaque stylo veteri Cameracensi ac Gallicano, annum à Paschate inchoante, annus qui in Diplomate notatur millesimus quadragesimus septimus, esset nobis, Romano stylo nunc utentibus, annus millesimus quadragesimus octavus.

Hæc visum fuit breviter notare, propter disputationem, quæ est de initio pontificatûs seu electionis LEONIS IX Papæ. Is namque Bruno dictus cùm esset Tullensis Episcopus, HENRICO Imp. agente, Wormatiæ existens, an. 1047 aut 1048 electus est Pontifex. Romam inde petens, anno demum 1049 à Clero Romano est electus, & die 12 Februarii Papa consecratus, adsumpto Leonis IX nomine: ut Onuphrius Panvinius & Baronius supputant. Obiit autem an. 1055 XVI. Kalend. Maii, vitæ sanctitate ac doctrinâ clarissimus: ideoque tabulis Martyrologii Romani meritò adscriptus. Res ejus gestas *Wibertus* Archidiaconus coætaneus, libris duobus Lutetiæ editis descripsit. Itinerarium ejusdem, ab *Anselmo* Monacho Remensi literis consignatum, cujus Sigebertus lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis meminit, Remis ms. exstat.

CAPUT XLVIII.

Ecclesia Bruxellensis, in qua LAMBERTUS *Comes Lovaniensis Canonicos posuerat, libertate donatur à Lietberto Cameracensi Episcopo.*

LIETBERTUS, (1) Dei gratiâ Cameracensis videlicet Episcopus, omnibus suis Successoribus, Coëpiscopis, & ceteris Christi Fidelibus, hereditatem promereri cum Sanctis in cælestibus.

SICUT ædificatores domûs Domini, Deo placere confidimus, ita coadjutores & defensores ipsius domûs, gratiâ Dei condonari non dubitamus. Ita namque Salomon in veteri Testamento, ædificato Templo Domini, audivit revelationem divinæ promissionis; in novo verò Testamento Apostoli & Sancti successores eorum ædificando Ecclesias, & destruendo delubra, amici Dei appellati sunt. Unde proculdubio credimus existere, similiter amicum Dei, quisquis Ecclesiam Dei construere & exaltare studuerit.

Hoc igitur in animo semper cum Dei gratia retinens, cum à Comite (2) HENRICO super Ecclesia Brucsellensi in qua Pater ejus LAMBERTUS

(1) LIETBERTUS Cameracensis & Atrebatensis Episcopus Gerardi I. successor, sedit annis XXVII. & anno salutis 1076 vivere desiit, locum ejus excipiente Gerardo eo nomine Secundo. Post cujus obitum divisus est Episcopatus, & Atrebatensis Ecclesia proprium sibi Episcopum anno 1094 accepit.

(2) HENRICUS. Comes Lovaniensis fuit filius Lamberti seu Baldrici Comitis, cujus Diploma superiore capite recitavimus. Henrici soror fuit MACHTILDIS seu Mathildis, quæ ex Eustathio Bononiæ ad Oceanum Comite, Eustathium genuit, Godefridi Bullonii patrem. Obiit autem Henricus anno 1068. filios ex Adela conjuge reliquit *Henricum*, *Godefridum* & *Raginerum* seu *Renerum*, quorum postremus huic Diplomati subscripsit, & in Hasbania anno 1077 periit.

HENRICUS Henrici filius cœnobium Affligemiense, tertio milliari à Bruxella anno 1086 condidit, & in Diplomate fundationis, infra à nobis recitando, *Bracbatensis Patriæ Comitem & Advocatum* se nuncupat.

HENRICO in ludis militaribus anno *1095 Tornaci occiso, & Nivellis apud majores humato, successit frater GODEFRIDUS BARBATUS Princeps laudatissimus, cui Henricus IV. Imp. anno 1106 Ducatum Lotharingiæ contulit.

* Teste Sigeberto.

BERTUS Comes Canonicos posuerat, postularetur, propter Deum & amorem Comitis, utilitati etiam Ecclesiæ nostræ consulens, annui ipsius petitioni.

ANNUI enim & annuo, ut ipsa Brucsellensis Ecclesia libera sit amodo à persona, & ab omni redemptione: excepto quod per singulos annos in Festivitate S. Lucæ Evangelistæ, id est, in Dedicatione Cameracensis Ecclesiæ, duo solidi mihi vel successoribus meis, pro ipsa Ecclesia solvantur, Brucsellensis monetæ.

UT autem factum hoc ratum maneat & inconvulsum, chartam hanc jussi inde fieri, quam sigilli mei impressione firmavi, & bonorum virorum, tam Clericorum quàm Laicorum, testimonio roboravi.

SIGNUM Gerardi Archidiaconi.
S. iterum Gerardi Archidiaconi.
S. Nazelii Archidiaconi.
S. Warmundi Archidiaconi.
S. Sigeri Archidiaconi.
S. Franconis Archidiaconi.
S. Widonis Archidiaconi.
S. Henrici Comitis.
S. Reneri Comitis, ejus fratris.
S. Casatorum sive domesticorum nostrorum.
S. Joannis. S. iterum Joannis.
S. Amelrici. S. Balduini.
S. Engebrandi. S. Oilardi.
S. Falconis. S. Gillardi.
S. Hugonis. S. Herimberti.

ACTUM est & sancitum hoc Cameraci, annò ab Incarnatione Domini millesimo..... Indictione sextâ, regno videlicet HENRICI Regis vicesimo secundo, anno prælatûs Domni LIETBERTI Episcopi vicesimo tertio.

CAPUT XLIX.

PHILIPPUS *Francorum Rex an. 1063 confirmat fundationem Collegii Canonicorum in Harlebeca, * à Balduino Insulano, Flandriæ Comite, ejusque conjuge Adelaide factam.*

* Vide Chronicon nostrum Belgicum ad hunc annum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego PHILIPPUS gratiâ Dei Francorum Rex. Si conditionem nostræ mortalitatis, quam pro primi parentis inobedientia incurrimus, lenire vel solamen inferre curamus, cum ex toto eam evellere nequeamus, nihil est tam proficuum, quàm pro temporalibus æterna commutare, pro momentaneis perpetua acquirere. Restat ergo, ut quod per nos obtinere non possumus, eorum juvamine, qui divino cultui sunt mancipati, orationibus & beneficiis adipiscamur.

HÆC ideo præmisimûs, quoniam Comes (1) BALDUINUS, justitiæ & pacis cultor, instinctu suæ conjugis & amitæ nostræ (2) ADELAIDIS, nostræ Serenitatis adierit præsentiam, rogans & obnixè postulans, ut nostræ auctoritatis præcepto corroboraremus Abbatiam quandam Canonicorum, quam monitu & precatu suæ venerabilis & religiosæ conjugis ADELAIDIS, fundaverat in loco, qui HARLEBECA vocatur, & titulo & memoriâ S. SALVATORIS prænotatur.

SUNT autem ea quæ ibi concessit & devotè condonavit ista, scilicet Ecclesia cum Altare; Capella (3) *Suevengehem*, appendens illi Ecclesiæ, Altare de *Maldengehem* cum Ecclesia, Ecclesia de (4) *Trellengehem*, sex mansa terræ libera à Comitatu, unum mansum terræ ab antiquis, quando ipsa Ecclesia primitus fuit constructa, duo bonaria quæ dedit *Gisla*, unum bonarium quod dedit *Reinfridus*, duo bonaria quæ dedit *Agentrudis*, duo bonaria quæ dedit *Bergundis*. Maldegem, prope Brugas.

Hæc omnia prælibata præcipiendo mandamus, & mandando præcipimus, & etiam sigilli nostri impressione adstipulando firmamus; ut sicut AQUENSIS Abbatia, Caroli Magni institutione & largitione fundata, à dominatione Leodicensis Episcopi est libera, & sicut S. MEDARDI Abbatia ab Episcopo Suessionensi manet quieta, nec non S. MARTINI ab Archiepiscopo Turonensi, ita & ista ab Episcopo Noviomensi. Quod si aliquis huic nostræ corroborationi occurrere vel obviare præsumpserit, fisco nostro auri centum libras componat: insuper & sua calumnia irrita in perpetuum maneat.

ACTUM Parisius publicè annò Incarnati Verbi millesimo sexagesimo tertio, & regni PHILIPPI Regis tertio, Indictione primâ.

CA-

(1) BALDUINUS, cognomento *Insulanus & Pius*, tria Canonicorum Collegia, *Harlebecanum, Insulense*, & *Ariense* fundavit: ut Jac. Guisius in mss. Hannoniæ Chronicis commemorat. Vitâ decessit anno 1067 Insulis, Flandrorum emporio, in D. Petri templo à se constructo conditus. His titulis uti solebat: *Balduinus Comes Flandriæ, Marchio, & Philippi Francorum Regis procurator ac bajulus.*

(2) ADELAIDIS, seu Adela, Roberti Francorum Regis filia, *Messinis* seu Mecinis Sanctimonialium construxit Cœnobium, & viro orbata, devotè limina Apostolorum visitâns, ab *Alexandro* II. Papa vidualem suscepit habitum. Sicque reversa, in Monasterio suo Messinensi humillimè vixit, & plena pietatis operibus anno 1079 obiit, ibique sepulta est: ut Iperius in Chron. Bertiniensi ms. loquitur.

Messinis hodieque celebris est Deiparæ cultus, & miracula frequentia. Annò 1623 *Jacoba Carondeleta*, una ex virginibus Canonicis Melbodiensibus ibi à paralysi, quâ diu laboravit, miraculosè curata est: quod & Medici professi sunt ac testati. Ipsa in memoriam beneficii accepti lampadem argenteam postea Deiparæ obtulit.

(3) SUEVENGEHEM nunc *Sweveghem* prope Cur-

tractum. *Maldenghem*, nunc Maldeghem, vicus prope Brugas, spectat ad Comitem de Croix in Castellania Insulensi à Philippo IV. Rege Catholico creatum....

(4) TRELLENGEHEM, nunc *Derlcke*.

De Abbatiæ S. MEDARDI exemptione, vide opera Gregorii Magni, ad calcem.

CAPUT L.

BALDUINUS & RATBODUS *Episcopi Noviomenses ac Tornacenses confirmant fundationem Collegii Harlebecani an.* 1063 & 1087.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego BALDUINUS gratiâ Dei Noviomensis Ecclesiæ Episcopus. Quandoquidem ad ædificationem animarum, cum Sanctis Patribus multa nobis vestigia reservantur, quibus humanæ fragilitatis lapsus de interitu ad vitam relevatur, ex acervo tantæ multitudinis illud præ ceteris salubrius dignè judicatur, sub cujus consolatione & corporalis necessitas ad præsens possit gaudere, & animarum immortalitas de bonæ operationis affectu fructum remunerationis mereatur obtinere. In hujus siquidem salutaris desiderii pia exspectatione, optimum est Ecclesiam Dei non solùm lapidibus decorare, verùm etiam de Religionis cultu Sancti Spiritûs habitaculum præparare.

HANC itaque sententiam Comitissa Flandrensium ADELA memoriter pertractans Ecclesiam de HARLEBECA, quæ mihi ac Ministris meis personaliter serviebat, construxit, atque ibidem servientes sub professione Canonica in Religionis habitu vivere instituit. Sed quia post consummationem operis, sine auctoritate nostra, non habet effectum dispositio regularis, petitionis Comitis *Balduini*, suæque conjugis frequentia impetravit dimissionem personalitatis, ut ordo dispositus liberalitatis, & absque ullo censu deserviens Altari canonicè degeret, sub ditione Decani. (1) Altare verò de *Sucvengehem*, quod illi appendet, tali conventione concessi ad mensam eorum, ut nobis per singulos annos, in Festivitate SS. Simonis & Judæ, solvat decem solidos denariorum. Sed & Altare de *Maldenghem* sub æquali censu personaliter illis tradidi. Item Altare de (2) *Hulsta* ejusdem censûs rationi substitutum est, ita tamen ut in restitutione personalitatis decem solvantur solidi.

QUOD si Episcopus, sive suus Minister pro tenenda Synodo vel aliqua quomodolibet caussa ad aliquam prædictarum Ecclesiarum venerit, nihil exigentes de rebus ad Ecclesiam pertinentibus, de suis propriis vivant, contenti prænominato censu quotannis.

HORUM autem omnium quodlibet si quis infringere voluerit, damnationi maledictionis irrecuperabili subjaceat, nisi resipuerit. Quod ut firmius permaneat scriptum, in charta manu propriâ firmavi, testimonioque tam Clericorum quàm Laicorum corroborari feci.

Signum BALDUINI Episcopi.
S. Folcardi Archidiaconi.
S. R. Decani. S. A. Subdiaconi.
S. W. Subdiaconi. S. B. Subdiaconi.
S. A. Presbyteri. S. R. Presbyteri.
S. Ardonis Presbyteri.
S. Ingelramni Diaconi.
SS. Canonicorum Alboldi, Lodewini, Walonis, Erleboldi, Hermanni.
S. ADELÆ Comitissæ.
(3) S. R. Advocati.
(4) S.A. Aldenardensis.

ACTUM apud HARLEBECAM VIII. Kal. Junii anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo tertio, Indictione tertiâ, regnante Rege PHILIPPO anno tertio, Domino BALDUINO Episcopante anno vicesimo. An. 1063.

HÆC, ut diximus, Dominus BALDUINUS Episcopus in vita sua ordinavit, sed quia præventus morte sigilli sui impressione Privilegium confirmare non valuit, ego RATHBODUS, in Episcopatu ei succedens, consilio Clericorum nostrorum, imo rogatu Canonicorum Harlebecensium, ROTBERTI etiam Comitis, Optimatumque suorum precatu, prædictarum Ecclesiarum Privilegium sigilli mei impressione, cum subscriptorum testimonio confirmavi, tali tamen conventione, quòd ejusdem loci Præpositus mihi meisque successoribus debitam subjectionem exhibeat.

Signum Domini RATHBODI Episcopi.
S. W. Archidiaconi.
S. Walcheri Custodis.
S. R. Præpositi.
S. Lamberti. S. Bertulfi.
S. Tancardi. S. Raineri.
S. Alulfi. S. Hermanni Præpositi.
S. Seigeri Cantoris.
S. Erlebaldi Decani.
S. Leiberti. S. Hermanni.
S. Alboldi. S. Ledwini. S. Lamberti.
Signum Comitis ROTBERTI.
S. Erembaldi Castellani.
S. Cunonis. S. Radulfi.
S. Balduini. S. Isaac.
S. Meinardi. S. Alberti.
S. Lamberti. S. Ansboldi. S. Sigewalonis.

ACTUM Tornaci XI. Kal. Aprilis, anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo septimo, Indictione decimâ, regnante Rege PHILIPPO anno vicesimo septimo, Domno RATBODO Episcopante anno decimo nono, ego WIDO Cancellarius confirmavi. An. 1087.

C A-

(1) ALTARE, id est, Ecclesia parochialis.
(2) HULSTA. Vicus est prope Harlebecam.
(3) R. ADVOCATUS. Is fuit Robertus Advocatus Atrebatensis, Dominus Betuniæ.
(4) ALDENARDENSIS. Is fuit ARNULFUS Aldenardensis Dominus aut Castellanus: à quo Pameliorum familia originem traxit.

CAPUT LI.

ALEXANDER II. *Papa an.* 1070 *confirmat Harlebecani Collegii Canonicorum institutionem.*

ALEXANDER Episcopus, servus servorum Dei, ERLEBOLDO Præposito Harlebecensis Canonicæ S. Salvatoris, sitæ in Episcopatu Noviomensi, cunctisque suis successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Quandoquidem divinæ providentiæ dispensatione universalis administrationis curam suscepimus, ex debito nostri officii cogimur cunctis Ecclesiis per orbem terrarum latè diffusis providere, & utilitatibus earum ac saluti animarum, quæ in eis sunt, solerti studio invigilare, præsertim his locis, quæ piâ regione pollere noscuntur, & nostro munimine specialiter quodammodo se tueri humili prece deposcunt, qui in eis habitat Domino servientium chorus, quatenus à turbine secularium adversitatum nostrâ protectione defensi liberiùs vota sua continuata Domino reddere, & eodem quo cœperunt sancto proposito, usque in finem securi perseverare prævaleant.

QUARE cùm interventu præclaræ Comitissæ ADELÆ tum tuis devotis precibus flexi, dilecte fili, te ac pronominatam Canonicam, cum omnibus sibi pertinentibus sub tutela Apostolicæ defensionis suscipimus, & confirmamus jam dictæ venerabili Canonicæ quidquid hactenus habuit, tam largitione piissimorum Principum, quàm oblatione quorumcumque fidelium, juxta nobilissimi præceptum Regis Francorum PHILIPPI, & præceptum BALDUINI Noviomensis Episcopi, vel deinceps habitura est tam in terris quàm in (1) vineis, & villis & Ecclesiis majoribus & minoribus omnibusque rebus mobilibus, & immobilibus, ita ut non liceat cuiquam Ecclesiasticarum vel secularium magnæ parvæque personæ pronominatam Canonicam de suis omnibus inquietare, vel quid ab eis jure in alienum transferre, salvâ in omnibus proprii Episcopi reverentiâ. De ordinando verò Præposito in eodem loco, hoc Apostolicâ auctoritate sancimus, ut nullus ibi præsumat quemquam præponere contra Canonicam regulam, sed defuncto Præposito uno, congregatio eligat vel de eadem congregatione, si ibi idoneus inventus fuerit, vel de alia, quem potiorem vitæ meritum commendaverit, juxta Canonicam regulam.

SI quis verò hujus nostræ sanctionis privilegium spiritu superbiæ ductus contraierit, & illud in totum, partemve infregit, nisi admonitus dignâ satisfactione, quod in venerabilem locum deliquerat, emendaverit, noverit se Apostolici anathematis vinculo innodandum. At verò qui pio intuitu custos & observator exstiterit, perpetuæ benedictionis abundantiâ repleatur.

DATUM Laterani quinto Kal. Feb. per manus Petri Clerici, fungentis vice Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ac Bibliothecarii: anno verò ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo, Pontificatûs autem Domini ALEXANDRI Papæ II octavo, Indictione VIII.

(1) VINEIS. Si Lovanium excipias, vix alibi apud Belgas nostros vineæ, saltem ad vini copiam habendam, hodie excoluntur. Ex isto tamen Diplomate & aliis supra recitatis liquet, olim *Harlebecæ*, *Maricolis*, & alibi à majoribus nostris vineas studiosè cultas fuisse.

CAPUT LII.

RODULPHUS, *Abbas & Chronographus Trudonensis, VValeramo Duci Limburgensi, & Advocato Monasterii Trudonensis, per epistolam explicat originem ac statum ejusdem sui Monasterii, circa an.* 1130.

GLORIOSO Principi & Advocato suo majori (1) WALERAMO, Abbas (2) RODULPHUS, & Congregatio (3) S. Trudonis fideles orationes & ferventes. Quia quæsivistis à nobis, notum vobis facimus breviter, Dominum nostrum S. TRUDONEM progenitum fuisse de nobili stirpe Francorum Regum, & Ducum Austrasiorum; propter amorem Dei, reliquisse militiam secularem, & Angelicâ revelatione, & Beati REMACLI admonitione *Metas* transisse, & omne Patrimonium suum B. Protomartyri Stephano tradidisse: litteras ibi didicisse, multis miraculis ibidem claruisse, & usque ad Sacerdotis virtutem, scientiam

(1) WALERAMUS porrò Henrici cognomento Ex-ducis filius, non solùm Limburgi sed & Lotharingiæ inferioris Dux fuit: ut in Annalibus Belgicis ad an. 959 docuimus.

(2) RODULPHUS Abbas Trudonensis scripsit Monasterii sui Chronicon, quod ms. apud me exstat, & anno 1138 vivere desiit. Meminit ejusdem Rodulphi Abbatis, Gandavi an. ... exulantis, Meyerus in Flandriæ Annalibus.

(3) S. TRUDO, vir nobilis ac potens, hortatu S.

tiam & gradum perveniſſe: deinde ad terram noſtram reverſum, Cœnobium noſtrum fundaſſe.

Tanta autem & tot fuerunt prædia ſua, quæ Beato Protomartyri *Stephano* tradidit, ut exceptis his quæ Dominus Metenſis Epiſcopus ad dominicalia ſua tenet, & milites ejus multi in beneficiis habent, & exceptis his quæ Eccleſia noſtra adhuc poſſidet, & exceptis multis & magnis, quæ tam olim Eccleſia noſtra perdidit (nam inter cetera (4) *Bruges* in Flandria Alodium S. Trudonis fuit, ubi & Congregationem LXXX. Monachorum habuit) exceptis his, inquam, & aliis multis, tot & tanta fuerunt, ut vos habeatis inde in feodo, pro Advocatia, mille & centum manſos. De quibus Comes (5) Giselbertus tenet de nobis trecentos, exceptis Eccleſiis & ſervis ad eam pertinentibus, & placitis ſuis & juſtitiis ſuis.

Et quia tantis Alodiis ditavit S. Trudo Metenſem Eccleſiam, Sancti & Religioſi Pontifices, majori liberalitate donaverunt Eccleſiam noſtram, quàm aliam aliquam.

Misimus igitur vobis, quia petiſtis, exemplar chartæ de libertate noſtræ Eccleſiæ & de jure veſtro in ea: quia noſter major Advocatus eſtis.

Rsmacti Leodicenſis Epiſcopi, ſeculum reliquit, & Metas in Lotharingiam profectus, ibi totum ſe Deo dicavit, prædiaque ſua S. Stephano, Metenſis Eccleſiæ patrono, obtulit. Sacerdos factus domum poſtliminio rediit, & in Sarcinio, ſui juris apud Hasbanos villa, Monaſterium circa an. 660 aut 670 ædificavit, quod à conditore nunc *Trudonenſe* nuncupatur, ejuſdem nominis oppido incluſum, in Diœceſi Leodienſi.

Hujus Monaſterii hodieque Advocatus eſt Dux Brabantiæ ab anno 1155 (vide infra c. 54.) qui nunc Rex Catholicus, Subadvocati autem olim fuere Comites Durachienſes ſeu Duraſſii.

(4) Bruges. Noret Lector S. Trudonem Brugenſis in Flandria urbis olim dominum fuiſſe, ibique cœnobium condidiſſe, de quo in Annalibus noſtris citato loco fusè egimus.

(5) Giselbertus. Comes Durachienſis, Subadvocatus Monaſterii Trudonenſis.

CAPUT LIII.

Adelbero III. *Metenſis Epiſcopus explicat jura ad Monaſterii Trudonenſis Advocatum & Subadvocatum pertinentia, anno 1065.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego (1) Adelbero quatenus Dei gratiâ Metenſis Epiſcopus, notum eſſe volumus omnibus, nos in villam S. Trudonis, quæ (2) Sarcinium dicitur, veniſſe, & ob contentionem inter germanum meum Ducem Lotharingiæ (3) ſeu Moſellanorum Fredericum, & Abbatem S. Trudonis, nuper exortam in Advocatione ejuſdem loci (quam eidem fratri meo dederam in beneficio) conſilio fidelium noſtrorum uſus, quid noſtri, & Advocati juris eſſet in ipſa villa, vel in reliqua Abbatia, ad nos attinente, in præſentia ejuſdem Advocati majores natu conſuluiſſe, ut ſupra hoc negotio quidquid à majoribus ſuis didicerunt, vel ipſi uſque ad illud tempus tenuerunt, fideliter proferrent, & nec timoris, nec amoris gratiâ in quamlibet partem plus minuſve dicendo declinarent.

Qui ſacramento adſtricti nominatim protulerunt, quaſdam curtes eſſe in ipſa Abbatia, id eſt, *Burlon*, *Lare*, *Merc*, *Wilre*, *Kircheim*, *Staden*, *Halmale*, in quibus nunquam à meis Prioribus aliquid juris conceſſum eſt Advocato: quia eædem ſtipendiis adſcriptæ fratrum, nulli alteri obaudire debent, quàm Præpoſito, & ejuſdem Monaſterii Cellerario.

In villa autem S. Trudonis, vel in reliquis Abbatiæ villis, profeſſi ſunt, ipſi Duci (qui, ut dictum eſt, Advocatiam in beneficio tenebat) ſive Advocato ab eo conſtituto, ex tribus generalibus placitis, & magno banno, ſi quis fortè intra villam occiſus vel vulneratus fuerit, tertium denarium debere aſſignari, reliquos autem duos vel mihi, vel Abbati.

Ceterùm teſtati ſunt, Abbatis vel Villici mei eſſe arbitrii, ut legitime & liberè, quidquid libuerit ſine Advocato poſſent placitare, ſcilicet de terris, de domibus, de alienis uxoribus ducendis, de familiis; niſi grandi fortè exigente negotio, ab Abbate vel miniſtro meo ad rem diſcutiendam invitatus fuerit.

His ergo ita in prædicta villa inquiſitis, & abſque alicujus contradictione collaudatis, aliquanto tempore tranſacto, poſt deceſſum felicis

(1) Adelbero III Henrici Baioariæ Ducis, itemque Frederici Lotharingiæ inferioris Ducis frater, an. 1047 ab Henrico III. Imp. conſtitutus eſt Epiſcopus Metenſis: ut Herm. Contractus in Chronico ſuo teſtatur. Obiit autem anno circiter 1073 ut ex Sigeberto Gemblacenſi datur intelligi, qui Herimannum illo anno Metenſibus Epiſcopum datum fuiſſe ſcribit.

Hoc itaque loco, ut & aliis, corrigandus eſt catalogus Epiſcoporum Metenſium, à Joanne Chenutio editus Pariſiis an. 1621 in Chronologia Epiſcoporum Galliæ.

(2) Sarcinium. Obſerva vetus nomen villæ ſeu oppidi Trudonenſis, quod hodie deſiit.

(3) Seu Mosellanorum. Videtur eſſe gloſſema recentiore manu adjectum. (Idem ſentit mecum A. Quercetanus in litteris ad me ſcriptis 29 Martii 1624.) Nam *Fredericus*, Adelberonis Epiſcopi Metenſis Frater, non Moſellanæ, ſed Moſanæ ſeu inferioris Lotharingiæ Dux fuit, Antverpiæ (ubi anno 1055 obſeſſus fuit) & alibi in vicinia noſtra plerumque commorans. Fuit autem creatus Dux anno 1046 & anno 1064 vivere deſiit: ut ex Contracto & Sigeberto colligitur. Illo autem tempore *Godefridus Barbatus* ſenior, *Adelbertus*, & *Gerardus Alſatus*, ex ordine Ducatum Lotharingiæ Moſellanæ tenuerunt: ut in Annalibus Belgicis ad annum 959 oſtendimus.

Hic itaque Fredericus non fuit Dux Moſellano-

* Castro.

licis memoriæ jam dicti fratris mei, iterum iidem, qui priùs in præsentia nostri in * castello nostro SALEMBRUCCA venire jussi, præsente Domino UDONE, fratris mei successore, eamdem Advocatiam in beneficio à nobis habente, & OTHONE Subadvocato, eodem modo, quo priùs admoniti, eadem etiam quæ antea protulerunt tunc utique sunt professi.

QUAPROPTER quibusdam fidelibus nostris, qui tunc temporis nobiscum aderant, consilium præbentibus, quorum etiam nomina infra notari jussimus, ne quis hoc postmodum valeat vel audeat infringere, sub chartarum descriptione placuit tam præsentium quàm futurorum memoriæ commendare. Et ut hoc firmum & inconcussum habeatur, manu propriâ illud roboravimus, & fidelium nostrorum testimonio roborari fecimus.

ACTUM publicè in supradicto castello SALEMBRUCCA anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo quinto, Indictione tertiâ, regnante Henrico III. 1065.

ADELBERO sanctæ Metensis Ecclesiæ humilis Episcopus subscripsit.

Dominus Adelbero Primicerius.

Dominus Theodericus, nepos ejus.

Dominus Gervoldus Archidiaconus.

Dominus (4) ODELRICUS, frater Ducis Gerardi.

Fredericus, Herimannus, Riquinus, Otho, Bardo, Bernardus, Stephanus, Guntramnus, Wigericus, Herimannus, Hugo, Gervoldus, Leudoldus, Theodericus, Arnulphus, Berengerus, Lydeco, Gislebertus, Fiezeco, Adelstenus, Wacelinus, Guncelinus, item Wacelinus.

EGO Gislebertus, ad vicem Domini TYETFRIDI, Metensis Ecclesiæ Cancellarii, subscripsi.

rum, nisi fortasse titulo tenus, aut ut actionem habens seu prętendens.

(4) ODALRICUS, frater Gerardi Alsatii, an 1048 Mosellanorum Ducis creati, & an. 1070 defuncti; teste Sigeberto. Ab isto Gerardo stirpem suam ducunt Duces Lotharingiæ, qui in tractu Mosellano hodieque regnant: ut ex Genealogia S. Arnulfi Metensis, per Petrum Pithœum edita, in Annalibus Belg. loco citato commonstravimus.

CAPUT LIV.

Contuli cum mſ. Andr. Valerii.

THEODERICUS *Metensis Episcopus Monasterio S. Trudonis Scrutum sive Grutam ejusdem oppidi Trudonopolitani dederat: id successor ejus* ADELBERO *confirmat.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, qualiter Dominus (1) THEODERICUS Mediomatricæ Sedis Episcopus, in Cœnobio S. TRUDONIS, per aliquot dies vel tempus commoratus, & ibi in ægritudinem incidens & ad extremum perveniens cum consilio amicorum suorum donavit eidem Ecclesiæ, & fratribus inibi Deo servientibus (2) *Scrutum* ejusdem oppidi, hoc est, potestatem ponere & deponere illum, qui materiam faceret unde levarentur cervisiæ, & de singulis cervisiis quæ brasciarentur in oppido nostro sex picarios, ad opus fratrum suscipere, quod ad servitium suum & antecessorum suorum pertinebat. Hoc autem ad remedium animæ suæ, & aliorum antecessorum suorum fecit, quatenus memoria illorum ibidem non sicut ante, sed perfectiùs & stabiliùs permaneret.

Hoc ego ADELBERO Successor ejus, & cognatione & ordine, quamvis immeritus, in loco supradicto constitutus advertens, simulque caussam & necessitatem, pro qua prædicti fratres hoc ab eodem Domino meo Episcopo expostulabant, considerans, scilicet ut eorum potus, qui eatenus vilior habebatur, postea quodammodo melioraretur, decrevi manuscripti auctoritate notare, meoque sigillo signare Domino Abbati ADELARDO secundo loci illius, ceterisque fratribus hoc idem postulantibus, quatenus hoc nullus successorum meorum infringere audeat, & quod ipse ad remedium animæ suæ prædicto Sancto sibique famulantibus contulit, ego quoque caussâ animæ meæ & successorum meorum firmavi. Hoc quicumque est ille, detrimento faciat animæ suæ.

ACTUM est hoc in Cœnobio prædicto S. TRUDONIS, anno ab Incarnatione Domini MLXIV. Indictione XIII. regnante Rege HENRICO III. anno regni ejus quarto, anno Episcopatûs ejusdem Domini ADELBERONIS XIII. coram idoneis testibus, quorum nomina subter notata sunt.

Nomina

(1) THEODERICUS Metensis Episcopus an. 1046 vivere desiit, eique successit Adelbero III. Henrici Boiariæ Ducis, & Frederici inferioris Lotharingiæ Ducis frater superiori capite à nobis laudatus, & obiit circa an. 1073.

(2) SCRUTUM. Aliis Gruta: unde nomen nobili GRUTHUSIORUM familiæ apud Brugenses in Flandria, ut quidam conjiciunt.

Notet lector, HENRICUM Ducem Limburgensem an. 1155 *Godefrido* III. Brabantiæ Duci cessisse Advocatiam Monasterii S. Trudonis, ut in Auctario Affligemiensi legitur, quod cum Sigeberti Chronico Antverpiæ an. 1608 edendum curavimus.

Nomina Nobilium.

SIGNUM Advocati Ducis FREDERICI.
S. Subadvocati Comitis Othonis. (Otho Gisleberti filius Comes de Durac.)
S. Folmari Comitis. *
S. Herimanni Comitis.

S. Richuini.	S. Bardonis.
S. Herimanni.	S. Walberti.
S. Ansfridi.	S. Theodorici.
S. Crachii.	S. Wasonis.

* Forte Metensis.

S. Othonis.	S. Gunzelini.

Nomina plebeiorum de familia.

S. Raimundi.	S. Lamberti.
S. Wichmanni.	S. Everardi.
S. Ascolphi.	S. Lizeconis.
S. Stephani.	S. Lideconis.
S. Richardi.	

Ego RAIMUNDUS, ad vicem Domini ASONIS Cancellarii, scripsi & subscripsi.

CAPUT LV.

DROGO *Teruanensis Episcopus anno* 1065 *talem dat libertatem Ecclesiæ Mecinensi seu Messinensi, qualem Bertefridus Episcopus Ambianensis an.* 664 *dedit Ecclesiæ Corbeiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quicumque divinæ præcepta legis observare nititur, inter alia quàm plurima, hæc sibi observanda intelligimus, ut & ipse ab alio solùm quod justum est petat, & id idem alii petenti non invitus concedat. Sicut enim injusta petere, & injusta petenti injustè concedere, inter non minima computatur vitia, ita illa duo velut iis contraria, virtutes constat esse præcipuas.

QUÆ cùm communiter omnes, ut diximus, observare oporteat divinæ legis amatores, præcipuè tamen summoque studio observare decet ejusdem religionis prædicatores. Non enim aliter digni poterunt esse prædicationis officio, nisi summa cum diligentia eadem observent, quæ observanda prædicant populo: nec decet eos à virtutibus recedere, qui virtutum prædicatores atque persuasores volunt existere.

QUAPROPTER ego DROGO, gratiâ Dei Teruanensis Ecclesiæ Episcopus, Comitis BALDEWINI, ADELÆQUE uxoris ejus, Regis Francorum ROTBERTI scilicet religiosi viri filiæ, justæ ac diuturnæ petitioni, assensu atque consilio meorum fidelium tam Clericorum quàm Laicorum satisfeci, quatenus ipsi justis aliorum petitionibus libentiùs satisfaciant, meo exemplo admoniti.

Ii enim in loco, qui dicitur (1) MECINIS, diu noctuque divino cultui vacantes Sanctimoniales atque Canonicos disponere cupientes, ejusdem loci absolutissimam à me petierunt libertatem; quam quidem hujusmodi talemque illis concessi, qualem (2) BERTEFRIDUS Ambianensis Ecclesiæ quondam Episcopus, petente

(1) MECINENSE, seu Messinense nobilium virginum Cœnobium, olim in Morinensi, nunc in Iprensi Diœcesi, secundo lapide ab Ipris distat. Id anno 1060, ADELA Comitissa ædificare cœpit: ut ex illius loci monumentis accepi. Similis instituti Cœnobium BORBURGI Clementia, Roberti Hierosolymitani, Flandriæ Comitis uxor an. 1101 excitavit.

(2) BERTEFRIDUS. Olim ab Episcopis privilegia libertatis Monasteriis tributa fuisse, nemo veteris historiæ Ecclesiasticæ peritus ignorat.

In hoc DROGONIS Diplomate Messinensi, fit mentio *Corbeiensis, Agaunensis, Lirinensis, & S. Marcelli Cabilonensis* Monasteriorum. Sanè illud in ædificandis Monasteriis privilegium, ab ipsis ædificatoribus Regibus & aliis Principibus petitum, & ab Episcopis concessum fuisse, multa probant exempla, quæ exstant.

BERTEFRIDUS (cujus hic auctoritas citatur) Episcopus Ambianensis, Clotario Francorum Rege & Bathilde Reginâ petentibus, istiusmodi privilegium Monasterio CORBEIÆ veteris indulsit, anno septimo Chlotarii Regis, VIII. Idus Septembris, hoc est, anno Christi 661 aut 662 videlicet annos regni Clotarii, ab anno salutis 655 inchoando. Cui quidem privilegio subscripserunt *Audebertus* Cameracensis, *Mommolenus* Noviomensis, *Dranscio* Morinensis, alter item *Audebertus*, seu *Audobertus* Episcopus Parisiensis (cui S. Audoenus vitam S. Eligii dicat, & qui Monasterium Fossatiense exemit à jurisdictione Episcopali an. V. Clodovæi II.) cum aliis non paucis. Claudius Robertus sub finem in Corbeia, ait: Genesius Lugdunensis, Audomarus Morinensis, Audoenus Rotomagensis. Pharo Meldensis, Chrodobertus Parisiensis, Eligius Noviodunensis, Autbertus Cameracensis, Dranscio Suessionensis, Episcopi subscripserunt.

GUNTRAMNUS Burgundiæ Rex, quæ ipse, uxor ejus, aut binæ filiæ, Cœnobia construxerant, multisque possessionibus dotarant, simili modo ab Episcoporum conventu firmari postulavit, & ut fieret, in Synodo Valentina obtinuit, quæ anno regni ejus XXIV. est habita.

S. MARCELLI Abbatia, à Drogone memorata, nunc est Prioratus instituti Cluniacensis, haut procul ab urbe Cabillonensi situs: ubi Guntramni conditoris tumulus etiamnum visitur, cum ejusdem somnio, marmori inciso, quod Aimoinus lib. 3. cap. 3. describit. Diploma fundationis recitat Petrus San-Julianus lib. de urbis Cabillonensis antiquitatibus.

S. VINCENTII Martyris, in Suburbano Parisiensi, Basilicam simili Privilegio anno quinto Chariberti Regis, hoc est, anno salutis 566. à S. Germano Parisiensi Episcopo (cujus nomen nunc gerit) donatam, Aimoinus lib. 3. cap. 2. narrat. Quod integrè descriptum Jacobus Breulius, noster olim Lutetiæ amicus, cum ejusdem Aimoini Historia publicavit.

Exstat insuper hodieque in cortice tiliæ scriptum diploma, quod LANDERICUS Parisiorum Episcopus regio S. Dionysii Monasterio anno XV. Ludovici seu Clodovæi Regis, hoc est, anno Christi 658. dedit, quod Eligius Noviomensis, Richoaldus Bellovacensis, Audoenus Rotomagensis, Bertefridus Ambianensis, Andebertus Cameracensis, Armentarius A. Senonensis & plures alii Antistites signarunt. Diplomn ipsum fideliter exscriptum Hieronymus Bignonius, in Notis ad Marculfi Formulas, ann. 1613. Parisiis in lucem protulit.

te LOTHARIO Rege ac BATHILDE religiosissimâ Reginâ, consilioque sui temporis Episcoporum atque assensu scilicet, GENESII, NIPHONIS, ETHEALDI, EMMONIS, ADONIS, (3l AUDOMARI, AUDOENI, AUDEBERTI, *BURGONDII, PHARONIS, item AUDOBERTI, DRANCIONIS, Ecclesiæ concessit Corbeiensi, instar Ecclesiæ (4) *Agaunensis*, (5) *Lirinensis*, Basilicæ quoque *D. Marcelli*.

[* Aliàs forte Burgundofaro. Vide Annal. nostros Belg. ad annum 658.]

HÆC verò talis est, ut quæcumque ibi à quibusque fidelibus fuerint oblata, scilicet agros, familias, aurum, argentum, sine aliqua exactione alicujus ordinatoris Ecclesiæ Teruanensis, liberè possideat prædicti loci Abbatissa, vel quos ipsa constituerit.

EPISCOPUS tamen Teruanensis quæcumque ad divinam pertinent Religionem, scilicet Altarium benedictionem, Sanctimonialium seu Canonicorum ibidem servitururorum consecrationem, quos ipsa elegerit, olei quoque & Chrismatis largitionem, sine alicujus præmii petitione, caritatis amore, concedat.

ABBATISSAM Sanctimonialium chorus sibi eligat ex semetipsis meliorem & religiosiorem: cui idem Episcopus gratis & non invitè addat benedictionem. In loco verò sæpe dicto Episcopus seu Archidiaconus, seu Archipresbyter convivium vel conventum non celebret, nec illuc accedat, nisi causâ necessitatis, vel amore caritatis, ab Abbatissa rogatus fuerit.

ET ut ita res firmiùs ac stabiliùs permanere possit, idem Comes & Comitissa Ecclesiam de (6) *Pernis* cum suis appendiciis, & unum bonarium terræ in eadem villa, & Alodium dimidiæ carucæ, Ecclesiæ Teruanensi perpetuò habenda tradiderunt.

ILLUD etiam superest memorandum, quod Altare de *Warneston* ad mensam supradictarum Sanctimonialium tali pacto concessi, ut mihi & successoribus meis annuatim decem solidi persolvantur denariorum: similiter pro restitutione personæ ipsius Altaris, alii decem.

QUOD si aliquis ejusdem Teruanensis Ecclesiæ Episcopus hanc libertatem, cupiditate aut superbiâ elatus, violare præsumpserit, tribus annis pœnitentiam districtissimè agat, à communione fratrum subtractus: & nihilominus hæc libertas, Christo protegente, qui & adjuvet hanc conservantes, & destruat hanc destruere cupientes, perpetuò maneat incorrupta.

Quam diffinitionem constitutionis meæ, ut meis & futuris temporibus permansura sit, manus meæ subscriptione roboravi, & fideles meos camdem roborare permisi. Actum est hoc Teruanæ V. Kal. Junii, anno Incarnationis Domini M. LXV, Indictione III. regnante Rege Francorum PHILIPPO. [Anno 1065.]

SIGNUM DROGONIS Episcopi Teruanensis.

S. Huberti. S. Weremboldi Decani.
S. Warnerii Archidiaconi Teruanensis.
S. Werini Archidiaconi Remensis.
S. Fuccardi Archidiaconi Noviomensis.
S. Balduini Archidiaconi Ambianensis.

(3) AUDOMARI.... Scriptor hujus diplomatis videtur non habuisse ad manum diploma Corbeiense, à Bertefrido Episcopo Ambianensi datum: quod liquebit conferenti Diploma hoc Messinense cum Corbeiensi.

(4) AGAUNENSE Monasterium, olim in Octodurensi, nunc in Sedunensi Diœcesi apud Helvetios situm, in honorem S. Mauritii & aliorum Martyrum Thebæorum S. SIGISMUNDUS Burgundiæ Rex condidit.

(5) LIRINUS seu Lerinus Insula, quæ vulgò *S. Honorati* nunc dicitur, ad mare Mediterraneum, haud procul ab Antipoli in regno Galliæ sita est. Monasterium in ea circa an. 470. fundavit S. HONORATUS, primus Abbas Lirinensis, post Arelatensis Episcopus, idque ante tempora S. Benedicti, cujus regulam postea suscepit, spectatque nunc ad reformatam Congregationem Cassinensem. Ex eodem Monasterio Vincentius cognomento Lirinensis, Lupus Trecensis, Hilarius Arelatensis, Eucherius Lugdunensis, & alii doctrinâ vitæque sanctitate clari quàm plurimi prodierunt.

(6] PERNA oppidulum Artesiæ, in Comitatu S. Pauli.

CAPUT LVI.

BALDUINUS *cognomento Insulanus seu Pius, Insulense Canonicorum Collegium, à se institutum dotat, & Ecclesiam an.* 1055 *ædificari cœptam, consecrari procurat, præsente Philippo Francorum Rege anno* 1066.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, unius veri Dei. Quoniam ego BALDEWINUS Flandrensium (1) Comes Marchio, & PHILIPPI Francorum Regis, ejusque regni Procurator & Baiulus, secundùm divinorum librorum testimonia, sciebam quòd supernæ vocationis maneat hereditas, quos in exercitium divini operis bona excitat voluntas, cœpi mecum singulari mentis consideratione speculari, quia, cum divinorum mandatorum observatione, nihil alicui Dei cultori magis valeat esse ad salutem animæ & corporis salubre, quàm Ecclesias ad honorem Dei, ejusque Sanctorum, ubi rationabiliter ac legaliter fieri potest, ædificare.

QUAPROPTER sæpius oculis cordis illud respiciens

(1) COMES MARCHIO. Apud medii ævi scriptores hæc duo vocabula ferè pro eodem sumuntur. Sunt item hic notandi tituli, quibus Balduinus Insulanus in suis diplomatibus est usus,

respiciens quod scriptum : *Cui multum committitur, multum ab eo exigitur*, & illud : *Qui domum Dei ædificat in terris, domum suam præparat in cœlis* : Propterea conjugis meæ ADELÆ, & filii mei BALDEWINI fideli ac salubri acquiescens consilio, Basilicam in honore S. Petri Apostolorum Principis à fundamento construens, Congregationem Canonicorum, in eadem Dei misericordiam, pro anima mea, & antecessorum meorum, uxorisque meæ ac filiorum meorum, & omnium Dei fidelium, die noctéque exorare institui, eisque ad usus necessarios de rebus possessionis meæ tradidi, quæ inferiùs continentur, libera videlicet omnimodò, & ab omni dominatione seu potestate cujusquam absoluta : (2) exceptâ ejus quidem quem Præpositus & Canonici ejusdem Ecclesiæ, in loco à progenitoribus (3) ISLA nominato fundatæ, communi elegerint voluntate : qui & ipse quoque tamdiu & non ulteriùs eorum rebus præsit quamdiu eis placuerit.

In Territorio (4) ISLENSI...

QUIN etiam uxor mea eleëmosynarum & remunerationis à Domino mecum particeps esse cupiens, & illius Dominici verbi reminiscens, *Hospes fui, & suscepistis me, Esurivi & dedistis mihi manducare*, contulit supradictæ Ecclesiæ villam in Atrebatensi pago sitam nomine *Esflues*, ad hospitium & refectionem pauperum : eâ tamen ratione, ut Canonici exinde singulis annis XL. solidos habeant in ipsius dedicatione.

DEDIT quoque præterea bodium Ecclesiæ de (5) *Doulesmons* Thesaurario, ut ex eo unoquoque anno Canonici XII. solidos recipiant in die solemni Apostolorum Petri & Pauli : quia eodem die celebrabunt anniversarium diem Patris ejus ROTBERTI, Francorum quondam Regis, & pauperes panem unius modii variæ annonæ, & duas caseorum pensas. Sed & Altare S. Petri in crypta ex eo omni tempore seculi, per noctium tempora, indeficiens luminare habeat. Si quis autem in aliquo contraire aut contradicere voluerit, centum libras auri persolvat, & bannum Regis, & quod tentavit irritum fiat.

ACTUM apud ISLAM in S. Petri Basilica, coram PHILIPPI Francorum Regis præsentia, anno VII. Imperii ejus, anno ab Incarnatione Domini MLXVI, Indictione IV, astantibus quàm plurimis nobilibus & idoneis testibus, Clericis atque Laicis.

UT autem hæc traditio firma atque in omne tempus indissoluta permaneat, prædictus Rex eam, rogatu meo, suâ manu signavit, atque sigilli sui impressione firmavit.

Signum BALDEWINI junioris Comitis.
S. (6) ISAAC de Valencines.
S. (7) BALDUINI Noviomensis Episcopi.
S. WIDONIS Ambianensis Episcopi.
S. DROGONIS Taruennensis Episcopi.
S. Fulcardi Noviomensis Archidiaconi.
S. Warnerii Taruennensis Archidiaconi.
S. Warmundi Cameracensis Archidiaconi.
S. Clarcboldi Pincernæ.
S. Theoderici Dapiferi.
S. Rengoti de Gandavo.
S. Anselmi Calvi.
S. (8) Roberti Advocati.
S. Joannis Advocati.
S. (9) Walteri Duacensis.
S. Hugonis fratris ejus.
S. (10) Rudolphi Tornacensis.
S. (11) Wederici Tornacensis.
Ego BALDUINUS Cancellarius subscripsi.

C A-

(2) EXCEPTA EJUS QUEM &c. Hunc vulgò Guardianum seu Gardianum, id est, Defensorem seu Tutorem Canonici nuncupant.

(3) ISLA. Hodie Insula, ut Guilelmus Brito in sua Philippeide nuncupat, seu Insulæ, plurali numero, urbs Gallo Flandriæ primaria, mercatu celebris; quam *Balduinus* Flandriæ Comes, Insulanus inde dictus, condidit, muris item, fossis, arce, aulâ (quam *Salam* vocant) Templo, Collegioque Canonicorum exornavit.

Additio. (4) ISLENSI .... Multa hìc loca enumerantur in Diplomate originali, in quibus aliquid Canonicis Ecclesiæque à Balduino conceditur, quæ non fuit visum operæ pretium hìc apponere. Subjungit verò postea Comes : QUIN etiam uxor &c.

(5) DOULESMONS. Fortè *Deulemont*, Deulemonda, ubi Deula fluvius Lisæ miscetur. Sic *Teneramonda*, ubi Tenera in Scaldim, *Ruremonda*, ubi Rura in Mosam, *Rupelmonda*, ubi Rupela in Scaldim influit atque immergitur. Nostratibus *Monde*, idem est quod os sive ostium.

(6) ISAAC de Valencines. Fuit is Comes Valentianensis, *de Valenciennes*, idemque Comes Cameracensis, à Balderico in Chron. Cameracensi non uno loco memoratus.

(7) BALDUINUS Noviomensis, WIDO seu Guido Ambianensis. & DROGO Teruanensis, Episcopi, huic diplomati subscripserunt, & Templum S. Petri Insulense solemni ritu anno 1066, consecrarunt, Philippo Francorum Rege, Balduino Insulano, Flandriæ Comite, ejusque conjuge Adelâ, præsentibus.

De his rebus plura qui volet, Joannis Buzelini Gallo-Flandriam legat, Tomo I, lib. II. cap. 13. & seq.

(8) ROBERTUS. Advocatus Ecclesiæ Atrebatensis, Dominus Betuniæ.

(9) WALTERUS. Castellanus Duacensis.

(10) RUDOLPHUS. Tornacensis Ecclesiæ Advocatus, nisi fallor.

(11) WEDERICUS Tornacensis, fuit Dominus de Avesnes, Condé & Leuse, ut arbitror. Dicitur autem Tornacensis, quia Castellaniam Tornacensem aliquamdiu fortasse possedit. Wederici filiam *Adam* duxit Fastradus de Oisy Advocatus Tornacensis, qui anno 1098 vixit.

Ceterùm ab ipso fundationis tempore fuerunt in Ecclesia Sancti Petri Insulis Canonici quadraginta, decem scilicet Sacerdotes, Diaconi decem, totidem Subdiaconi, totidemque Acolythi. Præest Capitulo Præpositus, unà cum Pontifice conferens præbendas, suis respectivè mensibus; hunc in dignitate sequuntur Decanus, Cantor, Thesaurarius, & Scholasticus. Inter Canonicos recensebantur olim Episcopi Tornacensis ac Morinensis, & Præpositus Sancti Donatiani Brugis. Nunc Iprensis & Boloniensis Episcopi, portionem Canonicam olim Morinensi debitam inter se partiuntur : & Brugensi Episcopo cedit præbenda Præpositi Sancti Donatiani. Additio.

CAPUT LVII.

PHILIPPUS *Francorum Rex prædia, per Balduinum Insulanum, ejusque conjugem Adelam Messinensi Monasterio attributa, anno 1066 confirmat.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

EGO PHILIPPUS Francorum Rex notum volo fieri cunctis Christianæ religionis cultoribus, tam futuris quàm præsentibus, quod Comes BALDEWINUS conjuxque ADELA Flandriæ Comitissa, unàque nobilissimi ROBERTI Francorum Regis filia, Majestatis nostræ serenitatem adiêre, cum humilitate maxima, obnixè deprecantes, quatenus Ecclesiæ MECINENSI libertatem quam facere disposuerat pater meus HENRICUS in vita sua, facerem Ego pro ejus anima, parentumque meorum perenni memoria.

QUORUM supplicationibus condescendens humillimè, qui non eram filius ancillæ, sed filius liberæ, libertatem, quam Comes BALDEWINUS, ADELAQUE uxor illius expetiêre, nolui denegare. Verùm ne irrita foret libertas sanctæ Dei Ecclesiæ, chartam istam sigilli mei corroboravi impressione, meisque fidelibus hujus libertatis testimonium, ascriptis eorum nominibus, jussi perhibere.

SIC autem Ecclesiæ supradictæ libertatem tribui, ut terras & alodia, cum pratis & molendinis, ceterisque beneficiis, ad eandem sanctam Dei Ecclesiam pertinentibus, nullo contradicente vel injuriam faciente, salvâ Sororum suarum fidelitate, Abbatissa atque Canonici ejusdem Ecclesiæ, sicut idem Comes & Comitissa in usus necessarios illis disposuerunt, & chartæ nostræ series diffinit, ab omni potestate sive dominatione cujusque personæ liberè possideant, seu quos prædictæ Abbatissæ atque Canonicorum constituerit benevolentia.

HÆC sunt autem, quæ possederit Abbatissa: Ecclesiam ejusdem loci & altare, vicum & terras infra Rosebecam & Duniam, in territorio Furnensi octo (1) berquerias, quæ sexdecim mansis continentur, apud *Furnes* mansum unum Drusloni, apud *Ecbes* in Mempisco septem mansa terræ, apud (2) *Wideschat* viginti octo mansa terræ, altare de *Warneston*, apud (3) *Ferlinghem* dimidiam (4) vacceriam, in villa, quam appellamus (5) *Duplices Montes*, curiam & molendina, & duodecim mansa terræ, & portam aquæ, villam quamdam (6) *Crucicolas* nominatam, sitam juxta S. Pauli opidum, duo mansa terræ apud (7) *Lambrene*, apud Duacum terram, quæ dividitur in duodecim particulas, quam Waldricus dedit S. Mariæ, tunc temporis ejusdem Ecclesiæ Præpositus. Croisettes.

HÆC sunt verò quæ Canonici possederint, decimam ipsius villæ Mecinensis, in territorio Furnensi, duas berquerias in eodem territorio, apud *Affringhem* septem mansa terræ continentia centum vaccas, apud *Wideschat* tredecim hortos, apud Ipram decem libras denariorum de censu, apud *Ferlinghem* duo pensa caseorum, apud *Duplices Montes* centum solidos, apud Bruges alodium persolvens XII. solidos, apud (8) *Alewangne* unum mansum terræ, Ecclesiam S. Richarii, apud *Wideschat* mansum unum, tam Monialibus quàm Canonicis datum à Manechino, juxta (9) *Rosebecam* mansum unum Decano habendum cum viginti solidis, de censu rusticorum ejusdem villæ Mecinensis.

HUIC legitimæ libertati atque diffinitioni faciendæ, hi legitimi testes interfuerunt, tam de parte Regis & BALDEWINI Comitis, quàm de parte Comitissæ.

BALDEWINUS Comes de Montibus, filius Baldewini * Comitis. *Pedagogus, Bajulus.*
Ingelramnus Magister Regis.
Frericus de Curbulo.
(10) Hugo de Bleis.
Ingelramnus de Villers.
Robertus filius Gifardi.
Robertus Burgundigena.
Comes de Gisnes.
Radulfus de Tornay,
Robertus de Peronia.

ACTUM Furnis publicè anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto, Indictione quartâ, regnante Rege PHILIPPO, anno post obitum patris sui Henrici VI. 1066.

HUIC verò Chartæ si quis, quod absit, contradicere voluerit, persolvat Regi trecentas libras auri, & postea ejus calumnia irrita maneat, & ipse sit anathema.

EGO (11) GOFRIDUS gratiâ Dei Parisiorum Episcopus, & eodem tempore Regis Cancellarius relegi, & relegendo subscripsi.

S. BALDEWINI Comitis.

(1) BERQUERIA. Terra alendis ovibus commoda, ut vaccaria vaccis. Gom.

(2) WIDESCHAT. Vicus Castellaniæ Iprensis, quem hodieque possident Moniales Messinenses.

(3) FERLINGHEM. Vicus Castellaniæ Insulensis.

(4) VACCERIA: id est, pascuum seu pratum ad vaccas alendas.

(5) DUPLICES MONTES. Hodie *Deulemons*, vicus ad Deulæ & Lisæ confluentes. Deula urbem Insulensem intersecat.

(6) CRUCICOLAS. Vicus Artesiæ, *Croisettes* Principatûs titulo clarus, ad virgines Messinenses etiamnum pertinens.

(7) LAMBRENE. Vicus *Lamprenne*.

(8) ALEWANGNE. Vicus Artesiæ prope Bethuniam oppidum, celebris peregrinatione ob unam ex lacrymis Christi. Gom.

(9) ROSEBECA. Vicus in Castellania Iprensi.

(10) HUGO DE BLEIS. Fortè Blois, gener Philippi Regis, Comes Trecensis, post Templarius, frater Henrici Stephani Comitis Blesensis.

 (11) Go-

(11) Gofridus, al. Gaufredus vel Jostedus, Episcopus Parisiensis, Godefridi Bullonii Patruus, ad quem Jofredum extat epist. 20. Gregor. VII. lib. 4.

Ceterum Henricus I. Rex Philippum filium suum septennem Remis Regem an. 1059 Indictione XII. die Festo Pentecostes X. Kal. Junii ungendum curavit. Atque hinc annos Philippi inchoandos patet ex fine & numero annorum ejus. Obiit autem Philippus an. 1108. 11. Kal. Augusti, cum annos 49. menses 2. & dies 7. regnasset. Filius ejus Ludovicus Crassus eod. anno postridie Kalendas Augusti fuit consecratus & an. 1136. Kal. Augusti decessit. Ut Auctarium Gemblacense in Chronico à nobis edito tradit.

CAPUT LVIII.

Theoduinus *Leodiensis Episcopus in Hoiensi seu Huiensi Ecclesia quindecim Canonicos anno 1066 constituit.*

Vide Chronicon nostrum Belg. ad hunc an.

Vide infra Donat. belgica.

Ego (1) Theoduinus, Dei gratiâ Leodicensis Episcopus, notum esse volo tam præsentibus quàm futuris; qualiter post libertatem Hoiensis Ecclesiæ, quam Maternus beatæ memoriæ Episcopus consecrando primitiavit, adjecerim libertatem etiam villæ. Præfatam siquidem Ecclesiam à fundamentis ad laquearia, à laquearibus & ultra reædificavi; quam etiam in auro, argento, gemmis & prædiis, pro modulo meo ditavi, & de Agar Saram esse feci.

Prænominata verò villa pro libertate sua, ad sumptus Ecclesiæ necessarios, omnia mobilia sua primò mihi tertiavit; quâ libertate ut amplius frueretur, postmodum dimidiavit.

Prima libertas hæc est, quòd defuncto in pace Episcopo, usque ad plenariam alterius institutionem, burgenses villæ, bonâ fide & bono consilio, castrum Hoiense de reditibus villæ conservabunt. Si verò nos, vel aliquis successorum nostrorum præscriptam libertatem, vel aliqua jura eorum (quod absit) infringere tentaverit, concedimus & statuimus, ut Dux Lotharingiæ, & alii tam Clerici quàm Laïci subnotati ad conservandum libertatem, & jura eorum (admonitione tamen præmissâ) eis efficaciter assistere non omittant.

Die tertio dedicationis Hoiensis Ecclesiæ, hæc omnia supradicta à meipso corroborata sunt & confirmata, sub anathematis vinculo, & à compare meo & cooperatore Lietberto Cameracensi Episcopo, & ab omnibus Sacerdotibus inibi astantibus. Et ne in posterum prece vel pretio ista possent immutari, impressione sigilli nostri prædicta voluimus communiri, sub assensu & testimonio tam Clericorum quàm Laïcorum.

Acta sunt hæc anno Domini MLXVI. 1066. Indictione IV, Pontificatûs nostri anno XVIII, regni verò Henrici XI.

(1) Theoduini Diploma, sed mutilum, Ægidius Vallis aureæ Monachus, Brusthemius & Chapeavillius, rerum Leodiensium scriptores, recitant. Quod quidem signarunt, ut iidem scriptores asserunt,
Hermannus Archidiaconus,
Godescalcus Præpositus,
Wolbertus Decanus,
Aistulphus Cantor,
Franco Scholasticus,
Bono Canonicus, Emo & Wolbodo,
Godefridus Barbatus senior Dux Lotharingiæ,
Albertus Comes Namurcensis,
Henricus Comes Lueburgensis,
Cono Comes Montis-acuti,
Walterus Advocatus ejusdem villæ,
Godescalcus de Cennaco,
Godefridus & Arnulfus de Florines,
Godefridus de Floressia,
Christianus ejus frater.

Ceterùm Bozo Archidiaconus, & Abbas S. Mariæ XV. Canonicos in Huiensi S. Mariæ Ecclesia posuerat. His alios totidem Theoduinus Episcopus addidit, & eamdem Ecclesiam, à fundamentis usque ad laquearia à se perfectam, anno 1066. dedicavit, præsente Lietberto Cameracensi Episcopo. Iidem Pontifices corpus S. Domitiani Episcopi, ad dictam Ecclesiam, ex Ecclesiola, per S. Maternum, primum Tungrensium Episcopum, constructa, transtulerunt: ut idem Ægidius in Gestis Episcoporum Leodiensium tradit.

Theoduinus Episcopus obiit anno 1075, & sepultus est in memorata Ecclesia Huensi. Addit.

CAPUT LIX.

Robertus Frisius, *Flandriæ Comes, anno 1072 confirmat prædia ac possessiones Monasterii S. Petri Gandensis.*

Vide Chronicon nostrum Belgicum ad hunc ann.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, amen.

(1) Rotbertus Dei gratiâ Comes Flandriæ tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Quoniam Domini est salus, & non est vera salus, nisi in eo, qui dat salutem Regibus; toto cordis affectu & corporis gestu, si salvari volumus, ejus servituti insudare debemus: quippe cùm ei servire, regnare sit.

Sed quia terrenis negotiis occupati, vix aliquando possumus reminisci Salvatoris nostri, magnopere nobis studendum est, ut faciamus nobis amicos, qui recipiant nos in æterna tabernacula, cùm defecerimus.

Proinde

PROINDE petitioni dilecti nobis Abbatis FOLCARDI, & fratrum in Ecclesia S. Petri Gandensis Deo servientium, & pro nobis jugiter orantium, assensum præbentes, ne aliquorum infestatione in futurum molestentur & per hoc à Dei servitio, & nostri memoria retardentur, præsentis scripti testimonio, omnia à prædecessoribus nostris in immobilibus, & mobilibus, in villis, terris, silvis, reditibus & decimis prædictæ Ecclesiæ tradita contradimus; & sicut à prædecessoribus nostris prælibatæ Ecclesiæ confirmata sunt, & nos propriâ animi devotione confirmamus, ut omnia integrè, quietè, & pacificè possideant & teneant.

UT autem hoc omnibus notum sit, & ratum & inconvulsum permaneat, præsentem paginam sigilli nostri appositione, & testium corroboratione signari præcepimus. Actum anno Domini MLXXII regnante Rege Francorum PHILIPPO. 1071

Signum Rotberti Marchisi.
S. Folcardi Castellani Gandensis.
S. Lamberti filii ejus.
S. Alardi fratris ejus.
S. Balduini. S. Eustathii.
S. Hugonis. S. Arnulphi filii ejus.
S. Asserici de Asna. S. Reineri patris ejus.
S. Expolsi de Suinarde.
S. Asserici de Munte.
S. Luberti de Didelsuena.
S. Rozonis de Melna.
S. Joannis de... S. Elberti de Rosebecai
S. Joannis de Buthem.
S. Arnulfi de Hardopa.
S. Sefridi de Marck.
S. Eustathii de S. Andomaro.
S. Walerici de Nivela.

(1) ROTBERTUS cognomento Frisius, ob victoriam contra RICHILDEM, ejusque filium ARNULFUM Flandriæ Comitem, nepotem suum, & contra PHILIPPUM Franciæ Regem, an. 1072. die 22. Februarii, in Festo Cathedræ S. Petri, prope Casletum obtentam, plures per Flandriam Ecclesias, in honorem Principis Apostolorum ædificavit, aut collapsas instauravit, aut alia ipsis beneficia contulit: ut in Annalibus Belgicis docui.

Obiit Rotbertus anno 1093, sepultus in crypta Ecclesiæ D. Petri Casleti à se fundatæ. Addit.

CAPUT LX.

ROBERTUS FRISIUS, *Flandriæ Comes, Monasterii Messinensis, ab Adela matre sua conditi, possessiones anno* 1080 *confirmat.*

Vide Chron. nostrum Belg. ad hunc annum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

QUIA nulla res tam probabilis in testimonio scilicet posteritatis, quàm attestatio litteralis, Ego ROTBERTUS, Dei clementiâ Flandrensium Comes, notum volo fieri cunctis Christum piè colentibus, quod anno secundo post obitum matris meæ, ADELÆ videlicet Comitissæ, ROTBERTI Regis Francorum filiæ, NATALIA Mecinensis Ecclesiæ Abbatissa, ac totius ejusdem Ecclesiæ Conventus, tam (1) Canonicorum quàm Sanctimonialium, nostram adiêre præsentiam, obnixè postulantes, ut institutionem de reditibus ad eamdem sanctam Dei Ecclesiam pertinentibus, scilicet quid inde Canonicis ac Sanctimonialibus, ibidem divino cultui vacantibus, esset habendum, quid verò structuræ reservandum Ecclesiæ, sicut mater mea in vita sua ordinaverat, ita ego pro ejus anima, parentumque meorum perenni memoria, litterali attestatione innotescerem, & sigilli mei impressione corroborarem.

QUORUM justis petitionibus condescendens obtemperare volui, tum quia ossa matris meæ sepeliuntur in eadem Ecclesia, cujus nimirum structuræ, dum viveret, omnino videbatur insudare, pro animabus communiter nostris, tum quia visis tot (2) MIRACULORUM signis in eodem loco, placere evidentissimè comperi aliquid ibidem omnipotenti Deo.

IN territorio itaque *Furnensi* Canonici, prædictæ Ecclesiæ altari deservientes, habeant duas (3) berquereias, triginta sex marcas argenti persolventes, in eodem territorio apud *Alfringhem* septem mansa terræ, continentia centum vaccas; Ecclesiam quoque S. Richarii; apud *Bruges* alodium persolvens duodecim solidos; apud *Ipram* decem libras de censu; apud villam, quam appellamus *Duplices Montes*, centum solidos; apud (4) *Alewangne* unam mansionem terræ; de decima ipsius villæ Mecinensis quinque modios de frumento, & totidem de avena; & de censu ejusdem villæ unusquisque Canonicorum dimidium vini sextarium, in his tantùm festivis diebus qui subnotantur, in Natali Domini, in Circumcisione & Epiphania, in quattuor festivitatibus sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in Pascha & ejus Octavis, in Ascensione Domini, in Pentecoste & Octavis, in Nativitate Præcursoris Domini, in Natali Apostolorum SS. Petri & Pauli,

(1) CANONICI olim XII. fuerunt Messinis, ab Adela Comitissa similiter instituti ac dotati, ut Sanctimonialibus in sacris faciendis subservirent: nunc duo pauciores sunt numero, ob census injuriâ temporis imminutos.

(2) MIRACULORUM signa in Messinensi Monasterio, jam inde à quinque ferè seculis, visa fuisse, notet Lector, quæ hodieque perdurant, ut supra in Notis capitis 49 ostendimus.

(3) BERQUERIA. Vide supra fol. 67. in Notis.

(4) ALLEWANGNE. Vide ibid.

li, ad Vincula S. Petri, in Dedicatione ipsius Ecclesiæ Mecinensis, in festo quoque S. Michaëlis, in solemnitate omnium Sanctorum, & commemoratione omnium Fidelium defunctorum.

HABEANT etiam in platea de *Widescat* tredecim hortos, juxta *Rosebecam* unum mansum terræ, cum viginti solidis de censu rusticorum ejusdem villæ, Decano habendum.

NUNC verò superest dicendum, quomodo in pondere, mensura quoque & numero, de cibo ac potu XXX. Sororum sæpedictæ Ecclesiæ facta sit institutio. Panis itaque ex adipe frumenti unicuique earum præponendus penset quinque marcas, caseus duas & dimidiam. Quartum verò halec, quartum palezinc, & quartum ovum me illis auxisse, tam futuris quàm præsentibus sit cognitum.

Monialium portiones ordinantur.

IN Dominicis & Festis diebus habeant quattuor fercula, in aliis verò tria, omni die (5) justam cervisiæ & dimidiam; vinum quoque in omnibus festis, quando cantaverint *Sequentiam*, unaquæque videlicet quartam partem sextarii; ad vestimenta sua triginta libras denariorum.

ABBATISSA verò ut hæc instituta Sororibus suis copiosè possit impendere, & operariis ea præparantibus mercedem solvere, hospitesque & peregrinos, secundùm regulam sibi injunctam benignè suscipere, hæc liberè possideat: Ecclesiam ejusdem loci & altare, vicum & terras infra *Rosebecum* & *Duniam*: in territorio *Furnensi* octo berquereias CXLII. marcas argenti persolventes, apud *Eches* septem mansa terræ, apud *Wideschat* XXVIII mansa terræ: altare de (6) *Warneston*, apud *Ferlingehem* dimidiam vacceriam XVI vaccarum, unde Canonici habeant in festo (7) S. SIDRONII duo (8) pensa caseorum; villam quandam *Crucicolas* nominatam, sitam juxta S. Pauli opidum: duo mansa terræ apud *Lambrene*; in villa, quam appellamus *Duplices Montes*, curiam cum molendinis & pratis (sed molendina ad panem XIII fratrum & sororum, qui sunt in hospitali domo, constituta fuisse, nulli sit dubium) in eadem villa XII mansa terræ & portam aquæ; apud *Duacum* terram quæ dividitur in XII particulis: apud Martini campum mansum unum.

ILLUD etiam non est prætermittendum, quod villam de *Scotis* centum libras reditibus suis annuatim plenissimè persolventem, supradictæ Ecclesiæ tali dispensatione, pro anima matris meæ dederim, scilicet ut ad sepulcrum ejus lucerna inde die noctuque, in honore Dei Genitricis, luceat, & in anniversario depositionis ejus die, Abbatissa pauperibus sex libras de eadem villa distribuat: Canonicis verò in eodem die ad mensam suam duas, totidem quoque Sanctimonialibus impendat; omni etiam die ad Missam pro fidelibus defunctis, unum denarium offerat, vel offerre faciat, reliquum verò ad structuram Ecclesiæ reservet: similiter & medium teloneum de (9) *Dunia*, item apud villam *Hochingehem* nominatam, septem millia alheum: Ecclesiam quoque de (10) *Merignies*, & decimam de Martini campo: unde Sanctimoniales ad calceamenta sua in anniversario filii mei BALDUINI, qui ibidem sepelitur, XXX. solidos denariorum habeant, Canonici verò duodecim.

HIS ita ordinatis & dispositis, consilio atque assensu meorum fidelium, sic sæpedictæ Ecclesiæ libertatem tribui, ut terras & alodia cum pratis & molendinis, ceterisque beneficiis ad Ecclesiam pertinentibus, nullo contradicente vel injuriam faciente, Abbatissa possideat, vel quem elegerit ejusdem Abbatissæ benevolentia: & sicut ego, sic & quisque heredum meorum sit ejusdem Ecclesiæ Advocatus, eam impugnare volentes expugnans.

ABBATISSA verò, ut orationum ejusdem Ecclesiæ & beneficiorum sim particeps, mihi & omni heredi meo præbendam, caritatis amore, concessit, scilicet unum tantummodò panem, & justam cerevisiæ, quotiescumque illuc accessero.

ACTUM MECINIS IV Nonas Februarii, anno ab Incarnatione Domini MLXXX. Anno 1080.
Francis dominante feliciter Rege PHILIPPO. Et ut hæc nostra constitutio perenniter firmissima permaneat, optimatum meorum, qui præsentes adfuerunt, liberalis attestatio & designatio firmiter sustineat. Si quis huic chartæ contradicere voluerit, iram Dei incurrens, sit anathema.

†ROTBERTUS.

Signum ROTBERTI Comitis & PHILIPPI, filiorum Rotberti Comitis.

S. (11) Eustathii Comitis.
S. Segardi.
S. Balduini de Gant.
S. Arnulfi de Ardea.
S. (12) Rotberti de Peronia.
S. (13) Hugonis Comitis.
S. Onulfi.

S. Ever-

(5) JUSTA, id est, certa cervisiæ mensura.

(6) WARNESTON * vicus ad fl. Lisam, secundo lapide ab Ipris, ubi nunc Abbatia Canonicorum Regularium.

* Warneston gallicè, sed Waestene flandricè patria Christiani Massæi. Colv.

(7) S. SIDRONII Martyris, sub Aureliano Cæsare passi, corpus Adela Comitissa ex urbe Roma Messinas attulit, & thecæ argenteæ inclusit; ibidemque sic religiosè nunc adservatur.

(8) PENSÆ seu pensa, id est, pensitationes.

(9) DUNIA fortè *Dunen*, ubi nunc Abbatia Monachorum Ord. Cisterciensis, prope Furnas Flandriæ oppidum.

(10) MERIGNIES. Vicus Castellaniæ Insulensis.

(11) EUSTATHIUS. Comes Boloniensis seu Bononiensis ad mare, Pater Godefridi Bullonii, Regis Hierosolymorum.

(12) ROBERTUS Peronensis, & qui hîc infra subsignat Everardus, Tornacensis Castellanus fuit, ut suspicor.

Præter Robertum Frisium, & alii Comites Flandriæ Messinensi Monasterio varia beneficia præstiterunt. Ex his PHILIPPUS, Flandriæ & Veromandiæ Comes, in *Elsendamo* agri Furnensis vico, itemque in *Neoclesia & Balliolo* villas amplas anno 1176. & 1180. contulit. Neoclesia, *Nieukercke*, vicus Castellanię Belliolanę, ad Comitem Egmondanum spectat. Balliolum *Belle*, amplum municipium, fuit Patria Jacobi Meieri, Flandrię Historiographi.

(13) HUGO. Comes S. Pauli, in Artesia.

S. (14) Everhardi de Tournay.
S. Ernulphi Archidiaconi Teruanensis.
S. Tibaldi. S. Gozelini.
S. Gondewini Decani Mecinensis.
S. Magistri Willemini.
Ego Reinarus Vice-Cancellarius recognovi & subscripsi.

(14) Everardi de Tournay Castellani, cujus filiam heredem Idam duxit Walterus Dominus Avesnensis.

CAPUT LXI.

Egmondanæ Abbatiæ in Hollandia fundatio, dotatio, ac confirmatio prædiorum, per Theodericum V *Hollandiæ Comitem an.* 1083.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Theodericus (1) Dei gratiâ Hollandiensium Comes, reputans mecum incertos casus humanæ fragilitatis, decrevi justis petitionibus assensum præbere, ut divinam misericordiam in illo districto examine placabilem merear habere.

Quapropter notum sit omnibus, tam præsentibus quàm futuris, Christi fidelibus, quòd Stephanus bonæ memoriæ, Abbas Egmondensis Ecclesiæ, quasdam auctoritates donationum detulit mansuetudini nostræ, qualiter piissimi Comites antecessores nostri, ex propriis possessionibus, & à Regibus jure hereditario susceptis, eamdem Ecclesiam Dei construxerunt, ditaverunt & honoraverunt.

Theodericus, (2) frater Walgeri, cum legitima conjuge sua Gena, inprimis ligneam construxit ibi Ecclesiam, instituens Sanctimonialium vitam, & offerens Deo ad eundem locum in *Frando* mansos IX. in *Alcmere* duos mansos, in *Callinge* medietatem totius possessionis. Alcmaer.

Theodericus II. prædicti filius, cum Hildigarda conjuge sua, construxit ex lapidibus magno sumptu Ecclesiam, removens inde Sanctimoniales feminas, & instituens monachicam vitam.

Obtulit & ipse ad eumdem locum in *Scagen* sex mansos, in *Haregon* undecim mansos, & quartam partem mansus, in *Wimnen* mansum & dimidium, & ab eodem mansu usque in *Heram*, omnem terram cultam & incultam, & in agris & pascuis; Ecclesiam *Heylgalo*, in *Alcmare* omne teloneum, in eodem mansus duos & dimidium, in *Limbam* mansus septem & dimidium & *Smitan* mansus duos, in *Bathem* mansus tres, in *Ordebolla* mansus duos, in *Those* mansum unum, in *Obbingem* mansum unum, in *Hemstede* mansum unum, in *Velzen* sex mansus, & altare ejusdem Ecclesiæ, à nona usque ad nonam in festivitate S. Agathæ, juxta flumen *Bamestram* mansum unum, inter rivulum *Schulingbeke* & *Hurestede* mansus quattuor, unà cum piscatione, in *Forenbolte* Ecclesiam cum decimatione: in *Saxnem* Ecclesiam cum decimatione

Schagen vicus antiquus.

Beemster locus.

Ornata ergo bonis moribus uxor prædicti Comitis Hildigarda venerabilis obtulit & ipsa Deo Sanctoque (3) Adelberto tabulam altaris fabricatam auro claro, gemmisque pretiosis, textum Evangeliorum, etiam auro gemmisque decoratum, historiam, id est, Medicinalem librum.

Ecbertus, nominati Comitis filius, Dei gratiâ, Trevericæ Ecclesiæ Archiepiscopus, honoravit eundem locum Egmondensem, offerens Deo Sanctoque Adelberto crucem auream, casulam pretiosam, stolam pulcherrimam, cingulum auro intextum, Dalmaticam, Subtile, Missale, Capitulare, Historiam vetus novumque testamentum continentem, multosque alios libros, scrinium argenteum, plenum reliquiis Sanctorum.

Arnulphus Comes, cum condigna uxore sua Luitgarda, obtulit ad prædictum locum in *Thosa* mansos duos, in *Castercbem* duos mansus & quartam partem unius, in *Velzen* tres mansus & unum agrum, in *Saxnem* dimidium mansum: in *Forenbolte* tres mansus, in *Norgba* mansus quinque, in *Lopsen* mansus novem, juxta flumen *Maerne* ... mansus, & quartam partem unius, in villa *Leiden* mansum & sextam partem unius, in villa *Bergan*, ab occidente Rheni posita, tres mansus, Ecclesiam *Flardinga* cum decimatione terræ, inter flumen *Matlingæ*, & rivulum *Turlede*, qui vocatur *Harga*. Leydêa urbs, Lugdunum Batavorum.

Theodericus III. prædicti Arnulfi filius, cum conjuge sua Othelhilde, obtulit S. Adelberto in *Rademburch* quattuor mansus, decem libras singulis annis solventes, in *Rademburgherbroeke* terram XVI uncias solventem, in *Suetam* terram XIII uncias solventem, in *Waldmanne Venna* terram XVI uncias solventem, in *Comitis Frugersa*, terram XVI uncias solventem.

Sifridus, cognomento Sicco, prædicti frater Theoderici dedit S. Adelberto pro animæ suæ remedio, terram super *Gheest* nominatam *Northorpe*, *Smithem*, ad *Giringelandt*, *Hildebranstand*, *Smirdingeland*, *V* fiertelen, *Lantosmade* in *Ackerstote* XII libras, in boves & libras.

Florentius III Theoderici filius, cum bonæ memoriæ uxore sua Gertrude, obtulit ad supra dictum locum terram in *Esemundelf*, V libras & uncias solventem, in *Buschusa* mansus XXXII, in *Sterwyc* mansus XXVIII uncias solventem, juxta *Delf* X. mansus, ex alia parte *Delf* IX mansus. Delphi, urbs. Alias V.

Hujus

Hujus Florentii filius fui ego quartus Theodericus, quem humiliter deprecatus eſt prædictus Abbas Stephanus, ut pro amore Dei & reverentia S. Adelberti, renovarem & confirmarem auctoritate meâ omnia prædeceſſorum meorum dona, ad Egmondenſem Eccleſiam pertinentia. Cujus petitioni libenter aſſenſum præbui, & ſummæ caritatis auctoritate confirmavi, ut omnia ſupradicta libertate teneat, poſſideatque prædicta Eccleſia, & à terra *Wimmoroſuetha* uſque in *Heram*, quæ eſt videlicet ejuſdem Eccleſiæ, nullus mortalium audeat placitum habere, ſine Abbatis permiſſione, vel injuſtè inde aliquid decerpere, homineſque ejuſdem Eccleſiæ in toto Comitatu noſtro, ſine teloneo eſſe, nulluſque debeat eos opprimere, ſed ſint ſub Abbatis poteſtate, & cum Cauſidico ſuo placitum habeat ipſe.

Quod ſi aliquis ex eis, qui ex parentibus ſuis juſtè pertinet ad prædictum locum, negare & contradicere voluerit, liceat memorato Abbati, ſuiſque Succeſſoribus, cum Advocato ſuo illum tenere, & ad juſtitiam trahere, in cujuſcumque miniſterio ſit. Similiter faciat de reditibus ſuis quicumque ſedet ſuper terram prædictæ Eccleſiæ, & non vult ſolvere quod debeat juſtè: Advocatus Abbatis intret domum illius, & tantum de rebus accipiat, quantum debet ille, ſine alicujus judicis contradictione.

Si quis verò, quod futurum non credimus, noſtrorum vel extraneorum, hanc libertatem Eccleſiæ voluerit infringere, iram Dei & omnium Sanctorum incurrat, & hoc, quod nititur, nunquam perficere valeat, ſed cum Juda traditore Domini, & diabolo & Angelis ejus in die judicii, & cum his, quorum vermis non morietur & ignis non exſtinguetur, partem poſſideat. Qui autem hoc noſtrum conſervaverint præceptum, gloriam & honorem & benedictionem percipiant à Domino, & miſericordiam conſequantur, & gratiam inveniant in auxilio oportuno.

Ut autem iſtius noſtræ conceſſionis auctoritas ſtabilis & inconvulſa permaneat omni tempore, hanc Chartam conſcribi fecimus, & benevolentiæ dilectioniſque noſtræ ſigillo corroborari.

Hujus rei teſtes ſunt Dominus Abbas Stephanus, Florentius, & Ancelmus, Presbyteri.

Laïci, Adelbertus, Heremannus, filius Popponis, Engelbertus Stathaloech, Thraſino Adalium Caſtellanus, tres Germani, Gerbrandus, Isbrandus, Guntwachar, Dodo de Riſwyc, Thidaert, Thiebald, Thigard Blankart, aliique quàm plurimi.

Eodem die, coram eiſdem teſtibus, mutuavi contra S. Adelbertum novem manſus in *Maeſland à Scoepleda* (nunc *Scipluiden*) in Moſam, & in *Weſterbricam* tres manſus à Moſa in *Vronemſcale*, dans cenſum in *Alcmera* VIII. librarum ſingulis annis.

Inſuper, precante & adjuvante Othelhilda uxore meâ dilectiſſimâ, conceſſi Abbati Stephano, ſuiſque ſucceſſoribus judiciariam poteſtatem, quæ *Ambocht* vocatur, tenere.

Actum eſt hoc publicè in (4) Flardinga, coram populi multitudine, anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIII. Indictione VI, regnante Henrico, XXVII. anno Imperii ſui, Conradi Trajectenſis Eccleſiæ Epiſcopi anno Epiſcopatûs ſui VIII, Domini Stephani Abbatis anno XXVI ſuſcepti paſtoralis officii, VII. Kal. Auguſti.

C A-

Hujus diplomatis archetypum, in Archivis Abbatiæ Egmondanæ, coram oculis ſe uſurpaſſe, *Guilielmus Heda*, in Hiſtoria Epiſcoporum Ultrajectinorum, diſertè teſtatur. Cujus apographum, ex Hedæ Commentariis transſcriptum, *Janus Douſa* ſuis Annalibus Hollandicis inſeruit.

(1) Theodericus. Nomine quintus Hollandię Comes, filius Florentii, primus exſtitit, qui repudiatâ antiqui moris ſimplicitate, nudum Comitis titulum majoribus ſuis hactenus uſurpatum, adjectâ regionis, cui pręerat (Hollandię inquam) appellatione auxit atque ampliavit: ut Guilielmus Heda, & Janus Douſa annotarunt.

Additio. Obiit Comes Theodericus anno 1091, ſepultus in Abbatia Egmundana, quæ etiam fuit ſepultura præcedentium Hollandiæ Comitum, qui in hoc Diplomate unà cum Uxoribus enumerantur, omneſque fuêre munifici præfatæ Abbatiæ benefactores.

Additio. (2) Theodericus I. filius Gerolfi (de quo ſupra cap. 23 in Notis) obiit circa annum 900. Fundavit Abbatiam Egmundanam, in qua primò conſtituit Sanctimoniales Ordinis Sancti Benedicti: quibus per filium ejus Theodericum II amotis, atque tranſlatis ad Monaſterium de Bennebrouck juxta Harlemum, ſucceſſerunt Monachi Benedictini: his primus Abbas datus fuit Wonoboldus.

Succeſſu temporis exempta fuit hæc Abbatia à juriſdictione Epiſcopi Ultrajectenſis, & S. Sedi immediatè ſubjecta; quin & plurium Hollandiæ Comitum aliorumque Nobilium Donationibus, maximas acquiſivit divitias.

Anno 1560 Pius IV Pontifex Abbatiam Egmundanam pro dote novi Epiſcopatûs Harlemenſis conſtituit; & primus Epiſcopus Nicolaus à Nova-terra ibidem inſtallatus fuit Abbas. Sed paulò poſt prævalente in Hollandia Iconoclaſtarum rabie, opulentiſſimum hoc Cœnobium everſum eſt funditus, & vix ulla hodiedum ſuperſunt illius rudera.

(3) S. Adelbertus, Confeſſor & Levita, patrem habuit Deirorum Regem in Anglia; relicto patrimonio regio, ſolus Levita cum S. Willibrordo Epiſcopo & ſociis Presbyteris ad Boreales terras anno 690 venit; Friſonibus & Kinnemariis Evangelium prædicavit; Egmundam à gentilitate emundavit; factuſque primus Archidiaconus Ultrajectenſis, poſt multorum paganorum converſionem, plenus bonorum operum ac miraculis clarus glorioſè quievit VII. Kal. Jul. anno 740 vel juxta alios 744 ſepultus Egmundæ, ubi ſequentibus temporibus in ejus honorem erecta fuit Abbatia Benedictinorum. Additio.

(4) Flardinga ſeu Fladirtinga, Hermanno Contracto Phladirtinga, *Vlaerdinghen*, pervetuſtum eſt Hollandię oppidum, ad Moſam fluvium. Fuit primorum Hollandię Comitum ſedes ac domicilium: adeò ut idem Contractus Theodericum V. vocet Marchionem Phladirtingę.

CAPUT LXII.

HENRICUS III *Comes Lovanienſis & Brabatenſis anno* 1086 *fundat dotatque Abbatiam Affligemienſem.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS, divinâ propitiante clementiâ, (1) BRACBATENSIS PATRIÆ COMES & (2) ADVOCATUS, omnibus tam præſentibus quàm futuris fidelibus, omne datum optimum & omne donum perfectum, deſcendens à Patre luminum.

NOTUM vobis facimus qualiter miles quidam meus, (3) GERARDUS nomine, cum aliis quibuſdam, quos æquè divina gratia & prævenit & ſubſecuta eſt, balteo militari depoſito, ut meliorem invenirent hereditatem, militiam Jeſu Chriſti profeſſi ſunt, & in Comitatu meo, loco ab Antiquis (4) HAFFLINGEM vocato, modò autem *novo Monaſterio* appellato, habitationem ſaltuoſam adhuc & deſertam elegerunt, ut quanto ampliùs remoti à ſecularibus, tanto ſub regula beati Benedicti Deo ſervirent familiariùs.

EREXERUNT autem Eccleſiam in honore beati Petri Apoſtolorum Principis, ut ubi antea erat ſpelunca latronum, habitatio inciperet tandem rectè viventium, & qui erat locus rapinæ & homicidii, mutaretur in poſſeſſionem pacis & fructûs eleëmoſynarum.

QUONIAM verò locus ipſe ad Comitatum noſtrum hereditario jure videbatur pertinere, * Ego fraterque meus (5) GODEFRIDUS, ab eiſdem exorati fratribus, de allodio noſtro, quod ibi juxta in villa, quæ dicitur Aſca, tenuimus, XX manſos uſui noſtro ſubtraximus & pro remedio animarum noſtrarum, omniumque anteceſſorum noſtrorum, legitimè & ex toto liberè ad altare ipſius Eccleſiæ tradidimus: prætera, quoniam ſæpiſſime probata valde nobis placuerit militaris eorum induſtria, tam pro ſeculari eorum amicitia, quàm pro remuneratione divina, de eodem alodio adjacente, & ad ſervitium noſtrum remanente, in ſilvis & pratis, in campis & paſcuis, in piſcationibus & venationibus, omnem eis uſum habere nobiſcum.

* Cum Henrico.

UT autem per amplius beneficium, majus ad Dei ſervitium creſceret eis deſiderium, Capellam noſtram liberam in * (6) *Wavera* ſubteriùs ſitam, cum tota decimatione ſuperioris Eccleſiæ, cum debita inſtituendi Presbyteri ſubjectione, cum terris inſuper aliquibus noſtræ culturæ ſubſiſtentibus, cum teloneo & * maceria, cum molendinis, & curtibus ad nos in eadem villa pertinentibus, huic traditioni legitimè addidimus.

* Aliàs Wavria.

* Aliàs Madheria.

QUOD ſi, ut verè de miſericordia Dei præſumimus, ad meritum eorum acceſſerit, & numeris Abbatem eligere, baculumque ſuper altare poſitum ipſi committere, nullo Principe, nullo Epiſcopo contradicente, in eorum erit poteſtate, quatenus ſecundùm eorum regulam eligatur, qui eligendus eſt, & per oſtium Jeſu Chriſti ingrediatur, qui ordinandus eſt, remotâ omni alienâ contradictione, & ſuſpectâ occaſione. Nos verò de aliqua ſibi illata injuria, ſi appellare voluerint, quaſi pro animabus noſtris, pro eis nos exponemus, nec quidquam aliud de loco illo niſi orationes fratrum & Dei retributionem recipere volumus.

ET ut hæc noſtra traditio vel conditio omnibus retro ſeculis rata & inconvulſa permaneat, chartâ & atramento rem, uti eſt, notamus & roboramus. Ante omnia Dominum Omnipotentem & Sanctos ejus citamus, & fideles noſtros, qui huic traditioni interfuerunt, idoneos teſtes ſubterſignamus.

(7) Steppo Bruſſellenſis, & frater ejus Walterus.

Balduinus de Aloſt. Gerardus de (*a*) Cumberſaca.

Adalbertus (*b*) Snakart. Theodericus de Budengeghem.

Anſelmus de Erpe. Sigerus frater ejus.

Herebrand de (*c*) Hordingoſchen.

Folcardus & Godeſcalcus filii ejus.

Ingelbertus (*d*) Kalvarſlert. Sigerus (*e*) Anderleehtenſis.

Onulfus de (*f*) Milverſchem. Gillebertus de Laca.

Arnul-

(*a*) Aliàs Cimberſaca.
(*b*) Mokart vide infra cap. 66 in Notation.
(*c*) Aliàs Haingelshem.
(*d*) Aliàs Kalvarterſtus.
(*e*) Handerenſis.
(*f*) Aliàs Walthmerghem.

(1) BRACBATENSIS patriæ Comitem primus ſe ſcripſit Henricus, eo nomine III Comes Lovanienſis, de quo ſaltem conſtet. Sic Henricus III Lotharingiæ eo nomine Dux, circa annum 1250 titulum Brabantiæ Ducis primus aſſumpſit. Henricus porrò Comes anno 1095 in haſtiludio apud Tornacum periit. Nivellis conditus: ut Sigebertus in Chron. teſtatur. Fratri ſine liberis defuncto ſucceſſit *Godefridus Barbatus*, qui Comitatui Lovanienſi anno 1106 Ducatum Lotharingiæ adjunxit.

(2) ADVOCATUS. Eccleſiæ Nivellenſis. Sic & Gemblacenſis Eccleſiæ Advocati, à multis retro ſeculis, fuere Comites Lovanienſes: ut ex Othonis I. Imperatoris Diplomate ſupra cap. 32 recitato liquet.

(3) GERARDUS. Cognomento Niger, Miles, id eſt, Eques ut hodie loquimur, illuſtriori genere natus.

(4) HAFFLINGEM. Hodie *Affligbem* illuſtris Benedictinorum apud Brabantos Abbatia, inter Bruxellam & Aloſtum ſita: ab anno 1560 aſſignata in dotem Archiepiſcopi Mechlinienſis per Pium IV Pont.

(5) GODEFRIDUS Barbatus, Henrici frater paulò antè à me laudatus, varia apud Brabantos Monaſteria à fundamentis partim excitavit, partim ab aliis inchoata perfecit.

(6) WAVERA. Municipium celebre inter Bruxellam & Namurcum: eſtque etiamnum ibi Præpoſitura, ſeu Cella aliquot Monachorum, Affligemio miſſorum.

(7) STEPPO. Caſtellanus Bruxellenſis.

Notationem noſtram de Comitibus Lovanienſibus petes in Not. Eccleſ. Belg. cap. 109.

Arnulfus & Otbertus de Ordengehem.
Henricus Cameracensis Ecclesiæ Canonicus.
Adelardus Canonicus, & Godefo & Meinerus, Clerici de Lovania.
Joannes Canonicus de Petingehem.
Gerardus de Leneca. Godefridus de Lathem.
Franco. Amandus. Hugo de Brussele.
Amulricus de Bekensele. Sigerus de Aloft.
Walterus de Ascha. Walterus de Hamme.
Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo sexto, regni verò *Henrici* Regis tricesimo quinto, Præsulatûs *Gerardi* Episcopi decimo. 1086.

CAPUT LXIII.

LOTBERTUS *Abbas Hasnoniensis anno* 1088 *vendit Giselberto, Balduini Gandensis filio, alodia in Alost, Rasseghem & Lede.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Quoniam industriæ est Prælatorum, non tantùm ea prospicere, quæ in præsentiarum sunt, verùm etiam longè sagacitatis porrigere oculum, Ego (1) LOTBERTUS, gratiâ Dei, Abbas Hasnoniensis Cœnobii, per hujus nostræ conscriptionis paginam, quæ consilio fratrum nostrorum concepi, concepta peregi, posteris commendare curavi.

(2) BALDUINUS Marchio venerabilis, nostri reformator loculi, prædecessorum negligentiâ penè ad destructionem redacti, alodium in ALOST & (3) RASSEGHEM & (4) LEDE, quod jure possederat hereditario, Ecclesiæ nostræ mancipavit: cujus usufructus in vita sua, & post decessum suum aliquantulo tempore nobis provenit.

INGRAVESCENTE verò mundi nequitiâ, qui totus esse probatur positus in malitia, cùm devastatione tyrannorum, circumquaque manentium, parvam vel nullam nobis conferret utilitatem; distraxi, pretiumque ejus in reditu meliore locavi, & per manum junioris Comitis ROTBERTI cuidam (5) GISELBERTO, Balduini GANDENSIS filio, perpetuavi.

ACTUM anno ab Incarnatione Domini MLXXXVIII. Indictione x Epactâ XIV Concurrente IV. regni Regis Francorum PHILIPPI XXV. ROTBERTI Comitis junioris XI. Huic adsertioni adsuerunt testes idonei. 1088

Balduinus, filius Balduini de Gandavo.
Theodericus de Aldenarda.
Everardus de Tornaco.
Walterus, filius Balduini de Gandavo.
Gerardus de Sotteghem.
Godefridus de Lathem.
Wenemarus Castellanus Gandensis.
Willelmus de Olsene.
Gerardus frater ejus.
Raso de Gavera. Astricus de...
Berno de Tenremonda.
Ralicardus de Cordes, & fratres ejus.
Stephanus de Boular. (*a*)
Stepo de Borsele. (*b*)
Lambertus & filius ejus.
Rangotus de Tenremonde.
Arnulfus & frater ejus.
Anselmus de Sipe.
Gocelinus de Lidekerke.
Remboldus Niger, & filius ejus.
Theodericus de Scendelbee, & frater ejus.
Ingelbertus, Adalhardus.
Rothardus de Rasseghem. Sigerus....

(*a*) Fuit in bello sacro.
(*b*) Fortè Brosele id est Brussel- Bulkens.

C A-

(1) LOTBERTUS, fortè Rotbertus, Abbas Monasterii Hasnoniensis in Ostrovandia siti, ad Scarpum fl. in Diœcesi Atrebatensi: de quo vide supra cap. 22.

(2) BALDUINUS, cognomento Montensis, Flandriæ Comes, Hasnoniense cœnobium Benedictinis anno 1070. tradidit, amotis Clericis, & templum novum ibidem exstruxit.

(3) RASSEGEM, seu Ressegem, Baronia vetus gentis Villanæ, & Comitum Isegemii.

(4) LEDE, Baronia, per Albertum Pium, Belgarum Principem, instituta: * quo loco Basilica est amplissima, Deiparæ cultu ac miraculis ab aliquot seculis clara.

Additio. * Nunc Marchionatus ab anno 1633.

(5) GISELBERTUS, fuit filius Balduini Alostani seu Gandavensis, ut alibi vocatur. Balduini autem pater fuit Rodulfus. Ex quibus liquet familiam Gandaviam diu ante annum 1088. possedisse ditionem Alostanam. Qui autem fuerint primi, & quot ex ordine Comites Alostani, difficile sit certò adfirmare.

De his Sanderus in Gandavo p. 166. sed confusè.

Primus itaque sit BALDUINUS senior cognomento CRASSUS, Princeps Alostensis, qui obiit anno 1130. Idibus Junii, sepultus Affligemii. Ex tabula ibi suspensa. Secundus est BALDUINUS LUSCUS, Crassi filius, Princeps Alostensis, factus dein Monachus Affligemiensis & Benefactor: obiit IX. Kal. Nov. ibidem sepultus. (Ex Tabula ibidem suspensa.) Tertius IVANUS CALVUS, Lusci frater. Quartus & postremus THEODERICUS, Ivani filius, Dominus & Princeps Alostensis, silvam Affligemiensibus dedit. Obiit anno 1166. lib. II. Donat. Belg. cap. 53. Uxorem duxit Laurentiam Balduini IV. Ædificatoris, Hannoniæ Comitis filiam.

Comitatus porrò Alostanus magnam veteris *Brachbanti* (quod olim supra Tornacum & Condatum extendebatur) portionem comprehendit. Præter oppida duo, *Alostum* & *Gerardi-Montem*, vici centum septuaginta duo aut circiter in eo numerantur: ex quibus nonnulli usque ad Montem S. Trinitatis, Tornaco vicinum, porriguntur.

CAPUT LXIV.

GERARDUS II. *Cameracensis Episcopus alodia aliquot, jure hereditariò ad se pertinentia, dat Ecclesiæ Cameracensi, & alia alodia à Manscelino Præposito donata confirmat* 1089.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. (1) GERARDUS Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, omnibus in Christo renatis cælorum gloriam appetere remigio caritatis.

SCIANT præsentes, & his, qui nascentur, studeant enarrare: quomodo ego pro salute animæ meæ & prædecessorum meorum, trado ad usus fratrum sanctæ Cameracensis Ecclesiæ, matris nostræ, alodium de *Lietscinis* & de *Wilrebem*, cum moneta, cum teloneo & macera & districto, cum molendinis, cum terris cultis & incultis, silvis, pratis, cum servis etiam & ancillis, alodium quoque apud (2) *Odengbem*, quod ibi habeo, libera ab omni advocatione, & cetera quæ mihi in BRACBANT hereditario jure succedunt: unde in anniversario meo fratres cibentur & residua in usibus eorumdem dispendantur.

CENSUS quoque servorum & ancillarum, duo scilicet denarii à viro, unus à femina, in Nativitate S. Mariæ annuatim solvantur, & in lege, quâ ceteri sunt, de eleemosyna teneantur, & dies anniversarius patris mei, matris meæ, fratrisque mei celebretur.

DONO etiam, Domini *Manscelini*, ejusdem Ecclesiæ Præpositi & Archidiaconi, petitione, altare de *Calderico* eidem matri nostræ Ecclesiæ, liberum ab omni persona: sed annuatim persolvat quæ ceteræ ejusdem Archidiaconatûs capitales Ecclesiæ; tali tamen conditione, ut ter in anno fratres ipsi in (3) Refectorio conveniant, quintâ scilicet feriâ Absolutionis, & in festivitate S. GAUGERICI, quæ est in Augusto, & in sui obitûs anniversario.

DAT etiam idem MANSCELINUS eidem Ecclesiæ alodium, quod apud *Maronis Waldum* habet, servos etiam & ancillas, concedentibus & assentientibus fratribus suis *Waltero*, & *Tietwino*, sicut jure possidet hereditario: servi tamen & ancillæ sub lege sint eleemosynæ. GERARDUS quoque *Cordella* alodium suum, quod apud eumdem *Maronis Waldum* & circa *Teneram* jure hereditario possidet, eidem confert Ecclesiæ.

HORUM igitur petitione, canonicâ fretus auctoritate, tam in ea præscripta, quàm sua huic confirmo Ecclesiæ chartâ & anathemate.... Ut autem ratum & inconvulsum hoc maneat, corroboro sigilli mei impressione, & subtus signatorum attestatione.

Signum mei ipsius GERARDI Episcopi.
S. ejusdem MANSCELINI Præpositi & Archidiaconi.
S. Desiderii Archidiaconi.
S. Gerardi Archidiaconi.
S. Frederici Archidiaconi.
S. Alardi Præpositi & Archidiaconi.
S. Aufridi Archidiaconi.
S. Hugonis Decani.
S. Wuerneboldi Scholastici.
S. Griodonis Cantoris.

Signa Casatorum.

(4) Anselli de Ribodimonte. Fulconis Vicedomini.
Walteri Tonitrui. Amultrici.
Arnulfi, Walteri.
Wenchelonis, Walteri Coleti.

ACTUM Cameraci anno ab Incarnatione Domini MLXXXIX, Præsulatûs mei XIV Indictione XII. 1089.

C A-

(1) GERARDUS II. Cameracensis & Atrebatensis Episcopus, Lieberti successor, anno 1092 vivere desiit. Post cujus obitum Atrebatenses proprium sibi Episcopum ab Urbano Papa anno 1093 impetrarunt. Urbani Diploma capite sequenti recitabimus.

(2) ODENGHEM. Nunc *Oudeghem* vel *Auweghem*, Toparchia territorii Teneramondani, quam David Lindanus in sua Teneramonda lib. 3 cap. 6 multis descripsit. Huic vicinus est vicus *Messelaer*, ditionis Alostanæ, in quo bis mille circiter nummi aurei, à Romanis cusi, anno 1607 ab agricola sunt inventi, moxque per universam Europam sparsi.

(3) REFECTORIO. Canonicos communi olim Refectorio usos fuisse, Molanus in libris de Canonicis docet, & Triclinia, quæ variis locis eo nomine supersunt, abundè testantur.

(4) ANSELLUS DE RIBODIMONTE. Fundator Abbatiarum Benedictinarum, Aquicinctinæ prope Duacum, & S. Nicolai de Ribodimonte in Picardia. De eodem vide plura in Donation. Belg. cap. 24.

CAPUT LXV.

URBANUS II. *Papa Atrebatensibus dat proprium Episcopum anno* 1093.

Vide Diplomata Belgica lib. 2. cap. 36.

URBANUS Episcopus, Servus servorum Dei, Clero & Populo Atrebatensi salutem & Apostolicam benedictionem.

ATREBATENSIS Ecclesia, una ex nobilioribus Ecclesiis comprovincialibus Remensis Metropolis, solemnibus canonum monumentis freta, olim principalis Sedes Episcopatûs fuit, proprium Pontificem habuit, suam Diœcesim & cetera pontificalia jura firmis antiquitate rationum instrumentis obtinuit.

VOLUMUS itaque, & Apostolicâ auctoritate præcipimus, ut jugo Cameracensis subjectionis ab Ecclesia vestra excusso, & receptâ dignitate, primis temporibus, rationabili firmitate possessâ, Cardinalem Episcopum vobis & Ecclesiæ vestræ utilem eligere, & electum per manum Metropolitani vestri consecrare, & Ecclesiæ vestræ incardinare studeatis. Ei verò, qui canonico consensu cleri & populi electus fuerit, Apostolicâ auctoritate interdicimus, ne impositam ipsi electionem, dissimulatione aliquâ hujus novæ ordinationis, subterfugiat.

SOLET enim fieri, ut Ecclesiæ persecutionis tempore suis ordinibus, suis populis, subsidiis etiam temporalibus destitutæ, aliis temporaliter committantur Ecclesiis. Postquam verò, iis, quibus imminutæ fuerant, Domino donante, abundare cœperunt, pristinam recipiant dignitatem. Data Romæ.....

UT olim, stante Imperio Romano, sub Remorum Metropoli Civitates XI, videlicet *Suessionum*, *Catalaunorum*, *Veromanduorum*, *Atrebatium*, *Cameracensium*, *Tornacensium*, *Silvanectensium*, *Bellovacorum*, *Ambianorum*, *Morinorum*, & *Bononiensium*, numerabantur; sic primis Ecclesiæ seculis Metropolitana Remorum Ecclesia Episcopatus XI sibi suffraganeos habuit. Testatur id Hincmarus Remensis Episcopus in suis Epistolis, non uno loco.

Galliâ exinde per Hunnos, Gothos ac Vandalos vastatâ, *Atrebatensis* & *Cameracensis*, *Veromanduensis*, seu *Noviomensis* & *Tornacensis*, *Morinensis* & *Bononiensis* Ecclesiæ, per S. Remigium Remensem Episcopum (cui Hormisda Romanus Pontifex vices suas commiserat) fuerunt unitæ. Id colligi datur ex Hincmari Epistola VI per Busæum Moguntiæ anno 1602 edita, cap. 18.

Cameracensis & Atrebatensis Episcopatus usque ad annum 1093, Noviomensis & Tornacensis usque ad annum 1146 manserunt uniti. Atrebatensibus Urbanus II, Tornacensibus Eugenius III Papa, proprium cuique Episcopum dedit: ut in Annalibus Belgicis docui.

CAPUT LXVI.

GODEFRIDUS BULLONIUS, *Dux Lotharingiæ, postea Rex Hierosolymorum, anno* 1094 *copiosius dotat Monasteriolum seu Prioratum S. Petri, in Municipio Bulloniensi, à Godefrido Barbato, Lotharingiæ Duce, fundatum.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, amen. Ego GODEFRIDUS, legitimus successor & heres Ducis (1) GODEFRIDI BARBATI, filiique ejus potentissimi & justissimi Ducis (2) GODEFRIDI, avunculi mei, repræsentans, nec non beneficia, quæ Divina mihi gratia donaverat, recogitans, de iisdem donis suis, ad augendum servitium ejus, destinavi reddere aliqua.

ET quia præfatus avus meus GODEFRIDUS apud Ecclesiam beati Petri Apostolorum Principis, quæ sita est ante castrum BULONIUM, religiosos fratres, ex Cœnobio beati Huberti Pontificis, concedente venerabili

THEO-

Vide infra cap. 79.

(1) GODEFRIDUS, cognomento Barbatus Gozioni patri, adhuc viventi, in Ducatu Mosellano suffectus est: juxta Hermannum Contractum. Ducatu illo postmodum, ob rebellionem, ab Henrico IV. Rege privatus, in Italiam se contulit, & BEATRICEM, Bonifacii Italiæ Marchionis viduam, Frederici II. Mosellanorum Ducis filiam, duxit uxorem. Exinde Ducatum Lotharingiæ inferioris obtinuit, & anno 1070. moriens, Virduni est conditus. Liberos reliquit *Godefridum* cognomento *Gibbosum*, seu *Strumam*, seu *Justum*, ut apud Tyrium lib. 9. cap. 5. & *Idam*, Godefridi Bullonii matrem.

(2) GODEFRIDUS, cognomento GIBBOSUS, seu *Struma*, seu *Justus*, ut supra in hoc diplomate vocatur, patri in Ducatu Lotharingiæ inferioris successit, & unà Marcam Antverpiensem tenuit. Uxor illi fuit MATHILDIS potentissima Italiæ Marchionissa, Beatricis paulò ante laudatæ filia, quæ amplissimas possessiones Ecclesiæ Romanæ, testamenti tabulis, legavit, & anno 1115. obiit. Godefridus porrò Gibbosus anno 1076. Antverpiæ à sicario confossus est, & Virduni juxta patrem humatus. Sine liberis moriens Gibbosus nepotem suum ex sorore Ida Godefridum Bullonium universi patrimonii sui (in his Bullonii, teste Gomicurtio) scripsit hæredem. Tyrius lib. 9. cap. 5. Spectavit enim Bullonium jam olim ad suos ex parte matris majores: unde & Godefridus cognominatur Bulloniensis. Gom. ex Sigeberto.

THEODERICO Abbate, pro remedio animæ suæ constituerat, & eamdem constitutionem suam de nominatis ibidem reditibus, auctoritate & privilegio ALEXANDRI Papæ confirmari fecerat, mihi quoque visum est justum, ex effectu divinæ inspirationis, ut qui eram ejus honoris, essem & particeps devotionis.

HANC meam intentionem cùm retulissem matri meæ IDÆ, prædicti Ducis filiæ, & fratribus meis BALDUINO & EUSTATHIO, eorum deinde consilio & consensu voluntario, Ecclesiam nostram, nostri proprii & hereditarii juris de BASEIO, destinavimus & donavimus, ad augmentum prædictæ eleëmosynæ avi mei GODEFRIDI, donandam perpetualiter beato Petro & beato Huberto.

QUOD donum ut ratum & firmum esset, eamdem matrem meam & fratres meos mecum BULONIUM duxi, & in præsentia Optimatum meorum, vestituram prædictæ Ecclesiæ in (3) *Baseio*, sine ulla calumnia & contradictione, simul deposuimus super altare beati Petri, eandemque donationem ego ipse, qui eram legalis Advocatus * Ecclesiæ, Abbate THEODERICO II ibidem præsente, jure tuendam recepi. *Seu Monasterii S. Huberti.*

ACTUM publicè BULONII anno Dominicæ Incarnationis MXCIV Indictione II. 1094.

Basi. (3) BASEIO. GODEFRIDUS BULLONIUS, natus est ac nutritus in *Baisu* juxta Genappiam: ut legitur in ms. Nivellensi Genealogia Ducum Brabantiæ & in Chronico magno Belgii. *Basy* est prope Villers in Gallo-Brabantia, ad Tiliam.

CAPUT LXVII.

IDA *Boloniensis Comitissa, Godefridi Bullonii, Hierosolymorum Regis, mater, decimas Genapiæ, anno* 1096 *dat Monasterio Affligemiensi.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

Ego (1) IDA Boloniensis Comitissa, humilis Christi ancilla, cunctis in fide manentibus gaudia promereri promissa fidelibus.

NOTUM fieri cupio, tam præsentibus, quàm futuris, signum meæ dilectionis, erga Dominos meos & fratres, videlicet Monachos Cœnobii NOVI MONASTERII, cui vocabulum HAFFLINGEM inditum erat ab antiquis. Quoniam quidem mihi multisque eorum complacuit conversatio, & religionis affectus, dignum duxi me commendare talium orationibus, nec in incerto divitiarum sperare, sed has potiùs cum eis participare.

IGITUR in alodio meo & villa, quæ vocatur (2) GENAPIA, pro salute animæ meæ, patris quoque mei Ducis GODEFRIDI, & Comitis EUSTATHII Domini mei, Ecclesiam cum decimis & universis ejus reditibus, firmiter perpetuoque jure tenendam dedi supradictis fratribus, in idipsum filiis meis GODEFRIDO, EUSTATHIO & BALDUINO, mihi cooperantibus.

FILIUS quoque meus Dux GODEFRIDUS in eadem villa *Genapia* quinque mansos terræ donavit iisdem fratribus, ad quos ego postea in augmentum concessi quasdam partes circumjacentes, planè sextum mansum continentes, ab omni comitatu, & censu tributario liberas & expertes.

INSUPER autem quidquid sibi vendicabant, quippe quod à prioris doni tempore possederant, & usibus suis assignaverant, sive in silvis, sive in pascuis, sive in satis, eis concessi eâdem libertate, quâ tenui, sed & omne participium in silva, & reliquo usuario communi, in hoc nihilominus filiis meis consentientibus mihi.

FACTUM est autem hoc apud *Trajectum*, in Ecclesia S. SERVATII Confessoris, præsentibus etiam Reliquiis S. GERTRUDIS Virginis, pro simili negotio illuc tunc allatis. Ut autem hæc traditio omnibus retro seculis rata & inconvulsa permaneat, omnem rem, uti gesta est, litterarum memoriæ commendamus, & sigillis nostris Ego, & GODEFRIDUS filius meus roboramus, & testes idoneos, qui huic rei interfuerunt, subtersignavimus. *Maestricht*

Signum Lamberti nostri Capellani.

S. Roberti Capellani.

S. Gerardi Comitis de Gelre, & fratris ejus Henrici.

S. Godescalci de Iacen. *Fortè Jecea.*

S. Henrici

(1) IDA, Godefridi Justi seu Barbati, Lotharingiæ nostræ, Ducis filia, filios habuit GODEFRIDUM cognomento BULLONIUM, EUSTATHIUM, BALDUINUM, & GUILIELMUM. Priores tres Syriaco bello sacro summa cum laude interfuerunt: ex iis Balduinus fratri suo Godefrido in regno in regno Herosolymitano successit.

EUSTATHIUS domum reversus, patris sui Eustathii locum in Boloniensi, & Lensensi Comitatibus excepit: ut ex ejus diplomate infra recitando liquebit. A Guilielmo, stirpem suam deducunt Duces Lotharingiæ, qui ad Mosellam nunc regnant. Alii à Gerardo Alsatio illam repetunt

(2) GENAPPIA, Nivellam inter & Gemblacum, illustre olim municipium cum arce, vetustate famâque conditorum inclyta, ubi forum est sive tribunal, quod vulgo dicitur *summa Curia Lotharingiæ*, in qua administrari solet justitia tam in civilibus & capitalibus, quàm in clientelaribus causis, & repræsentat adhuc aliquam speciem Lotharingiæ inferioris, vulgo *Duché de Lothier*, quem titulum hodieque præferunt Principes nostri. Arx illa anno 1668. cuniculis eversa fuit & demolita, non sine gravi & municipii imminutione, & antiquitatis damno irreparabili. *Additio.*

(3) HENRICUS III, Comes Lovaniensis & Brachatensis, cujus diploma supra cap. 62. produximus.

S. Henrici de Cuck. S. Arnulphi de Rode.
S. Cononis de Montaut. *Fortè Monte-acuto.*
S. Theoderici de Bemel.
S. Henrici de Birbaica.
S. Balduini de Osteruic.
S. Walteri de Grimberges.
S. Reineri Advocati Leodicensis.

Denique de scriptis testibus & illud notum facimus, quod Comes (3) HENRICUS, qui eamdem villam in beneficium à nobis tenuit; duobus annis, antequam hæc donatio confirmaretur, nobis reddiderit, ad opus fratrum, quod ad eum pertinuit.

FACTUM est autem hoc Incarnationis Domini anno millesimo nonagesimo sexto, Indictione quartâ, regnante Domino nostro Jesu Christo*, anno etiam profectionis Christianorum contra Paganos Jerusalem. 1096.

*Hic mendum; vel aliquid omissum.

CAPUT LXVIII.

Forestensis Abbatia, Monialium Benedictinarum, prope Bruxellas, GISELBERTI *Alostani opibus anno* 1096 *fundata, à* FULGENTIO I. *Abbate Affligemiensi legibus firmatur circa anno* 1110.

Vide Chronicon nostrum Belg. ad hunc an.

Vide Sanderum in Brabantia ad cœnobium de Foresto.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego FULGENTIUS Dei gratiâ primus Abbas in loco, qui vocatur HAFFLINGEM, omnibus Christi fidelibus, post hujus exilia carnis, in regimine vivorum habitacula cum Sanctis.

NOTUM vobis fieri volumus, quod quidam Miles (1) GISELBERTUS nomine, filius *Balduini de Alost*, filii *Adolphi*, alodium, quod ab Abbate S. Petri de HASNON emerat, nostræ Ecclesiæ, pro salute animæ suæ & omnium Antecessorum suorum, liberè tradidit, ut in eodem alodio, cum ejusdem alodii appenditiis, Ecclesiam & Claustrum, in honore Beatæ Mariæ Virginis, construeretur, ubi sub regula S. Benedicti, mater sua nomine ODA, cum filia LUTGARDE, Monachicam duceret vitam.

HIS me, simul cum fratribus, consentiente, quæsivit à nobis chartâ & sigillo hæc confirmari, ne nos, vel posteri nostri, ex his beneficiis, deinceps loco illi conferendis, aliquid usui nostro, absque voluntate Sororum inibi manentium, vindicaremus, si regulariter & secundùm subscriptam institutionem vixerint. Sin autem non, quod avertat Deus, persolvant auri unciam, quam idem Miles, caussâ respectûs, per singulos annos nobis dari instituit.

HUJUS rei testes sunt.

(2) *Albertus Snagardus.*

(3) *Bernerus de Tenremonde*, & nepos ejus *Afiricus.*

Lanxo de Alost, & *Henricus* privignus ipsius.

Sigerus de Alost.

Suboldus Castellanus, *Godescalcus* nepos ejus.

Tiboldus de Hoffstade.

ET quia animabus earum vagatio non expedit, constitui, ut ex nostro loco fratres ætate & moribus maturos habeant, qui inibi per se habentes habitacula, tam de divinis officiis, quàm de secularibus procurent eis quoque necessaria.

UNA autem ex iisdem aptior ceteris regendis, electione Abbatis & Sororum Dominum timentium, ab ipso Abbate præponenda est illis. Absque consilio Abbatis in suo consortio nullam eis concedimus recipere, nec Abbati ullam, absque earum consilio, eis inserere.

ORDINAMUS insuper & præcipimus, ne cupiditate aliquâ, infantium vel juvencularum sibi attrahant multitudinem, ne quoque adversùs Conversas puellaris prævaleat levitas, & ipsius Congregationis destruatur sanctitas. Notamus etiam Abbatem, vel ejus nuntium, si necesse fuerit, publico placito, quod ter fit in anno, interesse; quia præter illum alius Advocatus ipsius alodii non æstimabitur. Quod si contigerit in earum possessione, vel in earum Conventu, alicujus rei magna transgressio, Abbatis præstolabitur præsentia.

SUPER omnia autem decrevimus Ordinem *Cluniacensem* Sanctimonialium de (4) MARCINIS

(1) GISELBERTUS, seu Gilbertus, Balduini Alostani filius, Adolfi seu Rodulfi nepos, anno 1083 à LOTBERTO Abbate Hasnoniensi emit tria alodia, *Alost*, *Raffeghem* & *Lede*: ut ex Lotberti Diplomate, supra cap. 63 recitato liquet. Ex his *Alostanum* alodium idem Giselbertus, ad bellum sacrum profecturus, anno 1096 Deo obtulit, ad Monasterium ODÆ matri suæ, LUTGARDI filiæ suæ, aliisque virginibus exstruendum. Sed cum Alostanus fundos ad id minùs idoneus videretur, FULGENTIUS Abbas Affligemiensis, in Ecclesia Forestensi, prope Bruxellam, ab ODONE Cameracensi Episcopo accepta, Monasterium constituit: ubi hodieque perstat illustris Nobilium Virginum Abbatia.

(2) ALBERTUS SNAGARDUS. In diplomate Henrici Comitis Brachatensis, quod supra cap. 62. produxi, vocatur ADALBERTUS SNAKART.

(3) BERNERUS DE TENREMONDA. Davidis Lindani Teneramondam, Antverpiæ anno 1612 excusam, ac denuò impressam Lovanii inter Opera Jo. Grammaye, vide lib. 1 cap. 6.

(4) MARCINIS. Existimo designari Sanctimoniales Marchianenses, quarum disciplina olim fuit laudatissima, juxta Reformationem Cluniacensem, ut hîc dicitur. Anno tamen salutis 1096 quo Diploma istud scriptum est, non Moniales, sed Monachi residebant Marchianis: sed regulæ seu disciplinæ ipsarum memoria etiamnum restabat. Monialibus porrò Marchianensibus Monachi anno 1028 sunt subrogati, agente Balduino Barbato, Flandriæ Comite: ut in Originibus Benedictinis, & Annalibus Belgicis docuimus. *Marchienæ.*

NIS debere eas observare, vel aliarum feminarum, sub regulari Abbate consistentium; ita ut numquam de claustro, postquam intraverint, liceat exire, sed claustri clavem Abbas habeat, aut Monachus maturus, & Deum timens, cui bene credat. Professiones suas coram Abbate faciant: nulli mortalium, & maximè (5) hominum, absque licentia in collocutione socientur; quod tamen cum magna gravitate & honestate fiat, præter verba otiosa, & risum moventia, & absque inordinata conjunctione, & hoc non sine testimonio Sororum Dominum timentium, cum clara luce diei.

FACTA est hujus traditionis charta, anno
1096. Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo sexto, Indictione IV, eo anno, quo Occidentales, unâ conspiratione, Jerusalem contra Paganos proficiscuntur, cum quibus & iste GISELBERTUS profectus est.

(6) EGO autem, post discessum ipsius *Giselberti*, loca ipsius alodii peragrans, & situm congregationi aptum non inveniens, in Ecclesia FORESTENSI, ab ODONE Cameracensi Episcopo nobis tradita, eas transtuli: ubi Christus, qui est sacrarum Virginum sponsus, pacem tribuat eis, & vitam quietam det eis, inibi sanctè & castè sub eodem sponso suo vivere, per omnia & in omnibus ei placere, ut cum eodem in cælesti palatio possint regnare, & in ejus piis amplexibus valeant in æternum gaudere. Quod filius æterni Regis eis præstare dignetur. Fiat, fiat, fiat.

(5) HOMINUM. Id est, virorum, phrasi Gallicâ. GISELBERTUS profectus est ad bellum sacrum,
1096. eo ipso anno, quo GODEFRIDUS BOLLONIUS, ANSELMUS RIBOLDIMONTANUS, Aquicinctini Monasterii fundator, & alii plurimi proceres Belgæ.

(6) EGO AUTEM. Ista pars est posteriùs addita, ut Colvenerius annotavit, quia in ea fit mentio Odonis, qui demum anno 1106, id est, decem annis post est factus Episcopus Cameracensis. Vel dicendum quod istud Diploma sit scriptum à Fulgentio Abbate, tempore Odonis, & quod traditio à Giselberto sit facta anno 1096.

CAPUT LXIX.

IDA *Boloniensium Comitissa anno* 1098 *dotat S. Bertini Monasterium in Artesia.*

Vide Chronicon nostrum Belg. ad hunc annum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Cùm constet unicuique incerta & imminens mors, quàm necessarium nobis sit, saluti nostræ bonis operibus eleëmosynarumque largitionibus insistendo consulere, cotidianus mundanæ rei defectus satis ostendit.

UNDE ego IDA (1), Boloniensium Dei gratiâ Comitissa, notifico tam futuris, quam præsentibus quibuslibet, quòd ob salutem animæ meæ, nec non pro anima Domini mei Comitis EUSTATHII, & pro incolumitate filiorum meorum EUSTATHII, GODEFRIDI, & BALDUINI (qui contra paganorum incursus, ex præcepto Apostolico Hierosolymam profecti sunt) omnes consuetudines & Comitatum, & quidquid ad me pertinebat de terra, quam *Ondigir* & *Berewoldus* Deo & S. Bertino, ad eleëmosynam pauperum tradiderunt, Domno LAMBERTO Abbati de Cœnobio ejusdem Christi Confessoris (2) BERTINI, & fratribus ibidem Deo servientibus, perpetuò possidendas concesserim: eâ videlicet ratione, ut nullus de heredibus prædictorum virorum, de terra illa... ampliùs usurpare audeat, ne Comes Boloniensis, neque quisquam ex parte ejus de consuetudinibus seu Comitatu illius aliquid exigere præsumat; sed libera & quieta ad usus pauperum in perpetuum permaneat.

QUOD si quis infringere conatus fuerit, æternæ maledictionis vinculo obligatus in inferno, cum Juda traditore Domini debitas pœnas exsolvat, nisi dignâ satisfactione citò pœnitens resipuerit.

ACTUM in villa (3) MERCK, anno Dominicæ Incarnationis MXCVIII, Indictione primâ, 1098.
regnante PHILIPPO Rege Francorum, in præsentia spectabilium personarum, quas hîc per testimonia annotavimus.

Signum IDÆ gloriosæ Comitissæ.

C A-

(1) IDA, fuit filia Godefridi Barbati Lotharingiæ Ducis.

Genealogiam Comitum Boloniensium & Lensiensium vide latè deductam in Chronico nostro Belgico ad annum 1030.

Additio. (2) S. BERTINI Monasterium ab Adroaldo Viro nobili fundatum fuit circa annum 654 in villa *Sithiu* in pago Teruanensi, & S Bertino Monacho Luxoviensi traditum. Olim *Sithiensis* Abbatia dicebatur, nunc vero *S. Bertini*, ex quo sacræ hujus S. Confessoris Reliquiæ miraculis clarêre cœperunt; hodie est intra muros Urbis Audomaropolitanæ in Artesia.

(3) MERCK. Vicus est agri Boloniensis, haud procul à Caleto: quo loco Eustathius II Comes Boloniensis, ejusque conjux Ida, parentes Godefridi Bullonii Abbatiam Benedictinorum, quæ *S. Maria de Capella* dicitur, anno 1090 fundaverunt, Monachis ex vicino Hammensi Cœnobio evocatis: ut Iperius in ms. Chronico Bertinensi, & Mejerus in Annalibus Flandriæ tradunt. Vide infra cap. 75.

CAPUT LXX.

BALDRICUS *Noviomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus Parochiam Tiletanam donat Canonicis Harlebecanis anno* 1105.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego (1) BALDRICUS Dei gratiâ Noviomenſium ſive Tornacenſium Epiſcopus. Quoniam nobis à ſpeculatoribus Eccleſiarum, ad cultum ſanctæ Religionis, multa documenta, quibus virtus ad virtutem promoveri poteſt, conſervata ſunt, animadverti inter cetera nihil Deo placabilius, animæ verò noſtræ nihil fore ſalubrius, quàm fratres Domino canonicè famulantes, ne devient, diligenter obſervare, & ad uſum eorum, qui pro nobis exorant, ne turpis lucri fœditatibus inſudent, beneficia Eccleſiarum cum benevolentia conferre.

QUAPROPTER quidem dignis petitionibus cujuſdam (2) ROTBERTI aſſenſum præbens, ei dimiſſionem perſonalitatis de altari, quod in villa, quæ dicitur (3) TILETUM, ſitum eſt, conceſſi, & intercedentibus venerandis Principibus, videlicet Comite ROTBERTO, & dilectiſſimâ conjuge ſuâ (4) CLEMENTIA, LAMBERTO quoque Archidiacono, & ceteris Clericis noſtris aſſentientibus, Præpoſito Harlebecenſis Canonicæ, pro meis prædeceſſorumque meorum criminibus redimendis, cum omni devotione contradidi: eo ſcilicet tenore, ut quamdiu Rotbertus vixerit, de reditibus altaris viginti ſolidos denariorum omni anno Fratribus perſolvat. Illo verò mortuo, ipſum altare cum omnibus ſibi pertinentibus, ſive decimis, ſive terris, ſive advocationibus, ſive quibuſcumque adminiſtrationibus, ad menſam Fratrum, ibidem Salvatori deſervientium, abſque ullius contradictione perpetualiter appendat.

ILLUD etiam adnectendum cenſui, ut Præpoſitus illius altaris curam gerens, unoquoque anno, in feſtivitate SS. Simonis & Judæ, Epiſcopo ſive miniſtris ejus decem ſolidos denariorum ſolvat. Porrò ſi Archidiaconus, ſive Decanus in Eccleſia ſupranominatæ villæ Synodum tenuerint, ad procurationem ſuam, ſtatuto tempore, priores conſuetudines habeant, ſicque ab omni alia exactione prædictum altare Præpoſitus, cum ipſis Fratribus, liberum in perpetuum teneat.

QUOD ut noſtris ſeu futuris in temporibus ratum & inconvulſum maneat, ſub anathematis interdictione confirmavi, & ſigilli mei ſigno corroboravi, his præſentibus,

Lamberto Archidiacono, Guidone Cancellario,

Gontero Decano, Gontero Præpoſito,
Balduino Cantore, Henrico Decano,
Lietberto Canonico, Fretherico Decano,
Geldulfo Canonico, Athelolfo Canonico.

ACTUM eſt Tornaci anno ab Incarnatio-
ne Domini milleſimo centeſimo quinto. Indi- 1105.
ctione XIII. regnante PHILIPPO Rege Fran-
corum, Domino BALDRICO Epiſcopante,
ROTBERTO juniore, Principatum Flandriæ
obtinente. EGO GUIDO Cancellarius ſub-
ſcripſi.

C A-

(1) BALDRICUS, ſeu Baldericus, Noviomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus, is eſt, qui ſcripſit Hiſtoriam ſeu Chronicon Cameracenſe & Atrebatenſe, Duaci anno 1615 typis editum, ſæpe à nobis citatum: quo nihil utilius aut accuratius in iſto genere ſcriptionis. Scripſit & Chronicon Morinenſe ſeu Teruanenſe: quod utinam quis in lucem proferat! Rogatus item fuit à Godefrido Epiſcopo Ambianenſi, ut Hiſtoriam Diœceſis Ambianenſis ſcriberet: quod an præſtiterit, neſcio.

Additio. Fuerat ille Baldericus primò Sacellanus ac Secretarius Gerardi I, dein Secretarius Lietberti & Gerardi II Epiſcoporum Cameracenſium, poſtea Canonicus & Cantor Eccleſiæ Morinenſis, inde Archidiaconus Noviomenſis, ac demum electus eſt anno 1099 Epiſcopus Noviomenſis ac Tornacenſis Eccleſiarum, quæ pluſquam ſexcentis annis fuerunt unitæ.

Proinde non mirum ſi tam accuratè de rebus Eccleſiarum Cameracenſibus & Atrebatenſibus (tunc etiam unitarum) fuerit inſtructus. Chronicon ejus Notis doctiſſimis illuſtravit Georgius Colvenerius S. Th. Doctor & Academiæ Duacenæ Cancellarius. Aliud verò Chronicon Morinenſe hactenus ineditum ſervatum fuit in Archivis Eccleſiæ Morinenſis, uſque ad tempora Philippi de Luxemburgo S. R. E. Cardinalis & Epiſcopi Morinenſis ac Cenomanenſis, qui Cenomanis obiit anno 1519. Hic transferri illud juſſit ex Morinis ad Collegium S. Benedicti in Urbe Cenomanenſi.

Obiit Epiſcopus Baldericus anno 1112, ſepultus in Choro Eccleſiæ Cathedralis Morinenſis, ubi ante Urbis illius deſtructionem cernebatur ejus Tumba cum Epitaphio. Ita Colvenerius in Præfat. ad Chron. Balderici.

(2) ROTBERTUS II cognomento Hieroſolymitanus, Flandriæ Comes, anno 1111 deceſſit, Atrebati ad S. Vedaſtum conditus.

(3) TILETUM. Oppidum linificio opulentum, Flandriæ velut umbilicum obtinet.

(4) CLEMENTIA. Guilielmi Burgundiæ Comitis filia, Calixti II Papæ ſoror, anno 1131 obiit Borburgi ſepulta in nobilium Virginum Cœnobio à ſe condito.

CAPUT LXXI.

LAMBERTUS *Episcopus Atrebatensis anno* 1106 *confirmat possessiones Lensiensis Collegii Canonicorum in Artesia, Idâ Godefridi Bullonii matre, Eustathio Boloniensium & Lensiensium Comite, ejusque conjuge Mariâ, petentibus.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, unius veri & summi Dei, amen. Ego LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, justis & honestis petitionibus honorabilis Comitis EUSTATHII, & nobilis ejus uxoris (1) MARIÆ Comitissæ, nec non & matris prædicti Comitis, IDÆ religiosæ Comitissæ acquiescens, quod à ministerio nostro exigunt, scire volumus tam præsentes quàm futuros filios nostros, quòd in libertate spiritûs, (2) LENSIENSI Ecclesiæ & Canonicis ejusdem Ecclesiæ, ex petitione prædictarum personarum, ratum & stabile, perenni tempore, per nostræ auctoritatis privilegium confirmavimus.

Unde illa omnia, quæ in possessionem prædictæ Ecclesiæ, sive à Principibus, ut in eorum præceptis & scriptis continentur, sive à ceteris Dei fidelibus jam prædictæ Ecclesiæ, quæ cognoscitur ad titulum *B. Mariæ* semper Virginis Dominæ nostræ, & *B. Vulganii* Confessoris, à principio fundata, justè donata, & canonicè sunt possessa; sive in posterum concedenda, pondere nostræ auctoritatis à Canonicis & eorum Prælatis disponenda auctorisamus.

PRÆTEREA Ecclesias *SS. Leodegarii* atque *Laurentii* Martyrum, & eorum episcopales reditus, sicut prædecessor noster venerabilis & religiosus Episcopus LIETBERTUS, ad usus Canonicorum donavit & concessit, nos quoque consequenter annuimus & concedimus: ita tamen ut Presbyteri, qui in iis Ecclesiis populo præficiendi sunt, per manum Canonicorum, sive eorum Prælatorum, Atrebatensi Episcopo semper offerantur, & sicut canonicum est, de honestate vitæ suæ Episcopo professionem faciant, & obedientiam promittant, & sic curam populi suscipiant & gerant.

DE DECANO autem, juxta timorem Dei, & auctoritatem sanctorum Canonum eligendo, liberam Canonicis concedimus facultatem: de ADVOCATO autem in suis caussis, sicut ex rogatu & permissu Comitis cognovimus, quem voluerint, & quamdiu voluerint, & non ulteriùs, Canonici hunc talem habeant Advocatum.

" In festivitate S. Dionysii persolvant præ- Hæc deerant in præcedenti editione, & supple-
,, dicti Canonici Episcopo 5. solidos de Bethai ta sunt ex
,, & *Durgis. Nos siquidem hujus paginæ au- Ms. Col-
,, thoritatem ratam & inconvulsam permanere venerii.
,, volentes, in præsentia subscriptorum testium * Dourgis
,, cam consignavimus.

,, S. Clarenbaldi Archidiaconi.
,, S. Domini Roberti Archidiaconi.
,, S. Odonis Præpositi.
,, S. Domini. Anastasii Cantoris.
,, Balduini Presbyterorum.
,, Arnoldi, Petri, Rogerii Diaconorum.
,, Drogonis, Gerardi, Ansetlli Subdiaco-
,, norum.
,, S. Domini Gualteri & Sasgualonis.
,, Ego (3) LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis Episcopus hoc libertatis donativum relegi, subscripsi, † & in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, propriâ manu confirmavi.,,

Datum Atrebati anno Dei Christi 1106. Indictione XIV. septimo Idus Junii, anno autem pontificatûs Domini LAMBERTI Episcopi Atrebatensis XII. regnante PHILIPPO Rege in Francia, ROTBERTO juniore Comite in Flandria, EUSTATHIO Comite Bononiensium & Lensensium.

CA-

(1) MARIÆ COMITISSÆ. Fuit hæc filia Malcolmi Regis Scotiæ, & mater Mahaldis, heredis unicæ ipsorum conjugii, quæ nupsit Stephano Comiti Blesensi, qui postea successit in regno Henrico I. Regi Angliæ. Andreas Quercetanus in Historia Angliæ & Tylius *en la Branche de Boulogne.*

(2) LENSIUM sive *Lendium*, Artesiæ oppidum, Balderico in Chronico Cameracensi lib 2 cap 22 *Lenense Castrum*, habet Ecclesiam perantiquam S. VULGANII natione Scoti, reliquiis nobilem: in qua Canonici anno 1028 residere cœperunt. Hanc circa an. 1060 LIETBERTUS Cameracensis & Atrebatensis Episcopus donavit: quod LAMBERTUS, primus Atrebatensium à facta separatione Episcopus, anno 1106 approbavit. Sunt autem Canonici XII cum Decano.

In Ecclesia Lensiensi exstat Sacellum seu Capella pervetusta, in qua EUSTATHIUS Comes Bononiensis, & uxor ejus IDA, God. Bullonii parentes, sepulti sunt: teste Gomicurtio.

(3) LAMBERTUS. Eidem LAMBERTO Episcopo Deipara, noctu apparens, dedit Candelam seu CEREUM illum famosum, qui Atrebati etiamnum religiosissimè adservatur, nec ardendo minuitur: de quo fusè in Annalibus Belgicis ad annum 1115 egimus.

CAPUT LXXII.

ODARDUS *Cameracensis Episcopus anno* 1108 *confirmat Teneræmondanum Canonicorum Collegium, à Remigio seu Ringoto Calvo, Teneræmondæ Domino, ejusque conjuge Adelwide fundatum* 1108.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. (1) ODARDUS, per gratiam Dei Episcopus Cameracensis, pro salute animæ meæ, meorumque prædecessorum, pro magna Ecclesiæ devotione, Dominæ ADELWIDIS, venerabilis uxoris (2) REMIGII TENERÆMONDANI, & omnimoda supplicatione Canonicorum Teneræmondensium, eos ab omni persona, omnique laica vexatione, auctoritate Dei & nostrâ emancipamus, & Canonicis ejus Ecclesiæ canonicam libertatem assignamus, concedentes ut Decanus, qui Canonicorum ibidem Deo famulantium curam habuerit, in Ecclesiæ malefactores excommunicandi potestatem habeat. Sic tamen ut eadem Ecclesia, pro libertatis memoria, tres Teneræmondensis monetæ solidos Decano Bruxellensi ad usus nostros singulis annis persolvat.

DUO Ecclesiæ altaria de *Opwyck* & *Lebbeke* Ecclesiæ Teneræmondensis, sanctæ scilicet *Trinitatis* & *S. Christianæ*, solummodo ad ædificia sive ornamenta Ecclesiæ retinenda, libera canonicè tradidi: in quibus, salvis nostris reditibus Pontificalibus, Presbyteri per Decanum & Canonicos statuantur, & ipsi nobis vel ministris nostris ad curam suscipiendam præsententur.

PRÆFATÆ quoque Ecclesiæ alodia de *Winsia* in campis, in silvis, in pratis, de *Morsele* in campis, in silvis, in pratis, de *Gheverghem* in campis, in silvis, in pratis, cum omni justitia terræ & silvæ, liberè & integrè confirmamus: solis Canonicis usibus profutura.

PRÆTEREA quæcumque, à quibuscumque, in terris, in silvis, in pratis, seu in aliis possessionibus præfatæ Ecclesiæ oblata sunt, vel in posterum offerri contigerit, modis omnibus ad Canonicorum usus permanere ac conservari decernimus. Quæ bona ne tradantur oblivioni, nostri sigilli imaginatione signamus: & ne ab aliquo violentur, auctoritate Dei, & nostrâ, sub anathemate prohibemus. Hujus confirmationis testes sunt.

Signum Rodolphi Archidiaconi.
S. Anselmi Archidiaconi.
S. Everardi Archidiaconi.
S. Sigardi Decani.
S. Lamberti Subdecani.
S. Lamberti, Sanctæ Mariæ Canonici.
S. Gerardi Canonici.
S. Marcellini Canonici.

PERACTUM est hoc, anno Dominicæ
Incarnationis millesimo centesimo octavo, In- 1108.
dictione primâ, prædicti Episcopi anno tertio. Salus & gloria omnibus Christianis.

C A-

(1) ODARDUS sive Odo, ex primo Abbate Monasterii S. Martini Tornacensis, factus Episcopus Cameracensis, obiit anno 1113.

(2) REMIGIUS aliàs Ringotus, cognomento Calvus, Collegii Canonicorum & Ecclesiæ Teneramundanæ Fundator, anno 1106 vivere desiit: ut in ejusdem Ecclesiæ libro Obituario, ut vocant, legitur.

BIENNIO post ADELWIDIS, quondam Remigii uxor, tunc vidua, confirmationem hanc fundationis ab Odardo Episcopo impetravit.

Additio. Post Ringotum *Guilielmus* Advocatus Atrebatensis Bethuniæ & Teneramundæ Dominus ejusque conjux *Machildis* varias decimas Ecclesiæ Teneramundanæ contulerunt: illamque donationem rogatu *Machtildis* Viduæ confirmavit *Joannes* de Betunia Cameracensis Episcopus, frater Guilielmi Advocati, ut ex Diplomate constat anno 1217 dato. Eadem Machtildis à morte Mariti tres Sacellanias in totidem Canonicatus convertit. Extat de ea re Diploma anno 1215 datum. Non multo pòst etiam aliæ Capellaniæ, quas *Machtildis* instituerat, in Canonicatus conversæ sunt à *Roberto* filio, ut creditur: & sic ad duodecim præbendas numerus adauctus est, quarum omnium jus patronatûs & collatio ad Flandriæ Comitem tamquam Teneramundæ Dominum spectat.

Anno autem 1632 facta est unio sive confusio proventuum omnium præbendarum sub Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Antonio Triest Gandavensium Episcopo, consentiente Capitulo, ipsoque Rege.

Plura vide apud Lindanum in Teneramunda lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 2.

Vide Genealogiam Dominorum Teneramundæ in Chronico nostro Belgico ad annum 1248.

CAPUT LXXIII.

* Gallicè Baudouin à la Hache.

BALDUINUS *cognomento* * **SECURIS**, *Flandriæ Comes, alodium Valsense Ecclesiæ S. Petri Insulensis detractum, circa annum* 1115 *eidem restituit.*

EGo (1) BALDUINUS, Dei miseratione Flandrensis Comes, contra Deum & Ecclesiam B. Petri Insulensis me peccasse, & multum malè egisse, per Dei gratiam recognosco. Alodium enim, quod venerabilis prædecessor meus Comes BALDUINUS, qui eam fundavit, & in ea sepultus est, ad honorem & servitium Dei, & Fratrum sustentationem, prædictæ Ecclesiæ pro remissione peccatorum suorum contulit, & privilegio suo firmavit, ego peccator contra Deum & salutem animæ meæ, injustè substraxisse recognovi.

Nunc itaque Dei miseratione respectus, coram venerabilibus, Teruanensium JOANNE, & Noviomensium ac Tornacensium LAMBERTO, Episcopis, me in hoc & in aliis peccasse confiteor, & culpam dico, & præfatæ Ecclesiæ jus suum, scilicet prædictum alodium, quod est in villa *Vals*, in territorio Aquisgranensi, recognosco, & nulli omnino ampliùs inde Warandus ero.

PRECOR etiam successores meos & fideles meos, quatenus omni modo, cum Dei adjutorio, elaborent, ut Ecclesia illa jus suum, & alodium quietum & liberum rehabeat.

EGO verò CAROLUS, consanguineus & successor Comitis BALDUINI, in præsentia ipsius id ipsum pro justitia recognosco, concedo & confirmo.

Signum (2) JOANNIS Morinensis Episcopi.
S. LAMBERTI Noviomensis & Tornacensis Episcopi.
S. CLEMENTIÆ Comitissæ.
S. Alardi Pincernæ.
S. Balduini Gandensis.

(1) BALDUINUS cognomento Securis, nullâ prole relictâ, ex Uxore sua Agnete filia Ducis Britanniæ Minoris, anno 1119 decessit. Audomaropoli ad S. Bertinum conditus. Heredem scripsit amitinum suum CAROLUM cognomento BONUM seu PIUM, Canuti Danorum Regis filium.

(2) JOANNES Morinorum Episcopus, Ivonis Carnutensis Episcopi discipulus, Ipris ad S. Martinum, Formiselæ & alibi Canonicos Regulares constituit, & anno 1130 obiit.

CAPUT LXXIV.

HENRICUS V. *Imp. decimas Santflitanas Antverpiensi Canonicorum S. Michaëlis Ecclesiæ concedit, petente Godefrido Barbato, Loth. Duce & S. R. I. Marchione ad Scaldim anno* 1119.

Vide Donat. Belgicas cap. 40.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. (1) HENRICUS Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus. Dum utilitatibus sanctæ Ecclesiæ pro favore consulimus, antecessorum nostrorum statuta non solùm confirmamus, verùm etiam augmentare curamus, idque ad profectum totius Imperii à Deo nobis collati congruere haudquaquam diffidimus. Dignum est etiam ut Celsitudo Regalis Principum petitionibus eò libentiùs faveat, quò promptiùs eos in sua perseverare prospicit fidelitate.

OMNIBUS igitur tam præsentibus quàm futuris notum esse volumus, nos consilio & petitione fidelis nostri GODEFRIDI, videlicet Ducis & Marchionis, concessisse Ecclesiæ *S. Michaëlis* Archangeli, quæ est sita in Burgo, qui dicitur ANTWERP, omnem decimam, quæ continetur à terminis *Sandtfliten* usque *Olmeremuthen*: ita ut quartam ejusdem decimæ partem Ecclesiæ Præpositus sibi retineat, & reliquas in usus Fratrum conservet.

Zantfliten.

HUJUS autem nostræ traditionis testes idoneos subscripsimus, quorum nomina hæc sunt;

Conradus Osnaburgensis Episcopus,
Burchardus Cameracensis Episcopus,
Gerardus * Merseburgensis Episcopus.
Alii quoque Principes.
(2) *Arnolfus de Los.* (3) *Theodericus* Comes,
(4) *Gerardus* Comes, (5) *Paganus* Comes,
Otho de Mares, *Willelmus* Comes,
Herman-

* *Mersburg* Episcopatus in Saxonia, hodie per hæreticos occupatus.

(1) HENRICUS V. IMP. anno 1125 Leodii Pascha celebravit: inde per Noviomagum veniens Ultrajectum, ibidem feriâ quintâ Pentecostes vivere desiit: succedente Lothario, Saxonum Duce.

(2) ARNOLPHUS. Comes Lossensis. Fundator Abbatiæ Averbodiensis Instituti Præmonstratensis: cujus Diploma vide infra.

(3) THEODERICUS. Comes eo nomine sextus Hollandiæ.

(4) GERARDUS. Comes Gelriæ.

(5) PAGANUS, ut arbitror. Henrici Exducis filius, post Waleranus II. cognomento Paganus. Dux Limburgensis. De post ad me scripsit Gomicurtius: *L'an* 1119 *n'est point eloigné du temps auquel vivoit* PAYEN *dict de Arlons Comte de Limbourg & puis Duc de Lorraine.* Est Waleranus, cognomento Paganus, competitor Godefridi Barbati, Dux Loth. inferioris.

Hermannus * *Piscis*, *Stephanus*. *[Margin: Piscis.]*

Hoc etiam MATHILDIS Romanorum Regina, suâ corroboravit præsentiâ. Hujus autem chartæ traditio facta est, præsente ejusdem Ecclesiæ Præposito HILDEWINO & obnoxiè petente. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum, per futura tempora, firmum & inviolabilem obtineat vigorem, manu nostrâ subterfirmavimus, & sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

SIGNUM Domini HENRICI Romanorum Imperatoris.

BRUNO (6) Cancellarius recognovit. Data XI Kalendas Decembris, anno Dominicæ Incarnationis MCXIX, Indictione XII, regnante HENRICO Romanorum Imperatore. Actum est apud Trajectum in Christo feliciter. Amen. *[Margin: 1119. Sic habetur in originali quod vidi.]*

(6) BRUNO, natione Saxo, Henrici V Imp. Cancellarius anno 1119 & 1125; inde factus Episcopus Argentinensis. *[Margin: Addit.]*

CAPUT LXXV.

EUSTATHIUS III. *Comes Bononiensis, Godefridi Bullonii frater, Terram Merckensem, quæ ad S. Bertini Monasterium pertinet, ab omni exactione liberam facit, anno* 1122.

[Margin: Vide supra cap. 69.]

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego EUSTATHIUS, Dei gratiâ Bononiensis Comes, notum facio tam futuris quàm præsentibus quibuslibet, ad salutem animæ meæ, nec non per omnia patris mei Comitis EUSTATHII, matrisque meæ IDÆ Comitissæ, & fratrum meorum GODEFRIDI Hierosolymitani Regis, atque BALDEWINI, qui ei in regno successit, terram, quam beatus Bertinus infra ministerium de *Merck* possidet, videlicet quæ ad eleëmosynam pauperum pertinet, à comitatu & omnimoda consuetudine, nec non ab omni prorsus exactione liberam fecisse.... præter decimam & fossatum: sic tamen ut de eodem fossato demonstratio illa, quæ vulgò *Besene* vocatur, nullatenus exigatur.

HUJUS autem libertatis concessio facta est à me EUSTATHIO apud (1) *Capellam*, post reditum meum ab Hierosolymis anno XX, Dominicæ autem Incarnationis millesimo centesimo vicesimo secundo, Indictione XV, regnante LUDOVICO Rege in Francia, nec non (2) DANENSE KAROLO Marchionatum administrante in Flandria: præsente JOANNE Morinorum Episcopo, & aliis testibus idoneis tam Clericis, quàm Laïcis, quorum nomina subtus habentur annotata. *[Margin: 1122.]*

Signum EUSTATHII Comitis.
S. JOANNIS Episcopi Morinorum.
S. Heriberti Archidiaconi.
S. Walteri Archidiaconi.
S. Lamberti Abbatis S. Bertini.
S. Balduini Abbatis (3) S. Wolmari. *[Margin: Vulmarii]*
S. Rainaldi Abbatis (4) Andernensis.
S. Mangerii Abbatis de Capella.
S. Alulfi Cancellarii.
S. Lamberti. S. Bernardi.
S. Rodulfi, filii Comitis Eustathii.
S. Arnoldi.
S. Eustathii Vicecomitis.
S. Balduini Conestabilis.

C A-

(1) CAPELLA. B. Mariæ titulo clara, est Benedictinorum Abbatia, Diœcesis Bononiensis, haut procul à Caleto, in Ministerio seu Territorio Merkensi, anno 1090 ædificata, ab Eustathio seniore Comite Bononiensi, hujus Eustathii itemque Godefridi Bullonii Patre: ut supra cap. 69. ex Iperio & Meiero docui.

(2) DANENSIS KAROLUS. Designatur CAROLUS BONUS seu PIUS, Flandriç Comes, S. Canuti Danorum Regis filius, Brugis anno 1127 ab impiis cæsus: cujus vitam, Parisiis anno 1615 editam, scripsit *Gualterus* Ternanensis Canonicus, ad Joannem illius Urbis Episcopum. *[Margin: Vide Fastos nostros Belgicos ad diem 2. Martii.]*

(3) S. WULMARI, Abbatia in urbe Boloniensi ad mare, olim Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini, anno 1544 per Anglos diruta; tùm Religiosis destituta, tradita fuit PP. Minimis. Postmodùm verò concessa est PP. Oratorii Gallicani, qui pulchrum ibidem erexerunt Collegium Litterarum humaniorum, simulque Theologiam docent in Seminario Episcopali. *[Margin: Addit.]*

(4) ANDERNENSE seu Andre[…]se Monasterium, in Diœcesi Bononiensi, anno 1084 fundavit *Balduinus* Gisnarum Comes, Monachis Benedictinis, ex Carofenensi apud Pictones Cœnobio evocatis: ut Iperius & Meierus tradunt. *[Margin: Andres. Vulgo Charroux.]*

Aliud est ARDENSE Canonicorum Collegium anno 1096 fundatum in eadem Diœcesi Boloniensi situm, quod anno 1144 Balduinus præfatus Regularibus Ordinis Præmonstratensis tradidit: teste Meiero. Apud eruditos in pretio est *Lamberti Ardensis* Ms. Chronicon, ab hujus loci Presbytero, incola, Cive, aut Parocho conscriptum: in quo leguntur curiosa de Comitibus Bononiensibus & Gisnensibus. Neque enim constat, aut ipse Lambertus Ardensis dicit se fuisse ex Ordine Præmonstratensi. Gom. *[Margin: Ardres Gom. Dominus Ardensis apud Gomicurt.]*

CAPUT LXXVI.

Antverpiana S. Michaëlis Abbatia, Ordinis Præmonstratensis, anno 1124 *fundatur ac dotatur, per* Hildolphum *Præpositum: & Canonici Antverpienses (S. Norberto ejusque Sodalibus Ecclesiam S. Michaëlis cedentes) ad Basilicam Marianam, nunc Cathedralem, sese transferunt.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego HILDOLPHUS, Præpositus S. MICHAELIS in Antverpia, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Qualiter præfata Ecclesia nostra ad usus Canonicorum Præmonstratensis Ordinis transierit, & qua de caussa assensus Capituli nostri eis datus fuerit, præsentis Scripti attestatione notificamus.

CUM in diebus nostris quidam (1) TANCHELINUS nomine in partibus nostris advenisset, & venenoso sermone à fide, & à Sacramentis Ecclesiæ plurimos avertisset, hac de caussa, ut illa hæresis, quæ provinciam nostram occupaverat, funditus extingueretur, consilio Domini BURCHARDI Episcopi, & totius populi, & assensu Capituli nostri, Dominum NORBERTUM, virum nostris temporibus, spectabilis religionis, accersiri curavimus, eique ac suis fratribus regulam B. Augustini servantibus, suamque institutionem exequentibus supradictam Ecclesiam, cum Capellis in ejus Cœmiterio fundatis, & tribus curtilibus & jugero terræ, eidem Cœmiterio adjacentibus, cum quattuor præbendis, per manus memorati Episcopi tradidimus, circumspectione vigiles, dignèque perpendentes, quod eorum saginaremur orationibus, & bonis spiritualibus, si eos sustentaremus beneficiis temporalibus.

S. Norbertus.

NOS verò priùs numero duodecim, numerum nostrum in octo terminavimus Præbendis, & cum his & Præpositura nostræ integritate, ad Ecclesiam B. MARIÆ in eadem villa transtulimus. Ceteras verò quattuor præbendas, per omnia eis consimiliter participantes, proprio nostro arbitrio dedimus. Excepto quod alodia & mancipia, quæ usque ad hæc tempora Ecclesia illa possederat, in nostros singulariter usus segregavimus.

BAPTISMUS vero celeberrimi temporis, videlicet Paschæ & Pentecostes, in Ecclesia illa observabitur, reliquo autem tempore Parochianus noster baptizandis providebit. Infirmos autem visitare, & communicare, oleoque inungere, confessiones audire, mortuos sepelire, omnibus hæc ab eis quærentibus liberè concedimus.

UT autem tam præclaræ beneficentiæ fœdus inviolatum inter nos & ipsos semper permaneat, hoc definitum est, ut quodcumque munus infirmus & moriens parochianus, sive in terra sive in alia substantia, cuivis Ecclesiæ aliquod obtulerit, aut pro se offerri instituerit, per medium dividatur. Quod verò alienus sanus vel infirmus, aut parochianus incolumis dederit, Ecclesia, cui hoc datum fuerit, absque partitione possideat.

IPSÆ verò Ecclesiæ sedulas in invicem juges sibi debebunt fraternæ caritatis orationes, in omnibus necessitatibus sese supportantes. Pro commemoratione verò suæ libertatis, utraque Ecclesia persolvet Cameracensi Præsuli aureum nummum Antverpiensis monetæ & ponderis, singulis annis, in festo S. Lucæ.

UT autem hæc rata & inconvulsa permaneant, sigilli nostri impressione, & testium subscriptione, qui interfuerunt, & hoc donum dederunt, annotari curavimus.

EGO HILDOLPHUS Præpositus S. Mariæ.
Anselmus Canonicus. Bernardus Canonicus.
Giselbertus Boreas. Raduardus Canonicus.
Ovo Canonicus. Raduardus Scriptor.
Rogerius Canonicus. Hildewinus Parochianus.

ACTUM autem est hoc anno Verbi Incarnati millesimo centesimo vicesimo quarto, Indictione secundâ, Epactâ tertiâ. 1124.

C A-

(1) HILDOLPHI Diploma istud exstat & apud Card. Baronium tomo XII. Annalium, quod Antverpiâ ipsi ab Urbem misimus, ex Ecclesiæ nostræ Antverpianæ scriniis fideliter depromptum.

(2) TANCHELINUS, homo totus impius ac petulcus, Sacramentariam, Adamiticam & alias hæreses Brugis, Antverpiæ, in Zelandia. & alibi per Germaniam inferiorem sparsit. Anno 1113 urbe Brugensi pulsus, demum apud Antverpiam à viro zeloso percussus anno 1116 occubuit. Anno 1116.

Ejus hæreses Antverpiæ pullulantes S. NORBERTUS, candidi Ordinis Præmonstratensis conditor, à Canonicorum Collegio in subsidium evocatus, cùm per se tum per suos jugulavit: ut in Chronico Præmonstratensi fusiùs docui.

CAPUT LXXVII.

BURCHARDUS *Cameracensis Episcopus Ecclesiam Antverpiensem libertate donat, & approbat Canonicorum migrationem ex Basilica S. Michaëlis ad Basilicam S. Mariæ, anno* 1124.

Consuli cum Ms.

IN nomine Patris & Filii, qui est veritas, & Spiritûs sancti, qui est amborum charitas. (1) BURCHARDUS, divinâ miseratione Cameracensium Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

PONTIFICALIS solicitudinis, & compensativæ dispensationis est, à nobis seu ab aliis bene gesta, quando oportunum fuerit altiùs promovere, & promota, ut permaneant, firmâ functione solidare. Eapropter ANTWERPENSEM Ecclesiam qualiter ad usus duodecim Canonicorum libertate donavimus, & postmodum ad altius per divinam inspirationem sublimavimus, præsentis paginæ attestatione notificamus.

Sanè prioris Fundationis & libertatis privilegium hujusmodi est.

CUM in Ecclesiaste scriptum sit: *Si bene feceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa*; Nobis, qui in specula positi sumus, obnixiùs est perpendendum, ne erogationis nostræ gratia illicitâ largitione irrogetur. Igitur Ecclesiis, quibus præsumus, in posterum providentes, personarum nostrarum consilio, hortatu etiam & petitione Domini GODEFRIDI, gloriosi Lotharingiæ Ducis, Ecclesiam S. MICHAELIS, quæ est ANTVERPIÆ, hactenus unius personæ investitione, & parochialis Presbyteri servitio contentam, cum appendiciis suis, Capella scilicet (2) S. WALBURGIS, quæ est in eodem Burgo, & Capella de (3) LINLO, & BERENDRECHT, & ORTHEREN, & omnibus quæ infra ambitum præfatæ parochiæ continentur, ad usus Canonicorum, in eadem servientium, manumittimus.

PERSONARUM quoque substitutiones, & quaslibet exactiones (soluto quotannis in festivitate S. Lucæ, nobis seu successoribus nostris S. Mariæ Cameracensis Ecclesiæ Episcopis, canonicè substitutis, à præfata Ecclesia, pro libertatis suæ memoria, * nummo (4) auri Bisantii) excluso certo pontificali debito, interdicimus. Eo quidem tenore, ut Præpositus cum duodecim Canonicis ibidem in præsenti statuatur. Nos verò Ecclesiæ nostræ dignitatem canonicè conservantes, decernimus, ut à Canonicis Præpositus canonicè electus, nobisque seu successoribus nostris præsentatus, curam Canonicorum de manu nostra suscipiat, & nobis, more Præpositorum præfatæ Cameracensis Ecclesiæ, debitam obedientiam impendat.

* In Ms. deest nummo, & habetur auri Bisantii.

AD hanc ergo Canonicorum institutionem perpetuò muniendam, eandem ligandi atque solvendi potestatem, quam mater nostra Cameracensis Ecclesia in pervasores suos habet, sæpefatæ S. Michaëlis Ecclesiæ in malefactores suos concedimus, & ut Presbyteri parochiales à Præposito & Canonicis substituti, Curam à nobis seu ministris nostris recipiant, decernimus. UT

(1) BURCHARDUS Odoni anno 1113 defuncto in Episcopatu Cameracensi suffectus est, & anno 1130 vivere desiit, ut Dodechinus in Chron. & Waterlopius tradunt Idem anno 1124 Antverpiensem Deiparæ Basilicam, Canonicorum accessione & ædificiis mirificè auctam, consecravit. Quod versiculi vulgares testantur:

Undecies centum ductis & sex quater annis,
Virginis à partu conciliante reum;
Burchardus Præsul hæc atria, nec minùs aram,
Sacravit medium quæ tenet Ecclesiæ.

Anno 1625 mense Octobri reposita est Tabula Altaris à Francisco Floro picta, ad aram Deiparæ ad Arborem, *op't Stoxken*, jussu Dn Terne Thesaurarii picta: cui post appingi curavimus istos versiculos, ex Lud. Guicciardino.

(2) S. WALBURGIS Capella seu Ecclesia, in veteri Burgo Antverpiensi sita, est ea ipsa, quam Rohingus seu Rothingus, Antverpiensium Princeps, & ejus conjux Bebelina, S. Willibrordo Archiepiscopo Ultrajectino circa annum 725 donarunt. De qua vide supra cap. 6.

Capellæ S. *Walburgis* fontem baptismalem & reliqua jura Parochialia indulsit Sixtus IV. anno 1478, petente Capitulo nostro.

(3) LINLO. Hodie *Lillo*, vicus seu pagus ad Scaldim, tertio lapide ab Antverpia, nunc in propugnaculi formam redactus, & aquis magna ex parte obrutus. Hinc non longè absunt vici, *Berendrecht* & *Ortheren*, nunc *Orderen*.

(4) AURUM BISANTIUM, seu Bisontinum, ita dictum à Vesontione Sequanorum Metropoli, quam Itali *Bisanzon*, Galli *Besanzon* nuncupant

La monnoie d'or olim *des Besans* dicta, *soit pour être batue à Constantinople, soit au langage commun de ceulx qui faisoient le Voyage de la Terre Sainte.* Gomiecourt.

LISTARDUS porrò, Burchardi in Episcopatu Successor, Canonicorum migrationem ex Michaelitana Basilica ad Marianam anno 1135 Indictione XI, Præsulatûs sui anno quarto confirmavit. In quo Diplomate inter alia dicitur, Canonicos sibi oblationes Paschæ & Pentecostes reservasse, reliquas verò S. Michaelis fratribus, & Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ sororibus, sub eodem conditionis tenore, per omne tempus concessisse. Ex quibus patet, ut in aliis multis, præsertim Germaniæ Monasteriis, sic & in Michaëlitano apud Antverpienses Cœnobio, Moniales Ordinis Præmonstratensis simul cum fratribus, sed claustro ab iis separatas, olim vixisse.

Ceterum Canonici Antverpienses, ut Romę Canonici S. Petri in Vaticano, pileis quotidie utuntur violaceis, qui color est Ecclesiæ Romanæ. Olim & vestes ejusdem coloris gestarunt, quod veteres picturæ docent. Baronius certè in Annalibus suis, ad annum 393 multis demonstrat, Clericorum olim vestitum nec album, nec nigrum, sed violaceum fuisse.

Ut autem libertate à nobis traditâ Canonici inibi substitui possent, præfatus Dux duas partes manipulorum decimæ, quæ ad Antwerpiam, & ejus ambitum pertinent, quas à prædecessore suo illustris memoriæ Godefrido Duce, & postea Jerosolymitano Rege, S. Michaelis Ecclesiæ traditas, minùs justè subtraxerat, eidem Ecclesiæ recognovit, & concessit, & ut nostri Decreti auctoritate firmarentur, impetravit.

God. Bullonius.

Evoluto autem non multo tempore, Clerici præfatæ Ecclesiæ S. Michaëlis, * multâ circumspectione vigiles, digneque perpendentes, quod eos, quorum sustentarentur carnalibus, saginare deberent spiritualibus, (nam eos hæresiarchæ *Tanszelini* venenosus sermo infecerat) ad se fratrem Norbertum, virum nostris temporibus spectabilis religionis, accersire curaverunt, eique ac suis fratribus regulam B. Augustini servantibus, suamque institutionem exequentibus per nostras manus Ecclesiam supradictam, quam à nobis susceperant, cum capellis in ejus cœmeterio fundatis, & tribus curtilibus, & jugero terræ, eidem cœmeterio adjacentibus, contradiderunt.

In Ms. sensim.

In Ms. Tankelmi, S. Norbertus.

Ipsi verò priùs numero duodecim, numerum suum in octo terminarunt, & se cum octo præbendis, & præposituræ suæ integritate, ad Ecclesiam B. Mariæ transtulerunt. Reliquas verò quattuor præbendas, per omnia suis consimiliter participantes, sub nostræ auctoritatis confirmatione tradiderunt: excepto quod alodia & mancipia, quæ usque ad hæc tempora Ecclesia illa possederat, in suos singulariter usus segregaverunt.

Baptismus verò celeberrimi temporis, videlicet *Paschæ* & *Pentecostes*, in utraque servabitur Ecclesia: reliquo autem tempore Parochianus Sacerdos S. Mariæ baptizandis providebit. Sepeliri quoque defunctos in utriusque Ecclesiæ Cœmeterio licebit.

Ut autem tam præclaræ beneficentiæ fœdus inviolatum inter ipsos semper permaneat, hoc diffinitum est, ut quodcumque infimus & moriens parochianus, sive in terra sive in alia substantia cuivis Ecclesiæ obtulerit, aut pro se offerendum instituerit, per medium dividatur. Quod verò alienus, sanus vel infimus, aut parochianus incolumis dederit, Ecclesia, cui hoc datum fuerit, absque partitione possideat.

Nec minùs utramque Ecclesiam integrâ & parili libertate donamus. Ipsæ verò Ecclesiæ, seclusâ invicem omni exactione, juges sibi debebunt fraternæ caritatis orationes, in omnibus necessitatibus sese supportantes. Pro commemoratione verò suæ libertatis, utraque Ecclesia persolvet Cameracensi Canonico & Catholico Præsuli aureum nummum, Antwerpensis monetæ & ponderis, singulis annis in festo S. Lucæ, priori dimisso debito.

Quæcumque igitur Pontificum seu Principum largitione, imò quorumlibet Catholicorum collatione, memoratis Ecclesiis oblata sunt, vel ulteriùs conferentur, hujus nostri Decreti munimento, eisdem ad usus, ut dictum est, Canonicorum assignamus. Ne qua verò Canonica secularisve persona, processu temporum, in hanc nostri Decreti paginam, spiritu calumniæ, moveatur, collatâ conservatoribus pace, in pervasores, quoad resipuerint, anathematis exterminium promulgamus, atque nostrâ subsigillatione, & canonicâ adstipulatione confirmamus.

Signum *Erlebaldi* Præpositi,
S. *Joannis* Archidiaconi.
S. *Radulfi* Archidiaconi.
S. *Anselmi* Archidiaconi.
S. *Anselmi* Præpositi.
S. *Widonis*. S. *Roberti*. S. *Gerardi Capellani*,
S. *Oilardi Decani*. S. *Hugonis*, *Heriberti*, *Canonicorum*.

Actum est autem hoc, anno Incarnati Verbi millesimo, centesimo, vicesimo quarto. Indictione secundâ, Epactâ tertiâ, Præsulatûs Domini Burchardi nono. Ego Werinbaldus Cancellarius scripsi & recensui.

CAPUT LXXVIII.

Godefridus Barbatus, *Lotharingiæ Dux & Marchio Antverpiensis, decimas, per Godefridum Bullonium, prædecessorem suum, Antverpiensi Canonicorum Collegio datas, exinde per alium sublatas, eidem Collegio restituit anno* 1124.

Godefridus Dei gratiâ Lotharingiæ Dux & Marchio B. Tribuno, & omnibus Antverpiensibus, tam majoribus quàm minoribus, gratiam & amicitiam suam.

Decimam duorum manipulorum Ecclesiæ Archangeli Michaelis, quam Dominus & Prædecessor meus beatæ memoriæ Dux Godefridus & postea Rex Jerosolymitanorum, ab Imperatore liberè in feudo tenuit, hortatu fidelium virorum, tam Clericorum quàm Laïcorum, præcipuè instinctu divini amoris, præfatæ Ecclesiæ ad usus Canonicorum inibi servientium contulit. Quod etiam multis ex vobis notum est.

Quo defuncto, cùm (1) Dux Henricus Ducatum obtineret, quorundam susurronum oblatratu, eamdem decimam ab Ecclesia injustè surripuit.

Cum

Cum verò, divinâ miseratione, Ducatui præessem, & hanc in potestate mea invenissem, quibusdam amicis meis habendam tradidi. Sed cum multis & creberrimis Canonicorum querimoniis concuterer, tandem consilio accepto, cùm tamen à quibusdam, sicut aliquibus ex vobis patuit, pro ea mihi promitteretur pecunia, Ecclesiæ recognovi & concessi, Deo & vobis sic existimans satisfacere.

Adhæc omnia, successorum meorum cùm timerem fraudem & malitiam, ne sicut, contra Ecclesiam malè actum est, simile quid fieret, Dominum meum Imperatorem conveni; & omnium pravorum hominum cavillationem secludens, Imperialis testamenti subscriptione & subsignatione firmari impetravi. Super his autem tam idoneè & justè ordinatis & confirmatis, cùm Episcopus Ecclesiam canonicæ libertati traderet, rogatu meo, in pagina suæ libertatis sub anathemate confirmavit.

Sed quia sunt nonnulli ex vobis, qui prædictam decimam, à me in feudo acceptam, quorum Berneon & alter Oldeius est, mentiuntur, quidam verò à me emptam fabulantur; quibus omnibus diem derationationis sæpius constitui; & cùm ad præsentiam minimè venirent, liberorum virorum judicio, Ecclesiæ conservavi.

Precor igitur vos tam homines quàm amicos meos, B. Tribunum, & fratres ejus, O. filium, Titdon, Wildbodon, & ceteros quosque amicos meos, quatenus Ecclesiæ, contra malefactores suos, justitiam conservetis, & eam tam in decima, quàm in alodio, in servis, & ancillis, & ad omnem Canonicorum querimoniam, mei caussâ, fideliter juvetis. Valete.

C A-

(1) Henricus Dux Limburgi & Lotharingiæ inferioris, idemque Marchio Antverpiensis. Habuit enim Antverpia, cum pago Riensi suos olim Principes seu Marchiones, ac Comites proprios, primò Francorum Regibus (qui Romanos è Belgica ac reliqua Gallia pepulerunt) pòst Germaniæ Imperatoribus ac Lotharingiæ Ducibus obnoxios.

Beneficio Theoderici, Francorum Regis, Rothingus seu Rohingus, cum uxore sua Bebelina, Marcam Antverpiensem anno 725 tenuit, & S. Willibrordo Archiepiscopo Ultrajectino Ecclesiam veteris Castri seu Burgi Antverpiensis, ac tertiam partem telonei donavit: ut ex ejusdem Rothingi Diplomate supra cap. 6. recitato liquet. Rothingi Principatum quinam exceperint, non constat; primis Antiquitatum nostrarum monumentis, per Normannorum vastationes, penitus deperditis.

Anno 1008 Gothilo cognomento Magnus, Comitatum Antverpiensem possedit; ut ex Diplomate S. Henrici Imp. supra cap. 43. producto constat. Idem postea Ducatum Lotharingiæ inferioris, anno scilicet 1023, defuncto fratre Godefrido, obtinuit. Frederico demum Mosellanorum Duce anno 1034 sine filiis mortuo, Mosellanam seu superiorem quoque Lotharingiam ab Henrico Imp. impetravit.

Annal. Belg. Liberos reliquit, Godefridum Barbatum seniorem, Gozilonem seu Gothelonem Ignavum, Fredericum, qui postea Stephanus IX Papa fuit, & Odam Baldrico Comiti Lovaniensi, supra cap.47. laudato, nuptam.

Gothiloni Magno filius Gothilo Ignavus in Marca Antverpiensi, & in Ducatu Lotharingiæ inferioris successit; juxta Hermannum Contractum.

Gothilonem Ignavum *Fredericus*, Lotharingiæ inferioris Dux, Adelberonis Episcopi Metensis, & Henrici Boiariæ Ducis frater, anno 1046 excepit. Fredericum intra Andoverpum anno 1055 Godefridus Barbatus senior & Balduinus Comes Flandrensis obsederunt, sed irrito conatu; ut Sigebertus in Chronico testatur. Obiit is anno 1064.

Frederico avunculo suo suffectus est idem Godefridus Barbatus senior. * Duxerat is Beatricem, Frederici II Ducis Mosellani filiam, Bonifacii Italiæ Marchionis viduam, & anno 1070 decessit, Virduni conditus. Liberos reliquit Godefridum Gibbosum & Idam Godefridi Bullonii Matrem ex Eustathio Comite Boloniensi.

* Fundavit Prioratum S. Petri in Bullonio, supra c. 66.

Barbato filius Godefridus Gibbosus in Marchionatu, itemque Ducatu Lotharingiæ inferioris succenturiatus, anno 1076 Antverpiæ à sicario confoditur, & Virduni juxta Patrem conditur, nullâ prole relictâ. Uxorem duxerat Mathildem, potentissimam Italiæ Marchionissam, Bonifacii & Beatricis, quos supra laudavimus, filiam.

De Mathilde, sua olim Principe ac Marchionissa, est quod Antverpia sibi applaudat. Fuit virilis animi mulier, quæ pro Romanis Pontificibus contra Henricum IV Regem & Pseudo-pontifices non semel arma sumpsit. Anno 1115 moriens magnam Tusciæ partem Ecclesiæ Romanæ legavit. Id S. Petri Patrimonium hodie dicitur.

Anno 1076 Henricus IV Imp. Ultrajecti existens Ducatum Lotharingiæ inferioris filio suo *Conrado*, Marcam verò Antverpiensem Godefrido Bullonio, ex Eustathio Comite Boloniensi, & Ida Godefridi Gibbosi sorore nato, attribuit: ut Lambertus Scafnaburgensis tradit. Idem Bullonius Lotharingiæ inferioris Dux anno 1089 ab eodem Imperatore creatus est, Sigeberto teste; obiitque demum Rex Hierosolymitanus anno 1100.

God. Bullonio defuncto, Henricus Comes Limburgensis (cujus in hoc Diplomate fit mentio) vacantem S. R. I. Marchionatum ad Scaldim, cum Ducatu Lothariensi, ab eodem Henrico IV obtinuit.

Henrico Limburgensi ob rebellionem capto, Ducatus & Marca Godefrido Barbato, Comiti Lovaniensi, ab eodem Henrico anno 1106 attribuuntur.

Anno 1126 God. Barbatus, Conrado Imperium ambienti adhærens, à Lothario illius æmulo utrâque dignitate privatus est, Valeramo Limburgensi, Henrici Exducis, filio substituto. Infra exstat Diploma Averbodiense, in quo hic Valeramus *Dux* & *Marchio* disertè nuncupatur.

Lothario mortuo, Conradus Imp. eidem Godefrido Barbato anno 1137 & Lotharingiam inferiorem, & Marcam Antverpiensem rursus attribuit ac confirmavit. Is utrumque Principatum ad Godefridos, Henricos, & alios suos in Brabantia Successores transmisit. Obiit autem Barbatus anno 1140, stilo Romano, in Affligemiensi Benedictinorum Abbatia, tertio lapide à Bruxella, conditus.

Marcgravius Antverpiensis habet jus gladii hodieque Herentaliæ, Liræ, & in Santhoven, & in pagis eisdem subditis. Herentaliæ subsunt 18 pagi, Liræ quinque, & Santhovio 21.

Hæc de primis Antverpiensium Marchionibus, hactenus obscura, in gratiam Urbis nostræ Antverpiensis, fusiùs enarrare visum fuit; ad *Vtelonem, Ansbertum, Arnoldum*, & alios nescio quos, à Wolfango Lazio, ejusque sequacibus confictos Marchiones, explodendos.

Videatur etiam Baro Le Roy de Marchionibus S. R. I. in Notitia Marchionatûs lib. 1. cap. 6. Additio.

CAPUT LXXIX.

BALDUINUS *Comes Aloſtanus, ejuſque frater* IVANUS *anno* 1125 *Eccleſiam & prædia varia in Herenbaldeghem dant Monaſterio Affligemienſi.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. (1) Ego BALDUINUS DE ALOST ac frater meus IWANUS, notum fieri volumus omnibus in Chriſto fidelibus, quòd divinâ ut credimus compuncti inſpiratione de peccatis noſtris, & conſiderantes quàm breves ſunt dies hominum, reddidimus Eccleſiam de HERENBALDEGHEM in manum Epiſcopi, ad opus Eccleſiæ (2) HAFFLIGEMIENSIS, pro redemptione animarum noſtrarum, & patris noſtri, parentumque noſtrorum.

DEDIMUS etiam eidem Eccleſiæ Haffligemienſi duo curtilia in Herenbaldeghem, juxta molendina jacentia, ac duos manſos terræ, qui jacent ante portam ipſius: qui manſi quoniam feodum erant LOTHEWINI de Herenbaldeghem filii Livini, mutuavimus unà cum curtilibus erga illum cum libero alodio culturæ noſtræ.

REDDIDIMUS præterea molendina de Herenbaldeghem, quæ mater noſtra pro anima patris noſtri ſæpefatæ Eccleſiæ contulerat, pro ſalute videlicet animarum noſtrarum ac parentum noſtrorum. Inſuper alodium noſtrum in TESTREPA, quod necdum alicui in feodum aſſignaveramus, eidem Eccleſiæ contulimus in omni jure libertatis & dominii, quo illud tenebamus, à teloneo ac vectigali, in omni loco dominationis noſtræ, ipſam Eccleſiam liberam facientes; ut participes efficeremur orationum Fratrum, tam vivi quàm mortui, & ut defunctis nobis facerent, quidquid uni ipſorum defuncto fieri ſolet.

UT autem hæc noſtra traditio rata & inconvulſa perpetualiter permaneat, hanc Chartam inde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione fecimus confirmari, ſubſcriptis etiam ac notatis teſtibus, quorum hæc ſunt nomina:

Willelmus de Vorſelar.
Goſelinus de * (3) Ordengem.
Folcardus de Aſca.
Albertus de * Herenbaldenghem.
Arnulfus * Kerkeſcem.
Rudolfus de Nielle, filius Fromini.
Anſelinus de Blaresfelde.
Aſcelinus (4) Amman de Bruxella, & filius ſuus Henricus.
Arnulfus ac Ingelbertus de Breda.
Henricus Vulpes.
Willelmus de Aloſt, Dapifer.
Oldeius & frater ſuus Luardus, Gandenſes.
Acta ſunt hæc (5) anno Domini MCXXV. 1125.

C A-

(1) BALDUINUS ſenior, Princeps Aloſtenſis, obiit 1130 Idibus Junii, ſepultus in Afflighem: ut in tabula illic in templo ſuſpenſa me legere memini.

(2) AFFLIGEMIUM ſive ut S. Bernardus nuncupaſſe fertur, AFFLIGENIUM, ubi genius affligitur; & ubi ſe Angelos, alibi homines inveniſſe idem dictitabat. Huic elogio conſonant ea, quæ Jac. Vitriacus Hiſt. Occid. cap. 20. & S. Th. Cantipratanus lib. 1. Apum cap. 4. & lib. 2. cap. 13. item lib. 2. vitæ S. Lutgardis cap. 20. & lib. 3. cap. 12. commemorant. Majorum ſuorum veſtigiis inſiſtentes, Viri Venerabiles, *Benedictus Haftenius*, Præpoſitus dicti Monaſterii, *Hubertus Phaleſius* Bornhemienſis & *Michaël à Porta* Wavrienſis, Priores, cum aliis novem ſociis, reformatum ſive primitivum Benedictinæ Regulæ Inſtitutum, juxta ritum Congregationis SS. Vitoni & Hildulphi apud Lotharingos, noſtrâ memoriâ excitatæ, ſunt amplexi, & expleto anni unius tyrocinio, ſolemnem profeſſionem anno 1628 die Feſto S. Lucæ, fecerunt; Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo *Jacobo Boonen*, Archiepiſcopo Mechlinienſi, præſidente, & duobus Abbatibus, S. Dionyſii prope Montes Hannoniæ, & S. Adriani apud Gerardi-montenſes, ibidem præſentibus ac laudantibus. Et erunt alii, qui ſequentur: in quo voto finio.

(3) ORDENGEM. HERENBALDENGHEM. Et KERKESCEM. Nomina ſunt trium pagorum in Comitatu Aloſtano, qui nunc vulgò dicuntur *Oirdeghem*, *Erenbodeghem*, & *Kerxken*. Paſtoratus duorum priorum pagorum hodiedum confert Archiepiſcopus Mechlinienſis quà Abbas Affligemienſis ac Decimator primarius; poſteriorem verò confert Capitulum Aloſtanum. Addit.

(4) AMMAN apud Bruxellenſes, idem eſt etiamnum, quod Prætor.

In aliis Civitatibus Belgii, qui Prætoris officio funguntur, varia habent nomina; ſic Lovanii vocatur *Villicus*, Antverpiæ *Marc-gravius*, Mechliniæ *Schultetus*, Gandavi *Baillivus*, alibi *Droſſardus*, *Prapoſitus*, *Majerus*, *Juſticiarius*, &c. Addit.

(5) Anno MCXXV. Errat itaque Meierus, qui Balduinum Gandenſem, Ivani fratrem, anno 1124 obiiſſe ſcribit.

Huic Diplomati appenſum eſt ſigillum, cum hac inſcriptione, SIGILLUM BALDUINI GANDENSIS. Ex quo liquet, Comites iſtos Aloſtanos ex GANDENSI ſeu GANDAVIA familia fuiſſe (de qua ſupra cap. 35. egimus) & nunc ALOSTANOS, nunc GANDENSES fuiſſe cognominatos.

CAPUT LXXX.

GODEFRIDUS BARBATUS, *Lotharingiæ Brabantiæque Dux, & Comes Lovaniensis, fundat Fliderbecanam, seu Vlierbecanam Benedictinorum Abbatiam, prope Lovanium anno* 1125.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego GODEFRIDUS, Dei ordinatione, Dux & Marchio Lotharingiæ, atque Comes (1) Lovaniæ, omnibus fidelibus cælestes mercari divitias.

CONSIDERANS omnem mundi gloriam, instar fluminis, raptim prætersfluere, & omnes amatores suos subitò inanes & vacuos relinquere, utile mihi fore perspexi & necessarium, ut de divitiis, divinâ mihi largiente bonitate concessis, aliqua servis Dei vivens impartirer, quæ moriens integra invenirem.

LOCUM itaque quemdam FLIDERBECA appellatum, ab omni potestate, tam mea, quàm Ecclesiæ Lovaniensis, liberum, beato Petro Haffligemiensis Ecclesiæ (sicut moris est Principibus) cum omnibus pertinentiis suis liberè tradidi; ut Abbas Haffligemiensis Cellam ibi, Dei & meâ meorumque opitulatione, exstrueret, Monachos poneret, qui die noctuque pro mea, meorumque salute, Deo supplicarent. Ut autem firma pax & concordia inter Clericos & Monachos, sicut decet, inviolabiliter perseveret, ex utraque parte inmutabiliter decretum est, ne altera pars quidquam, quod juris sit alterius partis, sibi usurpet.

ADVOCATUS verò loci erit, quicumque LOVANIÆ Comes fuerit; qui Advocatum alium pro se numquam constituet, nec de Advocatia illa aliud beneficium exiget aut recipiet, nisi devotas à fratribus orationes, & æternam à Christo remunerationem. Prætere oa omnem usum tam in silvis, quàm in pascuis, & aquis meis, fratribus libenter annui, & ut à teloneo, & omni hujusmodi exactione, in omni loco mei juris, perpetuò sint liberi.

Ut autem hæc traditio nostra firma & inconvulsa perseveret, præsentem paginam sigillo meo signavi, & idoneis testibus, quorum subscripta sunt nomina, confirmavi.

Signum Meuronis Decani. Meuronis.
S. Richesonis Scholastici.
S. Everardi.
S. Joannis & Henrici de Bierbeke.
S. Henrici de Landen.
S. Wilhelmi de Bechevoort.
S. Arnulfi de Oppenthorp. Oppendorp.

Datum est hoc LOVANIÆ anno Incarnationis, millesimo, centesimo, vicesimo quinto. Indictione III. 1125.

(1) LOVANIA feminino genere passim apud medii ævi scriptores, hodie LOVANIUM, sedes veterum Comitum Lovaniensium, habet Academiam à Joanne Brabantiæ Duce anno 1426 institutam, toto orbe celeberrimam. *Lipsium*, plura qui volet, legat.

Additio. (2) FLIDERBECA, seu *Vlierbacum*, in primis exordiis erat Præpositura, seu Prioratus ab Abbatia Affligemiensi dependens; uti hoc Diplomate memoratur. Postmodùm divisum fuit hoc Monasterium ab Affligemiensi, eâ tamen lege, ut non nisi de gremio Affligemiensi Abbas Vlierbacensis eligeretur. Dein Alexander IV Pont. Vlierbacenses ab omni subjectionis jure, quo Affligemiensibus erant obnoxii, anno 1285 absolvit, iisque proprium concessit Abbatem, qui anno 1532 usum mitræ ac Pontificalium à Clemente VII Pont. impetravit.

Sæculo XVI, sæviente in Belgio Iconoclastarum ac Geusiorum rabie, funditus eversum fuit Monasterium Vlierbecanum; quapropter Abbas & Religiosi per annos plurimos sedem fixerunt Lovanii, in Conventu Bogardorum, per Indultum Apostolicum Bogardis facientibus commutationem votorum in Regulam S. Benedicti, ibique hæserunt usque ad annum 1642 quo ad vetus domicilium redierunt. Cessit nunc locus ille Presbyteris Oratorii, hactenusque ab illis incolitur.

CAPUT LXXXI.

GODEFRIDUS BARBATUS, *Loth. Brabantiæque Dux*, (1) *Parcum, seu Vivarium ferarum, prope Lovanium, in Abbatiam Ordinis Præmonstratensis anno* 1129 *convertit.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quia nova, quæ veteribus succedunt, ipsa vetustatis facta oblivisci nos faciunt: notum volumus fieri tam præsentibus, quàm futuris, quod GODEFRIDUS Dux Lotharingiæ, idem & Marchio, & Comes, tam pro salute sua, quàm suorum, silvulam in australi parte Lovaniæ sitam, quam fossato, & vallo clausam ferali lustro deputaverat, Deo inspirante, in meliores usus volens convertere, annuentibus filiis suis Godefrido & Henrico, Fratri Gualtero Abbati Ecclesiæ B. Martini de suburbio (2) Laudunensis civitatis, & Fratribus suis secundùm Regulam B. Augustini viventibus, ad construen-

dam

dam in ea Ecclesiam, in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, perpetuò possidendam donaverit.

Hoc etiam impetrante Tietdelino villico cum Uxore sua, qui omnia quæ infra ejusdem loci ambitum possidebat, scilicet tam molendinum, quam terras adjacentes, ad opus eorumdem Fratrum, annuentibus heredibus suis, in manu Ducis reddidit, hoc interposito, quod quam diu ipse, & Uxor ejus superessent, beneficia quædam, si vellent, in usus suos retinerent, sic tamen ut post obitum utriusque, Fratres Ecclesiæ Sanctæ Mariæ nulli ex hæredibus suis, aliquid de omnibus, quæ infra prædicti loci terminum continentur, rependerent.

Hoc autem factum est assensu Domini Alexandri Leodiensis Episcopi, qui eundem locum, per Decanum suum aquæ benedictæ aspersione visitavit, & prædicto Abbati & Fratribus suis Basilicam in honore Sanctæ Dei Genitricis ibidem ædificandi licentiam dedit.

Deindè verò ut præfatus locus ab omni Parochiali jure liber esset, & Fratres qui pro salute animarum suarum ad eam convenerint in libertate filiorum, soli Deo vacarent, Canonicos S. Petri Lovaniensis Ecclesiæ, & Fratres Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, ipse Dux perpetuâ pace composuit.

Nam pro decima termini Lovaniensis Parochiæ, qui claudebatur hoc præcinctu, & pro decima omnium, quæ ibi haberentur, Ecclesiæ Lovaniensis singulis annis de suo allodio in villa, quæ dicitur *Hulsebeeck*, tres solidos & sex denarios contulit, hoc apposito, ut neque Fratres sui aliquem de Parochianis Lovaniensis Ecclesiæ, postquam inciderit lectum ægritudinis, sive aliquem de mortuis ejusdem Ecclesiæ sepeliendum acciperent, vel aliquid sibi usurparent de jure præfatæ Ecclesiæ, nisi ex consensu Præpositi, sive Canonicorum, vel Parochialis Sacerdotis, ad quos Parochiale pertinent beneficium. [Holsbeeck]

Ut autem inter utraque Monasteria charitas intemerata permaneret, Fratres Ecclesiæ S. Petri & Fratres Cœnobii S. Mariæ, hoc debitæ charitatis se vinculo invicem conjunxerunt, ut quicumque Canonicus alterius loci mortis debitum solveret, Fratres loci alterius pro illo eadem, quæ pro uno suorum Frarum tam in Vigiliis, quàm in Missarum solemniis, celebrarent officia.

Hæc autem fuit conditio inter Ducem & præfatum Abbatem S. Martini de prædicto loco, dum annuente Deo, & B. Virginis prosperantibus meritis, idem locus Conventum duodecim Canonicorum sustinere poterit, Fratres ibidem permansuri Abbatem de professione Laudunensis Ecclesiæ canonicè eligent, & postea ab obedientia Abbatis Sancti Martini erunt soluti, nisi fortè, instigante diabolo, Abbas Ecclesiæ S. Mariæ à Regulæ suæ tramite, vel consuetudine Laudunensis Cœnobii deviaverit: habebit eum Abbas Laudunensis secundùm institutionem Ordinis sui corrigere.

Post liberam verò & canonicam Abbatis sui electionem, Fratres Ecclesiæ S. Mariæ gratuitum Ducis Lovaniensis postulabunt assensum. Deinde verò Abbas electus virgam Pastoralem ab altari Ecclesiæ S. Mariæ accipiet, & à Fratribus suis Episcopo Leodiensi consecrandus præsentabitur.

Hæc itaque facta sunt Lovaniæ, & confirmata anno Incarnationis Domini MCXXIX Indictione septimâ, his, quorum nomina subscripta sunt, Testibus.

S. Sigeri Præpositi.
S. Onckini Presbyteri.
S. Magistri Rekesonis.
S. Rodulfi Capellani.
S. Regenbaldi Presbyteri.
S. Walteri Subdiaconi.
S. Everardi Subdiaconi.
S. Magistri Menisonis.
S. Henrici Castellani.
S. Arnulphi Grimbergensis.
S. Gerardi Grimbergensis.
S. Gosuini de Heverle.
S. Arnulfi Dapiferi, & fratrum suorum Wilhelmi, Walteri.
S. Reysonis.
S. Henrici.
S. Tietdelini Villici.
S. Gisleberti.
S. Ronulfi.
S. Franconis Castellani.

C A-

Additio. QUandoquidem in prima Editione Operum Miræi, fundatio Abbatiæ Parcensis fuisset omissa, & Diploma sequens Alexandri Leodiensis Episcopi non nisi mutilum referretur, visum fuit hisce secundis curis utrumque Diploma integrum hîc recensere, prout Antonius Sanderus ex Archivis Abbatiæ excerpsit, ac Descriptioni ejusdem Monasterii inseruit.

(1) PARCUM. Nomen habet ab ipsa re & usu quem ante præbuit, ut notat *Justus Lipsius*; fuit enim *Vivarium*, id est locus clausus ubi feræ vivunt & aluntur ad delectationem Principum; quæ loca Flandricè *Waranden*, Latinè *Parcos* dicimus, qualia hodiedum sunt *Bruxellis*, item *Fura*, vulgò *Ter-Vuren* prope Aulas Principum, item *Angia* juxta Palatium Ducis Arschotani.

(2) LAUDUNENSIS S. Martini Ecclesia Canonicorum secularium, anno 1121 in Regulare Ordinis Præmonstratensis Cœnobium ab ipso S. Norberto fuit conversa, donante Bartholomæo Episcopo Laudunensi. Olim extra, nunc intra muros Laudunenses sita est, obtinetque primum à Præmonstratensi locum inter Abbatias Ordinis. Abbates ejus passim sunt Commendatarii: sed conventui præest Præpositus Regularis, seu, ut Galli vocant, Magnus Prior.

PARCENSIS Abbatia primos Abbates habuit è Cœnobio S.Martini Lauduni; postmodum verò ipsa produxit Abbatiam SS. Cornelii & Cypriani juxta Ninoviam. Floret hodiedum hæc Abbatia, plurimosque diversis in locis Parochos subministrat. Subsunt eidem duæ Religiosarum Præmonstratensium Præpositturæ, una in *Ghempe*, aliàs dicta *Insula Ducissæ* in pago de Winghe altero lapide à Parco, alia verò in *Oosterhout*, Municipio Districtûs Bredani, in Diœcesi Antverpiensi.

Neque hîc prætermittendum, quod Abbas Parcensis sit Archi-Capellanus perpetuus & hereditarius Ducis Brabantiæ: quæ prærogativa ei confirmata fuit anno 1416 Diplomate Joannis IV Ducis Brabantiæ inferiùs recensendo inter Donationes Belgicas.

CAPUT LXXXII.

ALEXANDER *Episcopus Leodiensis, Parchensis Cœnobii Fundationem confirmat anno* 1131.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ALEXANDER, gratiâ Dei sanctæ Leodiensis Ecclesiæ Episcopus, quia propitiante Domino, Pontificali Cathedræ, licet indigni, præsidemus, & si omnibus in communi nostræ Dioeceseos fidelibus generalem curam debemus; illis tamen qui felici naufragio abjectâ seculari sarcinâ de mundi hujus fluctuante pelago, ad tranquillum & placidum contemplationis portum enataverunt; speciali dilectionis & sollicitudinis necessitudine obligamur, ut ex nostris eis prodesse, & aliorum erga eos liberalitatem approbare & confirmare studeamus, quatenus piâ vicissitudine de orationibus eorum, aliquod imperfectioni nostræ subsidium comparemus.

NOTUM volumus fieri, tam præsentibus quàm futuris, quòd GODEFRIDUS Dux Lotharingiæ, idem & Marchio & Comes, tam pro salute sua quam suorum, silvulam in Australi parte Lovaniæ sitam, quam fossato & vallo clausam ferali lustro deputaverat, Deo inspirante, in meliores usus volens convertere, annuentibus filiis suis GODEFRIDO & HENRICO, Fratri Waltero, Abbati Ecclesiæ beati Martini de suburbanio Laudunensis civitatis, & Fratribus suis, secundùm Regulam Beati Augustini viventibus ad construendam in ea Ecclesiam in honorem Dei Genetricis Mariæ, perpetuò possidendam donaverit:

ET postea, nube seditionis & discordiæ inter nos & ipsum non bene habitæ, in beatæ pacis serenitate, propitiante Deo, conversâ, ut eundem locum in conspectu plurimorum, qui pro reformanda pace convenerant, liberum faceremus, & eandem libertatem sigilli nostri Impressione confirmaremus, piâ petitione suâ apud nos obtinuerit.

Hoc etiam donum Ducis factum est impetrante Tyetdelino villico, cum uxore sua, qui omnia, quæ infra ejusdem loci ambitum possidebat, scilicet tam molendinum, quam terras adjacentes, ad opus eorundem Fratrum, annuentibus heredibus suis, in manu Ducis reddidit.

Hoc interposito, quod quamdiu ipse & uxor ejus superessent, beneficia quædam, si vellent, in usus suos retinerent.

Sic tamen ut post obitum utriusque, Fratres Ecclesiæ S. Mariæ, nulli ex heredibus suis, aliquid de omnibus quæ infra prædicti loci terminum continentur, responderent. Deinde verò ut præfatus locus ab omni Parochiali jure liber esset, & Fratres qui pro salute animarum suarum ad eum convenerint, in libertate filiorum soli Deo vacarent, Canonicos S. Petri Lovaniensis Ecclesiæ, & Fratres Ecclesiæ S. Mariæ, ipse Dux perpetuâ pace composuit: nam pro decima termini Lovaniensis Parochiæ, qui claudebatur hoc præcinctu, & pro decima omnium qui ibi haberentur, Ecclesiæ Lovan. singulis annis de suo allodio in villa quæ dicitur Hulsebeck tres solidos & VI. den. contulit.

Hoc apposito, ut neque Abbas, neque Lovanienses sui aliquem de Parochianis Lovaniensis Ecclesiæ postquam incideret lectum ægritudinis, vel aliquem de mortuis ejusdem Ecclesiæ, sepeliendum acciperent, vel aliquid sibi usurparent de jure præfatæ Ecclesiæ, nisi ex consensu Præpositi sive Canonicorum vel Parochialis Sacerdotis, ad quos pertinet Parochiale beneficium.

Hæc autem fuit conditio inter Ducem, & præfatum Abbatem S. Martini de prædicto loco: dum annuente Deo & B. Virginis prosperantibus meritis idem locus Conventum XII Canonicorum sustinere poterit, Fratres ibidem permansuri, Abbatem de Professione Laudunensis Ecclesiæ canonicè eligent, & postea ab obedientia Abbatis S. Martini erunt soluti, nisi si fortè instigante diabolo Abbas vel Fratres Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, à Regulæ suæ tramite, vel consuetudine Laudunensis Cœnobii deviaverint, habebit eos Abbas Laudunensis secundùm institutionem Ordinis sui corrigere.

Deinde verò Abbas electus Virgam Pastoralem ab Altari Ecclesiæ S. Mariæ accipiet, & à Fratribus suis Episcopo Leodiensi consecrandus præsentabitur.

Hanc igitur, quam prælibavimus electionem, in eodem loco auctoritate Sanctorum Patrum, liberè & canonicè fieri concedimus. Sepeliri in cœmeterio præmemoratæ Ecclesiæ tam suæ Congregationis, quàm familiæ inibi servientis defunctos, concedimus; alium verò nullum nisi consensu suorum Parochialium Sacerdotum; oleum quoque infirmorum ab Ecclesia nostræ Sedis, eisdem Fratribus diligenter impendatur.

Præterea verò prædictam Ecclesiam & Abbatem, tam nostrâ quàm ministrorum nostrorum, qualicumque exactione prorsus absolvimus. Generali tantùm Synodo, si à nobis monitus fuerit, ne interesse negligat.

Orationes autem devotas quas potissimum amamus, & filialem obedientiam nobis retinemus. Ut autem ea quæ prædicta sunt, rata & incommutabilia permaneant, sigilli nostri impressione, & testium subscriptione corroboramus, atque anathematis sententiâ quemvis harum Institutionum violatorem condemnamus.

Hæc itaque facta sunt Leodii, & confirmata

ta anno Dominicæ Incarnationis MCXXXI Indictione VIII.

Signum Godefridi Balthensis Episcopi & Stepponis Arehidiaconi & Præpositi.

S. Ceterorum Archidiaconorum, Johannis, Liberti, Dodonis, Reineri, Alexandri, & Reinzonis Decani, Reinbaldi, Arnulfi Custodis, & Sygeri Præpositi, & Ovekini Presbyteri, & Magistri Rikezonis, & Legenbaldi Presbyteri, & Walteri Subdiaconi, & Everardi Subdiaconi, & Godefridi Ducis filii, & Comitum Godefridi Namurcensis, Arnulphi Lonensis, Lamberti Montaucensis, Gisleberti Duracensis, & Franconis Castellani, Arnulfi Dapiferi, & Reinzonis de Tild, Goscewini de Heverle, Willelmi de Dulg, Vingeri Advocati & Reineri, Guederici de Prato, & Arnulphi de Rode.

CAPUT LXXXIII.

ALEXANDER *Episcopus Leodiensis, Innocentii II. Papæ mandato, anno* 1131 *è terra elevat corpus S. Gerardi Abbatis Broniensis & illius Monasterii prædia recenset.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Omnibus Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis & benevolis pax perennis, amen.

ACCENSO in terris super candelabrum caritatis igniculo, multi renuntiaverunt & suis & seculo. Quorum de numero, Deus Sanctissimi & Venerabilis Patris nostri (1) GERARDI nobis argumento multiplici declaravit gratiam, cujus ego ALEXANDER Dei gratiâ Leodicensis Episcopus, licet indignus, divinâ revelatione & præceptis salutaribus monitus, nec non mandatis Domini Papæ INNOCENTII, qui & Gregorius, delegatus, hac in die recolo sacrosancti corporis attollentiam.

NOTUM sit igitur omnibus tam futuris quàm præsentibus, quòd cùm super hoc adfuissemus BRONII, plures ibi nobiliores adfuerunt: inter quos maximè GODEFRIDUS, (2) Namuci Comes illustris, ad honorem Dei sanctique sui militis GERARDI festinus accessit: catervatimque affinibus & remotis plebibus, nobisque tantæ solemnitati reverenter, ut decebat, assistentibus, rite celebratis omnibus, venerabilis Godefridus memoratus Comes, devotione ductus, & monitus divinitus in nostra præsentia, & adsistentium, sancto Dei Confessori Gerardo, suisque cultoribus hanc professus est devotus venerationis expeditionem, & pro se suisque posteris, ne ultra transgrederentur fidejussoriam & sacramenti dignioris obligavit cautionem.

COGNOVIT igitur & professus est liberam & absolutam fundi & fundatoris possessionem, in quam de jure nullam habet, vel umquam habuit exactionem, nulliusque hominii de terra sive prædio, aut rei familiaris respectionem, nec in Abbatia jam facta de fundo aliquam affectat advocationem, sed ex mandato Regali, si vocatus fuerit ab Abbate, pro solo suæ interventionis ad Deum commercio, sibi debere defensionem....

NOS verò, non sine ipsius Comitis consilio, dignum duximus Ecclesiæ libertatem, & sui tenoris potestatem subnotare, in qua nullus sibi participium vindicabit, & tam nostro quàm Comitis sigillo confirmare.

HÆC sunt igitur quæ legitimè & integerrimè possidet Ecclesia, in quibus Abbas ejusdem habet omnia jura, judiciariasque potestates, in villa *Bronii* & in S. Laurentio, & in parte quam habet in *Bossieres*, in *Maisons*, in parte quam habet in *Libinas*, in *Laviis*, in *Montinio*, in *Fen* deserta, in *Soseis*, in *Wastin*, in *Merderech*, in parte quam habet in *Hermeton*, in *Bobordes*, & *Boberdeles*, in *Mansionile*, in *Halliras*, in *Romereiras*, in *Mannilia*..

IN his locis & vicis possidet Ecclesia bannum & justitiam, impetum & burinam, ictum & sanguinem reperturam, fora, telonca, Vicecomitatum .... tam liberè possidet, sicuti fundator ipsius loci, Nobili prosapiâ exortus, beatus GERARDUS, cujus corpus hodie in Mausoleum recondidimus, ante conversionem suam possederat, à solo Deo & prædecessoribus.

NEC sit qui præsumat injicere manus in servos & ancillas & facultates Ecclesiæ, vel in homines cohabitantes in omni ipsius possessione.

VICECOMITATUM & ceteras obsecutrices dignitates Abbas, cum voluerit, erogare poterit....

UT hæc igitur, quæ prælibavimus, & valeant in æternum, tam nostri quàm Comitis GODEFRIDI Namucensis impressione sigilli fecimus confirmari, cum subscriptione Nobilium virorum Clericorum & Laicorum, qui rei celebratæ testes adfuerunt.

Joannes Archidiaconus & S. Crucis Præpositus.

Hermannus Archidiaconus & Nivellensis Præpositus.

Arnul-

(1) GERARDUS. Abbas & fundator Monasterii Broniensis, quod nunc S. Gerardi dicitur, in Diœcesi Namurcensi; vide supra cap. 30 & 33.

(2) NAMUCUM. Hodie Namurcum. Vide supra capite 30. in Notis.

Arnulphus Comes Loſſenſis.
Ebalus de Florinis.
Gualterus de Barz.

De familia Beati Lamberti.

Theodericus de Ponten.
Wedericus de Prato.
Lambertus & Arnulphus de Hoio.
Albricus de Vileir, & alii multi.

Ex parte Comitis.

Henricus filius ejus cognovit & probavit.

Ingobrandus de Ham, & Ingobrandus filius ejus.
Rigoldus de Wange.
Theoderieus de Fengiet. Gualterus filius ejus.
Libertus de Boſſieris.
(3) Manaſſes adoleſcens de (4) Hirſe, & alii Hirg. quàm plures.

ACTUM (5) Bronii feliciter, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo XXXI, In- 1131. dictione IX, Concurrente III, Epactâ XX, Imperante LOTHARIO, anno regni ejus ſexto, Epiſcopatûs noſtri tertio. Duret in ſeculorum ſecula, amen.

(3) MANASSES. Iſte fuit poſtea Conneſtabilis regni Hieroſolymitani: de quo Tyrus lib. 12. cap. 1. Ivit in Terram Sanctam anno 1140. Chapeav. Tom. 2. p. 102.

(4) HIRGE. Eſt vicus agri Namurcenſis aut Leodicenſis.

(5) BRONIUM. Idem quod Monaſterium S. Gerardi.

CAPUT LXXXIV.

INNOCENTIUS II. *Papa, Eccleſiam majoris Xenodochii, quod S. Joannis dicitur, in Urbe Bruxellenſi, anno* 1131 *conſecrat. Diploma Pontificium, anno* 1497 *ſe vidiſſe teſtatur* HENRICUS BERGIUS *Cameracenſis Epiſcopus.*

HENRICUS de Bergis, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Cameracenſis univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, pariter & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.

QUONIAM pium eſt & rationi congruum, veritati teſtimonium perhibere, in iis præſertim, per quæ ſalus procuratur animarum, devotioque creſcit in populo, & cultus augetur divinus, hinc Univerſitati veſtræ notum facimus, ac tenore præſentium fideliter atteſtamur, quòd litteras fel. record. INNOCENTII Papæ, conſecrationis, dedicationis & Indulgentiarum Eccleſiæ S. Joannis Bruxellenſis, noſtræ Diœceſis, cum ſigillo oblongo, in cera viridi impendente impreſſo ſigillatas, nobis per dilectos nobis in Chriſto Mamburnos & Gubernatores hoſpitalis dictæ Eccleſiæ S. Joannis præſentatas, nos cum ea, quâ decuit, reverentiâ recepimus, ejuſmodi ſub tenore.

1131. ANNO ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo triceſimo primo, Idibus Octobris, regnante LODOVICO ſeniore in Francia, Dominus Papa INNOCENTIUS Eccleſiam iſtam dedicat, in honore B. Mariæ Virginis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & B. Stephani Protomartyris, & beatorum Confeſſorum pariterque Pontificum Medardi & Gildardi. Quo facto, hujus dedicationis diem tot annis agi ſolemnem à populo celebri feſtivitate inſtituit, quot & peccatorum veniam ſe adepturos, & Domini gratiam promerituros incunctanter ſe à Sede Apoſtolica, ex auctoritate B. Petri, ſcirent, qui ad hunc diem ſingulis annis convenire, hunc ſolenniter peragere, hunc diem cum ſpirituali jucunditate, cum cordis puritate & animi pia devotione, ex juſſu & auctoritate Apoſtolica celebrarent.

EXTERARUM autem regionum plebes ne peractæ benedictionis, & tantæ gratiæ, & tanti muneris haberentur expertes, trium menſium tempus dominus Papa indicit, ut locum veniæ, donum gratiæ, in hac domo orationis perciperet, quicumque huc hoc tempore, cum devoti cordis ſacrificio, adveniret, & pœnitentiæ munus Deo ſatisfaciens offerret, & condignâ ſatisfactione à præteritis reſipiſceret. Huic autem dedicationi interfuerunt,

HUGO Rotomagenſis Archiepiſcopus, Oſtienſis Epiſcopus.
MATTHEUS Albanenſis Epiſcopus.
ALBERUS Virdunenſis Epiſcopus.
GAUFRIDUS Catalaunenſis Epiſcopus.
ALUISUS Atrebatenſis Epiſcopus.

Poſt quarum quidem litterarum præſentationem & receptionem, nobis & per nos, ut præmittitur, factas, fuimus per præfatos Mamburnos & Gubernatores dicti Hoſpitalis, debita cum inſtantia, requiſiti, quatenus ipſas præinſertas litteras auctoritate noſtrâ ordinariâ tranſumptari, exemplari & collationari, ac in publicam tranſumpti formam redigi facere, nec non aliquas Indulgentias eis concedere dignaremur.

NOS HENRICUS Epiſcopus præfatus, attendentes poſtulationem ejuſmodi fore juſtam & rationi conſonam, quodque juſta petentibus non eſt denegandus aſſenſus, idcirco dictâ noſtrâ ordinariâ auctoritate, litteras iſtas præinſertas, in præſentia Reverendi in Chriſto Patris Domini GODEFRIDI, eadem gratiâ Epiſcopi Dagnenſis, noſtri Suffraganei, ac nobilis viri Domini ROLANDI DE MOL militis, *Reineri de Atrio* Canonici Anderlechtenſis, *Servatii de Kerboven* Presbyteri, Leodicenſis

censis Diœcesis, nostri Capellani & *Francisci Lupart* Clerici ac nostri Secretarii, Rectoris parochialis Ecclesiæ de Celles, nostræ Diœcesis, vidimus, legimus atque tenuimus. Et quia illas sanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carere reperimus, eas ratas & gratas habentes & approbantes, ipsas per nostrum Secretarium inibi, in prælibatorum dominorum conspectu, exemplari, collationari ac transumptari, & in publicam transumpti formam redigi fecimus....

In quorum & omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes litteras fieri & per Secretarium nostrum subscribi, sigillique Cameræ nostræ jussimus appensione communiri.

Datum Bruxellæ nostræ Diœcesis, XXII mensis Novembris, anno Domini MCCCCXCVII. 1497.

INNOCENTII II. Papæ Diploma jam recitatum hodieque asservatur Bruxellis, in S. Joannis Xenodochio, cum Pontificio sigillo appenso. Quæ porrò fuerit caussa adventûs Pontificis in Belgicam nostram, paucis edisseram.

Anno 1130 HONORIO Papæ defuncto, INNOCENTIUS II. legitimè electus successerat, aliis Petrum Leonis in schismate eligentibus. Innocentius Petri potentiam veritus, mari se commisit, & in Galliam appulit. Noviomo, Cameraco, aliisque urbibus lustratis, anno 1131 mense Martio Leodium ad Lotharium Imp. se contulit. Inde in BRABANTIAM hoc ipso anno venit, & Idibus Octobris Templum majoris Xenodochii, quod S. Joannis nuncupatur, BRUXELLIS solemni ritu consecravit.

REMIS postea Concilium habuit, cui S. NORBERTUS & S. BERNARDUS interfuerunt: ac demum in Italiam rediit, iisdem viris sanctis, cum Imp. Lothario, comitantibus.

Additio. In Nosocomio Bruxellensi olim utriusque sexûs homines, *Fratres* & *Sorores* dicti, infirmis subservientes, certas à Joanne Cameracensium Episcopo vitæ leges, quas sequerentur, acceperunt anno 1220. Nunc solę Sorores ægris ministrant. Porrò Templum S. Joannis, de quo in Diplomate, quod antiquissimum esse dicitur totius Urbis Bruxellensis, subest Rectori & Æditius secularibus: Religiosæ verò non nisi Chorum suis usibus tenent.

CAPUT LXXXV.

LOTHARIUS III. *Imp. jura ac Privilegia Ecclesiæ S. Servatii Trajectensis ad Mosam anno* 1132 *confirmat.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego LOTHARIUS hujus nominis Rex Romanorum tertius. Notum sit omnibus tam posteris quàm præsentibus, quòd secundùm privilegia Antecessorum nostrorum, TRAJECTENSI Ecclesiæ beati SERVATII quamdam legem & Justitiam renovavimus, quam antea trecentis annis, & eo ampliùs in quiete & silentio tenuerat, & eam assensu & favore ALEXANDRI Leodiensis Episcopi, confirmavimus, ad destruendam controversiam, quam Præpositus & Fratres de S. MARIA Trajecti, in contradictione ejusdem legis, suscitaverant.

EST autem ipsa lex & justitia talis, quòd Ecclesia parochiæ S. SERVATII sola in Trajectensi urbe habet decimas & terminum: & omnes, de quacumque regione ad manendum ibi confluxerint, præter familiam S. Mariæ, sanctique Lamberti, ad justitiam Regis pertinent, & in parochia S. Servatii baptizari & sepeliri debent.

ET consuetudo est, longo usu in habitum conversa, ut Presbyter parochiæ S. Servatii, & Presbyter parochiæ S. Mariæ, præsidente Archidiacono, communiter habeant Synodum in Ecclesia S. Mariæ: ita ut Presbyter parochiæ S. Servatii appellet suos, videlicet omnes pertinentes ad justitiam Regis, ubicunque maneant in eadem urbe, & culpas eorum synodali lege corrigat.

QUOD si quis hanc justitiam ulteriùs infringere tentaverit, offensam Dei & nostram & successorum nostrorum, Regali potestate fungentium, incurrere merebitur: quia dignum est, ut quod tam libera Ecclesia, regno attinens, tanto tempore obtinuit, nostro Regali banno stabile & inconvulsum permaneat.

ACTUM est hoc Aquisgrani, in Paschali Curia, anno ab Incarnatione Domini MCXXXII. Indictione X, regnante LOTHARIO hujus nominis Rege Tertio, ALEXANDRO Episcopo Leodii existente.

Hujus rei testes fuerunt.

Wilhelmus Prænestinus Episcopus Cardinalis.
Matthæus Albanensis Episcopus Cardinalis.
Joannes de Crema Presbyter Cardinalis.
Wido Diaconus Cardinalis.
Albero Treverensis Archiepiscopus.
Stephanus Metensis Episcopus.
Lietardus Cameracensis Episcopus.

De Principibus.

Dux *Waleramus*. Dux (1) *Simon*.
Comes *Arnulphus* de Los.

Gosuinus

NE quis miretur hìc, inter testes, aliquot S. R. E. Cardinales nominari, moneo Diploma istud anno 1132 scriptum, quo INNOCENTIUS II Papa, à Petro Leonis Antipapa pulsus, in Gallia cum multis Cardinalibus & Episcopis agebat, auxilium à Lothario Rege
1131. postulans: qui anno sequenti Innocentium armatâ manu restituit, & in Sede Pontificia collocavit.

LOTHARII porrò Privilegium jam recitatum MAXIMILIANUS I. Imp. confirmavit, tabulis anno 1517 die 18 Decembris Hagenoæ datis.

(1) SIMON Lotharingiæ Mosellanæ fortè: is tamen dicitur obiisse anno 1129.

* Fauc-que ont. * Et Oz-lem.

Gosuinus de Falcomonte. *
Gerardus Hostade, *

De Fratribus Ecclesiæ.

Joannes Decanus. Willo Camerarius.
Winandus Custos. Henricus Cantor.
Reinerus Scholasticus.

De Ministris.

Godefridus. Christianus. Walterus.
Signum Domini LOTHARII invictissimi Romanorum Regis Tertii.
EGO ANSELMUS, ad vicem ADELBERTI Moguntini Archiepiscopi, Archi-Cancellarii, recognovi.

CAPUT LXXXVI.

In Grimbergana Ecclesia (quæ primò Canonicorum Ordinis S. Augustini, post Monachorum fuit Ordinis S. Benedicti) S. NORBERTUS Instituti Præmonstratensis Canonicos anno 1128 collocavit: id LIETHARDUS Episcopus Cameracensis anno 1132 probavit, & Privilegiis firmavit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LIETHARDUS Dei gratiâ Cameracensium Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Divinâ attestante Scripturâ, quæ ait: *Ante mortem tuam benefac: quoniam non est apud inferos invenire cibum*: ad bene agendum invitamur: providendum itaque nobis est, ne de nostra tarditate post mortem abjudicemur.

Ecclesiam igitur (1) GRIMBERGENSEM, in honore S. Dei Genitricis Mariæ, & S. Petri Apostolorum Principis...... sitam, exaltare & nobilitare decrevimus: & qualiter ad nos à Prædecessoribus nostris emancipata pervenerit, subnotare censuimus. Cum enim præfatam Ecclesiam * (2) GUALTERUS quidam Nobilis, quia in alodio suo sita erat, teneret, Dominus ODO, Prædecessor noster, petitione ipsius Gualteri, & redditione, eamdem Ecclesiam ab omni laica manu, & exactione aliqua & debitis obsoniis, ad usum *Canonicorum*, secundùm Regulam B. Augustini viventium, primò emancipavit.

* Obiit ann. 1131.

SUCCEDENTIBUS verò temporibus, cum illi nihil profecissent, & penitus Ecclesiam in nihilum redactam reliquissent, iterum petitione ejusdem prædicti Gualteri, Monachorum Ordinem sub eadem libertate ibidem imposuit. Sed & illi persecutiones malefactorum, & paupertatem sustinere non valentes, iterum desolatam reliquerunt.

NOVISSIME verò defuncto Gualtero, heredes ejus, GERARDUS videlicet * & (3) ARNULPHUS, quia patris & matris & parentum eorum ibidem ossa requiescebant, desolationem Ecclesiæ non ferentes, petierunt à Domino NORBERTO, viro spectabilis religionis, per legatum suum hominem quemdam ALVARICUM nomine, ut suæ religionis Fratres in præfata Ecclesia poneret.

* Dracken-bloedt.

IPSE verò tandem petitionibus eorum acquievit, & Fratres ibidem impositi, sub tutela Abbatis & Fratrum PRÆMONSTRATÆ Ecclesiæ, per aliquot tempus commorantes, & de die in diem, adjutrice gratiâ, in melius pro sua paupertate & proposito proficientes, à nobis, & Abbatem & præfatam libertatem innovari petierunt. Nos verò justis eorum petitionibus annuimus: sic videlicet ut libera esset à servitio, à ceterarum consuetudine Ecclesiarum, ab omni prorsus exactione Episcopi, Archidiaconi, & Decani.

HIS autem Ecclesiæ concessis, Ecclesiæ Cameracensi hoc solum de illa habendum retinui, Ordinationem Fratrum, & filialem loci subjectio-

(1) GRIMBERGA insigne Municipium prope Vilvordiam, ex antiquioribus Brabantiæ Baronatibus, à Bertholdis transiit ad Nassovios; nunc indivisim possidetur à Familiis Nassoviâ ac Bergicâ. Est illic Castrum insigne ac vetustum dictæ familiæ Bergicæ, quod anno 1625 Comitatûs titulo, Principatûs verò anno 1686 à Rege Hispan. decoratum fuit. Sunt & alii Vice-Comites Grimbergenses.

Additio.

Ceterum Abbatia SS. Petri & Pauli Grimbergensis suam ab ipso S. Norberto traxit originem, uti patet ex Diplomate memorato. Inino junctum illi erat aliud Monasterium Virginum Instituti ejusdem, uti per totum Ordinem Præmonstratensem constat ex ipsa S. Norberti dispositione fuisse constitutum; sed illud postea translatum in locum dictum *Novum Sartum* Parochiæ de Meys, paulò post desiit. Floret hodiedum Abbatia Grimbergana, cujus Abbates ab anno 1524 jus mitræ & Pontificalium Româ impetrarunt.

(2) GUALTERUS BERTOLDUS, Grimbergæ & Mechliniæ Toparcha (cujus & supra cap. 67. facta est mentio) filios habuit GERARDUM, ARNULPHUM, & ALVARICUM: ut ex recitato Diplomate colligi datur.

Ergo hinc constat Walterum, Gerardi, Arnulphi & Alverici Patrem ante annum 1131 obiisse, adeoque non interfuisse prælio Grimbergensi anno 1147, sed tantùm ejus tres filios: ex quibus Gerardus dictus *Draeckenbloedt* tunc cecidit.

(3) ARNULPHUS, sive Arnoldus, fuit ut puto captus à Brabantis in eodem prælio Grimbergano, & juxta Dinterum & alios, paucis diebus post obiit: quod ultimum mihi non probatur.

BARTOLDORUM porrò familia olim præpotens fuit, & quæ varia olim bella cum Brabantiæ Ducibus gessit: ut Divæus, Haræus, & alii fusè narrant. Huic familiæ originem ac dotationem debet non solum Grimbergana Ordinis Præmonstratensis Abbatia, sed & Locus S. BERNARDI, illustris Cisterciensium Abbatia ad Scaldim secundo lapide ab Antverpia, & Mechliniense Franciscanorum Monasterium anno 1231 à Joanne Berthout, qui anno 1243 die 10 Aprilis obiit, ut mihi scripsit P. Guil. Le Mire Mechliniâ anno 1627.

jectionem. Et si quem, secundùm ordinem & tenorem Præmonstratæ Ecclesiæ, à qua descendit religio, Abbatem canonicè elegerint, vel ejusdem Præpositum, Ego & Successores mei sacrent, vel ubi petitione Fratrum, & necessitate idoneâ cogente eum sacrari permiserint: si quid etiam in Conciliis, in Synodo, de jure & negotiis, & utilitatibus Ecclesiasticis tractare contigerit Episcopum, de quiete sua Abbas evocetur ad ejus dirigendum consilium.

Ipsemet verò Abbas parochiam cuilibet Sacerdoti boni testimonii committat, quem Episcopo per se, vel unum de suis Fratribus ad suscipiendam populi curam præsentet. Qui si peccaverit, vel Fratribus in aliquo molestus fuerit, sicut ab Episcopo vel ministro ejus, sic ab Abbate removeatur vel corripiatur.

Concedo etiam ut si inbannitur terra, remotis excommunicatis, hæc cantet Ecclesia, clausis januis. Interdico autem, ne quemquam à prædicto Ecclesiæ Claustro, sine permissione Abbatis, & assensu totius Congregationis liceat discedere, discedentem verò nullus audeat recipere.

Bona etiam & possessiones, quas justè & legitimè prædicta Ecclesia possidet, ad usus Canonicorum Regularium ibidem Deo servientium, præsentis Scripti paginâ confirmamus: Altare videlicet de (a) *Wamblinis* cum appendiciis suis, (b) *Barckehem*, (c) *Radelegim* & (d) *Ramesdum:* Altare de (e) *Meyse*, cum appendiciis suis (f) *Opehem* & (g) *Rode*, Altare de (h) *Strombeke*, & decem & octo mansos terræ. Ex quibus prædictus *Gualterus* sex dedit, *Gerardus* filius unum, *Alvericus* tertius filius suus.... *Reinerus* duos; & quod superest, antiquitus possedit Ecclesia. Quæcumque præterea justè adipisci poterit, firma & illibata illi conserventur. Ad arcendas igitur quorumlibet importunitates, datâ conservatoribus pace, in prævaricatores, quoad resipuerint, excommunicationis sententiam proferimus, atque Canonicâ subsignatione, nostrâque subimaginatione hujus nostri Decreti paginam confirmamus.

(a) Wemme. (b) Berchem. (c) Re'eghem (d) Ramsdonck. (e) Meys. (f) Opheim. (g) Nieuwen-rode. (h) Strombeeck: Pagi vel Vici, ubi Pastores sunt Religiosi Gimbergenses.

Signum mei ipsius Liethardi Episcopi.

S. Joannis, Theoderici, Alardi, Theoderici, Gerardi, Archidiaconorum.

S. * Elebaldi Præpositi, Gildardi Decani, Rothberti Cantoris. Guidonis, Hugonis, Werimbaldi, Lamberti, Adam, Bartholomæi, Canonicorum.

* Alii Elebaldi.

Actum est hoc Cameraci, anno Incarnationis Domini millesimo centesimo tricesimo secundo, Indictione decimâ. Ego Werimbaldus Cancellarius scripsi & recognovi.... 1132.

CAPUT LXXXVII.

Burchardus *Cameracensis Episcopus Tungerloënsem Ecclesiam libertate donat, & Canonicos Regulares Ordinis Præmonstratensis in ea collocat, S. Bernardo Claræ Vallis Abbate petente, anno* 1133.

In nomine sanctæ Trinitatis & individuæ Unitatis. Notum sit tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Desiderium, quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impartiri suffragium.

Ego itaque (1) Burchardus Cameracensium Episcopus petitionem religiosorum virorum, (2) Waltmanni videlicet Antverpiensium Abbatis, & (3) Bernardi Claravallensis, approbandam æstimavi, supplicantium, ut Ecclesiam de Tongerlo libertate donarem, quatenus in ea Fratres Præmonstratensis Ordinis, sub Regula B. Augustini degentes, liberè & quietè Deo famulari valeant. Quam petitionem bonam judicans, ideoque benignè exaudiens, prædictam Ecclesiam Beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, ab omni exactione, debitisque obsoniis, ad sustentandos Canonicos, in ea Deo sanctæque ejus Genitrici servientes, liberam facio.

Deinde, ut canonicum & justum est, libens constituo, ut in statuendo Abbate sanior pars Conventûs liberam potestatem obtineat; electus vero Cameracensi Episcopo præsentetur

(1) Burchardum Cameracensem Episcopum anno 1130 obiisse, tradit Dodechinus in Chronico, & Waterlosius Burchardo coætaneus (vixit enim Waterlosius temporibus Burchardi, ab eodem Subdiaconus ordinatus; ut ipsemet ait, teste Gomicurtio.) Alii volunt eum usque ad annum 1133 vixisse: quo anno & Diploma istud est conscriptum. quod hodieque integrum Tungerloæ adservatur. Ex quo effici videtur, (si tamen non sit fictitium Diploma) duos in schismate Episcopos Cameracenses, Burchardum & Liétardum (cujus posterioris aliquot Diplomata paulò antè produximus) istis temporibus exstitisse. Quid mirum? Cum & duo de Pontificatu Romano, Innocentius II, & Petrus Leonis, & totidem de Imperio, Lotharius & Conradus, tunc contenderent. si Conrado Burchardus, Lothario autem adhæsit Lietardus: ut ex Diplomate liquet quod capite 89 referemus.

(2) Waltmannus fuit primus Abbas Monasterii S. Michaëlis in urbe Antverpiensi: cujus ibidem tumulus hodieque visitur.

(3) S. Bernardus Abbas Claræ Vallis non solùm Ordinis sui Cisterciensis, sed & Præmonstratensis eximius propagator fuit. Testis esto locuples Abbatia Tungerloensis. quæ in mediis Campaniæ nostræ ericetis sita, reliquas omnes Brabantiæ Abbatias ædificiorum amplitudine atque elegantia superat. Fun-

tur, ut ab eo sine ulla contradictione, vel cujuslibet personæ aliqua exactione, consecratus, in parochia sua jus Synodale liberè obtineat.

Fratribus autem ejusdem loci, auctoritate Dei & meâ, prohibeo, ne post factam obedientiam, aliquid proprium, secundùm communis vitæ professionem, liceat habere, neque sine ejusdem Abbatis licentia, & assensu Congregationis, discedere. Si verò per inobedientiam aliquis discesserit, & à qualibet Ecclesia vel persona ignoranter, vel scienter receptus fuerit, postquam Abbatis querimonia quocumque modo retentori innotuerit, nisi eum sine dilatione dimiserit, sit retentor, cum retento in sententia excommunicationis. Si autem, clausis quoque januis, hæc cantet Ecclesia, Abbas quoque ad Synodum non cogatur, nisi sigillatis Episcopi litteris fuerit evocatus.

Quid autem hæc Ecclesia possessionum habeat, huic Chartæ inserere necessarium judicavimus: duas partes decimæ ejusdem Ecclesiæ, & Dominicaturam, videlicet quadraginta bonarios cum molendino uno: terram in eadem parochia solventem annuatim XIX sextaria brasii, cum decem vasculis hordei: terram insuper ibidem solventem XII solidos, & denarium unum, cum ceteris terræ debitis, & manso uno, solvente manipulum quartum: & insuper mansum unum, *Wimple* mansum solventem V solidos, cum suis debitis: *Vele* terram solventem III solidos & dimidium, cum reliquis debitis.

Quicumque autem ista infringere aut auferre, vel huic nostræ Paginæ, sigillo nostro signatæ, contraire præsumpserit, in extremo examine, cruciandus æternaliter diabolo tradatur. Pax igitur & benedictio conservatores protegat; dissipatores verò ultio ignis æterni cum diabolo feriat.

Ut autem hoc ratum omni tempore habeatur atque à nullo præsumptore maligno violetur, quoscumque dissipatores hujus mei beneficii, à gremio matris Ecclesiæ ejectos publicè excommunicavi, nisi ad emendationem & satisfactionem venerint.

Signum mei ipsius Burchardi Episcopi.
S. Joannis Archidiaconi.
S. Theoderici Archidiaconi.
S. Rudolphi Archidiaconi.
S. (4) Parvini Abbatis S. Sepulcri.
S. (5) Walteri Abbatis S. Auberti.
S. Hugonis Decani.
S. Eustathii Scholastici.
S. Waltmanni Antwerpiensis.
S. Bernardi Clarevallensis.

Acta sunt hæc Cameraci anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo XXXIII, 1133.
regnante (6) * Conrado semper Augusto. * Lothario. Hinc colligo fictitium esse Diploma

dum porrò Tungerloensem, ad Monasterium excitandum, dono dedit Giselbertus, vir dives, qui acceptis à Burchardo Episcopo litteris, Præmonstratum ad Hugonem Abbatem se contulit, & Sodales ad fundandum Cœnobium petiit atque impetravit: ut in Ms. Chronico Tungerloensi legitur.

Capelle-Kercke. (4) Parvinus fuit Abbas Monasterii S. Sepulcri in Urbe Cameracensi; cui alodium suum & Capellam extra muros veteres Urbis Bruxellensis, anno 1136, dono dedit Godefridus Barbatus, Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux. Ex eâ Capellâ postmodum facta est Ecclesia Parochialis, cognomento Capellensis, quæ nunc Urbi Bruxellensi est inclusa.

(5) Walterus fuit Abbas Monasterii S. Auberti, Patroni nostri, quod est Canonicorum Regularium in Urbe Cameracensi.

(6) Conradus. Cùm anno 1125. Henricus V. Imp. Ultrajecti obiisset, Lotharius Dux Saxonum, Everardo & Romano Legatis Apostolicis procurantibus, à Germaniæ Episcopis ac proceribus eodem anno est suffectus, & Idibus Septembris Aquisgrani coronatus: ut Anselmus Gemblacensis in Chronico narrat.

Lothario ad Imperium evecto, Conradus (cujus in hoc Diplomate fit mentio) Frederici Suevorum Ducis, ex Agnete Henrici V. Imp. filia, filius se objecit, à nonnullis Germaniæ proceribus Imperator salutatus. Lothario sub finem anni 1137 defuncto, Conradus pacificè Imperium obtinuit, Aquisgrani in Quadragesima anno 1138 coronatus.

CAPUT LXXXVIII.

Godefridus Barbatus, *Loth. & Brab. Dux, anno* 1133 *fundat Bigardiam majorem, quæ est Abbatia Monialium Benedictinarum, prope Bruxellas.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Godefridus, divinâ miseratione, Dux & Marchio Lotharingiæ, & Comes Lovanii, omnibus tam præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Admonet nos Scripturæ divinæ pagina, dicens: *Bene fac justo, & invenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè à Domino.*

Eapropter Ego magnæ illius retributionis partem invenire desiderans, his qui in hoc seculo, secundùm judicium humanum, justi judicabuntur, bene facere disposui, ut eorum orationibus æternam apud Deum mercedem possim adipisci. Locum igitur quendam desertum, in meo alodio situm, qui (1) Bigardis dicitur, ancillis Dei (2) Wivinæ & Emwaræ liberâ devotione contradidi, ut quidquid in Deo servientium merito accresceret, meæ & Successorum meorum saluti proficeret.

Et quia bonis initiis ipse cooperari solet, qui totius boni initium & perfectio est, cœpit idem locus & Sororum numero, & possessionum

fessionum augmento succrescere; cujus ego congaudens profectui, & prospiciens utilitati, Sororum ibi congregatarum voluntate, assensu, & petitione, locum ipsum, cum omnibus suis pertinentiis, Cœnobio Haffligmensi subjeci, & Abbati regendum commisi, ut ipsius providentiâ & interior ancillarum Dei status ordinetur, & exterior substantia disponatur.

QUÆCUMQUE verò vel ex meo alodio eis concessi, vel ab aliis acquisita, ut liber Advocatus, suscepi, Deo & sanctæ ejus Genitrici, ad usum Sororum liberâ donatione contrado, & ut in perpetuum rata & inconvulsa permaneant, præsentis privilegii auctoritatem, sigilli mei impressione, & testium adstipulatione, confirmo. In quibus hæc nominatim designo alodia, in *Auster*, *Heibeke*, *Berchem*, *Weve*, *Reusele*, *Beverne*. Testes autem, ubi locum præfatum ancillis Dei tradidi, hi interfuerunt:

Steppo de Brusella, & frater ejus.
Walterus Redescot.
Lambertus de Craynhem.
Sigerus de Anderlecht.
Arnulfus de Asca.
Franco Castellanus.
Amalricus de Bigardis.
Franco de Isca, & fratres ejus Godefridus & Amalricus.
Walterus de Ansilier.
Amandus de Brusella.

Cum Abbate commissi fuerunt hi.

Balduinus Decanus de Brusella.
Onulphus Presbyter.
Joannes de Anderlecht.
Franco Castellanus.
Ingelbertus de Atrio.
Franco Kalo.

Actum est autem anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tricesimo tertio, Indictione undecimâ. 1133.

Additio (1) BIGARDIA. Juxta Bruxellam duplex est Cœnobium hujus nominis, unum, quod *Major Bigardia* appellatur, est Institutum Benedictinum, ejusque fundatio hic recensetur; ad illud hodie passim non nisi Virgines nobiles admittuntur. Aliud quod vulgò *Minor Bigardia* dicitur, est Prioratus Virginum, ejusdem Ordinis, sub Municipio Leeuwæ S. Petri, fundatus circa annum 1234, de quo inferiùs agetur in Donationibus Belgicis.

(2) S. WIVINA, seu Vivina Virgo & prima Abbatissa Bigardiensis anno 1170 obiit, estque è terra elevata & in feretro collocata anno 1177 per Arnulfum VII Abbatem Affligemiensem, jussu Alardi Cameracensis Episcopi. Vide Fastos Belgicos 18 ad diem 17. Decembris.

CAPUT LXXXIX.

LIETHARDUS *Cameracensis Episcopus donat Canonicis Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellensis Altare in Meltbruck, anno* 1134.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LITTARDUS gratiâ Dei Cameracensis Episcopus tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

BONORUM justa petitio cùm sit exaudienda, & per temporalia bona æternalia promerenda, petitioni bonorum honestum duxi acquiescere, & pro æternalibus quædam mea temporalia dimittere. Altare siquidem, quod est in (1) *Meltbruck*, omni personatu liberum, tradidi *Bruccellæ* in oratorio S. MICHAELIS Archangeli, & gloriosæ Virginis GUDILÆ quiescentis ibidem, absque personarum mutatione, in perpetuum pro mea salute, Canonicorum XIV. ibidem famulantium satisfaciens petitioni: ne tamen reditus Cameracensis Ecclesiæ imminueretur, excepi.

UT autem quod feci ratum permaneret, & Congregatio prædicta pacificè altare obtineret, banno confirmavi, & sub anathemate, ne aliquis ad hoc conturbandum vel subvertendum exurgeret, interdixi. Hujus facti testium nomina subsignavimus.

Signum Theoderici Archidiaconi.
S. Gerardi Archidiaconi.
S. Balduini Decani.
S. Alexandri Decani.
S. Movini.
S. Mionis magistri.
S. Gualteri magistri.
S. Guilelmi Sacerdotis.
S. Fromoldi Sacerdotis.
S. Gualteri Capellani.

Hoc autem actum est BRUCSELLÆ anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIV, Indictione X, anno præsulatûs Domini LITTARDI III. GODEFRIDO Duce fines Lotharingiæ obtinente & LOTHARIO imperante. 1134.

EGO GUIRENBALDUS Cancellarius subscripsi.

ISTUD Liethardi Diploma, ex autographo (quod Canonici Bruxellenses adservant) à me fideliter descriptum, Burchardiano supra relato cap. 87. visum fuit subnectere, ut habeant Eruditi, quod de annis utriusque Antistitis expendant.

(1) MELTBRUCK, hodie Melsbroeck, vicus prope Vilvordiam, ubi hodieque decimas habet Capitulum S. Gudilæ.

CAPUT XC.

ARNULPHUS, *seu Arnoldus, Comes Lossensis, anno* 1135 *fundat Averbodiensem Abbatiam, Ord. Præmonstratensis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Respectu divinæ misericordiæ dignum adjudicamus fideles Christi famulos debere confovere, & de nostra abundantia necessitatibus eorum concurrere, & eorum inopiam sublevare: ut eum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula.

HINC est quod ego (1) ARNOLDUS Dei gratiâ dictus Comes de Los, eum LODOVICO filio meo, Ecclesiam Sanctæ Mariæ, sanctique Joannis Baptistæ in (2) Averbodio, Allodio nostro fundavimus, & in ea Canonicos Præmonstratensis Ordinis, sub regula B. Augustini degentes, collocavimus; quibus omnem terram cum nemoribus, à termino Erdeberghæ usque ad terminum qui dicitur Ulrepack, cum pascuis circumjacentibus, liberè concessimus.

ECCLESIAM etiam de Tessenderlo, cum decimis & appenditiis, prædictis Fratribus in usus proprios largiti sumus. Hanc etiam donationem à patre nostro universalis Ecclesiæ (3) Pontifice bonæ memoriæ Innocentio firmari fecimus.

NE autem aliquis Successorum meorum hanc nostram donationem temerè violare præsumat, præsentem Paginam sigilli nostri attestatione communivimus.

ACTA sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ 1135, Indictione XIII, præsentibus liberis hominibus nostrisque Ministerialibus, quorum hæc sunt nomina;

Walterus de Heere,
Cono frater ejus,
Engranius de Los,
Godefridus & Hildefridus fratres ejus.
Eggebertus de Rolenghem,
Oldericus de Bilrewelt,
Helias de Gelmene,
Sebaldus & Conrardus de Gelmene,
Godefridus de Mettencoveu,
Robertus de Berloz,
Hugo frater ejus,
Hermannus Busch,
Hermannus de Bovingen.

Addit. NOtet Lector, quod in prima editione Operum Miræi, Diploma Comitis Arnulphi mutilatum recitaretur; qood nunc ex *Historia Comitatûs Lossensis*, anno 1717 Leodii editâ, ne vel syllabâ imminutum exhibemus.

(1) ARNOLPHUS V. Comes Lossensis, filius Arnulphi IV, uxorem habuit Agnetem, filiam Ducis Bavariæ, obiitque circa annum 1140.

(2) AVERBODIUM in Brabantiæ & Leodiensis agri confinibus situm, Abbatiam habet Præmonstratensis Ordinis insignissimam, Deiparæ Virgini & S. Joanni Baptistæ sacram, quæ ex Abbatia D. Michaelis Antverpiæ fuit derivata. Abbas in Comitiis Brabantiæ habet locum, licet Ecclesia & Conventus sint in terra Leodiensi: ideoque subest Episcopo Leodiensi ut ordinario, soletque ab eodem consecrari. Hodie Abbatia hæc pulcherrimâ Ecclesiâ novisque ædificiis exornata, faciem exhibet splendidissimam. Additio.

Abbas antiquitus erat perpetuus Capellanus, Consiliarius ac Sigillifer Comitum Lossensium. Quin & ab Averbodiensibus prodierunt, duo Instituti Præmonstratensis Cœnobia, unum Religiosorum *S. Joannis in Monte* prope Maseicam, cujus primus Abbas fuit Giselbertus: sed tum incendio tum aliis bellorum injuriis paulatim desiit. Alter fœtus felicior, hodieque florens, est Præpositura Religiosarum in Comitatu Hornano ac Diœcesi Ruremondensi, dicta *Keysersbosch*, fundata circa annum 1225.

(3) PONTIFICE BONÆ MEMORIÆ INNOCENTIO. Verba illa non significant Innocentium II Pont. tunc obiisse, cum vitam protraxerit usque ad annum 1143.

CAPUT XCI.

INNOCENTIUS II *Pontifex, donationem ac fundationem Abbatiæ Averbodiensis per Arnoldum Comitem Lossensem, anno* 1139, *petente Andrea primo Abbate, confirmat, & privilegia adjicit.*

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto Filio Abbati Andreæ sanctæ Mariæ sitæ in Averbodio, tuisque Successoribus canonicè substituendis, in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis, effectu debet prosequente compleri, quatenus devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter dilecte in Domino Fili, Andreas Abbas, tuis petitionibus elementer annuimus & Ecclesiam Sanctæ Mariæ sitæ in Erebodio, quam utique nobilis vir Arnulfus Comes, ejusque consortes, piæ devotionis intuitu fundaverunt, & ad vestram sustentationem omnipotenti Domino, pro animarum suarum remedio liberè obtulerunt, à termino videlicet Endeberghe, usque ad terminum, qui dicitur, Ulrepat, cum pascuis circumjacentibus, sub protectione Beati Petri

Andreas pro Andrea. Erebodio pro Averbodio.

Petri suscipimus, & præsentis privilegii paginâ communimus. Statuimus etiam ut qualcumque possessiones, quæcumque bona, idem locus inpræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi, tuisque Successoribus, & illibata permaneant.

Adjicimus quoque, ut idem locus ab omni exactione liber maneat, sicut ab iisdem fundatoribus statutum fuisse cognoscitur. Nec aliquem præter Episcopum habeat Advocatum. Et ut Ordo Canonicus secundùm Regulam Sancti Augustini, & institutionem Præmonstratensis Ecclesiæ, ibi perpetuò conservetur, sancimus etiam, ut nemini Fratrum post factam in eodem loco professionem, absque licentia Prælati sui, ad alium locum liceat transmigrare.

Quod si discesserit, & canonicè commonitus redire contempserit, facultatem nihilominus habeatis, eumdem à divinis officiis interdicere, interdictum verò nullus Episcoporum, vel Abbatum, suscipere audeat, vel retinere. Sanè de laboribus quos propriis manibus, & sumptibus colitis, decimas exigi prohibemus. De nutrimentis quoque animalium vestrorum, idipsum observari præcipimus.

Ut autem quietiùs, atque liberiùs manere possitis in Omnipotentis Dei servitio, auctoritate Apostolicâ inhibemus, ne cui Episcopo, liceat vos ad sua negotia, nisi forte ad Synodum, invitum trahere, vel vocare. Porrò sepulturam ejusdem loci, omnino liberam esse concedimus, ut videlicet eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni, & extremæ voluntati (nisi fortè excommunicati sint) nullus obsistat, salvâ nimirum matricis Ecclesiæ canonicâ justitiâ, vel reverentiâ. Inter ceteras ejusdem loci possessiones Ecclesiam, quæ dicitur Tessenderlon, nihilominus confirmamus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eumdem locum temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliis perturbationibus fatigare; sed omnia integrè conserventur, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, commodis usibus profutura. Si qua sanè imposterum Ecclesiastica secularisve Persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiòve commonita, si non congruè satisfecerit, potestatis honorisve sui dignitate careat, reamque se Divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat.

Conservantes autem hæc omnia Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum ejus Petri ac Pauli benedictionem, & gratiam consequantur. Amen, Amen, Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Datum Laterani per manus Almerici S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii XVI Kal. Maii, Indict. II. Dominicæ Incarnationis anno MCXXXIX, Pontificatûs Domini Innocentii Papæ II. anno decimo.

Additio. Diploma hoc, uti & duo sequentia, integra habentur in descriptione Abbatiæ Averbodiensis per Anton. Sanderum, quæ in priori Editione Codicis Donationum Piarum Auberti Miræi mutilata referebantur; quapropter visum fuit illa hîc supplere.

CAPUT XCII.

ALEXANDER *Episcopus Leodiensis, confirmat fundationem Abbatiæ Averbodiensis factam per Arnoldum Comitem Lossensem.*

EGo ALEXANDER, divinâ ordinante clementiâ, Dominici gregis in Episcopio Leodiensi humilis Custos, ac Provisor: notum facio, ac sigilli nostri impressione memoriter tenendum trado, tam posteris sequacibus, quàm nostri temporis Catholicæ fidei cultoribus; quod videlicet Comes Ernulfus de Los, assensu aliorum nobilium participum suorum, scilicet Ernulfi de Arscot, Ernulfi de Dist, Cunonis de Repe, & Radulfi Abbatis Sancti Trudonis, Allodium quod nominatur Averbodo, (Averbodo pro Averbodium.) ad laudem & honorem Christi, Domino ibi famulari volentibus dederit pro salute animæ suæ, & Patrum suorum, ut ibi ædificent, & semina spargant, unde in terra viventium manipulos colligant.

Hoc autem in nostris diebus stabilitum est, me teste, me præsente, temporibus quoque Litherii Imperatoris, (Litherii pro Lotharii.) Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, Pagani Ducis Lenburgensis, Godefridi Comitis Namucensis.

Hujus sanctionis idonei existunt Testes, Steppo, Præpositus in Ecclesia Beati Lamberti, ac Archidiaconus; Johannes Archidiaconus; Gilbertus Archidiaconus; Dodo Archidiaconus; Reinerus Archidiaconus; Hermannus Archidiaconus; Alexander Archidiaconus.

Bannum ergo Dei & nostrum ponimus, ne quis de cetero institutionem præscriptam infringat, quod si quis fecerit, anathema sit.

CAPUT XCIII.

STEPHANUS, *Metensis Episcopus, confirmat eandem Fundationem Averbodiensem, anno* 1136.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritûs Sancti. (1) STEPHANUS divinâ miseratione Metensis Episcopus, omnibus tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

Quia juxta Apostolum bonum operari ad omnes commonemur, & debitores sumus, maximè illis curam beneficentiæ impendendam esse non dubitamus, qui relicto fluctuantis mundi præsentis naufragio ad tranquillum contemplationis portum feliciter se contulerunt ac in eo anchoram suæ salutis confixerunt.

Igitur ob remedium nostrorum peccatorum seu omnium Prædecessorum nostrorum vel Successorum, petitione nec minùs (2) Gerardi venerabilis Sanctæ Crucis Cardinalis, tunc etiam Apostolicæ Sedis Legati, terram quæ *Averbodium* vocatur, usque ad hæc tempora solis latronum vel prædonum spurcitiis, rapinis, ac homicidiis vacantem, in qua cum aliis nobilibus viris, portionem aliquam Ecclesia Sancti Trudonis habuit, consensu Radulphi ejusdem Ecclesiæ Abbatis & Fratrum, Ecclesiæ Sancti Johannis Baptistæ, quæ inibi fundata est, liberè possidendam contradidimus; eo quidem tenore, ut Ecclesiæ Sancti Trudonis singulis annis in Epiphania Domini, aureum nummum sive pretium ejus Fratres Ecclesiæ Sancti Johannis superiùs memoratæ persolvant.

Huic nostræ traditioni assensum præbuerunt Advocati prædictæ Sancti Trudonis Ecclesiæ, Walerammus Dux & Marchio Lotharingiæ, & Giselbertus de *Duraco. Ut autem hæc rata & inconvulsa jugiter permaneant, præsentem paginam conscribi jussimus, sigilli nostri impressione roboratam. *Duras.

Testes quoque hujus rei adhibiti & advocati sunt, prædictus Cardinalis Gerardus, Bruno Coloniensis Archiepiscopus, Episcopus Albero Leodiensis, Andreas Trajectensis, Nicolaus Cameracensis. Comites Godefridus de Namuco, Arnoldus de Los, Walerammus Dux, Giselbertus de Duraco, Lambertus de Monte * Acuto. *Mons acuto, prope Huyum.

Actum anno Incarnati Verbi millesimo centesimo, XXXVI. Indictione XVI. In nomine Domini feliciter Amen. 1136.

Ego Raduardus Curiæ Imperialis Capellanus, vice Cancellarii Metensis recognovi.

Additio. (1) STEPHANUS, filius Theoderici Comitis Barrensis, & Ermentrudis Burgundicæ sororis Calixti II Pont. electus Episcopus Metensis, Romæ ab Avunculo suo consecrationem, & privilegio speciali Pallium Archiepiscopale accepit, quin & S. R. E. Cardinalis renunciatus fuit. Obiit circa annum 1164.

Additio. (2) GERARDUS, cognomento de *Caccianemicis*, patriâ Bononiensis, ex Ordine Canonicorum Regularium ab Honorio II Pont. assumptus S. R. E. Cardinalis titulo S. Crucis in Jerusalem, & anno 1128 destinatus fuit Legatus Apostolicus in Germaniam. Postmodum ab Innocentio II. Pont. creatus Camerarius ac Bibliothecarius Apostolicus, & S. R. E. Cancellarius; tandem suffragiis Cardinalium mortuo Cælestino II in Pontificatu successit anno 1144, Lucius II appellatus. E vivis excessit anno sequente.

CAPUT XCIV.

PHILIPPUS *Archiepiscopus Coloniensis, benefacit Abbatiæ Averbodiensi anno* 1185.

PHILIPPUS (1) Dei gratiâ Coloniensis Archiepiscopus, dilectis in Christo Fratribus, STEPPONI Abbati, & toti Conventui in AVERBODIO..... Domum vestram in Averbodio, quam licet possessione tenuem, devotione tamen invenimus locupletem, in protectione nostra suscipimus.

NOMINATIM autem Jus patronatûs Ecclesiæ de *Tessenderlo*, à Comite de Los vobis collatæ, similiter jus Ecclesiæ de *Thestolt*, item quidquid pertinet ad curiam vestram de *Cheiserbuch*, item beneficium quod contulit vobis (2) GERARDUS Comes de Los in *Tessenderlo*, præsentis scripti patrocinio confirmamus. Datum in Averbodio, Pontificatûs nostri anno decimo octavo. Testel. Keyserbosch.

C A-

Additio. (1) PHILIPPUS de Heinsbergh, ex Decano Coloniensi electus Archiepiscopus anno 1167, vivere desiit anno 1191.

Additio. (2) GERARDUS Comes Lossensis, fundavit quoque Abbatiam Herckenrodensem Virginum Ordinis Cisterciensis; Uxorem habuit Mariam Henrici III Geldriæ ac Zutphaniæ Comitis filiam, è qua undecim proles suscepit. Obiit in obsidione Ptolemaidis Syriæ anno 1191. Vide stemma Comitum Lossensium in Chronico Belgico.

CAPUT XCV.

S. FOILLANI *Cœnobium inchoatur, prope Rodium Hannoniæ oppidum, Burchardo Cameracensi Episcopo dotante, & Ecclesias aliquot parochiales anno 1125 attribuente. Id Nicolaus Burchardi successor, anno 1137 confirmavit.*

BURCHARDUS permissione divinâ humilis Episcopus Cameracensis .... Dono ad augmentum cultûs divini, in Sacello de SENOPHE, sito in loco martyrii S. FOILLANI, Altaria de *Strepy, Sereffle, Espinon, Mignan, de Crois, Warlers, Derkenne, & Truncre*, ut ex iis vivere possint Fratres, è Fossensi Ecclesia sumpti. Et si contingat locum hunc ad Abbatialem dignitatem evehi, volo ut Abbas canonicè electus, pastorale pedum deferat ad Capitulum Ecclesiæ Fossensis, & solvant quotannis eidem Capitulo denarium aureum unum, aut denarios argenteos XII. Datum in SENOPHE anno millesimo centesimo vicesimo quinto.

Nicolai Cameracensis Episcopi confirmatio.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego NICOLAUS, Dei gratiâ Cameracensium Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum salutem. Cum nostri Ordinis sublimitas, imò omnium fidelium salus exigat, bene facta aliorum diligere & approbare, laudamus & quâ possumus officii nostri auctoritate corroboramus piam devotionem & benefactum Prædecessoris nostri Domini BURCHARDI, qui Apostoli verba retractans, dicentis: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*, ob animæ suæ salutem, & beati Martyris FOILLANI meritum, frequenti & honestæ petitioni Ecclesiæ Fossensis condescendens, quæ de emancipatione & honorificentia illius loci erat, in quo prædictus Martyr passus fuerat, suarum personarum communicato consilio, locum illum sacri sanguinis illius undâ respersum, & frequenti miraculorum luce perspicuum, ubi & Capella in honorem illius sita erat, emancipavit; & tam ipsum, quàm Altare de *Strepy* cum omnibus suis appendiciis, seu & Altare de *Archenne* prope Nivellam, item & Altare *Wallers*, & Capellam *Borle-Fontaine* beato Martyri Foillano, & Ecclesiæ Fossensi, super sanctissimum ipsius corpus, quod ibidem ad hoc perficiendum, cum plurimis Sanctorum corporibus delatum erat, contradidit, ad usus siquidem Fratrum qui in eodem loco in silva, (2) quæ CHERBONIRENSIS dicitur, sub regulari habitu & ordine, Deo & B. Martyri Foillano deservirent.

QUIA verò istud non sine aliquo labore & multimoda expensa Ecclesiæ Fossensis factum est, ut aliquid honoris & respectûs capiti & membro, prout justum est, proveniret, statuit etiam, ut singulis annis Ecclesia illa Cherbonirensis Ecclesiæ Fossensi, in dedicatione ejusdem, aureum nummum, vel XII. nummos censualiter solveret: & si locus ille meritis B. Foillani & Fratrum religione adeò multiplicaretur, ut loci facultas Abbatem exigeret, & conventus ille Abbatem sibi canonicè eligeret, electumque Cameracum ad consecrandum perduceret; consecratus Fossas, ad accipiendum pastorale baculum ab altari B. Martyris Foillani, & ad renovandas societates & confraternitates veniret, & eo defuncto, prædictum baculum Fossas super idem altare, inde iterum suo tempore à Successore recipiendum, Fraternitas remitteret.

Hoc autem tam rationabile Institutum, quod Deo annuente à præmemorato Antecessore nostro factum est, ut ratum & inconvulsum permaneat, ego NICOLAUS, Dei gratiâ ejus Successor, & Cameracensium Episcopus, approbo, & quâ possum officii mei auctoritate & sigilli impressione, & personarum mearum canonicâ adstipulatione corroboro, Dei gratiam & pacem concedens conservatoribus, terribilem maledictionem & iram tremendi judicii promulgans prævaricatoribus. Actum anno Incarnationis Domini millesimo centesimo tricesimo 1137. septimo.

CA-

Additio. (1) SANCTUS FOILLANUS, aut Folianus gente Scotus, anno circiter 655 prope Rhodium ab impiis sicariis occisus fuit: cujus corpus à S. Gertrude repertum, ad Monasterium Fossense, in Leodiensi Diœcesi, translatum fuit, ubi & hodie cum S. Ultano fratre quiescit. Postmodum ædificatum fuit Sacellum in honorem ejusdem Sancti Foliani prope Rhodium, quod à Canonicis Fossensibus circa annum 1125 traditum fuit Religiosis Præmonstratensibus; unde & hodiedum Abbas S. Foliani subjectionis & homagii jura debet eidem Capitulo. Ceterùm Abbas S. Foliani anno 1606 à Paulo V Pont. usum mitræ ac Pontificalium impetravit, & ad octo Pastoratus in præfato Diplomate memoratos, suos Religiosos destinat.

(2) CHERBONIRENSIS, id est, Carbonaria silva, veteribus nota, hodie magna est pars Hannoniæ. Rodium, *Reux*, oppidum gentis Croyæ, Comitatûs titulo ab anno 1530 inclaruit. Huic adjacet Abbatia S. Foillani Martyris: de quo in Fastis nostris Belgicis egimus ad diem 30 Octobris.

CAPUT XCVII.

CONRADUS *Imp. anno 1145 confirmat Marsnam, & alia prædia Monasterio S. Remigii Remensis donata.*

Domt. l. 1. c. 58 habetur Bulla Papæ Innoc. II. an. 1136.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CONRADUS divinâ favente clementiâ Romanorum Rex secundus.

NE damnosa in posterum quod actum est deleret oblivio, scripto memoriali commisimus, qualiter Dominus ODO venerabilis Abbas S. Remigii Confessoris & Francorum Apostoli, nostram præsentiam apud Trajectum ulteriùs visitaverit, & possessiones Ecclesiæ suæ, quæ in regno nostro adjacent, nostro petierit privilegio confirmari, (1) *Marsnam* videlicet cum omnibus appendiciis suis. (2) *Herta, Cluma, Litta,* (3) *Angledura, Becca,* præbendas quoque Marsnenses in usus Monachorum, decedentibos Clericis, transmutatas. Nos itaque tam religiosi viri petitionibus diligenter obtemperavimus, & tam possessiones supradictas, quàm præbendas in usus monasticos conversas, Regiæ Majestatis sigillo corroboravimus.

Hoc etiam latêre posteros nolumus, quod singula Ecclesiæ S. Remigii Privilegia, in præfatis possessionibus, nullum specialiter Advocatum determinant, nisi Regem Romanorum. Nostræ siquidem discretionis est, legaliter providere tam legitimum Monachis Advocatum, qui potiùs prodesse noverit, quàm obesse, potiùs alodium tueri, quàm vastare. Stabilitum equidem & ordine judiciario in nostra curia adjudicatum, quid Advocatiæ debeatur.

(4) IN tribus scilicet placitis generalibus, quotannis servitium determinatum, tertiam partem pecuniæ, in talibus placitis generalibus acquisitæ, recipiet Advocatus. *Villicos, Ministeriales, & Scabinos ponere vel deponere poterit Præpositus Marsnensis, sine Advocato. De reditibus S. Remigii, per Villicum & Scabinos, placitabit Præpositus, sine Advocato. Si effusio sanguinis, seu banni infractio, seu latrocinium infra alodium emerserint, placitare non poterit Præpositus sine Advocato; & exinde tertiam partem recipiet Advocatus. Exactiones, tallias, quas quidam precarias vel petitiones nominant, vel accubitus vastatorios, regia censura contradicit penitus Advocato.

* Scultetos seu Meyeros.

Rede.

SI infra alodium terra culta vel inculta, molendioa ab heredibus emancipata fuerint, Monachi in usus suos liberè sibi vendicabunt sine Advocato. Silvas, fruteta, & dumos, sub censu annuali, Præpositus ad commodum Ecclesiæ, quibuslibet tradere poterit sine Advocato.

QUICUMQUE igitur hanc Advocatiæ determinationem ausu temerario, quod absit, infringere tentaverit, centum libras auri purissimi componat, dimidietatem Cameræ nostræ, & reliquam partem prædictæ S. Remigii Ecclesiæ. Et ut hæc veriùs credatur, & omni deinceps tempore inconvulsa serventur, hanc inde Chartam scribi, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus, manuque propriâ, ut iosra videtur, corroborantes, idoneos testes subternotari fecimus. Quorum nomina sunt hæc:

Hartbertus Trajectensis Episcopus.
Anselmus Havelburgensis Episcopus.
Cunradus frater noster, Trajectensis Præpositus.
Henricus Comes de Gelre.
Hermannos Comes de Cuick, & frater ejus Comes Godefridus.
Adelbertus Comes de Norvenich.
Marquardus de Crumbach.
Walterus de Lovenhusen.
Libertus de Spileberch.

SIGNUM Domini CUNRADI Romanorum Regis secundi.

EGO ARNOLDUS Cancellarius, vice HEINRICI Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii, recognovi, anno Dominicæ Incarnationis M C XLV, Indictione octavâ, regnante 1145. Cunrado Romanorum Rege II, anno verò regni ejus octavo. Data est apud ulterius Trajectum, in Christo feliciter Amen. Utrecht.

C A-

Merssen (1) MARSNAM. In Marsanensi seu Mersensi Ecclesia haud procul à Trajecto Mosæ, primitus Canonici resederunt, quibus paulatim decedentibus, Monachi Benedictini, ex Remensi Abbatia Remigiana evocati circa annum 1145. & sequentes, successerunt: ut ex Conradi II. Imp. tabulis jam recitatis, & ex Alexandri III. Papæ Diplomate, quod anno 1178. scripsit, datur intelligi.

BENEDICTINIS nostrâ ætate Canonici Regulares, Ord. S. Augustini, sunt suffecti, & prædia Marsanensis Præposituræ, viâ permutationis, tradita sunt Abbati Aquarum curtarum, in Artesia domicilium habenti, qui alia prædia, in regno Franciæ sita, cessit Abbati S. Remigii Remensis, Paulo V. Papa, & Alberto Pio, Belgarum Principe, approbantibus. Raucourt.

(2) HERTA, Heltena hodie Erthen in patria Leodiensi.

(3) ANGLEDURA, hodie Anglure in patria Leodiensi.

(4) IN TRIBUS PLACITIS GENERALIBUS, *dry Voegt gedingen* oft *Jaer-gedingen*, hodie ter in anno celebrantur in Præpositura Marsanensi. Indicuntur ista Placita ab Advocato, *die voert de Bode*, & tenetur ex singulis familiis caput comparere, sub certa pœna: de mulcta Abbas semissem, Advocatus trientem recipit juxta Bruschium.

CAPUT XCVIII.

THEODERICUS, *Comes & Princeps Aloſtanus, damna Monaſterio Affligemienſi illata reparat, anno* 1164.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego THEODERICUS, Dei gratiâ Dominus & Princeps Aloſtenſis oppidi, notum fieri cupio tam præſentibus quàm futuris, Eccleſiam Haffligemienſem aliquamdiu adverſitatibus me inquietaſſe, pravorum conſilio, damna plurima rebus intuliſſe, hominibus meis præfatam Dei domum injuſtè conturbantibus, nec, ut debui, reſtitiſſe, nec injuriam pro poteſtate vindicaſſe.

CUJUS facti tandem pœnitens, & judicium Dei metuens, inito ſapientum hominum meorum & religioſorum virorum conſilio, pacem & indulgentiam reatûs mei humiliter quæſivi ac impetravi, HAFFLIGEM cum hominibus mei veni, ductus in Eccleſiam, coram altari S. Petri ſatisfactionem feci, & omnem emendationem coram Deo & miniſtris ejus, & omni congregatione promiſi.

SILVAM meam, quæ *Hokerda* vocatur, pro anima mea ac parentum meorum, in reſtitutionem damni & eleëmoſynam liberaliter Eccleſiæ contuli. Terram adjacentem, tam Fratrum quàm aliorum circummanentium uſui delegavi. Hanc communi placito duo Nobiles viri, *Stephanus* de *Boular* & *Herbertus* de *Dentregem*, ad opus Eccleſiæ in manus ſuſceperunt, teſtes in perpetuum legitimæ donationis futuri.

SILVAM Fratrum apud *Ordengem*, quam ſeculari potentiâ vendi & ſuccidi prohibui, omni voluntati eorum, poteſtati, utilitati, ſepoſitâ meâ poteſtate, conceſſi. Vólo etiam, ut in omni terra poteſtatis meæ honor ac fidelitas præfatæ Eccleſiæ integrè cuſtodiatur. Rebus ac familiæ ipſius pax inviolabilis ab omnibus hominibus meis teneatur, & Fratribus juſta deſiderantibus, quod juſtum eſt offerentibus, injuſtitiam fieri à quoquam hominum in ditione mea omnino prohibeo. Familiam Eccleſiæ in pace & defenſione, quam pater meus & avunculus tenuerunt, cuſtodire decrevi, & ab omni exactione liberam reddidi: excepto, ſi quis eorum aliquid poſſideat, quod publico debito ſubjacere debeat.

UT hæc igitur rata & inconvulſa permaneant, nec ullâ Succeſſorum meorum vel quorumlibet hominum importunitate infringi valeant, ſcripto annotari, ſigilli mei impreſſione firmari, & idoneorum teſtium placuit adſtipulatione roborari. Teſtes,

Walterus Abbas de Trunchinis.
Gerardus Abbas de Ninive.
Arnulfus Prior Fratrum.
Hugo cognomento Rampard.
Frater Daniel de Suynarden.
Stephanus de Boular.
Herbertus de Dentrenchem.
Gerardus de Sottenghem.
Sigerus de Huulet.
Sigerus Caſtellanus, & Willelmus frater ejus.
Henricus de Lede, & frater ejus Ægidius.
Albertus de Erenbaldenghem.
Gillebertus Notarius.
Gillebertus de Ponte.
Walterus de Impe.
Wiricius de Dackenhem.
Oliverius de Mechlinis.
Egericus de Hoboſch.
Sigerus de Erebaldengem.
Albaldus de Aloſt, & alii multi.

ACTA ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXIV, Indictione XII, Epactâ XXV, concurrente III. 1164.

CAPUT XCIX.

Conventio facta anno 1179 *inter* GODEFRIDUM III. *Brabantiæ Ducem, &* PHILIPPUM ALSATIUM *Flandriæ Comitem, ſuper matrimonio, quod* HENRICUS, GODEFRIDI *filius primo-genitus,* (1) *cum* MATHILDE, PHILIPPI *nepte, contraxit.*

HÆc eſt (2)conventio facta, inter Comitem Flandriæ PHILIPPUM, & Ducem Lovaniæ GODEFRIDUM, ſuper contractu matrimonii HENRICI filii Ducis, & MATHILDIS neptis Comitis, quæ ſcripto commendata eſt, ne memoriæ novercâ oblivione poſſit offuſcari in poſterum.

SCIANT itaque omnes & ſinguli, quòd Dux GODEFRIDUS dedit HENRICO filio ſuo, ad dotandam inde MATHILDEM neptem Comitis, Bruſſellam cum caſtello, hominiis, & omnibus pertinentiis, Vilvordam cum hominiis, & omnibus pertinentiis, Leuvam cum hominiis, & omnibus pertinentiis, Ucclam, & Ruſchbroc, cum hominiis, & omnibus pertinentiis, & quidquid Dux habet inter Sonnam & Flandriam. Sennam.

HENRICUS autem, aſſenſu patris ſui, & ſuorum

ſuorum hominum conſilio, dedit hæc omnia prænotata in dotem Mathildi, antequam ei nuberet: hâc interpoſitâ conditione, quòd ſi contigerit Henricum mori abſque herede, vel etiam relicto poſt ſe herede aliquo, dotem illam poſſidebit Mathildis liberè & abſolutè totâ vitâ ſuâ. Si verò Mathildis deceſſerit non ſuſcepto herede ex Henrico, Comes Flandriæ tenebit Bruſſellam, quouſque ei reddantur mille & quingentæ libræ Flandrenſis monetæ, quas dedit Duci.

ILLUD quoque ſciendum, quod ſi Henricus plùs vixerit quàm Dux pater ejus, ſuccedet ei in Ducatum tanquam heres ſuus, & omnia ad eum devolventur jure hereditario, quæ Dux modo poſſidet, præter (3) Urtinam & (4) Comitatum de Arſchot. Et ſi fortè contigerit Henricum mori ante patrem, heres Henrici, ſi quem poſt ſe reliquerit ex Mathilde ſæpe dicta, ita ſuccedet Duci avo ſuo in Ducatum & omnem poſſeſſionem ſuam, præter Urtinam & Comitatum de Arſchot, ſicut Henricus feciſſet, ſi diutiùs patre vixiſſet.

NE quis ergo præſumat in poſterum præſcriptæ conventioni contraire, & eam aliquatenus caſſare, ego GODEFRIDUS Dux Lovaniæ præſens Scriptum ſigilli mei auctoritate corroborari, & homines meos in teſtimonium ſubſcribi præcepi, qui ex præcepto meo fidem ſuam dederunt, quòd iſta omnia, quæ in iſto continentur chirographo, rata & inconvulſa obſervabuntur: ita quod ſi ea, quod abſit, infringere attentaverint, ipſi & omnia ſua cum Comite Flandriæ & in ipſius auxilium remanebunt. Sunt autem iſti,

Arnout Dapifer de Rotſlar.
Arnout de Velepe.
Inieramus de Orbais.
Reinerus de Gate.
Willelmus de Birbeka.
Caſtellanus de Bruſella.
Walterus de A.
Arnout de Bigarda.
Gerardus de Gremberg*s.
Walterus Bertout.
Daniel de Craienhem.
Renerus Ruſchebuſci.
Willelmus frater eorum.
Henricus de Aſcha.
Gotſwinus de * Adenghem. * Adenghem, Aughien.
Ingelbertus frater ejus.
Otto de Traſennies.
Walterus de Bolthem.
Gotſwinus de Leuve. Pollart.
Alardus Rapa.
Gotſuinus de Saventen.
Hawel de Hobuſc.
Henricus de Scoten.

Scabini omnes cum præcone Waltero, & quàmplures burgenſium de Bruſella & meliores.

Actum priùs Andwerpiæ, & poſteà conſummatum Bruſellæ, anno Domini MCLXXIX. 1179.

Vide Chronicon noſtrum Belgicum in Serie Comitum Bolon. ad ann. 1030.

(1) MATHILDIS. Matthæi Comitis Bolonienſis filia, qui Matthæus fuit frater Philippi Alſatii Comitis Flandriæ, & habuit uxorem Monialem profeſſam, Mariam filiam Stephani Regis Angliæ, raptam de Monaſterio Rameſſedo in Anglia, cujus erat Abbatiſſa.

(2) CONVENTIO. Conventionem hanc deſcripſi ex Autographo pergamenico, quod Bruxellis in Archivis Collegii Canonicorum S. Gudilæ aſſervatur, cui appenſum eſt ſigillum Godefridi Ducis, hâc inſcriptione: *Godefridus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ.* Sigillo impreſſa eſt effigies equitis armati, ſiniſtrâ ſcutum tenentis.

(3) URTINA. *Orten*, niſi fallor, hodie Silvaducis, Urbs Brabantiæ Epiſcopalis, anno 1184. condita à Godefrido III. Brabantiæ Duce.

(4) DE ARSCHOT. Dodechinus in Chron. 1174. meminit Comitis de Arſchot.

Godefrido Virſonio, Joannis I. Brabantiæ Ducis filio, datum Arſchotum cum adjunctis. Heuterus in Genealog. p. 50.

Comitis Arnulphi de Arſchot filius Joannes, Affligemii factus Monachus circa annum 1202. ibi ſepultus jacet. Ex tabula ibi ſuſpenſa.

CAPUT C.

BALDUINUS *Magnanimus ſeu Animoſus*, *Comes Hannoniæ ac Flandriæ, & Marchio Namurci, fundat ac dotat Altare S. Jacobi in Montenſi S. VValdetrudis Baſilica*, *anno* 1195.

Correctum ad Autographum.

NOS MARGARETA, Flandriæ & Haynoenſis Comitiſſa, notum facimus, quod nos litteras piæ recordationis BALDUINI quondam Comitis Haynoenſis, Marchionis primi Namurcenſis, proavi noſtri, non cancellatas, nec abolitas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, ſigillo ipſius ſigillatas vidimus, in hac forma.

(1) NOTUM ſit univerſis Chriſti fidelibus tam præſentibus quàm futuris, quod (2) BALDUINUS Comes Haynoenſis, Marchio primus Namurcenſis, Balduini Comitis & Alidis Comitiſſæ filius, uxorem habuit Nobiliſſimam Margaretam, Theoderici Comitis Flandriæ filiam, Philippi potentiſſimi Flandriæ, & Viromandiæ ſororem, de qua filios habuit milites ſtrenuos, Balduinum ſcilicet primogenitum, Philippum medium, Henricum tertium, &

(1) DIPLOMA iſtud videtur eſſe à poſteriore manu.

Additio. (2) BALDUINUS dictus *Animoſus* ſeu *Magnanimus*, Comes Hannoniæ ac Namurcenſii, nec non Flandriæ Comes per initas cum Margareta herede nuptias, fuit egregius Eccleſiæ S. Waldetrudis benefactor. Paulò poſt datum præcedens Diploma vivere deſiit die 25 Decembris 1195, ſepultus in eadem Eccleſia, in qua & Parens ejus Comes Balduinus ab anno 1170 humatus fuerat.

& filias..... quarum una fuit Elizabeth gloriosissima Francorum Regina, Philippo illustri Francorum Regi desponsata.

(3) PHILIPPO quoque Flandriæ & Viromandiæ Comite defuncto, ipse Balduinus, cum Margareta uxore sua, Principatum Flandriæ per aliquot annos possedit. Idem quoque Balduinus ex parte matris suæ (4) Alidis, & avunculi sui Henrici, Namurci & Luxemborch Comitis, jure Namurcum adeptus fuit. Unde ipse Balduinus à Domino Henrico Romanorum Imperatore, Frederici Imperatoris filio, factus fuit Marchio Namurcensis & Princeps Imperii: à quo etiam Henrico Imperatore Balduinus prædictus filius ejus, in militem fuit ordinatus: defuncta autem Margareta prædicta, ipsa Brugis in Monasterio S. Donatiani sepulta fuit, cui in hereditate & Comitatu Flandrensi successit supradictus filius ejus Balduinus. Balduinus autem, vir ipsius Margaretæ, ad Comitatum suum Hannoniensem, & ad Marchiam Namurcensem, relictâ filio Flandriâ, rediit.

HIC quidem Balduinus Comes Hannoniæ, Marchio Namurcensis, vir animosus & magnæ discretionis, & miræ memoriæ, saluti animæ suæ volens providere, instituit in Montensi Ecclesia, in medio Monasterii B. Waldetrudis, Altare in honorem B. Jacobi Apostoli, fratris, inquam, B. Joannis Evangelistæ: in quo quâque die in perpetuum Missa, quam Ecclesiasticus Ordo pro fidelibus defunctis celebrari instituit, pro animæ ejus salute celebrabitur.

SACERDOS autem, qui ad hæc complenda à Domino Comite supradicto & ejus Successoribus, qui Comitatum Hannoniæ tenebunt, semper instituetur, salvo jure Canonicorum S. Germani, in Offertoriis, xv. modios segetis, in parte decimæ Comitis apud Lestinas annuatim habebit, medietatem scilicet meruagli, & medietatem avenæ. In quarum celebratione Missarum, propriæ, tam in Collectis, quàm in Secretis & Postcommunionibus, pro ipso Comite dicentur orationes: Missa autem illa semper ante sonitum horæ Primæ celebrabitur. Ille autem Sacerdos in Processionibus & aliis Officiis Ecclesiæ B. Waldetrudis in majoribus Solemnitatibus anni.... erit: qui quidem Sacerdos de plenario Missarum complemento & de jure Canonicorum prædictorum conservando, juramentum præstabit.

Id est potio vini.

AD hæc Ecclesia B. Waldetrudis, intuitu caritatis & majoris dilectionis, concessit supradicto Comiti, quod quoque die Lunæ, post ejus decessum, ante ipsum Altare S. Jacobi, (ante quod quidem Altare ipse Comes, ubicumque locorum cum mori contigerit, corpus suum sepeliri disposuit,) Missa conventualis cum prædicto Sacerdote, adhibitis quoque Diacono & Subdiacono, ante horam Primam cantabitur: Diaconus autem & Subdiaconus Ecclesiæ, qui ad Missam tenebuntur, quâque die Lunæ, in Festo S. Andreæ annuatim in censibus de *Lestinis* viginti solidos à Comite Hannoniæ, quos æqualiter divident inter se, habebunt.

IN Anniversario autem supradicti Comitis cum summa veneratione celebrando, Ecclesia B. Waldetrudis annuatim in Festo S. Andreæ, in censibus Domini Comitis apud *Lestinas* LX solidos denariorum habebit, præter illas sex libras, quas ipsa Ecclesia in iisdem censibus pro concambio *Braine Wibotte* habebat antea, & præter quinque solidos, quos pro decima de *Tronchoit* habebat. Illi autem sexaginta solidi in Anniversario tali distinctione distribuentur, quod quisque Canonicus vel Canonica B. Waldetrudis & quisque Canonicus S. Germani, in Vigiliis anniversariis quattuor denarios, in Missa verò sex denarios habebit: quisque autem Sacerdos usque ad duodecim, qui non fuerit Canonicus S. Waldetrudis vel S. Germani, in Ecclesiis Montensibus Divina celebrans, tam in Monasteriis quàm in Capellis, scilicet B. Waldetrudis & S. Germani, & S. Petri, S. Andreæ, S. Servatii & Leprosorum, & de *Bertaimont*, duos denarios in Vigiliis, & quattuor in Missa habebit: Pulsatores campanarum sex denarios: in luminare autem duo solidi, & in Offertorium sex denarii convertentur. Rector verò scholarum, si non fuerit Canonicus, quattuor in Vigiliis, & quattuor in Missa denarios habebit.

SI quis autem Canonicus vel Canonica in Vigiliis vel Missa defuit, nihil portionis habebit. Nemo pro præbenda impignorata, vel ad censum data, præbendæ portionem istam perdere debet: qui etiam ad negotia Ecclesiæ missus fuit, vel infirmitate detentus, portionem suam percipere debet. Quisquis autem Sacerdos, exceptis prædictis, tres denarios, Diaconus verò quisque & Subdiaconus duos denarios & de aliis Clericis quisque unum denarium habebit: si quid in reservum fuit, in Ecclesiam distribuetur.

UT autem hæc omnia rata permaneant, scripto chirographisato commendata sunt: cujus quidem scripti medietatem, sigillo supradicti Comitis Hannoniæ & Marchionis Namurcensis roboratam, Ecclesia B. Waldetrudis sibi reservavit, aliam verò scripti medietatem, sigillo B. Waldetrudis signatam, sæpe nominatus Comes sibi retinuit.

Testes.

Abbates:
- Dominus Balduinus Camberonensis,
- Dominus Hugo S. Gisleni,
- Dominus Bartholomæus S. Dionysii in Broqueria,
- Dominus Abraham Maricolensis,
- Dominus Nicolaus S. Foillani,
- Dominus Wedricus S. Joannis Valencenensis,

De

(3) PHILIPPO, ALSATIO, 1191 in Syria sine liberis defuncto.

(4) ALIDIS fuit Henrici Cæci Comitis Namurcensis Soror.

De hominibus Comitis Testes.

HENRICUS & GUILIELMUS, fratres ejus.
Nicolaus de Barbencione.
Eustatius de Lens.
Rogerus de Condato.
(5) Gislebertus Præpositus S. Germani Montensis.

De Ecclesia vero Testes.

Nicolaus Cameracensis Archidiaconus, ipsius Ecclesiæ Præpositus.
Gillebertus prædictus, ipsius Ecclesiæ Vice-Præpositus & Custos.
Rainerus Decanus & Scholarius S. Germani.
Nicolaus Narra.
Nicolaus du Suary.
Romundus Willems, Canonici.
SARA Decana.
Elizabeth de Abechies.
Sara de Hain.
Heduidis de Villa.
Mainsendis de Frasne.
Hauwidis Pietdocem.
Maria & Beatrix de Him.
Hauwidis de Gaia.
Mathildis & Agnes de Fontanis.
Berta & Maria de Quernon.
Gerla de Hornetis, & Canonicæ aliæ multæ.

ACTUM mense Decembri in Conceptione gloriosæ Virginis Mariæ, anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXXV. 1195.

ITEM vidimus litteras claræ memoriæ BALDUINI quondam Flandriæ & Hannoniæ Comis, Avi nostri, sigillo ipsius sigillatas, sanas & integras, in hæc verba:

(6) EGO BALDUINUS, Flandriæ & Hannoniæ Comes, Balduini Comitis Hannoniensis, & primi Marchionis Namurcensis, filius, universorum Christi Fidelium, tam modernorum quàm posterorum descriptioni dignum duxi significare, quòd bona patris mei bonæ recordationis, Comitis Hannoniensis & primi Marchionis Namurcensis, vestigia sequi intendens, bona ipsius facta circa Montensem Ecclesiam B. Waldetrudis recognoscere, & eidem Ecclesiæ tam affectu quàm effectu confirmare decrevi.

PATER quidem meus bonæ recordationis, vir Christianissimus, Princeps illustris ac potentissimus, dum in seculo viveret, saluti animæ suæ volens providere, Montibus in Monasterio B. Waldetrudis, quandocumque & etiam ubicumque decederet, corpus suum sepeliri petiit, & ante sepulcrum suum Altare in honorem S. Jacobi Apostoli, fratris B. Joannis Evangelistæ institui ordinavit, ut ibi perpetuò divina celebrentur pro salute animæ suæ, scilicet in Missa, quam Ecclesiasticus ordo pro Fidelibus defunctis celebrari ordinavit.

SACERDOS autem ad hæc complenda à quolibet Comite Hannoniæ semper instituetur, salvo jure Canonicorum B. Germani, in suis Offertoriis, salvo etiam officio ecclesiastico, quod & Canonici S. Germani & eorum Capellani debent B. Waldetrudi. Unde Sacerdos ille super complemento prædictorum juramentum in sui institutione præstabit.

DEINDE statutum fuit & firmatum, ne harum Missarum ordinatio, ex negligentia eu avaritia (quod absit). aliquatenus postponatur vel mutetur in posterum, quod illa Missa quæ pro animabus debet celebrari, semper prima & cum Prosa & veneratione celebrabitur, & in quaque Missa primæ orationes tam in Collectis quàm Secretis & Postcommunibus propriæ & speciales pro anima patris mei dicentur. Si autem in Missarum illarum officio Sacerdotem percepero negligentem, licebit mihi eum amovere & alium instituere.

A Missis illis excipiuntur dies quidam in anno, scilicet dies in Cœna Domini, & in Parasceve, & in Vigilia Paschæ, octo dies Paschæ, in quibus quâque die Missam *Resurrexi* cantabit Sacerdos ille, & dies Ascensionis Domini, & prima dies Pentecostes, & dies festus omnium Sanctorum, & prima dies Natalis Domini. In Purificatione autem B. Mariæ & ejus Annuntiatione, & Assumptione, & Nativitate, Missæ de B. Maria præcedent, & pro Fidelibus defunctis Missæ sequentur. Ille autem Sacerdos annuatim quindecim modios segetis in parte decimæ Domini Comitis Hannoniensis apud *Lestinas* habebit, medietatem scilicet meruagii, & medietatem avenæ.

AD hæc Ecclesia B. Waldetrudis, intuitu caritatis & majoris dilectionis, quam erga eumdem Principem suum gerebat, concessit sæpe dicto Comiti, quòd quâque die Lunæ post ejus decessum, ad ipsum Altare B. Jacobi Missam conventualem, cum prædicto Sacerdote, adhibitis quoque Diacono & Subdiacono, celebrabit. Diaconus quoque & Subdiaconus, qui ad hæc implenda instituentur, viginti solidos quoque anno in Festo S. Andreæ, in censibus Domini Comitis apud *Lestinas* habebunt, quos æqualiter inter se divident.

AD hæc statutum est, ut in illa Missa, quæ pro fidelibus defunctis celebrabitur, ex custodia Ecclesiæ cereus unus accendatur: quâque die Lunæ, cùm à conventu Ecclesiæ Missa celebrabitur ibidem pro defunctis, duo cerei accendentur.

IN

Additio. (5) GISLEBERTUS, Cancellarius Balduini Hannoniæ Comitis, Præpositus S. Germani Montibus, & S. Albani Namurci, Canonicus item Sonegiensis, Condatensis, ac Malbodiensis, vixit ann. 1181 & 1221, fuitque celeberrimus sui temporis Historicus. Scripsit *Chronicon Hannoniæ à temporibus Richildis, ad sua usque tempora*; finitur anno 1195, & extat Manuscriptum in Archivis Capituli S. Waldetrudis Montibus.

(6) BALDUINUS Flandriæ ac Hannoniæ Comes, cujus Epistola sequenti Capite memoratur, quique Parentis sui Balduini Donationem in hoc Diplomate recognovit, electus fuit Imperator Orientis anno 1204. Sequente anno dum Adrianopolim obsideret, à Græcis cæsus est; à Joannice Bulgarorum Rege in vincula conjectus, multisque suppliciis affectus, tandem miserrimè periit. Additio.

In Anniversario autem sæpedicti Comitis cum summa veneratione celebrando, Ecclesia B. Waldetrudis annuatim in Festo S. Andreæ in censibus Domini Comitis apud *Lestinas* sexaginta solidos denariorum habebit, præter illas sex libras, quas ipsa Ecclesia in eisdem censibus pro concambio *Braine Wilbote* habebat antea, & præter quinque solidos, quos pro decima de *Troncboit* habebat. Sæpedictus autem Pater meus hæc omnia Montensi Ecclesiæ pleniùs confirmavit: quo defuncto, juxta suam antea factam petitionem, corpus ejus in prædicto loco sepultum fuit: ante cujus sepulcrum Altare B. Jacobi constructum fuit. Ego verò hæc prælibata eleëmosynarum benefacta volens rata observari, eidem Montensi Ecclesiæ, cum solemni approbatione scripto commendata, & sigilli mei appositione roborata, & testibus subscriptis signata, confirmavi.

Testes.

(7) MARIA Flandriæ & Hanoniæ Comitissa, ipsius Comitis uxor.

(8) PHILIPPUS, & (9) HENRICUS fratres ejusdem Comitis.

* D. Sebergi & Fontaine. * D Castelli Thierry.

* HENRICUS, & * GUILIELMUS, patrui ejusdem Comitis.

(10) Nicolaus de Rues, Cameracensis Archidiaconus, ipsius Ecclesiæ Præpositus.

Gislebertus Præpositus S. Germani, ejusdem Ecclesiæ Custos.

Nicolaus de Barbancione.

Eustachius de Lens.

Gosuinus Præpositus Sonegiensis.

Balduinus Custos Sonegiensis.

Henricus Montensis Castellanus.

Joannes Rufus, Villicus de Lestinis, & quàmplures alii Domini Comitis fideles.

ACTUM mense Februario anno Dominicæ Incarnationis. MCXCV. 1195 & 1196 stylo Romano.

Nos autem, MARGARETA, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa superiùs nominata, omnia & singula supradicta à meis Prædecessoribus superiùs nominatis concessa & confirmata laudamus; approbamus & confirmamus, & faciemus ea tanquam terræ Hannoniæ Domina firmiter observari, ad hæc, quantum in nobis est, Successores meos Comites Hannoniæ in posterum obligantes. In quorum omnium testimonium & munimen præsentes litteras dictæ Ecclesiæ S. Waldetrudis tradidimus, Sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, mense Octobri. 1266.

Additio. (7) MARIA filia Henrici Comitis Campaniæ & Aleidis. quæ filia erat Philippi Augusti Galliæ Regis, anno 1186 nupsit Balduino Comiti, dein Imperatori Constantinopolitano. Maritum suum in Syriam secuta, ibidem obiit * Ptolemaide anno 1204.

* Seu Accone.

Additio. (8) PHILIPPUS, dictus *Nobilis*, Comes & Marchio Namurcensis Balduini Imperatoris Constantinopolitani frater, uxorem habuit Mariam, Philippi Augusti Francorum Regis filiam. Obiit improlis anno 1212, sepultus Namurci in Ecclesia S Albani.

Additio. (9) HENRICUS, prædicti Balduini Imp. Frater, eidem in Constantinopolitano Imperio successit, coronatus anno 1206, in Ecclesia S. Sophiæ Constantinopoli. Obiit anno 1216, ætatis suæ 40, veneno, ut creditur, sublatus. Successit in eodem Imperio Petrus de Courtenai, qui Jolentham, Balduini & Henrici Cæsarum Sororem, uxorem duxerat.

(10) NICOLAUS DE RUES, aliàs de Rhodio, electus est Episcopus Cameracensis anno 1196, ac post biennium vitâ functus est.

(11) MARGARETA, Balduini Imp. supra memorati filia & heres, Joannæ Sorori suæ sine liberis defunctæ successit anno 1244. Ipsa verò fundavit Abbatiam Flinensem juxta Duacum, in qua anno 1280 moriens sepulturam elegit. Additio.

CAPUT CI.

Excerptum ex BALDUINI *Imp. Constantinopolitani, Flandriæ Hannoniæque Comitis, Epistola; de Urbis Constantinopolitanæ per Latinos anno* * 1204 *expugnatione: ex Ms. codice Sonegiensi.*

* 1205. Juxta Villharduinum.

BALDUINUS Dei gratiâ fidelissimus in Christo Imperator Constantinopolitanus, à Deo coronatus, Romanorum moderator & semper Augustus, Flandriæ & Hannoniæ Comes, universis Christi fidelibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, ceterisque Ecclesiarum Prælatis, Ecclesiasticisque personis, Baronibus, Militibus & Serjantis, omni denique populo Christiano, ad quos Pagina præsens pervenerit, in vero Salutari gratiam & salutem.

AUDITE, qui longè estis & qui prope, admiramini & laudate Dominum, quàm magnificè fecit, qui antiqua miracula nostris dignatus est renovare temporibus, & non nobis quidem, sed Nomini suo gloriam dedit omnibus seculis admirandam. Mirabilibus ejus circa nos semper mirabiliora succedunt, cum etiam infidelibus esse non debeat dubium, quin manus Domini hæc omnia operata est. Nihil speratum à nobis aut promissum antea contigit, sed tunc demum nobis nova Dominus procuravit auxilia, cum nihil humani videretur consilii superesse.

ET quidem si bene meminimus, per litteras Universitati vestræ transmissas, nostri progressûs & statûs narrationem eò usque deduximus, ut urbe populosâ captâ, violenter à paucis, * tyranno fugato, ac filio Isacii ALEXIO coronato, mora nostra permissa foret & ordinata per hiemem, ut potenter obtinerentur, si qui resistere viderentur Alexio; & nunc breviter narranda suscipimus, quæ postea circa * Alexio Comneno.

nos

nos contigerunt, eo prænotato, quod ficut operà hominum non fuêre, fed Dei, quæ Græcis intulimus, ita non hominum opera, fed dæmonum fuêre, quæ cum Imperatore novo Græcorum per omnia Græcia nobis ex perfidia confueta retribuit.

Nos fiquidem, ne difcordiæ inter nos & Græcos fomitem miniftraret moribus noftris adverfa barbaries, de civitate exeuntes, ex adverfo civitatis, interjacente portu, ad preces Imperatoris caftra pofuimus; & ex infperata feu innata malitia, feu Græcorum feducta perfidia animo recedit à nobis, cui tanta contulimus beneficià, Imperator, & in omnibus, cum patre Patriarcha & mole Nobilium, nobis promiffis perjurus & mendax, tot incurrit perjuria, quot nobis præftitit juramenta.

Unde noftro tandem deftitutus auxilio, prælia contra nos meditatur incaffum, & in navigium, quod eum adduxerat & fublimaverat ad coronam, procurat incendia: fed voto tam crudeli Deo nos protegente fraudatur, fit per cuncta deterior, & hominum fuorum cædes & rapinæ proveniunt, imminente foris pugnâ, intus timoribus coarctatur, Imperatorem & æmulum parantibus Græcis: eâ occafione captatâ quòd nullum ad auxilium noftrum debet habere refugium.

Cumque ei evadendi fpes unica reftaret in nobis, quemdam (1) Murculphum nomine, fanguine fibi propinquum, de quo pro beneficiis impenfis fuper omnes alios confidebat, mittit ad exercitum noftrum, qui (2) *Blacernæ* Palatium fub Imperatore & fuo juramento promittit in obfidium, donec nobis cuncta promiffa reddantur.

Accedit ad Palatium recipiendum nobilis Marchio, illudit Alexius Marchioni, & quos jam nobis dederat, fpretis obfidibus, confueta perjuria non veretur. Nocte infecutâ, Domino fuo perjurus, & nobis Murculphus à Græcis reddendi nobis Palatii revelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis eripi libertatem, & ad hoc modis omnibus effe veniendum, declarat.

Noster dejicitur Alexius: cujus proditionis merito tertius in urbe Imperator attollitur: in Dominum dormientem & rei nefcium facrilegas mittit manus: eumque carceri tetro includens iterum *Nicolaum* quemdam, qui apud S. Sophiam Imperiales infulas noviter ufurpaverat, traditum fibi, Græcorum, qui eum creaverant, proditione rurfum incarcerat. Mortuoque poft modicum Isacio, qui animum filii fui à nobis præ omnibus, ut dicebatur, averterat, acclamante clero, & Græcorum populo, ut de terra tollerentur. In brevi tamen fanguinem noftrum fitientibus Græcis, prælia contra nos proditor jam dictus inftaurat, urbem machinis & oppugnaculis munit: quorum fimilia nemo vidit unquam.

Nicolaum Cannabum.

Cumque murus miræ latitudinis lapidibus munitus, cæmentoque tenacitatis & firmitatis antiquæ inftructus, in altum valde infurgens, turres haberet ampliffimas, pedibus circiter quinquagenis paulò, plùs minùfve diftantes, inter quaflibet duas à parte maris, quâ nofter timebatur affultus, turris lignea erigitur fuper murum ftationibus tribus aut quattuor, multitudinem continentibus armatorum.

Nihilominus tamen inter quaflibet duas turres feu petraria feu mangonellum erigitur, turribus autem fuper eriguntur ligneæ turres altiffimæ ftationum fex: fuper quam fupremam ftationem adversùm nos porriguntur fcalæ, appodiationes feu propugnacula continentes, paulò minùs excelfis fcalarum capitibus, quàm jacere in altum poffet arcus à terra. Murum etiam ipfum murus circumcingit inferior, duplexque foffatum, ne muris ulla applicari valerent ingenia, fub quibus poffent latitare foffores.

Interim terrâ marique muros tentat perfidus Imperator, nos femper Domino protegente, & fuos fruftrante conatus. Jam propter ordinationem noftram, ad prædam victualium procul exeuntibus noftris, ufque ad mille animas hominum pugnatorum, Imperator occurrit in multitudine Græcorum, primoque congreffu diffipatur omnino, cæfis captifque non paucis, fine damno noftrorum: fugâ ignominiosâ confulens fibi, clypeum abjicit, arma deponit, & noftris vexillum Imperiale demittit, nobilem, quam fibi præferri faciebat, Iconiam, quam Ordini Ciftercienfi noftri dedicavere.

Iteratò navigium noftrum flammis aggreditur, intempeftæ noctis filentio, fexdecim naves fuas accenfas, velis in altum expanfis & inferiùs colligatis, ad proram flante fortiter Auftro, noftras mittit in naves: fed Domino favente, cum multo labore noftrorum cuftodivimus indemnes, & ardentibus navibus clavis infixis, catenis hærentibus, noftrorum remedio truduntur in pelagus, & ab imminenti mortis periculo à Domino liberamur.

Nos igitur terreftrem eum provocavimus ad pugnam, & ponte atque amne tranfmiffo, qui exercitum noftrum feparabat à Græcis, cuneis ordinatis ante portam diu ftetimus regiæ civitatis & Imperialis palatii, quod *Blacherna* nuncupatur, in nomine Domini agminum Ifraël, præcedente Cruce vivificâ, parati ad prælium Græcos excipere, fi eis placuiffet exire. Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem nobilem Græcum quendam noftri pedites trucidarunt. Sic in caftra reverfi terrâ marique fæpius provocamur, fed dante Domino femper ac triumphaliter obtinemus.

Mittit

De expugnata Conftantinopoli exftat Ducum epiftola ad Othonem IV Cæfarem inferta Annalibus Arnoldi Lubecenfis. De eadem exftat tom. 5 Antiquæ lectionis per Canifium Guntheri hiftoria C. P.

(1) Murculphum. Homo proditionibus & fceleribus infignis, ex illuftri gente *Ducas* oriundus, cognominatus fuit *Murtfuphlus*, à fpecie vultûs. Ita Georgius Logotheta. Ab *Onufr. Panvin.* in Chron. vocatur *Murfuflus*.

(2) Blacernæ Suburbium Conftantinopoleos, in quo fitum erat Palatium pentapyrgion, quod promifcuè inde vocatum eft Palatium Blacernarum, & ab Heraclio muris urbis inclufum, cum Templo Panagias ibidem celeberrimo, paffim etiam nuncupato, *Ad Deiparam Blacernarum*.

Mittit ad nos pacis fictæ Legatos perfidus incubator Imperii, postulat & optat cum Duce colloquium. Cui quidem cum Dux magnanimus objecisset, quod nulla cum eo possit esse pacis securitas, qui dominum suum carceri inclusisset, postpositâ jurisjurandi religione, & fidei ac fœderis inter eos quantumlibet firmiter obtinentis, ... eidemque bonâ fide consuleret, ut dominum suum restitueret, & humiliter veniam postularet, nostras etiam pro se permitteret preces: & quòd cum eodem domino suo misericorditer, si vellet, agere deberemus, ac quidquid contra nos egerat venenosè, si vellet, rediret ad animum, imputare vellemus ætati lapsuive consilii. Ille vana verba subintulit, quia quòd responderet rationabiliter, non haberet. Obedientiam autem Romani Pontificis & subventionem Terræ sanctæ, quod juramento & scripto Imperiali firmaverat, Alexius adeò refutavit, ut vitam amittere præeligeret, Græciamque subverti, quàm quòd Latinis Pontificibus Græcia subderetur.

Nocte igitur insequenti dominum suum laqueo suffocat in carcere, cum quo ipso die prandium sumpserat. Inde & clavâ ferreâ, quam tenebat in manu, latera morientis & costas inauditâ crudelitate confregit, casuque vitam, quam casu extorserat, confingit exemptam, ac Imperiali sepulturâ concessâ propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat.

Sic nobis hiems tota perficitur, donec navibus nostris scalisque aptatis, & instrumentis bellicis præparatis, nos & nostra recipientes in navibus, V. Idus Aprilis, hoc est, feriâ sextâ ante Passionem Domini, unanimiter pro honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & subventione sanctæ Terræ, navali prælio invadimus civitatem, & sine multo nostrorum sanguine, fuimus tanta perpessi, ut inimicis nostris in opprobrium verteremur; quorum eâ die pars per cuncta superior; adeò ut tracta in terram Græcis compelleremur nostra bellica instrumenta relinquere, & infecto negotio ad ripam redire cogeremur adversam, eâ die, ut videbamur, inutiliter fatigati.

Conturbati igitur multùm & contempti, sed demum in Domino roborati, definito rursum consilio instauramur ad pugnam, & .... II. Idus Aprilis, hoc est, feriâ secundâ post Passionem Domini, flante Boreâ, rursum applicamur ad muros, scalis navium, scalis turrium applicatis, cum multo labore nostrorum, permultùm resistentibus Græcis: sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, non diu belli anceps duravit eventus. Duæ siquidem naves pariter colligatæ, quæ nostros Episcopos Suessionensem & Trecensem deferebant, quarum erant insignia, *Paradisus & Peregrina*, scalis suis scalas turrium attigerunt, & felici auspicio peregrino & pro Paradiso pugnantes, hostibus admoverunt.

Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisque cælestium Sacramentorum prima de cælo conceditur victoria: irruentibus verò nostris, Domino jubente, cedit multitudo infinita perpaucis, & propugnacula relinquentibus Græcis, nostri audacter militibus portas aperiunt. Quorum Imperator, qui non procul à muris adstabat, cùm armatum conspicaretur ingressum, statim tentoria dereliquit & fugit. Nostri cædibus occupantur, civitas capitur populosa, recipiuntur in Palatiis Imperialibus, qui nostrorum enses effugerant, multâque cæde factâ Græcorum, nostri sese recolligunt. Advesperacente jam die, arma fessi deponunt, de assultu Palatiorum in crastinum tractaturi: suos recolligit Imperator, crastinam hortatur ad pugnam, asserens, quòd nostros in potestate nunc habeat inter murorum septa conclusos: sed nocte latenter dat terga devictus.

Quo comperto, Græcorum plebs attonita de substituendo Imperatore pertractat, & manè facto ad cujusdam Constantini nominationem procedunt pedites, non expectatâ deliberatione majorum, ad arma prosiliunt: & terga dantibus Græcis, fortissima & munitissima Palatia relinquuntur, totaque in momento civitas obtinetur, diripitur: equorum innumera multitudo, auri & argenti, sericarum pretiosarumque vestium, atque gemmarum, & omnium eorum quæ inter divitias ab hominibus computantur, tam inæstimabilis abundantia reperitur, ut tanta tota non videatur possidere Latinitas; & qui admodum pauca negaverant, nobis cuncta divino consilio reliquerunt; ut securè dicamus, quia majora his mirabilia, circa bellorum casus, nulla unquam narret historia: ut impleta Prophetia manifestè videatur in nobis, quæ dicit; *Prosequetur unus ex vobis centum alienos:* quia si inter singulos, victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores quàm centum obsedit & vicit.

Nunc autem non nobis victoriam usurpamus..... sed dextera Dei & brachium veritatis ejus revelatum est in nobis. A Domino factum est istud, & super omnia mirabilia mirabilius est in oculis nostris.

Ordinatis igitur diligenter, quæ disponenda rerum poscebat eventus, ad electionem Imperatoris unanimiter & devotè procedimus, & omni ambitione seclusâ, cum sex Baronibus Venetorum, Venerabiles Viros Episcopos nostros, (3) Suessionensem, (4) Halberstadiensem, (5) Trecensem, Dominum (6) Bethleemitanum, qui à partibus transmarinis, auctoritate Apostolicâ, nobis fuerat delegatus, (7) Aco- Electores

(3) Suessionensem. *Nivelo de Cherisy*. Suessionensis in Gallia Episcopus, creatus anno 1204 Archiepiscopus Thessalonicensis, pauló post Constantinopoli redit in Galliam, ut inde collectos milites in subsidium Latinorum in Græciam reduceret. In hoc secundo itinere obiit apud Barrium in Apulia anno 1207.

(4) Halberstadiensem. *Conradus* Episcopus Halberstadiensis in Germania; qui Episcopatus modò est secularis Ducatus pertinens ad Regem Borussiæ Electorem Brandeburgicum.

(5) Trecensem. *Garnerus de Traisnel*. Trecensis in Gallia Episcopus, diem clausit extremum Constantinopoli anno 1205.

(6) Bethleemitanum. *Rainerus* Episcopus Bethleemitanus anno 1223 remeavit in Galliam, è Sede sua per Græcos dejectus. Guido Comes Nivernensis ei-

(7)Aconensem electum, & Abbatem Pucedii, Imperatoris nostri sub Domino constituimus Electores. Qui oratione præmissâ, ut decuit, Dominicâ *Misericordia Domini*, personam nostram, quod à nostris meritis procul erat, unanimiter ac solemniter elegerunt, divinas laudes clero & populo pariter acclamante, sequentique Dominicâ, quâ *Jubilate* cantatur, præcipiente Petro Apostolo, Regem honorificari, eique obedire quasi præcellenti, & Evangelio nuntiante, quòd gaudium nostrum nemo tollet à nobis, cum ingenti honore atque etiam tripudio, more etiam suo applaudentibus Græcis, ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subventionem sanctæ terræ gloriosè coronatum, ad Imperii fastigia, Deo & omnibus amabiles Patres... Pontifices, cum universorum applausu & piis lacrimis, sublimarunt.

ADERANT incolæ Terræ sanctæ, Ecclesiasticæ militaresque personæ, quarum præ omnibus inæstimabilis erat & gratulabunda lætitia : exhibitum Deo gratius obsequium asserebant, quàm si civitas sancta Christianis esset cultibus restituta; cùm ad confusionem perpetuam inimicorum Crucis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, terræque Hierosolymitanæ sese civitas regia devoverat, quæ tamdiu tam potenter adversaria stetit & contradixit utrique.

HÆC est enim, quæ spurcissimo gentilium ritu, pro fraterna societate, sanguinibus alternis ebibitis, cum infidelibus ausa est sæpius amicitias firmare ferales, & eosdem diu mamillâ lactavit uberrimâ, & extulit in superbiam seculorum, arma, naves & victualia ministrando. Quid è contrario fecit peregrinis, magis edocere sufficiunt in omni genere Latinorum exempla, quàm verba. Hæc est, quæ in odium Summi Pontificis, Apostolórum Principis nomen audire vix poterat, nec unam inter Græcos eidem Ecclesiam credebat, qui omnium Ecclesiarum ab ipso Domino accepit principatum, & sicut recens eorum recolit memoria, qui viderunt, Legatum Apostolicum morte turpissimâ condemnavit : ita ut pro Apostolici culminis reverentia, nec ipsam paginam præsentem sustineamus mortis illius recordatione pollui, cùm nec inter Martyres legatur ulla consimilis, licet pœnas eorum invenerit ingeniosa crudelitas.

HÆC est, quæ Christum solis dedicat honore picturis, & inter titulos nefandos, quos sibi spretâ Scripturarum auctoritate confixerat, plerumque etiam..... facere consueverat. lavacri salutaris...... jacturam. Hæc est, quæ Latinos omnes non hominum nomine dignabatur, sed canum; quorum sanguinem effundere penè inter merita reputabant; nec ullam pœnitentiæ satisfactionem præsentabant Laïcis Monachi, penes quos, Sacerdotibus spretis, tota ligandi atque solvendi consistebat auctoritas.

HÆC, & ejusmodi deliramenta, quæ epistolaris non valet explanare angustia, impletis iniquitatibus eorum, qui ipsum Dominum ad nauseam provocabant, divina Justitia, nostro ministerio, dignâ ultione percussit; & expulsis omnibus Deum odientibus, & amantibus sese, terram nobis dedit omnium bonorum copiis affluentem, frumento, vino & oleo stabilitam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis, pascuis speciosam ad manendum; & cui similem non continet orbis, aëre temperatam.

SED nec in his desideria nostra subsistunt, nec ab humeris nostris sustinebimus vexillum regale deponi, donec, terrâ ipsâ incolatu stabilitâ nostrorum, partes debeamus invisere transmarinas, & Deo dante propositum peregrinationis explere. Speramus enim in Domino JESU, quod qui cœpit in nobis opus bonum, ad laudem & gloriam nominis sui, & inimicorum Crucis depressionem perpetuam, perficiet, confirmabit, solidabitque.

UNIVERSITATEM igitur vestram propensiùs exoramus in Domino, ut gloriæ hujus atque victoriæ, & spei peroptatæ, cujus ostium magnum nobis apertum est, dignemini esse participes. Quod absque ulla vobis dubitatione continget, si nobiles & ignobiles, cujuslibet conditionis aut sexûs, eisdem desideriis accensi, ad veras & immensas divitias capessendas, temporales pariter & æternas, unanimiter accurratis. Universis enim, Deo dante, sufficimus, quos nobis Christianæ Religionis zelus adduxerit : universos volumus, sicut & possumus, secundùm status suos varietatesque natalium, & augere divitiis & honoribus ampliare.

SPECIALITER autem Deo amabiles viros Ecclesiasticos, cujuscunque religionis aut ritûs, in Domino postulamus, ut ad idem populum Dei potentibus verbis accendant, & exemplis edoceant; catervatim & ipsi venire festinent, ac juvare in locis amœnissimis & uberrimis, non jam in sanguine, sed in multa libertate & pace, omniumque bonorum affluentia Ecclesiam plantatam; salvâ semper, ut decet, in omnibus suorum licentiâ Prælatorum. Valete.

C A-

Additio. dem Præsuli ac Successoribus ejus contulit Hospitale in loco suburbano Clameciaci Diœcesis Antissiodorensis in Comitatu Nivernensi, cum jure & titulo Episcopali. Unde hodieque subsistit Episcopatus Bethleemiticus in Galliâ, ad nominationem Principum Nivernensium. Similiter in Urbe Barriensi in Apulia hodiedum subsistit Archiepiscopatus Nazarenus.

(7) ACCONENSEM. *Acconensis* Episcopus fortè tunc erat Jacobus de Vitriaco; certò is erat anno 1218. Dein renunciatus est S. R. E. Cardinalis & Episcopus Tusculanus, & Patriarcha Jerosolymitanus; obiit anno 1240.

CONSTANTINOPOLIM tenuerunt Latini per annos 58, à Balduino I. Imp. cujus triumphus in hoc Diplomate memoratur, usque ad Balduinum II; quo regnante, Græci, sub Michaële Palæologo anno 1261 Urbem hanc receperunt. Sed summa ei accidit calamitas anno 1453, quo à Mahomete II Turcarum Imperatore die 29. Maii, feriâ tertiâ post Dominicam SS. Trinitatis, regnante tunc Constantino XV. ultimo Græcorum Imperatore, intercepta fuit. Additio.

CAPUT CII.

HENRICUS I *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux anno* 1206. *fundat ac dotat Lovanienſem S. Gertrudis Abbatiam, quæ eſt Canonicorum Regularium, Nobili genere ortorum.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Sciat univerſitas præſentium & poſterorum, quòd ego HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, divinâ præordinante providentiâ, volens amplificare cultum domûs Domini, pro ſalute animæ meæ, & omnium Anteceſſorum meorum, omniumque fidelium, in Eccleſia (1) S. GERTRUDIS in Lovanio, Canonicos Regulares de Ordine & vita Regularium, Inſtitutionis S. Auguſtini inſtituendos, tamquam verus Patronus approbavi, conſenſu & voluntate Præpoſiti & Canonicorum Eccleſiæ S. Petri in Lovanio, ad quorum jus Eccleſia prænominata ſpectabat: qui libero conſenſu eam, ad uſum divini ſervitii, à præfatis Regularibus ibidem in perpetuum obſervandi, tradiderunt.

AD prædictorum itaque Regularium ſuſtentationem, contuli ſtabiliter in eleëmoſynam ſextam partem totius decimæ de *Landen* & *Dormala*, illam ſcilicet partem, quam Daniel de Crainhem diu tenuit ſibi pignori obligatam, & filius ſuus Ægidius, & uſum lignorum in ſilva mea, quæ dicitur *Merdal*, accipiendorum, ad neceſſitates eorum, & cum uno plauſtro tantùm, qui uſus in noſtro vulgari *Fagus* appellatur.

PRÆTEREA liberam eis confero poteſtatem, prædictæ Eccleſiæ atrium circumcludere ſepibus, vel muro, ſi poſſint, & in eo ipſorum officinas, quæ Religioſis competunt, ædificare, ſcilicet Dormitorium & Refectorium, & alia eorum neceſſaria, & poſſeſſiones, quas poſſunt juxta ſe emere, eis indulgeo, ad loci eorum amplificationem, ac dilatationem etiam clauſtralis curiæ. Liberè & plenè concedo præfatis Regularibus domiſtationes, cum curtibus earum, quæ concluduntur inter plateam, quæ dirigitur versùs Eccleſiam S. Petri & *Tilam* fluvium, & quæ atrio S. Gertrudis continuantur, ut habeant eas in omnimoda plenitudine juris, quâ ego & anteceſſores mei eas poſſidebamus, ſcilicet cum cenſibus earum, & aliis juſtitiis, quæ ipſis domiſtationibus appendebant.

NE igitur in dubium veniat in poſterum, quæ ſint illæ domiſtationes, eas nominare expreſſis vocabulis dignum duxi. Domiſtatio, quæ fuit antiquitus Joannis de S. Gertrude, quæ ſolvit mihi & anteceſſoribus meis quattuor denarios cenſûs, & quæ modò diviſa eſt in ſex manſiones: in manſionem Godefridi de S. Gertrude, & manſionem Arnoboldi Piſcatoris, & manſionem Walteri Regis, & manſionem Joannis Bec de Dieſt, & manſionem Henrici de Velthem, & manſionem Arnoldi de Godobolſrode. Item domiſtatio Walteri Maah, & domiſtatio proxima atrio.

DEDI etiam poteſtatem ſæpedictis Regularibus has domiſtationes emendi, cum hereditatibus, cùm poſſunt, me non requiſito, vel aliquo herede meo, vel aliquo Officiario vel Judiciario meo, vel ſucceſſorum meorum.

PRÆTER hæc ſciant omnes, quod ipſos Canonicos & omnia bona eis collata, & conferenda à fidelibus, meæ & ſucceſſorum meorum ſuppono protectioni, ne aliquis contra eos audeat malignari, & ut perpetuâ pace gaudeant.

UT autem hæc omnia firmam in Domino ſtabilitatem obtineant, præſens Scriptum confirmari curavi ſigilli mei appenſione, ut omnis falſitatis calumnia in poſterum ſopiatur.

ACTUM anno Dominicæ Incarnationis mil- 1206
leſimo ducenteſimo ſexto.

C A-

Additio. (1) SANCTA GERTRUDIS. Virgo ac prima Abbatiſſa Monaſterii Nivellenſis, quod nunc illuſtre eſt Nobilium Canonicarum Collegium. Parentes habuit Pipinum Landenſem & * Idubergam. Obiit anno 664. inter Cælites relata per Honorium III Pont. feſto ejus incidente in diem 17 Martii. Cultus ejus non modo celebris eſt Nivellis, Lovanii, ac Gertrudisbergæ prope Hollandiam; ſed & per totum ferme Belgium, ubi plurimæ Eccleſiæ in ejus honorem ſunt conſecratæ; imò & in Germania, præſertim Auguſtæ Vindelicorum, ubi inſignis Eccleſia Canonicorum; & Oſnaburgi, ubi Abbatia Virginum Benedictinarum, Sanctam Gertrudem tutelarem habent. Vitam ejus ſcripſit ac publici juris fecit anno 1637 *Joſephus Geldolphus à Ryckel*, Abbas S. Gertrudis Lovanii.

* Aliis Itam.

SANCTÆ GERTRUDIS Monaſterium Lovanii, primis exordiis fuit Præpoſitura Canonicorum Regularium, anno 1449 à Nicolao V Pont. Abbatiæ titulo inſignitum, cui acceſſit anno 1652, donante Innocentio X, uſus mitræ & Pontificalium, in favorem Abbatis *Winandi de la Margelle*, ac Succeſſorum ejus. Additio.

Ad hanc Abbatiam nulli niſi præclaris orti natalibus, ab ipſa prima Inſtitutione, aſſumuntur. Solent paſſim Abbates eſſe Conſervatores Privilegiorum Academiæ Lovanienſis, quo munere hodiedum præclarè fungitur Illuſtr. D. Abbas *Alexander Carolus de Pallant*, Ordinum Brabantiæ ſæpius Deputatus Ordinarius &c.

CAPUT CIII.

(1) ÆGIDIUS BERTHOLDUS *Ægidii & Catharinæ filius, Dominus in Berlar, ex familia Toparcharum Machliniæ & Grimbergæ, anno* 1235 *fundat Abbatiam* (2) *S. Bernardi, Ordinis Cisterciensis, prope Antverpiam.*

Ægid. de Bertout.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. ÆGIDIUS BERTHOLDUS, vir nobilis, universis præsens Scriptum inspecturis, cognoscere veritatem.

UNIVERSITATI vestræ notum fieri cupimus, quòd nos communicato consilio cognatorum & amicorum nostrorum, virorum Religiosorum & Jurisperitorum, de consensu & voluntate viri nobilis WALTERI BERTHOLDI, Domini & consanguinei nostri, quidquid juris habemus, vel habere possumus in villis de *Vrimede*, de *Millenghem*, de *Brochem*, & de *Oudem*, in terris, molendinis, pratis, silvis, aquis, pascuis, mansionariis, reditibus sive censibus, aridis, siccis, & rebus aliis (salvis tamen nobis, & successoribus nostris, hominibus feodalibus & familiis, & de sanguine, & hujusmodi juribus superioribus) liberè & absolutè contulimus, in puram eleëmosynam, ob remedium animæ nostræ & animarum patris, matris, & prædecessorum nostrorum, in manus Abbatis VILLARIENSIS, Cisterciensis Ordinis, in Brabantia, Leodiensis Diœcesis, ad fundandum Monasterium Monachorum ejusdem Ordinis, ubicumque in prænominatis quattuor villis, infra terminos nostros, locus ad hoc inventus fuerit magis idoneus. Ita etiam quòd ibidem Abbas resideat, & Conventus Ordinis memorati.

Vremden. Mnegghem. Broechem Ouwen.

CONVENTUS autem ille sumendus est de Monasterio Villariensi, & non aliunde. In memorato autem Monasterio, quale jus habet Dux Brabantiæ in Monasterio Villariensi, tale nobis & Successoribus nostris reservamus. Testes, qui interfuerunt huic facto, sunt hi viri nobiles.

ÆGIDIUS BERTHOLDUS, pater noster.
*Waltherus Bertholdus, *Henricus Bertholdus } consanguinei nostri.
Nicolaus, Willelmus } filii Peregrini.
Gosuinus Boc, Arnoldus Pottere, Walterus de Haght } milites.
Magister Gaufridus, Canonicus Lovaniensis,
Godescaleus, Henricus de Berlar. } Sacerdotes.
Mater nostra CATHARINA.
Uxor nostra HELUIGIS, & multi alii.

*Dominus Mechliniæ *Dominus de Outle & Gheis.

ET ut donatio ista rite facta robur habeat in perpetuum, Sigillum nostrum præsentibus appendere curavimus. Datum & actum apud BERLAR, anno Domini MCC. tricesimo quinto, feriâ tertiâ ante Purificationem B. Mariæ Virginis.

Ballar. 1235.

(1) ÆGIDIUS BERTHOLDUS. Uxorem habuit Heluigem: fratres verò Ludovicum & Godefridum.

*Nunc Bailar.

Fortè idem cum eo, qui decimas de * Berlaer & Ghele dedit Monasterio Vallis Rosarum 1227, & duas ibi filias collocavit.

Additio.

(2) SANCTI BERNARDI Abbatia, ad Scaldim, primarium agnoscit fundatorem Henricum II Brabantiæ Ducem cognomento *Magnanimum*; Dotatores verò Dominos Bertholdios, Mechliniæ ac Grimbergæ Dynastas. Primi Religiosi ex Abbatia Villariensi evocati sunt: circa annum 1490 concessus fuit Abbati usus mitræ ac Pontificalium.

Anno 1560 à Pio IV. Pont. unita atque incorporata fuit hæc Abbatia Episcopatui Antverpiensi, fueruntque sex primi Episcopi simul ibidem Abbates; sed anno 1649 sub Episcopo Gaspare Nemio facta fuit separatio Abbatiæ ab Episcopatu, certis sub conditionibus, certisque bonis assignatis, uti latiùs refert Baro le Roy in Notitia Marchionatûs S. R. I.

Additio.

CAPUT CIV.

S. LUDOVICUS *Galliæ Rex Comitatum Artesiæ, à Ludovico patre suo institutum, anno* 1237 *confirmat.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. (1) LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex, notum facimus, quod cum claræ memoriæ Genitor noster, LUDOVICUS *Rex Francorum illustris, in testamento suo ordinaverit, & pro parte hereditatis assignaverit carissimo fratri nostro (2) ROBERTO terram *Atrebatesii*, quam idem Genitor noster ex parte matris suæ habebat, *Atrebatum*, *S. Audomarum*, & *Ariam*, cum pertinentiis eorumdem, & post decessum carissimæ Dominæ matris nostræ (3) B. Reginæ Francorum illustris, *Hesdinum*, *Bapalmum*, & *Lens*, eum eorum pertinentiis, quæ eadem Domina mater nostra tenebat, nomine dotalitii, ex parte Isabellæ Reginæ, aviæ nostræ, moventia: Nos sinceritatem dilectionis, quam ad eumdem fratrem habemus, volentes per exhibitionem operis ostendere, volumus, & eidem fratri nostro per præsentem Chartam concedimus totam terram

*VIII Dominus etiam Atrebatesii

ram prædictam, salvis feudis & eleëmosynis, quæ tenebunt & reddentur, sicut tempore Genitoris nostri, sibi & heredibus suis jure hereditario possidendam.

ITA quod tam illam terram *Atrebati*, *S. Audomari*, & *Ariæ*, quam antea tenebamus, quàm illam, quam Domina mater nostra nomine dotalitii possidebat, cum eo jure quod eadem Domina mater nostra in emptione habebat, quam apud * Villanas fecerat, sita in feodo *Lensii*, tanquam hereditatem suam habeat, teneat & possideat. Et ipse nobis homagium ligium inde fecit, & heredes ejus nobis & heredibus nostris similiter facere tenebuntur; & nos prædictum dotalitium, nomine matris nostræ, in loco sibi grato, & placenti, ad terræ æquivalentiam commutavimus eidem Dominæ matri nostræ.

* Violenez vicus prope Bassam & Lensium.

IDEM autem frater noster de prædictis, pro parte terræ quam habere debebat, se habet pro pagato: nec ipse, nec heredes ejus à nobis vel heredibus nostris, ampliùs pro parte terræ possunt petere neque petent. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem Paginam sigilli nostri auctoritate, & Regii nominis charactere inferiùs annotato, fecimus confirmari.

ACTUM apud Compendium, anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo tricesimo septimo, mense Junio, Regni verò nostri anno XI, astantibus in Palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa.

Compiegne. 1237.

Dapifero nullo
Signum Roberti (4) Buticularii.
Camerario nullo.
Signum Almarici Constabularii.
Data vacante Cancellariâ. LODOVICUS.

Additio. (1) SANCTUS LUDOVICUS IX. filius Ludovici VIII Galliarum Regis, & Blancæ quæ erat filia Alphonsi Castellæ Regis, natus est Poissiaci anno 1215. Patri suo successit anno 1226 sub tutela Matris, à qua non minùs bene gubernare, quàm piè vivere didicit. Iter in Palestinam iteratò suscepit, ac primò quidem captus ab Infidelibus anno 1250, non sine ingenti lytro vitam libertatemque redemit. Secundo itinere suscepto, in obsidione Tunetana peste correptus, sanctè obiit anno 1870, 25 Augusti, quo die festum ejus ab universa Ecclesia celebratur, posteaquam à Bonifacio VIII Pont. anno 1297 inter Sanctos relatus fuit. Uxorem duxerat Margaretam filiam Comitis Provinciæ, ex qua filium ac Successorem habuit Philippum III.

Additio. (2) ROBERTUS, S. Ludovici Regis frater, ab eodem creatus anno 1237 primus Comes Artesiæ, primis nuptiis uxorem habuit Mariam filiam Ferrandi Portugalliæ Principis & Joannæ Comitissæ & heredis Flandriæ, quæ sine prole obiit. Secundò duxit Mathildem filiam Henrici Ducis Brabantiæ, è qua posteros & heredes in Comitatu Artesiæ reliquit.

Additio. Fratrem suum in itinere transmarino secutus, in Ægypto occubuit anno 1249, ætate floridâ (vix enim tricesimum tertium attigerat annum) Damiatâ ad Nili ripas expugnatâ, dum incredibili fortitudine atque alacritate Barbaros prosequitur ac fundit, tandem ad Manzoram, cum plurimis aliis cæditur mense Decembri, nec ampliùs usquam apparuit. *Ita Ferreolus Locrius in Chronico Arth. ad ann. Christi* 1249.

(3) BLANCA, Mater S. Lodovici Regis, piè obiit anno 1252, ætatis 64, sepulta in Abbatia B. Mariæ Regalis, vulgò *Maubuisson*, prope Pontisaram, Ordin. Cisterc. quam fundaverat.

(4) ROBERTUS DE COURTENAI, Buticularius, vulgò *Grand Bouteiller de France*, obiit in itinere transmarino anno 1239.

CAPUT CV.

HENRICUS II *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Locum S. Bernardi ad Scaldim Abbati ejusdem Monasterii in purum Alodium confert*, *anno* 1243.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, omnibus præsentes litteras inspecturis, cognoscere veritatem.

NOVERIT Universitas vestra, quòd GOSUINUS Miles, dictus BOCK totum feodum, quod de nobis tenebat in territorio de *Heimicsem* in pratis, aquis, piscariis, silvis, terris cultis & incultis, reditibus, & rebus aliis ad opus Abbatis & Conventûs de Loco S. BERNARDI, Cisterciensis Ordinis, qui ab ipso GOSUINO præfatum feodum, titulo emptionis, justè acquisiverunt, in manus nostras quasi veri Domini, & Superioris ipsius feodi reportavit, atque justo modo *werpivit, nihil sibi juris, nihil suis heredibus in dicto feodo, ad præsens vel in posterum, reservando.

Hemexem

* Id est abdicavit.

NOS verò, ob remedium animæ nostræ, patris, matris, & uxoris, prædecessorum & successorum nostrorum, dictum feodum præfatis Abbati & Conventui in purum contulimus alodium, liberè & absolutè perpetuò possidendum, nihil juris nobis vel posteris nostris, præter tres articulos altæ Justitiæ, scilicet manifestam sanguinis effusionem, membrorum mutilationem, & vitæ ablationem, si excessus delinquentium hoc exegerit, in ipso alodio reservando.

NOS insuper dictos fratres Abbatem & Conventum, cum omnibus bonis suis, sub protectione nostra suscipimus & tutela. Ipsi enim Fratres pro peccatis nostris tenentur specialiter orare. Huic autem facto interfuerunt,

Arnoldus Abbas Villariensis.
Franco Monachus.
Joannes Conversus ibidem.
Abbas de * Hellenchines.
Magister Daniel.
Simon Capellanus noster.

* Alias Heylissem Ord. Præmonst. in Brabantia.

Franco

Franco Canonicus de Liera.
Willelmus de Grimberges.
Arnoldus Dapifer de Rochelar.
Gerardus de Isca.
Willelmus & Hugo, Fratres, dicti Noise, & alii quàm plurimi.

In cujus rei testimonium præsentem Chartam sigillo nostro duximus roborandam. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio; feriâ tertiâ post festum Petri ad Vincula. 1243.

CAPUT CVI.

Ludovicus Bertholdus, *Dominus in Berlar, donationes ab Ægidio fratre suo factas, ad fundandum S. Bernardi Monasterium, prope Antverpiam, approbat anno* 1245.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti. Henricus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, omnibus præsens scriptum intuentibus testimonium veritatis acceptare.

Noveritis, quòd vir nobilis (1) Lodewicus de Berlar, dictus Bertout, in præsentia nostra & multorum hominum nostrorum constitutus, eleëmosynam in villis de *Vrimede*, de *Millenghem*, de *Brughem*, & de *Oudem*, quàm piæ memoriæ vir nobilis (2) Ægidius Bertout, ipsius germanus, jamdudum legaverat ad fundandum novum Monasterium Ordinis Cisterciensis, quod nunc fundatum Locus S. Bernardi vocatur, ratam habuit & acceptam, nihil sibi juris vel suis heredibus in eadem eleëmosyna reservando, salvis sibi hominibus feodalibus & mansionariis, ad idem feodum pertinentibus in villis eisdem, & alta justitia, ita quòd nullum Justitiarium secularem adducere poterunt Fratres dicti Monasterii in ipsis villis, præter ipsum Lodewicum, & (3) Walterum Bertout, ac eorum Successores; nisi ipsis Fratribus à dictis nobilibus Justitia deesset.

Vremde. Millreg-hem. Broechem. Ouwen.

Sicque ad preces nostras, intuitu Dei, & ob remedium animæ suæ, matris, fratris, prædecessorum & successorum suorum concessit, ut dicti Fratres ad locum sibi magis congruum suam transferant Abbatiam: ita quòd Capella infra terminos dictæ eleëmosynæ remaneat, ubi Missa pro animabus fundatorum quotidie, cùm id congruè fieri poterit, in perpetuam memoriam celebretur.

Orationes etiam omnes, cum ceteris beneficiis spiritualibus, quas ipsi & eorum successores in perpetuum facient, animæ sæpe dicti Ægidii, & omnium suorum Successorum, concesserunt integraliter dicti Fratres, ac si Abbatia eorum apud unam dictarum villarum remansisset.

Testes interfuerunt hi.

Walterus Bertout, Dominus ipsius Lodewici.
Henricus Bertout.
Godefridus frater noster.
Willelmus de Grimberges. } nobiles.
Arnoldus de Rochelar, Dapifer. }
Henricus de Attenhove.
Gerardus de Isca, * Dapifer noster.
Gosuinus dictus Boc.
Walterus de Hacht. }
Walterus Clutinc. }
Reinboldus de Thunis. } milites.
Henricus de Heisbroec. }
Alexander de * Hemminesem. }
Daniel Castellanus de Geneppia.
Godefridus de Bruel.
Simon Capellanus noster.
Willelmus Clericus noster, & multi alii.

* Dapifer Henrici Brabantiæ Ducis, qui loquitur hic.

* Heimissem.

In cujus rei testimonium præsentem chartam Sigilli nostri munimine duximus roborandam.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, mense Septembri, apud (4) Ruslenberge. 1245.

C A-

Additio. (1) Ludovicus Dominus de Berlaer (nunc Ballaer, fratri suo Ægidio Bertholdo sine liberis defuncto successit; uxorem dusit Sophiam Dominam de Gramines. Ex eadem genuit Florentium Berlaræ Dominum, Joannem Dominum de Gramines, aliosque liberos. Horum Dominorum de Berlaer frequens fit mentio in Tabulis Comitiorum Cortembergæ habitorum, apud Divæum in Rebus Brabanticis, & apud Butkens in Trophæis Brabantiæ &c.

(2) Ægidius Bertout, idem cujus Diploma supra relatum fuit cap. 103.

(3) Walthsrus Bsrtholdus cognomento *Magnus*, obiit circa annum 1283, sepultus Mechliniæ in ambitu Chori D. Rumoldi. Duas habuit uxores, Mariam Guilielmi Arverniæ Comitis filiam, & alteram Mariam. Proles ei fuere Waltherus & Florentius, dein Domini Mechliniæ, & Guilielmus Præpositus Ecclesiæ S. Petri Lovanii, dein Episcopus Ultrajectinus, Sophia Henrico Bredæ Domino, & Mathildis Mauritio Domino de Craon nuptæ. Additio.

(4) Ruslenberge, *Roeselberch* prope Lovanium, puto.

CAPUT CVII.

Ducatus Burgundiæ PHILIPPO AUDACI *filio* (a) *à Joanne Francorum Rege anno* 1363 *datur : quam Donationem postea* CAROLUS V. (b) *Rex, Philippi frater anno* 1364 (1) *editis Tabulis laudavit.*

(a) Quarto genito.
(b) Cognomento Sapiens.

CAROLUS Dei gratiâ Francorum Rex, notum facimus universis præsentibus, pariter & futuris, Nos vidisse litteras claræ memoriæ Domini Genitoris nostri, formam quæ sequitur continentes.

JOANNES Dei gratiâ Francorum Rex. Ad subditorum quietem & pacem curam gerentes sollicitam, facti didicimus experientiâ, non modicùm prodesse, fideles & strenuos habere Vasallos. Ipsorum enim meritis, propulsis invidis & æmulis, pacis tranquillitas acquiritur, & justitia, omnium regnorum fundamentum, pacificè administratur, ad regnantium gloriam & honorem : unde fervor oritur dilectionis ad Dominum, cujus etiam crescit vigor subjectionis in eisdem.

NOVIMUS insuper Coronam stabiliri Regiæ Majestatis, dum personæ præclari generis, moribus utique & honestate vernantes, dignitatibus inclytis præferuntur. Ipsorum igitur adsistentiâ laterali non minùs sceptra coruscant regnantium, quàm gemmis corona.

LAUDABILIA igitur prædecessorum nostrorum Regum, qui solitâ munificentiâ dignis consueverunt digna rependere, sequentes vestigia, etsi singulos, juxta suorum exigentiam meritorum, desideremus prosequi favoribus gratiosis, digniores tamen censemus debere dignioribus insigniri. Attendentes quod etsi naturaliter nostris tenemur liberis assignare, unde statum, juxta suæ perspicuitatem prosapiæ, honorificè continuent; ad hoc tamen impendendum eò liberaliùs inducimur, quò instantiùs eorum continuata merita id exposcunt.

ET desiderantes affectuosiùs gravamina & oppressiones, irruentibus hostibus, illatas subditis nostris *Ducatûs Burgundiæ*, qui ex successione bonæ memoriæ PHILIPPI, ultimi Ducis ejusdem, in nos, ut propinquiorem in genere, noviter est delatus, amputare, & ipsorum providere quieti : & ad memoriam reducentes grata & laude digna servitia, quæ carissimus PHILIPPUS, filius noster quartogenitus (qui spontè expositus mortis periculo, nobiscum imperterritus & impavidus stetit in acie prope *Pictavos*, vulneratus, captus & detentus in hostium potestate) ibi & post liberationem nostram hactenus exhibuit, indefessè, & vero amore filiali ductus: ex quibus suam meritò cupientes honorare personam, perpetuoque præmio fulcire, sibi paterno correspondentes amore, spem & fiduciam gerentes in Domino, quod ipsius crescente providentiâ, dicti nostri subditi Ducatûs ejusdem, à suis oppressionibus releventur.

NOTUM itaque facimus universis, præsentibus pariter & futuris, quod nos his & aliis justis considerationibus excitati, & ad humilem supplicationem subditorum nostrorum dicti Ducatûs, prædictum *Ducatum Burgundiæ* in Pariatu, & quidquid juris, possessionis & proprietatis habemus, & habere possumus, & debemus, in eodem, nec non & in *Comitatu Burgundiæ*, & in quacumque parte ipsius, ex successione prædicta, cum universis & singulis honoribus, juribus, redditibus & proventibus, hominibus, homagiis, feudis & retrofeudis, jurisdictionibus altis, mediis, & bassis, mero & mixto imperio, civitatibus, villis, castris, & castellaniis, domibus, maneriis, stagnis, fluviis, seu ripariis, nemoribus, forestis, vineis, terris, pratis, censibus, & aliis possessionibus quibuscumque dicti Ducatûs, & juris, quod habere possumus ex causa prædicta in Comitatu prædicto, quocumque nomine nuncupentur, & cujuscumque valoris existant, dicto filio nostro concessimus, donamusque & concedimus, tenore præsentium, de nostris speciali gratia, certa scientia, auctoritate Regia, & nostræ Regiæ potestatis plenitudine, præmissaque in eum transferimus tenenda, possidenda per eum, & HEREDES suos, in legitimo matrimonio, ex proprio corpore procreandos, perpetuò, hereditariè, pacificè, & quietè.

PONENTES ex nunc dictum *Ducatum Burgundiæ*, & jus, quod ex successione prædicta habemus in *Comitatu* prædicto, cum suis prædictis pertinentiis, extra nostrum domanium, & separantes omninò : cui siquidem domanio præmissa duxeramus adjungenda, non obstante, si voluerimus & ordinaverimus, sub quibuscumque modo, obligatione, submissione & forma verborum, vel quod ejusmodi ordinatio præcesserit, vel si habitatoribus dictorum Ducatûs & Comitatûs, seu communitatibus villarum, castrorum, vel locorum aliorum eorumdem, vel personis singularibus concesserimus, præmissa in toto vel in parte, à nostro & Coronæ nostræ domanio, nullatenus ex tunc in antea separari. Quorum dictum filium nostrum

(1) EDITIS TABULIS. Hinc liquet falsum esse quod Franci allegant, Ducatum Burgundiæ esse unitum cum Corona Galliæ, quæ unio nunquam facta fuit : ut Mercurinus Gattinarius Cancellarius Burgundiæ allegavit in Tractatu Caletensi 1521. producens hoc Diploma Joannis Regis, & Confirmationem Caroli V. fratris Philippi.

ſtrum *Ducem*, *primumque Parem Franciæ* facimus & creamus. Volentes & concedentes eidem, ut ipſe ſuique heredes ex proprio corpore, in legitimo, ut prædicitur, matrimonio procreati, qui ei ſuccedent in Ducatu prædicto; utantur & fruantur perpetuò & pacificè univerſis & ſingulis privilegiis, franchiſiis, juribus, libertatibus, & prærogativis, quibus uſi ſunt hactenus & utuntur ceteri pares Franciæ, omni modo & formâ, quibus tenebant dictum Ducatum, & dictis privilegiis uſi fuerunt hactenus Duces Burgundiæ, & utebatur dictus defunctus ultimus Dux PHILIPPUS, dum vivebat; ſalvis tamen donationibus & conceſſionibus, ſi quas fecimus, poſtquam dictus Ducatus devenit ad manum noſtram, ut prædicitur, quas nolumus effectu fruſtrari.

SALVIS inſuper, & retentis nobis & ſucceſſoribus noſtris Franciæ Regibus, ſuperioritate & reſorto dictorum donaturum; fide etiam ac homagio Ducis præſtandis nobis & ſucceſſoribus noſtris prædictis, modo debito & conſueto fieri & præſtari per Duces Burgundiæ temporibus anteactis, regalibuſque & juribus aliis regiis ad nos pertinentibus ad cauſſam noſtræ Coronæ, & quæ habebamus vivente dicto ultimo Duce defuncto, in Ducatu prædicto.

PRO quibus donatis prædictis, dictus filius noſter nobis fecit homagium tanquam Dux & primus Par Franciæ prædictus & eo modo, quo defuncti Duces Burgundiæ tenebantur, & conſueverunt facere nobis, & noſtris prædeceſſoribus. Ad quod homagium admiſimus eumdem: quem per hoc emancipavimus, & extra poteſtatem noſtram paternam poſuimus, & ponimus per præſentes. Salvo inſuper & retento, quòd ſi dictus filius noſter, vel ſua poſteritas, ut prædicitur, procreanda deceſſerint, quod abſit, abſque herede ex proprio corpore, ſuccedente in dicto Ducatu, præmiſſa univerſa & ſingula ſic donata, pleno jure integraliter revertentur ad nos, & ſucceſſores noſtros Reges, qui pro tempore fuerint, noſtræ Coronæ domanio applicanda.

PER hanc autem conceſſionem noſtram præſentem & donum, *Ducatum Turoniæ*, quem cum ſuis pertinentiis dictu filio noſtro aliàs donavimus, ad manum noſtram ponimus, & retinemus, ordinaturi de eodem ad noſtræ beneplacitum voluntatis. Quapropter damus præſentibus in mandatis univerſis Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, univerſis Ducibus, Comitibus, Baronibus, & aliis Nobilibus, aliiſque Clericis & Laicis, ad quos pertinuerit, quatenus homagia & deveria, honores, ſervitia, & obedientias, in quibus Nobis tenebantur ante donationem præſentem, ratione Ducatûs & aliorum donatorum prædictorum, præſtent & faciant indilatè & de cetero dicto filio noſtro, ſuiſque heredibus antedictis, de legitimo matrimonio procreandis, modo & formâ, quibus ipſa fecerant, & facere debuerant dicto ultimo defuncto Duci: per quorum præſtationem nos inde abſolvimus penitus, & quitamus eoſdem, volumuſque obediant dicto filio noſtro, tanquam Duci dicti Ducatûs & Pari Franciæ primo, plenariè, & abſque difficultate quacumque.

MANDAMUS inſuper dilectis & fidelibus Conſiliariis noſtris, Præſidentibus, & aliis gentibus noſtri parlamenti Pariſienſis, univerſis inſuper Juſtitiariis & Officiariis noſtri regni præſentibus & futuris, quatenus dictum filium noſtrum & heredes ſuos, prædictos Duces Burgundiæ & Pares Franciæ, in omnibus caſibus atque locis, in judicio & extra, ut Duces & primos Pares Franciæ recipiant & admittant; ipſoſque faciant & permittant uti & gaudere pacificè prærogativis, franchiſiis, libertatibus, honoribus, & juribus Ducatûs & Pariatûs, & noſtram præſentem ordinationem teneri perpetuò inviolabiliter: nihil facientes vel attentantes in contrarium quoquomodo; non obſtantibus conſuetudinibus, ſtatutis, uſibus, & privilegiis contrariis quibuſcumque, doniſque & gratiis dicto filio noſtro factis aliàs, & quæ in præſentibus non fuerint expreſſata.

QUOD ut firmum & ſtabile permaneat in futurum, noſtris præſentibus litteris fecimus apponi ſigillum; ſalvo in aliis jure noſtro, & in omnibus alieno. Datum Germiniaci ſupra Maternam in die ſexta Septembris, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio. 1363.
Per Regem. Ivo.

NOS igitur memores, quòd ipſo Domino Genitore noſtro adhuc ſuperſtite, attentis cauſſis & conſiderationibus, quibus ipſe Dominus Genitor noſter, in donatione dicti Ducatûs Burgundiæ, cariſſimo fratri noſtro PHILIPPO, de quo in eiſdem litteris fit mentio, ducebatur, quas veras & efficaces fuiſſe & eſſe cognovimus, amore inſuper ſpeciali, quem ad ipſum fratrem noſtrum ſemper habuimus, & adhuc gerimus & habemus, dictam donationem, & cetera contenta in litteris ſupra ſcriptis grata habuimus, ex tunc pro futuris temporibus bonâ fide promittentes in contrarium non venire, quovis exquiſito colore & occaſione, ad quemcumque ſtatum nos venire, vel aſcendere contingeret. Et ſuper hoc noſtras ſibi litteras. recolimus conceſſiſſe, ipſas litteras, donationem, & cetera in eis contenta, rata habentes, & grata, eas volumus, laudamus, approbamus, & de ſpeciali gratia, auctoritate noſtrâ Regiâ, & certâ ſcientiâ, tenore præſentium, confirmamus, volentes & concedentes, ut ipſe frater noſter dicto Ducatu, & aliis ſibi donatis prædictis, ſuique heredes, ex ſuo corpore, in recta linea, & legitimo matrimonio procreandi gaudeant & utantur, juxta præſcriptarum ſeriem litterarum.

ET ex abundanti, ipſius & ſuorum ſecuritati providere volentes, dictum Ducatum, & alia ſibi præſcriptarum ſerie litterarum donata, tenenda & poſſidenda, modo & formâ, quibus in eiſdem continetur litteris, eidem fratri noſtro donamus & concedimus, de noſtris, gratia, ſcientia & auctoritate prædictis.

DE quibus ipſe frater noſter, ut Dux & Par Franciæ prædictus, nobis fecit homagium, ſub forma

forma in præscriptis inserta litteris: ad quod ipsum admisimus: salvis & retentis eis, quæ dictus Dominus Genitor noster decrevit, per præscriptas litteras, sibi & suis successoribus retineri.

QUAPROPTER damus præsentibus in mandatis, universis & singulis Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, Ducibus, Comitibus, Baronibus, & aliis Nobilibus, ceterisque Clericis & Laicis, ad quos pertinebit, quatenus homagia, fidelitates, honores, servitia, & deveria, quibus Duci dicti Ducatûs tenentur, & teneri possunt & debent, præstent & faciant indilatè, & de cetero dicto fratri nostro, & suis heredibus, in legitimo matrimonio procreandis, modo & formâ in suprascriptis litteris expressatis. Per quorum præstationem nos inde absolvimus penitus, & quitamus eosdem, eidemque obediant tanquam Duci.

QUEM siquidem fratrem nostrum in Parlamento nostro Parisiensi, & ubique in regno nostro, in judicio & extra, & suos heredes prædictos Duces Burgundiæ volumus in omnibus casibus, ut *Duces Burgundiæ & primos Pares Franciæ* admitti, recipi & tractari, ac uti & gaudere Privilegiis, juribus, & honoribus Ducatûs & Pariatûs perpetuò, pacificè & quietè.

ET ulteriùs donum & gratiam dicti Domini Genitoris nostri prædictam & nostram præsentem ampliantes, *domum Burgundiæ*, sitam in Monte S. Genovefæ Parisius, quæ à longis temporibus citra, fuit Ducum Burgundiæ, eidem fratri nostro pro se & suis heredibus prædictis donamus, de gratia & auctoritate prædictis, tenendam cum suis pertinentiis, eo modo & formâ, quibus dictus ultimus Dux Burgundiæ eam tenuit, quoad vixit.

NON obstantibus eis, quæ dictus Dominus Genitor noster voluit in suis præscriptis litteris non obstare, & donis per ipsum, vel Nos dicto fratri nostro aliàs factis, quæ pro expressis in præsentibus haberi volumus & censeri: Quod ut firmum & stabile perpetuò perseveret, nostrum, quo ante susceptum regni nostri regimen utebamur, præsentibus litteris fecimus apponi sigillum; salvo in aliis jure nostro, & in omnibus alieno.

Datum in LUPARA prope Parisios, die secundâ Junii, anno Domini millesimo trecente- 1364.
simo sexagesimo quarto.

FINIS.

AUBERTI MIRÆI DIPLOMATUM BELGICORUM LIBRI DUO.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino

D. ALPHONSO S. R. E. CARDINALI DE LA CUEVA.

AMplissimis & in omne ævum victuris Viris, PETRO PECKIO Brabantiæ, & HENRICO UWENO Gelriæ, Cancellariis, hortantibus & adjutantibus, ante annos aliquot Tabulas ac Diplomata veterum Ecclesiarum Belgicarum, cum blattis ac tineis luctantia, à situ & putredine vindicare cœpi. Illorum Centuriam unam, familiæ Serenissimorum Principum ALBERTI & ISABELLÆ EUGENIÆ Bruxellis adscriptus, & Bibliothecarii munere, licet indignus, per eosdem auctus, ne otio aulico torpescerem, unum in corpus digessi, & typis ante triennium publicavi. Quod quidem nostrum aliquale in Ecclesiam ac Rempublicam studium, utriusque ordinis, cùm sacri tum politici, viris primariis (absit verbo jactantia) mirificè placuit: qui ad reliqua id generis monumenta in lucem proferenda, me quà monendo, quà juvando, non semel excitarunt.

Antverpiam itaque, ad veterem nostram sedem ac domicilium postliminio reversus, animi caussâ, quasi aliud agens, Centurias istas duas, ex ingenti Diplomatum seu Donationum piarum, variis è locis ad me eruditis ab amicis missarum acervo, seposui: quas nunc Illustrissimo ac Reverendissimo nomini Vestro inscriptum eo.

Belgicarum porrò provinciarum Historia, cùm ecclesiastica tum po-

litica, hactenus obscura fuit, & Brabonicis, Forestaricis, Melusinicis aliisque fabellis impedita, & sexcentis erroribus intricata. Lotharingia nostra inferior seu Ripuaria (quæ primum ac vetutissimum Principibus nostris titulum donat) & Limburgum primos suos Duces; Luxemburgum, Gelria, Hannonia & Namurcum veteres suos Comites; Antverpia nostra Godefridum Bullonium & alios suos Marchiones, Gandavum, Alostum, Arschotum & Strya suos item Comites; Bruxella, Brugæ, Ipra, Insulæ Flandrorum, Cameracum, Lensium, aliæque urbes, oppida ac municipia suos olim Castellanos seu Vicecomites ignorarunt.

Cameracensis, Tornacensis, Atrebatensis, Morinensis, Ultrajectinæ, Antverpiensis, Gandensis, Brugensis, Audomaropolitanæ, & aliarum Ecclesiarum Cathedralium; Vedastini item, Blandiniensis, Bertiniani, Amandini, Maricolensis, Marchianensis, Hasnoniensis, Gemblacensis, Affligemiensis, Aquicinctini & aliorum illustrium Monasteriorum nostratium veræ origines Cimmeriis velut in tenebris hactenus latuerunt. Ego pro virili meo lucem aliquam adferre conatus sui: & erit fortasse, si Deus vitam & otium dederit, cùm Annales Ecclesiasticos Belgii, exemplo magni illius Cæsaris Baronii (quem sequi juvat, nam assequetur nemo) publici juris faciemus.

Officium itaque, quod Religioni ac Patriæ quoquo modo præstiti, ut bonam in partem, *Illustrissime ac Reverendissime Domine*, Te conciliatore ac parario, omnes cùm cives tum exteri interpretentur, Centurias istas duas erudito ac polito tuo in sinu depono. Te, inquam, conciliatore, utpotè quem istarum rerum & studiosissimum & peritissimum omnes sciunt & admirantur. De pietate, vitæ morumque integritate, generis nobilitate, prudentia, & aliis eximiis Virtutibus tuis, velut in specula collocatis, de legationibus felicissimè obitis, ne gratiam captare videar, nihil hîc dicam: erunt alii qui facundiùs & uberiùs suis in commentariis id præstabunt. Deum venerans precor, ut Te, ad universæ Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ bonum, Nestoreos in annos servet: & unà rogo, ut tuorum in numero clientum me porrò habere non graveris, qui tuarum tot illustrium Virtutum cultor ac præco (frendente nequidquam Invidiâ) perpetuò existam. Antverpiæ Kalendis Octobris, M. DC. XXVII.

Illustrissimæ ac Reverendissimæ D. Vestræ

Studiosissimus cliens

AUBERTUS MIRÆUS.

AUBER-

AUBERTI MIRÆI
DIPLOMATUM
BELGICORUM
LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

DAGOBERTUS *Francorum Rex anno 639 donat S. Amando, Trajectensi ad Mosam Episcopo, fundum, inter Scarpum & Elnonem fluvios, in Diœcesi Tornacensi situm, ad ædificandum Monasterium, quod hodie S. Amandi dicitur.*

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. (1) DAGOBERTUS Divinâ ordinante clementiâ Rex.

Deum nobis fore propitium credimus, si ad reformandum & confirmandum Religionis cultum præcipuam curam impendimus, & Religioni deservientibus munificentiæ & liberalitatis nostræ manum aperimus.

Proinde tam præsentium quàm futurorum solertiam scire volumus, quòd Venerabilis vitæ (2) AMANDUS Episcopus, qui per gratiam Dei filium nostrum (3) SIGEBERTUM baptizavit, jam quibusdam Ecclesiis seu Monasteriis, ad augmentum Divini cultûs, constructis ac benè dispositis, Excellentiam nostram adierit, & ut non deficiens Dominicæ vineæ cultor, confidens autem de nostræ largitatis beneficio, locum situm inter duos fluvios (4) *Scarp* & (5) *Elnonem*, à nostra liberalitate sibi concedi humiliter petierit.

Qui locus licet esset, propter multam silvæ densitatem, ad extirpandum difficilis, tamen labori suo, imò post laborem suum, quieti & usibus Deo militantium, quos ibi se jam præmeditabatur per Dei gratiam ordinaturum, videbatur oportunus.

Nos igitur considerantes dignam Reverendi Pontificis petitionem, tum propter totius Regni nostri, ac prolis nostræ stabilitatem ac pacem, tum propter animarum nostrarum salutem, locum quem petierat, cum utraque aqua & silva circumquaque succrescente, pronâ animi devotione concessimus, & concessionem nostram ratâ legum sanctione stabilivimus.

Præcipimus igitur, & ex auctoritate Regia jubemus, ut nulla secularis vel Ecclesiastica persona de loco suprascripto; cum aqua & silva, præfato Pontifici à mea liberalitate concesso, ipsi Pontifici seu Successoribus ejus ullam inquietudinem aut refragationem; vel præjudicium sive violentiam facere tentet; sed potiùs hoc Regalis munificentiæ Beneficium, tam ipse Pontifex & quos ibi ordinaverit, quàm qui ei successerint, sine ulla diminoratione, absque ulla calumnia & contradictione, securè ac perpetualiter habeant & possideant.

Quod si Divina pietas locum ipsum, per industriam hujus amabilis viri, ac successorum ejus, & per devotam largitionem bonorum hominum

(1) DAGOBERTUS Francorum Rex eo nomine primus, anno regni XVI. Christi autem 644. obiit, pridie Kalend. Februarii: ut Aimoinus lib. 3. cap. 33. & Continuator Gregorii Turonensis cap. 79. narrant. Dagoberti historiam scripsit Jodocus Coccius, Societatis Jesu Theologus, Molshemii an. 1623. typis editam.

(2) S. AMANDUS Tungrensis seu Trajectensis ad Mosam Episcopus anno 637. consecratus, triennio præfuit. Exinde Cleri contumaciam non ferens, Pastoris onus *S. Landoaldo* Archipresbytero, tamquam Vicario suo, reliquit per annos novem. Quo tempore vir Apostolicus, per Germaniam inferiorem ac superiorem, Evangelii doctrinam longè latèque diffudit.

Tandem solitudinis amore captus, & oneris Pontificii pertæsus, à *S. Martino* I. Papa Episcopatum prorsus relinquendi facultatem petiit. Exstat apud Baronium, in Annalibus, ejusdem S. Martini epistola, petitionem abnegantis. Ad meliorem porrò vitam S. Amandus anno 662. transiit, in hoc suo Elnonensi Monasterio conditus, quod nunc S. AMANDI à suo conditore dicitur, & à Benedictinis possidetur, tertio lapide à Tornaco.

(3) S. SIGEBERTUS Dagoberti filius, anno 636. cùm à S. Amando baptizaretur, infans XL dies natus, insigni futuræ pietatis præsagio, respondit. *Amen.* Rex Austrasiæ à patre creatus. XII cœnobia, in his *Stabulense*, & *Malmundariense*, in Arduenna, itemque *S. Martini* & *S. Quintini* apud Metenses fundavit, & anno 654. ad cælites transiit, sepultus in suo S. Martini cœnobio. Quod cùm esset dirutum anno 1552. bellis sævientibus, ossa S. Sigeberti Nanceium, Lotharingiæ metropolim, demum sunt translata, & condita in primariali Canonicorum basilica: ubi in magna veneratione habentur. Vide Fastos nostros Belgicos ad diem 1. Febr.

(4) SCARPUS Fluvius Duacum, Flandriæ oppidum, Academiâ anno 1562 institutâ clarum, perfluit.

(5) ELNO fluviolus. Hinc ELNONENSE Monasterium olim sibi nomen induit, quod nunc S. AMANDI dicitur, in Diœcesi Tornacensi. Vide Origines nostras Benedictinas.

minum, meliorari & amplificari voluerit, quidquid exindè sive in caussis, sive in fredis, sive in pratis, sive in terrarum divisionibus & redibitionibus, sive aliquo modo, jus Fisci exigere poterat, in integrum tam præfato Patri, quàm Successoribus ejus concedimus. Ipsum verò locum & res ad eum pertinentes, quidquid etiam largitas Principum, vel devotio quorumlibet fidelium deinceps addiderit, sub tuitionis & immunitatis nostræ defensione consistere volumus.

Et ut hæc Regalis auctoritas firma & inconvulsa perpetuò perseveret, præsens præceptum manu propriâ subterfirmavimus, & annuli nostri impressione signavimus; Successores etiam nostros, ut in hoc ipsum morem nostrum imitentur, commonemus.

Datum Kalendis Maii Indictione II * anno XI regni Domini DAGOBERTI. (6) Actum Parisius Civitate feliciter, amen. *Alibi Indictione VII. 639.*

GERARDUS Notarius, ad vicem (7) DADONIS Cancellarii recognovit.

(6) PARISIUS. Ita medii ævi scriptores, sed barbarè. Vetustis ac probatis scriptoribus est Lutetia Parisiorum.

(7) DADO. Qui & AUDOENUS (teste Sigeberto in Chron. anno 649) Dagoberti Regis Cancellarius, biennio post ejus obitum, hoc est, anno Clodovæi Regis tertio Christi 646 creatus est Rotomagensis Archiepiscopus: ut ipsemet in vita S. Eligii lib. 2. cap. 8. narrat. Obiit autem anno 676 in Martyrologii Rom. tabulas relatus. *Aug. 24.*

CAPUT II.

S. Maximini Monasterium, apud Treveros, à CONSTANTINO *Imperatore ejusque Matre* S. HELENA *fundatum, prædiis ac privilegiis augetur, per* DAGOBERTUM *Francorum Regem anno* 640.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Omnium Christianorum noverit industria, qualiter ego (1) DAGOBERTUS, Rex potentissimus, convenienti consilio Episcoporum meorum, Comitumque, Legatos de mea parte ad Abbatem MEMILIANUM direxi, mandans ei, ut diligenter inquireret, mihique per seipsum indicaret, quibus Auctoribus illud Monasterium (2) S. MAXIMINI constructum, vel cujus imperio à pristinis temporibus esset subjectum.

Hanc legationem Abbas cum Fratribus sollicitè percipiens, perlectisque in eodem loco quibusdam vetustissimis chartulis, inventum est, ipsum Monasterium CONSTANTINI Imperatoris fuisse regale Templum, atque jussu ejus dedicatum fore, in honore S. Joannis Evangelistæ, à (3) S. AGRITIO Venerabili Episcopo.

In quo videlicet Templo, ut idem Pater Monasterii nostræ Regalitati certâ relatione patefecit, HELENA sacrâ famulâ petente & favente, supradictus Imperator pauperes Christi congregavit, eisque Virum Dei *Joannem* præposuit, ut in servitio Dei semper vacarent, & pro se orationibus insisterent, & insuper illius loci habitationem aliæ personæ noluit subdere, nisi suæ Successorumque Imperatorum potestati.

His rebus, ita esse, firmiter intellectis, Regio more constituo atque firmissimâ jussione præcipio, ut nullus unquam protervè illud Monasterium, in quo supradictus Abbas præesse videtur, audeat inire vel ullam inhumanitatem illi violenter inferre.

Igitur ut assiduè recordatio mei meorumque Parentum maneret in prædicto Monasterio, ipsorum præbendariorum S. Maximini victualia, sub præmemorato Imperatore constituta, additis mea ex parte prædiis augere curavi: quorum nomina hæc sunt, *Kannis*, *Cressiacum*, *Lunc-wich*, *Regiodola*, *Vallis Poliche*, *Baudeliacum*, *Talevant*, *Loavia*.

Hæc loca ad Regiam curtem, quæ dicitur *Decima*, pertinent: quam curtim, cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quidquid prædii visus sum habere, à fluvio qui nuncupatur *Rubera*, usque ad silvam, quæ dicitur *Ledir*, S. Maximino Præsuli in perpetuam hereditatem contradidi.

Insuper cum consilio & rogatu meorum Principum, catervis inibi Deo deservientibus hanc Legem firmiter ac perpetualiter in posterum habendam decrevi, ut centenorum ibidem summa

DIplomatis hujus autographum hodieque in Archivis Abbatiæ S. Maximini asservari dicunt; quod anno 1624 illius loci Abbas R. P. Heriberto Rosweido, Soc. Jesu Theologo, ostendit.

Additio. (1) DAGOBERTUS I. Francorum Rex, Clotarii II. filius, uxores habuit, Gomatrudem quam anno 629 prætextu sterilitatis repudiavit, dein Nantildem, ex qua natus est Clodovæus II Dagoberti successor. Fundavit anno 630 Abbatiam S. Dionysii in Gallia, in qua visuntur magnificæ Regum Galliæ sepulturæ. Ipse Dagobertus ibidem moriens anno 644, aliis 638, humari voluit ad cornu dextrum Aræ majoris.

(2) S. MAXIMINUS Treverorum Archiepiscopus *S. Athanasium* Patriarcham Alexandrinum, Treveris exulantem, anno 336 excepit. Sardicensi Concilio, unà cum *S. Servatio* Tungrorum Episcopo, anno 347 interfuit. Triennio pòst, cum eodem Servatio, à Magnentio Tyranno, ad Constantinum Imp. in Orientem missus est. Martyrologium Rom. 19 Maii consule.

(3) S. AGRITIUS claruit Constantini Magni Imp. temporibus, & Concilio Arelatensi secundo interfuit. Missus est autem Treveros à S. Silvestro Papa & S. Helena Imperatrice, sacratissimis donis, ut *Tunicâ Domini inconsutili, uno clavorum Crucis Dominicæ, & corpore S. Mathiæ Apostoli* honoratus ab iisdem: quæ hodieque Treveris honorificè asservantur.

ma Monachorum semper integra maneat & inconvulsa: excepto, si Imperatorum Principumve per secula succedentium benivolentia prædiis augmentetur vel thesauris.

Et si propter Paganorum, vel Infidelium, vel Christianorum devastationem, iisdem Christi servitoribus penuria ultra modum ingruerit, & per thesauri effusionem expelli nequiverit, Dei omnipotentis, & mei meorumque Successorum habeant licentiam, allodium cum Familia, à fidelibus illis contraditum, dandi & vendendi, antequam Dei destruantur servitia.

Et ut istius chartulæ confirmatio firma in ævum permaneat, describi eam præcepi, & nostro sigillo eam inde confirmavi. Actum pridiè Nonas Aprilis, anno Regni nostri XII Moguntiæ fideliter, amen. 640.

Signum DAGOBERTI Regis.

HEINRICUS Cancellarius, ad vicem Ricolfi Archicapellani, recognovi.

CAPUT III.

CHILDERICUS II. *Francorum Rex, dat S. Amando Trajectensi ad Mosam Episcopo Villam Barisiacum, in Agro Laudunensi sitam, anno ....*

CHILDERICUS (1) Rex Francorum, & BLIDECHILDIS Regina, viro illustri BERTUINO Comiti, & BERTELANDO Vicario.

MERITO largitatis nostræ munere sublevantur, qui pro parentibus nostris vel etiam pro adolescentiæ nostræ ætate famulantur. Proinde cognoscat magnitudo vel utilitas vestra, quia Nos propter nomen Domini vel amorem cælestem, Apostolico Patri nostro AMANDO Episcopo, villam nostram nuncupatam BARISIACUM, sitam in Pago Laudunensi, quam usque nunc Fiscus noster tenuit, promptissimâ devotione, cum universis villulis ad se adspicientibus, & cum omni integritate ad se pertinente, concedimus & concessam esse volumus.

Quapropter auctoritate nostrâ præsenti decernimus ac jubemus, quod in perpetuum volumus esse mansurum, ut ipsam Villam memoratam BARISIACUM, cum omnibus ad se pertinentibus, tam in terris, domibus, vineis, silvis, pratis, pascuis & mancipiis ibidem commanentibus, sicut Fiscus noster ibidem tenuit ac possedit, & ipse Pontifex Domnus AMANDUS, ad opus Monachorum suorum, absque ulla contradictione vel diminoratione, teneat ac possideat.

Sic igitur in integrum hoc nostræ concessionis beneficium firmum esse volumus, ut jam dictus Pontifex de ipsa Villa *Barisiaco*, & de rebus ad eam pertinentibus habendi, tenendi, freda exigendi, mansiones faciendi, dandi, commutandi, vel quidquid elegerint, faciendi, liberam ac firmissimam, per nostram auctoritatem, habeat potestatem.

Insuper omnes Successores Nostros per nomen Domini adjuramus, ut nullus eorum ipsam villam, cum omnibus ad se pertinentibus, Domno Patri AMANDO, vel suis Monachis auferre præsumat, vel ullam inquietudinem faciat. Quod, quicumque est ille, fecerit, judicium portet, & sententiam damnationis incurrat.

ET ut hæc auctoritas, circa ipsum Pontificem & Monachos ejus, firmior habeatur, & per tempora succedentia perpetuò conservetur, & ego, dum propter imbecillam ætatem minimè potui subscribere, manu propriâ subtersignavi, & Regina subterscripsit.

Signum CHILDERICI Regis.

BLIDECHILDIS Regina subscripsi.

Datum sub die Kalend. Augusti, anno II regnante Domino nostro CHILDERICO Rege.

C A-

Additio. (1) CHILDERICUS, seu Hildericus, Clodovæi II filius secundo genitus anno 655 mortuo Patre Rex Austrasiæ constituitur, cum esset puer summùm quadriennis. Lothario fratre ejus primogenito sine liberis defuncto anno 668, post aliquot tumultus universam Francorum Monarchiam obtinuit anno 670, cum fratrem suum juniorem Theodericum in Monasterium Dionysiacum detrusisset Verùm anno 673 à Bodilone viro nobili, quem crudeliter & ingeminosè cædi jusserat, cum uxore Blidechilde & filio parvulo interfectus est, eorumque corpora condita sunt in Ecclesia S. Germani de Pratis.

Cum S. Amandus obierit anno 661 vel 662. Diploma hoc datum fuerit inter annum 655 & 663 quod rectè convenit cum imbecilla Childerici ætate, cujus fit mentio in Diplomate. Cum autem neutiquam sit verosimile quod eo tempore uxorem haberet Blidechildem, & quidem se multò seniorem, mendum grave hic irrepsit, neque vix dubitari potest quin legendum sit *Bathildis*, quæ mater ejus fuit, Regina prudentiâ & pietate pariter insignis, quæ & integro decennio regnum summâ æquitate administravit, & tandem in Monasterio suo Callensi vitam planè religiosam Monialis duxit, & anno 686 obiit.

Quod autem Francorum Rex in hoc Diplomate vocetur Childericus, & non potiùs Austrasiæ, difficultatem nullam affert: cœpit enim sub liberis Clodovæi I. dividi Francia in Orientalem, quæ corrupto vocabulo appellata est Austrasia, & Occidentalem quæ dicta fuit Neustria: erat proinde Childericus Rex Francorum Orientalium. Austrasia verò continebat, quidquid situm erat inter Mosam & Rhenum, atque insuper ultra Mosam, Remos, Catalaunum, Cameracum, & Laudunum.

Convenit etiam cum hoc Diplomate, quod habet Historia Metropolis Remensis, Tom. 1. ad annum 669 S. Amandum Barisiacum in Abbatiam erexisse sub Regula S. Benedicti, Diplomate dato Lauduni 18. Kal. Sept anno quinto gloriosissimi Childerici Regis, præsente Anolâ Laudunensi Episcopo: anno unoque ætatis Childerici circiter nono. Ceterùm Abbatia ista jam dudum esse desiit.

CAPUT IV.

THEODERICUS I *Francorum Rex varia prædia donat Monasterio S. Vedasti, apud Artesios, in Urbe Atrebatensi sito, circa annum* 673.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. THEODERICUS gratiâ Dei Rex. Idcirco potissimùm collatam nobis à Deo credimus Imperii dignitatem, ut in tutela & augmento Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ ipsius piam exequamur voluntatem.

Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, tam futurorum quàm præsentium solertia, quòd adierunt Celsitudinem nostram Monachi ex Monasterio quod vocatur NOBILIACUS, ubi pretiosus Confessor Christi VEDASTUS corpore quiescit, humiliter postulantes, ut regale Decretum nostrum super villis, quæ nostrâ munificentiâ jam sibi cesserant, firmari juberemus, ut quæcumque ex inspiratione divina ipsis contuleramus, Imperiali Edicto & Sigillo ad perpetuitatem statueremus.

IGITUR pro salute tam Successorum quàm Antecessorum nostrorum, videlicet Regum vel Imperatorum & pro totius statu regni, inspirante Rege omnium Regum Deo, præfato Monasterio & Monachis inibi Deo in perpetuum famulantibus regali liberalitate confirmamus, quæ jam eâdem liberalitate concessimus, ad matriculam scilicet Ecclesiæ, in Atrebato Pago *Atheas*, *Felci*, ad portam Ecclesiæ, *Bernivillam*, *Daginvillam* : in Pago Veromandensi *Mediolanas*, *Valles*, *Putheas aquas* : in Batua *Rexnam*, *Wulfaram* cum Capella *Rothem*, & aliam *Rothem* : in Pago Hasbanio & Ribuario, *Haimbecha*, *Halmala*, *Torona*, & inter *Altheim*, *Maridas*, *Ambron*, *Musuium*, *Groseas*, has villas, mansos dominicales sex, mansos serviles septuaginta quinque : in Watrevio, *Cambach* cum appendiciis suis & Ecclesia : in pago Caribant *Maxtiu* cum appendiciis : in Pabula *Moutes*.

DE his ergo villis, cum omnibus appendiciis & reditibus & mancipiis, per Imperialem Celsitudinem sancimus, ut nullus mortalium præsumat aliquid violentiâ quâlibet vel fraude auferre vel demere, sed sicut à nostra liberalitate roborata sunt, præfati Monasterii Fratrum usibus in perpetuum cedant.........

(1) THEODERICUS I. Francorum Rex, Abbatiæ Vedastinæ Atrebati Fundator munificus, ab anno *669* Rex Neustriæ ac Burgundiæ, paulò pòst à Childerico fratre deponitur, atque Monachus raditur, & ad Abbatiam S. Dionysii relegatur, teste Sigeberto. Anno *673* successit Childerico, obiitque anno *690*, sepultus in Abbatia Vedastina, unà cum conjuge Doda seu Crotilde. Theoderici Regis tumulus hodieque ibidem visitur, additis his Versibus:

Rex THEODERICUS, *ditans ut verus amicus*
Nos ope multimodâ, jacet hic cum conjuge DODA.
Regis larga manus, & Præsul Vindicianus
Nobis regale dant & jus Pontificale.
In decies nono, cum quinquagies duodeno
Anno, defunctum sciet hunc, qui quattuor addet.
Quâ legis hæc horâ, Dominum pro REGIBUS *ora,*
Muneribus quorum stat vita Dei famulorum.

CAPUT V.

Privilegium immunitatis concessum Abbatiæ Vedastinæ à S. VINDICIANO *Cameracensi & Atrebatensi Episcopo, anno* 674.

VINDICIANUS Cameracensium vel Atrebatensium Ecclesiæ Episcopus, omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ filiis.

SI locis, quæ Deo dicantur, nostrâ Pontificali auctoritate aliquid conferimus, quo in meliorem erigantur statum, credimus nos mercedem exinde à Deo recipere, atque ad augmentum vitæ æternæ capiendæ emolumentum non modicum speramus nobis acquirere.

Quapropter noverint omnes fideles, præsentes videlicet atque futuri, quia Dominus noster piissimus Rex THEODERICUS in generali placito, habito in *Compendio* Palatio, in Conventu Venerabilium Episcoporum, videlicet *Audoeni*, *Austregisili*, *Audomari*, *Eligii*, *Faronis*, atque *Lamberti*, nec non illustrium Abbatum *Waudregisili*, *Philiberti*, *Bertini* atque *Stupilionis*, suggessit humiliter nostræ Pontificali Celsitudini, quatenus Episcopali Privilegio roboraremus, quidquid ipse contulit NOBILIACO Monasterio, ubi S. VEDASTUS corpore quiescit, quod ab ipso pio Rege mirificè ac decenter regiis construitur sumptibus, in suburbio Atrebatis civitatis; in quem locum nuper fuit

fuit translatum corpus dicti Pontificis Christi Vedasti à Beato Autberto Episcopo, nostro videlicet prædecessore, ac honorificè humatum.

DENIQUE omnibus notum est, eumdem locum pertinentem fuisse ac subjectum Ecclesiæ Atrebatensis civitatis; sed à memorato Rege THEODERICO, me consentiente, unà cum Clero nobis subjecto, est à nostra sequestratus civitate.

IGITUR considerantes dignam & humillimam petitionem sæpius dicti inclyti Regis, ratum duximus opere perficere quod ipse suggesserat.

ITAQUE per sanctam & individuam Trinitatem, Pontificali auctoritate obtestamur cunctis Sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, præsentibus videlicet & futuris, ut hoc Episcopale Privilegium à nobis pro Dei amore editum, ita ut à nobis constitutum est, inviolabiliter conservetur, ab hodierno videlicet die & deinceps.

PER Pontificalem auctoritatem omnes seculares & judiciarias potestates excludimus ab ingressu memorati Monasterii atque Castri, ut liceat Monachis Deo inibi famulantibus ex hoc & in reliquum tempus quietè vivere, ac ab omni mundano strepitu esse sequestratos. Et adjuramus per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ut neque aliquis Episcopus, nostrorum videlicet successorum, neque Comes, nec aliqua Regia vel Judiciaria Potestas præsumat illorum ingredi Monasterium sive Castrum, neque ibi convivia exstruere, neque placita, nec aliud quid facere, nisi permissu & voluntate Abbatis, qui Prælatus fuerit loco, unàque cum voluntate Monachorum: sed sint Monachi Deo servientes in præfato loco, juxta quod *Beatus Augustinus* docet de opere Monachorum, vel juxta traditionem *S. Basilii*, vel secundùm Regulam *S. Columbani*, vel sanctissimi *Benedicti*, & hoc in arbitrio Abbatis constituimus.

SI autem talis exstiterit caussa, ut meritò Episcopus accersiri debeat, non aliter veniat, nisi vocatus ab Abbate vel à Monachis: aliter (ut diximus) nec ipsi nec alicui liberum ingressum consentimus.

INTERDICTO etiam anathematis, & Pontificali auctoritate stabilimus, ut ipsum Castrum cum Monasterio & villulis, *Filciacum*, *Thilgidum*, *Hadas*, *Hennincurtem*, *Saltiacum* cum *Theobia* silva, *Theuludum*, *Liniacum*, puteis, aquis & appendiciis ad se pertinentibus, non aliquis præsumat in his quæ diximus, aut in villis inibi pertinentibus, præcinctam habentibus, inferre aliquam molestiam, latrones vel bannos accipere, parafredos inquirere; sed liceat Monachis quietè omnia possidere, quo valeant liberiùs pro pace sanctæ Dei Ecclesiæ & vita Regis & conjugis ac filiorum & statu regni, Domini clementiam exorare.

SI quis verò privilegii hujus à nobis editi observator exstiterit, accipiat mercedem à Domino & benedictionem in præsenti vita, & in futura vitam æternam. Qui verò nostram auctoritatem parvi penderint, illudque qualicumque modo temerare præsumpserint, per nostram Pontificalem auctoritatem reddantur extranei à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & à cœtu Christianorum, & à regno Dei, & descendant cum Dathan & Abiron in infernum viventes, & cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, accipiant partem & societatem in die judicii, & cum diabolo damnationem æternam, amen.

EGO Vindicianus Episcopus hoc privilelegium, à mea parvitate editum, subscripsi.

EGO (1) Audoenus Episcopus, jussu Domini Regis, & rogatu fratris nostri & Coepiscopi Vindiciani, hoc privilegium subscripsi.

Ego (2) Audomarus, Episcopus, absque ocellis subscripsi.

Ego (3) Austregisilus Archiepiscopus subscripsi.

Ego (4) Eligius Episcopus subscripsi.

Ego (5) Faro Episcopus subscripsi.

Ego (6) Lambertus Episcopus subscripsi.

Ego (7) Bertinus Abbas subscripsi.

Ego Philibertus Abbas subscripsi.

Ego (8) Agilus Abbas subscripsi.

Ego (9) Wandregisilus Abbas subscripsi.

Ego (10) Stupilio Abbas Monasterii S. Quintini, jussu Domini Theoderici Regis, & rogatu Vindiciani Episcopi, hoc privilegium scripsi & subscripsi.

Data Kal. Maii, anno VII. Domini Theoderici Regis, Indictione II. Actum in Compendio palatio, in Dei nomine feliciter, amen. 674

CA-

(1) AUDOENUS, Episcopus Rothomagensis.

(2) AUDOMARUS, Episcopus Teruanensis, tunc cœcus.

(3) AUSTREGISILUS, Archiepiscopus Bituricensis.

(4) ELIGIUS, Episcopus Noviomensis ac Tornacensis.

(5) FARO, Episcopus Meldensis.

(6) LAMBERTUS, Episcopus Tongrensis seu Trajectensis & Martyr.

(7) BERTINUS, Abbas de Sithiu, quod Cœnobium nunc est Audomaropoli.

(8) AGILUS, idem fortè qui fuit primus Abbas & Fundator Cœnobii Resbacensis in Dioec Meldensi.

(9) WANDREGISILUS, idem fortè, qui fuit Fundator & primus Abbas Monasterii Fontanellensis, in Diœcesi Rothomagensi.

(10) STUPILIO, Abbas S. Quintini apud Veromanduos, quod nunc est Collegium Canonicorum.

Istud S. VINDICIANI Episcopi Diploma seu Privilegium ex Vedastini & Einhamensis Monasteriorum Archivis accepimus. Privilegii ejusdem disertè meminit Lietbertus Cameracensis Episcopus, in suo Diplomate, quod Einhamensi Abbatiæ anno 1064 concessit, infra suo loco recitandum. Ejusdem mentio fit in Epitaphio Theoderici Regis, quod superiore capite recitavimus. Dubito tamen, an Episcopi & Abbates, qui in Diplomate isto memorantur & subscribuntur, uno eodemque tempore omnes vixerint. De singulis consule Fastos nostros Sanctorum Belgii.

CAPUT VI.

THEODERICUS II *Francorum Rex immunitatem & prædia Monasterii Bertiniani anno 722 confirmat, petente S. Erkembodo Abbate.*

THEODERICUS (1) Rex Francorum, vir illuster, Gravionibus seu & omnibus Agentibus, vel junioribus eorum, tam præsentibus quàm futuris, in cujuscumque libet actionibus Monasterii (2) SITHIU .....

SI facta parentum nostrorum, quæ ad loca Sanctorum præstiterunt vel concesserunt, per nostra oracula confirmamus, dignâ consuetudine exercemus hoc ideo, ut nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri, in Dei nomine, pertinere confidamus.

Igitur venerabilis vir (3) Erkembodus Abbas de Monasterio SITHIU (quod est in pago Taruanensi, in honore S. Mariæ Genetricis Domini nostri Jesu Christi, nec non & SS. Petri & Pauli Apostolorum, vel ceterorum dominorum Sanctorum constructum) ad nostram accessit præsentiam, & clementiæ regni nostri suggessit, eo quod * proavus noster CLODOVÆUS quondam Rex, de omnibus curtibus vel villis ipsius Monasterii, quidquid eo tempore possidebant, aut adhuc in antea ex munere Regum vel de collato populi, seu de comparato, aut de comparando, aut de quolibet attracto, in quibuslibet pagis aut territoriis inibi additum est vel collatum, integrâ emunitate antecessori suo BERTINO quondam, vel ad prædictum Monasterium SITHIU concessisset, ut nullus Judex Publicus ibidem ad caussas audiendas, aut freda exactanda, vel fidejussores tollendos, nec mansiones aut paratas faciendas, nec homines ipsius Monasterii, tam ingenuos, quàm & servientes, qui super terras suas commanent, distringendos, nec ullas redibitiones requirendas nec exactandas, Judiciaria ibidem Potestas ingredi non præsumat, nisi sub nostræ emunitatis nomine, omni tempore cum omnibus fredis concessum pars ipsius Monasterii perenniter debeat possidere.

* Fuit abavus ejus.

UNDE & præceptionem ipsius Principis proavi nostri CLODOVÆI, cum confirmationibus prædecessorum avunculorum nostrorum CLOTARII & CHILPERICI, seu avorum nostrorum * THEODERICI & * CHILDEBERTI, atque consobrini nostri CHILPERICI quondam Regis, ex hoc præ manibus habere affirmat, ut & ipsa beneficia concessa ab eo tempore usque nunc videantur esse confirmata.

* Theodericus fuit ejus proavus.

* Childebertus fuit avus.

SED pro integritatis firmitate petiit à Celsitudine nostra memoratus *Erkembodus* Abbas, ut hoc erga ipsum locum per nostram auctoritatem pleniùs in Dei nomine confirmare deberemus.

CUJUS petitioni, ad mercedis nostræ augmentum, vel reverentiam ipsius sancti loci, ita præstitisse, & in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes enim præcipimus, ut quidquid constat suprascriptum proavum CLODOVÆUM quondam Regem, de ipsa emunitate, sicut superiùs est comprehensum, concessisse præfato BERTINO antecessori suo, vel postea ipsi avunculi, vel avi nostri CLOTHARIUS & THEODERICUS, CHILDEBERTUS & CHILPERICUS, etiam & confirmationes consobrini nostri CHILPERICI quondam Regis, justè & rationabiliter concesserunt vel confirmaverunt, vel de eo tempore usque nunc recto tramite sunt conservatæ, ita & in postmodum per nostrum præceptum pleniùs in Dei nomine confirmamus inspectas ipsas præceptiones suprascriptorum Principum, sicut per easdem declaratur circa ipsum *Erkembodum* Abbatem, vel successores suos, aut circa ipsum locum *Sithiu* omni tempore ipsa beneficia concessa in omnibus valeant esse conservata, & nullam refragationem, nec ullum impedimentum à judicibus publicis exinde quoquam tempore habere non permitescant.

UNDE & ipsa Congregatio, pro stabilitate regni nostri vel salute patriæ, Domini misericordiam jugiter debeat exorare.

ET ut hæc auctoritas firmior habeatur & in omnibus conservetur, manûs nostræ subscriptionibus eam decrevimus affirmare.

Signum gloriosi Regis THEODERICI.

DATA, quando fecit Martius dies tres, anno primo regni nostri, Suessionis civitate, Anno 722. in Dei nomine feliciter.

CA-

(1) THEODERICUS II. Francorum Rex, filius Dagoberti II anno 722 successit Childerico II sub tutela Caroli Martelli Majoris Domûs in Regno Neustriæ. Obiit anno 737, ætatis suæ 23 vel 24.

(2) SITHIU, seu Sithiense Monasterium, ab Adroaldo viro nobili anno 654. fundatum ac dotatum, hodie est amplissima Benedictinorum Abbatia Bertiniana, inter muros urbis Audomaropolitanæ in Artesia. Porrò S. Bertinus, illius loci primus Abbas, anno 698. hìc vivere desiit.

(3) S. ERKEMBODUS, seu Erquenbodo, S. Bertini discipulus, quartus Abbas Sithiensis, ac demum Episcopus Teruanensis seu Morinensis, anno 734. ad Superos transiit, in S. Mariæ Basilica, nunc Cathedrali, conditus, ubi etiamnum sacra ejus ossa religiosè adservantur. Nomen ejusdem in tabulas Martyrologii Romani, 12. Aprilis, est relatum. Vitæ series exstat apud Joannem Iperium, Abbatem & Chronographum ms. Bertinianum. Chronicon Iperii aliquot seculis latuit ac multoties desideratum à viris doctis, in lucem prodiit, editum Parisiis 1717. in Thesauro Anecdotorum tomo III. Additio.

CAPUT VII.

GREGORIUS II *Papa, petente Basino Abbate, Monasterio S. Maximini Treverensis immunitatem & alia privilegia largitur, anno* 729.

GREGORIUS, (1) servus servorum Dei, BASINO venerabili Abbati Monasterii S. Joannis Apostoli & Evangelistæ; atque sanctissimi Confessoris Christi MAXIMINI, cujus corpus ibidem quiescit, tibi, tuisque Successoribus, salutem & Apostolicam benedictionem.

SI semper sunt concedenda, quæ piis desideriis congruunt, tanto propensiùs ea quæ pro divini cultûs religione postulantur, alacri devotione & omni occasione remotâ, benivolâ intentione continuò sunt largienda & perficienda.

PETISTI ergo nos, uti Monasterio tuo, quod in suburbio *Treverorum* in honore S. JOANNIS Evangelistæ constructum esse dignoscitur, ubi prænominatus Christi Confessor quiescit, ob confirmandam Fratribus ibidem Deo servientibus, monasticæ tranquillitatis normam, S. Apostolicæ nostræ, cui auctore Deo deservimus, Ecclesiæ privilegium concederemus.

NOSQUE piæ petitioni tuæ assensum accommodare curavimus, decernentes Apostolicæ auctoritatis præcepto, uti Congregatio Deo ibi religiosè serviens, sicut per præcedentia tempora à Regibus eidem Cœnobio concessum est, liberam deinceps habeat potestatem creandi inter se, quem secundùm Deum elegerint sibi Abbatem: nec aliqua cujuslibet dignitatis persona infra prædictum Monasterium, nisi à te aliove Abbate tuo Successore vocatus, quidquam pro suo libitu ordinare, vel temerè exercere præsumat.

PRÆTEREA Apostolicâ nostrâ auctoritate omnimodis interdicimus, ne cui unquam Ecclesiæ vel Sedi, comcambio aut alio aliquo ingenio, subdatur, sed tali libertate & immunitate, quali cetera regalia loca utuntur, inoffensè & perpetualiter gaudeat.

Ipse verò locus Monasterii sub mundiburnio Regum ut permaneat; nullique unquam personæ beneficiarius aut invadendus pateat; sed ad usus tranquillitatemque Monachorum, ibi sub regula S. BENEDICTI Deo militantium, quietus permaneat.

CONSTITUIMUS etiam & ex hac paterna dilectione, tibi tuisque Successoribus concedimus, ut ad mysteria sacra, in præcipuis festivitatibus, mitrâ, dalmaticâ, sandaliis utaris; fraternitatem tuam commonentes, ut cum augmento honoris augeatur & in te divini virtus amoris.

PROHIBEMUS & ex auctoritate B. Petri, cujus vice, licet indigni, in hac Apostolica Sede fungimur, & funditus interdicimus, ut nullus Dux, nullus Comes, nulla prorsus persona Ecclesiastica sive mundana, in possessione vel allodio S. Maximini, montem sive rupem capere, vel munitionem aliquam in eis facere præsumat: nisi fortè Abbas ejusdem Monasterii, propter metum paganorum, vel propter incursionem malignorum hominum, ad tempus, donec tranquillitas pacis redeat, se suosque ibi interim muniat.

AD cumulum quoque vel augmentum Monasticæ tranquillitatis adjicimus, ne qua cujuslibet dignitatis persona magnum vel minimum alienare vel imminuere de rebus Ecclesiæ præsumat, tam de his, quæ per te modò, vel per alios eidem Monasterio concessa sunt, quàm ex his, quæ ceteri fideles, pro remedio animarum suarum, deinceps collaturi sunt.

SI quis verò, quod absit, ausu nefario præsumpserit ea, quæ à nobis ad laudem Dei, pro stabilitate jam dicti venerabilis Monasterii, statuta sunt, infringere aut in quodam violare, sciat se sub divini judicii testificatione, per interventum B. Petri Apostoli, anathematis vinculo inextricabiliter innodatum, & à regno Dei alienandum, & cum diabolo & ejus sequacibus, atrocissimis pœnis concremandum.

QUI verò, pio intuitu & respectu divini timoris, observator hujus nostræ præceptionis Apostolicæ extiterit, æternæ benedictionis gratiam à Christo Domino consequi mereatur. Data.....

Scriptum per manum BENEDICTI, Scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ, in mense Janaurio, indictione XII. in Dei nomine. 729.

(1) GREGORIUS illo nomine secundus Pontifex Romanus, ut constat ex tempore, quo Basinus Abbas supra memoratus vixit, & ex Nota Indictionis.

CAPUT VIII.

PIPINUS *Francorum Rex Trevirense S. Maximini Monasterium sub suo mandiburnio seu protectione anno 765 suscipit, Utilrado Abbate postulante.*

Corre-ctum.

DOMINO & Salvatore nostro vitam æternam in Evangelio promittente, plenâ & integrâ fide sine dubio credimus, nobis in futuro seculo recompensari, si stabilitatem, & quietem Monasteriorum confirmamus, ac res Ecclesiasticas, Deo donante, cum protectione augmentamus.

PROINDE ego (1) PIPPINUS gratiâ Dei Rex Francorum, omnibus Regibus in æternum futuris in hoc testamento denuntio, me habere sub potestate regali quoddam Monasterium, ubi S. MAXIMINUS (2) Dei Præsul est corpore sepultus, constructum videlicet in suburbio Treveris, atque dedicatum in honore S. Joannis Apostoli & Evangelistæ. Quod Monasterium, cum thesauro atque tota Abbatia, sub illius loci Abbate semper constare præcipio: quia per antecedentia tempora à Regibus ita constitutum esse, repertum teneo.

QUAPROPTER hunc præsentem Abbatem *Utilradum*, & omnes Abbates post eum futuros de eodem loco, simul cum Monachis & Abbatia, sub Regum mundiburnio (3), in secula manere decerno: ut ab omni inquietudine expediti, Deo valeant servire, cum gaudio spiritali.

ELECTIONEM quoque Abbatis supradictis Monachis regali auctoritate concedo, ut habeant potestatem eligendi quemcumque sive quocumque voluerint, eâ ratione, ut regulam cum sibi subjectis custodiat.

SI quis autem, quod absit, hanc Chartam infringere voluerit, vel ejusdem loci familiæ ullam molestiam in aliqua re intulerit, contra voluntatem Abbatis, iram Dei incurrat, ac Regiæ Majestati reus omni tempore teneatur.

ET ut descriptio firma sit, annulo sigillari eam jussimus nostro.

ADALOLFUS resignavit.

DATUM mense Januario, anno regni nostri XIV in palatio publico Moguntiæ, feliciter. Anno 765

(1) PIPINUS cognomento BREVIS, Caroli Martelli filius, Caroli Magni Imperatoris parens, anno 752 Rex Francorum à S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino est coronatus, & anno 768 vivere desiit.

(2) S. MAXIMINI Abbatia potentissima, Ordinis S. Benedicti, olim S. Joanni Evangelistæ dicata, extra mœnia Urbis Trevirensis, è regione Cœnobii B. M. V. ad Martyres, jam ab anno 333 ex regio S. Helenæ Imperatricis Palatio in Domum Dei conversa est. Vide plura in libro nostro *de Origin. Benedictinis*. Abbas hujus loci est Decanus perpetuus septem Ecclesiarum præcipuarum Urbis Trevirensis, & Archi-Capellanus Imperatricis, exemptus quoque à Jurisdictione Ordinarii, ac S. Sedi immediatè subjectus.

(3) MUNDIBURNIO. Id est, sub tuitione ac defensione nostra & Successorum nostrorum.

CAPUT IX.

CAROLUS MAGNUS *Rex Francorum, post Imperator, Trevirensem S. Maximini Abbatiam in protectionem suscipit, petente VVerinolfo Abbate, circa annum 790.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Notum sit omnibus in Christum fideliter credentibus Regibus, Episcopis, Ducibus, quod ego KAROLUS, gratiâ Dei Rex Francorum, Longobardorum, ac Patritius Romanorum, pro remedio animæ meæ atque stabilitate regni nostri, Sanctorum Monasteria, sub meo regimine constituta, taliter volo, per successiones temporum, manere illæsa, qualiter per Antecessoris mei privilegia inveni esse firmata.

PROINDE, quia Abbatiam S. MAXIMINI, in Privilegio mei Genitoris PIPPINI, sub ipsius mundiburnio constitutam repperi, ego quoque delibero testamentum facere, per quod ipse locus, ad quem Monachi ibi conversantes, sub nostra defensione, cum quiete valeant vivere, & orationi vacare.

QUAPROPTER WERINOLFO Abbati de eodem Monasterio supradicti Confessoris Christi, quod est constructum in suburbio *Treveris*, atque dedicatum in honore S. Joannis Apostoli & Evangelistæ, Monachisque in eodem loco Christo famulantibus regali auctoritate seu potestate concedimus, ut habeant, in secula post nos futura, liberam potestatem eligendi Abbatem inter ipsos Monachos. Si autem ibi non potest inveniri, eligant sibi, ubicumque voluerint.

INSUPER nostrâ præceptione constituimus, atque inconvulse firmamus, ut nullus Regum nobis succedentium, vel alia persona aliqua contra eumdem locum vel Monachos, in tota Abbatia, ullam potestatem exercere præsumat:

præſumat : nec telonium uſquam à navibus eorum exigat, ſeu placitum teneat, ſine juſſione & petitione Abbatis : ſed ſecurè & cum pace maneat locus ille, ſub noſtro & Succeſſorum noſtrorum mundiburnio.

Et ut iſtius Chartæ auctoritas firmiter per tempora habeatur, noſtræ manûs ſignaculis eam affirmare decrevimus, & annulo noſtro firmari juſſimus.

Data menſe Auguſto anno XI..... regni noſtri. Acta (1) Padreburna, Fiſco noſtro ſuper ipſa.

Signum Karoli glorioſiſſimi Regis.

(1) Padrebuna ſeu Paderborna, Urbs eſt Epiſcopalis Weſtphaliæ : cujus loci Epiſcopatum, Archiepiſcopatûs Moguntini ſuffraganeum, Carolus Magnus inſtituendum curavit ac dotavit circa annum 799.

CAPUT X.

Ludovicus Pius *Imperator immunitatis Privilegia, per Patrem ſuum Carolum Magnum Blandinienſi Monaſterio, prope Gandavum, conceſſa, anno* 815 *confirmat, petente Ainhardo Abbate.*

In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Ludovicus divinâ providentiâ Imperator Auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei, eiſque in eiſdem locis ſibi famulantibus beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus.

Proinde noverit omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quàm futurorum ſolertia, quia vir venerabilis Abba (1) Ainhardus, ex Monaſterio (2) Blandinio, quod eſt conſtitutum in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quod eſt ſitum in pago Gandenſi ſuper fluvium Scaldim, obtulit obtutibus noſtris immunitatem Domini & Genitoris noſtri Karoli bonæ memoriæ piiſſimi Auguſti.

In qua invenimus inſertum, qualiter idem Genitor noſter & Anteceſſores Reges, præfatum Monaſterium, propter divinum amorem & reverentiam divini cultûs, ſemper ſub pleniſſima defenſione & immunitatis tuitione habuiſſent : ob firmitatem tamen rei poſtulavit nos prædictus Ainhardus Abba, ut eandem auctoritatem, ob amorem Dei & reverentiam SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, noſtrâ quoque confirmaremus auctoritate.

Cujus petitioni libenter acquievimus, & hoc noſtræ auctoritatis præceptum erga ipſum Monaſterium fieri juſſimus : per quod juſſimus atque præcepimus, ut nullus fidelium noſtrorum, vel quilibet ex judiciaria poteſtate, in Eccleſias, aut loca, vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones memorati Monaſterii, quas moderno tempore, infra ditionem Imperii noſtri, juſtè & rationabiliter poſſidet, vel ea quæ deinceps à Catholicis viris eidem collata fuerint Monaſterio, ad cauſſas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, aut manſiones vel paradas faciendas, vel fidejuſſores tollendos, aut homines ejuſdem Monaſterii, tam ingenuos quàm ſervos, ſuper terram ipſius commorantes, injuſtè diſtringendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris aut futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat. Sed liceat memorato Abbati, ſuiſque Succeſſoribus, res præfati Monaſterii, ſub immunitatis noſtræ defenſione, quieto ordine poſſidere.

Et quidquid Fiſcus exinde ſperare poterit, totum nos, pro æterna remuneratione, præfato Monaſterio concedimus, ut in alimonia pauperum, & ſtipendio ſervorum, ibidem Deo famulantium, perenniter proficiat in augmentum : quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem Deo famulantur pro nobis & conjuge, proleque noſtra, atque ſtabilitate totius Imperii noſtri, à Deo nobis conceſſi atque conſervandi, jugiter Dominum exorare delectet.

Et ut hæc auctoritas à fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris veriùs credatur & diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione muniri juſſimus.

Signum

Additio. (1) Ainhardus, aliàs *Eginardus*, fuit Secretarius & Cancellarius Caroli Magni, dein Capellanus Ludovici Pii Cæſaris, quorum favore Abbatias varias, Blandinienſem & Bavonianam Gandavi, S. Michaelis in Lotharingia, & Seligenſtadienſem in Germania (pluralitate beneficiorum & Abbatiarum Commendis tunc valde frequentibus) obtinuit. Eum quoque inter Epiſcopos Ultrajectenſes recenſet Wilhelmus Heda in ſua Hiſtoria. Obiit anno 844.

(2) Blandinio. Juxta Gandavum in Monte Blandinio (cujus pedem Scaldis alluit) *S. Amandus* Tungrenſis ſeu Trajectenſis ad Moſam Epiſcopus, vir Apoſtolicus, illuſtre Monaſterium, dotante Dagoberto I. Francorum Rege, in honorem SS. Petri & Pauli conſtruxit : quod Benedictini hodie incolunt.

De fundatione hujus Abbatiæ circumferuntur & vulgares verſiculi :

In ſexcenteno deno fundavit Amandus
Anno Blandinium, Patronum dans ibi Petrum :
Rexit Florbertus, dotavit Rex Dagobertus.

Idem alterum Monaſterium apud Gandenſes conſtituit, dotante Bavone, Comite illuſtri ; quod nunc eſt Cathedrale Canonicorum S. Bavonis Collegium.

Signum Ludovici sereniſſimi Imperatoris.

Helizachar recognovi & notavi.

Datum IV. Nonas Junii, Chriſto propitio, anno II. Imperii Domini Ludovici, Piiſſimi, Auguſti, Indictione VIII. Anno 815.

Actum Aquiſgrani, palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

CAPUT XI.

Idem Ludovicus Pius *Imperator Trevirenſem S. Maximini Abbatiam anno* 822 *protegendam ſuſcipit, petente Eliſacharo Abbate.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ludowicus, divinâ propitiante clementiâ Imperator Auguſtus. Univerſis Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, ſeu omnibus publicæ rei ſervientibus, tam præſentibus quàm & futuris, notum ſit, quoniam inſignis vir & Abba (1) Elisachar de Monaſterio *S. Maximini*, ubi ipſe requieſcit, quod dedicatum eſt in honore S. Joannis Evangeliſtæ, in civitate quæ dicitur *Treveris*, attulit noſtræ Regalitati quoddam privilegium Senioris & patris noſtri Karoli, bonæ recordationis, atque excellentiſſimi Imperatoris.

In quo ſuâ benevolâ largitate denotatum fuit, qualiter ſupradicto Monaſterio & Monachis, in eo pro regni noſtri ſalvatione Deo ſedulò ſervientibus, ad neceſſitates eorum levigandas, concederet, ut nullus in poteſtate ſua eſſet, nec poſt eum futurus, qui in curtis vel in villis eorum placitum tenere, vel quidquam poteſtatis præſumeret exercere, ſine Abbatis & Monachorum permiſſione, & addens, ut ubicunque naves eorum vel homines perveniſſent, nullus telonium ab eis exigere auderet.

Et deprecatus eſt prædictus Abba, ut juxta morem paternum, per noſtram auctoritatem, idem concederemus: cujus rogationi aſſenſum præbere, omnimodè placuit.

Igitur iſtud præceptum ad utilitatem Monachorum fieri juſſimus, per quod imperamus, ne quiſlibet de judiciaria poteſtate, in curtes vel in villas ipſius Monaſterii ad cauſſas audiendum, nec fidejuſſores tollendum, neque ad manendum, aut homines ipſius Eccleſiæ diſtringendum, ingredi præſumat: ſed ſicut ipſe locus ſub Anteceſſorum Regum hactenus fuit conſervatus, ita deinceps per noſtram auctoritatem permaneat inconvulſus.

Et ut iſtud Decretum firmiùs per tempora conſervetur, manûs noſtræ ſubſcriptione, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Datum IV Nonas Aprilis, anno regni noſtri IX, in Longolano, feliciter, amen. Anno 822

Signum Ludowici ſereniſſimi Imperatoris.

Donandus Diaconus recognovi.

(1) Elisachar ſeu Helisachar, Abbas S. Maximini Trevirenſis, eſt idem, niſi fallor, qui Blandinienſi Diplomati, paulò ante recitato, ſubſcripſit. Fuit quoque Abbas S. Petri Gemeticenſis, & S. Richarii in Ponthivio Ordinis S. Benedicti in Gallia & Cancellarius Ludovici Pii Imperatoris.

CAPUT XII.

Nicolai I. *Papæ Epiſtola ad Carolum Calvum Francorum Regem, quâ petit, ut Balduino Flandriæ Comiti parcat, qui filiam ejus Juditham rapuerat, & in Uxorem acceperat, anno* 863.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Carolo glorioſo Regi Majori. Beato ac pretioſo Chriſti Dei noſtri cruore Eccleſia ſancta redempta, & ſacro ipſius Domini ſuper ſolidam veræ fidei petram fundata eloquio, pietatis ſuæ viſcera omnibus, non ſolùm quos ex aqua regeneravit & ſpiritu, delinquentibus, verùm etiam quotquot ſacri necdum lavit undâ baptiſmatis, patet, atque gremio gratulatur fovere ſalubri.

Unde ab ipſo inſtitutionis ejus exordio, ad eam omnes velut ad pium cariſſimæ genitricis gremium confugere dignâ devotione procuravit, qui ſe in aliquo flagitii ſcelere jacere cognoſcunt, ut per ſpiritualem gratiam, quæ rite ignoſcit petentibus, à peccatorum nexibus abſolvantur.

Et quoniam ad hanc ſanctam Romanam, cui Deo auctore deſervimus, Eccleſiam, quæ ob ſui privilegii principatum, quo ceteras Dei Eccleſias orbe univerſo diffuſas, excellit divinitus, de diverſis mundi partibus quotidie multis ſceleribus oppreſſi confugiunt, remiſſionem ſcilicet & venialem ſibi gratiam tribui ſupplici & ingenti cordis mœrore poſcentes: à qua verò ob inſigne dilectionis meritum, & debitæ compaſſionis gratiam recti libraminis auxilium cunctis fidâ petentibus intentione tribuitur, atque largitur.

Idcirco ad beatiſſima ſanctorum Apoſtolorum Principum Petri & Pauli confugere limina, noſtrumque Pontificium Balduinus Vaſallus

Vasallus vester ardenti animo accedere studuit, qui vestram se habere indignationem, eo quòd Judith filiam vestram illum præ ceteris diligentem sine vestræ voluntatis consensu in conjugium elegerit, eamque volentem acceperit, ore proprio retulit.

Quamobrem Præsulatui nostro preces multitudinis fudit, orans, & petens obnixè, ut Magnitudinis vestræ per nostram interventionem adipisci gratiam mereretur. Cujus nos crebris petitionibus, & misericordiæ largitate commoti, vestram Regalem Excellentiam his Apostolatûs nostri apicibus; præsentibusque Legatis Rhodoaldo videlicet & Joanne Reverentissimis & Sanctissimis Episcopis deliciosis nostris valde precamur, ut pro Jesu Christi Domini nostri amore, & sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli, quorum auxilium ipse Balduinus magis quàm Regum terræ fide devotâ quæsivit, nostraque dilectione, quam vos luculenter habere cognoscimus, jam dicto Balduino, quia & talem jam olim aliis evenisse Regibus scitur, indulgentiam pariter & plenariam gratiam largiatis, ut vestræ Amplitudinis fretus benignitate consistat, maneatque inter ceteros vobis fideles securus.

Cui sane ideo vestræ Sublimitatis gratiam ut tribuatis, deposcimus, non solùm quia pio amore omnibus, qui aliquo fuerint sceleris contagio maculati, hujus Apostolicæ Sedis opem, atque misericordiam & præsidium postulantibus, humilique devotione quærentibus, pro qualitate facti subvenire debemus: verùm etiam metuentes ne propter iram indignationemque vestram ipse Balduinus impiis Normannis & inimicis Ecclesiæ se sanctæ conjungat, & in populo Dei, quem prudenti consilio, menteque sollicitâ salvum & incolumem regere & gubernare debetis, aliquod ingerat periculum, & scandali fomitem, quo fidelium cœtus depopuletur, immittat, & ob hoc animæ vestræ, quod absit, contingat discrimen. De Normannis Aimon. l. 5 de gestis Francorum.

Dextra vos supernæ protegat Majestatis, & ab omnibus semper adversitatibus illæsos custodire dignetur. Dat. &c.

Alia ejusdem argumenti Epistola Hincmari Remensis Archiepiscopi ad Nicolaum I. Pontificem supra à nobis memorata fuit in Codice Donation. Piar. Cap. XVIII. quam consule.

CAPUT XIII.

Nicolai Papæ *Epistola, ad Hermentrudem Franciæ Reginam anno 863 scripta, pro Balduino Ferreo Flandriæ Comite, qui Juditham ejusdem Reginæ filiam abduxerat.*

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei (1) Hermentrudæ Reginæ. Fidelium universitas gentium, ex variis mundi partibus, cujuscumque sint ordinis vel ætatis, si quâ fortè criminis noxâ, vel Seniorum suorum formidine detinentur, ad hanc Sanctam omnium terrarum Matrem Ecclesiam Romanam, ut salutare percipiant remedium, recurrunt, & ab ea non solùm animæ, sed & corporis salvationem (ut omnibus patet) humili prece suscipere precantur. Quibus, multis divinitus fulta auctoritatibus, & Sanctorum Patrum roborata documentis, materno amore solamina subministrat, & sugenda ubera consolationis compatiendo inferre minimè recusat.

Et quia hic Balduinus, qui carissimam filiam vestram, contra divinarum legum sanctiones, rapuit, de his se esse recognovit; Liminibus SS. Apostolorum, lacrymosis & mœstis precibus lugubriter se obtulit, ut pro tanto crimine Apostolicam opem acciperet, nostroque Apostolatui nihilominus flendo se præsentare quæsivit.

Cujus cùm lamentabilem & tanto scelere plenam cognovissemus petitionem, in mentem rediit, quod per Prophetam Dominus dicit, *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Miseriti fuimus, & hos vestræ in Christo dilectæ industriæ, Apostolicæ solicitudinis apices fieri statuimus, Missosque etiam (3) Rodoaldum & Joannem Reverentissimos & Sanctissimos Episcopos, deliciosos nostros, pro eo, vestræ Caritati direximus.

Per quos obnixiùs deprecamur, ut prædictus Balduinus, qui vestram, per Apostolorum intercessiones desiderat beneficentiam obtinere, pro Dei amore, gratiam percipere valeat, & de sui affectione nostri Præsulatûs oraculis consolationem resumat; quatenus, ut qui se per infelicem culpam à norma æquitatis declinasse non ambigit, medelam Apostolorum agnoscat, & apud vestrum (2) Seniorem, veniam, vobis juvantibus, vigorem obtineat.

Dextera vos supernæ protegat Majestatis, & ab omnibus semper adversitatibus maculisque conservare dignetur.

Data VIII. Kalendas Decembris, Indictione XI. Anno 863

C A-

(1) Hermentruda seu Ermentrudis, Caroli Calvi Francorum Regis uxor fuit.

(2) Seniorem id est, Dominum ac maritum. Hinc apud Italos natum vocabulum *Signor*, apud Hispanos *Señor*, & apud Gallos *Seigneur*.

(3) Rodoaldus Episcopus Portuensis, & *Joannes* Episcopus Ficoclensis, Legati Nicolai Papæ.

CAPUT XIV.

HINCMARI *Remorum Archiepiscopi, & aliorum Episcoporum apud Vermeriam anno 870 congregatorum, Diploma de libertate & prædiis Abbatiæ S. Vedasti.*

HINCMARUS (1) Remorum Archiepiscopus ac plebis Dei famulus, omnibus Confratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis nunc ad Synodum vocatis, atque mecum (2) VERMERIACO palatio constitutis.

GAUDENDUM est nobis, Fratres carissimi, ac nimis in Domino Jesu Christo exultandum, pro Senioris nostri, KAROLI serenissimi ac gloriosissimi Regis fervent.ssimo studio, quod ob amorem Dei & salutem animæ suæ gerit circa Monasteria & loca Sanctorum relevanda, instauranda atque religiosè ordinanda.

AD quod negotium ut ferveret, si fortè teperet, nos Episcopos conveniret illum ammonere. Sed ille, Deo gratias, Spiritu sancto plenus, utilitatibus ac necessitatibus fervorum..... pauperum Christi, consulens, non solùm nos ammonet, sed etiam humiliter deprecatur, ut in hac re illi adjutores promptâ voluntate existamus; videlicet ut quod ille illis per suum præceptum confirmavit, nos divinâ auctoritate & nostrâ Episcopali sententiâ ita corroboremus, ut in æternum nullus mortalium id audeat temerare atque violare.

NUNC verò maximè de Monasterio sanctissimi Confessoris Christi VEDASTI, ejusdemque loci Monachis, quod dicitur NOBILIACUS, curam atque ordinationem præ manibus habet: quoniam ipsam Abbatiam, nunc noviter reddente sibi nepote suo LOTHARIO Rege, recepit, quam olim, post bellum Fontanidum, fratri suo LOTHARIO Imperatori, ob gratiam firmioris inter se amicitiæ, præstitit.

QUAPROPTER idem Dominus Rex Senior noster de eadem Abbatia, sicut sibi fuisque fidelibus visum est, quasdam res, villas, prædia, mancipia, cum omnibus suis appendiciis, Imperiali præcepto suo indidit, auctoritate sigilli sui signavit atque confirmavit. Quarum villarum nomina sunt hæc; ad matriculam scilicet Ecclesiæ, *Mainbeduillam*, *Bais*, *Senous*, *Herborcisternam*, *Pomerias*, *Herbinicurtem*, mansos X. cum *Longobragio*, *Mainivium*, *Morselle*, & *Scheldogothem*, *Juventiacium*, & in Dominica curte mansum unum.

HAS villas, cum mancipiis & omnibus ad se pertinentibus, in usus luminariorum, matriculariorum, & ceteris quæ in Ecclesiis, in præfato Monasterio positis, necessaria fuerint, deputavit, cum omni censu de omnibus precariis Monasterii, eo modo, ut quidquid etiam ad medicinam opus fuerit, ex præfatis villis suppleatur.

AD necessaria verò Fratrum, victûs scilicet & potûs, has villas delegavit, medietatem vici qui vocatur *Novavilla* juxta ipsum Monasterium, & tabernam unam: *Filciacum* villam, Dominicam curtem, *Theuludum*, *Bigartium*, *Hernanicurtem*, & *Bernailam*: in pago Beluacensi *Mediolanas*, *Puteas aquas*, & *Inungiscurtem* mansum indominicatum unum, & alios mansos XXIV. cum Ecclesia & vineis & ceteris appendiciis: valles super fluvium Sommam cum camba una, & duobus molendinis, & mansum, ad eosdem pertinentibus. *Stragas*, *Saltiacum*, *Atramentarias*, *Mast*, *Marcheim*, *Sirigotem*, precariam *Emmonis* & *Tagengarii*. Has omnes villas, cum ceteris omnibus, usibus Fratrum æternaliter deservituras deputavit.

AD Cameram verò Fratrum præfatorum has villas destinavit, *Atheias*, *Saltiacum*, *Liniacum*, *Campanias*, & in Fontanido mansos III, & mansum I. in *Lambras*, & alterum in *Hadas*, cum homine nomine Godone, & tabernam unam in vico Monasterii, cum omnibus appendiciis, familiis & Ecclesiis, & universis ad se pertinentibus. Ad portam verò, *Berneium* villam, & in *Anzinio* mansum unum cum molendino, & in *Avez* mansos V. cum molendino, & decimam omnis Abbatiæ.

AD hospitale verò pauperum in *Daginvilla* mansos VII. & in *Boneia* villa & *Letsales*, mansos III. & quintam partem omnis decimæ, quæ ad portam venerit, & de omnibus lignariis omnium

Additio. (1) HINCMARUS, Monachus S. Dionysii ordinatus est Archiepiscopus Remensis anno 845. Huic Antistiti multa rescripserunt Summi Pontifices, quorum Litteras videre est tam in Decreto Gratiani quam in Decretalibus, & Flodoardo. Quin & omnia ejus quæ extabant Opera procuravit imprimi *Jacobus Sirmondus* duobus Voluminibus in folio Parisiis anno 1645. Conciliis plurimis præsedit Hincmarus, estque in Historiis Ecclesiasticis Sæculi IX. frequentissima ejusdem mentio. Obiit Sparnaci anno 882, Episcopatûs sui 37. Diversus ab illo est *Hincmarus* Episcopus Laudunensis, qui eodem seculo vixit, pariter in Historia istius temporis celeberrimus.

(2) VERMERIACO. De Concilio Episcoporum apud Vermeriam, seu Vermeriacum Palatium (gallicè *Verberies*, ad Isaram fl. in Diœc. Suessionensi) anno 870 habito, vide Flodoardum in Hist. Remensi lib. 3. cap. 23. Severin. Binium, & alias recentiores Conciliorum Editiones. Additio.

Eâdem occasione notet Lector, habita fuisse Vermeriaci quatuor Concilia; videlicet primum (cujus extant XXI Canones) anno 751, Rege Pipino præsente. Secundum anno 853. Tertium anno 863: & hoc quartum anno 870, in quo junior Hincmarus Laudunensis Episcopus condemnatus fuit.

nium villarum, quæ ad Præposituram, vel ad Cameram pertinent carros X. Ad domum verò infirmorum, omne telonium ex mercato.

Pro remedio namque animæ Genitoris ac Genitricis suæ, ac pro sua salute & Ermentrudis suæ carissimæ conjugis, dedit has villas Fratribus, *Trontellicurtem*, *Cilliacum*, *Lutosum montem* atque *Tilgidum*; ut in eorum anniversariis refectio plenissima eis præparetur.

Unde nos omnes Episcopi, qui Synodali evocatione hîc adsumus, Senioris nostri Caroli Regis jussu, ex auctoritate Dei omnipotentis & potestate nobis divinitus collata præcipimus atque statuimus, ut nullus Rex, nullus Episcopus, nullaque persona alia de jam fatis rebus, & de nominatis villis, prædiis, atque mancipiis, ipsis Monachis deputatis, unquam insequenti tempore aliquid agere præsumat, sed illarum ordinatio in Abbate vel Monachis pendeat.

Nulla omnino servitia, nec mansionaticos, nec parafredos, nec *carnicatioras ab illis villis exigat, nec placita in illorum villis quisquam teneat, ut ipsi Monachi ab omni seculari inquietudine immunes, liberè, religiosè & quietè in Monasterio viventes, absque ullius Senioris impedimento, proprias res teneant, dominentur atque possideant, Dominique misericordiam pro Senioris nostri prolisque regiæ sanitate, & æterna beatitudine, proque totius Sanctæ Ecclesiæ statu ac pace illos fideliter exorare delectet.

* Fortè carricaturas.

Monasterium verò ipsum, ejusque custodia atque omnis ordinatio ad ipsos Monachos & ad Abbatem, quem sibi elegerint, pertineant; neque Canonici extra claustrum ad habitandum admittantur ulteriùs, sicut hactenus omnimodis inhibemus, excepto servitores illorum, quia non modicas dissensiones audivimus propter hoc in illo exortas fuisse Cœnobio.

Si quis verò (quod absit) his nostris præceptis atque statutis aliquâ levitatis vel avaritiæ, cupiditatis vel malitiæ præsumptione contraire voluerit, vel aliquod impedimentum supradictis Monachis, vel Abbati beatissimi Vedasti inferre tentaverit, quolibet ingenio, quâlibet arte, quoquo modo, clam vel manifestè, omnium nostrûm sententiâ damnatus, à Patre & Filio & Spiritu Sancto, Deo omnipotente, cui injuriam facere non timuit, quia ipse dixit: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; anathematis vinculis obligatus, à cœtu Sanctorum separatus, in æternum, justo judicio Dei, intereat in infernum, cum his quorum vermis non moritur, & ignis non exstinguitur; nisi publicâ satisfactione digne pœnituerit, deposito, si Laicus fuerit, secularis militiæ cingulo; si Clericus, Ecclesiastici honoris dignitate.

Pax verò & misericordia Dei super illos qui illa custodierint, quæ in isto divinæ nostræque auctoritatis privilegio conscripsimus, nostrisque nominibus in Dei nomine firmavimus, amen.

Statuimus denique, ut hoc idem privilegium à nobis editum, divinâque auctoritate roboratum, per omnia Synoda, quæ in posterum agenda sunt, deferatur, nostrosque oramus humiliter Successores, ut pro Dei amore & S. Vedasti, ipsi quoque subscribendo corroborent, quod à nobis constitutum est.

Hincmarus sanctæ Metropolis Remorum Archiepiscopus subscripsi.
(3) Egil divino munere Archiepiscopus subscripsi.
Welino Rotomagensis Archiepiscopus subscripsi.
Herardus Turonis Archiepiscopus subscripsi.
Wulfardus Bituricensis Archiepiscopus subscripsi.
Froterius Burdigalensis Archiepiscopus subscripsi.
Ercheuranus Catalaunensis Episcopus subscripsi.
Hildegarius Meldensis Episcopus subscripsi.
(4) Folericus Autricorum Episcopus subscripsi.
Hilmeradus Ambianensis Episcopus subscripsi.
(5) Helias indignus Episcopus subscripsi.
Æneas Parisiacensis Episcopus subscripsi.
Rainelmus Noviomagensis Episcopus subscripsi.
Gunibertus Ebroicensis Episcopus subscripsi.
Ercumbertus gratiâ Dei Episcopus subscripsi.
Joannes Cameracensis Episcopus subscripsi.
Gualterus Aurelianensis Episcopus subscripsi.
Gislebertus Carnotensis Episcopus subscripsi.
Hincmarus Laudunensis Episcopus subscripsi.
Airardus Luxoviensis Episcopus subscripsi.
(6) Christianus gratiâ Dei Episcopus subscripsi.
Erminus Silvanectensis Episcopus subscripsi.
Achardus Morinorum Episcopus subscripsi.
Odo Beluacensis Episcopus subscripsi.
Rothardus Suessionis Episcopus subscripsi.
Anselmus Lemovicensis Episcopus subscripsi.
Isaac Lingonicæ Episcopus subscripsi.
Robertus Nannetis Episcopus subscripsi.
Abbo Nivertensis Episcopus subscripsi.
Siemundus Cenomanensis Episcopus subscripsi.
Hildebrandus Saiensis Episcopus subscripsi.
Bodo Augustidunensis Episcopus subscripsi.
(7) Carolomannus Abbas subscripsi.

(8) Hugo

(3) Egilo, fuit Archiepiscopus Senonensis anno 870.

(4) Folericus *Autricorum Episcopus*. Lege Augustæ Tricorum, nunc Trecensis. Ita Claudius Robertus.

(5) Helias *indignus Episcopus*, fortè Episcopus Engolismensis; vixit enim anno 870 Præsul istius nominis in præfata sede.

(6) Christianus *Episcopus*, forte Autissiodorensis; fuit enim illic Episcopus istius nominis anno 870.

(7) Carolomannus, filius Caroli Calvi Francorum Regis, fuit Abbas S. Richarii in Pontivio, Elnonensis in Flandria, Lobbiensis in Diœcesi Leodiensi, Dervensis in Diœcesi Catalaunensi, Epternacensis in Diœcesi Trevirensi, Reomensis in Diœcesi Lingonensi, &c. Obiit Eptrnaci anno 886.

(8) Hugo Abbas ſubſcripſi.
(9) Gauſlenus Abbas ſubſcripſi.
Hilduinus Abbas ſubſcripſi.
Vulſo Abbas ſubſcripſi.
Berengarius Abbas ſubſcripſi.
Vulfardus Abbas ſubſcripſi.
Hildebertus Abbas ſubſcripſi.
Odo Abbas ſubſcripſi.
(10) Fulco Abbas ſubſcripſi.

Ego GAUSLENUS Abbas, juſſi Domini HINCMARI Archiepiſcopi, hoc privilegium ſcripſi, & ſubſcripſi.

Additio. (8) HUGO, filius Conradi avunculus Caroli Francorum Regis, Abbas S. Martini Turonenſis anno 870. Eumdem Abbatis titulum geſſit anno 987. Hugo Capetus, qui dein factus Rex Francorum, ſupremæ coronæ ſuæ univit dignitatem Abbatialem Eccleſiæ S. Martini. Nunc ibidem eſt inſigne ac regale Capitulum quinquaginta Canonicorum, 56 Vicariorum perpetuorum & 76 Capellanorum. Immediatè ſubeſt Sedi Apoſtolicæ in ſpiritualibus, ac dignitates habet Decanum ſeu Theſaurarium, Cantorem, Scholaſticum, Eleemoſynarium, &c.

(9) GAUSLENUS, ſeu *Gozlinus* primus Abbas S. Germani de Pratis Pariſiis & S. Dionyſii in Francia, poſt Epiſcopus Pariſienſis, & Caroli Calvi Cancellarius, obiit anno 887.

(10) FULCO, Abbas S. Vedaſti & S. Bertini Audomaropoli, tunc dicti *Sitiu*; dein poſt Hincmarum Archiepiſcopus Remenſis, anno 882. Occiſus fuit anno 901. Additio.

Loca ſeu prædia Monaſterii Vedaſtini, in Diplomate iſto enumerata, quibus hodie nominibus exprimantur, vide in Annalibus noſtris Belgicis.

CAPUT XV.

Privilegium à CAROLO CALVO *Imperatore ac Rege Francorum conceſſum Monaſterio Vedaſtino, anno 875.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. KAROLUS ejuſdem Dei Omnipotentis gratiâ Imperator Auguſtus.

Divinâ ordinatione credimus nobis collatam Imperii dignitatem: idcirco gratias ſupernæ pietati referentes, quamquam multò minores ſimus beneficiis ejus, cogitare tamen debemus quemadmodum collati nobis ab ipſo Imperii ſceptra juſtè, ſecundùm ipſius voluntatem, dirigamus, & Eccleſiam illius, pro qua ſanguinem ſudit proprium, in omnibus, ipſo regente, protegamus: credentes quoniam nihil hâc oblatione illi gratius umquam offerre valeamus, nihil quod in hac vita nobis ſalutarius, nihil quod in æterna retributione glorioſius, de ejus benignitate, provenire poſſit.

UNDE noverit omnium fidelium, tam præſentium quàm futurorum ſolertia, quòd adierunt Celſitudinem noſtram Monachi ex Monaſterio, quod vocatur NOBILIACUS, ubi pretioſus Confeſſor Chriſti VEDASTUS corpore quieſcit, humillimis precibus poſtulantes, ut regale decretum noſtrum, quod ſuper jam dicto Monaſterio atque villis, neceſſitatibus eorum profuturis, noſtrâ munificentiâ, ſimulque Epiſcoporum privilegium, quod ex noſtra juſſione illis confirmatum eſt, Romani Pontificis auctoritate firmari juberemus, quatenus quod Epiſcoporum Gallicanorum auctoritas juſtè pièque decreverat, Summi Pontificis ſanctione firmaretur, & liberalitatis noſtræ clementia perpetuis ſeculis commendaretur.

QUORUM petioni libenter annuentes, clementer indulſimus, quod juſtè petere perſpeximus, &..... inſtantiam conſiderantes confuſorum temporum, & in futuro providentes, ſi quomodo poſſimus ſaluti fidelium & Eccleſiarum Chriſti providere ſtabilitati, pertimuimus inimicum pietatis, & noſtro deſiderio, qui Chriſti Eccleſiam cupimus ſuperexaltare, contrarium, niſi perficeremus exorati, quod amore Chriſti commoniti debueramus ultrò offerre.

ITAQUE vocatione Domini JOANNIS Apoſtolici Romani properantes, & voto noſtro, quod ex longo tempore cupieramus, ſatisfacientes, poſt collatam à præfato Patre noſtro, Summo Pontifice & univerſali Papa, Chriſto nobis propitio, Imperii dignitatem, humiliter eidem Summo Pontifici ſupplicavimus, ut ſecundùm præfatorum Fratrum petionem, edictum tam noſtrum, quàmque Epiſcorum decreta Gallicanorum, ſuâ auctoritate adſtipulari dignaretur. Quam reverendus Pontifex benignè noſtram ſuggeſtionem ſuſcipiens, non minùs humiliter quàm devotè curavit perficere, quod vidit religioſè poſtulari.

EDIDIT igitur privilegium ſecundùm noſtram auctoritatem expetitum, quo priorum ſtatuta decretorum, Apoſtolicæ Sedis quoque & B. Petri Apoſtolorum Principis auctoritate firmarentur.

HIS ita peractis, cùm Domino volente FRANCIAM rediiſſemus, petierunt præfati Fratres, ut ea quæ Sedes Apoſtolica ſanciverat, noſtro quoque inviolabili roborarentur edicto: ut tam illa quæ nos, quàm illa quæ venerabilis auctoritas Epiſcoporum decreverat, noſtrâ Imperiali munificentiâ ſtatuerentur ad perpetuitatem.

UNDE cognoſcat fidelium noſtrorum numeroſitas, & Eccleſiarum Chriſti admirabile conſortium, quia ſtatuimus atque Imperiali edicto decernimus, quidquid Reverendus Pater noſter, Summus Pontifex, præfatis Fratribus privilegio ſuæ auctoritatis conceſſit, præſentibus & futuris temporibus inviolatum perſeveret, neque à quoquam vel Eccleſiaſtico vel ſeculari prævaricetur.

QUÒD ſi quis Apoſtolicæ Sedis decretum contemnere, noſtri quoque edicti conceſſionem parvidu-

parviducere, atque contravenire vel facere conatus fuerit, nulli dubium, quin illâ damnatione mulctabitur, quam à Spiritu Sancto credimus prolatam. A nobis verò vel Successoribus nostris, quia infidelis esse dignoscitur (neque enim magis infidelis quisquam nobis potest esse, quàm ille qui nostræ saluti & præsenti & futuræ contrarius extiterit) secundùm voluntatem & potestatem nostram dijudicetur, ut quod ab illis piè & salubriter statutum est, inprævaricabile & inconvulsum perpetuis temporibus permaneat.

Ut autem hæc nostri edicti constitutio æternis inviolata temporibus permaneat, manûs nostræ subscriptione roboravimus, & annuli nostri aurei appensione sigillari jussimus.

Ego Gauzlenus Abba recognovi & subscripsi.

Data III. Kal. Junii, Indictione VIII. anno I. Domini Karoli Serenissimi Imperatoris Augusti, regni verò XXXVI. Anno 877

Actum Compendio Regio Palatio, in Deo nomine feliciter, amen.

Ludovico Imperatore & Rege Italiæ, Lotharii junioris, qui primus Lotharingiæ Rex fuit, fratre anno 875 defuncto, Carolus Calvus Francorum Rex Italiam & Imperium occupavit. Eodem ipso anno excunte, die 25. Decembris Romæ Imperator salutatur, & à Joanne VIII. Papa coronatur.

Idem Calvus anno Christi 877. Imperii II. regni Francorum xxxviii. Lotharingiæ viii. die 6. Octobris Vercellis obiit. In regno filius Ludovicus Balbus successit, qui biennio post, hoc est. anno 879. die 10 Aprilis, feriâ 6. ante Paschs vivere desiit, relicto in cunis filio Carolo Simplice: ut Flodoardus narrat.

CAPUT XVI.

Carolus Calvus *in Attiniaco Palatio templum ædificat ac dotat, in honorem S. VValburgis Virginis, quod nunc possidetur à Monachis Molismensibus.*

Karolus divinâ propitiante clementiâ Rex Francorum.... Noverit ergo omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum solertia, quemadmodum imitantes exempla priorum Prædecessorum nostrorum Regum, Deum timentium atque colentium, ducti etiam nos religione & succensi igne divini amoris, statuimus ædificare Ecclesiam in (1) Attioniaco palatio, in honore (2) S. Walburgis Christi Virginis, quam pro tutamento totius regni ex partibus Orientalium, sagaci industriâ, adferre voluimus.

Ubi ob Prædecessorum successorumque nostrorum, nostræque Regiæ Majestatis, regnique stabilitatem, condonamus ex nostro proprio jure.....

Signum Karoli Regis gloriosissimi.

C A-

(1) Attigniacum sive Attiniacum Palatium viii. lapide à Metropoli Remorum ad Axonam fl. situm fuit; ubi hodieque municipium Attiniacum, vulgò *Bourg d'Attigny*, visitur. estque Fiscus seu Patrimonium Regium Palatium istud à Carolo Magno exstructum tradunt; in eoque Ludovicus Pius, & alii Imperatores ac Reges sæpe domicilium ac conventus suos habuerunt.

Idem Palatium postea Normanni, cum Ecclesia S. Walburgis, quam Carolus Calvus ædificarat, funditus everterunt. Ecclesiam post reædificatam Hugo Campaniæ Comes anno 1102. Molismensibus Monachis tradidit: ut ex illius loci monumentis accepi.

Ceterùm ista S. Walburgis Ecclesia seu Capella, in vico *Dyonne* sita, est hodie Monachorum Benedictinorum Cella, seu Prioratus, ut nuncupant, à Molismensi Abbatia dependens, distatque non procul à Municipio Attiniaco.

Molismi adservatur Caroli Calvi Diploma (quod non nisi mutilum accepi) ut & Tabulæ Hugonis Campaniæ Comitis.

(2) S Walburgis Virgo, S Willibaldi Aichstadensis Episcopi soror, per S. Bonifacium Archiepiscopus, Germaniæque Apostolum circa annum 728. ex Anglia in Germaniam evocata fuit, cum aliis adjuvis, ad propagandam Evangelii doctrinam. Vide Fastos nostros Belgicos die 1. Maii.

Porro *Molismum*, est Campaniæ Oppidulum, in Diœcesi Lingonensi, ubi *S Robertus* circa annum 1075. insigne Benedictinorum Cœnobium construxit. At cum discipuli ejus strictiorem Regulam minùs sedulò observarent, ipse cum viginti uno Monachis in vastæ solitudinis eremum *Cistercium* advênit, ubi famâ celeberrimum Cœnobium, opitulante *Odone* Duce Burgundiæ extruere cœperunt. Robertus verò à suis Monachis Molismensibus repetitus, eò rediit, ibique migravit ad Dominum 17. Aprilis 1110, ab Honorio III. Pontifice Sanctorum fastis adscriptus anno 1221. Addidea

CAPUT XVII.

CAROLUS CALVUS *Imperator anno 877. confirmat Bariacum, Caugiacum, & alia prædia Abbatiæ Marchianensis.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. KAROLUS misericordiâ divinâ Imperator Augustus. Si Servorum Dei utilitatibus subveniendo conferimus, profuturum nobis hoc ad æternam beatitudinem fore nullo modo ambigimus.

QUAPROPTER noverit omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque tam præsentium quàm & futurorum industria, quemadmodum Sororum & Fratrum necessitatibus in Cœnobio MARCIANAS nuncupato, videlicet sito in * Comitatu Atrebatensi, in pago OSTREBANNO, super fluvium SCARPUM, sub tutela (1) S. RICTRUDIS Deo militantium, subvenire cupientes eorum indigentiis, nobis per BERNONEM venerabilem Diaconum, & Palatinum, dilectum Ministerialem nostrum, patefactis, decernimus per ejusdem Bernonis deprecationem, nostræ Altitudinis præcepto eis confirmari res, quatenus per nostram munificentiam, ad augmentum & utilitatem eorum, eas perpetualiter possideant, quæ inferiùs descriptæ habentur.

* Id est Regione.

CONCEDIMUS igitur memorato Cœnobio circa ipsum Monasterium terras, aquas, & nemora, cum omni integritate. In pago Cameracensi villam de LIS, cum omni integritate, & in pago Atrebatensi villam* (a) Bariacum, cum integritate.

(a) Boiry S. Rictrude.

SIMILITER concedimus & in pago Ostrebanno villam (b Gaugiacum sub omni integritate, & in eodem pago Ostrebanno in LAMBRAS mansum unum, cum molendino suo. Similiter & in prædicto pago videlicet Ostrebanno de villa (c) RULLAGIO anguillas CCCC, atque in pago (d) Pabulensi, villam (e) BEBROGIUM, cum omni integritate.

(b) Gouy. (c) Riulay (d) Pevele (e) Beuvry apud Marchienne.

PARI etiam tenore largimur in pago (f) Medenentinsi villam (g) RUMCINIUM cum appendice villa (h) TEMPLOVIO. Nec non & in pago (i) Letico villam (k) HAIGNAS cum appendice villa (l) NANTGIACO. Similiter & in ipso Comitatu Letico de villa (m) RINENGA, de omnibus scilicet rebus majoribus seu minoribus, ac de omni acquisitione omnem decimam.

(f) Melanthois. (g) Roncin apud Insulas. (h) Templeuve. (i) Lens. (k) Haisnes (l) Lorgies (m) Renynghem in Flandria.

DE villa namque (n) VIRIAIACO jubemus tres partes fieri de vino, unam partem ad opus Senioris, alteram quoque ad usus Sororum ac Fratrum in MARCIANIS consistentium, tertiam quidem ad opus Sororum ac Fratrum in (o) HAMATICO degentium, omnia jure perpetuo habenda.

(n) Vergny in Francia. (o) Hamaige.

INSUPER etiam concedimus ad opus Ecclesiæ, infra ipsum Monasterium, mansum unum, & in villa p) AMPLEIAS mansos duos, atque in luminaria ejusdem Ecclesiæ de indominicato, de argento libras III. & ad Vinaticum similiter de indominicato, de vino modia XII. ad hospitale ejusdem Cœnobii, infra ipsum Monasterium, mansum unum, & in villa AMPLEIAS mansos II. atque in Rulliaco sericos duos. Nec non & de omnibus villis, tam de indominicatis, quàm ex beneficiis totius Abbatiæ, omnem decimam pleniter statuimus largiendam.

(p) Ampleies.

PRÆTEREA statuendo sancimus, ut si in aliquo aliquid horum vobis defuerit, quia unum sunt & sub uno Præposito, ex altero suppleatur; id est, si vinum aut annona in uno superabundaverit, & alteri defuerit, ex superabundanti, deficienti necessaria tribuantur; & si neutrum horum usibus Fratrum suffecerit, ex indominicato cuncta necessaria suppleantur.

NULLA igitur ibi præponatur per violentiam persona, sed ad Episcopum ducatur electa. Hanc paginam, ut sit stabilis, annulo nostro signavimus.

SIGNUM KAROLI gloriosissimi Imperatoris Augusti.

Adaletorius Notarius ad vicem Gauzlini recognovit.

DATUM V. Idus Julii, Indictione X. anno (1) XXXVIII. regni Domini Karoli Regis in Francia, & Imperii ejus secundo. Actum (2) PONTIGONE Palatio Imperiali, in Dei nomine feliciter, amen. Anno 877

MArchianense, Hasnoniense, Dononiense, & alia nonnulla Belgii vetustiora Cœnobia, olim sexûs utriusque fuerunt. MARCHIANENSE Cœnobium S. Rictrudis, Adalbaldi Duacensium Principis vidua, hortatu S. Amandi Tungrensis Episcopi, construxit. Sed post annos trecentos triginta sex aut circiter, Monialibus amotis, Leduinus Abbas Vedastinus Monachos Benedictinos substituit; Gerardo Cameracensi Episcopo, & Balduino Flandriæ Comite, satagentibus. HAMATICUM S. Gertrudis, Adalbaldi jam dicti mater, aliis avia, fundavit; estque hodie Cella seu Prioratus à Marchianensi Abbatia dependens.

Marchiennes. Hamaige.

De S. RICTRUDE Abbatissa, & fundatrice Monasterii Marchianensis, prope Duacum, vide Fastos & Annales nostros Belgicos, itemque Origines nostras Benedictinas.

(1) Anno XXXVIII. Puto legendum, anno XXXVII, in quem annum cadit Indictio X.

(2) PONTIONE. Fortasse legendum PONTIGONE: quod olim regium Palatium fuit, inter Catalaunos & Lingones situm. De Synodo in Pontigone anno 877. per Carolum Calvum habita, legitur apud Odoramnum Vitalem, & in Auctario Aimoini lib. 5. de Gestis Francorum cap. 33.

Rigoma-

Stemma Familiæ S. Rictrudis, quæ fundavit Abbatiam Marchianensem.

Rigomarus duxit S. Gertrudem, quæ fundavit Hamaticum & obiit 655.	**Arkenbaldus fundavit Latiniacum, Peronam & Montem S. Quintini.*	
	Adalbaldus Princeps Duacensium duxit S. Rictrudem, pòst Abbatissam & fundatricem Marchianensem.	*S. Maurontus Patronus Duacensium.* *Clotsendis.* *S. Eusebia.* *Adalsendis.*
	Sigifridus duxit S. Bertam, pòst Abbatissam & fundatricem Blangiaci in Artesia.	*Gertrudis.* *Deotila.* *Gesa.* *Gesta.* *Emma uxor Waraclini Angli.*

* Arkenbaldus, aliàs Erkenaldus, Major Domûs regiæ, hortante S. Furseo Abbate Hiberno, Peronæ in Picardia Ecclesiam Canonicorum, & duo Monasteria Benedictinorum, videlicet Latiniacum ad Matronam fluvium, *Lagny sur Marne*, sexto lapide à Parisiis, & Montem S. Quintini prope Peronam ædificavit.

CAPUT XVIII.

Gemblacense Benedictinorum in Brabantia Monasterium anno 922. à S. Guiberto viro nobili, ejusque Avia Gisla constructum ac dotatum; Othonis I. Imperatoris edicto confirmatur anno 948.

IN nomine Dei & Salvatoris æterni. OTTO divinâ favente clementiâ Rex Lotharienfium & Francigenûm.

QUIDQUID Germanienfium, fub Imperii nostri ditione, Dei nutu, à venerabilibus ac Dei timoratis agitur viris, ratum ducimus nostris corroborari assertionibus, scilicet ut nostrâ firmitate ac defensione valeant contra infestantium incursus teneri.

QUAPROPTER agnoscat fidelium Conventus, quòd quidam (1) WIBERTUS nomine, à fecularis hujus vitæ tumultibus recedens, contemnens transitoria, ut commutaret æterna, vertit se ad monasticæ regulam vitæ, fincero mentis cogitans affectu, qualiter à femetipso, prout possibilitas fibi adesset, Deificæ Majestatis augmentaretur famulatus. Construere basilicam mox cœpit in loco GEMELAUS dicto, in honore S. Salvatoris Domini nostri Jesu Christi.

TALIS ergo desiderii carissimum nepotem suum WIBERTUM præfatum calore fuccendi profpiciens avia sua GISLA nominata, præsidio constructionis ejusdem GEMBLACENSIS Cœnobii res eidem nepoti suo legali traditione contulit hereditarias, quas fibi vir fuus nomine ROTHINGUS impendit, dotis gratiâ, in Comitatu fcilicet LOMACENSI atque DARNUENSI, villam videlicet *Gemelaus* cum omnibus ad eam pertinentibus; in eodem quoque pago villam (2) *Busiols* dictam, cum appenditiis suis, & in villa (3) *Asnatgia* quicquid ipse jure tenuit, vel hi, quos propriis hîc notare studuimus nominibus, *Rothbertus* videlicet, *Angerus*, *Fulcoldus*, *Immo*, *Hericindis*, præter

DIploma istud, ut & proximè fubsequens, desumpsimus ex manufcripto Catalogo Abbatum Gemblacensium, quem Sigebertus Gemblacensis Chronographus, illius loci Monachus, conscripsit, typis aliquando edendum, ut spero.

Est autem Diploma istud anno 948 editum: ut ex Sigeberti ejusdem Chronico colligi datur; cujus hæc sunt verba: *Immunitas nostra, Gemmelacensis scilicet, Ecclesiæ hoc anno 948. Imperiali confirmatur edicto, & annuli impressione corroboratur. Erluinus, primus ejus loci Abbas à sancto Patre nostro Guicberto electus, in sanctitate & religionis fervore claret.*

(1) WIBERTUS seu Guibertus, Fundator Monasterii Gemblacensis, in Tabulis Martyrologii Romani 4. Februarii GILBERTUS nuncupatur, & anno 962. in Gorziensi Lotharingiæ Mosellanæ Monasterio (quod nunc est Canonicorum Collegium) vivere desiit: inde Gemblacum translatus, & anno 1110. è terra elevatus, procurante Sigeberto Chronographo Gemblacensi, qui & vitam ejus fcripsit, à Surio editam. Vide Fastos nostros Belgicos & Origines Benedictinas.

(2) BUSIOLS. Boulseval fuper Diliam fluvium, vel Bossieres, uterque locus vicinus Gemblaco.

(3) ASNATGIA. Anaymet prope Gemblacum.

prӕter dimidium manſum, quod ſorori ſuӕ pro ſalute contulit animӕ ſuӕ: & apud eundem pagum villam (4) *Salvenerias* cum inibi aſpicientibus, unumque manſum, quod emit, vocabulo *Ruoz*, alterumque manſum Fiſcalem in loco, qui dicitur (5) *Vilers*, antiquitus appendentem ad Altare S. Petri Principis Apoſtolorum; ſimiliter in pago HASBAIN apud villam *Hermez* manſum unum, quod ROTHINGUS & conjux ejus emerunt.

VITÆ denique monaſticӕ normam pio multiplicari cernens intuitu piiſſima GISLA ſuprà memorata, verӕ fidei divinitùs ardore ſuccenſa, dedit amantiſſimo nepoti ſuo WIBERTO, crebrò memorato, omnia ſub ea datione, quidquid prӕfatus vir ROTHINGUS, dotis gratiâ, legaliter donaverat, in Comitatu (6) NASTENACO, villas ſcilicet (7) *Naſlei* & (8) *Corbeis*, & *Avoncourt*, & *Curceles*, manſumque unum ad curtem *Romenei* dictam, villamque *Molins* vocitatam, ſilvamque *Boiſotgis* vocitatam, & villam *Ailant* & *Vrei*, & manſum unum in villa *Ailant*, & molendinum unum ſuper fluvium *Fontlain* in Comitatu LAZENSI, & clibanum quendam in civitate SENS nuncupata, per annos ſolventem ſingulos XXX. ſolidos nummorum, & *curtem Herbardi*, & *Caderaita*; ſimiliter in Comitatu STAMPAIS villam *Maiſon* dictam, & villam *Algeldi*.

GISLA poſt hӕc ſuprà ſӕpius memorata, divinӕ inſpirationis in ea magis ac magis creſcente clementiâ, Manachorum videns multiplicati catervam, ſeque divino mancipans obſequio, dedit etiam, prӕter ea quӕ jam ſuprà notavimus, ex propria hereditate, in Comitatu videlicet MASAU, in villa, quӕ dicitur *Maſnic*, quamdam terrӕ partem, complicemque navium per annos ſolventem ſingulos quinque ſolidos denariorum, in eodemque Comitatu villam, quӕ dicitur *Biettine*, in qua habetur Eccleſia medietate quidem noſtra, manſus indominicatus, molendinum, camba, capturaque piſcium; in Comitatu verò (9) RENIERS villam *Molivort* dictam, cum inibi pertinentibus, ac in quadam villa ejuſdem Comitatûs (10) BERGA vocitata ſuper fluvium *Rin*, vineam optimam.

DOMINUS intereà prӕfatus WIBERTUS de paternis vel maternis rebus ſibi jure hereditatis legales faciens traditiones, dedit quidquid jurium viſus eſt habere, extra Fratrum ſuorum ſocietatem, ſub nomine Dei & Salvatoris noſtri ſanctique Petri, regni cœlorum clavigeri, Fratribus in eodem loco GEMBLAUS, ſub regulari viventibus diſciplina, quos ibidem Dei coadunaverat miſeratione, in Comitatu ſcilicet (11) BREIBANT, in loco *Melin*, Eccleſiam, manſum indominicatum, cum appenditiis ſuis, cambam, molendinum, & culturam *Arnulphi*, ad decem manſos de *Lietzinis*, quos filio ſuo cariſſimo WIBERTO mater ſolummodo cum Fratre ſuo OILBOLDO legaliter tradidit, & unam inſulam in eadem villa, & apud eumdem Pagum medietatem villӕ (12) *Putian*, medietatemque *Beurene*, in Comitatuque DARNUENSI medietatem villӕ (13) *Curtily* dictӕ, ac medietatem villӕ (14) *Walaham* dictӕ, medietatemque *Waſmont* in Pago HASBAIN.

SIQUIDEM & in hoc habuit Doctorem & Patronum quendam venerabilem ERLUINUM, qui & ipſe canonicam, quâ vivebat, regulam mutavit in monaſticam vitam. Ipſum prorſus is prӕfatus WIBERTUS, poſt ӕdificatam Eccleſiam, & officinas clauſtri, quas ſimul conſtruxerant, ſibi elegit Abbatem, & ſe cum omnibus, quas accercierat, Monachis commiſit regendum, illi potiùs ſe, quàm ſibimet ipſi credens.

IGITUR quia bonis debemus adminiculari viris, ut noſtrâ valeant tuitione defendi, regiâ magnificentiâ ac virtute noſtrӕ roboramus auctoritatis, quidquid ipſe contulit illi Eccleſiӕ, videlicet in GEMBLAUS, ac quidquid exinde venerabilium virorum largitione, Deo fuerit annuente conceſſum, ut nullus fidelium, vel aliquis ejus heredum aliquâ temeritate infringere audeat, ſed potiùs inconvulſum ſemper permaneat.

HABEANT ſanè poteſtatem, ſicut ipſi à nobis expetierunt, eligendi regularem, vel in illo loco, vel ubicunque eis meliùs viſum fuerit, Abbatem & Advocatum, qui inibi datas res lege detineat noſtrâ, vel Comitum noſtrorum defenſione: quibus eodem juſſionis meӕ imperio faciendi caſtellum concedatur poteſtas, à falſis quatenus Chriſtianis, vel paganis pignora Sanctorum, quӕ inibi digno condita ſunt honore, ſalventur, Deoque famulantes, ab omni protegantur adverſitate, nulluſque nobis ſuccedens Rex in ӕternum aliquod audeat ex eodem loco expetere ſervitium, prӕter munia orationum, ab omnique ſubjectionis excuſſus onere, Regum perpetuâ firmiter tuitione, nec quovis modo aliquis Epiſcopus, in cujus Diœceſis idem exiſtit locus, aliquam vim contra voluntatem Abbatis habeat, nec Synodum peragere, nec ullam omnino rem exercere, niſi tantummodo Monachos ejuſdem Abbatis ordinare, poſt mortemque ejus accerſitus, juxta regulam S. BENEDICTI, conſilio Monachorum, ceterorumque comprovincialium, nomen Dei timentium, imperioque Regis electum benedicat Abbatem: ſicque nullius muneris accepto ſervitio, prӕter conſtitutam prӕben-

(4) SALVENERIAS. Savener, ſeu Saulvenier prope Gemblacum.

(5) VILERS. Inter Gentines & Genappe.

(6) NASTENACO. Fortè Waſſenaco vico Waſtine inter Gemblacum & Geldonium.

(7) NASLEY. Fortè Niel juxta Corbais.

(8) CORBEIS. Villa prope Montes S. Wiberti.

(9) RENIERS. Fortè Rhenenſi.

(10) BERGA: Rynberge.

(11) BREIBANT. Idem quod Pagus Bracbatenſis.

(12) PUTIAN. Fortè Peuty prope Vilvordiam.

(13) CURTILY. Courtil inter Gemblacum & Gentines.

(14) WALAHAM. Walhein, nunc Comitatus.

bendam panis S. Salvatoris, ad statum redeat propriæ sedis.

Et quia sub nostra consistit ditione, annuimus Abbati Cancellarium sibi constituere quemcumque voluerit ex suis; similiter mercatum, percussuram monetæ, macheriam; nec per gyrum ipsius Abbatis, quilibet Comes sive Legatus Dominicus ullâ utatur potestate, sine permissione Abbatis & Advocati: isdemque locus absolutus sit ab omni teloneo; nec in civitate, nec in castello, nec in villa, nec super aquas, nec in pontibus, nec in ullius Imperii nostri loco tributum solvant, & hujusmodi, per succedentia tempora, locus ille Regum tueatur regimine ac defensione, ut nos & succedentes Reges, eorum protegamur oratione.

Porrò hoc uti maneat ratum, & per succedentia tempora inconvulsum, annuli nostri impressione sigillari jussimus, ac manu nostrâ subtus firmavimus.....

CAPUT XIX.

Fulquinus, *Vir potens, Villam Pagi Bracbatensis, Dorp nuncupatam, dat Monasterio Gemblacensi, circa annum 950.*

Quisquis bene possideat res in præsenti seculo acquisitas, ille utique optimè possidet, qui de terrenis ac caducis sibi mercatur æterna.

Quamobrem ego in Dei nomine Fulquinus, cum consilio vel suasu benignissimi (1) Faraberti Episcopi, pro salute animæ beatæ memoriæ (2) Richarii Episcopi, ipsius etiam Faraberti, pro salute nihilominus animæ meæ, filiorumque ac fratrum meorum, sive quoque gratiâ æternæ salutis, trado & perpetualiter tribuo Ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, beatique Petri Apostoli Apostolorum Principis, atque (3) S. Exuperii, in loco, vocabulo (4) *Gemblaus*, ubi præesse dignoscitur illustris Abbas Erluinus, quoddam juris mei prædium in pago (5) *Braivibant* in loco, qui dicitur (6) *Dorp*, cum dimidia Ecclesia, & cum una camba, & sedecim mansis, & cum quodam homine nomine *Iser*, seu cum omnibus ibidem aspicientibus, cum domibus & ædificiis, campis, terris, tam cultis quàm incultis, silvis, pratis, pascuis, communibus & parvis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus, & immobilibus, præsidiis, peculiis, omnia & ex omnibus, quidquid in Episcopio nostra videtur possessio vel dominatio, rem exquisitam & inexquisitam, totum ad & integrum, tam de allodio, quàm de comparato, seu de quolibet attractu ad nos ibidem dignoscatur pervenisse, de nostro jure & dominatione, jam dicto Monasterio per hanc chartulam donationis, sive (7) per festucam, ad opus Sanctorum, quorum mentionem supra fecimus, à die præsenti donamus, tradimus atque perpetualiter in omnibus transfirmamus.

Eâ verò ratione, ut Præceptores prædicti Monasterii ab hac die hoc habeant, teneant atque possideant, vel quidquid inde facere voluerint, liberam ac firmissimam, Christo propitio, in omnibus habeant potestatem. Et si quis deinceps (quod futurum esse non credo) si ego ipse, quod absit, aut quisquam de heredibus, vel proheredibus meis, seu quælibet extera persona, quæ contra hanc chartulam donationis venire aut calumniari eam præsumpserit, & se exinde non subtraxerit, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ excommunicatus & divisus existat, & insuper in die tremendi judicii propter hoc rationem

(1) Farabertus, Leodicensis Episcopus, anno 948 Synodo in Ingelheim, Agapiti Papæ jussu congregatæ, cum Fulberto Cameracensi Episcopo interfuit, & anno 953 vivere desiit. Cui Bruno Archiepiscopus Coloniensis Ratherium Monachum Laubiensem suffecit.

(2) Richarius, Tungrensis seu Leodicensis Episcopus, S. Petri Basilicam in urbe Leodicensi, à Normannis destructam instauravit, & anno 935 Canonicos XXX in ea constituit, obiitque anno 946.

(3) S. Exuperii, Vexilliferi, ex Legione Thebæa, Reliquiæ sacræ ad Gemblacense Monasterium, Othonis I. Imperatoris temporibus, sunt allatæ.

(4) Gemblaus, sive Gemmelaus, hodie *Gemblou*, Oppidum Ducatûs Brabantiæ, olim Leodicensis, nunc Namurcensis Diœcesis, quod Arnulfus Abbas IX. Gemblacensis mœnibus cinxit. Abbas porrò Gemblacensis gaudet titulo Comitis à multis retro seculis, & in publicis Ordinum Brabantiæ Comitiis primum inter Nobiles locum obtinet. Quod S. Guiberti Comitis ac Fundatoris Gemblacensis memoriæ meritisque adscribendum existimo. Vide Origines nostras Benedictinas.

(5) Braivibant, seu Braibant, seu pagus Bracbatensis, posteriore ævo à ripa Scaldis usque ad Velpam fluvium (qui in Gallo-Brabantia ortus Velpiam vicum perluit, & paulò infra Thenas Hasbaniæ oppidum Jaceæ infunditur) extendebatur. A Septemtrione Demera & eo in se recepto, Thilia seu Dilia fluvius terminabant: à meridie ad Sabim usque excurrebat: ut Petrus Divæus tradit in Libro suo ms. de Galliæ Belgicæ statu sub Francorum Imperio. Olim Brachbantum seu Pagus Bracbantensis (unde Brabantiæ nostræ nomen) non versùs Gallo-Brabantiam, sed à Bruxella versùs Alostanum Comitatum, Einhamum, Tornacum & Condatum, Oppida Scaldi adsita, potissimùm extendebatur: ut ex Sigeberti Gemblacensis Chronico liquet.

(6) Dorp. Gallicè *Tourneppe*, vicus Brabantiæ, prope Hallas Hannoniæ Oppidum, cujus dimidia Ecclesia cum aliis bonis hoc Diplomate donata fuit Abbatiæ Gemblacensi. Sed anno 1138, Ecclesia ejusdem loci donata fuit Abbatiæ S. Sepulchri Cameraci, quæ hodieque illic possidet jus Patronatûs. Tabulas hujus Donationis infra referemus in *Notitia Ecclesiarum Belgii*. Additio.

(7) Per festucam, seu terræ cespitem olim fieri solebat traditio fundi, quando is Ecclesiæ donabatur seu tradebatur. In ejus memoriam etiamnum in quibusdam Ecclesiis terræ cespites adservantur; qualem me vidisse memini Trajecti ad Mosam in sacrario Ecclesiæ S. Servatii.

tionem reddat. Contra quem verò calumniam intulerit, auri uncias centum, argenti verò libras CCC coactus exsolvat, & quod repetit, nullo modo evindicare prævaleat, sed præsens hæc donatio, meis, & me rogante, bonorum hominum manibus roborata, quorum nomina vel signa subter tenentur, insertâ stipulatione, subnixa, per diuturnum tempus maneat inconvulsa.

SIGNUM Gocteranni Advocati.
S. Fulquini & reliquorum.
(8) OTTO Rex (9) CUNO Dux.
FABABERTUS Episcopus.
Aletrannus Cancellarius.

(8) OTTO REX. Designatur Otho I. Imperator, qui & Rex Lotharienfium in Diplomate præcedenti nuncupatur Ex quo datur intelligi, ab Henrici Aucupis Imperatoris ævo (ut vulgò creditur) non desiisse titulum Regis Lotharingiæ: etsi suos tunc Duces Lotharingia habere cœperit.

(9) CUNO, sive Conradus, Lotharingiæ universæ Dux fuit, Othonis I Imperatoris gener. qui contra Hungaros fortiter dimicans, anno 957. occubuit. In Ducatu successit ipsi Bruno Archiepiscopus Coloniensis, ejusdem Othonis I. frater. Stemmata Principum Belgii, à nobis edita, consule.

CAPUT XX.

SIGIFRIDUS *Comes Castellum Luziliburgum, in Pago Arduennæ situm, à VVikero Abbate S. Maximini Treverensis, titulo permutationis, anno 963. acquirit, inde dictus primus Comes Luziliburgensis, seu Luxeburgensis.*

IN nomine Unigeniti Filii Dei. Notum sit omnibus populis, in Christum credentibus, tam præsentibus quàm venturis, Clericis atque Laicis, quòd (1) SIGIFRIDUS Comes, de nobili genere natus, castellum quod dicitur LUZILINBURCH in proprietatem desiderans adipisci, perrexit ad (2) D. BRUNONEM Archiepiscopum, fratrem videlicet Imperatoris Ottonis, qui tunc Principatum totius Regni post ipsum tenebat, eique suum desiderium manifestavit.

Cujus scilicet Archiepiscopi accepto consilio, & impetratâ licentiâ ab eo, venit ad Abbatem Wikerum & ad reliquos S. Maximini Monachos, in quorum prædio idem castellum fuerat positum, petens ut ei liceret cum suo allodio illud commutare. Quod Abbas libenter, unà cum fratribus, consentiens, placuit atque convenit inter eos, ut res per ambarum partium oportunitatem commutarentur.

DEDIT itaque præfatus Comes ad S. Maximinum de rebus suæ proprietatis, legali traditione, in Comitatu Gisilberti Comitis, in pago Arduennæ, villam quæ dicitur Viulna, cum servis, censualibus, & omni ipsius villæ integritate.

ACCEPIT autem à prædicto Abbate, consentiente Monachorum Congregatione, supranominatum Castellum cum exitibus & reditibus, & omnibus terris, ab alveo fluminis Alsuntiæ, usque ad illos veteres truncos, qui stant ante munitionem ejusdem Castelli, secundùm quod protenditur in longum & latum.

IGITUR posita est hæc eadem munitio in pago *Metingow*, in Comitatu Godefridi Comitis, super ripam Alsuntiæ fluminis.

FACTUM est itaque concambium istud eâ constitutione, ut utraque persona, Abbatis videlicet & Comitis, ex eo quod accepit, habeat in perpetuum liberam & aptam potestatem tenendi, tradendi, vendendi, vel quidquid voluerit ex inde facere, absque ullius hominis contradictione.

ACTA est namque hæc traditio, sive etiam mutatio, publicè in civitate Trevirensium, in Monasterio memorati Patroni S. Maximini, in die Palmarum, xv. Kal. Maii, adstante Abbate Wikero, simulque Hilderado ejusdem Cœnobii Advocato, & aliis quàm plurimis testibus, Monachis, Canonicis, atque Laicis.

Signum Domini BRUNONIS Archiepiscopi, qui hoc concambium legaliter fieri jussit.

Signum Henrici Trevirorum Archimandritæ, qui consilio istius rei per omnia interfuit.

S. Alolfi Præpositi.
S. Rainvoldi Decani.
S. Sandradi Cellerarii.
S. Adalungi Monachi.
S. Christiani Monachi.
S. Gerberni Monachi.
S. Hirimberti Monachi.
S. Willeri Monachi.
S. Volmari Monachi.
S. Hildradi Monachi.
S. Warneri Monachi.

Item nomina Laicorum.

Signum (3) FRIDERICI Ducis Lotharingiæ, cujus consensu & collaudatione opus illud peractum est.

Signum

DIploma seu Instrumentum istud publicum ex ms. Codice Abbatiæ S Maximini Treverensis fideliter descripsi, ut & alia non pauca huc facientia.

(1) SIGIFRIDUS primus Comes Luxeburgensis, cujus filius fuerit, & quem in dicto Comitatu habuerit Successorem, certò non constat. Quod monendum duxi, ne quis Nicolai Vignierii, Joannis Bertelii, & similium narrationibus decipiatur.

(2) BRUNO Coloniensis Archiepiscopus & Archidux Lotharingiæ, (ut ipsum Sigebertus Gemblacensis in Chronico nuncupat) Othonis I. Imperatoris frater, potenter illo tempore in Lotharingia imperabat, obiitque anno 965.

(3) S. FRIDERICI Ducis primi Lotharingiæ superioris seu Mosellanæ, à Brunone Archiepiscopo jam laudato constituti anno 958, ut Flodoardus in Chronico suo commemorat. Vide Stemmata nostra Principum Belgii Cap. 12.

Signum Liuthardi.
S. Nortperti.
S. Sarachonis.
S. Adalberti.
S. Geisonis.
S. Tancradi.
S. Anselmi.
S. Walteri.
S. Harperni.
S. Ruotperti.
S. Thietperti.
S. Thietfridi.

FACTA est igitur hujus Chartæ conscriptio, anno Dominicæ Incarnationis CMLXIII, Indictione VI, regni Ottonis III, & patris sui Cæsaris Principatum tenentis II. 963.

Additio. *Castrum Luzilimburgense*, olim in rupe editissima atque omni ex parte inaccessibili situm erat, cujus ruinas hodieque videre est. A Castro natum est Oppidum peramplum, egregiè munitum, Concilio Provinciali exornatum: quod nunc communiùs dicitur *Luxemburgum*, estque caput vastissimæ Provinciæ Belgicæ, quæ circiter 1168 pagos complectitur.

Olim speciales habuit Dominos, quorum Stemmata referentur infra: è quibus Henricus anno 1308, Carolus anno 1346, & Wenceslaus anno 1378. ad Diadema Imperiale, alii verò ad Regnum Bohemiæ assumpti fuêre.

Anno 1354. die 13. Martii, è Comitatu factus fuit Ducatus Luxemburgensis, qui anno 1443. per Elisabetham de Gorlitz ultimam ejus heredem transcriptus fuit in Philippum Bonum Burgundiæ Ducem, ac tandem in Domum Austriacam.

CAPUT XXI.

LOTHARIUS *Francorum Rex, petente Emmâ conjuge, Villam Aines restituit Judithæ Abbatissæ Marchianensi anno* 976.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) LOTHARIUS misericordiâ Dei Francorum Rex. Si servorum Dei utilitatibus subveniendo conferimus, profuturum nobis hoc ad æternam beatitudinem fore, nullo modo ambigimus.

QUAPROPTER noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque tam præsentium quàm & futurorum industria, quod carissima conjux nostra HEMMA, adiens nostram præsentiam, humiliter deprecata est, ut quandam villam, nomine (2) AINES, quæ tempore (3) ARNULFI Comitis, Sororibus & Fratribus in Cœnobio S. Rictrudis degentibus, injustè sublata fuerat, ob remedium nostrarum animarum, seu Antecessorum nostrorum præcedentium, jam dicto Cœnobio redderemus.

CUI assensum præbentes, more Prædecessorum nostrorum Regum, reddimus atque concessimus prædictam villam *Aines*, in integrum cum omnibus ad se pertinentibus, ut deinceps habeant, tam Abbatissa Judith, quàm prædictæ Sorores, nec non Fratres ipsius Monasterii S. Rictrudis, potestatem faciendi quicquid voluerint, sine ulla nostra, Successorumque nostrorum prohibitione.

ET si quis eis per quodvis ingenium auferre quæsiverit, iram Dei omnipotentis, & beatæ Rictrudis Sanctorumque omnium incurrat, libras verò auri persolvat C, medietatem Cameræ nostræ, medietatem verò prædicto Monastrio.

ET ut firmius maneat hoc, inconvulsumque servetur, manu propriâ subterfignavimus, & annulo nostri palatii jussimus insigniri.

SIGNUM Domini Lotharii gloriosissimi Regis.

ADALBERO Notarius, ad vicem Domni (4) ADALBERONIS Archiepiscopi, summique Cancellarii, recognovit & subscripsit.

ACTUM (5) Doacense Castello, anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. LXXVI. regnante Domino Lothario, anno XXII. feliciter. Anno 976

C A-

DE Marchianensi Monasterio ad Scarpum fl. tertio lapide à Duaco, à S. Rictrude fundato (quod olim utriusque Sexûs fuit) vide Origines nostras Benedictinas, & supra Cap. 17.

(1) LOTHARIUS, Francorum Rex, frater fuit CAROLI Lotharingiæ nostræ Ducis ab Othone II. Imperatore anno 977. creati & anno 986. vivere desiit. Uxorem habuit Hemmam, sive Emmam. Vide Codic. Donat. Piar. Cap. 33. in Notis.

(2) AINES. Vicus est prope Bassæam, Artesiæ Oppidum, quem hodieque Marchianenses possident.

(3) ARNULFI, cognomento *Magni*, Comitis Flandriæ. Fuit hic variarum Abbatiarum instaurator munificus, uti vidêre est supra in Codice Donation. Piar. Cap. 31. 33. & 34.

(4) ADALBERO, Cancellarius Regni Galliæ, fuit Archiepiscopus Remensis; varia Concilia habuit, & plures ejus citantur Epistolæ in Historiis Ecclesiasticis. Obiit anno 989.

(5) DOACENSE Castellum, hodie Duacum *Douay*, Flandriæ oppidum, ad fl. Scarpum, Academiâ per Philippum II. Regem Catholicum anno 1562. nobilitatum; quod fusè describit Buzelinus in sua Gallo-Flandria.

CAPUT XXII.

LOTHARIUS *Francorum Rex, petente Emmâ conjuge sua, Mareolensi Monasterio, prope Atrebatum sito, anno 977. restituit prædia, eidem à Fulberto Episcopo Cameracensi & aliis attributa.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Divinâ præordinante gratiâ Rex LOTHARIUS.

SI in divinis cultibus Ecclesiam Dei ad summum sanctæ religionis statum sustollere conamur, ab ipso omnium bonorum remuneratore confidimus nobis fore compensandum.

IGITUR notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus & futuris, quoniam nostræ dignitatis præsentiam dilecta conjux nostra EMMA adiens, nobis retulit dolendo, quoddam Cœnobium, à venerabili Fulberto Præsule, sub regulari Canonicorum norma, nobiliter secus Atrebatum, super Satis fluenta, olim constructum fuisse, quod situm est in villa, quæ dicitur (1) MAREOLUM, nunc verò penitus destructum per violentiam secularium, & nimiam cupiditatem Theudonis Episcopi, remotis inde omnibus, quæ prædictus Fulbertus ejusque Successores tradiderunt Cœnobio S. Amandi & (2) S. Bertiliæ, ad opus Fratrum, ob remedium animarum suarum, nostrorumque Antecessorum.

QUOCIRCA prælibata conjux nostram reverenter expetiit munificentiam, ut concessas res, præcepti nostri munimine, jam dicto Monasterio corroborare dignaremur.

NOS verò interventu dilectæ conjugis nostræ Emmæ, fidelisque Dridonis, ob spem divinæ remunerationis, pro statu & incolumitate regni nostri, piæ petitioni assensum præbuimus, & jam dictas res Canonicis prælibati Monasterii reddi præcipimus.

SCILICET mansum indominicatum, quod Fulbertus Episcopus dedit eis in villa Mareolo, usque ad fluvium Satis : in ipsa villa molendinum unum, situm coram manso Ecclesiastico, & decimas quattuor molendinorum, quas Præsul Engramnus eis contulit.

SIMILI modo mansa duo in jam prædicta villa, & sedes duas in terra arabili, & bonaria XXIV. ad opus Fratrum ipsius loci, medietatem etiam *Caminæ* datam ab Andremaro Præposito ipsius loci : ut habeant firmiter, & perpetuò nemine inquietante, possideant; eâ scilicet ratione, ut cunctis diebus vitæ eorum, pro nobis & totius regni statu militare jugiter satagant.

ET ut hæc nostræ corroborationis concessio plenissimum obtineat stabilitatis vigorem, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Datum Lauduni Clavati anno 977.

(1) MAREOLUM, Abbatia Canonicorum Regularium apud Atrebates sita, ac SS. Amando & Bertiliæ dicata : vixerunt illic primò Canonici seculares, quos ob liberiorem vitam anno 1144. amovit Aluisus Episcopus Atrebatensis, & Regulares substituit. Plura vide de hac Abbatia, in Libello nostro *de Origine Canonicorum Regularium.*

(2) S. BERTILIA, Virgo obiit circa annum 670; colitur festum ejus die 3. Januarii, ubi consule Fastos nostros Belgicos. Ejus ossa in præfata Abbatia Mareolensi asservantur, jussu Gerardi II. Cameracensis & Atrebatensis Episcopi è terra anno 1081. elevata.

CAPUT XXIII.

GODEFRIDUS *cognomento* CAPTIVUS, *Virdunensis in Lotharingia Comes, & Dominus* * *Ihami prope Aldenardam Flandriæ Oppidum, ejusque Uxor Machtildis anno 979 Holinium, Lesdenium, aliaque prædia donant Blandiniensi S. Petri Monasterio, juxta Gandavum sito.*

* Volgò Eenhaeme

CUM plurima salutis remedia constet, largâ Deificæ pietatis miseratione, provisa omnibus sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, in hac convalle plorationis, spem supernæ beatitudinis suspirantibus, id felix & omni laudis præconio dignum inter divina probatur negotia commercium, per quod valet quisque fidelium perituris temporalium rerum facultatibus æternas cælestis regni conquirere divitias.

AUCTOR siquidem cæli & terræ Jesus Christus, ad hujus sanctæ negotiationis studium, fideles in sacro exhortans Evangelio, sic salutari cunctis intonat voce : *Thesaurisate vobis thesauros in cælo.*

HÆC ego (1) GODEFRIDUS gratiâ Dei Comes, & uxor mea MACHTILDIS, sollicitâ mente pertractantes, æternique flagrantes amore præmii, cupientesque aliquantulam beatitudinis

titudinis portionem consequi cum illis, qui terrena sua patrimonia ad cælestes transtulerunt thesauros, hoc nobis salubre visum est, ut ex bonis à summo omnium rerum distributore clementer concessis, tam nobis quàm prædecessoribus nostris aliquod salutis remedium procuremus.

IDEOQUE ad Monasterium, vocabulo BLANDINIUM, in primordiis ab Apostolico Patre sanctissimo Pontifice Amando constructum, atque in honore Principis Apostolorum Beatissimi Petri & Doctoris gentium Pauli consecratum; processu verò temporis, ab Arnulpho, excellentiori à fundamentis extructo ædificio, ut intuendum patet oculis: in quo Dominus Abbas Womarus non modico Regularium Collegio Monachorum industrius Pastor præesse videtur.

AD hoc ergo Monasterium, pro remedio animæ nostræ, filiorumque nostrorum, donamus Deo, ac S. Petro, cælestis regni clavigero, res nostras perpetuò, hoc est, fiscum (2) Holinium dictum, situm in pago Tornacensi, cum Ecclesia in honore S. Martini & omnibus ad se pertinentibus, id est Ramelgien Ecclesiam, cum terra ad se pertinente, quod est mansum unum & Spetemule, Idelandi mansum, (3) Lesdenium, Novamque Villam, & quidquid pars fisci spectare videtur in circumjacentibus pascuis, pratis, silvis, aquarumque decursibus.

HÆC igitur omnia à præsenti in futurum jugi ævo possidenda, ego Godefridus, & uxor mea Machtildis, in jus & potestatem ipsius loci, tradimus & transcribimus, & ipsis Dei famulis, regularis vitæ studiis, sub monachali habitu, in eodem Cœnobio Christo famulantibus, donata atque firmata esse volumus; quatenus hæc absque ullius refragatoris inquietudine, vel contradictione habeant, teneant, possideant, propriis necessitatibus & stipendiis, quò liberiores in exequendis valeant esse mandatis, secundùm Sancti Patris *Benedicti* regulam sibi traditis, atque pro nobis & nostris Prædecessoribus devotiùs Domini misericordiam implorent.

SI quis verò de omnibus Successoribus nostris, heredibus, aut proheredibus, perversus contradictor, seu extranea quælibet persona, huic traditionis nostræ largitioni, intuitu divinæ pietatis pactæ & firmatæ, iniquis refragationibus contraire voluerit, atque hanc ausu nefario temerare præsumpserit, præsumptuosa illius audacia nullum obtineat effectum: imò pro injusta repetitione distringente, fisco auri libras centum, & argenti CCCC. coactus exsolvat; præterea quod repetit non evindicet; sed præsens donationis nostræ testamentum, nostrâ fideliumque roboratum astipulatione, stabile & inconvulsum perenni ævo maneat.

ACTUM publicè in Cœnobio Blandinio XII. Kal. Februarii, Indictione VII. anno XXVI. regni inclyti Regis Lotharii, & regiminis Abbatis Womari XXVII. 979.

SIGNUM GODEFRIDI Comitis, & conjugis ejus MACHTILDIS, qui hanc traditionem fecerunt & firmari petierunt.

SIGNUM ARNULPHI gloriosi Marchisi junioris.
S. HERMANNI Comitis, filii Godefridi Comitis.
S. Domini Womari Abbatis.
S. Wigeri.
S. Lietberti.
S. Wicberti.
S. Ingelberti Advocati.
S. Widonis Præpositi.
Ego quoque Rodulphus Monachus vidi & Chartam conscripsi.

CA-

(1) GODEFRIDUS cognomento Captivus (eò quòd anno 984. à Lothario Francorum Rege captus fuerit, teste Sigeberto) Comes Virdunensis & Eihamensis, ex *Machtilde*, Herimanni Saxonum Ducis filia, Balduini tertii Flandriæ Comitis vidua, quinque genuit filios, *Alberonem* Episcopum Virdunensem, *Fredericum* Comitem Virdunensem, *Hermannum* seu Henzilonem Comitem Dagisburgensem, qui huic Diplomati subscripsit, *Godefridum*, cognomento Improlem, Lotharingiæ inferioris Ducem, & *Gothilonem* cognomento Magnum, Lotharingiæ superioris & inferioris Ducem, itemque filiam unam, nomine *Ermengardem*.

De istis quinque filiis ita legitur in magno Chronico Belgico. Post mortem Othonis Ducis Lotharingiæ, Ducatus idem datur per Imperatorem Henricum hujus nominis secundum, anno Domini 1006. anno verò regni sui quarto, Comiti Godefrido Virdunensi, filio Godefridi Comitis Ardennensis, quem rexit annis XIV. Istius Godefridi Comitis Ardennensis fuit uxor Mechtildis Comitissa Saxoniæ, quæ peperit ei Episcopum Virdunensem Alberonem, Comitem Fridericum S. Vitoni Monachum, Comitem de Daburg Hermannum (cujus fuit filius Gregorius Leodiensis Archidiaconus) & duos Duces prosapiâ inclytos, Godefridum istum & Gozelonem. Hactenus ex dicto Chronico per Pistorium edito.

Videntur autem ea desumpta ex Alberici Monachi Chronico, quod is ab orbe condito usque ad annum Christi 1241. conscripsit, nondum typis editum, quod sciam. Ceterùm ex Godefridi Captivi filiis, duo, videlicet *Fredericus* & *Hermannus* facti sunt Monachi, Virduni ad S. Vitonum. De *Ermengarde*, ejusdem Godefridi filia, legatur Historia S. Popponis Abbatis Stabulensis, apud Surium.

Obiit autem Machtildis anno 1009. in Blandiniensi Monasterio, juxta Godefridum maritum suum posteriorem sepulta: teste Meiero. His annecte, si voles, quæ Baldericus Tornacensis Episcopus in Chronico Cameracensi lib. 2. cap. 45. de tribus Monasteriis seu Templis Eihami ad Scaldim, prope Aldenardam Flandriæ Oppidum, per Godefridum Captivum ejusque filium Hermannum fundatis commemorat.

(2) HOLINIUM. Hollaing prope Tornacum.
(3) LESDENIUM. Lesdaing, in eodem tractu.

CAPUT XXIV.

HILSUNDIS *Comitiſſa Strienſis, Ansfridi Comitis Huienſis, poſt Epiſcopi Ultrajectini, Uxor, fundat ac dotat anno* 992. *Cœnobium Thorenſe, quod eſt illuſtre nobilium Virginum Canonicarum Collegium ad Moſam fl. in Diœceſi Leodicenſi.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego (1) HILZONDIS Comitiſſa Terræ de (2) *Stryen*, ſequi cupiens eum qui eſt ſponſus virginum, de conſilio Domini mei Ansfredi, Eccleſiam conſtruxi, in alodio meo de *Thorne*, ubi ego & filia mea (3) Benedicta, ſub regula ſanctæ obedientiæ, ita viveremus in hoc ſeculo, ut mereamur in futuro, amictæ ſtolis albis, inter Angelos comparere, in diſtrictu juſti Judicis.

ITAQUE amicos mihi faciens de mammona iniquitatis, attuli ad dictam Eccleſiam omne alodium meum, quod in terra mea de *Stryen* glorioſus Rex (4) *Zuendiboldus* olim perdonaverat.

IN primis ipſam Eccleſiam de *Stryen*, quæ eſt conſecrata in honore Mariæ Virginis, (5) *Montem littoris*, ubi beatiſſima Gertrudis corporaliter converſata eſt, & Cellam habet à B. Amando conſecratam; villam (6) *Gilleyela* cum appendiciis, villam *Baerle* cum Altari in honore S. Confeſſoris Remigii à me conſtructo, Caſtellum (7) *Sprundelheim* cum omni integritate, ſicut ſitum eſt ſuper fluvium (8) *Moerwater*; ſilvam ad porcos alendos, quemadmodum jacet (9) inter duas Marcas, cum omni jure, wancapio, teloneo, molendino, cenſu, pedagio & aquagio in pratis, ſilvis, agris, cultis & incultis, (10) waſtinis, (11) moris, humido, ſicco, alto, baſſo, prout eadem ego Hilzondis Chriſti famula & parentes mei tenuerunt.

NON ſit ullus Advocatus, niſi quem (12) Fratres & Sorores de Thorne Cœnobii elegerint: & ſi quiſpiam maligno ſenſu, ſuadente diabolo, ſe intromiſerit, condemnabit eum Dominus mundi Cæſar, qui eſt legitimus Cœnobii Advocatus.

ADJURO quoque heredes ...... Stryenſes Dominos, per eum qui fuit & venturus eſt, ne ullam guerram aut malum ingenium faciant huic meæ donationi, ſed filiam meam ejuſque Congregationem defendant in armis & juſtitia. Qui ſecus fecerit, portionem habeat cum Dathan & Abiron: ne remittatur ei peccatum nec in hoc ſeculo, nec in futuro. Fiat, fiat.

DATUM apud Thorne anno nongenteſimo 992.
nonageſimo ſecundo, Kalendis Junii, Indictione IV.

Teſtes fuerunt,

(13) Joannes Abbas S. Pantaleonis.
F. Balduinus Præpoſitus de Dirha.
G. Decanus.

Et de Militibus noſtris,

Franco de Dungha, Dungen.
H. de Emelberga,

G. de

(1) HILZONDIS ſeu Hilſundis, fuit uxor Ansfredi ſeu Aufridi, qui ex Bratuſpantium & Huienſium Comite factus Epiſcopus Ultrajectinus, anno 1008. vivere deſiit. De eo Sigebertus in Chronico ad annum 997. & nos in Faſtis Belgicis 3. Maii, & in Codice Donationum Piarum Cap. 32. 40. & 42.

(2) STRYEN Comitatus, ſeu Territorium olim ampliſſimum, hodieque nomen retinet. Sub illo Comitatu quondam Mons S. Gertrudis & Breda, Oppida gentis Naſſaviæ, in confinibus Brabantiæ & Hollandiæ ſita, item *Baerle* municipium Campaniæ Brabantiæ, & alia loca vicina comprehendebantur. Comitatus eſt nunc maximè ſub aquis.

STRYEN, aliàs Sevenberghen familia. Ita Butkens in Genealogia Familiæ Comitum de Linden.

(3) BENEDICTA fuit 2. Abbatiſſa Thorenſis, & ejus oſſa oſtenduntur Thoræ in capſa lignea. Montens.

(4) ZUENDIBOLDUS Rex Lotharingiæ, anno 900. prælio prope Moſam fluvium victus occubuit, conditus in Suſterenſi Monaſterio, quod eſt nobile Virginum Canonicarum Collegium, in Ducatu Juliacenſi.

(5) MONS LITTORIS, hodie Mons S. Gertrudis, vulgò *Gertruden-berghe*, Oppidum in confinibus Brabantiæ & Hollandiæ, ut dixi, ſitum, capturâ ſalmonum celebre. Fuit olim Patrimonium S. Gertrudis, quæ Nivellenſe Canonicarum nobilium Collegium, cum Matre ſua Iduberga, condidit, hortatu S. Amandi Tungrenſis ſeu Trajectenſis ad Moſam Epiſcopi. Idem Amandus vir Apoſtolicus Cellam in Monte S. Gertrudis conſecravit, ut in recitato Hilſundis Diplomate disertè traditur. Idem quoque Burgi ſeu Caſtri Antverpienſis Eccleſiam in honorem SS. Petri & Pauli conſtruxit: ut Tomo I. Codicis Donationum Piarum cap. 6. ex Rothingi Diplomate docui; ita ut jure optimo Amandus Brabantiæ Apoſtolus nuncupandus eſſe videatur.

(6) GILLEYELA. *Gilſen*.

(7) SPRUNDELHEIM. *Sprundel* vicus ditionis Bredanæ.

(8) MOERWATER. Nunc Fluvius iſte eſt incognitus.

(9) INTER DUAS MARCAS. *Mark* fluvius Bredanus. Fortè per alteram Marcam intelligit fluvium *Aa*, qui & Bredam influit. Inde Breda, quaſi *Breede Aa*, quod ibi fluvius *Aa* ſit latiſſimus.

(10) WASTINIS, id eſt, locis deſertis ac vagis, flandricè *Woeſtynen*.

(11) MORIS, id eſt, locis paludoſis, vulgò *Moeren*; qualia hodieque plurima ſunt in Campania Brabantiæ, ex quibus ceſpites fiunt, ad focum ſtruendum. Sic & in occidua Flandria à Moris, ſeu paludibus Morini (quorum caput olim Teruana fuit, anno 1553. exciſa) nomen traxerunt. Morinorum paludes duas primarias, inter Hondiſcotam, Dunckercam, Furnas & Bergas S. Winnoci ſitas, anno 1624. & 1626. Vincentius Cobergius Antverpienſis, Architectus & Pictor celeberrimus, exhauſit, & exſiccatas in agros ac prata convertit.

(12) Fratres & Sorores de Thorne. Canonicos VI. & Canonicas XXII. Thorenſes intellige. Eſt enim eo in loco duplex Collegium, ab Hilſunde fundatum. Canonici hodieque comparent in Capitulo.

(13) JOANNES Abbas S. Pantaleonis, in urbe Colonienſi, quæ celebris eſt Abbatia Benedictinorum.

G. de Sandert, Castellanus noster.
I. Dapiser.

Et de Ministerialibus Episcopi,
Christophorus, Girardus, in Domino feliciter.

Abbatissa Thorensis est Patrona & Collatrix Canonicatuum in Monte S. Gertrudis.
Canonicæ debent esse filiæ Comitum & liberorum Baronum *Vry Heeren*, qui pro iisdem habentur in Germania.
Thorenses habent decimas in Gilsen, Baerle, Sprundel & aliis Pagis ditionis Bredanæ: imò & in ipsa Breda.

CAPUT XXV.

SIGIFRIDUS II. *filius Sigifridi I. Comitis Lutzelburgensis, ejusque Uxor Hadewicha donant varias possessiones Cœnobio S. Maximini Trevirensis, anno* 993.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Quoniam omni homini necessarium esse pernoscitur, ut in hac vita positus de futuris piè meditetur, & rebus transitoriis lucra æternæ vitæ mercari conetur, Sacrâ exhortante Scripturâ, *Honora Dominum de tua substantia*, itemque, *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.*

IDCIRCO ego (1) SIGIFRIDUS Comes, cum conjuge mea HADEWICH, hâc salutiferâ admonitione commonitus, ob remedium animarum nostrarum, liberorumque nostrorum, superstitum videlicet seu defunctorum, tradimus Domino, Sanctoque MAXIMINO, qui in suburbio Trevirorum requiescit, & Cœnobitis, Deo, prædictoque Confessori sub Regula Sancti Benedicti militantibus, quibus Venerabilis FOLCMARUS Abbas præesse videtur, in valle Alsuntiensi, in villa Marisch, in Comitatu Ardennensi, regimini filii nostri HENRICI Comitis subjacenti, unum videlicet mansum Nevelunc, & ejus conjugis Rozelæ, Successorumque suorum, altari S. Clementis, in eodem Monasterio posito, ubi corpora nostra diem extremi examinis expectabunt, Deo propitio.

ITA dumtaxat, ut idem Nivelongus, vel Successores ejus, omni anno quinque solidos probatæ monetæ persolvant ex eodem manso, ab omni deinceps servitio libero servili: quatenus benedictione & licentiâ venerandi Abbatis, Sacerdos ibidem Deo Psalmodiæ & Missarum celebraturus sacrificia, his Xeniis adjutus, pro ereptione animarum nostrarum exoret libentiùs.

RELIQUAS verò proprietatis nostræ possessiones, in eadem villa consistentes, in communem Cœnobitarum usum, quidquid videlicet vel concambio vel thesauro nostro acquisivimus, tam in mancipiis, quàm in ædificiis, molendinis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, exitibus & reditibus, cum omni integritate, servitio & censu, sicut eam hactenus habuimus: excepto Ravachone & conjuge & filiis ejus, Luzone & filius ejus, & hereditate eorum.

Eâ scilicet ratione, ut ego & conjux mea HADEWICH, usque ad terminum vitæ nostræ, idem prædium in usum nostrum possideamus: post obitum verò nostrum, in usum prædictorum Cœnobitarum, absque ullius contradictione, pertineat.

ILLUD sanè omnimodis in Dei nomine rogantes, ut in anniversario obitûs mei, ex eodem prædio recordatio prædictis Cœnobitis exhibeatur, in memoriam nostri. Ita enim rogamus atque obsecramus, ne Abbas vel aliquis ejusdem loci Provisor alicui personæ ex eodem prædio aliquod beneficium accommodet: ne ut destructores eleëmosynæ nostræ ab heredibus nostris, nostrâ permissione ad id commonitis, idem prædium perdant, nisi moniti resipiscant.

SI quis verò coheredum meorum (quod quidem fieri non credo) infringere voluerit vel tentaverit hanc nostræ traditionis largitatem, in primis iram Dei & S. Maximini incurrat, & quæ machinatur non efficiat, coactusque Thesaurario Regis C. libras auri, & M. talenta persolvat argenti.

ACTA est hæc traditio publicè Treveris, in Monasterio S. Maximini, coram HILDERADO, ejusdem Monasterii Advocato, astante Venerabili Abbate Volcmaro, cum omni ejusdem loci Congregatione, me Sigifrido Comite, & conjuge meâ Hadewich tradente, sub fidejussoribus, quos vulgò Saliburgiones vocamus, alio Hilderado, & Thiezelino, coram testibus Gozberto, Tancrado, Tietfrido, Dudone, Isenuardo, Walerammo, Wilerico, Immone, Bertrammo, & multis aliis, anno Dominicæ Incarnationis D. CCCC. XCIII. regno Ottonis tertii X. Indictione VI. 993.

(1) SIGIFRIDUS II. Comes Lutzeburgensis, filius Sigefridi I, hîc designatur, quem supra cap. 20. laudavimus. Fuit ipsi Uxor HADEWICHA, & filius HENRICUS, Comes Ardennensis seu Arduennensis seu Rupensis: ut ex Diplomate jam producto colligitur. Sigifridus II. Liberos habuit Henricum Comitem, post Bavariæ Ducem, Theodericum Episcopum Metensem, Fredericum Comitem, postea Ducem Lotharingiæ inferioris, Adalberonem qui conatus fuit occupare 1008. Archiepiscopatum Treveren. & S. Cunegundem & Juitham Welfo I. nuptam. *Canis.* tom. 1. *Herm. Contractus* anno 1008. & 1047. ubi dicit Adalberonem III. in Episcopatu Metensi successisse Theoderico.

Arduennæ porrò silvæ portio non exigua hodieque sub ditione Ducis Lutzeburgensis continetur.

CAPUT XXVI.

OTHO III. *Imperator, Herluino Cameracensi Episcopo concedit mercatum, itemque jus cudendæ monetæ in Castello Cameracesii, anno* 1001.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. OTTO, supernâ favente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus.

SI locis divino cultui mancipatis proprietates sublimare, atque honores augere studuerimus, id non solùm laude humanâ prædicandum, verùm etiam mercede divinâ remunerandum scimus, & verè credimus. Unde agnoscat multitudo omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm & futurorum, quod nos Herluino venerabili Episcopo, ob interventum Leonis Episcopi & ceterorum, dedimus jus, fas, atque licentiam faciendi, statuendi, ac construendi merchatum, cum moneta, teloneo, banno, & totius publicæ rei ministeriis, in quadam proprietate sanctæ Cameracensis Ecclesiæ, in loco qui vocatur Castellum sanctæ Mariæ, quod vocabatur antea *Vendelgeias*, quod situm est in Pago Cameracensi, ac Comitatu Arnulfi Comitis. Atque prædictum merchatum, monetam, teloneum, bannum, cum tota publica functione in proprium concedimus sanctæ Cameracensi Ecclesiæ tali tenore, ut nullus Dux, Marchio, sive Comes, seu aliquis homo ullam potestatem habeat super memorato merchato, nisi cum licentia Episcopi Herluini suorumque Successorum. Unde Imperiali jubemus atque statuimus potentiâ, ut omnes homines jam dictum merchatum visitantes, euntes, negotiantes, atque commorantes, eundo & redeundo talem obtineant pacem, qualem justè detinent negotiatores in merchato Cameracensis civitatis.

IGITUR quicunque prædictum merchatum frangere seu violare tentaverit, componat talem nostri juris bannum, qualem, prout lex exigit, solvere debent qui illud Cameracense merchatum temerariè inquietaverint. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas firmior permaneat, hanc paginam manu propriâ roborantes, sigillare jussimus.

Signum Domini Ottonis, Cæsaris invicti. (1) Henbertus Cancellarius vice (2) Willigisi Archiepiscopi recognovit, data XI. Kal. Maii, Anno Dominicæ Incarnationis 1001. Indictione XIV. anno tertio. Ottonis regni XVII. Imperii V. Actum Ravennæ feliciter. Amen.

DE Castello S. Mariæ (quod nunc est Oppidum Episcopi Cameracensis, & Castellum Cameracesii, *Chateau en Cambresis* vulgò ouncupatur) item de vico *Vendelgeias* vide Codicis Donationum Piarum cap. 46. & Balderici Chronicon Cameracense.

(1) HERIBERTUS, Archiepiscopus Coloniensis.

(2) WILLIGISUS, Archiepiscopus Moguntinus.

CAPUT XXVII.

S. HENRICUS, *eo nomine secundus, Imperator, Erluino Episcopo Cameracensi, ejusque Successoribus, donat Comitatum Cameracensem, anno* 1007.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS Divinâ clementiâ favente Rex. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, notum fieri volumus, qualiter nos, tam animæ nostræ consultu, quàm venerabilis Heriberti Archiepiscopi Coloniensis interventu, Chameracensi Ecclesiæ, in honore S. Mariæ constructæ, Comitatum Chameracensem, hâc nostræ auctoritatis præceptali paginâ, prout firmissimè potuimus, in proprium donavimus.

PRÆCIPIENTES igitur, ut prælibatæ sedis venerabilis (1) ERALWINUS Episcopus, suique Successores, liberam debinc habeant potestatem, eumdem Comitatum in usum Ecclesiæ supra dictæ tenendi, (2) Comitem eligendi, bannos habendi, seu quidquid sibi libeat, modis omnibus inde faciendi.

ET ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis

DIploma istud ex autographo primus edidit Georgius Colvenerins, Doctor Theologus & Cancellarius Duacensis, in suis Notis ad Balderici Tornacensis Episcopi Chronicon Cameracense, lib. 1. Cap. 119.

(1) ERALWINUS. Aliàs Erluinus, seu Herluinus Episcopus Cameracensis & Atrebatensis anno 1012. decessit, succedente Gerardo eo nomine Primo.

Ceterùm an Episcopo, an verò Ecclesiæ Cameracensi datus fuerit Comitatus Cameracensis, Nicolaus Everardus, Præses Mechliniensis, in suis Consiliis disputat.

Cameracensis porrò Antistes istis hodie titulis utitur: N. Archiepiscopus & Dux Cameracensis, S. R. I. Princeps, Comes Cameracesii.

(2) COMITEM eligendi. Lector curiosus notet, olim Lotharingiæ superioris & inferioris, adeoque Belgicæ nostræ Episcopos, habuisse jus eligendi & constituendi Comites in suis civitatibus, qui jus gladii exercebant. Hinc Comites Cameracenses, Atrebatenses, Treveren-

bilis & inconvulsa permaneat, hanc Chartam inde conscriptam manu propriâ roborantes, sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

SIGNUM Domni HEINRICI Regis invictissimi.

EBERHARDUS Cancellarius, vice Willegisi Archicapellani, recognovit.

DATA XI. Kalendas Novembris, Indictione V. anno Dominicæ Incarnationis MVII. anno Domni Heinrici Secundi regni VI. Actum Aquisgranensi Palatio feliciter, amen.

ses, Metenses, Virdunenses' Tullenses, & alii qui passim in medii ævi historiis occurrunt.

Coloniæ Agrippinæ etiamnum Comes, *Greve*, ab Archiepiscopo constitui solet, qui jus gladii exercet.

Insolescentibus postea Comitibus, Episcopi plerique Comitativam dignitatem ac titulum ad se traxerunt. Hinc Tullenses, Virdunenses, & alii Episcopi hodieque Comites nuncupantur.

CAPUT XXVIII.

Idem S. HENRICUS *Imperator, Aquisgranense Canonicorum S. Adelberti Collegium anno* 1018. *fundat ac dotat.*

QUONIAM indubitanter scimus in conspectu Dei placere Sanctorum loca instituere & sublimare, spe divinæ remunerationis, pro remedio animæ nostræ, conjugisque nostræ dilectæ (1) CUNEGUNDIS videlicet Imperatricis Augustæ, nec non Parentum nostrorum, tum etiam pro confirmando sub divina protectione regni nostri statu, Ecclesiam in honore S. ADELBERTI Martyris & Episcopi, in Monte contermino Sedi nostræ Aquensi, à nobis fundatam, omni libertate donamus, eidemque Ecclesiæ omnem possessionem, quæ est infra murum, quæ dicitur *Bruell*, cum areis, ædificiis, agris, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, exitibus, reditibus, viis & inviis, seu cum omni utilitate, quæ ullatenus vel nominari vel scribi posset, tradimus......

Anno Incarnationis Domini millesimo decimo octavo, Indictione primâ, regni nostri decimo septimo, Imperii autem quinto. Actum Aquisgrani feliciter, amen. 1018.

AQuisgrani duo sunt Canonicorum Collegia *Marianum*, & *Adelbertinum*. Prius Carolus Magnus Imperator fundavit, & in Basilica rotunda, quam in Palatio suo ibidem in honorem Deiparæ construxerat, residere voluit. Dotem postea auxit Otho primus Cæsar, ut & numerum Canonicorum ampliorem fecit Notgerus Leodicensis Episcopus; in qua Diœcesi sitæ sunt Aquæ Grani.

Palatium porrò Aquisgranense Godefridus & Sigefridus Normannorum Reges anno 882. incenderunt & vastarunt: ut Sigebertus in Chronico testatur. Capella autem seu Basilica, à fundamentis per Carolum cum peristyliis solidissimè constructa, hodieque perstat formâ rotundâ, columnis marmoreis, fornice concamerato, cum cancellis ac portis æreis, aliisque ornamentis, quæ Eginhartus in ejusdem sui Principis & Heri vita describit: ut coram aliquando, cum admiratione spectantes, observavimus.

ADELBERTINI templi, quondam extra, nunc intra muros Aquisgranenses in rupe siti, fundamenta Otho III. Cæsar (cujus tumulus in Mariana Basilica jam laudata visitur) suo ære posuit: S. Henricus ædificium perfecit, & Canonicos amplis prædiis dotavit; ex quibus multa in confinibus Brabantiæ & Zelandiæ, tertio lapide ab Antverpia, circa *Batzen-toren* aquis absorpta perierunt; ut & dicta turris: quæ mediis in aquis, haud procul à Lilloa velut specula eminebat, sed marinis fluctibus excisa ante paucos annos concidit. Erit tamen, ut spero, aliquando, cùm amplum istud olim terrarum spatium, alluvionibus auctum, posteritas ab Oceani fluctibus vindicabit, Aquisgranensium, Antverpiensium, & aliorum bono. Batzentoren.

(1) S. CUNEGUNDIS Augusta, S. Henrici II. Cæsaris Conjux, & Virgo, anno 1040. ad meliorem vitam transiit, Bambergæ condita in Benedictinarum Cœnobio à se condito. De utroque, ut & de S. Adelberto, in Martyrologii Rom. Fastis legitur. Festum S. Cunegundis colit Ecclesia die 3. Martii; S. Henrici die 15. Julii; S. Adelberti 25. Junii.

CAPUT XXIX.

Inter Ecclesiam Cathedralem Bellovacensem, & Abbatiam S. Vedasti in Artesia, societas fraterna circa annum 1023. *inita firmatur, Diplomate VVarini Bellovacensis Episcopi.*

IN nomine Summæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. ROBERTUS Rex Franciæ proceres suos certa de caussa in palatio Compendii conduxerat, quòd ad eum Romanorum Imperator HENRICUS Gerardum Cameraci Episcopum, & Richardum Virdunensem Abbatem, legationis gratiâ miserat.

ADERAT ergo Comes Flandriæ BALDUINUS *HONESTÆ BARBÆ, cum quo venerabilis vitâ Leduinus Abbas Cœnobii B. Vedasti, vir planè dignus omnium bonorum dilectione. Ubi etiam ego Warinus, Beluacensis Sedis Episcopus, meo bono omine, interfui,

* Vulgo *la belle barbe*.

interfui, cùm ibidem tanti viri notitiam & sacræ societatis præsidium paraverim meæ indignitati.

Communicato enim cum sancto Viro sermone, nihil ab eo visum est optabilius exposcere, quàm suam societatem, & sanctæ Ecclesiæ sibi commissæ: quam ipse cum summo caritatis affectu, mihi & omnibus de Ecclesia B. Petri filiis, Episcopalis scilicet Sedis concessit, suppliciterque, ut & ipse meam & Ecclesiæ nostræ societatem & beneficium mereretur, expetiit. Sic unitâ alternatim Ecclesiarum fraternâ societate, visum est mihi hanc sanctæ societatis pactionem confirmare memoriali caritatis pignore.

IPSA Ecclesia scilicet S. Vedasti in Episcopio nostro villam *Angicort* habere noscitur, nosque Altare Ecclesiæ ipsius villæ possidemus. Ipsius ergo Altaris tertiam partem, pro nostra Successorumque nostrorum salute, Ecclesiæ prædicti Sancti contribuimus; utque ex reditu tertiæ illius partis vinum ad celebrandas Missas eidem Ecclesiæ administraretur, constituimus. Ab Ecclesia autem Episcopali juri nullam consuetudinem persolvendam statuimus, vel statui permittimus, nisi ut in Synodo denarii octo, pro obsonio, in anno persolvantur.

ET ne quis hoc perfunctoriè fieri umquam commentetur, Episcopalis sigilli obsignatione, inconvulsè in posteros perpetuamus. Interminamus insuper Episcopali auctoritate, ne quis hoc mutare, vel de his removere aliquid præsumat, vel caussas innectendo, Ecclesiæ damnum moliatur vel inferat. Negligenti hanc nostram interminationem, gehennales pœnas minando indicimus; sicut è diverso, conservanti beatitudinem veram optamus.

UT ergò posteris clareat, nos super hoc negotio, multorum probabilium communicasse & ex eorum hoc egisse consilio, quos adesse contigit, & attestatione hoc fieri, testium nomina subnotamus.

Signum (1) ROBERTI Francorum Regis gloriosi, cujus consilio & approbatione actum est.

S. HENRICI filii ejus.
S. BALDUINI, Comitis Flandriæ, HONESTÆ BARBÆ.
(2) S. Richardi Normannorum Comitis, & Roberti fratris ejus, Archiepiscopi.
(3) S. Rodulphi Comitis.
S. Drogonis.
S. Rogerii.
S. Heylonis.
S. Herlandi.
(4) S. Burchardi, filii Burchardi de Monte Morenciaco.
S. Fulconis Ambianensium Episcopi.
S. Gerardi Cameracensis Præsulis, & Richardi Virdunensium Abbatis, qui ibi caussâ legationis aderant.
S. Leduini Abbatis S. Vedasti. * *Atrebati.
S. Huberti Abbatis S. Luciani. * *Bellovaci.
S. Walteri Cameracensis.
S. Burchardi Comitis.
(5) S. Auberti Credulensis, & Willelmi fratris ejus.
S. Balduini de Claromonte.
Ego Balduinus Cancellarius perlegendo subscripsi.

ACTA sunt hæc Compendio Palatio, mense Maio, primâ die mensis, Indictione VI. regnante Serenissimo Rege Francorum Roberto, 1023.
anno Imperii sui XXIX.

DIploma istud à Warino Bellovacensi Episcopo, in favorem Leduini Abbatis Vedastini, anno 1023. vel 1024. datum, exstat in archivis ejusdem Monasterii Vedastini.

(1) ROBERTUS Francorum Rex anno 1032. obiit, succedente Henrico filio.

(2) ROBERTUS Richardi Normanniæ Ducis frater, fuit Archiepiscopus Rotomagensis.

(3) RODULPHUS Comes de *Cresby*, id est, *Valois*.

(4) BURCHARDUS eo nomine tertius, Dominus de *Montmorency*, *Escoven*, *Marly*, *Feullarde & Chateau basset*: de quo fusè agit Andreas Quercetanus, amicus noster, in Historia Genealogica gentis Montmorenciæ lib. 2. cap. 3.

(5) CREDULENSIS Aubertus, gallicè *de Creil*.

CAPUT XXX.

Lileriense Canonicorum Collegium ac Templum in Artesia anno 1043. excitantur à VVenemaro, illius Oppidi Domino.

IN nomine Sanctæ Trinitatis, amen.

Cùm inter cetera caritatis opera, eleëmosyna teneat principatum, illa dignitate speciali præeminere dignoscitur, per quam novæ fundantur Ecclesiæ, vel fundatæ reditibus ampliantur.

EGO siquidem WENEMARUS, Dominus de (1) Lileriis, cum fratre meo (2) Ingelramno, & matre meâ Ransuide, concessu Balduini Flandriæ Comitis, ipso etiam Henrico Rege Francorum annuente, & Domino Drogone Teruanensi Episcopo, ad mandatum Domini Papæ Gregorii, cujus præsentiam, pro voto meo adimplendo, adii, laudante & confirmante, novam matrem & Domini sponsam, Sanctam scilicet Ecclesiam, in proprio fundo, apud castrum de LILERIIS, in honore Domini nostri

ſtri Jeſu Chriſti, ac B. Mariæ Virginis, nec non ſanctiſſimi Confeſſoris ac Epiſcopi Audomari, conſtruimus.

Ut per hæc & alia bona Deus auctor pietatis noſtris iniquitatibus propitietur, & qui pondere peccatorum noſtrorum prægravati, in ſepulcro noſtri fœtoris jacentes, lumen veritatis amiſimus, per compunctionem noſtri cordis, & largitionem noſtræ poſſeſſionis, ad Solem juſtitiæ caput erigamus. Actum anno M.XLIII. 1043

(1) LILERIUM, *Lilers* Arteſiæ Oppidum olim munitum in Diœceſi Audomarenſi, inter Ariam & Bethuniam ſitum eſt. Eſt illic Collegium decem Canonicorum cum Decano & Scholaſtico: fundatione antiquum, uti patet ex Diplomate, ſed proventibus modicum.

CAPUT XXXI.

Eihamenſis Benedictinorum Abbatia, ad Scaldim, prope Aldenardam Flandriæ Oppidum, à Balduino Pio ſeu Inſulano, Flandriæ Comite, anno 1063. *fundatur.*

BALDUINUS gratiâ Dei Flandrenſium Princeps Walberto Abbati, & Succeſſoribus ejus ſalutem in Domino.

RERUM omnium principium & auctor Deus eſt, & unus verè Princeps & Dominator. Is æterno conſilio & altiſſimâ providentiâ ita Rempublicam ordinavit ſuam, ut etiam in cæleſtibus Angelis alii præſint aliis, & inter terrenos mortales alii principentur, ſubjecti ſint alii.

NEMPE inviſibilem ſui arbitrii deliberationem per viſibilia adminiſtrat officia Principum, qui ejus vel placito, vel permiſſu ordinantur ad poteſtatem, ſecundùm ſacram divinæ Scripturæ doctrinam. Ad hoc leges inſtitutæ, jura, vindictæ & auctoritates, quarum rerum aut copiâ populi feliciter reguntur, aut inopiâ miſerè peſſumdantur.

CùM igitur noſtra nihil horum nobis comparaverint merita, ordinante tamen divinâ gratiâ, imperii principatum ſortiti ſumus Flandriarum, & horum qui in circuitu ſunt finium, atque ne ſecundùm noſtræ mediocritatis modum auctori vitæ noſtræ & perfunctionis ingrati reperiamur, tum ceteris Eccleſiis, tum & ei cui Te præfecimus legaliter, ſicut Abbates conſtituere jus eſt & mos, conſulentes, ſedulò providemus, ut quod facimus ratum ſit & firmum, ô dilecte & fidelis noſter Walberte.

DAMUS igitur tibi tum Abbatiam de EIHAM, tum etiam res, quæ infra dicentur, ſolemni dono, & hac pariter ſcripturâ inveſtimus, ut poſt geminam inveſtituram nihil ſit, quod infirmare poſſit, & Chartæ hujus auctoritas ſit tibi & Succeſſoribus tuis & Abbatiæ tuæ validiſſimum munimen, & defenſio adverſùs omnem vel manum vel linguam, in omni noſtra terra & ditione, & ubique nunc, & ultra.

DAMUS porrò tibi, & ſcripto confirmamus Eiham antiquum Caſtellum, ſicut nos recepimus de manu HERIMANNI Comitis, & ſicut nos hactenus quietè & ſolidè tenemus, & aquam totam cum toto teloneo, & cum ſex manſis de terra arabili, ſicut ſunt ſiti & poſiti, vel pariter vel ſeparatim, pertinent tamen ad ipſum alodium: paſturam etiam totius clivi, id eſt, devexi montis; quod ab orientali plaga, poſt æquidium Autumnale, ipſas Eccleſias reſpicit, & extenſum porrigitur in Auſtrum, & cæſuram, ubi fruteta occurrunt ruricolis, ad ædificandas ſepes; dimidiam quoque decimam de Eccleſia S. Vedaſti de inferiori Eiham; ad Duysbekam tria curtilia veſtita, & tres manſos de terra arabili, & dimidium; ad Marcam duo curtilia veſtita, & octodecim bunarios de terra, & partem prati de eleëmoſyna Arnulphi; ad Swalmam unum curtile veſtitum & octo bunarios terræ, cum dimidia aquâ & dimidio molendino; ad *Eppingenhem* unum curtile veſtitum, & ſex bunarios terræ; ad Buſmarias quatuor curtilia, & quindecim bunaria inter terram & pratum cum terra Machelmi, quam tenet

Hi verſus inveniuntur in Annalibus Einhamenſibus.

Anno milleno ſexageno quoque terno,
Clauſtrum fundatur per te Balduine Einhamenſe.

Eihami prope Aldenardam, ad Scaldim, tria Monaſteria ſeu potiùs Templa Godefridus cognomento Captivus, Comes Virdunenſis & Eihamenſis, ejuſque filius Herimannus (cujus fit mentio in Diplomate jam producto) fundarunt, ut Baldericus in Chronico Cameracenſi commemorat. Tria iſta Templa, cum Caſtello Eihamenſi, quod Balduinus Pius ab Herimanno Comite emerat, Benedictinis Monachis idem Balduinus anno 1063. tradidit, condito ibidem Monaſterio, cui Walbertum, ex Vedaſtino Cœnobio evocatum, Abbatem præfecit.

De Herimanno plura vide ſupra cap. 23.

Non vana eſt conjectura, Cœnobium Einhamenſe ortum habuiſſe ex altero Benedictinorum Cœnobio, quod erat in Turnino (nunc *Deurne* juxta Antverpiam) è quo diſperſi Monachi propter perſecutionem Normannorum, Einhamum convenère. Additio.

Vide Codicem Donat. Piarum Cap. VI. in Notis: item Origines Cœnobiorum Benedictinorum, ubi plura de Abbatia Eynhamenſi enarrantur; item Notitiam Marchionatûs S. R. I. authore Barone Le Roy, Lib. II. Cap. I. ubi recitatur Diploma Abbatis Eynhamenſis datum anno 1308, quo bona ſua ſita in *Deurne* & locis vicinis tranſcribit in Abbatem & Conventum S. Michaelis Antverpiæ; quod Diploma inferiùs in Supplemento ad Diplomata Miræi ſubjungemus.

net de eleëmosyna uxoris meæ Adelæ: in Flandris quatuor ovilia instaurata pascuis, in loco videlicet qui Paradisus nuncupatur, nunc *Provise* dictus, quem claudit Fledum, quod dicunt Holdfledum; in Pago Atrebatensi Ecclesiam de Asilogiis, cum omni decima, quæ ad ipsam Ecclesiam pertinet, exceptâ eâ, quæ Altare sequitur; item de eleëmosyna conjugis meæ.

Ex auctoritate igitur potestatis nostræ præcipimus per omnem terram nostram & ditionem, ne quisquam de his omnibus tibi aut sancto loco quidquam detrahere præsumat, vel sibi ullatenus mancipare. Et hoc itidem per bannum nostrum interminamus: quòd si quisquam contra Deum & bannum nostrum facere præsumpserit, pro banno, vel mihi, vel heredi meo duodecim marcas auri persolvet, restituens sancto loco, & tibi, vel successori tuo capitale; insuper pro suo commisso decem libris additis.

Actum apud Insulam in præsentia Magnatum nostrorum.

Abbatum,

Erckenbaldi Atrebatensis, *(a)* (a) S. Vedasti.
Fulconis Corbeiensis, *(b)* (b) In Picardia.
Bovonis de S. Bertino; *(c)* (c) Audomaropoli.

Nobilium,

Hugonis & Arnulphi de Aldenarda, Raingodi de Ganda, & Gerardi, & aliorum, anno ab Incarnatione Domini nostri millesimo sexagesimo tertio, Indictione primâ, regnante Philippo annis jam duobus. 1063.

CAPUT XXXII.

LIETBERTUS *Cameracensis Episcopus immunitatis privilegium & alia largitur Monasterio Eihamensi anno* 1064.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. LIETBERTUS gratiâ Dei Cameracensium Episcopus, præsentibus loco & tempore, & futuris fidelibus, in Christo omnem salutem in æternum, & ultra.

HOMINUM genus, quod solum cum Angelis rationis honore prœditum est, id maximè curabit rectè, ut Opificis sui laudem & gloriam magnificando, supplici devotione perpetuet, & fraternis profit profectibus. Atque hoc satis oportuno facimus modo, si Ecclesias & Monasteria aut ipsi ædificamus, aut ædificatis tale administramus adjutorium, ut non deficiat in eis laus Dei de ore hominum, & Christianæ religionis sacer cultus, unde mortales ad beatitudinem aspirant.

EST igitur in territorio Bracbatensi locus, quem dicunt EIHAM, qui jam pridem satis floruerat seculariter & membris & colonis, sed & Ecclesiarum religiosâ honestate. Verùm bello insurgente & invalescente, pompæ omnes interierunt, Ecclesiarum venustas migravit; sed nondum ruina maceriæ.

COMES præterea BALDUINUS, & religiosa ejus conjux ADELA, divino caritatis spiritu visitati, in eodem loco, pro pristina reverentia Ecclesiarum, ob suam suorumque perpetuam salutem, Cœnobium ædificare cupientes, nostram adierunt mediocritatem, quatenus suum inceptum nostra adjuvaret hinc indulgentia, hinc auctoritas. At nos hanc petitionem justâ ratione vigere considerantes, ad gloriam divinam, & nostram Successorumque nostrorum, futurorumque servorum Dei in eodem loco, & omnium fidelium salutem, nihil difficiles ad petita fuimus.

INDULSIMUS ergo Cœnobio Fratrum liberrimam ab omni parte quietudinem, ut nihil à loco, nihil ab Abbate, & à Monachis & Ecclesiis, quæ ibidem sunt, exigatur, nihil in loco & rebus eorum aliud aliquid ab aliquo disponatur & cogatur, nisi ab Abbate. Non quisquam ibi conventus, non convivia, non placita celebret aut ordinet, non quidquam vetet, nihil quidquam quilibet jubeat. Et quoniam id divinæ caritatis reverentiæ nostra humilitas suppliciter concedit, ut nihil desit ad id quod intendimus; possideant omnia Abbas & Monachi stabili jure, & sine omni perturbatione Claustra sua & Monasterium, exclusis omnibus personis penitus à dominatione & coactione eorum: & idem jus, quod beatus Antecessor noster (1) Vindicianus loco ter & ampliùs B. Vedasti concedendo indulsit, hoc idem nos imitando indulgemus Eihamensi Cœnobio.

MATER quoque Ecclesia, id est, *B. Vedasti*, de inferiori Eiham, ab omni reditu & inquietudine quiescet; tantùm tres solidos in Pascha nobis persolvet, & Decanus noster, ex consensu Abbatis, ibi Synodum in populum celebrabit.

Hic invoco Successores nostros & omnes Fratres in Christo, ut in hac auctoritatis nostræ constitutione, nihil solvi, nihil mutari, vel à se, vel ab aliquo vel patiantur vel permittant, obsecrati per sanctum & venerabile nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

QUOD si aliquis insanâ mente hæc aliquatenus negligenter accepit, ut saltem cogitet, horum quidquam solvere ad actum, hunc divini nominis formidandâ auctoritate, & totius S. Ecclesiæ, sed & nostrâ, irrecuperabiliter damnamus, & ab omni consortio Sanctorum in hoc & in futuro seculo excommunicamus, sicuti contemptorem divinæ gloriæ, & Ecclesiasticæ reverentiæ invasorem.

EIS

(1) VINDICIANUS. De privilegio exemptionis, Vedastinæ Abbatiæ, per Vindicianum Cameracensem Episcopum, ut scribunt, concesso, vide supra cap. 5.

Eis porrò qui servaverint, & etiam augendo adjuverint, optamus & oramus fructum perpetuæ beatitudinis in Christo, & ut ratum & incommutabile deinceps in omne ævum constet, idoneorum testium & auctoritas & subscriptio subjuncta est, quorum præsentia auditu & visu omnia comprobat.

Signum Gerardi Præpositi & Arcbidiaconi.
S. Gerardi senioris & Archidiaconi.
S. Guidonis Archidiaconi.
S. Gualteri Archidaconi.
S. Franconis Archidiaconi.
S. Guarmondi Archidiaconi.
S. Balduini junioris Comitis.
S. Otberti.
S. Guiderici.
S. Gozwini.
S. Hugonis de Sengin.
S. Gualteri de Lens.
S. Aleonis.
S. Hugonis, filii Willelmi.
S. Elberti.
S. Christiani.
S. Abbatis Erchembaldi Atrebatensis.
S. Abbatis Alardi * Laubacensis. * Al'is Lobeensis.
S. Abbatis Guirdrici de S. Gisleno.
S. Abbatis Alberti de Maricolis.

Ego Frater (1) Gualbertus ex ore Episcopi legi & subscripsi.

Actum Cameraci in Synodo, anno ab Incarnatione Domini nostri MLXIV. Indictione II. regnante Henrico anno xi. Præsulatûs Domini Lietberti anno xiv. 1064.

(1) Walbertus primus Abbas Eihamensis ex Monasterio Sancti Vedasti, ut dixi, accitus fuit: teste Meiero, in gestis anni 1063. quo Abbatia Eihamensis est instituta.

CAPUT XXXIII.

Balduinus Pius, *Flandriæ Comes*, (1) *Arnulphum Aldenardensem, ejusque Successores constituit Subadvocatos Monasterii Eihamensis, anno* 1064.

Balduinus, per Dei clementiam, Princeps Flandrensium Walberto Abbati de Eiham, ejusque Successoribus salutem. Quoniam Ecclesia Eihamensis, cui præestis, à me, & à conjuge mea (2) Adela, præcipuè fundata de mensa nostra, beneficia, quibus Monachi vivere debeant, accepit, dignum duxi Advocatiam ejusdem Ecclesiæ, in manu mea, & Successorum meorum Comitum retinere.

Sed quia vicini ejusdem Ecclesiæ nonnullas molestias ei inferunt, pro quibus ad nos sæpe recurrere vos oportet, nos verò circa curam nostri Principatûs occupati, de singulis minutis rebus non valemus ad adjutorium vestrum venire, aliâ viâ aggressi sumus vobis consultum facere.

Igitur Arnulpho de Aldenarda, qui vobis vicinus est, injungimus supplere vicem nostri, in parvis tantùm negotiis, nobis majora reservantes. Quod ut oportunè & fideliter agat, vel ipse, vel quicunque Successorum ejus Turrim Aldenardensem tenuerit, de redditibus ruricolarum, hospitum, aliorumque mancipiorum Ecclesiæ, pro quibus tuendis laboraturi sunt, centum solidos, per manus Abbatum, vel Monachorum, annuatim eis dari decernimus; eâ ratione, ut nec in Ecclesia, nec in omnibus his, quæ ad Ecclesiam pertinent, quidquam juris, vel districtionis amplius requirere præsumant.

Tanta enim libertate ipsam Ecclesiam donavimus, ut omnium hominum, & aliarum rerum, ad eam pertinentium, in tota nostra ditione, nullum alium Advocatum præter me, vel heredem meum Comitem Flandriarum, esse decreverim.

Si ergo præfatus Arnulphus, vel quisquam Successorum ejus, hanc constitutionem nostri Privilegii transgressus, bannum nostrum infregerit, pro contemptu nostro, & temeritate sua, mihi, vel heredi meo XL. marcas argenti persolvet, & Ecclesiæ, quod suum est, restituet.

Actum est hoc apud S. Audomarum, præsente conjuge meâ Adelâ, filiis meis (3 Balduino & Roberto, Bovone Abbate S. Bertini, Hugone, Arnulpho de Aldenarda, Reingoto de Gand, anno Domini MLXIV. 1064.

(1) Arnulphun Aldenardensen. Pamelæ Dominum ait Flor. Haræus. Oppidum reliquum Aldenardense trans Scaldim erat in Regno: Eiham & Pamela in Lotharingia & Imperio, nobis cis Scaldim.

(2) Adela Roberti religiosissimi Francorum Regis filia, *Balduino Insulano* seu *Pio* Flandriæ Comiti, duos filios genuit, *Balduinum* cognomento *Hasnonium*, aliàs *Montanum*, Flandriæ & Hannoniæ Comitem, *Robertum Frisum* Flandriæ Comitem, quorum hîc fit mentio. De iis vide nostra Stemmata Principum Belgii. Atque has itidem filias *Machtildem* Roberto Notho, Normanniæ Duci, eidemque pôst Anglorum Regi nuptam, & *Juditham* Welphonis IV. conjugem.

(3) Balduinus Hasnonius (à Monasterio Hasnoniensi à se instaurato sic dictus) ex Richilde, Ragineri IV. Hannoniæ Comitis filiâ herede, genuit *Arnulfum Infelicem*, Flandriæ Comitem, & *Balduinum Jerosolymitanum*, Hannoniæ Comitem.

* Vide etiam supra pag 74 in Notis. Item Chronicon Belg. ad ann. 879.

COMITES FLANDRIÆ

Ex Stirpe BALDUINI FERREI, itemque Comites Gandenses, orti à WICMANNO supra laudato Cod. Donat. Piar. Cap. XXXV.*

- *Balduinus Ferreus Comes Flandriæ duxit Judítham Caroli Calvi Filiam, obiit 879.*
  - *Balduinus Calvus Comes Flandriæ duxit Elstrudem, obiit 918.*
    - *Arnulfus Magnus Comes Flandriæ obiit 964.*
      - *Balduinus III. Comes Flandriæ obiit 961.*
        - *Arnulfus II. duxit Rosellam, obiit 989.*
          - *Balduinus IV. Barbatus duxit Ogivam obiit 1036.*
            - *Balduinus V. Insulanus duxit Adelam, obiit 1067.*
              - *Balduinus VI. duxit Richildem Hannoniæ heredem, ob. 1070.*
                - *Arnulfus III Infelix obiit 1072 sine lib.*
                - *Balduinus II. Jerosolimitanus Comes Hanoniæ obiit 1098.*
                  - *Balduinus III. Comes Hannoniæ*
              - *Robertus Frisius Comes Flandriæ.*
                - *Robertus Jerosol. Comes Flandriæ obiit 1102.*
                  - *Balduinus VII. Securis obiit sine liberis 1119.*
                - *Philippus Locnsis.*
                - *Guilielmus.*
                - *Adela uxor S. Canusi Regis Daniæ.*
                  - *Carolus Bonus Comes Flandriæ, occisus Brugis anno 1127.*
                - *Gertrudis,*
                - *Ogiva.*
              - *Machtildis.*
              - *Juditha.*
      - *Herbertus.*
      - *Elstrudis uxor Sigifridi Dani.*
      - *Luitgardis uxor Wicmanni Comitis Gandensis, qui obiit 961.*
        - *Theodericus Comes Gandensis, vixit anno 977.*
          - *Arnulfus Comes Gandensis, vixit anno 998.*
            - *Theodericus.*
    - *Adololphus Comes Boloniæ.*
  - *Rodulfus Comes Cameracensis, obiit 899.*
    - *Balduinus Brevis Comes Cameracensis obiit 973.*

Arnulfo Infelice in prælio propeCasletum anno 1072. cæso, patruus ejus ROBERTUS FRISIUS Comitatum Flandriæ, Balduino Hannoniæ Comiti debitum, occupavit. Robertus ex Gertrude Saxonica, Florentii I. Hollandiæ Comitis vidua, sustulit *Robertum Jerosolymitanum*, Flandriæ Comitem, *Philippum* Loensis Monasterii in agro Iprensi anno 1093. conditorem, *Guilielmum*, *Adelam* primùm S. Canuto Daniæ Regi, pòst Rogerio Calabriæ Duci nuptam, *Gertrudem* primùm Henrici III. Comitis Lovaniensis, pòst Theoderici II. Strenui, Lotharingiæ Mosellanæ, Alsatiæque Ducis conjugem, & *Ogivam* Messinensem Abbatissam.

COMITES CAMERACENSES.

ROmanis ex Gallia circa annum 410 pulsis, Franci successerunt: ex qua gente suum olim Regulum RAGNACHARIUM habuit Urbs & Pagus Cameracensis. Hunc Clodovæus I. Francorum Rex Christianus (ut Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 2. cap. 3. & alii commemorant) unà cum fratribus ejus *Richario* & *Rignomere*, circa annum 509. bello vicit, ac necari jussit, regnoque Franciæ Cameracum adjunxit.

Circa annum 590. temporibus S. Gaugerici Cameracensis Episcopi, vixit WADDO seu Waldo Comes Cameracensis.

Exinde Caroli Calvi ævo, Balduinus Ferreus Flandriæ Comes Cameracum possedit.

Quo defuncto anno 879. Balduinus Calvus & Rodulfus, ejus filii, ditiones paternas inter se diviserunt. Calvo Flandria, & RODULFO Comitatus Cameracensis obvenit.

Hunc Heribertus Veromanduorum Comes prælio interceptum anno 898. aut 899. interemit. Qua de re sic Rhegino in gestis anni 899. *Rodulfus Comes Pagi Cameracensis, frater Balduini Comitis Flandrensis, in ira commotus, propter Castella ab Odone Rege sibi ablata, Sancti Quintini & Peronam, dum deprædari non cessat Abbatiam S. Quintini, ab Heriberto Comite in bello occiditur.*

Patri filium Balzonem seu BALDUINUM cognomento BREVEM successisse, atque extremâ demum ætate (cùm annis quinque & septuaginta patri supervixisset) anno 973. obiisse, scribit Mejerus. Cui consonat Lotharii Francorum Regis Diploma anno 967. datum, quod supra exstat. Baldericus tamen in Chronico Cameracensi lib. 1. cap. 70. alium Cameraci Comitem, ISAACUM nomine, iis ipsis temporibus vixisse commemorat, variasque contentiones habuisse cum Fulberto Episcopo Cameracensi, qui ab anno 934. usque ad annum 956. illa in Cathedra sedit. Idem, nisi fallor, Isaacus, cum filio suo ARNULFO, anno 937. Diplomati, per Arnulfum Magnum Flandriæ Comitem Blandiniensibus dato, subscripsit. Ejusdem denique Isaaci Comitis filia AMULRICO Comiti, ex Pago Hainau, circa annum 947. nupsit: ut idem Baldericus lib. 1. cap. 73. narrat: qui & de Castellanorum Cameracensium, contra ejusdem urbis Episcopos, insolentiis multa commemorat.

His aliisque rebus motus ERLUINUS Cameracensis Episcopus apud S. Henricum Imperatorem instituit, ac demum anno 1007. ab eodem sibi suisque Successoribus Comitatum Cameracensem impetravit; juxta Tabulas supra productas.

CA-

CAPUT XXXIV.

HENRICUS IV. *Imperator dona, per Comites Hollandos Ecclesiæ Ultrajectinæ ablata, eidem, anno* 1064. *restituit, interventu Friderici, Godefridi & Gerardi, Ducum Lotharingiæ.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS divinâ favente clementiâ Rex. Notum esse volumus omnibus in Christo fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, qualiter nos ea dona, quæ injustè ablata fuerant sanctæ Dei Ecclesiæ Trajectensi à Theoderico Comite, ejusque filiis, tempore Adelboldi ejusdem Sedis Episcopi, pro quibus & Imperator Henricus, & avus *Conradus*, & pater noster Henricus plurimùm laboraverunt, plura bella fecerunt, nos quoque, nostrique fideles multum laboris impendimus.

NOTUM, inquam, esse volumus, qualiter ea ob remedium animæ nostræ, & patris nostri Henrici, aliorumque Antecessorum nostrorum, interventu quoque & consilio Principum nostrorum Annonis Coloniensis Archiepiscopi; Sigefridi Moguntini, Everhardi Treverensis, Athalberti Bremensis, Burchardi Halberstadiensis, (1) Friderici, (2) Godefridi, (3) Gerardi, Ducum, aliorumque nostrorum fidelium, nec non ob fidele servitium Wilhelmi, ejusdem Sedis Episcopi, reddimus & restituimus, & Regali auctoritate eidem sanctæ Ecclesiæ confirmamus....

DATA V. Nonas Maii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo quarto. 1064.
Actum Werdæ.

(1) FRIDERICUS Dux Lotharingiæ inferioris, in ordine sextus, hoc ipso anno 1064. obiit, non relictâ prole masculâ.

(2) GODEFRIDUS, Barbatus senior, primùm Dux fuit Lotharingiæ superioris seu Mosellanæ. Ab Henrico Imperatore ob rebellionem anno 1047. Ducatu privatus, in Italiam se contulit, ibique *Beatricem*. Frederici II. Ducis Mosellani filiam, Bonifacii Tusciæ Marchionis viduam, matrimonio sibi junxit. Ex Italia demum redux, in gratiam Henrici Imperatoris quoque rediit, & Frederici jam nominati Ducatum Mosellanum ab eodem Imperatore obtinuit. Itaque anno 1064. neutrum Ducatum Lotharingicum tenuit. Dux tamen nominatur in Diplomate, ob Ducatum Lotharingiæ inferioris possessum, & ob Ducatum seu Marchionatum Tusciæ in Italia acquisitum, ratione matrimonii cum Beatrice contracti.

(3) GERARDUS Alsatius anno 1048. ab Henrico III. Imperatore creatus est Dux Lotharingiæ superioris seu Mosellanæ, & anno 1070. obiit. De Ducibus istis plura qui volet, Stemmata Principum Belgii à nobis edita consulat.

CAPUT XXXV.

LIETBERTUS *Cameracensis Episcopus Abbatiam S. Sepulcri (quæ est Benedictinorum, olim extra, nunc in urbe Cameracensi) anno* 1064. *fundat ac dotat.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti (1) LIETBERTUS Cameracensis Ecclesiæ Episcopus, dilectis Successoribus suis Episcopis, & omnibus Christi fidelibus prosperos utriusque vitæ successus.

TEMPORIBUS Prædecessoris mei Domni GERARDI sanctæ memoriæ Episcopi, exorta fames in regionibus nostris adeò invaluit, ut morientium corpora capere non valerent Ecclesiastica cœmeteria Cameracensis urbis.

INCIDIT igitur huic Prædecessori meo rationabile consilium, ut extra muros civitatis fodere faceret polyandrum, quod receptui foret tot corporibus condendorum pauperum. Juxta quem locum Ecclesiam postea in honore Dominici Sepulcri consecravit, eamque & terris & familiis dotavit: ut propter reverentiam tanti nominis, sepultura ibi esset pauperibus & peregrinis.

HANC autem Ecclesiam amplificare congruâ

(1) LIETBERTUS. Anno 1064. Lietbertus consecravit Ecclesiam S. Sepulchri: Erleboldum qui Ecclesiam S. Crucis ædificavit & rebus & consilio juvit. Obiit anno 1077. sepultus in Choro Cathedrali, inde anno 1211. per Albericum Archiepiscopum Remensem translatus ad Monasterium S. Sepulchri.

LIETBERTUS, ex nobili familia de *Bracle* in Pago Alostensi quod hodieque superest: est autem *Brakel* superius seu *Overbrakel*, & *Nederbrakel* seu inferius, illud feudum est Baroniæ de Eyne prope Aldenardam sitæ. Hoc, vicinum est Opbrakelæ, distatque 2. lapide à Liessines, Gerardimontio & Aldenarda, inter quæ oppida uterque vicus situs est.

Ex eadem nobili familia de *Bracle* Bernardus de Bracle, Rogeri filius, anno 1356. magnam hereditatis suæ partem testamento legavit Cartusiæ prope Bracle (vulgò *S. Mertens-bosch*,) in Ditione Alostana. Item Bernardus de Bracle, Joannis filius, fundavit Monasterium Canonicorum Regularium de Elsegem prope Aldenardam anno 1427. B. Mariæ in Galilæa sacrum, & obiit 1437. Aprilis 7. ibidem conditus.

gruâ dispositione conabatur, nisi senio jam pressus, post multa præclara opera, morte intercedente, prohiberetur.

Ego itaque Lietbertus, qui ei successi, tanto & tali animatus exemplo, in Prædecessoris mei primitias laboraturus introii: & quoniam parva erat, juxta Ecclesiam illam, Monasterium ampliori schemate ædificavi, ipsumque in honore Domini nostri Jesu Christi, & S. Sepulcri ejus, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, omniumque Sanctorum Dei consecravi, ædificatoque Claustro cum ceteris officinis, Abbatem & Monachos eidem loco assignavi.

De rebus verò possessionis meæ Imperiali concessu & Pontificali donatione, ecce coram Deo & præsentibus testibus, istud doto Monasterium, ad usus illorum, qui ibi Deo famulaturi sunt:

Hoc est in suburbio Cameracæ civitatis, Abbatia S. Martini, quidquid in manu mea est; parochiales quoque duæ Ecclesiæ S. Georgii & S. Mariæ Magdalenæ, Altaria cum Ecclesiis, minutum telonium, cambæ & plura curtilia, cum districtu toto, & terræ arabiles circa Cameracum, quas decambiavi ab Abbate Waldrico S. Andreæ Apostoli, cum aliis pluribus.

In eodem Cameracensi suburbio molendinum unum, alterum & dimidium apud villam puerorum cum districtu: item aliud apud Nigellam cum districtu.

Concedo etiam omnem piscationem, quæ continetur inter duo priora molendina: in Pago Cameracensi villam omnem S. Hilarii cum Ecclesia & Altari, de villa Rotlancurt tertiam partem, Ecclesiam de Salegio cum Altari, Ecclesiam de Tum, cum Altari, Altare de Maineriis.

Ad Relincurt curtilia & terræ arabiles, ad Blatincurt duas partes unius cambæ, curtilia & terram arabilem: in villa Bantineis, Hera, Rameliis, Moreneeis, Collerio, Ollevilla, Solobria, & apud Veterislis curtilia & terram arabilem, apud Busserias mansum unum cum districtu, & terra arabili, dimidium prædium de Gatineis.

In Pago de Hainau Villerellum totum, & Ecclesiam & Altare liberrimum ab omni exactione, præter XII. denarios, terram quoque de Vehut, cum districtu toto.

In Bracbatensi Pago Ecclesiam de (2) Melin, item villam quæ vocatur (3) Niwehova, & Ecclesiam & Altare liberum ab omni debito, præter XII. denarios; in Pago Letgii Altare de Villanis.

De his itaque privilegium fieri præcepi & propriâ manu firmavi: quod quidem ut firmum atque inconvulsum in perpetuum maneat, precatu meo & obtentu, Regalis impressione sigilli roboratum est atque signatum.

Vos itaque, Successores mei Pontifices, rogo & obsecro, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Redemptoris & Salvatoris nostri, ut pro ejus amore huic incæpto operi misericodiæ vestræ manum porrigatis, ut quemadmodum ego cum Antecessore meo desideratam expecto mercedem, sic & vos pro tali opere ad æternam requiem pervenire mereamini post laborem.

Quicumque ergo huic Cœnobio de concessis & concedendis aliquid subripere voluerit, & Regiæ firmitati contraire tentaverit, hic à corpore & sanguine Domini, & communione pacis alienus fiat, & nisi resipuerit, & ad satisfactionem venerit, æternæ maledictioni cum diabolo & angelis ejus damnandus sine fine subjaceat.

Ad hujus verò privilegii tenorem inviolabiliter conservandum, testes idoneos præcepimus subtitulari.

Signum Walcheri Archidiaconi.
S. Gerardi Præpositi & Archidiaconi.
S. alterius Gerardi Archidiaconi.
S. Franconis Archidiaconi.
S. Warmundi Archidiaconi.
S. Widonis Archidiaconis.
S. Christiani Militis.
S. Joannis Militis.
S. alterius Joannis Militis.
S. Gilberti Militis.
S. Heriwardi Militis.
S. Amolrici Militis.
S. Heriberti Militis.
S. Widrici Militis.
S. Rotberti Militis.

Actum est hoc Cameraci in eodem Monasterio S. Sepulcri, anno ab Incarnatione Domini MLXIV. Indictione II. regnante 1064.
Henrico Rege (4) Lotharienfium anno XII. Episcopatûs vero Domni Lietberti XIV.

Parvinus Notarius & Monachus scripsit.
Werimbaldus Cancellarius recensuit.

C A-

(2) Melin. Vicus prope Athum Hannoniæ oppidum Patriam Michaelis Baii S.T.D.Lov. qui obiit 1589.

(3) Niwehova. Vicus inter Ninoviam & Gerardimontem.

(4) Lothariensium Rex hîc nuncupatur Henricus eo nomine quartus Imperator, ut & Otho I. supra Cap. 18.

Gregorius VII. Papa anno II. sui Pontificatûs, Paschalis II. & alii exinde Pontifices Romani hæc omnia rata esse jusserunt. Idem fecit Gerardus eo nomine secundus Cameracensis Episcopus, anno Christi MXC. 1090
Indictione XIV.

Plura vide de Fundatione Abbatię S. Sepulcri inter nostras Origines Cœnobiorum Benedictinorum. Eidem etiam subjacet Prępositura B. Mariæ de Capella cujus Fundationem infra quoque recensebimus in hoc Libro I. Diplomatum Belgicorum ad ann. 1134.

CAPUT XXXVI.

LIETBERTUS *Cameracensis Episcopus, amotis Canonicis secularibus, ut vocant, regulares substituit in Cameracensi S. Auberti Cœnobio, anno* 1066.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. LIETBERTUS, Dei gratiâ Cameracensium Episcopus, Successoribus suis Episcopis & ceteris Christi fidelibus præsentis vitæ lætitiam & futuræ sempiternam gloriam.

EST quoddam Monasterium infra muros Cameracæ Civitatis, in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli, Sanctique (1) *Autberti* Confessoris; ejusdem Civitatis Episcopi, ibidemque corpore quiescentis consecratum, ubi retro deserviebatur officio Canonicorum: quibus injunctam servitutem negligentibus, cœpit locus ille vilescere, & indies à prioris honorificentiæ statu declinare.

HOC ego considerans condolui, cœpique animo volvere, qualiter meliùs ad Divinum cultum possem relevare. Tandem zelo Dei animatus & fidelium nostrorum consilio roboratus, Regulares Canonicos, de communi viventes, & nihil proprium habentes, & ejusdem professionis & ordinis Abbatem eo in loco constitui, restauratis & alibi restitutis præbendis Canonicorum illorum, qui proprium retinentes illic communiter vivere noluerunt.

ÆDILITATEM verò & Præposituram, quæ mei juris erant, præter antiqua bona hujus loci, per consilium Archidiaconorum & Canonicorum, & ceterorum fidelium nostrorum, huic Ecclesiæ contuli, & insuper potestatem donandi præbendas Abbati concessi.

UT autem hoc factum firmum maneat & inconvulsum, præcepi fieri hujusmodi privilegium, quod etiam manu propriâ firmavi, & sigilli mei impressione signavi: postulans & obtestans omnes vos, ô Successores mei Episcopi, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut quod feci, tam pro vestra, quàm pro mea & totius Civitatis salute conservetis, provehatis & vos, quantum Deus donaverit ex vestra parte.

PRÆTEREA postulamus à vobis, ut eisdem Canonicis suæ professionis Abbatem semper præficiatis: in cujus constitutione electionem esse permittatis eorum.

Signum Domini HENRICI quarti Regis.

Sigishardus Cancellarius, vice Sigifridi Archicancellarii recognovi.

DATA anno Dominicæ Incarnationis M
LXVI, Indictione quartâ, anno autem Ordi- 1066.
nationis Domini Henrici quarti Regis XIII.
Regni verò. X.

ACTUM Triremundi in Dei nomine feliciter, amen.

CA-

(1) SANCTUS AUTBERTUS, aliàs Aubertus & Audebertus, Cameracensis & Atrebatensis Episcopus Martyrologii Rom. tabulis die 14. Decembris adscriptus, anno 658. Landerici Parisiensis Episcopi privilegium San-Dionysianum, & anno 664. Bertefridi privilegium Corbeiense, supra recitatum signavit.

Landelinum ex Baptismi fonte susceptum sacris Litteris imbuit, & fallente diabolo abductum, ad meliorem vitam revocavit: qui S. Landelinus postea quatuor Monasteria, Laubiense, Alnense, Crispiniense, & Lasleriense excitavit.

Aubertus porrò S. Vedasti corpus apud Atrebates elevavit, & in loco divinitus designato Monasterium construxit, quod hodie est illustris Vedastina Benedictinorum Abbatia. Item Cellense Monasterium à S. Gisleno, & Melbodiense à S. Aldegunde exstructum consecravit.

S. Vincentium Comitem, Altimontensis & Sonegiensis Ecclesiarum conditorem, ejusque conjugem S. Waldetrudem, nobilium virginum Canonicarum Montibus Hannoniæ fundatricem, & hujus sororem jam dictam S. Aldegundem ad vitæ severioris disciplinam traduxit.

Eodem S. Auberto hortante Dagobertus Francorum Rex, pro familiaris amicitiæ gratia, quâ eum singulariter amabat, Fratribus in Cameracensi Ecclesia B. Mariæ famulantibus Onengiam & Quarubium, *Onaing* & *Conroube*, inter Valentianas & Condatum, donavit.

Sepultus autem fuit S. Aubertus in Ecclesia B. Petri, quæ extra muros urbis Cameracensis tunc erat ædificata, nunc autem, ampliatis mœnibus, est intra urbem, ut Baldericus in Chronico Cameracensi loquitur.

Ecclesia porrò S. Petri, quæ nunc S. AUBERTI Abbatia est, primùm Canonicos seu Clericos habuit seculares, ut vocant: quibus amotis Lietbertus Episcopus anno 1066. substituit Regulares, in communi viventes, Bernardo primo Abbate nominato.

Cujus quidem Cœnobii Sodales, ut & Montis S. Eligii prope Atrebatum, veste coloris violacei utuntur: quod illis inter Belgicæ nostræ Canonicos Regulares est proprium ac peculiare.

Vitam S. Auberti scripsit Fulbertus Doctor Clarissimus, idemque postea Carnutensis Episcopus, ut existimo; quam Surius mutilam edidit. Exstat autem integra Cameraci in dicta Abbatia, in qua ejusdem S. Auberti sacra ossa in feretro argenteo honorificè adservantur.

Vide etiam Librum nostrum de Origine Canonicorum Regularium.

CAPUT XXXVII.

ARNULFUS *Ardæ Dominus & Advocatus Monasterii Bertiniani Ardense Canonicorum Collegium, in Oppido Ardensi, vulgò Ardres, in Diœcesi olim Teruanensi, nunc Boloniensi situm, anno* 1069. *in honorem S. Audomari fundat ac dotat.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, unius veri Dei. Ego (1) DROGO gratiâ Dei Teruanensis Ecclesiæ Antistes, notificare volo fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, me concessisse, precibus cujusdam petentis nostri (2) ARNULPHI scilicet Advocati, non abnuenda petentis, Altare de ARDA, libertatis ad instar S. Mariæ, in qua requiescit corpus S. Audomari.

EA scilicet conditione, ut sub patrocinio ejus, Successorumque ejus, perpetuò omnis debiti exactione solutum maneat, dum tamen nobis, Successoribusque nostris duos solidos in Cœna Domini Teruanæ annuatim persolvat. Duæ autem partes oblationum ejusdem Altaris deputabuntur Canonicis ibidem Deo servituris, tertia verò cum cera tota ad luminaria, & ad restaurationem Ecclesiæ.

HÆC igitur sunt, quæ idem Arnulfus pro anima sua, & (3) Uxoris suæ, & filiorum suorum, & Patris & Matris, & Antecessorum & Successorum suorum, ibidem Deo, & Canonicis dat; decimam ejusdem villæ de omnibus, totam terram ad carrucam unam liberam, unicuique Canonico curtillum unum liberum in eadem villa, decimam de *Frelinghem* & *Rolinghem*, in *Pepelinghem*, decimam ejusdem villæ & terram liberam ad carrucam unam, decimam de Walainis, & molendinum unum, & curtillum unum liberum in Elcetho, terram ad carrucam unam liberam, Altaria quoque de Hondescoto & de Bovingia, & de Suanckia, quæ erant de beneficio ejus. Pro quibus, ad honorem nostri & Successorum nostrorum, quinque solidi dabuntur, in substituendo Decano, qui ad Synodum veniet. Molendinum quoque, quod est in Orientali parte Castelli ARDEÆ, & cum terra apud Bladringhem, & in Blendeka terram ad carrucam unam liberam.

SI quis ergo contra hoc nostrum Decretum venire tentaverit, iram Dei primùm incurrat, legesque coactus decem libras auri persolvat.

ACTUM *Teruanæ*, anno Incarnationis Domini MLXIX. Indictione VII. regnante Rege Philippo, adstantibus idoneis testibus, quorum nomina subscribuntur.

Signum DROGONIS Episcopi.
(4) S. Huberti, (5) S. Warneri, Archidiaconorum.
S. Geroldi Decani.
S. Grimolandi Cantoris.
S. Iodonis.
S. Odonis.
S. Walteri.
S. Richarii.
S. Gerardi.
S. Arnulfi Advocati.
S. Sicardi Descoches.
S. Gerardi Godnach.
S. Adelonis.
S. Regeneri.
S. Balduini de Uphen.
S. Ernulphi.
S. Heberti.
S. Galandi.
S. Frumoldi.
S. Eustathii.

Ardrea. DIploma istud ex Historia Ms. Comitum Gisnensium, per Lambertum Ardensis Ecclesiæ Presbyterum conscripta, nobis suppeditavit V. N. Philippus Gomecurtius, Oppidi Betuniensis in Artesia Gubernator.

(1) DROGO Teruanensis seu Morinensis Episcopus, vir pius & doctus, scripsit Miracula S. Levinnæ Virginis & Martyris, & multa præclarè gessit, à Meiero in gestis annorum 1058. 1063. 1066. & 1079. laudata.

Ceterùm Arnulfus Ardæ Dominus Oppidum Ardense condidit, & Canonicorum Collegium ibidem constituit: ut idem Meierus in gestis anni 1069. testatur.

Ardense Canonicorum Collegium in Præmonstratensis Ordinis Cœnobium Balduinus Ardensis Toparcha anno 1144. vertit.

(2) ARNULPHI Advocati. Ne quis erret, moneo hunc Arnulphum Oppidi Ardensis fuisse non Advocatum, sed Dominum: ut ex Meieri citatis verbis & ex Lamberti Ardensis Historia cap. 115. liquet. Vocatur autem hîc Advocatus, *quia Monachi S. Bertini in Terra Gisnensi eum Advocatum suum constituerant*: ut idem Lambertus cap. 112. loquitur.

Advocatus semper significat Patronum Ecclesiæ. Ut Betuniensis Dominus fuit Advocatus Vedastini seu Atrebatensis Monasterii. Lovaniensis Comes Monasterii Nivellensis, Berthautii fuere Ecclesiæ Mechliniensis &c. *Ita Gomicurtius*

(3) UXORIS & filiorum. De iis Meierum in gestis anni 1069. consule: quibus adde ab eodem in gestis anni 1144. narrata.

(4) HUBERTI, qui Drogoni in Episcopatu Teruanensi successit, ut suspicor. De quo Meierus & Iperius in Chronico Ms. Bertinensi fusè agunt.

(5) WARNERI qui & fundationi Insulensis Canonicorum Collegii anno 1066. subscripsit: quam vide in nostro Codice Donationum Piarum cap. 56.

CAPUT XXXVIII.

EUSTATHIUS *Comes Boloniæ, & uxor ejus* IDA, *parentes Godefridi Bullonii Regis Hierosolymitani, anno* 1070. *prædiis ac privilegiis dotant Lensense Canonicorum in Artesia Collegium à majoribus suis fundatum.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, veri Dei, amen. Dudum generis humani multiplicitas, operationis perversæ vinculis aggravata, diluvii meritâ periit inundatione: & qui lanternam castitatis & continentiæ spernentes, ad montem tutum noluerunt ascendere, in convalle vitiorum & abysso tenebrarum remanentes, per lubricas incestæ actionis vias incedentes, violentiâ aquarum multarum, meruerunt interire.

NOE verò, cum filiis suis, id est, sibi comformibus, tempestate vitiorum non submersus, sed innocentiâ suæ vitæ, Domino gubernante, sublatus, mortis de fluctibus exivit: & soliditate montium, passibus honestæ conversationis firmiter occupatâ, Arcam ibidem composuit, quam sibi suisque consortibus refugium securitatis existimavit.

MAGNO itaque gaudio de innocentia suæ vitæ in Domino gloriabatur, cùm peccatores divinâ ultione prostratos interire videns, de sua suorumque salute gratulabatur.

HOC autem sub antiquo tempore factum, nobis innuit figuram modernæ novitatis, & quod eis contulit meritum malitiæ seu bonitatis, hoc modo recipimus, Domino judice veritatis.

MALI namque, perversitate cogitationis & operationis, à Creatore suo fugientes, in diluvio multiplicis culpæ pereunt, & gravi massâ peccatorum caput inclinati ..... boni verò conversationem pravorum, per honestatem morum, fugientes, de convalle mundanæ tempestatis ad montem virtutum ascendunt .... in Christo monte firmissimo fundamentum fidei ponunt, & Ecclesiam vivis ex lapidibus, id est, suis sanctis animabus Christo bonis moribus adhærentes, domum suæ liberationis ædificare non desistunt.

PRINCIPES enim de tenebris ignorantiæ ad lumen fidei conversi, per orbem terrarum, ad honorem nominis Domini construunt Ecclesias, & transitorias hereditates Ecclesiis dando, sibi faciunt æternas. Datur enim quod stultum est & sapientibus contemptibile: acquiritur autem quod stultis videtur esse modicum, & sapientibus gloriosum ac delectabile. Substantia transitoriæ vilitatis comparat veritatem æternæ felicitatis, & dantes bona præsentis tribulationis, capient hereditatem futuræ jocunditatis.

QUICUMQUE ergo Ecclesiam velut matrem debiti cultûs exhibitione decorare satagunt, Dominum caput & sponsum ipsius honorant & diligunt: & ipse diliget eos, quando eum, omnia in omnibus existentem, claro lumine videbunt. Respicientibus enim ad matutinum, id est, nostri diei, nostræ lætitiæ principium, demorabitur gloria jocunditatis; ad vesperam autem, id est, nostræ noctis, nostri doloris initium, infelicitas desolationis.

NOS ergo pœnas impiorum & justorum coronas animadvertentes, ego EUSTATHIUS Bononiensium Comes, & uxor mea IDA, matrem nostram & Domini sponsam, sanctam scilicet Ecclesiam debitâ veneratione, pietate, & affectione honorare desideramus: ut per hoc Deus auctor pietatis, nostris iniquitatibus propitietur; & qui pondere peccatorum nostrorum prægravati in sepulcro nostri fœtoris jacentes, lumen veritatis amisimus, per conjunctionem cordis nostri, & largitionem nostræ possessionis, ad Solem justitiæ caput erigamus.

ISTAM verò in loco nostro, qui appellatur LENS, ab Antecessoribus nostris honorificè constitutam, specialiter cupimus exaltare: & quod deerit utilitati Deo servientium in ea, possibilitate nostræ facultatis devoti simus administrare: & quemadmodum eam honorare studuimus ex munificentia nostræ possessionis, ità eam exaltare quæsivimus honorificentiâ libertatis: ne sub tempore alicujus malivolæ potestatis, gemat oppressa jugo servitutis.

IN principio verò fundationis ejus, terris & libris & conditione liberali fuit dotata, sed præsumptio temeritatis, & invidia diaboli Ecclesiam cum libris, & privilegium cum signis comburens, annulare putavit universa. Sed quod diabolus delevit per invidiam, favente Deo, & Domino Episcopo nostro LIETBERTO, volumus emendare per benivolentiam.

LIBERAM igitur potestatem concedimus Canonicis assumendi quemcumque voluerint Advocatum; qui tamdiu & non ulteriùs eorum rebus, vel eorum caussis præsit, quamdiu eis placuerit. Altaria etiam S. Mariæ & S. Laurentii ab omni servitute libera esse ostendimus.

ET ut nostra Ecclesia foret æqualis aliis quæ gaudent dote libertatis, scilicet S. Mariæ Atrebatensis & S. Gaugerici Cameracensis, multum laboravimus, & Deo gratias, laudante Lietberto Episcopo, ad finem perduximus.

ET ut memorabile hoc firmum & stabile sit, scripturæ commendavimus, & res quæ pertinent ad Ecclesiam omnibus notificare studemus.

ISTA

Ista ergo in vico Lensis cum omni libertate Deo data, pertinent ad Ecclesiam, in moneta per singulas septimanas XII. denarii Ecclesiæ, ad usum Sacerdotum quotidie, pro fidelium animabus, Missas celebrantium, persolvantur; exceptis hebdomadis Paschæ, Pentecostes & Natalis. Teloneum quoque liberum, ut ab ipsis solummodo Canonicis dari vel offerri debeat; & nihil amplius inde mihi vel Successoribus meis accipere debeat, quam carratam vini decem & octo modiorum tantummodo; nec modius plus contineat, quàm viginti sextarios.

Concessimus deinde sex cambas, unam Custodi, duas Scholastico, reliquas, & quæ ad eas pertinent, usui Canonicorum: similiter furnum, & quæ pertinent ad eum.

In suburbio quoque Lensensi apud Bekerel molendinum unum, & in ipso molendino habet Præpositus has oblatas tres..... frumenti, & tres solidos. Apud Lens etiam singulis Canonicis unum curtile habendum disposuimus, quinque infra munitionem, septem verò extra, communioni quoque Fratrum viginti curtilia, præterea sex, duo quorum propria Custodi sunt, juxta atrium S. Laurentii adjacentia, sed reliquorum quatuor pars dimidia Custodis & dimidia Canonicorum. Ecclesiæ quoque de *Bethai* & de Durgis, & bodii ejus partem dimidiam concedi & corroborari impetravimus à Domino Lietberto, nec non bodium de Werchin; sed de Werchin 3. pars Custodis est.

In villa Wendinii habent Canonici ad duas carrucas terram, & cambam & furnum, ad quem debent omnes incolæ venire. In eadem villa habent aliam terram cum tribus hospitibus: in hac habet Custos tertiam partem.

Apud Wistrewingles carrucam terræ: apud Huluce terram unius modii & curtile & dimidium: Himil unum curtile; Ailoex carrucam terræ & sex curtilia: Iuvenchii unum curtile: in Pago Atrebatensi apud S. Leodegarium dimidii modii terram: Annez terram, in festivitate S. Dionysii duodecim solidos persolventem: quarta pars quorum Custodis est, & Præpositus inde sex habet denarios.

Roslecurti terram, solventem septem solidos in festivitate omnium Sanctorum; quorum tertia pars Custodis est. Ruit tres solidos in Natali Domini, & Custos tertiam partem. De Gernay tres solidos, & Custos tertiam partem. Tanquis sex solidos Canonici per se. Levin, septem..... & dimidium frumenti: verùm unum & dimidium Custos habet: & quatuor capones ibi sunt, quorum duo tantummodo sunt Præpositi. Ibidem habent duo curtilia Canonici pro se.

Menricourt, unum curtile & terram arabilem. Roveroit, unum curtile & terram arabilem. Vertincurt, dimidii modii terram, & ibidem aliam terram, unde Ecclesia S. Vedasti Atrebatensis quatuor frumenti..... & duas avenæ solvit. Goesmenricurte unum curtile & tertiam partem unius. Vilers duo curtilia & dimidium & terram arabilem. Billy duo curtilia, & Custos tertiam partem. Montiny unum curtile, & Custos tertiam partem.

Bailloelt duo curtilia & terram novem modiorum, Custosque tertiam partem. Coureriis septem curtilia & terram cum octava parte decimæ. Durgis sex curtilia & terram arabilem: in uno curtilium horum habet Custos tertiam partem.

Nicelle Godeldis quatuor curtilia, quorum unum Custodis est, & terram arabilem, persolventem sexdecim..... variæ annonæ, quarum quatuor Custodis sunt, & duos modios & tres..... avenæ. Hæ tres Custodis sunt.

Sanguin duo curtilia cum terra arabili. Eskercin duo curtilia & terram arabilem. Molains carrucam terræ, cujus duæ partes Decani sunt, tertia Custodis. Salau unum curtile & terram arabilem. Axseville terram arabilem. Niaule dimidium bodium, & unum curtile cum terra arabili.

In molendino Becherel habet Decanus duplicem præbendam hiemalis annonæ, & in Lensensi horreo frumentum similiter. In festivitate S. Vulganii, infra Pentecostem, de oblatione habent Canonici XL. solidos: de reliquo, media Custodis est.

In Ascensione Domini de oblatione, quæ fertur ad Sanctum, dimidia pars Canonicorum est: similiter de Cruce, & de Sepulcro. In cœmeterio S. Mariæ, habet Custos tertiam partem; in S. Leodegarii & S. Laurentii medietatem.

Singulis annis in Natali Domini debet Comes unum pastum in (1) ministerio Vicecomitatûs statutum, alium verò in festivitate omnium Sanctorum in ministerio Marriæ: in crastino Nativitatis Domini Præpositus unum, in tertio die Custos unum, & in Purificatione S. Mariæ unum. In Natali verò S. Mariæ

Addit. Bononia, vulgò *Bolonia*, Urbs Morinorum in Gallia Belgica ad Oceanum sita, jam olim enumerata fuit inter Urbes Episcopales ab Hincmaro Archiepiscopo Remensi. Sed tandem proprium adepta fuit Episcopum, postquam anno 1553. deletâ per Carolum V. Cæsarem Teruanâ, Sedes illa divisa fuit in tres novos Episcopatus, Boloniensem, Iprensem, & Audomarensem. Pro Episcopatu Boloniensi extat Bulla Pii IV. Pont. data anno 1566, in supplemento Operum Miræi recensenda.

Habuit quoque Bolonia potentes olim Comites: quos inter Eustathius eo nomine secundus eminuit. Is Lamberto Comiti Lensensi, Islæ seu Insulis Flandrorum occiso, anno 1054. successit in Comitatu Lensensi; ut Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 3. cap. 78. tradit.

Idem Capellense S. Mariæ Monasterium, Sodalium Benedictinorum, in vico Merck, Diœcesis Boloniensis, anno 1090. fundavit: ut Iperius in Chron. Bertiniano & Meierus testantur.

Ex Ida, Godefridi Barbati, Lotharingiæ superioris & inferioris Ducis filia, Godefridi Gibbosi sorore, filios quatuor, God. Bullonium, Balduinum, Eustathium & Gulielmum, itemque filias duas sustulit. Plura vide in Stemmatibus Principum Belgii.

(1) Ministeria Vicecomitatûs & Marriæ, hoc est, Gallico idiomate, *Mestiers ou Offices de Viscomte & Maieur.*

riæ debet Custos Canonicis sex solidos pro familia Ecclesiæ quam tenet.

In loco nominato Caisnetum, habent Canonici terram solventem octodecim capones, sub inferiori molendino aquam & curtilia appendentia: & juxta habent terram persolventem duos solidos. Apud Templovium unum curtile, cum terra arabili de allodio Letardi de Anechin.

Quicumque igitur nostræ dispositionis statutum rescindere conatus fuerit, sicut à Philippo Rege Francorum & Comite Flandrensium imperatum, X. uncias auri & LX. libras argenti, & bannum Regis persolvat, & quod voluit facere irritum fiat.

1070. Anno ab Incarnatione Domini MLXX. Indictione VIII. apud Lens in Basilica S. Mariæ peregimus, & Nobiles, Clericos, seu Laicos, ad hujus rei testimonium confirmandum, convocavimus: quorum nomina subscripta sunt.

Signum Tiebaldi Decani; & Custodis & Præpositi.
Signum Rainaldi Presbyteri.
S. Mainbotonis Presbyteri.
S. Roberti Diaconi.
S. Reneri Diaconi.
S. Leduwini Subdiaconi.
S. Bernardi Castellani.
S. Roberti fratris ejus.
S. Hugonis de Senguin.
S. Engelardi.
S. Rodulphi Wispelleinti.
S. Leotoldi de * Huluch.
S. Letardi de Anechin. * Noyelles.

CAPUT XXXIX.

Lietbertus *Cameracensis Episcopus, petente Eustathio secundo Comite Boloniensi ac Lensensi, varia privilegia Lensensi Canonicorum Collegio concedit*, *anno* 1070.

Ego Lietbertus, Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, paternæ dilectionis affectu, ad commoda posteritatis laborare non recuso, & eorum piâ devotionis actione participare studeo, qui dignè Deo psallere satagunt cum Psalmista, Domine dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Unde Comitis Eustathii, & uxoris ejus Idæ Comitissæ religiosæ justis petitionibus, sed & Arnulphi Flandrensium Comitis concessu, ipso & Philippo Rege Francorum annuente, Ecclesiam, quam apud Lens, in honore sanctæ Dei Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ, Dei coöperante misericordiâ, consecravimus; & ejusdem loci Canonicorum sustentationem sive gubernationem ab omni exactione Episcopi & Ministrorum ejus, censu videlicet vel reditu, amodo liberam esse permittimus.

Sed duas Ecclesias, quas in eadem villa sitas esse cognovimus, unam videlicet in honore (1) S. Leodegarii Martyris, aliam verò in honore S. Laurentii Martyris, victui Canonicorum Lensensium, seu usui eorum ab omni jure nostri reditûs solutas esse concedimus: & ut Canonici S. Mariæ Lensensis Ecclesiæ, & eorum Vicarii, & alii eorum prædictis Ecclesiis servientes Presbyteri, per Decanum Ecclesiæ S. Mariæ vocati, ad justitiam prosequendam veniant, & judicio Canonicorum & suorum Presbyterorum de propriis animis satisfaciant.

Et si quid amplius libertatis Ecclesia S. Gaugerici Cameracensis, imò Ecclesia S. Mariæ Atrebatensis habere dignoscuntur, ipsi Lensenses Canonici simili pace, & sine ulla inquietudine, sua possideant. Ecclesiæ quoque de *Betay*, & eorum quæ ad propria adjacent, dimidiam partem cum Persona habeant; & Episcopo ejusdemque Ministris, quæ Episcopalia sunt, persolvant.

Ea verò, in quibus Comes Eustathius & uxor ejus Ida Comitissa, Ecclesiam S. Mariæ Lensensis à principio...... fatentur & asserunt, teloneum videlicet liberum, ut ab ipsis solummodo Canonicis dari vel auferri debeat, & nihil amplius inde ipsi Comiti accipere liceat, quàm carratam vini X. & octo modiorum tantummodo, cambam quoque, furnum in eadem villa, & molendinum apud *Bekelet*, & bodium apud *Werchin*, & quæcumque nostris temporibus concessa, & in futurum concedenda sunt; utilitati prædictorum Canonicorum statuimus profutura.

Concedimus & Lensensibus Canonicis liberam potestatem admonendi & revocandi malefactores Ecclesiæ suæ, contemptores quoque excommunicare; & eorum excommunicationem confirmari auctoritate Episcopi ejusdem provinciæ, & ut à satisfacientibus sua recipere, & eos possint absolvere.

Et ut in perpetuum firmum quod disposuimus habeatur, auctoritate Dei & S. Mariæ, & sanctorum Canonum sancimus, & nostrâ, ut nec ego, nec alius Episcopus, seu Clericus, sive Rex, sive Comes, sive secularis persona

Vide Fastos Belgic. 88. ad diem 2. Octobr. (1) Sanctus Leodegarius Episcopus Augustidunensis, jussu Ebroini, Majoris Domûs Regiæ, anno 672. occisus est in territorio Atrebatensi, in loco, qui dicitur *Silva S. Leodegarii*, sepultusque est in villa quæ dicitur *Strcin*, quæ est in confinio Cameracensis Episcopii, & Morinensis: ut Baldericus in Chron. Cameracensi lib. 1. cap. 20. loquitur. S. Leodegarii Testamentum exstat apud Claud. Robertum in Gallia Christiana, item Libro I. Donationum nostrarum Belgicarum Cap. 3.

ſona violare audeat ex his quidquam, quod continetur hâc ſcripturâ.

A Rege quoque Philippo, & prænominatis Principibus conceditur, ut quemcunque voluerint, Canonici de rebus ſuis Advocatum habeant; qui, quamdiu eis placuerit, præſit, & non ulteriùs.

QUISQUIS igitur contra noſtræ inſtitutionis decretum violentiam, vel invaſionem, vel alienationem prædictæ Eccleſiæ de ſuis rebus intulerit, à Corpore & Sanguine Chriſti alienus fiat, donec Canonicis dignâ pœnitentiâ ſatisfecerit.

ACTUM apud Lens in Baſilica S. Mariæ,
1070. anno Domini Chriſti MLXX. Indictione VIII. epactâ VI. quod in præſentia ſubſcriptorum teſtium ſignavimus.

Signum Gerardi & Werrici Archidiaconorum.

S. Maſcellini.

S. Hazecoti.

S. Alardi.

S. Tietboldi Decani.

S. Rainoldi & Membodonis Presbyterorum.

S. Raineri Diaconi.

S. Liduini Subdiaconi.

EGO Lietbertus Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus hoc privilegium manu propriâ confirmavi.

Additio. Eccleſia Collegiata *Landicenſis*, ſeu *Lenſienſis*, duodecim habet Canonicos cum Decano, quorum præbendas modò confert Rex Galliæ, quà Comes Bolonienſis. De ejus fundatione plura vide ſupra in Codice Donationum Piarum Cap. LXXI.

Ceterùm plura de Comitibus Bolonienſibus ac Lenſienſibus videri poterunt in Chronico Belgico ad annum 1030, ubi eorum Genealogia exactâ exhibetur, cujus hic aliquod ſchema adjungimus.

STEMMA COMITUM BOLONIENSIUM.

- *Guilielmus Comes Pontivi, Boloniæ & S. Pauli.*
  - *Ernulfus Comes Boloniæ & Pontivi.*
    - *Ernulfus Comes Pontivi.*
    - *Euſtathius Comes Bolonienſis duxit Mathildem Fil. Lamberti Comitis Lovanienſis.* (1)
      - *Euſtathius II. Comes Bolonienſis duxit Idam Fil. Godefridi Magni Ducis Lotharingiæ.* (2)
        - *Euſtathius III Comes Bolonienſis & Lenſenſis duxit Mariam.*
          - *Rodulfus 1122.*
          - *Mathildis uxor Stephani Bleſenſis, pòſt Regis Angliæ 1135.*
            - *Euſtathius IV. Comes Bolonienſis ſine liberis.*
            - *Guilielmus Comes Bolonienſis ſine liberis.*
            - *Maria primùm Abbatiſſa, pòſt adhæſit Matthæo fil. Theoderici Alſatii Comitis Flandriæ.* (6)
              - *Ida Comitiſſa Bolon. uxor Rainaldi Comitis de Dom-Martin.*
                - *Mathildis Comitiſſa Bolonienſis uxor Philippi Comitis Claromont. 2. Alfonſi Portugal.* (7)
              - *Mathildis uxor Henrici I. Ducis Brabantiæ.*
        - *Godefridus Bullonius.* (4)
        - *Balduinus.* (5)
        - *Guilielmus juxta Tyvium.*
        - *Adelheidis uxor Henrici IV. Imperatoris.*
        - *N. uxor Cononis Comitis Montis Acuti.*
      - *Gaufridus Epiſcopus Pariſienſis.* (3)
      - *Lambertus Comes Lenſenſis obiit 1054.*
      - *Gerberga uxor Friderici II. Ducis Lotharingiæ inferioris.*
    - *Mathildis uxor Arnulphi Comitis Giſnenſis.*
  - *N. Comes S. Pauli.*

(1) EUSTATHIUS I. Comes Bolonienſis hoc Diplomate memoratus, ab Andrea Quercetano & aliis nuncupatur filius Ernuldi, ſeu Ernulphi: ab aliis Rodulphi Comitis Giſnenſis.

(2) EUSTATIUS II. & *Ida* conjuges, quorum Diplomata extant in Cod. Donat. Piar. Cap. 67. & 69.

(3) GAUFRIDUS Epiſcopus Pariſienſis, fuit quoque Cancellarius ac ſigillorum Cuſtos in Regno Galliæ: Præſul magni nominis, vixit ad annum 1092.

(4) GODEFRIDUS BULLONIUS, qui & fuit Dux Lotharingiæ inferioris, & Marchio Antverpienſis, & primus Rex Jeroſolymorum, vitâ functus anno 1100. Ejus fit mentio ſupra in Cod. Donat. Piar. Cap. 78.

(5) BALDUINUS Succeſſor fratris ſui Godefridi in Regno Jeroſolymitano.

(6) MARIÆ & MATTHÆI Conjugum facta fuit mentio ſupra pag. 107.

(7) MATHILDIS. Idæ & Rainaldi Dom-Martinenſis filia, Comitiſſa de Bologne, Dom-Martin & Mortaing in Normannia, duos habuit maritos; *Philippum* Claromontis Comitem, Philippi Francorum Regis filium, & *Alfonſum* Portugalenſem, qui demum Rex Portugaliæ obiit. Teſtamentum anno 1241. à Mathilde ſcriptum infra ſuo loco recitabimus. Ex priore marito nata eſt JOANNA, uxor Gualteri de Caſtellione, quæ ſine liberis ante matrem obiit. Poſt Joannæ obitum, MARIA, Henrici I. Brabantiæ Ducis & Mathildæ Bolonienſis filia, Othonis IV. Imperatoris vidua, anno 1259. à Parlamento Pariſienſi declarata fuit heres Comitatûs Bolonienſis. Mariæ ſine liberis defunctæ ſucceſſit ſoror MARGARITA, aliàs Alidis, Guilielmi Arverniæ Comitis vidua; & huic filius ROBERTUS Arverniæ ac Boloniæ Comes.

CAPUT XL.

Aquicinctina Benedictinorum Abbatia, secundo lapide à Duaco, per Viros nobiles, WALTERUM, SICHERUM *&* (1) ANSELLUM *Ribodimontanum fundatur, &* à GERARDO II. *Cameracensi Episcopo stabilitur, anno* 1079.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. GERARDUS secundus Cameracensium, Dei gratiâ, Episcopus, omnibus Christi fidelibus, & in præsenti vita eam, quam mundus dare non potest, pacem, & in futura æternam beatitudinem.

DUO Milites, parochiani nostri, genere & divitiis præclari, WALTERUS scilicet & SICHERUS, spiritu divino afflati, Dominicæ promissionis elegerunt participes fieri, quâ dicitur, *Quicumque reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem, aut agros, aut cetera hujusmodi, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

ISTI ergo mundanæ militiæ cingulum deponentes, omnem hujus mundi proprietatem contemnentes, theoricam vitam sequi spoponderunt; seque & sua omnia Deo dedentes, ipsi solùm in perpetuum deservire promiserunt, locumque qui AQUICINCTUS dicitur, elegerunt; Ecclesiam inibi volentes restaurare, quam à (2) S. GORDANIO, in eodem loco ereniticam vitam ducente, audierant quondam ædificatam fuisse.

HOC autem consilium Walterus scilicet ac Sicherus, Walterus per matrem, Sicherus per uxorem, confirmatum ANSELLO aperuerunt. Ipse verò Ansellus insulam illam AQUICINCTI, & arundinetum pertinens ad eam, & villam quæ Vedretum dicitur, eidem insulæ contiguam, quæ a nobis in beneficium tenebat, in manu mea reddidit, & ego ea in jus perpetuum donavi Ecclesiæ ipsius Aquicinctii.

PRÆTEREA congaudens illorum religiositati, & christianissimi laboris inceptis, Ecclesiæ libertatem, quam diu amiserat, restitui, & Altare solutum à Persona, & ab omni reditu feci; præter, quòd baculum Abbatiæ in manu mea retinui; ita tamen ut eum illi darem, quem Monachi illius loci, secundùm Regulam S. Benedicti, in Abbatem eligerent.

UT autem hoc ratum & inconvulsum maneat, bonorum virorum subterfignatorum testimonio, & sigilli nostri impressione corroboratum est.

S.gnum Widonis Archidiaconi.
S. Widrici Archidiaconi.
S. Anselli.
S. Vilardi.
S. Joaonis.
S. Fulconis.
S. Ingebrandi.
S. Huberti.
S. Vulferi.
S. Alardi.
S. Walteri Castellani Duacensis.
S. Clarebaldi.

ACTUM est hoc anno ab Incarnatione Domini MLXXIX. Indictione II. anno verò Henrici Regis XXVI. Præsulatûs verò Domini Gerardi secundi Cameracensis Episcopi IV. 1079.

C A-

(1) ANSELLUS *de Ribodimonte* fundavit Ribodimontense Monasterium in Diœcesi Laudunensi: (vide Donat. Belg. ad annum 1084.) cum Godefrido Bullonio ivit in Syriam, & lapide percussus in capite ad castrum Archas in Terra Sancta anno 1098. aut 1099. obiit. *Ita Dinterus.*

Ad hujus Diplomatis pleniorem lucem, libet subnectere quæ de illustris Abbatiæ Aquicinctinæ initiis ex veteri ejusdem Codice Ms. hausimus.

Inceptum est Cœnobium S. Salvatoris in insula, quæ dicitur AQUICINCTUS, à viris illustribus Sichero videlicet & Waltero. Qui Sicherus habebat uxorem nomine Mathildem, nobilem quidem natalibus, sed nobiliorem moribus; quæ conjugem suum crebriùs monendo, ad hoc opus aggrediendum incitavit, ideo maximè quod sanctum quendam Gordanium inibi quondam ereniticam vitam duxisse ferebatur.

Unde factum est, ut privati viri hinc crebrò colloquentes, se mutuò hortarentur; & deliberantes Ansellum de Ribodimonte nobilissimum virum adeunt, & ab eo insulam illam, quia sui erat juris, deposcunt.

At Ansellus, auditâ petitione eorum, gavisus est valde, & sine dilatione, gratis, quod petebatur, concessit. Itaque ex condicto pariter properantes, Gerardum Cameracenæ Urbis Præsulem aggrediuntur, ad cujus Diœcesim tunc locus ille pertinebat; quid animo gerant pandunt: & quia ejus Parochiani erant, ut voto eorum assentiat, exposcunt.

Quibus auditis, venerandus Pontifex libentissimè annuit, receptoque fundo de manu Anselli, quem ab eo in beneficium tenebat, cum arundineto adjacente, eis tradidit. Quo accepto, Cœnobium ibi construere cœperunt, & de suis allodiis, competenter, prout poterant, ditaverunt.

Aggregantur ibi Deo devoti viri, se cum facultatibus suis Christo devoventes, ejus grex pusillus esse gestientes. Quorum curam memoratus Præsul gerens, duos ex Monachis Hasnoniensis Cœnobii, honestæ vitæ, ad eos instruendos misit: è quibus uni eorum, Alardo nomine, curam eorum commisit, & Abbatem ordinavit. Hactenus ex Ms. Chronico Aquicinctino.

(2) S. GORDANIUS, Eremita colitur 6. die Octobris Aquicincti; quod vulgò *Anchin* dicitur. Inde Collegium Aquicinctinum in Academia Duacena à *Joanne Lentailleur* illius loci Abbate ædificatum; in quo societas Jesu suas habuit Scholas Philosophicas ab anno 1568. Vide etiam *Origines nostras Benedictinas.*

CAPUT XLI.

HENRICUS III. *Imperator, fundationem Abbatiæ S. Agerici Virdunensis, à Theoderico Virdunensi Episcopo factam, anno 1089. confirmat.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego (1) HENRICUS tertius Romanorum Imperator Augustus, notum facio tam præsentibus quàm futuris in Christo fidelibus, quòd villam *Ballereis*, quam (2) THEODERICUS Virdunensis Episcopus Ecclesiæ S. Martini & (3) S. Agerici contulit, cum omnibus appenditiis suis, in campis, pratis, silvis, aquis & earum pertinentiis, & quidquid ad bannum pertinet ejusdem villæ, confirmavi, & omnibus quibus modis dederit, jussi ratum fieri.

CONTULIT idem Theodericus Episcopus eidem Ecclesiæ, *Agericourt*, bannum & censum capitalem sub eodem banno commanentium, & bannum de terris suburbanis ipsi Ecclesiæ adjacentibus, & ad ipsam Ecclesiam deservientibus; & terrulas ad *Betalainville*, cum banno ex parte Heriberti Presbyteri acquisitas, & molendina tria, quæ idem Episcopus apud Castellum *Delevart*, & aliud apud *Tileis*, & aliud in *Carniaco*, cum manso uno acquisierat.

DEDIT etiam vineas duas novas apud Molins, & Ecclesiam novam cum domo; & post mortem Ducis (4) GODEFRIDI, annuente Namucensi Comite ALBERTO. Villam Bellam cum Ecclesia supradicta idem Episcopus addidit, quam ipse Comes à Domina (5) MATHILDE in beneficio acceperat.

Villam etiam *Iunkereis*, quam Comes Ebolus S. Mariæ majoris Ecclesiæ violenter abstulit, ad Ecclesiam S. Agerici idem Episcopus, annuentibus ejusdem Ecclesiæ Canonicis, destinavit; ut si quando pervasor resipisceret, villa, cum totis appenditiis, Ecclesiæ S. Agerici deserviret.

ADDIDIT etiam & curtem *Marley*, cum omnibus ad eam pertinentibus, integrè & absque conditione, quam recepit de Comite Hermanno, S. Agerico perpetuò, condemnans anathemate quemcumque, qui in posterum hæc præsumeret minuere, aut infirmare, nisi sanctum Confessorem Agericum dignâ placaret satisfactione.

Addens etiam, quod de villis Marley & Ballereis advocationes in manu essent Abbatis, & nullus nisi ex ejusdem consensu, quidquam in eis habeat placiti, vel districtionis. Hæc ille omnia Testibus idoneis,

Ex Clero,

Primicerio Milone Gippino,
Lamberto Archidiacono, & Richero Decano,

Ex Nobilibus,

Waltero de Sorcei,
Item Waltero & Erone de Claromonte,
Roberto de domo Imperiaca,
Guidone de Harebodis-villa,
Eugone Advocato,
Olrico de Hattonis-Castello,
Petro de Virduno,
Richardo de Delvart, & Gilberto Comite, confirmavit. Et nos Imperatoriâ potestate præcipimus, ut inconvulsum permaneat, nec de his quidquam quilibet mutet, vel infirmet, neque nundinas, quas ille in festivitate S. Agerici fieri constituit, avertere audeat.

Data Nonis Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo nono, Indictio- 1089.
ne XII. præsentibus,

Archiepiscopo Treverensi Helberto,
Leodicensi Episcopo Henrico,
Trajectensi Conrado,
Et Ducibus THEODERICO & GODEFRIDO,
Comitibus, Namucensi Alberto, & fratre ejus Henrico, & Folmaro, & Segiberto, & Henrico de Luzeleborg.

Acta Metis in Dei nomine feliciter, amen.

Signum Domini Henrici tertii Romanorum Imperatoris.

C A-

(1) HENRICUS III. est aliis quartus; adnumerato scilicet inter Cæsares Henrico Aucupe. Quem si omiseris, Henricus, cujus Diploma jam recitavi, erit tertius illo nomine Cæsar. Joannes Paulus Windeck, lib. 3. de Electoribus Imperii cap. 9. notat, Henricum Aucupem à plerisque illorum temporum Historiographis, & in veterum Diplomatibus, non vocari Imperatorem; eò quod non fuerit à Romano Pontifice coronatus.

(2) THEODERICUS, cognomento STRENUUS, Gerardi Alsatii filius, & in Ducatu Lotharingiæ Mosellanæ Successor, anno 1115. obiit.

(3) S. AGERICUS, in Catalogo Episcoporum Virdunensium obiisse legitur anno 588, die 1. Decembris; quo ejus Festum in Ecclesia celebratur. Abbatia Benedictinorum in ejus honorem fundata, anno 1037. à Raimberto Episcopo Virdunensi, hodie aggregata est Congregationi Reformatæ SS. Vitoni & Hidulphi in Lotharingia.

(4) GODEFRIDUS Bullonius hoc ipso anno 1089. ab Henrico IV. Imperatore creatus est Dux Lotharingiæ inferioris.

Ceterùm ex isto Diplomate liquet, eo ipso tempore, quo Godefridus Bullonius Lotharingiæ inferioris Dux fuit, Theodericum Strenuum in Lotharingia Mosellana Ducem exstitisse. Sic & anno 1064. Gerardus Alsatius Ducatum Mosellanum, & Fredericus Ducatum Lotharingiæ inferioris possidebat. Quæ ut pleniùs intelligas, nostra Stemmata Belgica cap. 12. & 14. consule. Reperies ibi Duces Lotharingiæ superioris & inferioris, à me in ordinem digestos, juxta fidem Diplomatum veterum, & Scriptorum classicorum.

(5) MATHILDE Godefridi Gibbosi, Lotharingorum inferiorum Ducis vidua.

CAPUT XLII.

MANASSES *Cameracensis Episcopus Diclevennensem S. Petri Abbatiam, ex Diclevenna ad Geraldi-Montem translatam circa annum* 1081, *stabilit, anno* 1096.

EGo (1) MANASSES, Divinâ miseratione humilis Cameracensis Episcopus, considerans illud, quod in veteri Testamento scriptum est, *ædificavit Moyses Altare Domino Deo, super quod offerent Sacerdotes Sacrificia* (sub hujus verò specie ædificationis ordo & mysterium subsequentis Ecclesiæ designatur.)

AD laudem Salvatoris nostri Jesu Christi, sanctæque ipsius Crucis victoriosissimæ, in honore quidem beatissimi Petri Apostolorum Principis, in loco qui (2) GERALDI-MONS nuncupatur, Ecclesiam dedicavi, ibique consilio & assensu Domini ac Patris nostri Manassæ, venerabilis Remorum Archiepiscopi, ejusdemque Coëpiscoporum Ecclesiæ, precibusque ac petitione Roberti Junioris Catholici Comitis Flandriæ, Dominique STEPHANI (3) DE BOULARIO, Winniboldique ejusdem loci Castellani, ceterorumque plurium, Abbatiam Monachorum, propter angustias ac loci indigentiam, à (4) *Declivio* translatam, liberè & principaliter stabilivi.

ITA quidem, ut Abbas à Fratribus regulariter electus, pastoralem baculum à manu Pontificis solummodo suscipiat, quorum usibus Fratrum, in Cœnobio suo sub beati regula Benedicti Deo militantium ad salutem animæ meæ meorumque Antecessorum, Comitisque præfati, Altare de (5) *Huneghem* cum omnibus appenditiis, in eodem videlicet Geraldimonte & Boulario, sine persona & obsoniis, omnino liberum tradidi.

AD cujus exaggerationem beneficii, idem Comes Robertus de alodio suo totam terram, quæ circa Ecclesiam in atria benedicta est & divisa liberè & legitimè eidem Ecclesiæ tradidit, quatuorque jugera terræ arabilis, duosque mansos dominicos supra fluvium aquæ, quæ Tenera nuncupatur.

PRÆTEREA Sapientum suprascriptorum & divitum rationabili consilio, omnia beneficia, quæ primitus, dum ibi caput Abbatiæ positum fuerat, Declivio appendebant, similiter Abbatiæ apud Geraldimontem translatæ, statuo, sicut prælibatum est, & innovatè consignata & adscripta sunt.

ALTARE videlicet de (6) *Hauthem* cum appenditiis suis, *Heldreghem*, & *Idrighem* sine Persona, sed cum debitis obsoniis, Altare de *Okinghem*, Altare quoque de (7) *Touricourt*.

UT hæc verò Charta indissolubilis persisteret, sigilli nostri imaginatione firmata est. Hoc autem factum est anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo sexto. 1096.

C A-

Additio. (1) MANASSES, ex Archidiacono Remensi consecratus anno 1095. Episcopus Cameracensis (isque primus à separatione illius Sedis ab Atrebatensi) non fuit tamen illic pacificus, eò quod Adversarium haberet *Gualterum*, ante Archidiaconum Cameracensem, eodem tempore electum; qui & illic permansit Episcopus. Nam Manasses paulò post, authoritate Paschalis II. Pont. translatus fuit ad Episcopatum Suessionensem.

(2) GERALDI-MONS, vulgò Gerardi-mons, Alostani Comitatûs oppidum: in quo Benedictinorum Abbatia, Diclevennâ per Manassem translata, etiamnum floret, titulo S. Adriani Martyris: cujus ibidem sacræ Reliquiæ, frequenti piè peregrinantium concursu, honorantur.

(3) STEPHANUS DE BOULARIO, anno 1096. comitatus est Robertum Hierosolymitanum Flandriæ Comitem in Syriam; *teste Joanne Waesbergio in Descriptione Gerardimontii typis editâ anno* 1626.

Est autem *Boularia* vulgò *Boulers*, illustris & antiquus Flandriæ Imperialis Baronatus, qui pagos duodecim complectitur. Potentes olim habuit Dynastas, è quibus *Guilielmus* supra Cap. 96. & *Stephanus* Cap. 98. in Cod. Donat. Piar. memorantur.

Ex eadem familia fuit Alix filia & heres Nicolai Domini de Boulers, conjux Ægidii Toparchæ de Trasegnies, quæ fundavit anno 1228. Abbatiam Belloprateriensem, vulgo *Beaupré*, Virginum Ord. Cisterc prope Gerardi-Montem, de qua plura inferiùs in Notitia Ecclesiarum Belgii ad annum 1228. Vide seriem Dominorum Boulariensium in præfato Authore Waesbergio.

Tandem Guilielmus Nassovius Orangiæ Princeps Boulariam, initio seculi præcedentis vendidit Francisco Bernardino de Cassina, marito Robertinæ de Nunelles. Inde hereditario jure transiit ad Comitem de Wonsheym Germanum. Additio.

(4) DECLIVIUM, vulgò *Diclevenne* Pagus celebris ad Scaldim, quarto lapide à Geraldi Monte, inter Gandavum & Aldenardam situs. Tricliviol nuncupatur in Divisione regni Lothariensis anno 870. facta, quæ in nostro Codice Donationum cap. 21. exstat.

(5) HUNEGHEM Ecclesia B. Mariæ sacra, intra muros oppidi Gerardi-montensis sita.

(6) HAUTHEM aliàs *Derder-hanthem*. HELDREGHEM aliàs *Helderghem*. IDRIGHEM, aliàs *Eerdeghem*. OKINGHEM aliàs *Ockerghem*, sunt Pagi ditionis Alostanæ, in Diœcesi Mechliniensi, quorum Patronatum & decimas hodieque tenet Abbas Gerardi-montensis.

(7) TOURICOURT. Pagus in Territorio Athensi, cujus Ecclesia etiamnum est sub Patronatu Abbatis Gerardi-montensis.

CAPUT XLIII.

LAMBERTUS *Episcopus Atrebatensis fundationem & dotationem Abbatiæ Montis S. Eligii, quæ est Canonicorum Regularium, anno* 1097. *confirmat.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, unius, veri & summi Dei, amen. LANTBERTUS Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, suis Successoribus præsentis vitæ lætitiam, & futuræ gloriam.

LEGIMUS in gestis Atrebatensis Cameracensisque Ecclesiæ, Dominum Fulbertum earumdem urbium Episcopum, corpus B. Vindiciani de terra elevasse, eoque in loco, qui (1) Mons videlicet S. Eligii dicitur, Ecclesiam, priore destructâ, reædificasse, de titulo Apostolorum Petri & Pauli, ubi Clericos octo & stipendia, unde viverent, constituit, & eos hâc libertate donavit, ut nullius potestati subjacerent, nisi solius Episcopi.

POST mortem verò ejus, cœperunt dietim à servitute Dei tepere, Ecclesiaque, usque ad tempus Domini Lietberti Episcopi, declinare. Quam destructionem ipse vir misericordiæ ægrè ferens, ut ita dicam, alter Samaritanus, ejus miseriæ condoluit, ac secum tractare, quomodo id in melius repararetur, cœpit.

CUI consilium, tali negotio congruum, ille ministravit, qui hoc velle cordi ejus infudit. Nam ibi Clericos Regulares, de communi viventes, suorum consilio fidelium, ordinavit, eisque Abbatem suæ professionis præfecit.

UNDE facto privilegio suos precatus est Successores, ut eos proveherent, & fierent adjutores. Libertatem quoque Ecclesiæ ac possionum suarum denuo confirmavit, & Altare de *Huchin* eâ conditione ibi dedit, ut singulis annis, in festivitate S. Remigii, XII. denarios solvat, & deinceps ab omni redemptione liberum faciat. Altare quoque de *Rodricourt* ita dedit, ut sine Persona permaneat.

DOMINUS quoque Gerardus Prædecessor meus, Successor suus, in (2) *Novilla* & (3) *Medianavilla*, sine personis, dedit Altaria, salvo jure Episcopi & redditûs ejus, & consuetudinibus Archidiaconi ejus.

HÆC omnia ego Lantbertus, Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, tibi Reverendissime Frater & Fili Joannes Abba, omnibusque in eo, quo es, loco & ordine, propter religionem tuam Successoribus tuis, religiosè & communiter victuris, sicut superiùs determinatum est, firma & inconvulsa permanere concedo.

CONCEDIMUS etiam suo in tempore, cùm opus fuerit, inibi Canonicis religiosè & absque proprietate viventibus, cum consilio & auctoritate Atrebatensis Episcopi, licentiam eligendi, juxta timorem Dei, & sacros Canones, Magistrum & Abbatem.

QUÒD si hujusmodi officii idonea persona ibi inventa non fuerit, assensu Episcopi sui & consensu, eligant de alio Monasterio virum religiosum, ordinis & professionis suæ, in Magistrum & Abbatem sibi præficiendum. Post hæc verò deducatur ad Episcopum, & suscipiat de manu ejus temporale beneficium loci, & curam animarum, & Abbatis benedictionem.

HISQUE beneficiis Altare de (4) *Rebroviis*, precatu Domini Clareboldi Militis, adjungo; ita ut duos tantummodo solidos, in Cœna Domini, ad servitium Episcopi, persolvat, de cetero totum redigatur sub Abbatis dominio. Hujus rei Testes,

Dominus Joannes Archidiaconus,
Dominus Clareboldus Archidiaconus,
Odo Præpositus,
Wibertus Decanus,

FRATRESQUE ceteri totius Congregationis S. Mariæ semper Virginis.

DOMINUS igitur Clareboldus, hujus rei hortator, nullum alium penitus heredem facere volens, quàm Ecclesiam Rebroviensem, totam, quam in vicinia habet hereditatem, ibi dedit; ita ut ipse supradictus Abbas, ad honorem Dei & S. Mariæ semper Virginis, ipsum locum per Clericos suos detineret, & prout res exterior augeretur, servitium Dei intus cresceret.

Dedit videlicet in *Barastо* integrum molendinum, & unius carrucæ terram, & quinque hospites,

(1) MONS S. Eligii distat altero lapide ab Atrebato, Artesiæ Metropoli. Canonicos Regulares eo in loco idem Lietbertus Episcopus, qui & Cameraci in Cœnobio S. Auberti, collocavit: ut supra cap. 36. docui.

Utriusque porrò Cœnobii Sodales veste violaceâ utuntur: quod illis inter Belgicæ nostræ Canonicos Regulares est proprium ac peculiare.

(2) NOVILLA. *Neuville* vicus.

(3) MEDIANA-VILLA. *Mevenville* vicus.

(4) REBROVIIS, Prioratus seu Cella, *Rebreuve* vulgò nuncupata, inter Bapalmam & Paulopolim, ubi hodieque Religiosi aliquot è Monte S. Eligii res divinas peragunt, ex fundatione Clarembaldi Toparchæ de Loginghem. *Vide Chronicon Locrii ad annum* 1100.

Iidem Religiosi Eligiani possident quoque Prioratum B. Mariæ du Perroy ad muros Oppidi Bethuniensis in Artesia, ex fundatione Roberti Bethunæorum Advocati. *Ita Locrius loco supra citato.* Item Prioratum *Albiniaci*, qui Pagus est non procul distans à Monte S. Eligii, Baronatûs titulo illustris.

hospites, & in *Dabellicurt* quartam partem, & silvam ibi attinentem. Hujus rei testes iterum duo Archidiaconi,

Joannes videlicet & Clareboldus, & totus Ecclesiæ Atrebatensis Conventus, Dominusque Aloldus Abbas S. Vedasti,

Philippus, frater Comitis Roberti,
Clementia, Comitissa Flandrensis,
Robertus, Advocatus,
Baldricus in Colhem,
Frumoldus de Insula.

Hoc igitur datum, & siquis aliud legitimè dederit, qui usurpare præsumpserit, & in pravos usus redigere tentaverit, canonicæ excommunicationi subjaceat.

Ego LANTBERTUS, Dei miseratione Episcopus Atrebatensis, hoc libertatis donativum relegi, subscripsi, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, propriâ manu confirmavi.

Actum Atrebati in Synodo, in Basilica B. Mariæ semper Virginis, Dominæ nostræ, anno videlicet Dei Christi MXCVII. Indictio- 1097.
ne V, XII. Kal. Novembris.

CAPUT XLIV.

LAMBERTUS *Atrebatensis Episcopus Monasterium Canonicorum Regularium ab Heldemaro Presbytero, ejusque discipulo Conone in Aridagamantia, nunc Aroasia, ædificari cœptum, suâ auctoritate confirmat, anno* 1097.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, unius veri & summi Dei, amen. Ego LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, gaudens de religiosa conversatione tua, Reverendissime Frater & Compresbyter (1) CONO, desiderio desideramus paci & quieti tuæ, tam præsentibus temporibus quàm futuris, providere.

IN adventu enim tuo, & bonæ memoriæ Domini HELDEMARI, Magistri & Consacerdotis tui, in (2) *Aridagamantia*, in parochia nostra, quæ dicitur *Rochennies*, locum vobis ad serviendum Deo elegistis; qui sicut aliquando fugiendus; velut spelunca latronum, fuit, nunc per Dei visitationem & tuam, & Fratrum tecum habitantium, factus est refugium & solatium ibi transeuntium.

UNDE & te in eo, quo es, loco & ordine, & Successores tuos, religiosè & canonicè inibi victuros, hâc donamus libertate, ut tantùm Episcopo respondeatis, & in manu ejus, in libertate spiritûs permaneatis.

CONTRADIMUS etiam tibi, & per te legitimis Successoribus tuis, cum Fratribus inibi religiosè & absque proprietate viventibus atque victuris, in augmentum pacis & quietis, loci tui prædictam parochiam *Rochennies*, sub respectu duodecim denariorum in cœna Domini, ad servitium Episcopi.

SI autem aliquando, quod absit, antiquo hoste instigante, in prædicto loco vel parochia, tale quid acciderit, pro quo reconciliatio necessaria fuerit, tibi legitimisque Successoribus tuis, vice nostrâ, acceptâ aquâ sanctificationis & reconciliationis, ut ea reconcilies, religioni vestræ annuimus & impertimus.

SI autem prædictus locus, largiente Domino, ad tantam copiam rerum, & servorum Dei ibi commorantium, excreverit, ut Prælatum eligere debeant, liberam habeant potestatem, cum consilio & auctoritate Atrebatensis Episcopi, eligendi sibi magistrum & dominum, juxta timorem Dei & Instituta sanctorum Canonum. Postmodum verò deducatur ante Episcopum, & accipiat temporale beneficium loci, & curam animarum, & prælationis benedictionem.

ROGAMUS ergo in Domino, tam præsentes Fratres nostros, quàm & Successores Episcopos nostros, & sanctorum Canonum auctoritate interdicimus, & nostrâ, ne quis hoc donativum libertatis violare aut corrumpere præsumat. Siquis scienter hujus nostræ institutionis privilegium infregerit, excommunicationi subjaceat......

ACTUM Atrebati in Synodo, in Basilica B. Mariæ semper Virginis, Dominæ nostræ, anno videlicet Dei Christi MXCVII. Indi- 1097.
ctione V. XII. Kal. Novembris.

C A-

(1) CONO, Presbyter, ejusque Magister Heldemarus, auctores ac conditores fuere Cœnobii Aroasiensis: à quo postea vivendi formulam & nomen accepit reformata Congregatio Aroasiensis Canonicorum Regularium: de qua Cardinalis Jacobus Vitriacus in Historia sua Occidentali agit, & nos in Chronico Canonicorum Regularium.

Addidio Idem Cono, seu Conrardus, Teutonicus, à Paschali II. Pont. creatus fuit S. R. E. Cardinalis, Episcopus Prænestinus, atque ab eodem ad varios Principes Legatus. Obiit circa annum 1120. *Ita Ciaconius de Vitis Pontificum & Cardinalium.*

(2) ARIDAGAMANTIA, hodie Aroasia, vulgò *Arouaise*, seu *Aroage*, è spelunca latronum factum est Monasterium celebre Artesiæ, sub invocatione S. Nicolai. in Diœcesi Atrebatensi, secundo lapide ab Oppido Bapalmensi. Anno 1124. ex Præpositura Canonicorum Regularium fit Abbatia, quæ fuit Caput celeberrimæ Congregationis 28. Monasteriorum: sed jam dudum esse desiit illa Congregatio ultimumque Capitulum memoratur habitum fuisse anno 1470.

CAPUT XLV.

WENEMARUS *Castellanus Gandensis fundat Abbatiam Canonicorum Regularium in Bornehem, Flandriæ Municipio, circa annum* 1101.

Ex Archivis Affl g.

Vide infra cap. 59 in Notis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego WENEMARUS Gandensis Castellanus Ecclesiam apud (1) *Burnehem*, cum membris suis, videlicet (2) *Havestesdunck* & (3) *Hingen*, feci libertate donari: ita ut Canonici inibi manentes duos Presbyteros, non de claustro, sed alios officio congruos, apud *Havestesdunck* constituant, quemadmodum tempore avi mei, imò ab ipso avo meo *Fulcardo* sub banno confirmatum est, unum qui apud *Burnehem* ....

NOTANDUM sanè, quia ad usus Canonicorum ibidem Regularium omnes decimas de *Martinesforthe* ad Burnehem pertinentes, & unum mansum terræ inter *Brocklant* & *Gestlant* præter jus ad dicum, nec non & unum saeh ad turvos & ad silvam, unum stele in Valham ad pisces, (4) in *Spiringa* eandem piscandi potestatem, quam illius loci Dominus habet, dedi.

DEDI & prædium in (5) *Bucholt*, quod ab Abbate S. Laurentii Leodicensis, & à Fratribus emi, cum CC. ovibus, minùs decem. Quod Malgotus inde habet in feodum, & *Erplant*, id est, terra accrescens, exceptum est: sed istud idem exceptum, ad servitium Capellæ meæ, ibidem in Burnehem Domino dedicavi.

NOMINA autem Testium subscribi fecimus.

Signum Ansboldi Præpositi.

S. Fulcardi Decani.

S. Ogeri Capellani.

S. Menardi Clerici, Benzonis, Theoderici, Onulfi, Winezonis, Sigeri.

Additio.* (1) BURNAHEM, vulgò *Bornhem*, celebre est & amplum Flandriæ Municipium in Wasia, cum arce ad veterem Scaldis alveum titulo Comitatûs illustratum anno 1658. à Philippo IV. Hispan. Rege in favorem D. Joannis Francisci de Coloma.

Fuit illic olim Abbatia Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini, quæ hîc memoratur anno 1101, fundata: cujus hodieque vestigia ac rudera visuntur circa Templum Parochiale.

Dein fuit anno 1120. suppressa, ac tradita Abbatiæ Affligemiensi: nunc verò est Præpositura seu Cella Benedictinorum ab eodem Monasterio dependens, habitantque illic duo tantùm vel tres Religiosi.

Est quoque Bornhemii Conventus Dominicanorum Anglorum, fundatus anno 1658. ab Eminentiss. D. Thoma Howard è Ducibus Norfolciæ, quem ob insignia virtutûm merita è Religioso Ord. S. Dominici S. R. E. Cardinalem anno 1675 creavit Clemens X. Obiit Romæ anno 1694.

(2) HAVESLESDUNCK, hodie *Hatsdonk*, Vicus Bornhemio vicinus.

(3) HINGEN. Vicus eodem in tractu in Diœc. Gandensi, Baroniæ titulo nunc clarus.

(4) SPIRINGA, fortè *Spirinckbroeck* hodie.

(5) BUCHOLT, nunc *Buggenhoudt*, ut suspicor; Vicus olim Nassaviæ gentis, deio erectus in Principatum sub titulo Bournonville anno 1658. in favorem Alexandri de Bournonville, Comitis de Hennin. Fuit illic olim Cella seu Prioratus Monachorum Cœnobii Affligemiensis. Additio.

CAPUT XLVI.

Bornhemiensis Abbatiæ fundationem ac dotationem, à VVenemaro factam, MANASSES *Cameracensis Episcopus approbat, anno* 1101.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego MANASSES, servus servorum Dei, gratiâ Dei Cameracensium Episcopus, Ecclesiæ filiis, ubicumque locorum manentibus, salutem & Episcopalem in Christo benedictionem.

OMNIBUS fide Catholicâ præmunitis ut pateat desidero, quoniam Ecclesiam apud *Bornehem* cum suis appenditiis, amoris Dei gratiâ, & post Deum WENEMARI Gandensis Castellani, libertate donavi: ita ut fraternitas regularis inibi vigeret & maneret ab omni jugo seculari nunc & in perpetuum absoluta.

Bornhem.

ET ne posteros lateat ipsius rei principium, altiùs & uberiùs rem exprimere censemus idoneum.

WENEMARUS prædictus Castellanus omnes decimas de *Santforde* ad Bornehem pertinentes, pro uxoris suæ anima LUDGARDIS, suaque, omniumque suorum parentum, ad opus Fraternitatis, meo consensu, donavit & stabilivit.

LOCUM etiam nomine *Scele* in Wallam ad pisces, nec non etiam totum prædium, quod ab Abbate S. Laurentii Leodiensis in *Bucholt* emit, eidem Ecclesiæ dedicavit in Domino, munitum & impressum nostri sigilli patrocinio.

NOTANDUM etiam unum mansum inter

Gestlandt

Westlandt & *Bruchlandt* eum ibidem dedisse.

STATUIMUS etiam Episcopali edicto, ut ipsa Fraternitas inter se canonicè eligat Prælatum, quem Episcopus curâ vestiat animarum. Statuimus quoque oleum infirmorum, oleum Baptismatis, & sanctum Chrisma ab Episcopo vel à Ministris ejus, eis nullatenus abnegandum.

DECERNIMUS ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut de rebus ei datis aut dandis aliquid invadere. Quod si quis fecerit, nisi priùs emendatus satisfactione fuerit, æterni anathematis vinculo subjaceat.

CONCESSIO quidem ab ipso Episcopo hujus affirmationis novissimè facta & sancita est Gandavi VI. Nonas Octobris. Actum ab Incarnatione Domini millesimo centesimo primo anno, regnante Philippo Francorum Rege, Episcopante Manasse Cameracensi Pontifice, Roberto, Roberti filio, in Comitatu agente; præsentibus Testibus, hîc subscriptis. 1101.

Signum Rodulphi, Archidiaconi.
S. Erleboldi Præpositi.
S. Adelberonis Decani.
S. Tancradi Abbatis Eihamensis.
S. Fulgentii Abbatis (1) novi Monasterii. Affligheni.
S. Lamberti Abbatis Crispiniensis.
S. Alberti Abbatis Hasnoniensis.
S. Snellardi Abbatis * Dicleveneensis. * Nunc Gerardimontensis.
S. Sigeri Abbatis (2) S. Petri.
S. Ulfrici Abbatis S. Bavonis.
S. Watelini Præpositi.
S: Awoldi Præpositi.
S. Lamberti Tornacensis Archidiaconi.
S. Stephani de Bolar. * * Vel Bouters.
S. Walteri de Brosella. * * Vel Bruxella.
S. Astrici de Monte.

Ego Anselmus Episcopi Cameracensis Cancellarius scripsi & subscripsi.

(1) NOVI MONASTERII, hoc est, Affligemiensis Monasterii primus Abbas Fulgentius.

(2) S. PETRI in Monte Blandinio, prope Gandavum.

CAPUT XLVII.

Aquarum Curtarum Abbatia in Artesia, non procul ab Aroasia, per ODONEM *Presbyterum & Eremitam, instituitur, & à* LAMBERTO *Atrebatensi Episcopo confirmatur, anno* 1101.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, amen. Ego LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, gaudens de religiosa conversatione & eremitica tua, reverendissime Frater & Conpresbyter ODO, desiderio desideramus paci & quieti tuæ, tam præsentibus temporibus quàm & futuris, providere.

UNDE justas petitiones tuas, & Balduini Decani nostri pio affectu prosequentes, & te, & Successores tuos, religiosè & canonicè inibi victuros, hâc donamus libertate, ut tantummodo Episcopo respondeatis, & in manu ejus, in libertate spiritûs permaneatis.

ECCLESIAM itaque illam, quam devotio tua ædificavit in loco solitudinis, qui dicitur (1) *Aiulcurtis*, tibi & Successoribus tuis, in proposito religionis perseverantibus, liberè possidendam contradimus, & curam animarum Confratrum tuorum Eremitarum tibi committimus, & decimam agri eidem Ecclesiæ circumjacentis, quam Fratres Eremitæ incolunt, annuimus. Eaucourt.

ROGAMUS autem in Domino tam præsentes Fratres nostros, quàm & Successores Episcopos nostros, & sanctorum Canonum authoritate interdicimus & nostrâ, ne quis hoc donativum libertatis violare aut corrumpere præsumat. Si quis scienter hujus nostræ institutionis privilegium infregerit, excommunicationi subjaceat, quoad usque resipuerit, & Ecclesiæ Dei satisfecerit. Fiat, fiat, à Synodo acclamatum.

ACTUM Atrebati in Synodo in Ecclesia B. Mariæ semper Virginis, anno Dei Christi MCI. Indictione VII. XVII. Kal. Novembris. 1101.

CA-

(1) AIULCURTIS. *Eaucourt* vulgo nuncupant, id est, *Aquarum Curtarum*, primo lapide à Bapalma, viâ Ambianensi in Diœcesi Atrebatensi non procul ab Abbatia Aroasiensi, ejusque Congregationi olim subjectum. Primi incolæ Cœnobii Aquarum Curtarum fuêre Eremitæ.

Ex ore Canonici Regularis illius loci anno 1628. accepi, ibi nullam restare memoriam Odonis Fundatoris, ob Monasterium sæpe exustum à Francis.

Abbas d'*Eaucourt* est Comes de Courcelles (vulgò *Courcelles le Comte* apud *Eaucourt*) Dominus de *Ligny*, *Walencour*, Præpositus & Dominus de *Meerssen*, (seu *Marsana*, de quâ vide supra Codic. Donat. Piar. Cap. 37. & 97.) *Clemmen*, *Beke*, &c.

CAPUT XLVIII.

Prioratus S. Georgii, *prope Hesdinium Artesiæ oppidum, Abbatiæ Aquicinctinæ attribuitur, & à* Paschali II. *Papa id confirmatur, an.* 1112.

Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio (1) Aluiso, Abbati Aquicinensis Monasterii, ejusque Successoribus regulariter substituendis.

Officii nostri nos hortatur auctoritas, pro Ecclesiarum statu sollicitos esse, & quæ rectè statuta sunt, stabilire. Proinde venerabilis Fratris nostri Joannis Morinensis Episcopi cessionem vobis vestroque Monasterio factam, litteris præsentibus confirmamus.

Is enim B. Georgii Martyris Ecclesiam, juxta castrum Hesdinium sitam, tibi tuisque Successoribus, in Cellam omni tempore possidendam concessit, & assertione chirographi confirmavit, cum omnibus videlicet terris, pratis, silvis, aquis & molendinis, vel aliis quibuscumque reditibus, quæ tam ab (2) Ingelramno Comite,& Ernulfo Hesdinensi, & Nicolao Milite, quàm & ab aliis fidelibus eidem Ecclesiæ collata sunt. Siquidem idipsum Prædecessor suus, bonæ memoriæ Gerardus, Canonicorum Ecclesiæ suæ consilio & voluntate, concesserat.

Idipsum igitur & nos præsentis Decreti auctoritate sancimus, salvâ nimirum Teruanensis Ecclesiæ justitiâ, sicut supradicti Episcopi chirographo delibatum agnoscitur. Altaria quoque duo, scilicet de *Fraisnoith* & *Huby*, sicut ab eodem Episcopo supradictæ Ecclesiæ (3) S. Georgii concessa sunt, concedimus, & Decreti præsentis auctoritate firmamus.

Porrò sepulturam ejusdem loci ab omni exactione liberam fore decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi fortè sint excommunicati, nullus obsistat......

Data Laterani XIII. Kal. Julii Indictione V. Incarnationis Dominicæ anno MCXII. ....

(1) Aluiso. Is ex Monacho Bertiniensi, ac Priore Vedastino, electus Abbas Aquicinctinus, tandem anno 1131 assumptus fuit Episcopus Atrebatensis. Obiit in Palestinâ anno 1143.

(2) Ingelramno (aliis Ingelrano) Comite Hesdinensi, qui anno 1072. Ecclesiam Alciacensem instauravit, ibidem sepultus. *Ita Chron. Alciacense.*

(3) S. Georgii Cella seu Prioratus, anno 1072. ab Ingelramno Comite, Ernulfo Hesdiniensi, & Nicolao Equite fundatus ac dotatus, hodieque floret, haut procul à ruinis seu rudcribus veteris oppidi Hesdiniensis, quod anno 1553. excisum fuit, jussu Caroli V. Cæsaris; Hesdinio novo à fundamentis, loco commodiore, contra Francos excitato.

CAPUT XLIX.

Burchardus *Cameracensis Episcopus Bornhemiensem Abbatiam, inopiâ laborantem, Fulgentio Abbati Affligemiensi, ejusque Successoribus perpetuò regendam, anno* 1120. *committit, suppressâ S. Augustini regulâ.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) Burchardus Dei miseratione Cameracensium Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

Scriptura docente, quæ ait; *Si bene feceris, scito, cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa*; ex officio Pastorali præcipuè monemur, ut erogationes nostræ auctenticis & religiosis personis adscribantur.

Nos igitur Bornhemensis Ecclesiæ, ferè ad nihilum redactæ, desolationi condolentes, venerabilem Fratrem nostrum Fulgentium, Affligimensis Ecclesiæ Abbatem, & Religiosum Ecclesiæ suæ Conventum super hac necessitate convenimus, & ut Abbatiam illam sub Regula S. Augustini annihilatam, regendam, & sub Regula B. Benedicti emendandam susciperent, monuimus, rogavimus, petivimus.

Prece itaque nostrâ tandem exauditâ, communicato Ecclesiæ nostræ consilio, præfatam Abbatiam de *Bornhem*, cum appendiciis suis *Havesledune* & *Hingen*, imò cum capellis *Kereberga* & *Rimenham* Apostolicâ auctoritate eidem Ecclesiæ confirmatis, alodiis etiam & donariis ibidem assignatis, supplicante Fratre nostro Sigefrido Bornhemensi Abbate, Fratribus quoque petentibus, tum penuriâ ingruente, tum vitæ suæ melioratione, præfatæ Affligemensi Ecclesiæ, sub regula S. Benedicti permansuram concessimus.

Cùm enim eadem Bornhemensis Ecclesia à (2) Wenemaro Gandensi Castellano alodiis & donariis quàm plurimis fundata, & à Prædecessore nostro Domino Manasse, bonæ recordationis Episcopo, emancipata, Abbate consecrato & Fratribus sub regula B. Augustini constitutis, in melius procedere debuisset, ordine penitus annullato, forinsecis commoditatibus destructis, in nihilum fere redacta est.

Ea itaque angariati necessitate, præfatam traditionem canonicè facientes, decrevimus ut prædictam

prædictam Bornhemensem Ecclesiam & libertatem, quam sub regula B. Augustini hactenus tenuerat, Affligemensis Ecclesia ulteriùs sub regula B. Benedicti liberè & inconvulsè possideat.

Altare etiam de (3) *Merbecca*, cum appendicio suo *Bergesem* sæpe fatæ Affligemensi Ecclesiæ concessimus: ad arcendas quorumlibet malevolorum importunitates, datâ Conservatoribus benedictione, in pervasores anathematis sententiam, quoad resipuerint, promulgamus, atque subsignato canonico testimonio hujus Decreti paginam sigilli nostri impressione consignamus.

Signum Domini Gualteri Archidiaconi.
S. Rudolphi Archidiaconi.
S. Anselli Archidiaconi.
S. Theodorici Archidiaconi.
S. Erleboldi Præpositi.
S. Hadeguini, Widonis, Radulphi, Errardi, Hugonis, Lamberti, Mazelini, Gualteri, Bernardi, Giranni, Hugonis, Canonicorum.

Actum anno Incarnationis Verbi millesimo centesimo vigesimo, Indictione XIV. Pontificatûs verò Domini Burchardi quinto. 1120.

Ego Guirimboldus Cancellarius scripsi & subsignavi.

Vide pag. 97. in Notis. (1) Burgardus. Seu Burchardus Cameracensis Episcopus anno 1130. vivere desiit; ut Waterlosius ipsi coætaneus in Chronico ms. Cameracensi, itemque Dodechinus testantur.

(2) Wenemaro. Vide litteras Fundationis à Wenemaro factæ, supra cap. 45. & 46. horum Diplom. Belg.

(3) Merbecca. Vicus inter Bruxellas & Lovanium, cui vicinus est *Bergesem* hodie *Beyssem*.

CAPUT L.

Calixtus II. *Papa, petente Sorore suâ Clementiâ, Flandriæ Comitissâ, anno* 1121. *firmat Bornhemiensis Ecclesiæ regimen Affligemiensibus commissum.*

Calixtus secundus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fulgentio Abbati, Affligimensis Monasterii, quod ad honorem B. Petri Apostolorum Principis in Cameracensi Diœcesi situm est, ejusque Successoribus, regulariter substituendis, in perpetuum.

Quæ religionis intuitu statuuntur, inconvulsâ debent stabilitate servari. Siquidem Venerabilis Frater noster Burgardus, Cameracensis Episcopus, consilio & assensu Archidiaconorum ac reliquorum Clericorum Ecclesiæ suæ, consilio etiam & hortatu Venerabilis Fratris nostri Rodulphi Remensis Archiepiscopi, (sicut in eorum missis ad nos litteris continetur) nec non & rogatu & supplicatione Sifridi Bornhemiensis Abbatis & Fratrum suorum, Affligimensi Monasterio Bornhemensem commisit Ecclesiam; ut in ea deinceps Monastici ordinis disciplina, per Dei gratiam, habeatur.

Olim quidem in loco eodem Ordo fuerat Canonicus institutus; sed guerris supervenientibus, tantâ paupertatis inopiâ coarctatus est, ut neque Ordinem Canonicum conservare, neque per se in Ecclesiastica quoque posset honestate persistere.

Nos itaque tam prædictorum Fratrum, quàm & Sororis nostræ (1) Clementiæ, Flandriensium Comitissæ, quæ ipsius loci dispensatrix est, petitionibus annuentes, & de religione vestra plurimùm confidentes, prædictæ Bornhemensis Ecclesiæ commissionem præsentis privilegii paginâ confirmamus.

Statuentes, ut auctore Deo, in Affligimensis Monasterii unitate ac subjectione, sub regula monasticæ disciplinæ, in perpetuum perseveret, ita nimirum libera & quieta, sicut antea in Ordine Canonico fuerat, cum Altaribus de (a) *Havesdunc*, *Hingem*, (b) *Kereberga*, (2) (c) *Rimenham*, (d) *Merebecpa*, & cum omnibus quæ in præsenti legitimè possidet, vel in futurum largiente Deo, justè atque canonicè poterit adipisci.

(a) Haesdonck. (b) Keerberge. (c) Rymenan. (d) Meerbeke.

Nulli ergo omnino hominum facultas sit, præfatam Bornhemensem Ecclesiam à dispositione vel subjectione vestri Monasterii removere, seu quâlibet occasione subtrahere, possessiones ejus auferre, vel temerariis vexationibus fatigare: sed ita sub vestro Monasterio maneat, sicut à prædicto Fratre nostro Burgardo, Diœcesano Episcopo, constitutum, & ipsius chirographo confirmatum est.

Si qua igitur in futurum cujuslibet dignitatis ordinisve persona, nostræ hujus Confirmationis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, honoris & officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur; nisi præsumptionem suam dignâ satisfactione correxerit.

Qui verò conservator exstiterit, Dei omnipotentis, & Apostolorum ejus Petri & Pauli bene-

(1) Clementia Guilielmi Burgundiæ Comitis filia, Calixti II. Pontificis Romani soror, primùm Roberto II. Hierosolymitano, Flandriæ Comiti, pòst Godefrido Barbato, Lotharingiæ Brabantiæque Duci, nupta fuit.

(2) Rimenham, nunc *Rymenham*, Pagus est sub præfectura Arculæa ad Diliam fluvium, primo lapide à Mechlinia, cui vicinus est Pagus de Keerberghe.

benedictionem, & gratiam consequatur, amen, amen, amen.

Ego Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus laudavi.

Datum apud S. Petrum, per manum Chrysogoni, S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Bibliothecarii. III. Februarii, Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno millesimo, centesimo vigesimo primo, Pontificatûs autem Domini Calixti II. Papæ, tertio. 1121.

CAPUT LI.

Godefridus Barbatus, *Lotharingiæ Brabantiæque Dux, Montem S. Guiberti in favorem Abbatiæ Gemblacensis immunitate ac privilegiis an.* 1123. *honorat.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Godefridus, gratiâ Dei Comes Lovaniensis, Dux Lotheriensis, omnibus veritatis amicis.

Sit notum vobis, quia diebus meis & (1) Anselmi Gemblacensis Abbatis, juxta villam, quæ *Betrius* dicitur, erat locus, qui nunc (2) Mons S. Guiberti de nomine ejus cognominatur. Mons quidem incultus, sed munitioni aptus, prædium Gemblacensis Ecclesiæ erat, & Ecclesia, quæ in eo fuerat, jam multo tempore destructa erat: sed tamen secundùm quantitatem suam, quod Leodicensi Ecclesiæ debebat, tempore congruo persolvebat.

Mons S. Wibert.

Abbas & Monachi, & familia Ecclesiæ timentes, quod timendum erat, scilicet ne quâcumque occasione injustus pervasor locum invaderet, & munitione ædificatâ vicinos, & maximè familiam Ecclesiæ affligeret, habito mecum consilio, feriâ quartâ Paschæ, feretrum S. Guiberti, cum reliquiis, illuc deportaverunt, & Deo cooperante, & per beatum Guibertum infirmis multam sanitatum gratiam largiente, Ecclesiam, ut cernitur hodie, ædificaverunt, multo sumptu & labore: ut locus ille non habitatio vastatoris, sed domus esset Salvatoris.

Gaudebam actum meo consilio, ut mihi in Gemblacensi Cœnobio esset ad Deum frequens oratio, & unde vicinis non perturbatio, sed animarum & corporum esset consolatio. Cùmque propter pacis & concordiæ unitatem, multi illuc convenirent, & ad habitandum sibi domos construerent, iterum habito consilio cum amicis meis & cum supradicto Abbate, & familia Ecclesiæ, decrevi, ut locus ille cum oppido Gemblacensi jus legale & consuetudinarium in omnibus haberet. Uno me excepto, nullus ibi quidquam juris haberet; Advocatum nullum, nisi me susciperet; per Abbatem & per me, si necessitas exigeret, componenda componerentur, corrigenda corrigerentur.

Quamvis autem ego, sicut Antecessores mei, per manum Imperatoris sim constitutus Advocatus Gemblacensis Cœnobii, tamen ut omnimodo esset rata mea constitutio, adhibita est etiam Leodicensis Episcopi talis confirmatio, ut si ego vel aliquis Successorum meorum quod constitutum est mutaverit, anathema sit. Amen. Amen.

Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo tertio, Indictione primâ, epactâ vicesimâ secundâ, Domino Alberone, primo hujus nominis, Leodicensium Episcopo. 1123.

(1) Anselmus Abbas Gemblacensis, is fuit, qui Sigeberti Gemblacensis Monachi, Chronicon ab anno 1112. usque ad annum 1149. continuavit: quod Auctarium, cum ipso Sigebertino Chronico, inferiùs subsequentur.

(2) De Monte S. Guiberti vide citatum Anselmi Chron. anno 1123. Item suprà cap. 18. Dipl. Belg.

CAPUT LII.

Henniacensis Ecclesia (quæ est hodie Canonicorum Regularium Abbatia, in Diœcesi Atrebatensi) ab omni seculari potestate liberatur, anno 1123. *per* Carolum Bonum *Flandriæ Comitem.*

In nomine Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen.

Ego Karolus, Dei gratiâ Flandrensium Comes, notifico omnibus Christianis, tam futuris quàm præsentibus, quòd Balduinus Dapifer meus, & Balduinus, filius Lethardi, & uxor ejus Gerberga, concessione Arnulphi de Arda, Ecclesiam S. Martini de (1) Henniaco (quæ hactenus sub eorum potestate, quasi ancilla vænalis & misera lugebat) divino instinctu inspirati, ob remissionem peccatorum suorum, ab omni seculari potestate absolutam & liberam fecerunt, eamque Deo & S. Martino, ac Domino Stephano, ejusdem Ecclesiæ Abbati, ejusque Successoribus, ibidem Deo secundùm regulam B. Augustini, & Instituta Ecclesiæ S. Nicolai de Aridaga-

* Arouasiæ.

dagamantia* victuris, disponendam & ordinandam liberè reddiderunt.

Hanc igitur libertatem & donationem, ob remissionem peccatorum meorum, concedo, & sigilli mei impressione confirmo. Hujus verò confirmationis Testes sunt,

Robertus Advocatus, *

Guillermus filius ejus,

Guillermus nepos præfati Comitis....

* Atrebatensis, Dominus Betuniæ.

Hæc Charta data est apud Atrebatum à præfato Comite III. Idus Decembris, anno Domini MCXXIII. 1123.

Additio. ABbatia Henniacensis, S. Martino sacra, secundo lapide à Duaco, fundata fuit anno 1040. à Roberto Advocato Atrebatensi, *qui de remedio animæ suæ tractans, consilio Gerardi Episcopi Cameracensis, duodecim Canonicos inibi deputavit.* Ita Chronicon Cameracense. Sed Canonici facti sunt demum Regulares anno 1094. suadente Lamberto Episcopo Atrebatensi, ac paulò post uniti Celeberrimæ Congregationi Aroasiensi, de quâ superiùs Cap. 40. Vide etiam Origines Canonicorum Regularium.

(1) Henniacum vulgò *Hennin Lietard*, amplum est Arteliæ Municipium, jure Oppidi gaudens; à quo nobilissima familia Hennina nomen traxit. Henniacum titulo Comitatûs ornavit anno 1579. Philippus II. Rex Catholicus, & possidetur nunc à Duce Bournonvillio.

Additio. Stemma familiæ Comitum de Hennin & Bousso vide apud Miræum in Chronico Belgico ad annum 1554. Ex ea ortus est Eminentiss. D. Thomas Philippus de Alsatia, hodie Mechliniensium Archiepiscopus IX, anno 1719, creatus S. R. E. Cardinalis.

CAPUT LIII.

(1) Folcoldus *Bernæ Dominus, ejusque uxor Bessela, fundant Abbatiam Bernensem, Ordinis Præmonstratensis, in confinibus Hollandiæ & Brabantiæ. Id suo Diplomate Andreas Episcopus Ultrajectinus firmat anno* 1134.

IN nomine Domini, amen. Andreas misericordiâ Dei, quâ vocat ea quæ non sunt, Ecclesiæ Trajectensis Episcopus.

Quo studio, quâve sollicitudine sit invigilandum his, qui sibi nihil reliquerunt, ut nudi sequerentur nudum Christum, pietas fidelium novit, quæ pelles animalium tanquam potestates sublimes, ad excipiendas tempestates, tabernaculo suppofuit, quatenus intra tabernaculum purpura contemplativorum tranquillâ pace respondeat, & lumen honestæ vitæ circumquàque diffundat.

Et nos igitur, pro posse nostro, hoc æmulantes, præsenti scripto, præsentibus & posteris edicimus, quod Folcoldus de (2) Berna, vir liber & dives, sed & uxor ejus Bessela, inspiratione Dei, sanè intelligentes, cedros Libani, quas plantavit Dominus, nidum habere passeribus, ad honorem Dei, & Theotocos beatæ Virginis Mariæ, Abbati Roberto de (3) Insula ejusdem beatæ Matris, ipsam Bernam cum omnibus suis appertinentiis; (4) *Maesmond* quoque cum omnibus suis attinentiis, nec non & (5) *Erthepe*, quæ est in (6) Tessandria, cum omnibus suis attinentiis, sed & *Altfurge*, cum omnibus suis attinentiis, item etiam (7) *Mersberch* cum omnibus usibus suis, quos in seculo viventes inibi jure obtinuerunt, per manus nostras tradiderunt.

Abbas autem præmemoratus ex Canonicis

(1) FOlcoldus Comes Testrebandiæ, quæ comprehendebat *Bommelweert*, *Tielerweert*, *Heusden*, &c. fuit Bernæ Conversus seu Laicus, ibidem sepultus.

(2) Berna Canonicorum Regularium Ordinis Præmonstratensis Abbatia, primo lapide à Silva-Ducis Brabantiæ Urbe Episcopali, olim stetit: nunc jacet, per Calvinianos excisa. Abbas porrò cum Sodalibus suis Silvam-Ducis domicilium transtulit. Hodie Vilvordiæ residet cum paucis Religiosis; ceteri sunt in Pastoratibus in Diœcesi Sylvæ-Ducensi.

(3) Insula B. Mariæ vulgò *Marieweerdt*, præclara quondam ejusdem Ordinis Præmonstratensis Abbatia, septimo lapide à Berna, per eosdem Religionis avitæ hostes deleta, similiter suos nunc cineres spectat. De illius origine, lege in Chronico nostro Præmonstratensi.

(4) Maasmond, *Maesmonda*, vicus ad Mosam (ex opposito Littoy) hodieque Diœcesis Ultrajectinæ, ubi fuit Monasterium Virginum Ordinis Præmonstratensis fundatum à Bessela Folcoldi Conjuge, ibidem sepulta. Sed desiit Monasterium & bona habuerunt Bernenses.

(5) Erthape seu *Aertdepe*, non agnoscitur à Bernensibus modò, quia in initio à morte Domini Folcoldi Abbas Everardus inter alia multa coactus fuit *Aertdepe* cum suis attinentiis transferre & resignare consobrino Folcoldi, *Gerardo Brenwe*, qui infestabat Monasterium Bernense & Monasterium Sanctimonialium in Woort. Tamen creditur esse *Aertdepe* dominium inter Mosam & Wahalim.

(6) Tassandria seu Taxandria, nunc *Peelandt*, cum vicino tractu Campaniæ Brabantinæ ac Leodicensis. Hinc *Tessenderlo*, amplum municipium in Brabantiæ & Leodicensis agri confinibus, secundo lapide à Disthemio Oppido situm.

Cujus loci Ammianus Marcellinus meminit: Anno Christi 358. Julianus Cæsar (cognomento Apostata) Lutetiâ Parisiorum, ubi hiemaverat, discedens, contendit adversùs hostes, petitque (inquit) primos omnium Francos, videlicet, quos consuetudo *Salios* appellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam * locum habitacula sibi figere, prælicenter. Cui, cùm Tungros venisset, occurrit legatio prædictorum, opinantium reperiri Imperatorem etiam tum in hibernis; pacem sub hac lege prætendens, ut quiescentes eos tanquam in suis nec lacesceret quisquam, nec vexaret.

* Id est, Regionem, juxta Cluverium, h. e. de Taxandria.

Ex qua Amm. Marcellini narratione discimus, *Francos Salios*, Juliani Apostatæ ævo, in Taxandria, & vicino Tungrorum tractu sedes suas habuisse, indeque progressos, totam paulatim Galliam, pulsis Romanis, occupasse.

(7) Maaseberch, seu *Mersbergh*. Vicus in quo olim fuit Præpositura Religiosorum Bernensium, situs in ditione

-cis suis Abbatem idoneum excipiens, superadditis ei conservis & commilitonibus Dei, prædictæ Bernæ per manus nostras imposuit, Ecclesiamque illam ab omni sua vel Successorum suorum obedientia, & commodo temporali penitus absolutam nostro regimini & obedientiæ substituit, nihil juris aut respectûs in Ecclesia sibi prædicta reservans: præterquam si minùs ordinatè quid egerint, coadjuvante tunc loci præsente Abbate, commonitione fraternâ, secundùm tenorem matricis Ecclesiæ, corripiat & emendet.

Nos item prædictam Ecclesiam, ab omni tam nostra, quàm fidelium nostrorum exactione liberam, ex hoc nunc edicimus & facimus, nihil excipientes, præter orationes & obedientiam filialem.

Sepulturam etiam & inunctionem infirmorum suorum tantùm, sed & ipsum oleum, secundùm quod Ecclesiæ de Insula prædicta concessimus, concedimus & isti.

Absque consensu verò aut conductu Sacerdotum comprovincialium, nullum ex ipsorum Parochianis excipient mortuum, vel sepelient.

Et ne quid contractum legibus hæc inscriptio minùs habeat, tempus ac testes assignavimus, & sigilli nostri impressione firmavimus; multiplicationem in omni benedictione qui ad prædictam Ecclesiam ea quæ justa sunt custodiunt, invasoribus autem manus anathematis & æternæ damnationis obtendentes.

Et hæc quidem gesta sunt Unigeniti æterni anno Incarnationis millesimo centesimo tricesimo quarto, Indictione XII. anno verò Lotharii decimo, Imperii secundo ejusdem, Episcopatûs autem mei septimo, præsentibus Testibus subscriptis; 1134.

Harberto Majoris Ecclesiæ Præposito,
Luberto ejusdem Ecclesiæ Decano,
Hermanno Præposito S. Bonifacii,
Luberto Decano de S. Petro;

Canonicis.

Ottone, Ascellino, Alardo,
Conrado, Alberone, Chrysantho,
Blitero, Guilelmo.

Liberis Hominibus,

(8) Arnoldo Juvene Comite de Clive.
Gerungo de Asper.
Guilelmo Filio Comitis Guilelmi.

Ministerialibus,

Hereboldo, Rutherico, Giselberto.
Alphardo Sculteto, Arnoldo Castellano.

Ultrajectina secundo lapide ab Amersfurto. Fuit illius loci Dominus Folcoldus & extat ibidem *Folkers-bergh*.

(8) Arnoldus juvenis Comes de Clive. Antiquitatum Clivensium studiosi notent. Arnoldum Comitem Clivensem anno Christi 1134. juvenili ætate floruisse.

CAPUT LIV.

Godefridus Barbatus, *Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ Dux, anno* 1134. *fundat Præposituram Capellensem, quæ est Benedictinorum, olim extra, nunc intra muros Urbis Bruxellensis.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Godefridus Lotharingiæ Dux, ab Ecclesiarum Doctoribus intelligens omnium hominum salutem in eleëmosynarum largitione plurimùm constare: Principibus verò hujus seculi, utpote qui amplius acceperunt à Deo, ut retribuant ei, idipsum magis congruere, eò quòd eleëmosyna peccatum exstinguat, & animam vivificet; & quia Prophetæ Danielis testimonio, Rex quondam ille Babylonicus eleëmosynis à peccatis redimi potuisset, si tamen acquievisset doctrinis horum & exemplis; operam dedi, & quorumdam fidelium meorum salubri usus consilio, quæ aure perceperam, opere adimplere curavi.

Denique causâ salutis animæ meæ, patrumque meorum ac filiorum, allodium quoddam meum, Bruxellæ Opido adjacens, & Capellam in eo ad honorem Dominici Sepulcri, Dominique Genitricis Mariæ constructam, cum omnibus suis appendiciis (1) Parvino Abbati ac Monachis S. Sepulcri Cameracensis Ecclesiæ in eleëmosynam dedi: in tantum videlicet liberè, ut nullus Clericorum, sive Laicorum, aut potentum, illud omninò in perpetuum violare præsumat, vel sui juris aliquid ex eo vindicare queat.

Eâ tamen consideratione, ut ibidem Deo & ejus Genitrici, die noctuque obsequia divina impendantur, nec non & obitûs mei memoria, in prælibata capitali Ecclesia à Fratribus annualiter habeatur. Et ut hæc donatio mea in æternum inconvulsa permaneat, sigilli mei impressione ac legitimorum testium subscriptione, confirmo & corroboro.

Signum Godefridi Ducis.
S. Filiorum ejus Godefridi & Henrici, quorum consensu hæc peregit.

Signa Liberorum.

Henrici de Birbeca.
Willermi & fratris ejus Henrici de Dunglebergа.
Sigeri de Wavera.
S. Rodulfi Leodiensis Canonici & Capellani.
S. Waldrici Capellani.
S. Godezonis Capellani.
S. Arnulfi Clerici.

S. Franconis

S. Franconis (2) Castellani & Dapiferi de Bruxella.
S. Franconis Pincernæ de (3) Issa.
S. Arnulfi Dapiferni de Lovanio.
S. Gozewini Pincernæ.
S. Alardi fratris sui.
S. Amulrici Militis.
S. Franconis Ministri de Bruxella, cujus labore & industriâ hæc suggesta sunt.
S. Radulfi fratris ejus.
S. Gozewini Ministri.
S. Henrici Monetarii.

Signa ceterorum fidelium meorum de mea Curia.

Signa quorumdam Nobilium.

Walteri Rodesloc & filiorum ejus.
Walteri Anglici.
Stephani Duri.
Hugonis Rampart.

ACTUM apum ISSAM mense Decembri XIII. Kalend. Januarii, anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIV. Indictione XIII. Imperii verò Domini Lotharii Regis anno IX. & IV. Liethardi Cameracensis Episcopi. 1135

DOnationem istam idem Godefridus Dux confirmavit anno MCXXXVIII. Indictione II. epacta XVIII. Concurrente V. Imperii Conradi Cæsaris Augusti primo, Præsulatus Nicolai Cameracensium Episcopi secundo.

Additio. (1) PARVINUS, fuit quartus Abbas S. Sepulchri Cameraci, de cujus fundatione supra agitur Cap. 35. Diplom. Belg. Erat antea Religiosus S. Vincentii Laudunensis, positusque fuit in locum Fulberti Abbatis, depositi ob malos mores anno 1130. per Rainaldum de Pratis Archiepiscopum Remensem. Factum approbavit S. Bernardus Epistolâ 28.

Porrò eandem Præposituram B. M. de Capella hodieque tenet Abbas S. Sepulcri, & ad eandem solet mittere duos tresve Religiosos, qui pulchram illic domum inhabitant juxta templum. Quin & Abbas isto titulo confert Pastoratum & Capellanias ejusdem Ecclesiæ. Vide infra Origines Cœnobiorum Benedictinorum.

(2) CASTELLANUS Bruxellensis, Domum ac jurisdictionem amplam habet, in loco dicto *Borgendael*, juxta Palatium Principis & Abbatiam Frigidi Montis Bruxellæ.

(3) ISSA. Sic in Manuscriptis exemplaribus passim. Designatur autem, ut arbitror, * patria Justi Lipsii, amplum Brabantiæ municipium, secundo lapide à Bruxella situm.

* Issa superior vel *Over-Issche*.

CAPUT LV.

Canonicorum Antverpiensium migrationem, seu translationem ex Basilica S. Michaëlis ad Basilicam S. Mariæ, anno 1124. *auctoritate Burchardi Cameracensis Episcopi factam,* LIETARDUS *ejusdem Urbis Episcopus confirmat anno* 1135.

Collatum cum Ms.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. LIETARDUS divinâ favente clementiâ, Cameracensis Episcopus, omnium tam futurorum quàm præsentium generationi in perpetuum.

QUIA commissis nobis Ecclesiis vigilanti curâ nos semper intendere, nostræ saluti necessarium non dubitamus, non solùm à Prædecessoribus nostris retroacta benè disposita corroborare, verùm etiam ex rebus dispositioni nostræ concessis augmentare, nostræ salvationi congruum speramus.

QUAPROPTER Ecclesiam B. Mariæ Dei Genitricis in Burgo Antwerpensi sitam, ab Ecclesia S Michaëlis in eodem Burgo fundata, per Prædecessorem nostrum (1) Burchardum Episcopum, faventibus, imò petentibus ejusdem Ecclesiæ Præposito & Fratribus, cum integritate Præposituræ & beneficiorum, videlicet prædiis seu mancipiis, quæ usque ad hæc tempora Ecclesia illa possederat, nec non cum omnibus appendiciis, Capella scilicet (2) S. Walburgis, quæ est in eodem Burgo, & Capella *Ortheren, Berendrecht, (3) Linlo, (4) Zantfliet, atque omnibus, quæ infra ambitum præfatæ Parochiæ continentur, decimis, translatam, nos quoque, sicut prædictus Prædecessor noster ordinavit, approbantes, nostræ auctoritatis testimonio confirmamus.

* Ordeen.

DECRETUM est siquidem in priori memorati Pontificis privilegio, ut Præpositus Ecclesiæ S. Mariæ, à Fratribus canonicè electus, Canonico & Catholico Cameracensium Episcopo præsentatus, curam Canonicorum de manu ipsius sine contradictione suscipiat, & more Cameracensium Præpositorum debitam ei obedientiam exsolvat.

AD hanc sanè Canonicorum institutionem perpetuò muniendam, eamdem ligandi solvendique potestatem, quam Mater nostra Cameracensis Ecclesia in pervasores suos habet, persæpè dictæ Ecclesiæ S. Mariæ in malefactores suos concedimus. Parochiales verò Sacerdotes ipsorum, à Præposito & Canonicis substitutos, curam à nobis seu Ministris nostris suscipere decernimus.

PETITIONE nec minùs GODEFRIDI gloriosi

(1) BURCHARDI, Cameracensis Episcopi Diploma de Translatione Canonicorum Antverpiensium ex Templo S. Michaëlis ad Templum B. Mariæ, quod nunc est Cathedrale, exstat in nostro Codice Donationum Piarum cap. 77.

(2) S. WALBURGIS, Capella, in veteri Burgo Antverpiensi sita, honore Parochialis Ecclesiæ anno 1478. per Sixtum IV. Papam aucta est, petentibus Canonicis Antverpiensibus.

(3) LINLO, hodie *Lillo* Fortalitium Statuum Fœderatorum ad Scaldim Fluvium, tertio lapide ultra Antverpiam.

(4) SANTFLITUM mœnibus cinctum ab Hispanis an. 1628.

gloriosi Lotharingiæ Ducis & Marchionis, duas partes manipulorum decimæ ad Antwerpiam, & universum ejus Parochiæ ambitum pertinentes, à Prædecessore suo illustris memoriæ * GODEFRIDO Duce & postea Jerosolymitano Rege, Ecclesiæ S. Michaëlis traditas, quia minùs justè ipse eas subtraxerat, eidem Ecclesiæ recognovit, & per manum felicis memoriæ Henrici quarti Romanorum Imperatoris Aug. assignatas, Prædecessoris quoque nostri privilegio in Translatam S. Mariæ Ecclesiam confirmatas, nec non Serenissimi LOTHARII tertii Romanorum Imperatoris invictissimi Chartâ in eadem Ecclesia corroboratas, nostri etiam Decreti auctoritate in eadem munimus.

* Godefridus Bullonius.

PRÆDICTI verò Fratres sæpe dictæ Ecclesiæ S. Mariæ, in quorum dispositione ex dignitate & tenore prioris libertatis, tota Antwerpensis pendebat & pendet Parochia, transacto non multo tempore, Fratres qui in Ecclesia B. Michaëlis, sub Regula S. Augustini deserviunt, ut commissum sibi onus humero mutuæ fraternitatis secum portarent, per Dominum (5) NORTBERTUM, summæ Religionis & ejusdem vitæ Professionis virum, ad se vocaverunt, eique Ecclesiam S. Michaëlis supradictam liberam contradentes, ad eam, in qua nunc Domino serviunt, gloriosæ Dei Genitricis Mariæ Ecclesiam, cum integritate Præposituræ & beneficiorum, ut præmissum est, transierunt.

S. Norbertus.

UT autem eos pondus diei & æstus secum portantes consolationibus concessorum sibi beneficiorum confoverent, conservatis in suos usus, Natalitii Christi die, & Purificationis S. Mariæ, exceptis quæ in eodem die ibi offeruntur candelis, Paschæ quoque, seu Ascensionis, Pentecostes, sive omnium Sanctorum, nec non omnium Commemorationis animarum oblationibus: reliquas S. Michaëlis Fratribus, atque Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ, sub eodem conditionis tenore, (6) Sororibus per omne tempus concesserunt, mutuam in invicem orationum communicantes, & in perpetuum conservantes fraternitatem, & in omnibus necessitatibus auxiliandi caritativam supportationem.

CUPIENTES præterea sibi & suis Successoribus pacis unitatem servare & relinquere, quia sepeliendi in utroque cœmeterio concessa est licentia, statutum est, ut quicumque infirmus ex parochianis Antwerpensibus, sub regula memoratorum Fratrum S. Michaëlis Deo deservire desiderat, licentiam à parochiali Sacerdote S. Mariæ sine contradictione accipiat, & si vivens ad eos introierit accepto ipsorum habitu, exequiarum funeris oblationes, Fratres S. Michaëlis, ad quos transit, habeant: sin autem, sicut de omnibus aliis parochianis, ad Fratres S. Mariæ redeant.

COMMUNICARE quoque infirmos & oleo inungere, nisi qui in suæ vitæ habitu inveniuntur, Fratribus S. Michaëlis non licebit.

BAPTISMUS autem celeberrimi temporis Paschæ & Pentecostes in utraque servabitur Ecclesia. Reliquo verò tempore parochialis Sacerdos S. Mariæ baptizandis providebit.

PRO commemoratione itaque suæ libertatis utraque Ecclesia parili libertatis donatione ornata persolvet Cameracensi Canonico & Catholico Præsuli aureum nummum Antverpensis monetæ ac ponderis, singulis annis in festo S. Lucæ, universo prioris exigentiæ & justitiæ dimisso debito.

QUÆCUMQUE ergo Pontificum seu Principum largitione, imò quorumlibet fidelium collatione memoratis Ecclesiis oblata sunt, vel ulteriùs conferentur, hujus nostri Decreti munimento eisdem, ad usus Canonicorum, confirmamus.

NE qua verò canonica secularisve persona, processu temporis, in hanc nostri Decreti paginam spiritu nequam moveatur, collatâ conservatoribus pace, in pervasores, quoad resipuerint, anathematis exterminium promulgamus, atque nostrâ subsigillatione, & Canonicorum testium adstipulatione confirmamus.

Signum Nicolai Præpositi.
S. Gerardi Archidiaconi & Decani.
S. Joannis Archidiaconi.
S. Theoderici Archidiaconi.
S. Alardi Archidiaconi.
S. Theoderici Archidiaconi.
S. Roberti Cantoris.

Canonicorum.

Hugonis,
Gerinboldi,
Lantberti,
Guidonis,
Bartholomæi,
Vincentii,
Raduardi.

ACTUM Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo tricesimo quinto, Indictione undecimâ, Præsulatûs Domini Lietardi IV. in nomine Domini feliciter, amen. 1135.

EGO Guerinboldus Cancellarius recognovi.

C A-

(5) S. NORBERTUS Fundator Ordinis Præmonstratensis, obiit Archiepiscopus Magdeburgensis anno 1134.

(6) SORORIBUS, ut apud Brigittinos, sic & apud Præmonstratenses olim duplicia multa fuere Monasteria seu Claustra, virorum scilicet & Virginum, muris distincta,

CAPUT LVI.

THEODERICUS ALSATIUS, *Flandriæ Comes, ejusque Conjux* SUANAHILDIS, *varia prædia anno* 1136. *dant Ecclesiæ* (1) *Truncinienſi, quæ eſt Abbatia Ordinis Præmonſtratenſis prope Gandavum.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego THEODERICUS Dei gratiâ Flandriæ Comes, divinâ inſpiratione admonitus, fidelium quoque Principum, qui Eccleſias Dei fundaverunt, & rebus ſuis ditaverunt, exempla ſecutus, ob remiſſionem peccatorum meorum, & ſalutem animæ meæ, & Conjugis meæ SUANAHILDIS Comitiſſæ, Prædeceſſorumque meorum Flandriæ Comitum:

LOCUM quendam ſacræ religioni congruum, in fundo Waſiæ ſitum, inter ſilvam, quæ dicitur *Conegesfurſt* & villam *Bardamara*, nunc *Salechem* vulgò nominatum, S. Trinitati, & perpetuæ Virgini Dei Genitrici Mariæ, necnon S. Joanni Evangeliſtæ, & omnibus Sanctis omnimodis liberum obtuli, in uſus Fratrum Regularium, ſecundùm Regulam beati Auguſtini ibidem Deo ſervientium.

CONTRADIDI etiam illum locum, qui dicitur (2) *Hulſterloe*, cum ſilvis & *Moer*, & pratis, & paſcuis, & ceteris appendiciis inter prædicta loca ſitis, & uſque ad circumjacentes Parochias porrectis.

HOC autem donum feci petitione Domini (3) IWANI, ejuſdem loci Fundatoris, hominis mei, cujus hæc feoda fuerunt.

ET quia pium eſt ſacratis Deo locis cautelam pacis & quietis providere, ſtatui ne aliquis in poſterum locum ipſum, Fratres, & homines ad eos pertinentes injuſtis vexationibus inquietare præſumat.

ADDIDI etiam, ne quis Advocatiam in his prædictis datis habeat, præter Comitem Flandriæ, vel eum, qui Dominium Waſiæ tenuerit à Comite. Quod ſi & ipſe prædictos Fratres in aliquo temerè gravaverit, & admonitus corrigere neglexerit, ipſam Advocatiam in perpetuo amittat: & Fratres, & omnia ſua, poſtmodum ſub defenſione Comitis ſecuri ſubſiſtant.

DENIQUE ut hæc prædicta rata & inconvulſa maneant, ſigilli mei impreſſione, & teſtium ſubſcriptione confirmare præcepi.

Signum Rogeri Brugenſis Præpoſiti.

S. Roberti.....

(1) TRUNCINIUM, vulgo *Drongene*, Abbatia Ordinis Præmonſtratenſis, ad Liſam Fluvium primo lapide à Gandavo ſita, circa finem Sæculi XVI. per Calviniſtas atque Iconoclaſtas fuit funditus everſa. Abbas & Religioſi dudum in Urbe Gandavenſi ſuum habuerunt domicilium: ſed tandem ad proprios rediêre lares, redintegrato ſuo Cœnobio Truncinienſi.

(2) HULSTERLOE, eſt vicus Waſiæ, haut procul à Kildrechto ſitus.

(3) IWANUS, ſeu Ivanus, fuit Comes Aloſtanus, Gener Theoderici Alſatii Flandriæ Comitis. Ivani Diploma, huc ſpectans, reperies in noſtro Codice Donationum Piarum cap. *96*.

Additio. Rex Catholicus, tamquam Comes Aloſtanus, eſt Advocatus ſeu Protector Eccleſiæ Cameracenſis. Quo titulo Carolus V. Imperator arcem, ad muros Urbis Cameracenſis, in monte ædificandam curavit, adverſus Gallos anno 1540: quo loco olim ſtetit Baſilica & Collegium Canonicorum S. Gaugerici, quod in Urbem inde eſt tranſlatum.

CAPUT LVII.

Xenodochium ſeu Hoſpitale Beatæ Mariæ & XII. Apoſtolorum, in Urbe Bruxellenſi, à RIKELDE *Matrona fundatum, Tabulis* GODEFRIDI BARBATI *Lotharingiæ Brabantiæque Ducis firmatur ac roboratur, anno* 1138.

IN nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. Notum ſit tam futuris quàm præſentibus, quòd matrona quædam RIKELDIS videlicet locum quendam atrio S. Michaëlis, ſanctæque Gudilæ continuum, omnique jure hereditario liberum, in ſpem æternæ retributionis, ad uſus pauperum, Alberto Bruxellenſi Parochiano atque Canonico tribuit, in quo ipſe (1) Domum Hoſpitalitatis, in honore ſanctæ Mariæ ſemper Virginis, & duodecim Apoſtolorum, impenſâ rerum ſuarum, à principio fundavit.

CUI adhuc conſolatione temporalium carenti, quidam fidelium divinitùs inſpirati, manum benignitatis extenderunt, & partem patrimonii ſui, ad recreationem pauperum intulerunt; Faſtradis curtem unam, Frideburgis unam, Everwinus Carens bonarium culturæ, Hugo dimidium bonarium, Theodericus de Molla bonarium & dimidium, Oda, quæ dicebatur Ruſa, dimidium bonarium. Elterus quartam partem bonarii, Everwinus de Scarenbeca unum

unum bonarium prati, unum culturæ, tres modios annonæ de molendino, & partem decimæ in (2) *Haren.*

Iis se sic habentibus, & Alberto, bonæ memoriæ viro, viam universæ carnis ingresso, ego Folbertus, Christianæ Religionis Professor minimus, tam ex præcepto Godefridi Ducis Lotharingiæ, quàm exhortatione Burchardi Episcopi, & utriusque sexûs petitione populi, præfatam domum procurandam suscepi: cui sollicitudinem & laborem, ad honorem Dei & salutem animæ meæ, prout potui, vigilantiùs impendi.

Eidem Hospitali præfatus Episcopus, Deo inspirante, & nostrâ admonitione inductus, reditus Altaris, quod est in (2) *Etterbeke*, ad usus pauperum, pro salute animæ suæ, assignavit, & habendos in perpetuum canonicâ auctoritate confirmavit.

Quia verò dotes præfati Altaris, videlicet viginti unum bonaria culturæ, incuriâ præcedentium personarum, ab eodem alienatæ fuerunt, quadraginta duobus & ducentorum quinquaginta modiorum annonæ impensâ, tandem eas Ecclesiæ diligenter restituimus.

Præterea sex bonaria, quæ ad Godefridum, filium Theoderici, jure hereditario descenderant, ab eodem Godefrido, in præsentia heredum non reclamantium, novem marcis comparavimus; quibus in potestate prænotati Principis liberè traditis, præfatam domum Hospitalitatis, per manus ipsius, in præsentia multorum, iis donari imperavimus.

Iis Everwinus Dives unum bonarium, in remissionem suorum peccatorum, addidit: iis præterea unum bonarium addidimus, quod ab heredibus Franconis Lupi comparavimus.

Testes & assensum præbentes filii Ducis,
(3) Godefridus scilicet & Henricus.
Testes, Waldricus Godeza, Arnoldus, Capellani.
Leoninus Franco Castellanus,
Arnoldus Dapifer,
Egbertus de Bigardis,
Gerardus Hurat,
Giseluius Franco, Pincerna,
Henricus de Spalt,
Euwinus de Scarenbecca,
Gosuinus Clibinc, Franco Canus,
Egericus, Arnoldus de Widescat,
Goswinus, Balduinus, Meinardus, Scabini.

Actum Bruxellæ, anno Verbi Incarnati millesimo centesimo tricesimo octavo. 1138.

Ego Godefridus Dux Lotharingiæ recognovi, & sigilli mei appensione hæc inconvulsa manere volui.

(1) Hospitale istud duodecim Apostolorum, hodie est Cœnobium S. Gertrudis, prope Scalam majorem Templi S. Gudilæ, in quo nunc Moniales vivunt, cum vetulis aliquot mulierculis paupercuIis. Fuit olim Hospitale sexûs utriusque: an viri sint translati ad vicinum Hospitale, quod Bethania dicitur, civibus meis discutiendum relinquo. Cœnobium verò S. Gertrudis etiamnum prædia quædam possidet in Haren & Etterbeke.

(2) Haren & Etterbeca vici sunt Bruxellis vicini. Ex Etterbeca Albertus Pius, Belgarum Princeps operâ cujusdam Germani, anno circiter 1602. copiosissimum fontem, miro artificio molæ aquariæ, deducendum curavit in altiorem Urbis Bruxellensis partem, & in Palatium, hortos, ac Parcum ferarum Palatio adhærens.

(3) Godefridus & Henricus. Godefridus patri suo Godefrido Barbato in Lotharingiæ inferioris ac Brabantiæ Ducatu successit. Henricus Affligemii Monachum induit: ut Cap. sequenti docebimus.

Porrò Godefridus Barbatus non solum Lotharingiæ inferioris ac Brabantiæ Dux fuit, sed & Comes Lovaniensis, ut & Successores ejus. De primis Comitibus Lovaniensibus, libet hîc subnectere versus perantiquos, qui apud Jacobum Guisium in Ms. Hannoniæ Chronicis Tomo 2. libro 14. capite 40. exstant, suntque Ægidii Abbatis Trudonensis, teste Cronendalio in Namurco Ms.

Sic tua res agitur Dux (1) Karole, *sicque Ducatum*
Lotharicum perdis, dum tua regna petis.
Filius Otto *tamen tibi Dux succedit* (2) *in illo,*
Quem sibi confirmat Imperialis Apex.
Huic quoque Germanam dant Chronica scripta Sororem,
Nomine (3) Gerbergam, *quæ* (4) *mihi visa fuit.*
Hanc sibi (5) Lambertus *despondit, quem Raginerum*
Hannoniæ Comitem progenuisse ferunt.
Huic quoque successit (6) Henricus *Filius:* (7) Otto
Quem sequitur frustra; nam sine prole fuit.
Hunc quoque subsequitur (8) Lambertus, *Patruus ejus,*
(9) *Qui regit has terras Lovanioque præest.*
Nonne vides igitur quàm clari sanguinis istos
Vena venustavit? (10) *Troica quippe fuit.*

(1) Karolus, Ludovici Francorum Regis filius anno 997. ab Othone II. Imperatore primus Dux Lotharingiæ inferioris creatus fuit: teste Sigeberto in Chronico. Ludovico Francorum Rege, Stirpis Carolinæ ultimo, sine liberis anno 987. defuncto, Hugo Capetus, Comes Parisiensis, regnum invasit. Carolo ex paterna & avita successione debitum. Quod dum armis repetit, adeòque Ducatum suum Lotharicum, (ut in bello fieri solet) perdit seu vastat, per fraudem anno 990. à Capeto captus, Aureliæ ad Ligerim anno proximè sequenti obiit.

(2) In illo, supple, Ducatu Lotharico, successit Otto filius, confirmante eodem Imperatore. Obiit Otto sine liberis anno 1005. ut in Stemmatibus Belgicis cap. 13. latiùs explicui.

(3) Gerberga, Ottonis soror, successit eidem in Comitatu Lovaniensi: in Ducatu verò Lotharingiæ inferioris Godefridus Improlis. Vide hæc latiùs demonstrata in Chronico nostro Belgico ad ann. 977.

(4) Mihi visa. Itaque auctor coëtaneus fuit Gerbergæ.

(5) Lambertus cognomento Barbatus, Rogineri II. Hannoniæ Comitis filius; ut in recitatis versibus disertè legitur: quod notâ dignum. Uxor illi fuit Gerberga.

(6) HANRICUS eo nomine primus Comes Lovaniensis, Lamberti & Gerbergæ filius.

(7) OTTO infans & sine prole obiit, adeoque frustra fuit.

(8) LAMBERTUS, Baldricus, Ottonis patruus, Henrici I. Frater, Ottoni in Comitatu Lovaniensi successit, ut citato loco in Stemmatibus Belgicis fusiùs legitur.

(9) QUI RAOIT. Vivebat ergo adhuc auctor sub Baldrico.

(10) TROICA. Ut Hispani, Veneti in Italia, Arverni in Gallia, Massesyli in Africa, & alii populi ausi Latios se fingere Fratres sanguine ab Iliaco; sic & Franci nostrique Belgæ propaginem à Troianis olim repetebant; nec sine Patrocinio: quoniam cum turba insaniebant. De his rebus alibi.

CAPUT LVIII.

HENRICUS, *Godefridi Barbati Lotharingiæ Brabantiæque Ducis filius, in Affligemiensi Benedictinorum Cœnobio, Monachum induit, & varia prædia eidem Cœnobio donat, circa annum* 1141.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd ego (1) HENRICUS, filius Godefridi Ducis Lotharingiæ & Comitis Lovanii, ob declinandas miserandas & ærumnosas hujus seculi procellas, ad Monasterium Affligemense, quasi portum salutis, confugi.

Ubi Deo & SS. Apostolis ejus Petro & Paulo, sub præsentia Domini Petri Abbatis & totius Congregationis, adstantibus hominibus meis, meipsum in Monachum offerens, allodium quod apud (2) *Sichne* & *Rode*, juxta *Werde*, ex Patre meo me liberè contingebat, & commune cum fratre meo Duce Godefrido patris mei Successore, possidebam, in aquis & pascuis, in campis & silvis, & in omnibus ad jus nostrum pertinentibus, pro anima Patris mei, & Matris meæ, & (3) CLARITIÆ sororis nostræ, & pro meipso, & pro prædicto fratre meo Duce GODEFRIDO, & sororibus meis (4) ALEIDE Regina Angliæ, & (5) IDA Comitissa, & pro omnibus parentibus & amicis in eleëmosyna tradidi.

(1) HENRICUS obiit Conversus, ut loquuntur, in Monasterio Affligemensi anno 1141. ut in vetustissimo Codice Parcensis Abbatiæ legitur.

(2) SICHNE, Sichenæ seu Sichenium est Brabantiæ Oppidulum, cui vicinus est Collis Asper, vulgò Acutus, Gallis *Mont-aigu*, Flandris *Scherpenheuvel*: qui locus, beneficio Dei ac Deiparæ, plurimis miraculis nostrâ ætate inclaruit. Vide Lipsium de Diva Virgine Aspricolle.

(3) CLARITIA, obiit innupta: vide Stemmata nostra Belgica cap. 14.

(4) ALEIDIS, fuit Henrici Angliæ Regis Conjux, nupta anno 1120. ut in Auctario Chronici Afflig. legitur; sepulta Affligemii cum patre.

(5) IDA N. Comiti Clivensi nupsit.

CAPUT LIX.

Vide supra Cap. 37.

BALDUINUS ARDENSIS *Toparcha Ardense Canonicorum secularium Collegium ab Avo suo Arnulpho fundatum, vertit in Canonicorum Regularium Ordinis Præmonstratensis Abbatiam, anno* 1144.

UNIVERSÆ Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, (1) BALDUINUS Dei permissione heres & Dominus Ardeæ, Ecclesiæque S. Audomari Ardensis dictus Præpositus, salutem in perpetuum.

QUOD ad cultum Dei, & ad reverentiorem sanctæ Dei Ecclesiæ honorem convenire dignoscitur, omnimodè executioni, in quantùm sufficimus, promovere necessarium duximus & saluberrimum.

UNDE cum Præpositura Ardensis Ecclesiæ nobis hereditario jure successit habenda, hinc Clericorum seu Canonicorum in eadem Ecclesia servientium considerantes negligentiam, hinc periculum, & æternum animæ pensantes exeidium, eò quòd Præpositura Ecclesiastica dispensanda & manu Laicali disponenda (nisi nos vani docuere parentes) salutiferè nobis nullatenus accidere queat, quædam altiora super Ardensis Ecclesiæ statu, altiore consilio, destinavimus.

ACCEPTO itaque super ejusdem ordinatione Ecclesiæ divino responso, sanoque consilio à Domino (2) MILONE Morinensis Ecclesiæ Episcopo, & Abbatibus, & multis Ecclesiasticis personis, & Laicalibus Ardensis opidi, paribus & veteranis Morinensis Ecclesiæ, non minùs, quàm Ardensi Capitulo annuente, &

(1) BALDUINUS, Arnulphi primi eo nomine Ardensis Domini, ex filio Arnulpho, nepos, obiit anno 1146. in Terra sancta, non relictâ sobole legitimâ; ut Lambertus Ardensis in Historia Ms. Comitum Gisnensium, & Meierus anno 1144. commemorant, ubi multa habentur de Genealogia Dominorum Ardæ.

(2) MILONE, Episcopo Morinensi. De eo multis agit Meierus in Annalibus ab anno 1130. usque ad annum

& benivolum assensum præbente, concessimus, & in quietam possessionem dedimus venerabili Abbati Theoderico & Monachis (3) S. Mariæ de Capella, in villa antiquo nomine *Brugnam* dicta degentibus, & eorum successoribus, omnia jura, omnesque dignitates, quæ in Ecclesia S. Audomari Ardensis nobis hereditario jure successerunt, totamque eandem Ecclesiam, cum universis ejusdem Ecclesiæ rebus & possessionibus, & appendiciis, & pertinentiis perpetuo jure possidendis.

Hoc addito, quòd mortuo uno jam dictæ Ecclesiæ Clerico seu Canonico, succedet ei Monachus, sicque omnibus mortuis Canonicis, Monachi succedent in locum Canonicorum, & liberè obtinebunt Ecclesiam; & quodcumque demùm Abbati placuerit, Monachi, in dispositione Abbatis Ecclesiæ, & possessiones Ecclesiæ dispensabunt.

Ut autem hæc donatio tractu temporis minimè patiatur recidivam, nulliusque possit malitiâ vel odio turbari, molestari vel infirmari, præsentem Chartam scribi, & testibus roborari, & sigilli nostri appensione communiri fecimus, & Teruanæ Remisque Urbibus, & Romæ confirmandam misimus; hujusque rei Testes sunt:

Dominus Milo Morinensis Episcopus, (4) Præmonstratensis Ordinis Canonicus.

Philippus & Arnulphus Archidiaconi, totumque Morinensis Ecclesiæ Capitulum.

Dominus (5) Leo Abbas S. Bertini.

Dominus Gufridus Abbas Andriæ.

Dominus (6) Henricus Abbas de Liskia.

Balduinus, Mondulphus Decanus.

Arnolphus Cantor.

Magister Richardus, Eustachius, & Robertus Canonici, totumque ejusdem Ardensis videlicet Ecclesiæ Capitulum.

Hugo & Bernardus de Wisso, de Bramis, Presbyteri.

Theodoricus Comes Flandriæ, & (7) Philippus & Matthæus, filii ejus.

(8) Arnulfus etiam Gisnensis Comes, & (9) Balduinus filius ejus.

(10) Arnulfus Markisiensis, Vicecomes, Sororius.

Drogo Botech, Walo de Ardea.

Arnulfus Gohel, qui est Castellanus Ardeæ.

Elbodo de (10) Norhout, & Paganus frater ejus.

Eustathius & Balduinus de Balinghen.

Balduinus Walameth, aliique multi Christianissimi populi.

Facta est autem hæc transactio in Ecclesia S. Audomari Ardensis, & in plena Synodo Teruanæ solenniter recitata & approbata, Dominicæ Incarnationis anno MCXLIV. 1144.

1159. & nos in Chronico Præmonstratensi Coloniæ Agrippinæ edito.

(3) S. Mariæ de Capella. Monasterium Benedictinorum, prope Caletum, in territorio Merkensi, & loco qui priùs *Broncham* dicebatur, fundarunt *Eustathius II.* Comes Boloniensis, & uxor ejus *Ida*: ut Iperius in Chronico Ms. Bertinensi narrat.

(4) Præmonstrat. Ord. Canonicus. Notet, quisquis institutum Præmonstratense amat. Ipse Milo, cùm esset Episcopus, scribit se illius Ordinis Canonicum.

(5) Leo Abbas Bertinianus, antea Abbas Lobiensis, Cruorem Christi, qui Brugis adservatur, ex Syria attulit, teste Meiero anno 1150. & Molano in Natalibus Sanctorum Belgii.

(6) Henricus antea primus Abbas de Lisquis, (teste Mejero anno 1131.) successit Leoni in regimine Monasterii Bertinensis. Theodericus de Capella signavit Diploma Theoderici Flandriæ Comitis, anno 1142. datum, teste Meiero.

(7) Philippus & Matthæus, filii ejus. Matthæus fuit Boloniæ Comes, ex parte uxoris suæ; ut Meierus & alii narrant 1161.

(8) Arnulfus sive Arnoldus, Gisnensis Comes illo nomine primus fuit filius *Wenemari* Castellani Gandensis, & *Gisla* Gisnensis, quæ fuit Soror Roberti, aliàs dicti Manassis, Comitis Gisnensis. Cùm enim Beatrix Comitissa Gisnensis, ex filio neptis & heres dicti Comitis Manassis, sub initium Principatûs Theoderici Flandriæ Comitis, obiisset sine liberis, dictus Arnulfus in Comitatu Gisnensi successit; Wenemaro & Gislâ ob senium filio hanc successionem cedentibus. De Wenemari & Gislæ matrimonio ita Lambertus Ardensis cap. 25. Gislam (Manassis sororem) postea uxorem habuit, viris & viribus vir inclytus & genere, Gandavensis oppidi Castellanus, qui ex ea genuit primogenitum Arnoldum. Item cap. 62. Interea mortuus est Gandavensis Castellanus Wenemarus, dum Arnoldus filius ejus nimiùm intentus & sollicitus in acquirendo, imò jam adepto & acquisito apud Gisnas detineretur Comitatu. Hactenus Ardensis.

His accedit quòd ad calcem Chronici Ms. Ardensis sive Ardenensis, videlicet inter ceteros versus, Comitum Gisnensium nomina exprimentes habeatur versus iste de dicto Arnulpho seu Arnoldo Comite:

Inclytus Arnoldus de Ganda qui veniebat.

Obiit autem Arnulphus anno 1168. ut idem Lambertus Ardensis tradit.

(9) Balduinus filius ejus. Fuit filius primogenitus Arnoldi Comitis Gisnensis, & Mathildis à S. Audomaro, atque in Comitatu Gisnensi suo Patri successit; ut ex Mejero & eodem Lamberto Ardensi constat.

(10) Norhout. Vulgò nunc *Norton*, in Comitatu Gisnensi, aut in illa vicinia.

CAPUT LX.

Conradus II. *Imperator confirmat prædia & possessiones Ecclesiæ Cathedralis Cameracensis, anno* 1146.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) Conradus divinâ favente clementiâ Romanorum Rex secundus.

Prædecessorum debet privilegia conservare, qui sua vult à Decessoribus instituta servari; & quia Regiæ Majestatis est, justis petitionibus aures misericordiæ porrigere, fidelium regni necessitatibus affectu debito subvenire, dilecti nostri Nicolai venerabilis Cameracensis Episcopi precibus annuentes, collata Ecclesiæ suæ à Prædecessoribus nostris privilegia, pietatis intuitu dignum duximus confirmare.

Ut quod præcedentium Imperatorum &

Regum, Pippini, Caroli Magni, Lodovici, Arnulfi & Ottonis, Ecclesiæ Cameracensi dedit & confirmavit auctoritas, nostro roboraretur auxilio, & Regiæ nostræ auctoritatis munimine fulciretur, ac ratum & inconvulsum, omni futuro in posterum tempore, perduraret.

Auctoritatis igitur nostræ præcepto, jura & honorem Cameracensis Ecclesiæ roborantes, subsignatas possessiones præfatæ Sedi Cameracensi, ad honorem & utilitatem præfati Episcopi, & Successorum suorum, irrefragabiliter assignavimus, civitatem scilicet, quæ Cameracus nuncupatur, cum justitiis, districtibus, moneta, molendinis, tam in civitate quàm extra, aquis, aquarumque decursibus, Ecclesiis, villis, quæ hactenus Episcopalis possessionis extitisse constat.

Abbatiam etiam (2) S. Gaugerici, (3) Comitatum totius terræ Cameracensis, Castellaniam quoque, casaturas & hominia, quæ de feodo Episcopi esse constat: ad hæc (4) Novum Castellum, cum justitiis, districtibus, moneta, molendinis, aquis, casatis; Forastum etiam, tendens in longitudine à Sanasionis monte usque ad illum locum, ubi (5) duæ Helpræ caduut in Sambram, in latitudine à villa, quæ dicitur *Barsis*, & loco qui vocatur *Gorgunes*, ita ut Sambra decurrit, & duæ Helpræ usque ad ulteriorem ulterioris Helpræ ripam.

Decernimus ergò, & Regiâ auctoritate nostrâ præcipimus, ut nullus Judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas denominatas possessiones prædictæ Ecclesiæ, quos moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis, infra ditionem regni nostri, justè & legaliter tenet vel possidet memorata Ecclesia, vel ea quæ deinceps à Catholicis viris collata fuerint Ecclesiæ, ad caussas exigendas, aut freda, vel mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ, tam ingenuos quàm servos, super terram ipsius commanentes, aliquatenus distringendos, vel ullas redibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus, ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitùs exigere præsumat.

Porrò ad exterminandas æmulorum & malevolorum suggestiones, conservandos etiam honoris & Regni nostri fines, præfato Episcopo & Successoribus suis, interventu carissimæ conjugis nostræ (6) Gertrudis Reginæ, ex Regalis munificentiæ benignitate, concedimus, ut in nostra & Successorum nostrorum, tam Regum quàm Imperatorum manu & tuitione, nullo Duce, Comite, Principe, seu qualibet majori minorive personâ intercedente...... irrefragabiliter permaneant: ut Clerus & Ordo in servitio Dei roboretur, Principum quoque & populi fidelitas nobis & Regno nostro inviolabilis conservetur.

Præterea novam illam consuetudinem, quæ vulgò (7) *Gavena* dicitur, quam solet Comes Flandrensis exigere, prædicto fideli nostro Nicolao Episcopo, civitati, Ecclesiæ, & territorio Cameracensi, ex Regalis auctoritatis beneficio, remittimus; statuentes ut nullo in posterum tempore liceat Flandrensi vel cuilibet alii Comiti, secularive personæ ad prædictam consuetudinem manum mittere, vel Ecclesiæ Cameracensis pacem super injustis vexationibus fatigare.

Sed liceat memorato Præsuli, suisque Successoribus res prædictæ Ecclesiæ cum cellulis & rebus, vel hominibus sibi legaliter subjectis, sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere regno, atque pro stabilitate nostra vel totius regni à Deo nobis collati vel conservandi, unà cum Clero & populo sibi subjecto, liberè Dei misericordiam exorare; & quidquid exinde Fiscus noster exigere poterat, ad luminaria ipsius Ecclesiæ continuanda, perpetualiter concessimus adhibendum.

Præterea constituimus, ut nullus Successorum

(1) Conradus secundus, aliis tertius, qui Conradum anno 912. à Proceribus Germaniæ electum, à Pontifice tamen Romano non coronatum, in catalogo Imperatorum Romanorum collocant.

(2) S. Gaugerici Abbatia, fuit olim extra muros urbis Cameracensis sita, in monte, ubi nunc arx Cameracensis, contra Francos à Carolo V. Imperatore ædificata, visitur. Ex eo tempore Canonici Gaugericiani (qui quadraginta sunt numero, cum Decano) migrarunt ad Cameracensem S. Vedasti Basilicam Parochialem, quæ nunc S. Gaugerici nuncupatur.

(3) Comitatum terræ Cameracensis, de quo vide suprà cap. 27.

(4) Novum Castellum, hodie Castellum Cameracesii nuncupatur, estque ditionis Episcopalis oppidum: de quo vide Codicem nostrum Donationum piarum cap. 45. & 46.

(5) Helpræ duæ, imo hodie tres fluvioli seu rivi Hannoniæ sic nuncupantur, & cadunt omnes in Sabim seu Sambram fluvium, Julio Cæsari notum.

(6) Gertrudis, Lotharii Imperatoris filia, Conradi II. Imp. uxor, sororem habuit nomine Lutgardem quæ fuit uxor Godefridi II. Lotharingiæ inferioris ac Brabantiæ Ducis: ut ex Auctario Gemblacensi datur intelligi.

Anno 1139. (stilo Ecclesiæ Gallicanæ, hoc est, anno 1140. stilo Romano) Godefridus Lovaniensis, Dux Lothariensium moritur, & Affligemensis templi sepulturâ honoratur. Conradus tertius Rex hujus nominis Godefridum, filium Godefridi Ducis, facit paterni honoris Successorem, ea maximè pro caussa, quia suæ conjugis sororem ei dederat uxorem.

Anno 1142. Godefridus Junior, secundus Dux Lotharingiæ, quarto anno sui Ducatûs, immaturâ morte præripitur, & Lovanii in Templo S. Petri tumulatur. Succedit filius ejus æquivocus, primum adhuc agens ætatis annum.

Conradus Rex concessit filio Godefridi Ducis Junioris, adhuc puerulo, (quem vulgò Godefridum *in Cunis* nuncupant) quidquid beneficii vel honoris Antecessores ejus habuerant de manu Imperatoris.

Anno Christi 1152. Regni xv. Conradus Imperator diem ultimum claudit: cui successit Fredericus consobrinus ejus. Hactenus ex Auctariis Gemblacensi & Affligemensi, quæ nos cum Sigiberti Chronico Antverpiæ 1608. edidimus.

(7) Gavena, est jus accipiendi certas mensuras granorum ex singulis jugeribus terræ, quod sibi deberi prætendit Princeps seu Comes, qui est Advocatus Eccle-

ceſſorum noſtrorum Regum ſeu Imperatorum, ut nullus Dux vel Comes atque Vicarius, ſeu quilibet ex judiciaria poteſtate, noſtram vel Anteceſſorum noſtrorum Regum & Imperatorum auctoritatem violare præſumat. Quod ſi quiſquam auſu temerario noſtram & Prædeceſſorum noſtrorum auctoritatem infringere tentaverit, cauſſis Regalibus ſit obnoxius, & inſuper mille libras auri puriſſimi componat, dimidietatem Fiſco noſtro, & reliquam partem præſatæ Cameracenſi Eccleſiæ.

Ut autem hæc ab omnibus credantur, & omni deinceps tempore rata & inconvulſa conſerventur, hanc inde Chartam ſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus, manuque propriâ, ut infra apparet, corroboravimus.

Hujus rei teſtes ſunt,
Arnulphus Colonienſis Archiepiſcopus.
Henricus Leodienſis Epiſcopus.
Wernerus Monaſterienſis Epiſcopus.
Ortliebus Baſilienſis Epiſcopus.
Philippus Oſenbruggenſis Epiſcopus.
Albero Verdunenſis Epiſcopus.
Anſelmus Havelenburgenſis Epiſcopus.
Wibaldus Stabulenſis Abbas.
Godefridus Prumienſis Abbas.
Lambertus Werdinenſis Abbas.
Anno Andenſis Abbas.
Heremannus Palatinus Comes de Rheno.
(8) Henricus de Lemburch, & Frater ejus Comes Waleramus de Arlon.
Otto Comes de (9) Rinecka, & Filius ejus Otto.
Loudevicus Comes de (10) Lon.
Adolfus (11) Comes de Monte. Bere prope Iuliacum.
Hugo Comes de Dagesburch.
Otto Comes de Ravensberch.
Otto Comes de (12) Duraz.
Henricus Comes de Gelren.
Hermannus Comes de (13) Cuick.
Rubertus Comes de Luiſemburch.
Albertus Comes de Worvenich.
Wilelmus Comes de Juliaco.
Henricus Comes de Katzenelenbogh.
Marquardus de Grumbach.
Tibertus de Spilemberch.
Signum domini Conradi Romanorum Regis ſecundi.

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Henrici Moguntinenſis Archiepiſcopi, & Archicancellarii recognovi, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto, 1146. Indictione octavâ, III. Kalendas Januarii, regnante Cunrado Romanorum Rege ſecundo, anno verò Regni ejus octavo. Data eſt Aquiſgrani in Regio Palatio feliciter, amen.

ſiæ ſeu Monaſterii alicujus, ratione ſuæ Advocatiæ ſeu protectionis.

(8) Henricus de Lemburg, fratrem habuit Walcramum Comitem de Arlon, ſive de Orolauno; ut in Antonini Imp. Itinerario nuncupatur. Stemmata noſtra Principum Belgii cap. 16. lege.

(9) Rinecka, hodie *Renecke* ad Rhenum.

(10.) Lon, Flandris *Loon*, Gallis *Los*, deſignat Comitatum Loſſenſem, quem hodie Epiſcopus Leodicenſis poſſidet, in quo oppidulum eſt quod Flandri Borchloon nuncupant.

(11) Comes de Monte, Ducatus Montenſis hodie eſt in diœceſi Colonienſi, ut & Ducatus Juliacenſis ac Clivenſis. De his tribus Ducatibus (cùm anno 1609. Joannes Dux ſine liberis deceſſiſſet) gravis orta eſt contentio ac bellum, varios inter Principes.

(12) Duras, olim Comitatus in agro Leodicenſi.

(13) Cuik, vulgò *Cuyck*. olim Comitatus, nunc Baronia Brabantiæ, ad Gentem Naſſaviam pertinens.

CAPUT LXI.

Fredericus I. *Imperator anno* 1153. *confirmat poſſeſſiones Eccleſiæ Cathedralis Cameracenſis, ſuperiori Capite à* Conrado II. *confirmatas.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fredericus divinâ favente clementiâ Romanorum Rex Auguſtus. Prædeceſſorum debet privilegia conſervare, qui ſua vult à Deceſſoribus inſtituta ſervari; & quia Regiæ Majeſtatis eſt, juſtis petitionibus aures miſericordiæ porrigere, & fidelium regni neceſſitatibus affectu debito ſubvenire, dilecti noſtri Nicolai venerabilis Cameracenſis Epiſcopi precibus annuentes, collata Eccleſiæ ſuæ à Prædeceſſoribus noſtris privilegia, pietatis intuitu dignum duximus confirmare: &c. *Ut ſuperiori Capite.*

Testes, in quorum præſentia hæc acta ſunt, ſubternotari fecimus; quorum nomina hæc ſunt:
Arnoldus Colonienſis Archiepiſcopus.
Hellinus Treverenſis Archiepiſcopus.
Stephanus Metenſis Epiſcopus.
Conradus Wormatienſis Epiſcopus.
Henricus Leodicenſis Epiſcopus.
Philippus Oſenburggenſis Epiſcopus.
Wibaldus Stabulenſis Abbas.
(1) Henricus Dux Saxoniæ.
(2) Matthæus Dux Lotharingiæ.
Godefri-

(1) Henricus, Dux Saxoniæ & Bavariæ, cognomento *Leo*, à quo originem trahunt moderni Duces Brunſuicenſes ac Luneburgenſes in Germania, Duces Ferrarienſes atque Eſtenſes in Italia. De ejus Familia, variaque fortuna vide Chronicon noſtrum Belgicum ad annos 1218. & 1225.

(2) Matthæus, Dux Lotharingiæ Superioris ſeu Moſellanæ anno 1176. obiit, in Claro Loco, Monaſterio Ordinis Ciſtertienſis, à ſe condito ſepultus. Vide Stemmata noſtra Belgica cap. 12.

(3) Godefridus, *In Canis* cognomento, Dux Lovaniæ, ut veteres ſcribebant, ſeu Lovanii, & Lotharingiæ Inferioris.

(3) Godefridus Dux Lovaniæ.
Welpho Dux Spoleti, Marchio Tusciæ, Rector Sardiniæ.
Otto Palatinus de Vintelinesbach.
(4) Heremannus Palatinus de Rheno.
Palatinus Hedericus de Sumenborch.
(5) Theodericus Comes de Flandria.
(6) Henricus Comes de Namurco.
Signum Domini FREDERICI Romanorum Regis.
Ego Arnoldus Cancellarius, vice Moguntinensis Archiepiscopi & Archicancellarii, recognovi.
Datum Treveris IV. Kalendas Januarii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo contesimo quinquagesimo tertio, Indictione primâ, regnante Domino Frederico Romanorum Rege, anno verò Regni ejus primo. 1153

(4) HERMANNUS Palatinus de Rheno. Nota Palatinatum Rheni nondum tunc fuisse annexum Ducatui Bavariæ.
(5) THEODERICUS, Alsatius, Comes Flandriæ.
(6) HENRICUS, cognomento *Cæcus*, Comes Namurcensis & Luxeburgensis: de quo vide caput proximè subsequens.

CAPUT LXII.

HENRICUS, *cognomento* CÆCUS, *Comes Namurcensis & Luxeburgensis, Broniensem S. Gerardi Abbatiam anno* 1154. *in protectionem suscipit.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen. Ego HENRICUS, Dei gratiâ Comes Namuci & de Luzeleburch, omnibus veritatis amatoribus assentire pietati.

QUIA pium est & amicum Deo suam Ecclesiam tueri & confovere, ego HENRICUS Broniensem Ecclesiam, cum universis ad se spectantibus, in mea tutela & defensione suscipio, & sicut Prædecessores mei dignoscuntur eam inviolabiliter custodisse, sic & ego diligenter observabo. Modum suæ libertatis, ad pacem ipsius Ecclesiæ & villæ Broniensis, & S. Laurentii partem, quam habet Ecclesia in *Leobinis*, & *Fosseis*, & *Merendrech*, subnotare feci & confirmavi.

IGITUR Advocatiam sive nomen Advocati non habeo in Ecclesia, sicut nec Antecessores mei habuerunt, sed ipsius defensor existo, pro suis orationibus, & reverenti mandato duorum Imperatorum. Ecclesiam Broniensem & villam, cum supradictis villis, in aliquo gravare non teneor, nec de exactione, nec de placito, nec de judicio, nec de consuetudine ipsarum meum est tractare. Quod si quando vocatus accedam, non ad mercedem mei consilii & defensionis spectare debeo:......

Data anno MCLIV. 1154

(1) HENRICUS CÆCUS Comes Namurcensis, Conrado II. Comite Luxeburgensi sine heredibus masculis defuncto, Comitatum istum ab Imperatore obtinuit, & post annum Christi 1188. senex admodùm obiit, & ex Agnete Gelrensi reliquit unicam filiam Ermensindam seu Hermesindem. Quam adhuc lactentem cum Henrico Campaniæ seu Trecarum Comiti destinasset, Balduinus V. Hannoniæ Comes, ex Ermensinda Henrici Cæci sorore natus, arcem & Comitatum Namurcensem anno 1188. occupavit: ut in Auctario Aquicinctinio, à me ad calcem Chronici Sigebertini edito, legitur. Mansit tamen Ermensinda heres & Domina Comitatûs Luxeburgensis, nupsitque primùm Theobaldo Comiti Barrensi sine liberis defuncto, pòst Waleramo Duci Limburgensi anno 1214.

- *Albertus I. Comes Namurcensis duxit Ermengardem Filiam Caroli Ducis Lotharingiæ.*
  - *Albertus II Comes Namurcensis duxit Regelindem Filiam Gothilonis Ducis Lotharingiæ*
    - *Albertus III. Comes Namurcensis duxit Idam.*
      - *Godefridus Comes duxit Mathildem Filiam Rogerii Comitis Portiani, 2. Ermesindam Luxeburgicam.*
        - *Ex 1.*
        - *N. Comissa Portiani.*
        - *Flandrina.*
        - *Ex 2.*
        - *Adelbertus, obiit puer.*
        - *Henricus Cæcus Comes Namurcensis & Luxenburgensis duxit Agnetem.*
          - *Ermesinda heres Luxeburgi, uxor Walerami Ducis Limburgensis 1214.*
        - *Aleidis, aliàs Ermesinda, uxor Balduini IV. Comitis Hannoniæ.*
          - *Balduinus V. Comes Hannoniæ & Namurci duxit Margaritam heredem Flandriæ.*
        - *Clementia.*
        - *Beatrix.*
      - *Fredericus Episcopus Leodiensis 1119.*
      - *Henricus.*
      - *Albricus aliàs Albertus.*
    - *Henricus.*
  - *Henricus.*
  - *Hadevidis uxor Gerardi Ducis Lotharingiæ Mosell.*
    - *Theodericus Dux Lotharingiæ.*
    - *Gerardus Comes Egisheimii.*
  - *Emma Lossensis.*

Tres porrò Albertos ex ordine Comites Namurcenses fuisse constat ex Genealogia S. Arnulfi, ubi lacunam ex Ms. Codice sic exple: Carolus Dux genuit Ermengardem, Othonem Ducem & Gerbergam, fratres & sorores. Horum Ermengardis (*nupta Alberto primo*) genuit Albertum Comitem (*secundum*) & filias duas Ha-

dewidam & Emmam de Los. Horum Albertus (*secundus*) genuit Albertum Comitem (*tertium.*) Albertus (*tertius*) genuit Fredericum Episcopum, Godefridum, Heinricum & Albertum, fratres. De sororibus, Hadewida (*nupta Gerardo Duci Loth. Mosellanæ*) genuit Theodericum Ducem & Gerardum Comitem, fratres. Horum Theodericus genuit Simonem Ducem, Simon genuit Matthæum Ducem.

Godefridus, Alberti III. filius, Comes Namurcensis Abbatiam Floreffiensem, Ordinis Præmonstratensis tertiam, anno 1121. fundavit: ut fusè in Chronico Præmonstratensi docuimus. Godefridi filia *Flandrina* maritum habuit Dominum de Antoin & Espinoy. Alia ejusdem filia *Beatrix* nupsit Gualtero, aliàs Itherio Comiti Rethelensi. Mathildis porrò prior Godefridi uxor, marito neglecto, adhæsit N. Domino de Coucy.

(2) Namucum, ut medii ævi Scriptores nuncupant, hodie Namurcum, *Namur*, urbs est Episcopalis, ad Mosæ & Sabis confluentes sita, habetque arcem egregiè munitam ac pænè inaccessibilem, in rupe collocatam.

(3) Bronium, hodie est S. Gerardi Abbatia Benedictinorum, ab illius loci fundatore ac primo Abbate S. Gerardo Broniensi sic dicta, qui Blandiniense, Bavonicum, Bertinense, Gisleniauum, & alia non pauca ejusdem Ordinis Benedictini Cænobia Belgica reformavit, ac demum anno 958. Bronii in Domino obdormivit. Vitæ ejus historia exstat apud Surium.

Est autem Abbatialis hodie dignitas Broniensis annexa Episcopatui Namurcensi, ut Affligemiensis Archiepiscopatui Mechliniensi, Bernardina ad Scaldim Episcopatui Antverpiensi, Prumiensis Archiepiscopatui Treverensi, Egmondana olim Episcopatui Harlemiensi, Middelburgensis B. Mariæ Episcopatui ejusdem Urbis, &c.

CAPUT LXIII.

FREDERICUS I. *Imperator possessiones Ecclesiæ S. Mariæ Antverpiensis, quæ nunc est Cathedralis, anno 1157. confirmat, petente Rainero, ejusdem Ecclesiæ Præposito.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. FRIDERICUS divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus.

QUANDOCUMQUE in his, quæ ab Antecessoribus nostris Regibus, & Imperatoribus tradita & confirmata sunt, nostræ Imperialis corroborationis piè exigitur suffragium, celeri effectui est attribuendum. Et si in his exposcitur quod perpetuò durare videtur, litteris est annotandum, ne prolixitas temporum hoc posteris reddat dubium vel incertum.

NOVERIT igitur omnium tam futurorum quàm præsentium Christi Imperiique nostri fidelium industria, qualiter (1) RAINERUS Ecclesiæ S. Mariæ, Matris Domini, in Antverpia Præpositus, præsentiam Majestatis nostræ adiit, porrigens nobis privilegia Proavi nostri Henrici Romanorum Imperatoris quarti, & Imperatoris (2) Lotharii tertii, & multum supplicans Majestati nostræ per dilectum Cancellarium nostrum Rainaldum, quatenus ea nostris oraculis confirmare vellemus.

NOS itaque, ob interventum dilecti Cancellarii nostri, præfati Præpositi preces clementer admisimus, & non solùm Sanctiones Proavi nostri & Imperatoris Lotharii nostrâ auctoritate confirmavimus, verùm etiam prædictam Ecclesiam S. Mariæ Genitricis Dei in Antverpia, cum omnibus possessionibus suis, quas nunc justè habet, vel in posterum rationabiliter poterit adipisci, sub nostram tuitionem suscepimus.

PER

(1) RAINERUS Præpositus. Antverpiensis Ecclesiæ Præpositura postmodùm est exstincta; ut Scribanus in sua Antverpia fusè explicat. Itaque post Episcopalem dignitatem hodie primaria est Decanalis.

(2) LOTHARII tertii. Idem Lotharius se nuncupat hujus nominis tertium Regem Romanorum in Diplomate Trajectensi, quod anno 1132. datum in Codice Don. piarum tomo 1. cap. 85. exstat.

Ceterùm ut hic Lotharius sit tertius à Lothario I. Imperatore, secundus nominari debebit aut Lotharius Junior, Rex primus Lotharingiæ, aut Lotharius Italiæ Rex, Hugonis Arelatensis filius.

De tribus Lothariis Imperatoribus seu Regibus.

I. LOTHARIUS I. Imperator, Ludovici Pii filius, anno 855. in Prumiensi Diœcesis Treverensis Cœnobio factus Monachus, ibidem die 20. Septembris eodem anno obiit, Regno tres inter filios distributo. Ludovico Italia cum Imperio; Lothario Galliæ pars inter Scaldim, Mosam ac Rhenum sita, quæ ab ipso exinde Lotharingia est appellata; Carolo autem natu minimo Provincia cessit.

II. LOTHARIUS JUNIOR, Lotharii I. Imperatoris filius, primus Lotharingiæ Rex, à quibusdam vocatur Imperator, eò quod Aquisgranense Palatium Imperiale possederit. Idem anno 869. Placentiæ in Italia mense Junio decessit, ex Theutperga conjuge legitima nullis relictis liberis. Ex Waldrada tamen pellice liberos reliquit, *Hugonem* & *Gislam*.

HUGO, eò quod Godefrido Normannorum Regi adhæsisset, & Lotharingiam cum ipso vastasset, captus, oculisque privatus, anno 885. in S. Galli apud Helvetios monasterium est detrusus. Postea Prumiam missus, à Reginone Abbate & Historiographo attonsus est, temporibus Suendeboldi Lotharingiæ Regis, ubi & obiit post annos aliquot.

GISLA seu Gisela eidem Godefrido Normannorum Regi, Christianis sacris imbuto, à Carolo Crasso Imperatore anno 882. in uxorem data est, cum Frisia Provincia; ut idem Regino narrat.

LOTHARIUS, Hugonis Arelatensis filius, circa annum 932. Rex Italiæ à Patre appellatus, annos XVIII. regnavit, & anno 950. vivere desiit, teste eodem Reginone in Chronico. Uxor illi fuit B. Adelheidis, Rodulphi II. Burgundiæ Transiuranæ filia, quæ postea anno 951. Othoni I. Imperatori nupsit: ut Flodoardus in Chronico suo narrat.

Ceterùm ex Lothario priore marito suscepit Adelheidis filiam Emmam seu Hemmam, quæ anno 966. Lothario Francorum Regi nupsit. Emmæ fit mentio suprà Cap. 21. & 22.

De Conradis Imperatoribus.

In Diplomate superiore Capite à me recitato, Conradus Imperator à quibusdam secundus, ab aliis tertius eo nomine Imperator vocitatur. Quod ne confusionem Lectori pariat, de Conradis Imperatoribus libet pauca subjungere.

CONRADUS, illo nomine primus Imperator, Ludovico ex Caroli Magni stirpe apud Germanos postre- I.

Per omnia verò Antecessorum nostrorum pietatis vestigia prosequentes, omnem decimam quam Proavus noster supradictæ Ecclesiæ, & Fratribus inibi Deo servientibus, pro remedio animæ suæ contulit, & evidentibus terminis designavit, à termino (3) *Santflieten* usque ad terminum *Olmeremuthen*, quam postmodum Lotharius Imperator privilegio suo eidem Ecclesiæ confirmavit, nos Imperiali nostrâ auctoritate supradictæ Ecclesiæ damus & confirmamus. Et sicut ipsi distinxerunt, ita nos distinguimus, ut videlicet Præpositus ejusdem decimæ quartam partem habeat, & reliquas Fratres in usus suos accipiant.

Ut autem hæc donatio & confirmatio sæpè dictæ Ecclesiæ S. Mariæ omni tempore rata & inconvulsa permaneat, præsentem inde paginam conscribi, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina hæc sunt:

Godefridus Trajectensis Episcopus.
Albertus Aquensis Præpositus.
Henricus Comes de Gelra.
Theodericus Comes Hollandiæ.
Filius ejus Florentius.
Theodericus Comes de (4) Cleva.
Godefridus de *Kuch, & frater ejus Hermannus. *vulgo Cuyck.
*Gobbinus de Heinesberch. *Alias Goswinus
Volricus de Hûrtunghen.
Walterus de Stapela.
Harpernus de Randenrode.
Signum Frederici Romanorum Imperatoris.

Ego Reinaldus Cancellarius, vice Arnoldi Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii, recognovi.

Datum in *Noviomagensi Palatio, III. Nonas Junii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo septimo, Indictione quintâ, regnante Friderico Romanorum Imperatore, anno Regni ejus sexto, Imperii verò secundo. Actum in Christo feliciter, amen. *vulgo Nimeghe in Gelria. 1157.

mo defuncto, anno 912. à Proceribus regni electus, Imperium Germanicum cum parte Regni Lotharingiæ obtinuit, & anno 919. vivere desiit.
Hunc non pauci Scriptores in serie Imperatorum omittunt, eò quòd à Pontifice Romano non fuerit coronatus; sicut & Henricum Aucupem prætereunt eadem de causa.
Conradus II. cognomento *Salicus*. anno 1024. S. Henrico Imperatori suffectus. à Joanne Papa anno 1027. Imperator coronatus, Ultrajecti anno 1039. vivere desiit.

Conradus itaque, cujus Diploma superiore capite recitavimus, illis, qui Conradum primum in serie Imperatorum omittunt, est secundus, aliis autem tertius: obiitque anno 1152.
(3) Santflieten, vulgò *Santfliet*; Olmeremuthen, nunc *Orderen*, sunt vici Brabantiæ, inter Antverpiam & Bergas ad Zomam siti.
(4) Cleva, Clivensium Comitum ac Ducum series exstat apud Stephanum Winandum Pighium in Hercule Prodicio, item in nostro Chronico Belgico.

CAPUT LXIV.

Godefridus III. *Lotharingiæ Dux Littam, Alodium, pertinens ad Præposituram Marsanensem subjectam Abbatiæ S. Remigii Remis, restituit anno* 1160.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Godefridus Dux Lotharingiæ, filius Godefridi junioris Ducis, notum facio universis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, tam futuris quàm præsentibus, me.... alodium B. Remigii, Francorum Apostoli, quod *Litta* dicitur, duobus annis tenuisse.

Tandem verò compunctus & pœnitentiâ ductus, nec non mandato Domini Imperatoris coactus, & à Coloniensi Archiepiscopo Rainaldo, & à Domino Leodiensi Episcopo admonitus, jam dictum alodium cum omnibus ad ipsum pertinentibus Deo & B. Remigio promptâ devotione reddidi, nec non fidei Sacramento confirmavi, & in præsentia Baronum meorum illud abdicavi.

Statuens & confirmans, quòd numquam per me, nec per aliquem meorum sæpedictum monasterium de ipsius alodii rebus aliquod damnum patietur, sed ex integro ei maneant omnia sua, sicut dedit & confirmavit Gerberga, venerabilis Francorum Regina.

Quod meæ constitutionis decretum, ut per succedentia tempora inconvulsum servetur & maneat, auctoritate mei sigilli firmavi & testes idoneos subnotavi.

Hujus rei, ex parte Ecclesiæ, testes sunt.

Philippus Abbas de Parco.
Simon Præpositus de Lovanio.
Riczo ejusdem Ecclesiæ Canonicus.
Lambertus Canonicus Ecclesiæ B. Petri in Leodio.
Theodericus Præpositus (1) de Marsna.
Guilielmus Canonicus de Brusella.
Leo Prior Ecclesiæ (2) B. Remigii.
Guilielmus Præpositus.
Guilielmus Prior (2) S. Thomæ.
Warnerus Monachus.

Ex

(1) De Marsna, seu Marsana, & Litta, alodiis, Monasterio S. Remigii Remensis per Gerbergam Francorum Reginam anno 968. datis, vide nostrum Codicem Donat. piarum 1. cap. 37.

Ex parte Ducis, liberi.
Leonius de Pollar.
Reinerus de Jacia.
Antonius & Galterus de Mesbrueeke.
Gillebertus de Wefebeke.
Anfelmus de ....
Guilielmus, filius Manerii, de .....
De Familia.
Gerardus de Huldeberghe.
Henricus Magethoke.
Henricus de Salla.
Arnoldus de Rode, & filius ejus Arnoldus.
Engelbertus de Menefelve.
Waleramus de Leuvel.

Actum eft hoc anno ab Incarnatione Domini millefimo centefimo fexagefimo, Indictione VIII. 1160.

Additio. Inter Confilia Wamefii J. U. D. Lovan. Tom. I. Cent. I. Confilio 11. extat ejus Confultatio fuper lite ventilata in Concilio Brabantiæ interAbbatem S. Remigii Rhemis ex una, & Procuratorem generalem Concilii nomine Regis ex alia parte: Num Rex in jure nominandi potior fit præfato Abbate in jure ordinariæ fuæ provifionis & difpofitionis de dicta Præpofitura. Ac Wamefius quidem refolvit in favorem præfati Abbatis S. Remigii, qui tunc erat Commendatarius Cardinalis à Lotharingia Archiepifcopus Remenfis.

Eadem Præpofitura anno 1560. ceffit in dotem novi Epifcopatûs Ruræmondenfis, ita ftatuente Pio IV. Pontifice. Facta verò dein fuit conventio, vi cujus ex eadem quotannis 800. floreni monetæ Brabanticæ præfato Epifcopatui penduntur.

Superioris feculi initio, Religiofi Remigiani Præpofituram hanc, quod extra fines regni Galliæ fita effet, cefferunt Canonicis Regularibus Abbatiæ Aquæ-curiæ, vulgò *Eaucourt* in Arthefia; recipientes in concambium Prioratum de *Val-Fleury* in Diœcefi Noviomenfi.

Additio. (2) B. REMIGII, & S. THOMÆ. Sunt duæ Cellæ, five Prioratus Benedictinorum, dependentes ab Abbatia S. Remigii Remis; primus in Diœcefi Avenionenfi, alter in Remenfi.

CAPUT LXV.

PHILIPPUS ALSATIUS, *Flandrorum & Veromanduorum Comes, in Arienfi (quondam Morinenfis, nunc Audomarenfis Diœcefis) apud Artefios Canonicorum S. Petri Bafilica XVI. Præbendas Canonicales anno 1169. fundat ac dotat.*

IN nomine Domini, amen. Ego (1) PHILIPPUS, Dei gratiâ Flandriæ & Viromandiæ Comes, tam futuris, quàm præfentibus in perpetuum.

MENTES humanæ ftudio mundanæ voluptatis ad terrena de facili incurvantur, & celeritate admodùm proclivi in lubricum difcurrunt. Hoc enim à radice vitiorum originaliter ad nos ufque pervenit. Quapropter omnibus fidelibus admodum effet neceffarium, ut inter vitiorum tumultus, & naufragia virtutum, fuffragiis aliquando poffent refpirare.

His ergo documentis admonitus, quamvis in modico, tamen in aliquo, contra vitiorum importunitates, cujufdam eleemofynæ beneficium ordinavi, fperans me cumulato fructu in cæleftibus ftipendia, fi Dominus annuerit, recepturum. Hoc autem tenaci firmitudine roboratum, ad oculos venturæ pofteritatis tranfmifi, ut nec ærugo fenii, nec oblivionis tinea quidquam poffet demoliri. Prænominatum autem beneficium, quod præfentis paginæ feries explicabit, ARIENSI Ecclefiæ, cujus parietes de fundamentis Patrum meorum excreverunt....

Inter (2) WATENES, & (3) BOURBOURG, (4) palus quædam limum inacceffibilem fpatiosâ latitudine diffundebat, & ufibus fefe denegabat humanis. Hujus limofæ paludis illuviem feci fumptibus propriis, cum expenfa multi fudoris, exhauriri, & ex ea ftatum commodioris naturæ quafi violenter extorquens in terram frugiferam transformavi.

Hujus terræ partem quandam, circiter mille feptingentas menfuras continentem, cum molendino de Watenes (quod & de proprio fceceram) & tractu navium, eâ libertate, pace & quiete, quâ eam priùs poffidebam; præfatæ Ecclefiæ poffidendam, fub eleemofynæ titulo, perenniter affignavi, ut ex hoc beneficio accrefceret in ea numerus fedecim Præbendarum; eâ lege & conditione, ut ab hominibus, qui reditus S. Petri Arienfis, ex fupradicta terra provenientes, apud S. Audomarum..... erunt, ab eo, qui molendinum de Watenes tenuerit, nihil penitùs exigatur.

Si verò aliquando in dubium venerit, utrùm reditus S. Petri fuerint nec ne, præfati homines eos, qui hujufmodi vectigal exegerint, fidei fuæ facramento fecuros facient, & fic fine exactione naves fuas tranfducent.

QUONIAM verò ejufdem terræ portionem non modicam, fcilicet trecentas menfuras Gualterus Cortracenfis, fed & quidam fervientes mihi partem permaximam in eadem terra, videlicet Bordinus, Rufeius, Simon, Erakefim, Rofto de Winghnes, titulo feudi de manu mea priùs poffidebant, rurfus eam mihi vindicans, interventâ pecuniâ, eidem Ecclefiæ pariter adfcripfi.

INSUPER terram quandam in Arienfi territorio, fimiliter ex palude in folidam converfam (circiter ducentas menfuras) quæ inter nova molendina, & Ariam diffunditur, jam dictæ Ecclefiæ liberè poffidendam affignavi.

PRÆTEREA feptuaginta marcas provenientes ex terra, quam tenuit olim (5) Philippus, qui Comes

Comes nuncupatur, Pater (6) Willelmi de Ipra, quæ Patri meo & mihi jure hereditario successit, cum prædictis beneficiis, prætaxatæ Ecclesiæ pariter adscripsi.

Hanc autem donationem, legitimâ definitione celebratam, sigilli mei munimine roboravi, & testes subscripsi idoneos.

(7) Signum Petri, Fratris mei.
(8) S. Michaëlis Constabularii.
(9) S. Hellini Dapiferi.
(10) S. Rosonis Buticularii.
(11) S. Eustathii Camerarii.
S. Gerardi de Meschines, Sigillarii mei.
S. Lambini de Brugis, Notarii Comitis.
S Roberti Advocati Bethuniensis.
S. Rogerii Cortracensis Castellani.
S. Wuillelmi Castellani Audomarensis.
S. Guidonis * Bergensis Castellani. * Winoxbergen
S. Balduini Castellani de Bourbourg.
S. Enonis Brugensis Castellani.
S. Walteri de * Locris. * Lokeren.
S. Gilberti de Aria.

Actum hoc anno Verbi Incarnati millesimo centesimo sexagesimo nono, Kalendis Augusti, per manus Roberti Cancellarii Flandriæ & Ariensis Ecclesiæ Præpositi, regnante Ludovico Francorum, imperante semper Domino nostro Jesu Christo. 1169.

C A-

PRimus Ariensis Ecclesiæ & Collegii Canonicorum Conditor fuit Balduinus cognomento *Pius* seu *Insulanus*, qui Præbendas XIV. (sive, ut Latinius loquar, *Præbenda*, neutro genere) hoc est portiones XIV. Canonicorum anno 1049. fundavit ac dotavit: ut testatur versus Chronographicus, muris Chori seu Odeii Ariensis inscriptus:

bIs septeM tU præbendas baLdIne dedIstI.

Philippus Alsatius anno 1166. Præbendas XVI. & anno 1190. alias septem adjecit. Robertus patriâ Carnutensis, Ariensis Ecclesiæ Præpositus, unam insuper Præbendam, quam S. Venantii nuncupant, anno 1172. fundavit. Fuit is postea Flandriæ Cancellarius, ac demum Cameracensis Episcopus; sed quorumdam invidiâ Condati occisus, Ariæ sepultus jacet.

(1) Philippus Alsatius anno 1191. decessit, in Clara Valle conditus, cum Mathilde Lusitana, posteriore conjuge. Prior ejus conjux Elisabetha Veromandua anno 1182. fine liberis obiit, sepulta Atrebati in Choro Basilicæ Cathedralis.

Est autem Aria (quam Pipinus Francorum Rex in Diplomate Malmundarii dato vocat Ariacum Castrum in Morinis) oppidum non inelegans, egregiè munitum, olim Flandriæ, nunc Artesiæ accensitum.

(2) Watenes. vulgò *Watene*, putatur olim fuisse Promontorium portûs Iccii. Quo loco postmodum Præpositura Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini inchoata ab Otberto Presbytero, & à Theoderico Alsatio, Philippi Alsatii Patre, ædificata fuit. Obiit autem Theodericus anno 1168. sepultus Watenis, de qua extat Chronicon in *Thesauro Anecdotorum*, novissimè Parisiis edito per PP. Benedictinos. Additio.

Porrò illud Cœnobium anno 1560. à Pio IV. Pontifice suppressum, redditusque ac bona unita sunt Mensæ Episcopali Audomarensi. Locum verò nunc possident Jesuitæ Angli, eumque suo Noviciatui destinarunt.

(3) Bourbourg, seu Borburgum, Flandriæ occiduæ oppidum: in quo est illustre virginum Benedictinarum Monasterium.

(4) Palus. Apud extremos hominum Morinos, ut olim temporibus Julii Cæsaris, sic & hodie multæ sunt paludes, quas Flandri suâ linguâ *Moeren* vocant: unde & Morinorum nomen apud Romanos enatum. Ex paludibus istis non paucas Principum nostrorum industria exsiccavit: quos inter Philippus Alsatius est numerandus, & nostro ævo Isabella Clara Eugenia, quæ duas istiusmodi paludes, vulgò *Groote* & *Cleyne Moer* nuncupatas, in Flandria occidua, anno 1624. ac proximè sequentibus exhauriendas curavit, operâ Vincentii Cobbergii Antverpiensis, sui Architecti.

(5) Philippus, Comes de Loo: cujus filius naturalis fuit Willelmus de Ipra.

(6) Willelmus de Ipra, fuit postea Comes Cantii in Anglia, & Flandriæ Comitatum occupare tentavit, post obitum Caroli Boni. Uxorem duxerat neptem Mathildis Lusitanæ, Flandrorum Comitissæ.

(7) Petri Fratris mei. Petrus, Theoderici Alsatii Flandriæ Comitis filius, defuncto Nicolao Cameracensi Episcopo, in ejus locum anno 1167. est electus. Sed relicto postea Episcopatu, viduam Comitis Nivernensis anno 1175. duxit uxorem, eodemque anno decessit, non relictis liberis, ut in Auctario Aquicinctino legitur.

Officiarii Hæreditarii Comitum Flandriæ.

(8) Michaelis Constabularii; id est, Comitis Stabuli, vulgò *Connêtable*. Is erat olim Dominus de Wingle, eoque titulo nunc gaudet Princeps de Epinoy, Dominus de Melun, Wingle &c. Porrò *Epinoi* est nobile Municipium sub Castellania Insulensi. Additio.

(9) Hellini Dapiferi. Gallicè *Maître d' Hotel*. Hoc officium olim fuit penes Dominos de Wavrin, qui & erant Seneschalli Flandriæ, Toparchæ Lillerii, Sancti Venantii &c. Horum seriem recenset Bucellinus in Gallo-Flandria Lib. I. Cap. 27. Ultimis verò temporibus Dominium illud à Familia Lalaina transiit ad Berlaimontiam. Porrò *Wavrin* est vetus ac nobilis Pagus in Castellania Insulensi.

(10) Rosonis Buticularii. Id est, *Pincerna*, vulgò *Bouteiller*. Hæc dignitas ab antiquo fuit in familia DD. de Gavere. Est autem *Gavera* nobile Municipium Comitatûs Alostani ad Schaldim fluvium, Principatûs titulo donatum anno 1556. in favorem Comitum Egmundanorum, ad quos circa hunc annum è Familia Luxemburgica per nuptias translatum fuit.

(11) Eustathii Camerarii, vulgò *Chambellan*. Est præterea Hereditarius Flandriæ Mareschallus, qui modò est Comes de Cruyckenbourg, titulo Dominii de *Vichte*, qui Pagus in Castellania Aldenardensi situs est. Cancellarius verò Hereditarius Comitis Flandriæ olim erat Præpositus Ecclesiæ S. Donatiani Brugis: nunc autem ab anno 1560. est Episcopus Brugensis, in cujus favorem suppressa fuit dignitas Præposituræ.

De Familiis jam memoratis, earumque Genealogiis vide ampliora in Chronico Belgico.

CAPUT LXVI.

Idem Comes PHILIPPUS *donationem CCC. mensurarum terræ, à* WALTERO *Cortracensi emptarum, confirmat, in favorem Ecclesiæ Ariensis, anno* 1172.

EGO PHILIPPUS, Dei gratiâ Flandriæ & Viromandiæ Comes, notum fieri volo tam futuris, quàm præsentibus, quod redemi pro centum & septuaginta marchis à WALTERO Cortracensi CCC. mensuras, quas ei dederam, à me in feudo tenendas, infrà lacum, qui est inter Watenes & Bourbourg, quem propriâ expensâ exsiccari feci, & ad terram arabilem redegi.

PRÆDICTUS itaque Walterus Brugis, in præsentia Virorum seu hominum meorum, terram præfatam in manus meas liberam resignavit, & sic eam liberam & absolutam concessi in eleëmosynam perpetuò habendam Ecclesiæ S. Petri Ariensis.

QUOD ut ratum & inconcussum permaneat, sigilli mei auctoritate & Testium subscriptione corroborari præcepi.

Signum (1) Roberti Flandrensis Cancellarii.
S. Roberti Brugensis Decani.
S. Rogerii Cortracensis Castellani.
S. Eustathii Flandrensis Camerarii.
S. Giselberti de (2) Nivella......

Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo LXXII. 1172

(1) ROBERTI Flandrensis Cancellarii. Robertus Ariensis Præpositus, Theoderici Alsatii Cancellarius, anno 1173. Atrebatensis, & sequenti anno Cameracensis Episcopus electus, apud Condatum Hannoniæ oppidum, à ministris Jacobi Avesnensis, eodem ipso anno est interfectus: ut in Auctario Aquicinctino narratur.

(2) NIVELLA, vulgò *Nevele*, Baronia vetus ac celebris propè Gandavum.

CAPUT LXVII.

FREDERICI I. *Imperatoris Diploma de Heristallo Ecclesiæ Leodicensi oppignorato, anno* 1171. *scriptum.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. FREDERICUS divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus.

QUÆCUMQUE instituta, vel conventiones inter diversas personas solemniter contrahuntur, dignum reputamus, ut scripto diligenter annotentur, ne per successiones temporum transeant in oblivionem mentium, & à memoria hominum deleantur.

NOTUM igitur facimus tam futurorum quàm præsentium industriæ, quòd GODEFRIDUS Dux Lotharingiæ beneficium Ducatûs sui, quod situm est in villa (1) HARSTALII, dilecto nostro RADULPHO Leodicensi Episcopo, Aquisgrani, in præsentia Principum & totius Curiæ, per manum nostram, pro trecentis marchis oppignoravit, & idem Episcopus, nullo reclamante, illud in potestatem suam contraxit & quietè possedit.

POSTMODUM verò placuit eidem Episcopo, ut jam dictum vadium, pro remedio animæ suæ, Ecclesiæ S. Mariæ, Sanctique Lamberti in Leodico conferret, & ad stipendia Fratrum Deo in Ecclesia eadem militantium destinaret.

UT autem ampliorem roboris perfectionem traditio ista, Imperialis nominis auctoritate, contraheret, memoratus Episcopus oppignoratum sibi beneficium, in celebri totius Curiæ præsentia,

(1) HARSTALIUM. In Austrasia (quæ postea à Lothario Juniore, Lotharii I. Imperatoris filio, dicta est Lotharingia) multa olim fuerunt Regia Palatia. Ex rerum Francicarum Scriptoribus constat, Regum Austrasiæ sedem fuisse Divodurum Mediomatricorum, quam urbem hodie Metas, *Mets*, nuncupant.

Ad Mosam fluvium tria olim fuerunt palatia admodum celebria, Heristallum, Jopilia, & Marsana seu Marsna.

Heristallum seu Herstallum, *Herstal*, Pipinus, Caroli Martelli pater, inde dictus Herstallius, construxisse creditur. Est hodie vicus ditionis Brabantinæ, primo lapide à Leodico, sub Dominio Domûs Nassovio-Orangiæ.

Jopilia, *Jopile*, in eadem Diœcesi Leodicensi est sita. De Marsana, *Mersen*, vide Codicem nostrum Donationum piarum Cap. 37.

Noviomagense Palatium, *Nimmeghe*, ad Vahalim fluvium in Batavorum insula, Carolus Magnus Imperator ædificavit, teste Eginharto. Eidem in deliciis fuit Theodonis villa, *Thionville*, ad Mosellam sita, in Ducatu Luxemburgensi.

Valentianæ ad Scaldim, *Valenciennes*, Palatio quoque insignes fuerunt; ut & Duria, *Duren*, in Ducatu Juliacensi. De Liptinensi Palatio, *Lestines*, cujus rudera non procul à Binchio Hannoniæ oppido visuntur, egi in Annalibus Belgicis anno 743.

Cæterùm pulchritudine reliqua omnia superabat Aquisgranense Palatium, *Aken* Teutonibus, *Aix la Chapelle* Gallis, quod Carolus Magnus à fundamentis exstruxit, ubi & obiit anno 814.

sentia, in manum nostram reportavit, nosque illud, petitione & assensu ejus, de manu propria in manum Henrici ejusdem Ecclesiæ Præpositi, & Ægidii (2) Comitis de Durachio, qui traditionis hujus Advocatus & mandiburnus institutus est, Othonis de Malbere, Alexandri de Noviomago, ad usus stipendiarios Præbendæ Fratrum, ut jam dictum est, liberè & absolutè tradimus.

Si verò prænominatus Dux idem vadium, datis trecentis marchis, redemerit, pecunia illa in custodia Leodicensis Ecclesiæ tam diu teneatur, donec alodium ex consilio Episcopi & Fratrum inde comparetur, unde stipendia Fratribus persolvantur, & anniversarius dies ipsius Episcopi annuatim in Ecclesia peragatur.

Statuimus itaque, & Imperiali auctoritate firmiter & districtè præcipimus, ut nulla persona, magna seu parva, secularis vel Ecclesiastica, hujus institutionis...... aliquatenus improbare, aut irritum revocare præsumat. Quod qui fecerit, quinquaginta libras auri puri pro pœna persolvat, dimidium Cameræ nostræ, & reliquum prædictæ Ecclesiæ.

Ut autem hæc omnia inviolabiliter observentur, & rata permaneant, præsentem inde paginam conscribi, & sigilli nostri impressione jussimus communiri. Hujus rei Testes sunt,

Christianus Moguntinus Archiepiscopus.
Arnoldus Treverensis Archiepiscopus.
Godefridus Trajectensis Episcopus.
Theodericus Comes de Cleve.
Adelbertus Comes de Molbach.
Henricus de Cuke.
Conradus de Bochesberch.
Robertus de Durne.
Wernerus de Boulant.
Henricus Leodicensis Ecclesiæ major Præpositus.
Simon Decanus.
Amalricus, Balduinus, Rodulphus, Archidiaconi.
Robertus Cantor.
Ægidius Comes de Durachio.
Otto de Malberg.
Alexander de Numage.
Eustathius, Frater Advocati Hasbaniæ.
Turricus de Prato.
Fastradus de Dummertin.
Thomas de Helmericurt.
Godinus de Hosemont.
Bodo Frater ejus, & alii quàm plures.

Ego Henricus Cancellarius, vice Christiani Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo primo, Indictione quartâ, regnante Frederico Romanorum Imperatore, anno Regni ejus vicesimo, Imperii verò decimo octavo. 1171

Datum Leodii III. Kalendas Octobris feliciter, amen.

(2) Comes de Durachio, Subadvocatus Monasterii Trudonensis. Illius loci Advocatiam Henricus Comes Limburgensis Godefrido III. Lotharingiæ inferioris ac Brabantiæ Duci anno 1155. cessit: ut in Auctario Affligemiensi legitur.

CAPUT LXVIII.

Godefridus III. *Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ Dux, Collegium Canonicorum S. Joannis, in Mosæ fluvii insula Leodici, dotat anno* 1173.

Godefridus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, & Comes Lovaniæ, Canonicis Ecclesiæ (1) S. Joannis, quæ sita est in insula Leodii, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

Ne aliquo casu vel aliquo tempore à me vel à Successoribus meis aliquod onus indebitæ pensionis vobis imponatur, profiteor me, nihil amplius juris in villa de (2) *Nethenis* habere, jure Advocatiæ, nisi id tantùm, quod homines mei à me tenent, & venatores mei, judicio Scabinorum, recipere solent. In segete vestra, sive in (3) spicario sive in granario condatur, nihil Advocatum juris habere confiteor.

Quadraginta ergò solidos, quos de horreo supradictæ villæ vestræ de Nethenis annuatim tollendos existimabam, pro amore Dei & propter bona merita Magistri Benedicti, Decani ejusdem Ecclesiæ vestræ, petitione fidelis nostri Rixonis de (4) Monte Tienes, coram Domino Henrico de Jace, Præposito & Archidiacono Ecclesiæ S. Lamberti, qui vices agebat Episcopi, projecto à me pilo pallii mei, juxta

(1) S. Joannis, Canonicorum Collegium Leodicense, in Mosæ fluvii insula, à Notgero Leodicensi Episcopo circa annum 987. est fundatum; qui & *S. Crucis*, itemque *S. Dionysii* Collegia in eadem urbe fundavit. Obiit anno 1007.

Additio. (2) Nethenes, vicus est Brabantiæ, vulgò *Nethen*, tertio lapide à Lovanio, ubi hodiedum decimas percipit Capitulum S. Joannis. Hic locus celebris factus est per Eremum PP. Carmelitarum Discalceatorum, ibidem structam anno 1687. à Principe Vaudemontio.

(3) Spicarium, Flandricè *Spycker*, idem quod granarium seu horreum.

(4) Mons Tienes, Gallis *Tirlemont*, Flandris *Thienen*, Latinis *Thenæ*, Oppidum Brabantiæ, tertio lapide à Lovanio situm in strata lapidea versus Leodium.

juxta morem Nobilium, (5) werpivi, & hæc contra omnem ambiguitatem præsenti paginâ conscribi fecimus, & paginam ipsam nostro sigillo, adversus omnem calumniam, communivimus. Horum Testes sunt,

Præpositus & Archidiaconus, Henricus de Jace.

Rixo de Huleeim.

De liberis hominibus.

Henricus Vlieme.

Henricus de Adorp.

De Ministerialibus.

Walterus Rixonis.

Arnoldus filius Dapiferi

Wilhelmus Verimes.

Acta sunt hæc Leodii, in Capite Jejunii, (6) anno Incarnationis Domini millesimo centesimo septuagesimo tertio, Frederico Imperatore (7) Alexandriam novellam civitatem Italiæ potenter expugnante. 1173.

(5) WARPIVI. Werpire est idem quod barbarè dicitur, transportum facere seu quitare, Flandricè *Opdraghen*.

(6) ANNO 1173. Stilo Ecclesiæ Gallicanæ: nam Diploma istud scriptum est in *Capite Jejunii*, hoc est, initio Quadragesimæ, adeoque ante Pascha. Itaque stilo Romano, anni initium à Kalendis Januariis inchoante, anno 1174. scriptum est: quo anno post Festum diem Pentecostes, Alexandriam Civitatem à Frederico Imperatore obsessam fuisse, disertè legitur in Auctario Aquicinctinio.

(7) ALEXANDRIA, Insubriæ urbs anno 1172. ædificari cœpta, & in honorem Alexandri III. Papæ, tunc viventis, sic nuncupata (ut in citato Auctario legitur) ab eodem Pontifice anno 1175. Episcopali Cathedrâ est exornata.

CAPUT LXX.

RODOLPHUS *Episcopus Leodicensis*, & S. ALBERTUS, GODEFRIDI III. *Brabantiæ Ducis filius, Donationem Ecclesiæ ac decimæ Thenensis, dicto Collegio Canonicorum S. Joannis Leodicensis factam, confirmant anno* 1189.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego RODOLPHUS Dei gratiâ, Sanctæ Leodicensis Ecclesiæ humilis minister, & (1) ALBERTUS, Ducis Lotharingiæ filius, Archidiaconus & Præpositus Ecclesiæ B. Joannis Evangelistæ, dilectis ejusdem Ecclesiæ Canonicis, tam præsentibus quàm futuris, canonicè instituendis in perpetuum.

EFFECTUM justa postulantibus indulgere, & vigor æquitatis & ordo exigit rationis, præsertim cùm petentium voluntatem & pietas adjuvat, & ratio non relinquitur.

EAPROPTER, dilecti in Domino Fratres, justis vestris postulationibus clementer annuentes, notum facimus universis Christi fidelibus & futuris & præsentibus, quod GODESCALCUS, piæ recordationis Ecclesiæ vestræ Sacerdos & Canonicus Ecclesiam de *Monte Tienes*, sicut eam justè & canonicè, tamquam Dominus fundi, tam in Personatu Ecclesiæ ejusdem, quàm in decima & oblationibus fidelium, & in omni jure, quo ipsam possidebat, intuitu Dei & B. Joannis Evangelistæ, pro salute animæ suæ Ecclesiæ vestræ contulit.

ITA quod de præfatis Ecclesiæ proventibus, Missam & luminare unum, singulis noctibus, in Oratorio B. Remigii, quod in Ecclesia vestra situm est, & similiter unam Missam pro fidelibus defunctis quotidie Capitulum fideliter provideret, & residuum fructuum in usum Fratrum in Ecclesia vestra residentium, juxta portionem, quæ unumquemque Fratrum in (2) Refectorio contingere debet, prout competens videretur, rationabiliter dispensaret.

ET decedente prædictæ Ecclesiæ Personâ, Decanus S. Joannis, assensu Capituli, Personatum teneat, & in Ecclesia Thenensi Canonicus ejusdem Ecclesiæ Præpositus nominetur, & per discretos Sacerdotes, sicut institutio exigit, Ecclesiæ provideat, servatâ etiam ordinatione & stabilitate, quæ circa Canonicos ipsius Ecclesiæ Thenensis.....

CUM unus autem viam carnis fuerit ingressus, vel rationabiliter à Canonicatu fuerit amotus, alius per manum Personæ in eadem Ecclesia instituatur: ut sic piâ ratione initiata semper vigeat Præbendarum stabilitas. Si qui verò in eadem Ecclesia fuerint ordinandi, in titulo B. Joannis, sopitâ omni contradictione, ordinandi conscribantur.

NOS autem, quod canonicè, & ad honorem

Additio. EX hoc Diplomate patet. Capitulum S. Germani Thenis jam ante annum 1189. fuisse fundatum; at quo Patrono, nondum constar.

(1) ALBERTUS. Godefridi III. Lotharingiæ inferioris Brabantiæque Ducis ex Margarita Limburgica filius, fuit postea Leodicensis Episcopus, pro defensione libertatis Ecclesiasticæ, anno 1192. prope Remorum urbem in Gallia, martyrio coronatus, & Romani Martyrologii Tabulis ad diem 21. Novembris adscriptus. Sacra ejus ossa Albertus Pius, Belgarum Princeps, Remis Bruxellam anno 1612. transferenda curavit, & in Carmelitarum Virginum Discalceatarum Cœnobio collocavir. Paulus V. fortissimum Dei Athletam peculiari Diplomate Cælitibus adscripsit, quod exstat in Fastis nostris Belgicis.

(2) REFECTORIO. Canonicos olim communi Refectorio ac mensâ usos fuisse (ut hodie ferè vivunt Patres Oratorii in Italia, Francia, Belgio & alibi) fusè docet Molanus lib. de Canonicis.

rem Dei & B. Joannis Evangelistæ, & S. Remigii, & necessitatem tam vivorum quàm in Christo dormientium piè de Ecclesia Thenesi vobis collatum est, approbantes, præsentis scripti patrocinio renovatum communimus.

Et ne aliquis contrà id venire, & præfatam traditionem ausu temerario infringere præsumat, eam sigillorum nostrorum subtùs appensâ impressione roborantes, auctoritate Dei Patris Omnipotentis,& Filii,& Spiritûs Sancti, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & Summi Pontificis, & nostrâ, sub anathemate, solemniter inhibemus: salvo per omnia jure, & Episcopi Diœcesani canonicâ justitiâ.

Renovatum est hoc Leodii publicè anno Incarnationis Dominicæ MCLXXXIX. Indictione VII. Kalendis Januariis, anno Pontificatûs Domini Clementis Papæ XIV. Hujus rei 1189.
Testes sunt,

Albertus major Præpositus.
Henricus de Engelbert.
Daniel & Thomas, Canonici majoris Ecclesiæ.
Ebalus S. Pauli Decanus.
Henricus S. Bartholomæi Decanus.
Petrus Lovaniensis Decanus.
Magister Renerus.
Godescalcus de Contexo.
Engelbertus de Orbeta.
Engelbertus de Willenburgh, & alii quàm plures.

CAPUT LXXI.

Balduinus *Gisnensium Comes, ejusque uxor* Christiana, *anno* 1174. *variis prædiis dotant Abbatiam Clarimarisci, seu Claræ Paludis, quæ est Monachorum Ordinis Cisterciensis, primo lapide ab Audomaropoli, in Paludibus sita, ubi Insulæ natantes conspiciuntur.*

Ego (1) Baldewinus, Dei gratiâ Gisnensium Comes, & (2) Christiana Comitissa, uxor mea, pro salute animarum nostrarum, & Prædecessorum nostrorum, Abbati David de * Claromaresch, & Fratribus ibidem Deo servientibus, & Successoribus eorum in perpetuum, quidquid in villula, quæ dicitur *Niwerlede*, sive in reditibus, sive in servitiis, seu in terra, seu in aqua, denique (3) totum Comitatum pertinentem ad Gisnense Dominium, liberum & perpetuò habendum concessimus & reddidimus; centum quoque mensuras maresci ad virgam Comitis Flandriæ, ubi eas prædicti Fratres meliùs elegerint; tredecim quoque mensuras maresci, quas Hugo de Recha, & duodecim, quas Lambertus de Elvelinghem de Patre meo tenebant, quas præfati Milites eisdem Fratribus dederunt.

* Clairmarais.

Huic autem donationi addidit etiam Pater meus postea, in manu Willelmi Abbatis de *Claromaresch*, quidquid à terra Willelmi Ridemerie, prævigni ejus, inferiùs sive in terris, sive in maresco vanassorum aut rusticorum, ex utraque parte Reche, ad Gisnensem Comitatum pertinebat, ut & ea, quæ jam acquisierunt, & quæ deinceps acquirere poterunt, liberè possiderent: totam quoque terram & marescum Walcheri, & filiorum ejus, sicut terra Willelmi Redemerie dividit, quæ Willelmus de Feiltum Mathildi de S. Audomaro, uxori suæ, in vadium quadraginta marcharum, in præsentia Patris mei dedit ipsa Mathildis, accepto pretio quadraginta marcharum à prædictis Fratribus. Walcherus similiter & filius ejus, accepto pretio XX. marcharum, Ecclesiæ de Claromaresch, in præsentia Patris mei & Baronum eis donaverunt.

Pater quoque meus, pretio duodecim marcharum interveniente, rogatu tamen & concessione ipsorum omnium, precibusque Comitissæ Flandriæ, eandem terram, cum maresco, absolutam & liberam à cunctis reditibus & servitiis, sive in terris, sive in maresco, & cum universo Comitatu, tam proprietate terræ ipsius Walcheri, quàm vanassorum & rusticorum, præfatæ Ecclesiæ concessit, & sigilli sui impressione signavit, & Domino Miloni Morinensi Episcopo, ut sub anathemate confirmaret, mandavit.

Primæ Donationis Testibus,

(4) Milone Archidiacono.
Arnulfo Watenense.
Gilleberto Tuanense.
Willelmo, Eustathio, Waltero de Arda, Canonicis.
Arnulfo Vicecomite de Markenes.

Eustathio

(1) Baldewinus, Gisnensium Comes, Arnulfi seu Arnoldi Comitis Gisnensis filius, Wenemari Castellani Gandensis & Gislæ Gisnensis nepos, à S Thoma Cantuariensi, quem ex Anglia pulsum Gisnæ hospitio exceperat, creatus est Eques: ut Lambertus Ardensis in suo Chronico cap. 87. testatur: *Comiti Balduino Thomas, in signum militiæ, gladium lateri, & calcaria pedibus adaptavit, & alapam collo ejus inflixit.* Obiit autem Balduinus anno 1205, ut idem Lambertus & Meierus commemorant.

(2) Christiana, Uxor Balduini Comitis Gisnensis, fuit Domina & heres oppidi Ardensis, adeoque filia unica Arnulphi Vicecomitis Markisiensis, de quo supra pag. 180, & Athelæ Ardensis Dominæ, ut idem Lambertus cap. 67. & 85. narrat.

(3) Totum Comitatum, id est, Districtum.

(4) Milo, Archidiaconus. Fuit Milonis primi Successor in Episcopatu Teruanensi, & Fratris ejus filius,

Eustathio de Bavelinghem, Hugone filio ejus.
Reimundo de Toslae, Reimundo filio ejus.
Manasse de Tornhem, Manasse filio ejus.
Rainero Dapifero.
Hugone de Reche Vicecomite.
Lamberto de Elvelingehem.

Secundæ autem Donationis Testibus,

Arnulfo Presbytero de Tornehem.
Willelmo Canonico de Arda.
Eustachio de Bavelingehem.
Balduino Fratre ejus.
(5) Balduino de Ermelingehem.
Eustathio de Liskes.
Philippo de Montgardum.
Balduino, Fratre Henrici de Campaines.
Alelmo de Gisnes.
Drogone de Sperleka.
Lamberto de Elvelinghem.
Willelmo Code.

Conventum est inter Patrem meum, & prædictos Fratres, ut si quando pro communi terrarum utilitate superiorum & inferiorum, in Ecclesiis, jussum fuerit fossata renovari, & hoc ipsum Magistro Grangiæ nuntiatum fuerit, ipsi etiam, quæ fodienda sunt, oportuno tempore fodiant, ne per eorum incuriam aliis damnum eveniat. Quod si contigerit, & hoc tribus legitimis Testibus hinc, & tribus inde, id est, ex nostra & eorum parte comprobatum fuerit, quinque solidos pro frorifteo restituent. Volumus quoque, ne publica via ab eis ullo modo obstruatur. Terminus autem mareschi Walcheri est, sicut utraque beka ex una parte, & rivus aquæ ex altera parte dividunt.

Et sciendum, quod aliquanto tempore post obitum Patris mei elapsum, cum super maresci prædictorum Fratrum calumniam ponerem, pro eadem calumnia sepelienda, decem mensuras maresci mihi dederunt, quas rursus ego & uxor mea Christiana Comitissa pro animabus nostris, & Patris mei, & Prædecessorum nostrorum, in perpetuam eleëmosynam eisdem Fratribus liberas reddidimus, & insuper quidquid in terris, & in maresco, & in aquis, & in pratis, in ultima vita Patris mei, possederant, & quod ab eodem Patre meo & hominibus ejus vanassoribus & rusticis acquisierant, denique quiequid in Comitatu Gisnensi possident, & quidquid fossata eorum concludunt, omni calumniâ sopitâ ac sepultâ, quietum & liberum prædictis Fratribus jure perpetuo possidendum, in manu Domini David Abbatis concessimus & dedimus.

Quod ut ratum & inconvulsum & absque calumnia deinceps in perpetuum permanere valeat, sigilli mei impressione signavi, & hominum meorum attestatione munire curavi. Horum autem Testes sunt:

Petrus Abbas Andrensis.
Simon de Rodelingehem,
Lambertus de Scala, Monachi.
Wildo de Elenbom.
Eustathius de Montgardin.
Eustathius de Bavelingehem.
Paganus de Morholt.
Clemens de Arda.
Hugo de Salperwich.
Eustathius Strabo.
Simon de Ekarde.
Manasses de Scardove.
Matthæus de Sutkerke.

Actum anno Dominicæ Incarnationis MCLXXIV. mense Julio. 1174.

C A-

(5) Balduinus de Ermelingehem, Conestabilis in Comitatu Boloniensi, & celebris in expeditionibus pro Terra Sancta susceptis, ut idem Lambertus in citato Chronico narrat.

Comitatus porrò Gisnensis, postquam ducentis plùs minùs annis fuerat penes Familiam Castellanorum Gandensium, deficiente lineâ masculinâ, tandem venit in manus Comitum Augiensium, vulgò *d'Eu*, ex qua gente aliquot Reges Hierosolymitani ac Duces Athenarum prodierunt.

Ex eadem Gandavensi Comitum Gisnensium Familia fuit Enguerannus, qui ex parte matris suæ Dominium Cossiacense, *Coucy*, adeptus, illustrem abud Francos gentem Cossiacensem plantavit ac fundavit: ut Andreas Quercetanus in Historia Montmorencia lib. 3. Cap. 3. & in Historia Castillionæa lib. 8. Cap. 3. fusè narrat.

Libet his subnectere quæ de primis Gisnensium Comitibus leguntur ad calcem Chronici Andrensis:

Pluribus ex annis sic fantur Scripta Joannis.
Qui fuerant quondam Comites, in Carmina fundam,
Gisnensis Terræ, fortes in tempore guerræ.
Primus Sifridus, 2 Arnulfus, *& inde* 3 Rodulphus,
4 Eustathius, 5 Baldewinus *fundator honesti*
Andrensis Templi, sextus 6 Manasses *&* Emma,
Hi duo struxerunt Templum Sancti Leonardi.
7 Albricus, 8 Balduinus *qui præfuit Ardæ,*
Hi fuerant Comites non re sed nomine tantùm,
Inclytus 9 Arnoldus *de Ganda qui veniebat,*
Hic priùs in Terra, quæ nunc sunt arma, gerebat.
Filius illius 10 Baldewinus *generosus*
Hunc sequitur, probitate pari nimis ingeniosus.
Nobilis 11 Arnoldus, *mitissimus atque benignus*
Postea processit, cælesti munere dignus.
Huic 12 Baldewinus *successit, pacis amator,*
Consilii speculum, probus in terra moderator.
Egregius juvenis 13 Arnoldus *nomine dictus*
Imperat hinc Terræ: valeat, vivat benedictus,
Tredecimusque Comes exstat, sit justus ad omnes.

CAPUT LXXII.

PHILIPPUS *Alsatius, Flandriæ Comes, anno* 1176. *testatur, Ivanum Gandavium, Comitem Alostanum, dotasse Messinensem Virginum Benedictinarum Abbatiam, in Diœcesi Iprensi.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego PHILIPPUS Flandriæ & Veromandiæ Comes, cunctis fidelibus in perpetuum.

NOVERINT tam posteri, quàm moderni, quod (1) IWANUS DE GANDAVO & uxor ejus LAURETA, Soror mea, dederunt in eleemosynam, per manum Theoderici Comitis Flandriæ, Patris mei, Ecclesiæ (2) MECINENSI terram suam juxta (3) *Comines*, quæ appellatur *Ploitz*, cum omnibus pertinentiis suis, præter homines feodarios.

SICUT ergò mihi innotuit hoc esse verum, tam vivâ voce Patris mei & hominum meorum, quàm Scripti auctoritate ejus sigillo muniti; ita dominium illud, prætaxatæ Ecclesiæ legitimè collatum, sigilli mei impressione eidem confirmari præcepi, ne quis in posterum hoc infringere aut temerè interturbare præsumat.

Datum Brugis anno Domini MCLXXVI. 1176.

(1) DE IVANO, seu Iwano, (qui anno 1144. obiit) aliisque Comitibus Alostanis vide Annales nostros Belgicos, anno 1166.

(2) DE MECINENSI, seu Messinensi nobilium Virginum Benedictinarum Cœnobio, per Balduinum Insulanum, Flandriæ Comitem, ejusque conjugem Adelam fundato, vide Codicem Donationum Piarum. cap. 55. 57. & 60.

(3) COMINES, Oppidum Flandriæ, à quo Philippus Cominæus, laudatissimus ille Historiographus, cognomentum accepit, obiit anno 1509. Ejus Historiæ curiosissimis Notis ac Diplomatibus à D. Dionisio Gothofredo illustratæ reimpressæ fuère Bruxellis anno 1718. in 5. vol. Additio.

CAPUT LXXIII.

HENRICUS I. *cognomento* **PUGNAX**, *Lotharingiæ inferioris Brabantiæque Dux, ab* **HENRICO V.** *Imperatore Civibus Oppidi Silvæducensis, (nuper conditi) anno* 1196. *impetrat immunitatem à vectigalibus Rhenanis.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, HENRICUS VI. divinâ favente clementiâ, Romanovum Imperator & Rex Siciliæ.

EXCELLENTIÆ nostræ benignitas dignum & utile attendit, ut ea quæ de Imperiali gratia circa fideles & familiares suos largitur, & benignè constituit, ne tam præsentium quàm posterorum ignorantiâ sive malitiâ possint aut debeant retractari, privilegii sui munimine confirmet.

QUAPROPTER notum facimus universis Imperii nostri fidelibus, præsentibus & futuris, quòd nos attendentes puram fidem & multa obsequia, quæ dilectus consanguineus noster HENRICUS, Dux Lotharingiæ, nobis & Imperio constanter exhibuit, ad instantem ipsius postulationem, universos homines suos de nova civitate apud (1) SILVAM, qui nunc ibi sunt, & in posterum ad manendum illuc convenerint (exceptis nostris hominibus, qui ibi recipi non debent) à teloniis nostris, quæ nos ubique in Rheno ad manus nostras habemus, Imperiali benignitate in perpetuum absolvimus.

ITA videlicet quòd de rebus, quæ suæ sunt, nullum nobis vel nuntio nostro persolvant telonium, nullaque in eos vel res ipsorum fiat exactio, ipsique aliorum res nec deferant, nec de eis negotientur.

STATUIMUS igitur & Imperiali auctoritate sanximus, ut nulla omninò persona, humilis vel alta, secularis vel Ecclesiastica, prædictos homines de nova civitate apud SILVAM, qui ibi pro tempore fuerint, præter nostros homines, quos excepimus, contra hanc nostræ Majestatis concessionem, gravare audeat, vel eos aliquatenùs impedire vel molestare.

QUOD si quis attentaverit, triginta libras auri pro pœna compenset, dimidium Cameræ nostræ, & reliquum passis injuriam. Ad cujus

IMmunitatis istius litteras Carolus IV. Imperator anno 1349. confirmavit, petente Joanne Duce nostro.

(1) APUD SILVAM. Agitur hic de Silva-ducis seu Buscoducis, Brabantiæ urbe, quam anno 1184. Godefridus III. Brabantiæ ac Lotharingiæ Dux vulgò dictus *in Cunis*, excisâ illic sylvâ condidit, juxta hoc Chronicon vulgare:

GodefrIdUs dUX è sILVa feCIt oppIdUM.

Perfecit illud Henricus I. cognomento *Pugnax*, Godefridi filius, murisque ac fossis cinxit anno 1196. Postmodùm facta est una è quatuor Urbibus Capitalibus Brabantiæ, Episcopali Sede exornata anno 1559. Sed ab anno 1629. quo Fœderatis Belgii Ordinibus post acrem obsidionem fuit tradita, non licuit ulterà Episcopis illic residere. Nunc verò Episcopatus gubernari solet per Vicarium Apostolicum. Additio.

rei certam in posterum evidentiam, præsentem paginam inde conscribi jussimus, & Majestatis nostræ sigillo communiri. Hujus rei Testes sunt:

Hartmannus Monasteriensis Episcopus.
Conradus Dux Sueviæ.
(1)Philippus Dux Tusciæ.
Poppo Comes de Wertheim.
Rubertus de Durne.
Anno de Mincenburg, & alii quàm plures.

Signum Henrici VI. Romanorum Imperatoris, & Regis Siciliæ. Et ego CONRADUS, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Conradi Moguntinæ Sedis Archiepiscopi, & Germaniæ Archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXCVI. Indictione XIV. anno Regni ejus XXVI. Imperii VI. Regnique Siciliæ II. 1196.

Datum apud Bopardiam, Kalendis Junii.

(1) PHILIPPUS Dux Tusciæ. Est is, nisi fallor, qui in schismate anno 1198. fuit electus contra Othonem IV. Imperatorem.

CAPUT LXXIV.

Principum Imperii Epistola de OTHONIS IV. *Imperatoris electione, anno* 1198. *data ad Innocentium III. Papam.*

SANCTISSIMO Patri ac Domino INNOCENTIO, Sacrosanctæ Romanæ Sedis Summo Pontifici, Principes & Barones Alemanniæ, clerici & laïci, debitam in Christo reverentiam & sinceritatem obsequii.

CUM placuisset ei qui aufert spiritum Principum, & Magnus & Terribilis est super Reges terræ, HENRICUM Imperatorem de medio auferre, necessarium nobis fuit visum de substituendo Rege tractatum & colloquium habere. Convenimus ergò sæpiùs, & miserias & oppressiones, quas hactenùs sustinueramus, recensentes, per universos Regni.... animos nostros ereximus, & quid honori Ecclesiæ Dei, & paci & quieti subjectorum expediret, deliberantes, nunc unum, nunc alium quasi finaliter eligere putabamus.

VERUM quia non est prudentia, non est potentia, non est consilium nisi per Deum, placuit ei, qui Abrahæ filium immolare volenti victimam providit, & David Fratribus juniorem de post fœtantes accepit, atque Matthiam ex Discipulorum numero ad sortem Apostolatûs elegit, Serenissimum Dominum nostrum (1) OTHONEM, quondam Henrici Ducis Saxoniæ filium, ad Regimen Romani Imperii, (2) de terra peregrinationis suæ, ex inopinato offerre nobis.

INVOCATÂ itaque Sancti Spiritûs gratiâ, prædictum Dominum OTHONEM, Christianæ fidei cultorem devotissimum, atque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Advocatum & defensorem fidelissimum, & Judiciariæ Potestatis observatorem justissimum, de longa & antiqua Regum Prosapia, ex utraque linea specialiter editum, ad Romani Regni fastigium justè & rationabiliter elegimus, &, sicut debuimus, ipsius electioni consensimus; ipsumque in Augustorum Sede, à Carolo Magno apud Aquisgranum huic Dignitati deputata, locavimus, & Coronâ & Regni Diademate, per manum Domini Adolphi Coloniensis Archiepiscopi, câ quâ decuit solemnitate, feliciter coronavimus.

NOS autem Principes, qui jam dictum Dominum in Regem elegimus, feuda nostra, quæ ab Imperio tenemus, à manu ipsius recipientes, hominium sibi fecimus, & fidelitatem juravimus.

TANTÆ igitur dignitatis munus Excellentissimus Princeps divinæ potiùs gratiæ quàm suis meritis adscribens, primitias hujus honoris offerens Domino, propriâ voluntate juramento firmavit, inprimis Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, deinde omnium Ecclesiarum jura bonâ fide servare, & manu tenere, & subjectos Imperii, exheredatos maximè, & à suis possessionibus violenter ejectos, in sua justitia, pro posse, juvare & conservare.

PRAVAM illam consuetudinem insuper, quam Imperatores Antecessores sui in occupandis rebus mobilibus, vel se moventibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum huc usque servaverunt, penitùs exstirpans, nos Ecclesiasticos Principes ex hac indebita vexatione Regali benevolentiâ liberos dimisit, & decedentium bona suis Successoribus servanda liberaliter statuit.

PATERNITATI ergo vestræ supplicare duximus, quatenùs fidem & devotionem Domini nostri Regis attendentes, merita quoque Illustrissimi Patris sui Henrici Ducis Saxoniæ, qui ab obsequio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ nunquam recessit, memoriter tenentes, paci & quieti nostræ & vestræ, intuitu Dei & nostri obsequii providentes, ipsius electionem & consecrationem auctoritate vestrâ confirmare, & Imperiali coronatione armare, paternâ pietate dignemini.

SANCTITATEM insuper vestram obnixè rogamus, quatenùs Principes & Barones, à tam rationabili electione discordes, Ecclesiasticâ censurâ ad concordiam revocetis, & ab illicita fidelitate partis adversæ, clave S. Petri resolutos, ad præstandam Regi Domino nostro fidelitatem & subjectionem, auctoritate vestrâ compellatis.

UT autem à Domino Rege nostro jura Romanæ Ecclesiæ (ut prædictum est) integra & illibata serventur, nos in bona fide spondemus, & pro Domino Rege nostro fidejubemus.

Ego

Ego (3) Adolphus, Coloniensis Archiepiscopus, elegi & subscripsi.

Ego (4) Berardus, Paderbornensis Episcopus, elegi & subscripsi.

Ego (5) Thietmarus, Mindensis Episcopus, elegi & subscripsi.

Ego (6) Wittichindus, Corbeiensis Abbas, elegi & subscripsi.

Ego (7) Gerardus, Tudensis Abbas, elegi & subscripsi.

Ego (8) Heribertus, Werdensis Abbas, elegi & subscripsi.

Ego (9) Henricus, Dux Lotharingiæ, qui & Brabantiæ, Marchio Romani Imperii, elegi & subscripsi.

Ego Henricus Comes de Cuke consensi & subscripsi. 1198.

FREDERICO I. Barbarossæ anno 1190. defuncto, primogenitus filius HENRICUS dictus VI. in Imperio successit, quem anno 1191. Cælestinus Papa Romæ coronavit.

Historia Schismatis in Imperio Romano, seu Occidentali.

Annò 1196. Henrico VI. mortuo, schisma in Imperio ortum fuit. Nonnulli Philippum, Henrici jam dicti fratrem, alii Othonem Henrici Leonis, Ducis Saxoniæ ac Bavariæ, filium, elegerunt, anno 1198. ut Auctarii Aquicinctini Scriptor, qui tunc vixit, disertè tradit. Rem totam Trithemius in Chron. Hirsaugiensi his verbis breviter narrat.

Adolphus Archiepiscopus Coloniensis, & Theodericus Archiepiscopus Treverensis, habito consilio apud Andernacum cum Beroardo Duce, & aliis Episcopis, Comitibus atque Nobilibus pluribus, Curiam omnibus Principibus ad Dominicam, *Oculi mei* in Colonia generalem indicunt, pro novi Regis electione celebranda. Interea Marchiones Orientales, Conradus Archiepiscopus Moguntinus, Bernardus Dux Saxoniæ, Ludolphus Archiepiscopus Magdeburgensis, & alii Principes superiores, apud Erphurdiam convenientes, PHILIPPUM Ducem Sueviæ in Regem Romanorum elegerunt, fratrem videlicet Henrici Imperatoris defuncti.

Statuto igitur die, præfati Principes ad Coloniam convenientes, BERTOLFUM Ducem de Zeringen, quem se promiserant electuros, magno præstolabantur desiderio venturum: qui cùm 11000. marcarum argenti, cum Ducatu Sueviæ, à Philippo accepisset, electionique renuntiasset, venire contempsit. Quod cùm prædictis innotuisset Principibus, nimiùm indignati, OTHONEM filium quondam Henrici Ducis Saxoniæ, in Regem Romanorum contra PHILIPPUM elegerunt.

Ex his Trithemii verbis datur intelligi, quæ caussa Innocentium III. Papam impulerit, ut Decretalem illam Epistolam (ex qua desumptum est Capitulum, *Venerabilem*, Extra. de Electione & electi potestate) ad *Bertholdum* Zæringiæ Ducem scriberet.

Quâ quidem Epistolâ ipsum monet, ut *Philippum*, cui se acceptis nummis obstrinxerat, & cui jus omne suum cesserat, prorsus deserat, utpote excommunicatum jam ante electionem, & ut *Othonem* Regem amplectatur. Exstat dicta Decretalis Epistola, ab Antonio Augustino, Tarraconensi Archiepiscopo, & Jacobo Cujacio, celeberrimis nostri ævi Jureconsultis, integritati suæ restituta.

Philippus tamen, etsi à Romano Pontifice rejectus, longo ac cruento bello cum Othone Competitore dimicavit, regnumque vi annis novem, hoc est, usque ad mortem, tenuit, quam ipsi Otho Comes Witelsbachius anno 1208. mense Junio Bambergæ violentâ manu intulit. Othoni huic Fredericus I. Imperator Ducatum Bavariæ contulerat.

Philippo è vivis sublato, OTHONEM IV. in schismate pariter electum Imperii Proceres concordibus suffragiis suffecerunt, & Innocentius III. anno 1209. mense Octobri Romæ Augustum coronavit. Is Pontifici, à quo in eo fastigio positus fuerat, postea infensus, Pontificiam ditionem invasit. Anno itaque vertente, in Concilio Romæ habito, Othoni Imperium est abrogatum, notâ anathematis additâ; & obiit Brunsuici anno 1218 *Divaus*.

Germaniæ porrò Principes, Pontificis auctoritatem secuti, FREDERICUM, Siciliæ Regem, Frederici Barbarossæ nepotem, Cæsarem crearunt, & Honorius III. infulis Imperii decoravit. Princeps is fuit primò laudabilis, sed postea corruptus improbitate cum avo & Henrico patre certavit. Itaque decus & nomen Augusti, anno 1245. in Concilio Lugdunensi OEcumenico Innocentius IV. ipsi ademit.

Frederico deposito, non pauci Principes HENRICUM cognomento Rasponem, Hermanni Thuringiæ Landgravii filium, subrogarunt.

Quo mortuo anno 1247. Henricus Dux Brabantiæ filium sororis suæ, GUILIELMUM Hollandiæ Comitem, Domino Papæ & Episcopis Alemanniæ præsentavit: quem Episcopi elegerunt in Regem apud Coloniam, promittentes ei, juramento præstito, rebus & personis fideliter adsistere: ut in veteri Fragmento historico legitur.

Guilielmo à Frisiis occiso, RICHARDUS Dux Cornubiæ à nonnullis, ab aliis verò ALFONSUS Rex Castellæ est electus. Germaniâ varias in partes scissâ: donec tandem, post fœda multorum annorum certamina, RUDOLPHUS Habsburgensis Comes, Gentis Austriacæ Conditor, unanimi Septem-Virorum consensu, Cæsar est renuntiatus anno 1273.

Vide plura de hac Romanorum Imperatorum successione in Chronico nostro Belgico.

(1) OTHO IV. Imperator. Fuit filius Henrici Leonis, Ducis Saxoniæ & Bavariæ, quem Fredericus I. Imperator ex duabus istis provinciis pepulit, & à quo Duces Brunsuicenses originem trahunt. Uti vidêre est in Chronico nostro Belgico ad annum 1218. Mater porrò Othonis IV. fuit Mathildis soror Richardi Regis Angliæ. Uxorem Otho habuit Mariam, Henrici I. Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis filiam.

(2) DE TERRA PEREGRINATIONIS SUÆ: id est, ex Anglia.

(3) ADOLPHUS, Comes de Altena, Archiepiscopatu suo Coloniensi privatus fuit anno 1205. ab Innocentio III. Pontifice, eò quod Philippo electo Imperatori adhæreret. Additio.

(4) BERARDUS, aliàs Bernardus de Osede, Paderbornensis Episcopus, obiit anno 1202.

(5) THIETMARUS, Episcopus Mindensis, sanctitatis famâ clarus, obiit anno 1206. Porrò Mindensis Episcopatus anno 1648. per Tractatum Pacis Westphalicæ extinctus fuit, erectusque in Principatum S. R. I. in favorem Electoris Brandeburgici. Additio.

(6) WITTICHINDUS Abbas Corbeiensis Ordinis S. Benedicti in Saxonia inferiore: nam alia est Corbeia vetus in Picardia apud Gallos. Additio.

(7) GERARDUS, Tudensis Abbas, puto Fuldensis. Est autem Fulda Nobile ac celeberrimum Monasterium Benedictinorum in Hassia ac Moguntina Diœcesi: cujus Abbas S. R. I. Princeps & Archi-Cancellarius Imperatricis audit. Additio.

(8) HERIBERTUS, Werdensis seu Werdinensis Abbas Ordinis S. Benedicti ad Ruram fluvium in Westphalia. Porrò de tribus hisce celeberrimis Cœnobiis, Corbeiensi, Fuldensi, ac Werdinensi plura vide inferiùs in Opusculo de Origine Benedictinorum. Additio.

(9) QUI ET BRABANTIÆ. Henricus cognomento Pugnax, & illo nomine primus Dux noster, titulo Lotharingiæ (quo solo ejus Antecessores usi fuerant) titulum Brabantiæ primus adjecit. Quod notent antiquitatis Brabantinæ studiosi.

 C A-

CAPUT LXXV.

PHILIPPUS *cognomento* NOBILIS, *Comes ac Marchio Namurcensis, anno* 1207. *declarat, non nisi Nobiles feminas admittendas esse ad Collegium Canonicarum Virginum Andennensium, in Comitatu Namurcensi.*

PHILIPPUS Marchio Namurcensis universis Christi fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, in perpetuum.

CUM omnibus Ecclesiis sub mea constitutis protectione, ad auctionem juris & honoris sui, majorem tenear adhibere diligentiam, eas tamen ampliore curâ & beneficio honorare decrevi, quarum fides & devotio certioribus mihi innotuit argumentis.

INDE est, quòd Ecclesiam (1) ANDANENSEM, quam in jure & honore suo & libertate & antiquis institutionibus volens pleniùs...... tamquam Abbas & Advocatus, salvis iis, quæ antea gesta fuerant, concedo ei, & legitimâ auctione confirmo, quòd nullam amodo in Præbendis Dominarum in Ecclesia illa feminam instituere debeant, quam non constet esse Nobilem, & Nobilibus ortam Parentibus.

NEC aliqua suscipiatur in posterum ad Præbendam, quæ in aliqua alia Ecclesia Præbendam habuerit. Datum anno MCCVII. mense 1207.
Augusto.

C A-

(1) ANDANA, sive *Andenna*, est Municipium celebre in Comitatu Namurcensi, haut procul à ripa fluvii Mosæ situm, in quo S. BEGGA, Soror S. Gertrudis Nivellensis, post cædem mariti sui Ansigisi, anno 686. Nobilium Virginum Canonicarum fundavit, ut Sigebertus in Chronico tradit; primis virginibus ab Agnete Abbatissa tertia Nivellensi impetratis: ut in vita S. Gertrudis, jussu Dominicæ Abbatissæ, quæ Agneti successit, conscripta, & in vita S. BEGGÆ legitur. Vide infra Librum nostrum de Collegiis Canonicorum, & Fastos nostros Belgicos ad diem 17. Decembris.

De Comitibus Namurcensibus.

IN libro, quem de Stemmatibus Principum Belgii publicavimus, cap. 23. nonnihil lapsi sumus (quod humanum est) in iis, quæ spectant ad primos Comites Namurcenses. Quem errorem libet hic breviter emendare.

Tres ex ordine Albertos fuisse Comites Namurcenses, constat ex lacuna, quam, juxta fidem Ms. codicis, in Genealogia S. Arnulfi Metensis Episcopi, Lib. citato supplevimus.

ALBERTUS eo nomine primus circa annum Christi millesimum floruit, & uxorem habuit ERMENGARDEM, Caroli I. Ducis Lotharingiæ inferioris filiam: ex qua nati, ALBERTUS II. Comes Namurcensis, HADEWIDIS uxor Gerardi Alsatii, Ducis Lotharingiæ superioris, & Emma Comitissa Lossensis.

ALBERTUS II. anno 1046. Namurcense Canonicorum S. Albani Collegium instituit, quod nunc est Cathedrale. Uxor illi fuit REGELINDIS, filia Gothilonis Magni, Ducis Lotharingiæ superioris & inferioris: qui Gothilo anno 1044. obiit. Sunt qui putant, hunc ALBERTUM II. esse eundem cum Adelberto Duce sexto Lotharingiæ Mosellanæ, qui anno 1048. à Godefrido Barbato, Gothilonis Magni filio, est interemptus. Alii aliter sentiunt, & scribunt dictum Adelbertum fuisse Comitem de *Longuy*. Ego quod certò statuam, non habeo.

ALBERTUS III. genuit Fredericum Episcopum Leodicensem, Godefridum Comitem Namurcensem, Henricum & Albertum.

GODEFRIDUS, cum uxore sua Ermensenda Luxemburgica anno 1121. fundavit Abbatiam Floreffiensem, quæ est tertia universi Ordinis Præmonstratensis.

HENRICUS, cognomento *Cæcus*, Godefridi filius, Comes Namurcensis & Lutzeburgensis ex parte Matris, admodum senex, post annum 1188. vivere desiit.

Henrico avunculo suo, in Comitatu Namurcensi successit BALDUINUS Magnanimus, Flandriæ & Hannoniæ Comes, qui anno 1195 vivere desiit, sepultus Montibus Hannoniæ, in Templo S. Waldetrudis.

Balduino Magnanimo Patri suo suffectus est PHILIPPUS cognomento *Nobilis*, qui numerum XX. Præbendarum in Ecclesia S. Albani tribus Præbendis auxit, & XX. Vicarias seu Capellanias ibidem instituit. Obiit anno 1212. non relictis liberis ex Maria, Philippi Augusti Francorum Regis filia, quæ posteà Henrico I. Brabantiæ Duci nupsit, & Affligemii quiescit.

De his & aliis Comitibus ac Marchionibus Namurcensibus plura si voles, Semmata nostra Belgica Cap. 23. lege.

Libet his annectere quæ de Pago Namurcensi, ejusque Comitibus Petrus Divæus scribit in libro de Statu Galliæ Belgicæ sub Francorum Imperio, nondum typis edito.

Namurcum, priscis *Nametodurum* dictum lego. Primam ejus mentionem invenio in gestis anni 689. apud Sigebertum: inter Pipinum (inquit) & Gissemarum, filium Waratthonis, apud Namucum Castrum pugna committitur. Hæc ille.

Placentius Episcoporum aliquot Tungrorum & Trajectensium genus à Comitibus Namurcensibus deducit, plusquam Poeticâ licentiâ, in fingendis Principatuum nominibus, passim usus. Ego apud illorum temporum Scriptores, ALBERTUM, maritum Ermengardis, filiæ Caroli Ducis Lotharingiæ, Namurcum dotale possedisse lego, ante annum 1000.

Filius ejus ac Successor ALBERTUS anno 1046. Collegium Canonicorum Namurci instituit: de quo vetustus quidam Chronographus, quem manuscriptum vidi, anno, inquit, Domini 1048. in bello apud Richovium à Godefrido Duce occiditur Albertus Comes Namurcensis, qui Ecclesiam S. Albani reædificavit, & XX. Canonicos ibi instituit. Hæc ille. Crediderim hunc fuisse qui ab Henrico III. Imperatore Ducatum Mosellanum acceperat.

Huic ALBERTUS III. successit, Albertique filius Godefridus Henricum genuit, Adelam, & Isabellam. Hæc Henrico Luxeburgensi, illa Balduino Hannoniæ Comiti, nupsere. Inter quorum posteros, mortuo sine liberis Henrico, variè diuque dimicatum.

Porrò de prisca latitudine Pagi Namurcensis nobis incompertum: nostro tempore Comitatus iste Namurcum, Bovinas, Florucum, Valecurtem, *aliaque nonnulla loca complectitur. Hactenùs Divæus.

* Adde nunc Carolo-regum.

CAPUT LXXVI.

Pactum inter HENRICUM I. *Lotharingiæ Brabantiæque Ducem, & Ecclesiam Montensem S. VValdetrudis, super exstructione Oppidi Herentalensis, initum anno* 1209.

EUSTATHIUS Præpositus, HAWIDIS (1) Decana, & totum Capitulum S. (2) Waldetrudis in Montibus, universis Christi fidelibus, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

NOTUM & certum universitatis vestræ facimus discretioni, quòd cùm Princeps Illustris HENRICUS Dux Lotharingiæ, & Marchio Antverpiæ, in territorio & potestate de (3) HERENTALS, Burgesiam novam construeret, & nos inde reclamationes & querimonias faceremus, ipse Dux jam dictus, bono ductus spiritu, pro sui & dilectæ conjugis suæ MACHTILDIS, Nobilis Ducissæ, animarum remedio benignè nobiscum pacem firmam iniit & concordiam.

COMPOSITUM quidem est de benigno & communi sui & nostri consensu, quòd salvis & retentis nobis censibus & reditibus nostris, & decimis, Villicoque nostro cum Scabinis & jure Mansionariorum nostrorum ac hereditariorum, tam in villa Herentals, quàm campis, aqua, molendinis, & nemoribus, sicut ea tenebamus, antequam prædicta Burgesia construeretur, eadem Burgesia, tam constructa & constituta, quàm in posterum construenda & constituenda, omnesque vastinæ, quæ terræ silvestres dicuntur, totius alodii & potestatis de Herentals, ipsi Duci & nobis communes permaneant.

ITA tamen, quòd totius Burgesiæ præfatæ, tam statutæ & constructæ, quàm in posterum statuendæ & construendæ, tam in reditibus, quàm aliis proventibus medietas cedat in partem nostram, perpetuò per Villicum aut ministrum nostrum custodienda & percipienda, alia verò medietas in partem prædicti Ducis deveniat, perpetuò per Villicum & ministrum suum custodienda & percipienda.

SIMILITER de vastinis prædictis, quæ terræ silvestres dicuntur, ad suam & nostram communitatem pertinentibus, nihil alicui conferri aut concedi potest, nisi communi & concordi Villici sui & Villici nostri consensu, & Scabinorum nostrorum & suorum, & nisi observato suo aut nostro communi & meliori commodo, in quibus nos, tam in reditibus quàm censibus, & servitiis & denariis medietatem habeamus. Dux verò aliam medietatem habeat, præter decimas Burgesiæ & vastinarum, omnes ad nostram proprietatem pertinentes.

(4) VILLICUS ipsius Ducis, & Villicus noster, & Scabini Burgesiæ communem Duci & nobis semper tenentur exhibere fidelitatem. De omnibus autem prædictis, quæ infrà alodium & potestatem de Herentals sibi retinuit, non liceat sibi aut alicui Successori suo, aliquid alicui dare aut vendere vel invadiare, seu in feodum aut beneficium vel censum concedere, vel in eleemosynam conferre, nisi nobis & Ecclesiæ S. Waldetrudis, sed ea semper ad manum suam & proprietatem retinere debet is qui Ducatum Lotharingiæ possidebit. In prædictis quippe alta Justitia satisdicto Duci, suisque Successoribus tota sine participatione remaneat.

UT hæc autem rata habeantur, & inviolata permaneant, scripti præsentis annotatione, & sigilli nostri appensione eadem approbamus plenius, & confirmamus. Testes:

(5) Gillebertus Præpositus S. Germani Montensis.
Nicolaus Nacha,
Romondus,
Wilhelmus Everam,
Walterus Gervasii,
Ludovicus, & alii Canonici B. Waldetrudis.
Machtildis & Agnes de Fontaines,
Gela de Hórmetis,
Maria & Bertha & Jacquelina de Quarigum.
Bessela de Louwis,
Petronilla de Ladusa,
Aleidis de Goy,
Elisabeth & Clarissa de S. Simphoriano, & aliæ Dominæ Montensis Ecclesiæ.

Actum anno Verbi Incarnati millesimo du- 1209.
centesimo nono, mense Octobri.

C A-

PActum istud suo Diplomate anno 1121. confirmavit Henricus Primogenitus Henrici I. Brabantiæ Ducis.

(1) DECANA. Hodie quatuor seniores Canonicæ præsunt, nec ulla est Decana.

(2) S. WALDETRUDIS, Uxor S. Vincentii Comitis Souegiensis & Altimontensis, anno 651. floruit, & Montense Nobilium Virginum Canonicarum in Hannonia Collegium fundavit, ut in Fastis Belgicis explicui.

Additio. (3) HERENTALS, Oppidum Campiniæ Brabantinæ, sub Districtu ac Diœcesi Antverpiensi, ad minorem Netham fl. anno 1209. muris cinctum. Ecclesia ejus D. Waldetrudi sacra est, in eaque olim erectum fuit Capitulum Canonicorum anno 1366. per Petrum de Andrea Episcopum Cameracensem: quod qualiter aut quando interierit, hactenùs ignoratur. Decimas illic hodieque percipit Capitulum S. Waldetrudis Montense.

(4) VILLICUS, id est Prætor, seu Præfectus Justitiæ.

(5) GILLEBERTUS, de quo vide supra Cod. Donat. Piarum pag. 109. in Notis.

CAPUT LXXVII.

Contractus nuptialis inter WALERAMUM, HENRICI IV. *Ducis Limburgensis filium, postea Ducem, & ERMENSINDAM Comitissam Lutzeburgensem, anno 1214. initus.*

EGo (1) WALRAMUS, filius Henrici Ducis de Limborch, & Marchio Arlunensis, Castrum meum de *Arlon*, cum omnibus appendiciis, tam in hominibus, quàm casamentis, & rebus omnibus ad idem Castrum meum pertinentibus, laude & assensu prædicti Patris mei, Ducis, & Fratrum meorum, Henrici (2) de Vaxembergh & (3) Gerardi de Horne, & etiam (4) filiorum meorum, Henrici & (5) Walrami.... Dominæ ERMENSENDI, Comitissæ Lucelburgensi & (6) Rupensi, uxori meæ, in legitimam dotem contuli & concessi...

SI uxor mea ERMENSENDIS de me prolem susceperit, quilibet heredum tam illorum, quos de me genuerit, quàm ille heres, quem uxor mea prædicta, priusquam eam ducerem, habebat, in hereditate habeat id quod de jure debet habere.

SI verò demùm prolem non habuerit, hereditas sua ad heredem suum revertetur; hereditas autem mea meis heredibus remanebit....

HÆC omnia ... me firmiter & semper servaturum super Sacrosanctas Reliquias juravi, anno MCCXIV. mense Maio. 1214.

CAPUT

Stemma Comitum ac Ducum Limburgensium.

HENRICUS I. Comes Limburgensis, ex Muta, sive, ut Andreas Quercetanus legit, Juta, hoc est, Judita, Frederici Lotharingiæ inferioris Ducis filia, genuit Henricum.

HENRICUS II. Godefrido Bullonio anno 1100. sine liberis defuncto, in Ducatu inferioris Lotharingiæ anno 1101. ab Henrico IV. Imperatore est suffectus, eodemque postea anno 1106. privatus.

Vide supra pag. 88.

WALERAMUS I. cognomento *Paganus*, Henrici II. filius, anno 1126. Ducatum à Lothario Imperatore rursus impetravit; quem Conradus, Lotharii in Imperio successor, anno 1138. eidem rursus ademit. Est hic *Paganus*, nisi fallor, qui Diplomati Antverpiensi anno 1119. (sic enim legendum, non 1125.) dato subscripsit, quod vide supra in Codice nostro Donat. Piar. Cap. 74. Filios reliquit Henricum, Waleramum & Gerardum.

HENRICUS III. Walerami I. filius cum Fratre suo Waleramo Comite de Arlon, anno 1146. Diplomati Cameracensi subscripsit, quod suprà cap. 60. recitavimus. Ejusdem Henrici III. filiam Margaritam Godefridus III. Brabantiæ Dux anno 1155. duxit uxorem: ut in Auctario Affligemiensi legitur.

HENRICUS IV. Dux Limburgensis successit Patri suo Henrico III. & filios habuit Waleramum II. Henricum de Wallenbergh, Gerardum de Bornes, & Simonem electum Episcopum Leodiensem, qui dein S. R. E. Cardinalis obiit Romæ anno 1195. Henricus IV. in provecta senectute mortuus est anno 1221.

WALERAMUS II. Henrici IV. filius, Patre suo adhuc vivente, anno 1198. Aquasgrani defendit pro Philippo Tusciæ vel Sueviæ Duce, quem nonnulli Germaniæ Proceres eodem ipso anno Cæsarem elegerant, contra Othonem IV. Henrici Leonis, Saxoniæ Bavariæque Ducis, filium: ut in Auctario Aquicinctino narratur.

Idem *Waleramus* anno 1214. Ermensendam Henrici cognomento *Caci*, Comitis Luxemburgensis ac Namurcensis filiam & heredem, sibi conjugem sumpsit: ut ex Diplomate jam memorato liquet. Obiit anno 1226.

HENRICUS V. cognomento *Magnus* & *Blondus*, Dux Limburgensis & Comes Lutzeburgensis ex Cunigarde Adolphi Comitis Montensis filia sustulit Waleramum III. & Adolphum Comitem Montensem.

WALERAMUS III Dux Limburgensis circa annum 1278. moriens unicam filiam reliquit. Dein verò Joannes I. Brabantiæ Dux Limburgum occupavit: qua de re vide Chronicon nostrum Belgicum ad annum 1070. ubi Stemmata Ducum Limburgensium fusiùs explicantur.

Interim nota, Comites Limburgenses, postquam semel Ducatum Lotharingiæ obtinuissent, Ducalem semper titulum gessisse.

(1) EGO WALRAMUS. Fuit is postea Dux Limburgensis illo nomine secundus.

(2) VAXEMBERCH. *Wassenbergh*, in Ducatu Juliacensi, non *Vaxemberch*. Butkens verò certò legendum putat *Valckenbergh* (*Fauquemont*) quia Domini Falcoburgenses sunt ex familia Limburgensi & habent eadem insignia.

Gomicurtius legit etiam *Vassemberg*. Jolendis filia Comitis de Wassemberga nupta Balduino III. Hanoniæ Comiti. Auct. aquicinct anno 1195.

(3) GERARDI DE HORNE. Gomicurtius putat legendum *Bornes*. *Ritwyck* etiam legendum putat *Borne*.

Gerardus Dominus de Horne, seu Hornanus in vita S. Engelberti vocatur frater Ducis Walrami. Obiit anno 1225. cum celebraretur Tricennarium S. Engelberti, teste Cæsario, & Walramus ejus frater quinto mense post, hoc est 1226. eodem Cæsario teste.

Ab isto Gerardo, adeoque à Ducibus Limburgensibus stirpem suam deducit nobilissima familia Comitum Hornensium, quæ tres hodie Comitatus possidet, *Houtkercke* in Flandria, *Herlies* in Artesia, & *Bassigny* in Gallia.

Est autem Hornensis Comitatus in Diœcesi Leodiensi situs, & possidetur hodie ab Episcopo Leodiensi, cum arce Hornana, quæ ex opposito Ruræmundensis urbis ultra Mosam visitur.

(4) FILIORUM MEORUM. Ex priore conjugio.

(5) WALRAMI. Hic fuit filius Walerami II. supra memorati, Dominus de Fauquemont, Montjoie, & Poilvache, ejusque filia fuit uxor Frederici de Altena in rotam acti 1226. ob cædem S. Engelberti Archiepisc. Coloniensis teste Cæsario, quem expende.

(6) RUPENSIS. In silva Arduenna multi olim fuere Comitatus; ut *Bedensis*, in quo S. Willibrordus Epternacense Monasterium condidit; *Metingouensis*, in quo situm est Lutzeburgense oppidum, ut supra cap. 19. & diximus; & *Rupensis*, vulgò de la Roche. Quorum postremus est idem cum Ardennensi Comitatu, quem Henricus, Sigifridi II. Comitis Lutzeburgensis filius, possedit: ut supra cap. 25. diximus.

CAPUT LXXVIII.

FERDINANDUS, *Flandriæ & Hannoniæ Comes, Joannæ Constantinopolitanæ maritus, Dongionem seu penetrale Palatii Valentianensis anno* 1220. *donat Fratribus Minoribus, ad exstruendum Monasterium.*

NOS (1) FERNANDUS de Portugalia, Dei gratiâ Flandriæ & Hannoniæ Comes, de beneplacito & assensu Domini nostri Regis Franciæ, & ad ejus Requestam, in omnium peccatorum nostrorum remissionem, & ut Dei gratiam consequi valeamus, Fratribus MINORIBUS, in suburbanis villæ nostræ (2) Valencenensis commorantibus, ejusdem villæ *Dongionem* eedimus & donamus; XX. solidos annuos duntaxat exceptos pro feodo, & dominium penes nos retinentes.

HAC præsuppositâ conditione, quod JOANNÆ, prædictarum Provinciarum Comitissæ, consortis nostræ, assensus beneplaciti ad hoc concurrat, & voluntas.

IN cujus rei testimonium sigillum, quo nunc in remotis utimur, præsentibus est appensum.

Datum Parisiis in Lupara anno Domini MCCXX. in mense Martio. 1220.

JOANNA *Constantinopolitana, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, donationem Dongionis Valentianensis, à* FERDINANDO *marito Fratribus Minoribus factam, approbat anno* 1225.

NOS JOANNA, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, in remissionem peccatorum nostrorum, donationem DONGIONIS Valencenensis, & XX. solidorum annuorum ac dominii retentionem communem, à FERNANDO Provinciarum prædictarum Comite, marito ac Domino nostro, Fratribus Minoribus Valencenensibus factam, approbamus, & approbatam ratificamus; ut per præsentes declaramus. Et in testimonium prædictorum sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum.

Datum in (3) Insulis, anno Domini MCCXXV. in Aprili. 1225.

(1) FERNANDUS. *Ferrandus* seu *Ferdinandus*, Sanctii Lusitaniæ Regis filius, Flandriæ & Hannoniæ Comes, prælio Bovinensi à Francis anno 1214. captus, in Arce Lupara, *Louvre*, Regum Galliæ nunc Palatio, juxta Lutetiam Parisiorum, diu custoditus fuit, ac demum lytro persoluto, anno 1227. dimissus.

(2) VALENTIANÆ seu Valentinianę, *Valenciennes*, urbs ampla ad Scaldim fluvium inter Montes Hannoniæ & Duacum sita, Comitatûs olim titulo insignis fuit: in qua Carolum Magnum Imperatorem Conventus aliquando habuisse, ex Heiberto, vitæ illius Scriptore, in Gestis anni 771. & ex Aimoino lib. 4. cap. 68. constat.

Arnulfus Comes Valentianensis, temporibus Rothardi Episcopi Cameracensis, Abbatiam S. Joannis, Canonicorum Regularium, Valentianis fundavit: ut Baldericus lib. 2. cap. 30. in Chronico Cameracensi narrat. Idem aut fortè alius ejusdem nominis, cùm multa in pago Bracbatensi possideret, partem eorum anno 984. Monasterio S. Petri Gandensis donavit: ut *Meierus* tradit.

In urbe porrò Valentianensi, petente Philippo Augusto Francorum Rege, fundus anno 1220. à Ferdinando Comite Franciscanis datus est, ad Monasterium exstruendum. Quo tempore inter vivos adhuc supererat S. Franciscus, illius Instituti conditor, qui anno 1226. demum obiit. Eodem superstite, ut arbitror, ædificata sunt Lensiense, & Atrebatense Monasteria, à B. Pacifico: de quo in Fastis Belgicis 10. Julii egimus.

(3) INSULÆ seu *Insula*, *Lille* Gallis, nostris *Ryssel*, Flandriæ Emporium: quod tomo 1. Cod. cap. 56. laudavimus.

CAPUT LXXIX.

HENRICUS I. *Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ Dux, Thenense XII. Canonicorum S. Germani Collegium fundat ac dotat anno* 1221.

HENRICUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, omnibus hoc Scriptum videntibus salutem.

Sciatis quòd nos ad Præbendas faciendas THENIS in Ecclesia B. Germani, pro salute Prædecessorum & Successorum nostrorum, & pro nostræ animæ salute, contulimus in eleemosynam eidem Ecclesiæ XII. bonaria paludis, quæ tenemus juxta (1) *Walsebergbe*, & decimam de tota palude, quàm primùm ad prata & ad quæcumque commoda fuerit conversa, scilicet de octoginta & tribus bonariis, quæ ibidem tenemus, & ad hæc tria terræ bonaria juxta *Bossi*.

Et ut hæc clausula cunctis temporibus ipsi Ecclesiæ sit stabilis & rata, præsens Scriptum sigillo nostro sigillatum tradimus. In testimonium Testes,

Goswinus de Gorencourt. D. Wal-

D. Walterus Decanus Thenensis.
N. Scholasticus de Thenis.
N. de Hopen Notarius, & alii complures.
Datum anno Domini MCCXXI. 1221.

CAnonicatuum seu Præbendarum Ecclesiæ S. Germani Thenensis collatores hodieque sunt per turnum Canonici S. Joannis Leodicensis. Qua de re vide suprà cap. 68.

(1) WALSBERGE, vicus inter Thenas & Leeuwas

CAPUT LXXX.

HENRICUS I. *Lotharingiæ inferioris ac Brabantiæ Dux, Bruxellis, in SS. Michaëlis & Gudilæ Basilica, Collegium minus Canonicorum X. fundat ac dotat anno* 1226.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Nos considerantes quod ait Apostolus, qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, metet vitam æternam, seminare proponimus in terris, undè Domino reddente multiplicatum fructum in cælis colligere debeamus.

CUM igitur in Ecclesia Bruxellensi à Prædecessoribus nostris pauci sint Canonici instituti, à quibus pro modulo suæ paucitatis Deo laudabiliter serviatur, nos cupientes Cultum Divinum ampliare, & Canonicorum numerum augmentare, pro salute nostra, & pro salute animarum Prædecessorum & Successorum nostrorum, nec non & uxorum nostrarum, (1) MATHILDIS scilicet & (2) MARIÆ, liberaliter & absolutè memoratæ Ecclesiæ Bruxellensi, quæ ad voluntatem nostram & admonitionem de novo reædificari incipit, in honorem Beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, concedimus & donamus allodium nostrum in (3) **Didenghem*, quod comparavimus à nobili Viro Ægidio de Wangha, & duas partes totius decimæ de (4) * *Holpa*, tam in cultis quàm in excolendis, cum Ecclesia ejusdem villæ, nec non & quatuor mansos terræ ibidem.

*Dighem. *Hulpen.

HÆC autem concedimus, ad usum decem Canonicorum, de novo instituendorum in Ecclesia memorata, qui à Decano & Capitulo debent eligi, & nobis & Successoribus præsentari: nec aliquid de prædictis bonis percipient, si non faciant residentiam personalem, & si admoniti à Decano & Capitulo, ad Sacros Ordines non sint promoti, nisi Decano & Capitulo videatur aliud pro utilitate Ecclesiæ faciendum.

Actum anno Gratiæ millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense Augusto. 1226.

IN augusta S. Michaëlis Basilica, quæ nunc S. Gudilæ dicitur, duplex residet Canonicorum Collegium, majus scilicet & minus. Ex his prius est XII. Canonicorum, à LAMBERTO Baldrico, Comite Bracbatensi ac Lovaniensi, anno 1047. fundatum: cujus diploma Codicis nostri Donationum piarum cap. 47. recitavimus. Alterum, quod est X. Canonicorum, condidit ac dotavit HENRICUS I. eo nomine Dux noster, frater S. Alberti Leodicensis Episcopi, Bruxellæ in Cœnobio Carmelitanarum Virginum quiescentis. Henricus autem anno 1235. obiit, Lovanii ad S. Petrum in medio Choro sepultus.

(1) MATHILDIS, seu *Machtildis*, Matthæi Comitis Boloniensis filia.

(2) MARIA. Philippi Augusti Francorum Regis filia. prioribus nuptiis juncta fuerat Philippo Nobili, Comiti Namurcensi, de quo suprà cap. 75.

(3) DIDENGHEM. Vicus, secundo lapide à Bruxella, viâ Lovaniensi, hodie *Dighem*.

(4) HOLPA, nunc *Hulpen*, vicus tertio lapide à Bruxella, haut procul à Valle-viridi, Canonicorum Regularium Cœnobio in silva Sonia.

(5) REÆDIFICARI. Hinc liquet, augustum S. Gudilæ templum Bruxellense, quod hodie exstat, ab Henrico I. Brabantiæ Duce ædificari cœptum.

CAPUT LXXXI.

JOANNA *Constantinopolitana, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, Cœnobium Dominicanorum in urbe Valentianensi fundat anno* 1233.

JOANNA, Flandriæ & Hanoniæ Comitissa, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem.

NOVERINT universi, quòd cùm Prior (1) S. Salvii, & totus illius loci Conventus, & Joannes Presbyter Parochialis B. Mariæ de Caleeia, in Valencenis, Priori & Fratribus de Ordine Prædicatorum liberaliter concessissent, ut in loco eis assignato, in manso Jacobi de Campania in Valencenis, liberè Ecclesiam ædificare, cœmiterium liberum habere, oblationes recipere, & alia omnia facere, quæ Ordinis eorum Instituta requirunt.

HOC salvo, quòd si quis Parochianorum ipsorum apud Fratres elegerit sepulturam, priùs in Parochia sua Missam habeat, nisi à Sacerdote Parochiæ, vel Persona fuerit relaxatum, pro recompensatione damnorum, quæ ex hoc Ecclesiæ S. Salvii vel Parochiali Ecclesiæ

clesiæ loci prædicti possent evenire in posterum.

Ego pro Fratribus Prædicatoribus ex parte una, & Dominus Prior & Conventus S. Salvii, & Joannes Presbyter Parochialis B. Mariæ ex altera, compromisimus unanimiter in Viros Venerabiles, D. Decanum Christianitatis Valencenensis, Magistrum Gerardum Remensem, Canonicum Tornacensem, & Hellinum Militem, Dominum de Alneto; ratum habentes & firmum, quidquid ipsi super his dicant ordinandum.

Qui, consideratis omnibus diligenter, per arbitrium suum, de communi assensu partium, unanimiter prolatum assignaverunt jam dictis Priori & Conventui quattuor bonaria terræ prati, sita juxta domum ipsorum in communi pastura, in loco, qui dicitur Pratum communius, ab Ecclesia S. Salvii perpetuò possidenda: quæ ego eidem Ecclesiæ adversus omnes homines garandire tenebor.

Dicti autem Prior & Conventus S. Salvii, Presbytero Parochiali B. Mariæ in Calceia, pro jure Parochiali, quod in loco illo habebat aut habiturus erat, XX. solidos Valencenenses, in Nativitate Domini, in Ecclesia B. Mariæ super Altare suum annuatim solvere tenebuntur.

Et pro hoc Dominus Prior præfatus, cum toto Conventu suo, & Presbyter Parochialis jam dictus, me & Priorem & Fratres Ordinis Prædicatorum ab omnibus damnis supradictis, & ab omni recompensatione pro eis facienda in perpetuum quitaverunt.

Concessimus autem omnes ex utraque parte, quòd dicti loci arbitri possint dictum suum declarare & explanare, si quid fortè occurrat ambiguum, secundùm quod viderint expedire, cùm à me vel Priore vel Conventu, vel etiam à Fratribus antedictis fuerint requisiti.

Hæc autem omnia per Arbitros antedictos, & per meum, & per Fratrum Prædicatorum ex una parte, & Prioris & Conventûs & Presbyteri Parochialis, qui suprà nominati sunt, consensum unanimiter, facta sunt & concessa. Quæ omnia ut rata sint & firma, præsentem paginam sigilli mei munimine roboravi.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo 1233.
trecesimo tertio, mense Octobri.

(1) Sanctus Salvius, Episcopus Engolisinensis, propè Valentianas, anno 801. martyrio est coronatus: ut Sigebertus tradit. Carolus Magnus Imperator sacrum ejus corpus è terra levavit, & ad vicinam S. Martini Basilicam transtulit, Cœnobio ibidem excitato, quod olim erat Prioratus, nunc verò ab anno Additio.
1629. Abbatia Monachorum Ordinis Cluniacensis: in quo etiamnum quiescit. Martyrologium Romanum & Fastos nostros Belgicos 26. Junii consule.

CAPUT LXXXII.

Abbatia Monialium Ordinis Cisterciensis, dicta Refugium B. Mariæ, *Athi in Hannonia, fundatur per* Joannam *Constantinopolitanam, Flandriæ & Hanoniæ Comitissam, anno* 1234.

Margareta Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, universis præsentes litteras inspecturis salutem.

Noveritis nos litteras felicis recordationis carissimæ Dominæ, Sororis nostræ, Joannæ quondam Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui vitiatas vidisse in hæc verba:

Joanna Flandriæ & Hannoniæ Comitissa universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino.

Præsentium testimonio notum facimus universis, quòd cùm quædam Moniales Cisterciensis Ordinis, Filiæ Claræ-Vallis, in Villa vel propè Villam de (1) *Audenarde*, inhabitandi gratiâ consedissent, ibique mansiunculas suas ædificare cœpissent, nos dictum locum diligentiùs considerantes, quod scilicet nec earumdem Monialium paci congrueret, nec proposito conveniret, earum Collegium in locum alium, Religioni Monasticæ magis aptum, propè Villam nostram de (2) *Ath*, de consilio saniori censuimus transferendum.

Et ne aliquid ad jus pertinens, in dicta translatione deesset, ad hoc faciendum consensum obtinuimus Venerabilium Patrum Cameracensis

Additio. (1) Audenarda, sive *Aldenarda*, insigne & opulentum Flandriæ Oppidum, ad Schaldim fluvium. Est illic etiam Abbatia Filiarum Cisterciensis Ordinis dicta *Vallis Virginum*, quæ eadem cum *Refugio B Mariæ* Athi. (cujus in hoc Diplomate fit mentio) habuit exordia. Siquidem primò fuerat inchoatum Monasterium in Vico de *Flobecq* inter Lessiniam & Aldenardam: inde verò anno 1232. translatum juxta Aldenardam.

Sed quia locus iste videbatur angustior, minusque conveniens exercitiis spiritualibus, anno 1234. Moniales à Joanna Hannoniæ ac Flandriæ Comitissa novum accepêre domicilium juxta Athum, ibique deinceps mansetunt. Aliquæ tamen postmodum redierunt Aldenardam, quæ relictum ante Cœnobium restaurarunt, quod hodieque intra muros ejusdem Urbis superest.

Porrò Abbatia Athensis secundò fuit diruta; anno 1578. per Iconoclastas, & anno 1668. jussu Ludovici XIV. Galliarum Regis, qui, ut redderet ampliora munimenta Urbis Athensis à se paulò ante expugnatæ, novum Monialibus domicilium intra Urbis mœnia concessit.

(2) Athum. Hannoniæ Oppidum, Ludo litterario clarum: cui vicina sunt tria loca, cultu ac miraculis B. Virginis celebria, videlicet Cervia, *Chievre*, Hannoniæ similiter Oppidum. *Camberona*, Monachorum Ordinis Cistertiensis Abbatia. & *Tungrorum* vicus. Exstat de his locis libellus Duaci editus.

ſis & Tornacenſis Epiſcoporum. Aſſenſum etiam obtinuimus Abbatis & Capituli de *Lieſſies*, ad quorum Perſonatum pertinet præfatus locus propè *Ath*.

Et ita, de beneplacito & voluntate Venerabilium Patrum Ciſtertienſis & Claræ-Vallis Abbatum, auctoritate nihilominus totius Ciſtertienſis Capituli Generalis, dictas Moniales ex loco illo propè Audenardum, ubi manere cœperant, ad alium præfatum locum propè *Ath*, qui nunc *Refugium B. Mariæ* dicitur, cum ſuis omnibus, perpetuæ inhabitationis gratiâ, fecimus tranſmigrare.

CUM igitur ita ſit, præfatas Moniales de *Ath* perpetuâ volumus libertate donari, quâ aliæ Domus Ciſtertienſis Ordinis in terra noſtra gaudere noſcuntur. Inſuper quod prædicta Domus per curam noſtram & diligentiam ſpecialem, in dictum locum noſtræ poteſtatis & tranſlata eſt & fortiùs radicata, ipſam cum omnibus, quæ ad eam pertinent, ſtudio ſpeciali ſub noſtra tuitione ſuſcepimus protegendam.

ITAQUE ſi quis occaſione dictæ tranſlationis, vel collationis, vel alterius cujuſcumque rei, dictas Moniales temerè vexare vel moleſtare præſumpſerit, nos in eum tamquam in proprium adverſarium noſtrum movebimur, & ad noſtrum reputabimus redundare contemptum, quidquid contra eas fuerit indebitè attentatum.

IN hujus teſtimonium & munimen præſentem paginam, quam & à nobis in præſenti, & à Succeſſoribus noſtris perpetuò volumus obſervari, ſigilli noſtri fecimus munimine roborari.

Actum anno milleſimo ducenteſimo triceſimo quarto. 1234

CUM igitur poſt prædictas litteras *Vidimus*, vitio & ſuſpicione carentes, ut dictum eſt, charta litterarum ipſarum, per cuſtodiam negligentem, ferè ſit deſtructa, ita quod id modicum teneat ipſa charta, Nos in hac præſente ipſi Monaſterio providere volentes, præfato Monaſterio eam damus libertatem, quam habent aliæ Domus Ciſtertienſis Ordinis noſtræ terræ, & ipſum Monaſterium cum omnibus, quæ ad ipſum tempore datæ litterarum præſcriptarum, pertinebant, ſub noſtra tuitione ſuſcipimus protegendum.

ITA quod ſi quis occaſione dictæ traſlationis, vel collationis, ſeu alterius cujuſcumque rei, dictas Moniales temerè vexare vel moleſtare præſumpſerit, nos in eum tamquam in proprium adverſarium noſtrum movebimur, & ad noſtrum reputabimus redundare contemptum, quidquid contrà eas indebitè fuerit attentatum. Ad quod etiam obligamus noſtros in poſterum Succeſſores, ea quæ per dictam Dominam noſtram facta ſunt, in hac parte approbantes, & etiam confirmantes.

IN cujus rei teſtimonium & munimen perpetuum dictis Monialibus præſentes litteras tradidimus, ſigilli noſtri appenſione munitas.

DATUM apud Binchium anno Domini MCCLVIII. in Junio. 1258

CAPUT LXXXIII.

WALTERUS *Epiſcopus Tornacenſis anno* 1236. *vitæ Regulam præſcribit Fratribus ac Sororibus Deo ſervientibus in Gandavenſi Leproſorum Domo, quæ nunc eſt Abbatia Monialium Benedictinarum.*

WALTERUS Dei gratiâ Tornacenſis Epiſcopus, univerſis præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino.

CUM plurimæ traditiones plurimas faciant tranſgreſſiones, nos uni Sententiæ S. Jacobi inhærenres, quâ dicitur, Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hoc eſt viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo; ſummam Religionis conſiſtere arbitramur in fovendo perſonas miſerabiles, humano auxilio deſtitutas, maximè quas Dominus probat in camino paupertatis, & in fornace tam contagioſæ ægritudinis, ut meritò, propter illam, mandato Legis præcipiantur ab aliorum conſortio ſeparari.

SANE cùm intelleximus, in Domo Leproſorum de GANDAVO erga hujuſmodi miſerabiles perſonas tam virorum quàm mulierum, ibidem Deo & pauperibus Leproſis ſuis deſervientium, plurimùm fervere devotionem & affectum, eas in noſtra protectione ſuſcipientes, nihil eis amplius oneris duximus imponendum; niſi quòd corporalem continentiam, propriorum abdicationem, & habitum religioſum, & obedientiam Magiſtri Domûs tenentur generaliter obſervare.

HÆC autem quattuor, Fratribus & Sororibus ejuſdem Domûs, pro Regula vivendi, decrevimus obſervanda. Cetera quæ emergunt in exceſſibus corrigendis reliquimus in diſcreta diſpoſitione Magiſtri Domûs: ita tamen quòd majores exceſſus, qui regulares obſervantias contingent, ad Epiſcopum referantur.

In hujus rei teſtimonium & firmitatem præſentes litteras ſcribi, & ſigilli noſtri appenſione fecimus communiri; bonas conſuetudines prædictæ Domûs & approbatas præſentium auctoritate nihilominùs confirmantes.

Actum Gandavi, anno Domini MCCCXXXVI. feriâ ſextâ pòſt Feſtum S. Martini. 1236

CA-

Hospitalariæ Virgines dictæ Domûs Gandensis anno 1626. Regulam S. Benedicti sunt amplexæ; duabus Monialibus, ad instructionem dandam, vocatis ex Abbatia Cortenbergensi, quę est inter Bruxellas & Lovanium sita. Nunc vocatur *Abbatia B. Mariæ Lazariorum.*

Additio. Leprosorum porrò Domus Hospitalariæ olim plurimæ per Belgicam fuerunt; & superfuerunt diu Bruxellis, Antverpiæ, in Banco prope Lovanium, & alibi: sed quandoquidem hisce temporibus à lepræ contagio Belgium nostrum sit immune, hodie pleræque fundationes istæ, Pontificiâ ac Regiâ authoritate, aut Mensæ Spiritûs Sancti, aut puerorum indigentium Scholis, aut Militum ægrotorum, ac veteranorum subsidiis fuerunt applicatæ. *Ita Sanderus.*

CAPUT LXXXIV.

HENRICUS II. *Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ Dux, ejusque filius primogenitus* HENRICUS, *Indensem S. Cornelii Abbatiam, Benedictinorum, secundo lapide ab Aquisgrano, dotant anno* 1247.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, & HENRICUS primogenitus ipsius, omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem & cognoscere veritatem.

NOVERITIS, quòd nos animarum nostrarum saluti intendentes, videntes Ecclesiam (1) INDENSEM diversis debitorum oneribus obligatam, renuntiavimus & renuntiamus omni juri, quod nos vel heredes nostri habemus ad præsens, vel in posterum habere possemus in omni terra, quæ vulgariter Wastina dicitur, in alodiis de (2) *Cumptheo*, de *Meunsele*, & *Herckem*, & villis attinentibus, quocumque modo fuerint sitæ.

CONSENTIENTES, ut videlicet Venerabilis Abbas Monasterii Indensis ac ejusdem loci Conventus, quorum noscitur esse proprietas & dominium, de dictis Wastinis possint ordinare, prout eis visum fuerit expedire.

PROMITTIMUS etiam, memoratos Abbatem & Conventum, in dictis Wastinis, contra quoslibet injuriatores, in quantum jus dictaverit, tueri & defensare. In cujus rei testimonium & firmitudinem, præsens scriptum Abbati & Conventui prælibatis tradidimus, sigillorum nostrorum munimine roboratum.

Actum & datum apud (3) Furam, mense Augusto, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo. 1247.

Additio. (1) INDENSIS. S. Cornelii Abbatia, vulgo *Sint-Cornelis-Munster*, Ordinis S. Benedicti, secundo lapide ab Aquisgrano sita, in Diœcesi Coloniensi, sic dicta est ab Inda fluviolo præterlabente. Fundavit eam circa annum 820. Ludovicus Pius Imperator, Caroli Magni Filius. Abbas est S. R. I. Princeps, variorum locorum supremus Toparcha, Patronus Capituli Scladiniensis ad Mosam in Comitatu Namurcensi, ac præbendarum Collator. Vide plura inferiùs in libro *de Originibus Benedictinis.*

(2) CUMPTHEUM, *Cumptich*, vicus Brabantiæ primo lapide à Thenis Oppido. Fuit illic olim Præpositura Benedictinorum dependens ab Abbatia Indensi. Additio.

(3) FURA, Vicus Brabantiæ in Sylva Soniæ tertio à Bruxella lapide; est illic antiquum & insigne Castrum Ducum Brabantiæ, ac juxtà est Sacellum, in quò varii Duces cum suis Uxoribus fuêre sepulti. Est & amplum viridarium, vulgo *Parcum ferarum*, & Conventus FF. Capucinorum, hortis admodum amœnis exornatus. Additio.

CAPUT LXXXV.

HENRICUS II. *Lotharingiæ Brabantiæque Dux, à servitute Manûs mortuæ, ut vocant, aliisque oneribus anno* 1247. *suos Vasallos liberat.*

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, atque HENRICUS filius ejus primogenitus, universis & singulis præsentes litteras visuris salutem, cum notitia veritatis.

NOVERITIS, quòd nos habitâ super hoc priùs deliberatione sufficiente cum hominibus & fidelibus nostris, & viris religiosis terræ nostræ, sub Sacramento fidei, quam corporaliter præstavimus, ob remedium animarum nostrarum, & Prædecessorum nostrorum fideliter promisimus, quòd ab hac die in perpetuum, terram nostram quam possidemus, ab illa exactione sive extorsione, quæ vulgariter dicitur *Mortua manus*, absolvimus & quitamus.

PROMISIMUS etiam similiter, fide corporaliter præstitâ, quod volumus & observare debemus in perpetuum, ut in bonis illorum, qui vulgariter *Havescoot* spurii dicuntur, si de terra nostra nati fuerint, & proximos habeant, succedant in dictis bonis proximiores, secundùm Legem terræ & consuetudinem.

SI verò fuerint adventitii, bona talium, secundùm Legem terræ huc usque servatam, nostra sint & Successorum nostrorum. Salvo tamen per omnia tam de alienigenis quàm indigenis talibus, quòd testamenta, quæ condiderint

rint, robur habere debeant & fortitudinem.

PROMISIMUS modo prædicto, quod Ballivi nostri terram nostram, regere debeant, secundùm judicium & sententiam Scabinorum, aut aliorum hominum nostrorum, ad quos pertinet super hujusmodi sententias dare aut judicare. Nisi forsitan aliquid enorme acciderit, sicut incendium, violentia, vel homicidium, aut aliquid aliud simile. In quo casu excessus hujusmodi, de voluntate nostra, & per consilium hujusmodi nostrorum, corrigentur.

ET si forsitan contigerit aliquem Ballivorum nostrorum, aliter quàm præscriptum est & prærordinatum, judicare, volumus & ordinamus, quòd tam de Ballivis ipsis, quàm de bonis ipsorum, pro voluntate nostra, absolutè disponere debeamus.

PROMISIMUS etiam modo prædicto, quòd expensas nostras, de consilio hominum nostrorum, ita moderabimus, quòd exactiones faciendas in terra nostra, de consilio bonorum & religiosorum, facere debeamus.

VOLUMUS etiam præterea, quòd annuatim in perpetuum quingentæ libræ Lovanienses recipiantur, centum videlicet libræ de reditibus nostris Lovanii, centum Bruxellis, centum Thenis, ducentæ de silva nostra Sonia: quæ per manus ipsorum, quos ad hoc ordinabimus, nomine restitutionis & eleëmosynæ in perpetuum distribuentur.

ET ut præmissa omnia per nos & Successores nostros in perpetuum inviolabiliter observentur, præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas.

ACTUM & datum apud Lovanium, in die S. Vincentii, anno Domini MCCXLVII. 1247.

HEnricus II. Dux noster Diploma istud edidit paulò ante obitum: nam eodem isto anno 1247. decessit.

CAPUT LXXXVI.

ROBERTUS I. *Artesiæ Comes sacrarum Reliquiarum à Godefrido Bullonio ex Syria ad Lensensem Ecclesiam missarum Capsam, anno 1247 curat aperiendam, coram Legato Apostolico, & Jacobo Episcopo Atrebatensi.*

ROBERTUS (1) Comes Atrebatensis omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

TENET & recitat modernorum posteritas, cujus memoria ab Antiquorum relatu successivè descendit, qualiter olim Christianissimus Jerosolymorum Rex GODEFRIDUS DE BULLON, (2) Dux Brabantiæ, Dominus de Lens in Artesio, & Comes de Bolonia supra mare, suas Beatæ Mariæ Lensensis & Boloniensis Ecclesias quâdam prærogativâ specialis amoris pretiosis ac miraculosis dotavit atque ditavit Reliquiis (quas per eum acquisitas in partibus transmarinis utrique Ecclesiæ pro medietate dicitur æqualiter divisisse) reconditis sub sera in quadam Capsa simplici illis potissimùm Reliquiis, quas nunc in hujusmodi divisione specialiter Lensensi Ecclesiæ deputavit; ibique intrà eandem Ecclesiam, aliis Reliquiis abundantem, jacuisse creduntur, usque ad hæc tempora non inspectæ.

QUAM ob rem nobis & Nobili Uxori nostræ MATHILDI, quorum ipsa Lensensis Ecclesia esse dignoscitur, nuper visum est dignum fore, ut tam Sanctæ Reliquiæ ampliùs non laterent sub modio, sed super candelabrum ponerentur.

PRÆSENTIBUS itaque Reverendis Patribus, M. Tusculano, Apostolicæ Sedis Legato, & Jacobo Atrebatensis loci Diœcesano Episcopo, nec non Nobilibus Viris Henrico Duce Brabantiæ, Willelmo Comite Flandriæ, ejusque matre & uxore Flandriæ Comitissis, ac aliis multis Baronibus, qui ad preces nostras illuc convenerant, Capsam ipsam, super majus Altare dictæ Lensensis Ecclesiæ fecimus oculatâ fide, in crastino Octavarum Beati Martini hiemalis, in facie omnium, visibiliter aperiri.

Quâ apertâ (3) Reliquiarum sanctarum, prout credibilia monstrant indicia, cunctis intuentibus reperta est copia intrà eam. Ita quòd ipse Dominus Legatus, ob reverentiam Reliquiarum ipsarum, æternum memoriale statuens, hujus rei Festum solemne, cum Missa de Beata Virgine, in eadem Ecclesia nostra amodò celebrandum indixit annis singulis die illâ; indultis

(1) ROBERTUS. Eo nomine primus Artesiæ Comes, S. Ludovici Galliarum Regis frater, in Terra sancta anno 1249. obiit. Vide Stemmata nostra Principum Belgii, item Codicem Donationum piarum cap. 104. in Notis.

(2) DUX BRABANTIÆ nuncupatur hìc Godefridus Bullonius, juxta stylum ac loquendi morem illius seculi. Quod nota contra Lotharingos Mosellanos, qui sibi magnum illum Heroëm vindicare conantur, sed nullo fundamento. Fuit enim Dux Lotharingiæ nostræ inferioris, non superioris seu Mosellanæ: ut in Stemmatibus paulò ante citatis 13. cap. docui.

(3) RELIQUIARUM SANCTARUM. Gomicurtius scribit principaliores fuisse de Ligno S. Crucis & de Capillis S. Mariæ Virg. Consule Raussinum.

Castellanus Lensensis hereditarius, est Dominus de Recourt & Liques, qui nunc quoque est Comes Rupelmondanus; in cujus Familia exstant varia monumenta de Godefrido Bullonio, cui uxor fuisse putatur ex Castellanis Lensiensibus.

tis ab ipso nihilominùs sexaginta diebus, & à præfato Episcopo Atrebatensi quadraginta, ab eodem Legato Auctoritate Apostolicâ confirmatis, omnibus qui caussâ devotionis accesserint ipsâ die.

Omnes igitur & singulos, ad quos pervenerit notitia præmissorum, requirimus & rogamus attentè, quatenùs ipsam Ecclesiam nostram, propter Deum & nos, specialiùs ac devotiùs solitò venerantes, ei largiantur caritatis subsidia largiora, donec ejus consummationem videant, & cum auro & argento dictas Reliquias sic aptatas, quod eas intueri & osculari liberè valeant in aperto.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, mense Novembri. 1247.

CAPUT LXXXVII.

Innocentius IV. *Papa anno 1248. committit Petro Episcopo Catalaunensi, & Abbati S. Sepulcri Cameracensis, ut inquirant, an Joannes & Balduinus Avennenses, ex Bouchardo Subdiacono, & Margarita, Flandriæ Hannoniæque Comitissa, bonâ fide junctis, nati, sint legitimi.*

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri & Episcopo Catalaunensi, & dilecto filio Abbati S. Sepulcri Cameracensis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Quia nos dilecti filii, Nobiles Viri, Joannes de Avennis, & Balduinus Frater ejus insinuatione monstraverunt, quòd quidam eorum æmuli malitiosè, ut processu temporis, à bonis ad eos hereditario jure spectantibus excludi valeant, notam illegitimationis impingunt, id multorum auribus instillando.

Quare nobis supplicarunt humiliter, ut cum eis, aut saltem ipsorum heredibus sit valde periculosum, quod id maneat taliter indiscussum, providere ipsis super hoc paternâ sollicitudine curaremus.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs super caussa natalium eorumdem Nobilium (non obstante quòd super hoc inter ipsos ex parte una, & Fratres eorum ex altera, fuit coram nobis aliquamdiu litigatum & processum, cum nihil indè terminatum exstiterit) inquiratis, sicut magis de plano poteritis, veritatem, & quod canonicum fuerit, appellatione postpositâ, statuatis, quæstione bonorum principali Domino reservatâ.

Datum Lugduni V. Idus Decembris, Pontificatûs nostri anno VI.* * Anno VII. in Guiso.

Addicio. (1) Bouchardus, seu Burchardus de Avennis, Canonicus & Cantor Cathedralis Laudunensis in Gallia, & Thesaurarius Cathedralis Tornacensis, postea quam occultè ab Aurelianensi Episcopo sacrum Subdiaconatûs Ordinem suscepisset, à Clericali militia ad secularem apostatans, nobilem fœminam Margaritam Illustris Constantinop. Imperatoris filiam, Consanguineam suam suæ Tutelæ commendatam fraudulenter abduxit: & cum ea de facto, cum de jure non posset, qualicumque modo contraxit.

Innocentius III. Pont. Joannæ Comitis Flandriæ jussis querimoniis incitatus anno 1215. Bouchardum excommunicavit, & jussit per totam Remensem Provinciam singulis Dominicis diebus & festivis eundem excommunicari tamdiu, donec Sorori suæ dictam restituisset puellam, & ad Ordinem Subdiaconalem, quem Deum offendendo reliquerat, humiliter rediisset.

Postmodum Margareta, relicto Bouchardo, à quo binas proles susceperat, nuptias iniit cum Gulielmo de Dampetra. Bouchardum verò aliqui dicunt per viam à Sicariis fuisse capite truncatum: alii verò, in custodiam jussu Joannæ Principis traditum, ac denique vitam in Castro Rupelmondensi ferro perdidisse.

De his vide plura in Chronicis Hannoniæ Manuscriptis per Guisium lib 20. cap. 44 in Annalibus Flandriæ per Meyerum lib 8 & in Historia Gallo-Flandriæ per Bucelinum Tomo I. lib. 2. cap. 15.

CAPUT LXXXVIII.

Petri *Episcopi Catalaunensis, &* Hugonis *Abbatis Lætiensis Sententia, quâ declararunt anno 1249, Joannem & Balduinum Avennenses, ex Bouchardo Subdiacono, & Margarita Comitissa, bonâ fide junctis, natos, esse legitimos.*

Petrus miseratione divinâ Catalanensis Episcopus, Judex à Domino Papa delegatus, & Hugo Abbas Lessiensis, Cameracensis Diœcesis, subdelegatus ab Abbate S. Sepulcri Cameracensis, Judice à Domino Papa delegato, universis præsentibus & futuris salutem in Domino.

Cùm Nobiles Viri, (1) Joannes de Avennis & (1) Balduinus, Frater ejus, filii Nobilis mulieris Margaretæ, Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ, caussam natalium suorum impetrassent nobis, Episcopo Catalanensi, & viro Religioso Abbati S. Sepulcri Cameracensis, à Domino Papa delegari; conjuncti Procuratores eorumdem Nobilium in jure proponere

 cura-

curaverunt, quod olim Nobilis Vir Bouchardus de Avennis, Pater eorum, & Nobilis mulier Margareta, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, Mater eorum, matrimonium publicè & solenniter, in facie Ecclesiæ, ad invicem contraxerunt, ex quorum matrimonio iidem Nobiles Joannes & Balduinus, dum in facie Ecclesiæ reputabatur legitimum, fuerunt legitimè procreati.

Undè petebant iidem Procuratores, nomine dictorum Nobilium, ut nos auctoritate Apostolicâ eorumdem Nobilium natalitia legitima declarantes, ipsos legitimè natos, & esse legitimos, pronuntiaremus.

Quia verò nemo apparebat, qui in eodem negotio se Nobilibus opponeret antedictis, nos à parte Nobilium eorumdem juramenta recepimus, prout exigit ordo juris. Receptis testibus in eodem negotio productis, juratis, diligenter examinatis, depositionibus eorumdem publicatis, inspectis actis ejusdem negotii universis, ac auditis quæ ex parte dictorum Nobilium fuerunt proposita coram nobis, die ad diffiniendum assignata, quia nobis constitit, dictos Joannem & Balduinum de Avennis intentionem suam sufficienter probavisse, nos, de Jurisperitorum consilio, eorumdem natalitia legitima declarantes, ipsos legitimè natos esse, & legitimos sententialiter diffinimus.

Datum Remis, anno Domini MCCXLIX. feriâ sextâ post Octavum S. Martini hiemalis. 1249.

Sententiam istam Innocentius IV. Papa XV. Kalendas Maii, anno Pontificatûs sui VIII. confirmavit, & per Nicolaum Episcopum Cameracensem executioni mandari (ut practicorum verbis utar) jussit. Quod hic præstitit literis publicatis anno 1252. feriâ 2. post Dominicam, *Quasi modo*. Hæc & alia eò spectantia fusè narrat Jacobus Guisius tomo 3. Annalium Ms. Hannoniæ. Vide & Chronicon nostrum, quod Sigeberto Gemblacensi subjunximus, in gestis anni 1251.

(1) Joannes de Avennis, anno 1239. uxorem duxit Aleidem filiam Florentii IV. Hollandiæ Comitis, & sororem Gulielmi II. dein electi Romanorum Regis. Obiit anno 1255. relicto filio Joanne, qui Aviæ suæ Maternæ Margaritæ in Comitatu Hannoniæ, & Joanni Cognato suo in Comitatu Hollandiæ successit. Vide Chronicon Belg. ad ann. 1292.

(2) Balduinus Avesnensis. Dominus de Beaumont duxit Felicitatem de Coucy. Vander Haer de Castell. Insul. lib. 2. p. 243.

CAPUT LXXXIX.

Trudonopolitani cum Henrico III. *Lotharingiæ Brabantiæque Duce, Advocato suo majore, confœderationis leges statuunt anno* 1255.

Universis præsentem paginam inspecturis Scultetus, Scabini, Magistri jurati, totaque Communitas Opidi (1) S. Trudonis, salutem & infrascriptorum cognoscere veritatem.

Cum propter multa incommoda & tribulationes diversas, quæ nos & Opidum nostrum circumdant & adveniunt, nullis nostris demeritis exigentibus, auxilium & protectionem atque defensionem Illustris viri Domini Henrici, Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ, Advocati nostri majoris, oporteat invocare, universitati vestræ notum esse cupimus, quòd nos de communi consilio & voluntate Opidi nostri prædicti, cum dicto Domino Duce, Advocato nostro majore, talem compositionem & confœderationem statuimus, & fecimus.

Quòd in ejus expeditionem communem, scilicet quæ fit propter defensionem terræ suæ, sive pro injuria terræ ipsius illata, tanquam alii opidani sui, videlicet *Diestenses* & *Mechlinienses*, cum armis nostris bellicis & (2) balistis (3) ire debeamus & volumus, sicut & debemus; salvo per omnia jure Leodiensis Episcopi, nostri Patris venerabilis.

Hoc etiam addito, quòd contra supradictum Patrem nostrum venerabilem Episcopum Leodiensem, & ejus Diœcesim, ire cum ipso Domino Duce præfato non debeamus, licet tota terra Brabantica illuc suam direxerit expeditionem: nisi palam & omnibus notum fuerit, quòd ipse Episcopus Dominus Leodiensis præfatus injuriam manifestam eidem Domino Duci inferre præsumat & velit.

Ut autem præmissa omnia rata & inconcussa permaneant, præsentem paginam prænominato Advocato nostro Domino Duci, & ejus Successoribus sigilli nostri munimine contulimus & dedimus roboratam. Datum & actum anno Domini MCCLV. mense Maio. 1255.

C A-

(1) Trudonopolis, Oppidum ditionis Leodicensis, *S. Tron*, nomen habet à S. Trudone, qui illo suo in fundo Monasterium ædificavit, & anno 689. ad meliorem vitam transiit. Annales nostros Belgicos in gestis anni ejusdem, & Fastos 23. Nov. consule.

(2) De Balistis, aliisque majorum nostrorum instrumentis bellicis, vide Lipsium in lib. De Machinis Romanorum.

(3) Ire debeamus. Hinc datur intelligi, ipsos olim cives Oppidorum Brabantiæ suis Ducibus militasse, & bellicis expeditionibus interfuisse.

CAPUT XC.

Teſtamentum HENRICI III. *Brabantiæ Ducis, anno* 1260. *conditum.*

HENRICUS(1) Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem cum omnium Salvatore.

CUM omni ſalvatione cupientes animæ noſtræ ſaluti conſulere, de conſilio bonorum & religioſorum virorum, ordinavimus & diſpoſuimus in hunc modum, quòd ex nunc in poſterùm homines terræ Brabanticæ communiter per judicium & ſententiam tractabuntur, & quòd ſint ſine talia, exactione & precaria: ita quod nihil ab eis capiemus, vel capi procurabimus, niſi in expeditionibus cum exercitu ad terræ noſtræ defenſionem, vel juris noſtri conſervationem, aut injuriarum amotionem, vel in ſervitium Imperatorum Romanorum ſive Regum Alemanniæ, ſive cùm filium aut filiam nuptui tradiderimus, aut cùm filium cingulo cinxerimus militari.

ITEM ad reſtituendum injurias noſtras, capientur de nemore (2) Soniæ mille libræ annuatim, & de reditibus ſive proventibus terræ Brabantinæ tantumdem.

ITEM per totam terram Brabantiæ generaliter decimas novalium reſtituimus Eccleſiis & Eccleſiaſticis Perſonis, ad quas pleno jure pertinent.

ITEM expellantur (3) Judæi, & (4) Cawarſini de terra Brabantiæ, & extirpentur penitùs: ita quòd nullus remaneat in eadem, niſi tantummodò, qui ut alii mercatores negotiari voluerint, & eſſe ſine præſtatione & uſura.

ITEM de pecunia, mobilibus & rebus noſtris paratioribus univerſa debita noſtra perſolvantur.

ITEM ſi nos ſignati cruce tranſmarinâ non ſolverimus iter noſtrum, ad ſatisfaciendum ſuper hoc Altiſſimo, in redemptionem ipſius Crucis & voti noſtri, volumus quòd capiantur de promptioribus & primis reditibus & proventibus noſtris quattuor millia librarum Lovanienſium: cum qua pecunia milites Cruce ſignati pro nobis ibunt, & ſervient Deo in partibus tranſmarinis.

Elegimus etiam & conſtituimus pro nobis Teſtamentarios,

Fratrem Gerardum Holdenberganum, quondam Priorem Prædicatorum in Lovanio.

Fratrem Walterum de Treveris, ejuſdem Ordinis.

Fratrem Petrum, Lectorem Fratrum Minorum in Bruxella,

Et Dominum Gerardum de Marbaix,

Pro ſupradictis duobus millibus librarum Lovanienſium, de noſtris injuriis reſtituendis, & ſupradictis quattuor millibus librarum Lovanienſium dandis, ſecundùm quòd eis magis & meliùs videbitur expedire, in ſubſidium Terræ Sanctæ, vel alibi reſtituendum.

Rogamus igitur cum omni diligentia, omnes Nobiles & alios homines terræ noſtræ, ceteroſque conſanguineos & amicos noſtros, tam Perſonas Eccleſiaſticas quàm mundanas, ut cauſâ Dei & noſtri dictos Teſtamentarios ſive Executores Teſtamenti, in dicto Teſtamento, quod condidimus, promoveant diligenter, & aſſiſtant fideliter, cùm indiguerint conſilio, auxilio & favore, ut præmiſſa omnia inviolabiliter obſerventur.

Ceterùm quidquid deliquimus in Wariſcapiis, & Waſtinis, ſive paſcuis communibus terræ, nobis uſurpando, vel aliis conferendo, volumus quod hoc emendetur & corrigatur, ad ſalutem animæ noſtræ per Teſtamentarios noſtros ſupradictos, ſecundùm quod eis videbitur expedire.

Actum & datum apud Lovanium menſe Februarii, Sabbatho pòſt diem B. Matthiæ Apoſtoli, cum appenſione & confirmatione proprii ſigilli noſtri, anno Domini MCCLX. 1260. Stylo Rom. 1261.

C A-

(1) HENRICUS III. Dux Brabantiæ, cognomento *Magnanimus*, Palatium ſuum Lovanienſe, ad Diliam fl. ſitum, in Monaſterium Ord. Prædicarorum convertit; ubi & quieſcit cum conjuge ſua Aleide, Odonis Burgundiæ Ducis filia. Extat illic etiamnum Tumba marmorea horum Principum, cum hiſce Epitaphiis.

Hic ſubtus jacet Dominus HENRICUS *hujus nominis tertius, Princeps illuſtris, Dux Lotharingiæ & Brabantiæ ſextus, hujus Clauſtri Fundator, & totius fundi dator. Qui obiit anno Domini MCCLX. ultimâ die Februarii.*

Hic jacet Domina ALEYDIS DE BURGUNDIA, *Duciſſa Brabantiæ, ejus uxor, iſtius Clauſtri, & Clauſtri de Audergbem pia fundatrix, nec non Ordinis totius Prædicatorum benigna amatrix. Quæ obiit anno Domini MCCLXXIII. die XXIII. Octobris.*

(2) SONIA ſilva, inter Bruxellam & Nivigellas ſita, complectiiur octo millia, ducenta viginti ſeptem jugera ſeu bonaria terræ, ac & triginta ſex virgas, ut loquuntur; ſingulis virgis ad viginti pedes computatis. Fuit autem Sonia, ut arbitror, pars olim ſilvæ Arduennæ, quam uſque ad Nervios, nunc Hannones, pertigiſſe, Julius Cæſar ſcribit.

(3) JUDÆI prorſus è Brabantia pulſi ſunt, cùm anno 1370. ſacras Hoſtias cultris ac pugionibus violaſſent: ex quibus tres etiamnum ſumma cum veneratione, in primaria ejuſdem urbis Baſilica, S. Gudilæ ſacra, adſervantur. Faſtos noſtros Belgicos 15. Julii conſule.

(4) CAWARSINI, id eſt, fœneratores ſeu uſurarii publici.

CAPUT XCI.

GUIDO, *Flandriæ & Namurci Comes, Loënsi Canonicorum Regularium Cœnobio, in Diœcesi Iprensi, beneficium confert, anno* 1269.

UNIVERSIS Christi fidelibus, præsentibus pariter ac futuris, (1) GUIDO Comes Flandriæ, & Marchio Namurcensis, salutem in Domino.

NOVERIT universitas vestra, quod cùm Præpositus Ecclesiæ S. Petri LOENSIS murum circa ambitum sui Monasterii ædificare cœpisset, extendentem se directè ab Orientali parte chori sui versus Orientem, ultra fossatum Villæ Loënsis, in terra sua propria, & inde directè versus plagam Septemtrionalem, rursusque versus Occidentem usque ad portam dictæ villæ versus Septemtrionem, atque inde directè usque ad angulum muri sui juxta atrium de (2) Lo, inter fossatum ibi existens, & viam lapideam, quæ via publica nuncupatur:

IN quibus idem Præpositus nostro præjudicasse dominio dicebatur, pro eo videlicet quòd terra illa, quam Præpositus infra terminos memoratos inter fossatum dictæ villæ & ambitum novi muri incluserat, nostræ Furnensis territorii justitiæ totaliter subjacebat:

NOS cogitantes proinde de supernis, ob delictorum nostrorum remedium, dictam terram sic inclusam, ad nostram justitiam totaliter pertinentem, concessimus in puram & perpetuam eleëmosynam Præposito & Conventui dicti loci, sub eadem libertate & justitia tenendam, & pacificè possidendam, quibus mansionem suam & Claustrum, intra fossata dictæ Villæ Loënsis contenta, ex collatione Prædecessorum nostrorum Comitum Flandriæ, ac etiam ex consuetudine approbata & hactenus observata, tenent & possident, & usque in præsentem diem tenuerunt & possederunt, altâ justitiâ in loco illo, sicut in mansione & claustro prædictis, salvâ nobis permanente.

IN cujus rei testimonium, & robur perpetuæ firmitatis, præsentes Litteras eisdem concessimus, sigilli nostri auctoritate munitas.

ACTUM anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, mense 1269.
Maio.

Dampierre. (1) GUIDO à *Dominico Petri*, Comes Flandriæ, anno 1262. uxorem duxit Isabellam Henrici Blondelli Comitis Luxemburgensis & Marchionis Namurcensis filiam. Quo matrimonio variæ contentiones de Comitatu Namurcensi sunt sopitæ, & Guido creatus est Comes seu Marchio Namurcensis, consentiente Martha Imperatrice Constantinopolitana: ut in Stemmatibus Principum Belgii Cap. 23. explicui.

(2) Lo. Latinè LOA, est municipium Flandriæ in Diœcesi Iprensi situm, in quo Philippus Roberti Frisii Flandriæ Comitis filius, anno 1093. Monasterium Canonicorum Regularium fundavit, dans eis Comitatum & Advocationem, stallum & teloneum, & quidquid secularis juris habebat: ut in Diplomate suo desuper edito loquitur, & Meierus lib. 3. Annalium Flandriæ narrat.

Fundationem istam Joannes Morinensis Episcopus anno 1100. & 1119. suis literis firmavit, & dotem Monasterii postea auxerunt Theodericus Alsatius, Philippus ejus filius, aliique Flandriæ Comites.

Ceterùm Cœnobium, primo lapide ab Insulis Flandrorum emporio situm, quod similiter *Lo* vulgus nuncupat, Latinè *Laus B. Mariæ* nuncupatur; estque Monachorum Ord. Cistertiensis, celebre miraculis ac cultu ejusdem Virginis.

CAPUT XCII.

Senatus Populusque Aquisgranensis JOANNEM I. *Lotharingiæ Brabantiæque Ducem agnoscit suum Advocatum superiorem.*

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Judices, Scabini, Consules Civium, Magistratus, & ceteri Cives Regalis Sedis AQUENSIS, salutem & cognoscere veritatem.

QUONIAM fragilis est hominum memoria, & gesta de levi oblivioni traduntur, nisi scripto fuerint stabilita, notum facimus tam præsentibus quàm futuris, quòd nos unanimiter recognoscimus illustrem Principem Dominum JOANNEM, Dei gratiâ Lotharingiæ & Brabantiæ Ducem, nostrum esse (quemadmodum sui honorati Prædecessores fuerunt) superiorem Advocatum.

ET nos ipsum & suum, qui in Ducatu legitimè successerit, heredem pro nostro Superiore confitemur, & tenemus in perpetuum, Advocato; & eidem JOANNI Lotharingiæ & Brabantiæ Duci promittimus bonâ fide, quòd eidem & heredi suo contra omnes, qui nunc superfunt aut poterunt superesse (excepto Serenissimo Domino nostro Romanorum Rege ac Imperatore) assistemus fideliter consilio, auxilio & favore.

ET ut præmissa robur & certitudinem obtineant firmitatis, præsentes litteras eidem & suis heredibus, roboratas nostri sigilli munimine, contulimus, in perpetuum duraturas.

DATUM Aquis anno Domini MCCLXXX. 1280.
in crastino Resurrectionis Jesu Christi.

CAPUT XCIII.

JOANNES *Dux vicissim Aquisgranensibus patrocinium & defensionem promittit, anno* 1280.

JOANNES (1) Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, universis tam præsentibus quàm futuris, præsentes litteras visuris, salutem & cognoscere veritatem.

Ex debito nostri Principatûs, hos non immeritò promovemus & amplectimur gratiâ speciali, apud quos dignitatis officio fungimur & honoris.

ITAQUE nostrorum Progenitorum (qui Sedem & Civitatem Regalem Aquensem, & ejus cives, ubi, sicut ipsi fuerunt, nos sumus Superior Advocatus, ab eo tempore, quòd ejus non exstet memoria, sedulò promoverunt, & conservaverunt, & studiosè defensarunt) vestigiis inhærentes:

TAM ob reverentiam Sacri Romani Imperii, quàm ratione Superioris Advocatiæ, quâ post Imperium fungimur apud eos; propter assistentiam nobis pactam, prædictam Civitatem & Sedem Regalem, & ejus incolas sive cives conservare, promovere & omnia eis fructuosa facere ac impendere promittimus & tueri, & dum requirere duxerint, eis favorem, consilium & auxilium, & assistentiam impartiri promittimus, & præstare fideliter & benignè.

ATQUE ad universa & singula ipsis civibus Aquensibus bonâ fide servanda, nostrum, qui in Ducatu legitimè successerit, heredem obligamus in perpetuum.

DANTES de consilio nostrorum Consiliariorum, pro nobis & prædicto herede nostro eisdem civibus Aquensibus, qui nunc sunt aut in futurum erunt, præsentes in perpetuum duraturas litteras, cum appensione sigilli nostri, ad firmum robur & æternum testimonium, super omnibus & singulis supradictis.

Datum in (2) *Dalheim*, feriâ 4. post Pascha, anno Domini MCCLXXX. 1280

(1) JOANNES I. Brabantiæ Dux, duas habuit conjuges, nomine Margaritas, priorem Philippi Galliæ Regis, alteram Guidonis Flandriæ Comitis filiam. Periit Barri anno 1294. in hastiludio: eique tumulum novum Bruxellis apud Franciscanos Albertus Pius posuit.

(2) DALHEIM, sive *Dalem*, Latinè Dalhemium, Oppidum est nobis Brabantis Transmosanum, quod Ducatui Limburgensi nunc accensetur, cum Falcoburgo & Roda Ducis.

In territorio Dalhemiensi est VALLIS DEI, Abbatia Monachorum Ord. Cistertiensis, fundata à Lothario Comite de Hostade, anno 1216. & Cœnobium S. CRUCIS, Monachorum Ord. S. Sepulchri Jerosolymitani, itemque SINNICHENSE Monasterium Virginum ejusdem Ord. Cistertiensis.

Est ibidem Collegium trium Canonicorum, ac totidem Capellanorum seu Vicariorum, in municipio, quod *Forum S. Martini*, *S. Martens Voeren* nuncupant. Præbendarum pro parte collator est Comes Gronsfeldius.

CAPUT XCIV.

GERARDUS WESEMALIUS, *Dominus Opidi Bergizomensis in Brabantia, agnoscit se debere quotannis quattuor marcas, Canonicis Ultrajectensibus S. Martini & S. Salvatoris, solvendas ex pacto, pro prædiis in Brabantia sitis.*

DILECTIS Dominis suis, Viris venerandis & discretis, Decano & Capitulo Ecclesiæ Trajectensis, GERARDUS DE (1) WESEMALE Miles, Dominus de *Monte super Zoma, & de Harsele, quidquid potest obsequii & honoris, cum salute.

* Bergh op Zoom. Heersel.

VESTRAS rogamus discretiones, quatenus monitorium nobis factum, ad vestram instantiam, defectu cujusdam solutionis pecuniæ, hac vice revocare velitis, & eam facere revocari.....

SCIENTES quòd ad hoc dilectum nostrum Capellanum, latorem præsentium, ad vos transmittimus, & quòd quidquid idem Capellanus de præmissis vobiscom ordinaverit, hoc ratum & firmum observabimus, præsentium testimonio

Additio. (1) WESEMALE, vetus est Baronia Brabantiæ inter Arscnotum & Lovanium, cujus olim possessores fuêre simul Domini Bergarum ad Zomam (quæ nunc possidentur à familia de Turre Arverniæ in Gallia) item de Herssel (quod nunc est penes familiam Merodiam.) Fuerunt quoque Mareschalli Hæreditarii Brabantiæ à temporibus Godefridi Barbati Brabantiæ Ducis.

Joannes Dominus Wesemaliæ ac Falesii prole legitimâ carens, anno 1462. Carolum Carolesii tunc Comitem, postea Brabantiæ Burgundiæque Ducem, heredem scripsit: qui postmodum Joanni de Croy Domino de Rœux Wesemaliam dono dedit.

A Joanne Croyo anno 1472. illam emit Guido de Brimeu, Dominus de Humbercourt, Eques Aurei Velleris, à Gandavensibus anno 1477. capite plexus. Anno 1562. Gaspar Schets Toparcha de Grobendonc, à Carolo de Brimeu præfati Guidonis Nepote, Wesemaliam emit;

nio litterarum, sigillo nostro sigillatarum.

1280. DATUM anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo, Dominicâ post S. Matthiæ Apostoli.

hodieque tenent ex eadem familia Comites Grobbendonckii.

Porrò Wesemalia in spiritualibus subest Abbati Averbodiensi Ord. Præmonstratensis: estque illic sita Abbatia Parci Dominarum, vulgò *Vrouw-Parck*, Virginum Ordinis Cisterciensis.

CAPUT XCV.

Aliud ejusdem GERARDI WESEMALII *Diploma, ejusdem argumenti cum præcedente, datum anno* 1290.

UNIVERSIS præsentes litteras visuris GERARDUS DE WESEMALE, Miles, Dominus de Berge super Zoom, salutem in omnium Salvatore.

Universitati vestræ notum facimus per præsentes, quòd tenemur solvere bonâ fide venerandis viris, Dominis Decanis & Capitulis S. Martini & S. Salvatoris Ecclesiarum Trajectensium, singulis annis, infra Octavas obitûs B. Martini, quattuor marcas, sex solidos, & octo denarios Coloniensium denariorum legalium.

ET si in solutione dictæ pecuniæ dicto termino defecerimus, omnes expensas, quas ad monendum, pro eisdem denariis dicti Decani & Capitula fecerint, eis refundemus integraliter, secundùm formam & continentiam priorum litterarum nostrarum, quas ipsis Decanis & Capitulis dedimus, super solutione dictæ pecuniæ, de bonis, quæ de ipsis in pacto tenemus, iisdem annis singulis persolvendæ.

IN cujus rei testimonium sæpe memoratis Dominis Decanis & Capitulis præsentes litteras, sigillo meo, ac sigillis venerabilis viri Domini Wilhelmi de Aemstelle, Præpositi Ecclesiæ S. Joannis prædicti loci, & Domini Huberti de Everdingen senioris, Militis, contulimus roboratas.

DATUM anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, Sabbato ante Dominicam, quâ cantatur, *Oculi mei*. 1290.

CA-

Stemma Dominorum & Marchionum Bergizomensium.

I. GERARDUS Wesemalius, Oppidi Bergensis ad Scaldim & Zomam in Brabantia conditor, ut Pontus Heuterus in suis Tabulis genealogicis tradit, filios genuit, Arnoldum & Godefridum Merxemi Dominum. Vixit Gerardus anno 1280. & 1290. ut patet ex Cap. 94. & 95.

II. ARNOLDUS Bergizomii Dominus ex N. Bautersemia duas reliquit filias, Machuldem, & Margaritam nuptam Richardo Merodio: de quibus infrà agemus. Arnoldus signavit Tabulas Corsebergenses anno 1312.

III. MACHTILDIS Wesemalia, Alberto Vornæo nupta, peperit Joannam Vornæam, Bergizomii Dominam.

IV. JOANNA maritum habuit Joannem Valckenburgium; & Bergizomense Oppidum Henrico Bautersemio vendiderunt.

V. HENRICUS Bergizomii Dominus ex Maria Wesemalia sustulit Henricum, Gerardum & Margaritam.

VI. HENRICUS II. Bautersemius duxit Beatricem Polanam: & ex ea nati, Henricus & Oda.

VII. HENRICUS III. ex Bautersemiis, Dominus Bergizomensis, conjugem habuit Joannam Van Aa Gruthusiam seu Brugensem, quæ ipsi in dotem attulit Baroniam Grimbergensem, peperitque Henricum sine liberis defunctum & Joannam.

VIII. JOANNA Bautersemia, Bergarum ad Zomam, Bautersemii, Grimbergæ & Walhemi Domina, anno millesimo quadringentesimo decimo octavo nupsit JOANNI DE BRABANTIA, aliàs de GLIMES, qui Patrem habuit Joannem, Joannis III. Brabantiæ Ducis filium naturalem: ut Dinterus & Heuterus tradunt.

IX. JOANNI de Glimes & Joannæ Bautersemiæ liberi fuerunt, JOANNES cognomento LABEO Bergizomii Dominus, Antonius sine liberis sublatus, & PHILIPPUS de de Glimes Baro Grimbergæ propè Bruxellam: à quo postremo Stirpem trahunt Barones Grimbergani, ex quibus GODEFRIDUS BERGIUS primus Comes Grimberganus anno 1625. à Philippo IV. Rege Catholico est creatus.

X. JOANNES LABEO ex Margerita de Rouvroy filia Joannis Domini de *San-Simonia* genuit inter alios Joannem, Henricum Episcopum Cameracensem, & Cornelium Sevenbergæ Dominum per Mariam uxorem, anno 1501. Equitem Velleris Aurei creatum. Idem Joannes Labeo fundavit Canonicos Bergis ad Zomam anno 1442, cujus Diploma inferiùs exhibebitur in Notitia Ecclesiarum Belgii.

Saint-Simon.

XI. JOANNES, Labeonis primogenitus, Bergarum & Walhemi Dominus, anno 1481. Velleris Aurei Eques, duxit Adrianam de Brimeu, Guidonis Comitis Megani filiam. Ex qua inter alios nati, JOANNES, qui ex Anna Burgunda non reliquit prolem, & ANTONIUS, primus Marchio Bergizomensis, Comes Walhemiensis & Eques Velleris Aurei, anno 1531. à Carolo Quinto Imperatore creatus. I.

Idem Antonius insigne Templum Bergis ad Zomam ædificavit, & ex Catharina Croya liberos reliquit JOANNEM Marchionem II. Bergimozensem maritum Mariæ Lanoiæ, anno 1567. in Hispania sine prole defunctum, Robertum Leodicensem, Maximilianum Cameracensem, Episcopos, Mariam, Annam & Manciam; qui omnes sine liberis obierunt, exceptà Manciâ. II.

Nupsit autem MANCIA, Marchionissa Bergizomensis & Comitissa Walhemiensis anno 1558. JOANNI Baroni de Merode, Comiti de Oelen, Domino de Westerlo, Petersem, Gele & Peruwes, peperitque ex eo Margaritam. III.

MARGARITA MERODIA, Marchionissa Bergizomensis, Domina Gelæ & Peruesii, anno 1577. JOANNI DE WITTHEM, Domino de Bersele, Bautersem & Brame, nupta, tres reliquit filias, Mariam Manciam, HERMANNO Comiti Herenbergensi, Margaritam Henrico, Hermanni Fratri, & Ernestinam Francisco de Cusance, Burgundo, Baroni de Beauvois, junctas. IV. V.

MARIA ELISABETH, Hermanni & Mariæ Manciæ filia & heres anno 1625. nupsit ALBERTO, Frederici Comitis Herenbergensis filio unico. Fuit autem Fredericus dicti Hermanni Comitis Frater, Eques Aurei Velleris, ac Ducatûs Geldriæ Gubernator: obiit anno 1618. VI.

Additio. ALBERTUS Comes s'Herenbergius nullam ex uxore sua

Maria Elisabetha prolem suscepit; quæ cum obiisset anno 1636, ipse secundas nuptias iniit cum Magdalena de Cusancia, cognata suâ; obiitque anno 1675.

Interiori anno 1636. Dominium Bergizomense rediit
VII. ad MARIAM filiam & heredem Henrici Comitis de Bergh & Margaretæ de Withem, quæ illud anno 1641, initis nuptiis cum EITELIO FRIDERICO Comite de Hohenzollern ac S. R. I. Principe, eidem in dotem attulit. Obiit Eitelius anno 1662.

VIII. HENRICA FRANCISCA, Eitelii & Mariæ gnata unica, Marchionatûs Bergarum jure materno heres, anno 1662. FREDERICUM MAURITIUM Comitem de Turre Arverniæ Maritum accepit. Obiit ille anno 1707, ipsa verò Bergisomii anno 1698.

MAURITIUS, filius præcedentis, Princeps de Turre IX.
Arverniæ, primùm Regi Galliæ, dein Fœderatis Belgii Ordinibus militavit. Uxorem duxit anno 1707. Mariam Annam filiam Philippi Ducis Arembergici & Arschotani, è qua filiam unicam heredem reliquit. Obiit Duaci in flore ætatis suæ, anno 1710.

CAPUT XCVI.

ADOLPHUS *Montensis ad Rhenum Comes, Ducatum Limburgensem jure sanguinis ad se devolutum, anno* 1282. *cedit* JOANNI I. *Brabantiæ Duci; & per litteras rogat, ut* RUDOLPHUS I. *Imperator id ratum habeat.*

Serenissimo Domino suo RUDOLPHO, Dei gratiâ Romanorum Regi semper Augusto, ADOLPHUS Comes de Monte, cum debitæ fidelitatis promptitudine, quidquid potest obsequii, reverentiæ & honoris.

CUM nos Ducatum Limburgensem, cum omnibus bonis, quæ felicis recordationis Dominus WALRAMUS Dux Limburgensis, Patruus noster, nec non Domina ERMENGARDIS, filia sua, olim Comitissa Geldriæ, tenebant, dum viverent, ad nos, ex morte utriusque, tamquam ad legitimum heredem, devolutum, donationis titulo, transtulerimus in Illustrem Principem Dominum JOANNEM, Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ, Dominum nostrum, simpliciter & de plano:

DOMINATIONEM pariter & Magnificentiæ vestræ Celsitudinem devotè requirimus, quatenùs ipsi Domino Duci Ducatum ipsum, & bona ad ipsum Ducatum pertinentia, prout à vobis dependent, concedere dignemini, cum solemnitatibus ad hujusmodi concessionem debitis & consuetis.

Datum anno millesimo ducentesimo octogesimo secundo, feriâ quintâ pôst Pentecosten.

C A-

Stemma Genealogicum Comitum ac Ducum Limburgensium supra exhibuimus pag. 198.

Additio. WALRAMUS III. Dux Limburgi, Henrici V. filius, (de quo supra) circa annum 1278. moriens unicam reliquerat filiam, Ermengardem, Reinoldo Gelriæ Comiti nuptam. Quæ cum sterilis ante Patrem suum vivis excessisset, Adolphus Comes Montensis, filius Adolphi, qui frater erat secundo-genitus Walerami III, Ducatum Limburgensem accepit, & anno 1282. jus omne suum Limburgense Joanni I. Brabantiæ Duci cessit: ut ex ejusdem Litteris hoc Capite productis liquet.

Hinc gravis Controversia, & crudele bellum exarsit, variis Pricipibus Ducatum Limburgensem ad se trahere conantibus. A parte Ducis Brabantiæ stabat Adolphus Montium Comes, Waleramus Juliacus, Guido Comes S. Pauli, aliique plurimi Brabantiæ Nobiles.

Ab altera verò parte Reinoldus Comes Gelriæ, ejusque Gentilis Adolphus Nassovius (qui anno 1292. Francofurti Romanorum Rex renunciatus fuit) Sigefridus de Westerburg Arhiepiscopus Coloniensis, & plures alii Proceres.

Controversiæ huic finem imposuit anno 1288. celebre prælium Woeringanum, in quo Dux Brabantiæ victor evasit; atque ex illo tempore Ducatus Limburgi & Brabantiæ remanserunt uniti.

Vide plura inferiùs in Chronico Belgico, item in Annalibus Ducatuum Cliviæ, Juliæ & Montium per Wernerum Teschemaker; cujus libri nova ac recens Editio prodiit in Germania.

Stemma Comitum ac Ducum Montensium, in Diœcesi Coloniensi.

Additio. HAnc Genealogiam Aub. Miræus in prima Editione Diplomatum Belgicorum minùs accuratam exhibuit, prout ipse in Manuscriptis suis fatetur. Hinc aliud Stemma Genealogicum, quod à R.P. Christophoro Butkens, S. Salvatoris Antverpiæ Prælato, acceperat anno 1628. secundis curis edere paraverat: quod hic tum è Manuscripris ejus, tum etiam ex Annalibus Cliviæ & Montium, authore Wernero Teschemaker, exactius exhibemus; ac primò Comites, dein Duces Montium recensebimus.

Porrò Principes illi sunt omnes ferme sepulti in Abbatia Aldenbergensi, seu Veteris Campi, Religiosorum Cisterciensium propè Coloniam; de cujus fundatione agitur inferiùs lib. 2. Diplomatum Belgicorum.

Comites Montenses.

I. ADOLPHUS, Montium Comes & Abbatiæ Tuitiensis juxta Coloniam Advocatus, obiit circa annum 1147.

II. EVERARDUS Adolfi filius, fundator Abbatiæ Veteris Campi Ord. Cisterc. in eadem Monasticam vitam dein professus est.

III. ADOLPHUS II, Everardi frater, Comes Montium & Altenæ, ex Adelheide Arnoldi Comitis Cliviæ filiâ, Adolphum heredem & Brunonem Archiepiscopum Coloniensem suscepit, obiitque anno 1152.

IV. ADOLPHUS III, ex Adelheide Henrici Comitis Aquilii Montis (vulgò *Arnsberg*) & Agnetis Rietbergiæ filiâ, sustulit gnatos quatuor, Engelbertum & Eberhardum, quorum illi Montium, huic Altenanum Comitatum attribuit. Item Fredericum & Brunonem, mutuos Patrui Brunonis in Archiepiscopatu Coloniensi Successores. Obiit ADOLPHUS III. anno 1170.

V. ENGELBERTUS I, ductâ Margaretâ Henrici Gelriæ Comitis filiâ, ADOLPHUM IV, & S. Engelber-

tum dein Archiepiscopum Coloniensem genuit. Ad bellum sacrum profectus, in Palæstina vita functus est, anno 1189, aliis 1191.

VI. ADOLPHUS IV, Miles strenuus, Patris exemplo Cruce signatus, expeditionem in Terram sanctam suscepit. Jacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis lib. 3. Historiæ Orient. plurimùm laudat hunc ADOLPHUM, dicitque classi Cruce signatorum Coloniensium, Bremensium, ac Frisonum præfuisse, & anno 1218, ante Damiatæ expugnationem, filiâ Cunigarde (aliis Margaretâ) herede relictâ obiisse.

Porrò S. Engelbertus ADOLPHI Comitis frater, Archiepiscopus Coloniensis, anno 1225. Martyrium passus est pro defensione Ecclesiasticæ libertatis. Vide plura in Fastis Belgicis ad diem 7. Novembris, & in vita ejus typis edita, authore Ægidio Gelenio, Canonico Coloniensi.

VII. HENRICUS V, cognomento *Magnus* & *Blondus*, Dux Limburgensis & Comes Lutzeburgensis, ac jure uxoris suæ Cunegardis * Comes Montensis, ex ea filios Adolphum & Waleramum edidit. E quibus Adolphus, primogenitus licet, Waleramo Fratri juniori Ducatum Limburgicum reliquit, & in Montensi Comitatu successit.

* Vide supra Diplom. [illegible] Cap. 77.

VIII. ADOLPHUS V. uxorem habuit Margaritam Juliacam, è qua Adolphum VI, pluresque alios liberos sustulit, vita functus anno 1256.

IX. ADOLPHUS VI. is est qui in Diplomate jam memorato jus omne suum in Ducatum Limburgensem cessit Joanni I. Brabantiæ Duci. Uxorem habuit Agnetem Limburgicam, è qua nullam prolem reliquit. Famoso prælio Woeringano interfuit anno 1288, in quo captus fuit Sigefridus Archiepiscopus Coloniensis. Is verò post septennales carceres liberatus, Adolphum Comitem dolo intercepit, neque unquam liberare voluit. Tandem Adolphus miserrimè in vinculis habitus, inediâ aliisque doloribus interiit anno 1295.

X. GUILIELMUS Adolphi frater & heres, maritus N. Arenbergicæ, è qua nullam prolem reliquit. Obiit anno 1308.

XI. HENRICUS, Guilielmi frater, uxorem habuit Agnetem Marcanam: vitâ functus anno 1310.

XII. ADOLPHUS VII. Henrici filius, uxorem duxit Agnetem Cliviensem, è qua genuit Adolphum & Wilhelmum, qui ante patrem, sine heredibus obierunt, & filiam Margaretam, Otthoni Comiti Ravensburgico nuptam. Adolphus obiit anno 1348.

XIII. OTTHO Comes Ravensburgicus, ac jure uxorio Comes Montensis, filiam & heredem habuit Margaretam, Gerardo, Wilhelmi primi Juliæ Ducis filio nuptam, qui hoc auspicato conjugio, utrumque Comitatum tum Montanum, tum Ravensburgicum, Juliacæ Provinciæ conjunxit.

XIV. GERARDUS iste ex conjuge Margareta filium habuit Wilhelmum, & anno 1360. in duello occubuit. Uxor Margareta obiit anno 1389.

Duces Montenses.

I. WILHELMUS, Gerardi filius, anno 1389. à Wenceslao Cæsare Ducalem titulum accepit. Uxorem habuit Annam Roberti Palatini, Bavariæ Ducis, & postea Romanorum Imperatoris filiam.

Ex hac genuit Gerardum in juventute mortuum, Adolphum Successorem, Rupertum & Wilhelmum Episcopos Paderbornenses; quorum hic quoque fuit Archiepiscopus Coloniensis, sed anno 1415. relicto Ecclesiastico statu Annam Tecklenburgicam uxorem duxit. Dux Wilhelmus I. obiit anno 1408.

II. ADOLPHUS secundus Dux Montium, & post mortem Reinoldi III. Dux quoque Juliæ ac Geldriæ anno 1423. Uxorem primam duxit Jolentham Roberti Ducis Barrensis filiam, è qua genuit Robertum ante patrem mortuum: secundam verò Elisabetham Ernesti Bavariæ Ducis filiam, è qua nullas proles habuit. Obiit anno 1437.

III. GERARDUS, Adolphi ex fratre Guilielmo & Anna Tecklenburgica Nepos, Patruo successit. Is Carolo Audaci, Burgundiæ Brabantiæque Duci, jus suum ad Gelriæ Ducatum cessit. Ex conjuge Sophia Saxonico-Leoburgica filium habuit Guilielmum, & vivis excessit anno 1475.

IV. GUILIELMUS Juliæ, ac Montium Dux, Ravensbergæ, Blanckenbergæ ac Hinsbergæ Comes, uxores binas habuit, Elisabetham Nassoviam sine prole defunctam, & Sibillam Brandeburgicam, è qua filiam unicam MARIAM, Ducatuum Juliacensis & Montensis, itemque Comitatûs Ravensbergensis heredem, procreavit: quæ JOANNI Duci Cliviæ, Comiti Marcano, & Domino Ravenstenii nupsit.

Et sic tres nobilissimi ad Rhenum Ducatus, Clivensis, Juliacensis & Montensis, itemque duo Comitatus, Marcanus & Ravensbergensis, cum Dominio Ravestenensi, unum veluti in corpus coaluerunt. De quibus consule, si placet, Stephanum Pighium in Hercule Prodicio, Wernerum Teschemaecker in Annalibus Juliæ, Cliviæ & Montium, item Chronicon nostrum Belgicum; ubi & reliquos istarum Provinciarum Principes reperies.

Ducatûs porrò Montensis Metropolis est DUSSELDORPIUM, Oppidum infra Coloniam Agrippinam Rheno adsitum; in quo Cancellaria seu Collegium Senatorum residet, qui Juliacensis & Montensis ditionum incolis jus dicunt: ut in Oppido Clivensi sedem habet altera Cancellaria, quæ Clivensibus & Marcanis præest.

CAPUT XCVII.

Ab HUGONE *Leodicensi Episcopo varia jura urbis Mechliniensis anno 1300. dantur* JOANNI I. *Brabantiæ Duci, usque ad tertium heredem seu generationem, eâ lege, ut dicta jura à* JOANNE BERTOLDO *violenter occupata recuperet.*

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis HUGO, Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, æternam in Domino salutem, cum notitia veritatis. Zelus Orthodoxæ fidei in eo probatur præcipuè.......

SANE cùm ad nos & Antecessores nostros, Ecclesiæ Leodiensis Episcopos, qui ipsam Ecclesiam rexerunt pro tempore, plurima & diversa jura ac Jurisdictiones in Opido Mechliniensi, & in villa de *Heiste*, & appendiciis earumdem pertinuerint longis temporibus, & adhuc pretinere dignoscantur, quæ usque ad hæc tempora Nobilis Vir Joannes Bertout de Mechlinia, & sui Progenitores per potentiam suam violenter occuparunt, & adhuc detinent occupata, contrà Deum & justitiam, in dispendium animæ suæ & prædictæ Leodiensis Ecclesiæ non modicam jacturam, consilio freti bonorum & Jurisperitorum, oportunum duximus

Heyst op den Berga quarto lapide à Mechlinia.

eatenùs

eatenùs nobis brachium invocare defensionis.

Cum igitur, quia Illustris Princeps Dominus Joannes, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi, sit fidelis & major ac potentior inter fideles Ecclesiæ nostræ supradictæ, nostrum, imò potiùs Ecclesiæ nostræ gerens negotium, de mandato nostro & requisitione debita, prædicta jura & jurisdictiones diu injuriosè ac violenter occupata, ut est dictum, ad proprietatem Ecclesiæ nostræ supradictæ reducat, & reducere laboret suis sumptibus & expensis, nostræque seu Ecclesiæ nostræ prædictæ facultates non sufficiant ad tanta supportanda;

Volentes suis laboribus & expensis meritò respondere, cùm nemo teneatur suis stipendiis militare, prædicta Jura & Jurisdictiones universas & singulas, prout idem Dux revocaverit, ad jus & proprietatem Ecclesiæ nostræ memoratæ, liberè conferimus & donamus sibi suisque heredibus, usque ad tertium heredem inclusivè, cum fructibus, proventibus & adventiciis quibuscumque:

Promittentes bonâ fide dicto Duci, quòd quàm citiùs poterimus, procurabimus cum effectu, super collatione seu donatione prædicta, consensum Capituli dictæ nostræ Ecclesiæ, seu confirmationem Apostolicam adhiberi;

Præsertim cùm sæpedictus Dux bene valeat promereri, pro eo, quædam Jura & Jurisdictiones, de quibus providendum est, quòd ad possessionem prædictæ nostræ Ecclesiæ non venerint, quamvis multi Antecessores nostri, pro ipsis recuperandis, gravibus insudaverint laboribus & expensis.

In quorum testimonium & munimen, sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo, Sabbato post Festum B. Lucæ Evangelistæ. 1300.

S Temma Berthaltiorum seu Bertoldorum Mechliniæ & Grimbergæ Dominorum, ex vetustis Diplomatibus & fide dignis Scriptoribus collectum, vide inferiùs in Chronico nostro Belgico ad annum 1128.

CAPUT XCVIII.

Formula vetus Donationis, per traditionem cespitis cum festuca: quâ formulâ Theodericus de Anderane, *Miles, Decimas Vici Betchensis, prope Halenum Opidum, ad Jaceam fluviolum siti, anno* 1304 *tradidit Monasterio Virginum Ordinis Cistercienss, quod* Sartum B. Mariæ, *vulgò* Rothem, *nuncupatur, olim in Leodicensi, nunc Mechliniensi Diœcesi.*

In nomine Domini, amen. Noverint universi, quòd anno Domini 1304. Indictione secundâ, mensis Junii die quintâ, in præsentia discretorum virorum ac mei, ut publici Tabellionis, testiumque subscriptorum, & ad hoc testificandum vocatorum specialiter & rogatorum, ante Altare Claustri seu Monasterii de Sarto B. Mariæ, quòd vulgariter *Rothem* dicitur, Leodiensis Diœcesis, Cistertiensis Ordinis:

Dominus Theodericus Miles, dictus de Anderane, personaliter constitutus, compos mentis & corporis, zelo devotionis ac pio intuitu caritatis inductus, prout hæc omnia facie primâ apparebnat;

Ipsi Monasterio prædicto de Sarto B. Mariæ, nomine & ad opus Dominæ Abbatissæ & Conventûs ejusdem loci, suam totius bladi de *Betche*, & in locis circumjacentibus & vicinis, ac suam ibidem universaliter omnium segetum decimam, purè propter Deum in eleëmosynam, pro animabus Parentum suorum, necnon sui ipsius prædicti Militis, habendam in futuro, & jam ex nunc possidendam (electâ sibi in dicto Monasterio Ecclesiasticâ sepulturâ) donans, dedit pleno donationis inter vivos jure, ex hoc nunc in sæculum tenendam corporali ac quietâ possessione, & habendam à data præsentis publici instrumenti, justo legitimæ possessionis titulo, & pariter proprietatis, in quantum in se fuit & potuit, quoad possessionem & proprietatem supradictas, adhibitis etiam ex abundanti quibusdam solennitatibus, quæ ad solemnisationem consimilium fieri consueverunt:

Videlicet quòd major dicti Monasterii cereus illuminatus fuit, & prædictus Miles Dominus Theodericus, cum viridi cespite, cui viridis ramus infixus existit, arreptâ etiam stolâ, quâ Frater Joannes de Valle Dei Monachus, & dicti Monasterii Confessor, præcinctus fuerat, & subscriptis testibus, ad perhibendum super hoc efficax testimonium, cum instantia convocatis, obtulit scienter ac spontaneè, super Altare dicti Monasterii, Domino Deo hereditariè decimam prænarratam, sub omni modo & forma prædictis, atque in holocaustum vel oblationem immolavit.

Acta sunt hæc ante Altare prædictum, præsentibus ibidem, Fratre Joanne de Valle Dei, 1304.
Domino Wilhelmo Rectore, & Domino Joanne de Lintere, Capellano Ecclesiæ de Cortenake, Presbyteris, & pluribus aliis ad prædicta vocatis & rogatis fide dignis Testibus, anno, die, mense, ut suprà.

FOrmulam istam veterem Donationis, cum Diplomate subsequenti, ex Archivis Ecclesiæ parochialis S. Pauli Bethasiorum, vulgò *Beets*, prope Halenum, Agri Brabantini Oppidum, nobis suppeditavit D. Godefridus Wendelinus, illius loci Parochus, vir antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus.

Hic factus inde Pastor Hercanus in Campinia Leodiensi, postmodum successivè Condatensis ac Tornacensis Cathedralis Canonicus, illiusque Diœcesis Officialis, extremum diem obiit anno 1660. Additio.

CAPUT XCIX.

THEODERICUS & ARNOLDUS, *fratres, Theoderici de Anderane filii atque heredes, medietatem decimæ Betchensis vendunt Abbatissæ Monasterii Rothemensis, anno* 1318.

IN nomine Domini, amen. Universis præsentes litteras seu præsens instrumentum inspecturis, Decanus & Capitulum S. Dionysii Leodiensis salutem in Domino, cum notitia veritatis.

NOVERINT universi & singuli,
1318. quòd anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo decimo octavo, Indictione secundâ, mensis Novembris die vicesimâ quintâ, horâ Missæ, coram nobis in Capitulo dictæ Ecclesiæ, ac in præsentia Notarii publici infrascripti, & testium subscriptorum, comparentibus propter hoc personaliter, Dominâ Religiosâ Sorore Catharinâ, Dei patientiâ Abbatissâ Monasterii B. Mariæ de Sarto quod vulgariter dicitur *Rothem*, Leodiensis Diœcesis, Cistercienfis Ordinis, pro se & Conventu ejusdem Monasterii ex parte una, & THEODERICO & ARNOLDO Fratribus, filiis & heredibus quondam Domini Theoderici de Anderane, Militis, ex altera.

DICTI liberi recognoverunt expressè coram nobis ac dicto Notario ac testibus infrascriptis, se vendidisse dictis Religiosis Dominabus medietatem cujusdam decimæ minutæ, quam præfati liberi in trecensum à nobis tenebant, in Villa *de Betche*, quæ etiam medietas conjuncta est alii medietati, quam dictæ Religiosæ comparaverant erga *Henricum*, Fratrem prædictorum Theoderici & Arnoldi.

IN qua etiam medietate dictis Religiosis adheredationem aliàs fecimus solennem, quam easdem Religiosæ nunc possident in *Betche*. Cujusmodi contractui à nobis postularunt dictæ partes auctoritatem & consensum impertiri.

NOS autem jus unicuique fieri volentes, auctoritatem & consensum nostros impertiri sumus, & impertimur in præmissis, receptisque reportatione & werpitione ab ipsis Fratribus prædictis, de dicta medietate decimæ minutæ, dictam Abbatissam, ad opus dicti sui Cœnobii investivimus, eamque adheredavimus de eadem, observatis consuetudinibus in talibus fieri consuetis. Mandantes dictam Religiosam, ad opus Cœnobii sui prædicti, in pace & banno in eadem conservari.

ACTA sunt hæc in Capitulo Ecclesiæ prædictæ, anno, Indictione, mense, die & horâ, 1318
prædictis, præsentibus ibidem discretis Viris NN. Testibus ad præmissa testificanda vocatis & rogatis.

ET ego Henricus de Vesnake, Clericus Leodiensis Diœcesis, publicus Auctoritate Imperiali Notarius, præmissis omnibus & singulis interfui, unà cum Testibus supradictis, ea vidi & audivi, hoc publicum instrumentum seu litteras præsentes inde manu propriâ conscripsi.

IN quo scribendo annos Domini, usus sum consuetudine Diœcesis Leodiensis, ubi (1) Data mutatur in Vigilia Resurrectionis Domini, post Benedictionem Cerei, ipsumque instrumentum præsens, de mandato dictorum Decani & Capituli & Abbatissæ, conscripsi, & meo sigillo consueto signavi rogatus.

(1) DATA MUTATUR. Apud Scriptores veteres, & apud nationes varias, varia olim fuit Epocha, seu ratio annos inchoandi, quam barbarè *Datam* vocant.

Brabanti, Flandri, Leodicenses, Cameracenses & alii Belgæ, more Ecclesiæ Gallicanæ, annum à Paschate inchoarunt, usque ad annum 1577. quo illa Epocha Edicto Regio est abrogata, & commodior introducta à Kalendis Januariis. Veneti hodieque à Kalendis Martiis, & Legatus Avenionensis à die 25. Martii annum ordiur.

Sigebertus Gemblacensis, Jacobus Meyerus, & alii Rerum Flandricarum Scriptores non pauci annum à Paschate ordiuntur: Regino Pruniensis orditur ab Incarnatione Christi: Lambertus Scafnaburgensis, Onuphrius in Fastis & plerique Scriptores Germani, non ab Incarnatione, sed à Christi Natali auspicaotur. Prolegomena nostra ad Sigeberti ejusdem Chronicon, si plura voles, consule, & Annales nostros Belgicos ad annum 897.

CAPUT

CAPUT C.

JOANNES XXII. *Papa suo Diplomate declarat, Beghinas Belgicas esse immunes ac liberas ab erroribus Beghinarum Alemanniæ, quas Clemens V. antè damnaverat. Idem de Beghinis Antverpiensibus testatur Petrus Cameracensis Episcopus, anno* 1323.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, PETRUS miseratione divinâ Cameracensis Episcopus, Commissarius & Executor ad infrascripta à Sede Apostolica deputatus, salutem in Domino sempiternam.

NOVERITIS Nos litteras Sanctissimi in Christo Patris ac Domini Joannis divinâ providentiâ Papæ XXII. verâ Bullâ plumbeâ ejusdem Papæ, cum filo canabis bullatas, non abolitas, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas recepisse, sub his verbis:

JOANNES, Episcopus servus servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Cameracensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CùM de his mulieribus, quæ (1) Beghinæ vulgariter & communiùs nuncupantur, felicis recordationis Clementi Papæ V. Prædecessori nostro, præcipuè de Alemanniæ partibus, multa fuissent insinuata sinistra; præsertim quòd earum aliquæ de Summa Trinitate ac divina essentia disputare, ac etiam prædicare, circa articulos quoque fidei & Ecclesiastica Sacramenta, opiniones fidei eidem contrarias introducere, multorumque simplicium animos in diversos super his errores inducere; & alia multa pericula animarum parientia facere, sub fucato sanctitatis velamine, præsumebant:

Ex quibus, necnon & aliis de dictis mulieribus frequenter auditis, habens eas dictus Prædecessor non indignâ ratione suspectas, statum earum prohibendum duxit perpetuò, & à Dei Ecclesia penitùs abolendum; in illas, quæ statum hujusmodi jam assumptum sectarentur ulteriùs, aut quæ de novo illum assumerent, excommunicationis sententiam promulgando.

CUM autem ad Apostolatûs nostri auditum relatio fide digna deduxerit, esse plurimas in tuis civitate & Diœcesi hujusmodi mulieres, BEGHINAS simpliciter nuncupatas, quæ per virtutum odoramenta currentes, honestè vivunt, devotè frequentant Ecclesias, Prælatis suis reverenter obediunt, & se in præmissis disputationibus & erroribus non involvunt, nec suas, nec aliorum animas, per opiniones erroneas, ab Evangelica veritate degeneres, damnabili præsumptione decipiunt;

SED in sancta & solida simplicitate viventes, aliquæ proprias, aliquæ parentum, aliquæ conductas, vel sibi communes & cum honesta familia domos inhabitant; aliquæ verò, rerum cogente defectu, simul in eisdem domibus & diversis Beghinagiis, ad majorem castitatis observantiam, commorantur.

ET quia hæ sic hactenùs vixerunt laudabiliter, atque vivunt, quòd nulla umquam super his fuit vel est suspicio, aut infamia contra ipsas; propterea fuit nobis, pro parte ipsarum, humiliter supplicatum, ut cùm indignum sit innocentes cum nocentibus àd paria judicari; sintque propterea, occasione hujusmodi, in dictis Civitate & Diœcesi, scandala gravia, dissensiones & odia, guerrarumque pericula suscitata; providere super his, per Apostolicæ Sedis providentiam, dignaremur.

NOS igitur indignum & rationi contrarium reputantes, si probas & reprobas similis censura percelleret; præmissis etiam scandalis, dissensionibus, odiis atque periculis obviare volentes, Fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per Apostolica Scripta mandamus;

QUATENUS per te vel alium, de vita dictarum mulierum laudabiliter viventium (ut præfertur) diligentiùs informatus, si repereris ita esse, non permittas eas, vel ipsarum aliquam, in personis & bonis earumdem, occasione prohibitionis & abolitionis hujusmodi (quousque de statu earumdem fuerit aliter per Sedem Apostolicam ordinatum) ab aliquibus molestari; molestatores, si qui fuerint, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescendo.

NON obstante, si eis vel eorum aliquibus, communiter vel divisim, à Sede prædicta sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras dictæ Sedis, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de Indulto hujusmodi mentionem.

VOLUMUS autem quòd prædictas mulieres attentè & accuratè præmoneas, eisque districtè præcipias, ne de hujusmodi disputationibus, contra hujusmodi prædicti Prædecessoris nostri prohibitionis & abolitionis tenorem, se aliquatenus intromittant, sed in sanctis operibus persistentes, & proficientes semper

(1) BEGHINARUM, ac BEGUARDORUM Sectam anno 1311. in generali Concilio Viennensi condemnavit, eosque unà cum Ordine Templariorum extinxit, Clemens V. Pont. propter errores hoc Diplomate memoratos.

Porrò ab hac Secta toto cælo diversum est Institutum BEGHINARUM, hoc est, Virginum ac Viduarum simul in Beginagiis, absque votis monasticis, piè casteque viventium, cujus plurimæ in Brabantia, Flandria, Diœcesi Leodicensi, ac vicinis ditionibus hodieque sunt Congre-

per de virtutibus in virtutes, mereantur retributionis æternæ præmium, quod non incohantibus, sed perseverantibus in consummatione præstatur.

1310. DATUM Avenione II. Kal. Januarii, Pontificatûs nostri anno quinto.

QUARUM auctoritate & prætextu litterarum, factâ informatione diligenti, de vita & moribus mulierum, quæ Beghinæ vulgariter nuncupantur, & in Beghinagio extra villam Antverpiensem dictæ nostræ Diœcesis commorantur, necnon de singulis in dicto rescripto Apostolico contentis, per dilectum & fidelem Capellanum nostrum, Dominum Joannem de Alosto, Curatum Ecclesiæ de (1) *Morselle*, prædictæ nostræ Diœcesis, cui quantum ad hoc, & alia infrascripta, unà cum discretis viris, dilectis nostris, Ecclesiarum S. Gudilæ Bruxellensis & B. Mariæ Antverpiensis, ac dictorum locorum Christianitatum Decanis, cum illa clausula: Quatenus vos, vel duo aut unus vestrum &c. commisimus vices nostras.

ET quia per informationem hujusmodi ritè factam invênit, quòd dictæ mulieres, in prædicto loco commorantes, honestè & laudabiliter vixerunt, atque vivunt, devotè frequentant Ecclesias, Prælatis suis reverenter obediunt, & quòd se disputationibus & prædicationibus de summa Trinitate ac divina essentia non involvunt, nec involverunt, nec etiam opiniones Catholicæ fidei contrarias aliquatenus seminare præsumunt, nec hactenus præsumpserunt; quòd nulla unquam super his fuit, vel est suspicio vel infamia contra ipsas;

DICTUS Commissarius noster, virtute commissionis prædictæ, voluit & ordinavit, quòd eædem mulieres in statu pacifico & quieto, prout alias consueverunt, Domino famulari permittantur, & quòd sub obedientia Magistrarum, per ipsum Commissarium ibidem instituturarum, in habitu grisio, humili & honesto remaneant, & remanere valeant, absque molestatione aliqua eis, seu alicui earum, occasione prohibitionis & abolitionis prædictarum, ab aliquibus in personis & in bonis inferenda, secundùm dictarum litterarum Apostolicarum continentiam & tenorem.

NOS verò præmissa, per dictum Commissarium nostrum facta, ratificamus, approbamus, & auctoritate, quâ in hac parte fungimur, confirmamus, volentes ea firmiter & fideliter observari.

QUARE vobis omnibus & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Presbyteris & Capellanis, in nostris Civitate & Diœcesi prædictis constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, districtè præcipimus & mandamus, quatenus omnes & singulos molestatores & rebelles, si qui fuerint in præmissis, cujuscumque status vel conditionis existant, qui dictas mulieres molestaverint, inquietaverint, vel impedierint, moneatis canonicè, ut ab ejusmodi molestatione, inquietatione & impeditione cessent penitus & desistant.

ALIOQUIN ipsos, si fuerint Presbyteri, suspendatis à divinis, & si dictam suspensionem per sex dies in se sustinuerint, ipsos excommunicetis. Si verò Clerici fuerint sive Laici, & dictæ monitioni non paruerint cum effectu, ipsos excommunicetis, & excommunicatos publicè nuntietis; & si quid indè feceritis, nomina monitorum, suspensorum, & excommunicatorum (si qui fuerint) nobis liquidè rescribatis. In his verò exequendis unus vestrum alium vel alios non exspectet.

IN cujus rei testimonium præsentes litteras, per nostrum Notarium infrascriptum, fieri fecimus, & sigilli nostri munimine corroborari.

ACTUM & datum apud *Castellum* in Cameracesio, anno Domini millesimo trecente- 1323.
simo vigesimo tertio, Indictione septimâ, mensis Februarii vigesimâ tertiâ die, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Domini Joannis divinâ providentiâ Papæ XXII anno octavo.

PRÆSENTIBUS Venerabilibus Viris, Domino Rogero Melleri, Archidiacono Constantiensi, Domino Joanne de Alosto, Curato Ecclesiæ de *Morselle*, Cameracensis, Leonardo de S. Nicolao, Beluacensis, & Gerardo Pestel, Cameracensis Diœcesis Clericis, Testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

ET ego Ægidius Canchelz, de Castello in Cameracesio, Cameracensis Diœcesis, Apostolicâ & Imperiali auctoritate publicus Tabellio, præmissis actis, dictis & ordinatis, per præfatum Reverendum Dominum Cameracensem Episcopum, ut præfertur, unà cum Testibus suprascriptis, præsens interfui; præsentes litteras, de mandato ipsius, per alium scribi feci, hic me subscripsi, & signum meum, unà cum appensione sigilli ipsius Reverendi Patris, rogatus apposui consuetum.

C A-

garioncs. Alunt autem familiam singulæ, aut vivunt binæ, ternæ, aut plures iisdem in ædibus, cum singulari morum ac pudicitiæ integritate. Ut meritò Castus orbis Germania nostra inferior ab exteris nuncupetur.

Nomen habent Beghinæ à S. BEGGA Abbatissa Andennensi in Diœcesi Namurcensi, Fundatrice Collegii nobilium Virginum Canonicarum ibidem; aut à LAMBERTO BEGHIO, pio Sacerdote Leodicensi.

Additio. Quâ de re acris controversia circa annum 1625. inter duos Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis Canonicos ac S. Th. Licentiatos, *Petrum Coens* & *Zegerum van Houtsum*, scriptis ultrò citroque Libellis efferbuit; quorum prior Beghinarum ac Beghinagiorum Originem Lamberto Beghio, posterior verò S. Beggæ attribuebat.

Vitam S. BEGGÆ (quæ fuit Pipini I. Brabantiæ Ducis filia) Lovanii edidit anno 1631 *Josephus Geldolphus à Ryckel* Abbas S. Gertrudis, simulque egit de fundationibus ac progressu Beghinagiorum in Belgio & alibi. Vide etiam infra Fastos Belgicos ad diem 17. Decembris, item Chronicon Ordinis Cisterciensis.

(1) MOORSELLE. Vicus primo lapide ab Alosto, memoriâ D. Gudulæ celebris, erectus in Baronatum anno 1661.

CAPUT CI.

OTHO *Dominus de Cuyck, acceptâ nummorum summâ, Graviam, Oppidum Mosæ adsitum,* JOANNI III. *Brabantiæ Duci tradit, & pòst* OTHO *idem Oppidum in feudum ab eodem Duce accipit, anno* 1323.

NOs OTHO Dominus de (1) *Cuyc* & (2) *Heverlé*, notum facimus universis, tam præsentibus quàm futuris,

QUOD nos de propria nostra & libera voluntate Opidum nostrum de (3) GRAVIA, cum omnibus juribus, fundo, attinentiis & libertatibus, ad dictum Opidum spectantibus, seu quocumque modo pertinentibus, quod nostrum verum erat allodium, in manus Illustris ac Potentis Principis, JOANNIS Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Ducis, Domini nostri prælibati, portavimus, dedimus, & ad usum ipsius ac heredum suorum, & omne jus, quod habebamus vel habuimus,* exfestucando renuntiamus in perpetuum; nihil juris in dictis, Opido, fundo, juribus, attinentiis, ac libertatibus, vel etiam allodio, pro nobis vel nostris Successoribus retinendo.

* Id est, Dominium transferendo. Vide Glossar. Latin. Du Cangii.

PROMITTENTES eidem Domino nostro Duci antedicto pro dictis, Opido, fundo, juribus, attinentiis ac libertatibus, firmam semper præstare guarandiam ratam contra quoscumque. Et ob hoc obligamus nos, heredes nostros, bona nostra & heredum nostrorum singula & universa, ubicumque sint, vel poterunt inveniri.

ET omnibus præmissis sic factis, idem Dominus noster Dux dictum Opidum, cum omnibus juribus, fundo, attinentiis, ac libertatibus, tamquam suum verum ac proprium allodium, nobis in rectum feudum, jure Brabantino ab ipso suisque post ipsum heredibus & Successoribus, ac nostris Successoribus & heredibus hereditariè tenendum, habendum atque possidendum concessit, atque suâ propriâ voluntate donavit.

ET nos de dicto Opido, fundo, juribus, attinentiis ac libertatibus ipsi fecimus homagium, & de manibus suis recepimus in feudum, cum nostro juramento ipsi facto de hoc, debito & consueto.

IN cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. His verò præmissis interfuerunt,

Florentius Bertout, Dominus de Mechlinia,
Joannes Bertout, Dominus de (4) Helmont,
Rogerus de Lesdale, Dominus de Oirschot & de Parcke.*
Nicolaus de Dorne.
Joannes de Raidtshoven.
Henricus de Meldert.
(5) Joannes Meeuwe, Dominus de Wavere, & Dongelberghe.
Joannes de Kesterbeke, Milites, nec non (6) Rodolphus Pipenpoy, Senescallus Brabantiæ, tanquam fideles Domini Ducis, ex parte nostra, ad hoc specialiter vocati. Quibus nos supplicamus, ut ipsi sua sigilla, cum sigillo nostro, in signum veritatis & caussam cognitionis, præsentibus litteris apponant. Et nos

* Prope Bruxellas.

Florentius Bertout, Dominus de Mechlinia,
Joannes Bertout, Dominus de Helmont,
Rogerus de Lesdale, Dominus de Oirschot & de Parcke,
Nicolaus de Dorne,
Joannes de Raidtshoven,
Henricus de Meldert,
Joannes Meeuwe, Dominus de Wavere,
Joannes de Kesterbeke, & Rodolphus Pipenpoy, antedicti, ad preces prædicti Othonis, Domini de *Cuyc*, quia omnibus & singulis præmissis interfuimus, & sic acta fuisse testamur, sigilla nostra, cum sigillo suo, præsentibus litteris duximus apponenda.

Datum Bruxellæ, in die Nativitatis Joannis Baptistæ anno Domini MCCCXXIII. 1323.

C A-

(1) CUYCK. Vetus Baronia Brabantiæ, cum Oppido Graviensi & universo agro Cudicensi, hodie possidetur à Principe Arausionensi ex gente Nassavia.

(2) HEVERLÉ, pagus ad muros Urbis Lovaniensis, Baronatûs titulo ab anno 1518. illustris, nunc subest dominio Ducis Arschotani. Est illic Cœnobium Cælestinorum, à Familia Croiaca fundatum anno 1521, quod unicum est istius Instituti in Belgio. Est & Arx magnifica ejusdem Familiæ, ad Dilam fluvium.

(3) GRAVIA, ad Mosam fluvium quarto à Sylvaducis lapide, nunc est Oppidum egregiè munitum, sub Diœcesi Ruræmundensi, ac temporali dominio Fœderatorum Belgii Ordinum. Olim de jure illius inter Brabantos ac Geldros acre sæpius bellum fuit.

(4) HELMONT. Helmonda Oppidum Brabantiæ in Diœcesi Silvæducensi. Illius loci Dominus Joannes Bertout, hìc citatus, fuit ex stirpe Berlariensi: de qua vide infra Chronic. Belg.

(5) JOANNES MEEUWE, Dominus de Wavere, erat filius naturalis Joannis III. Brabantiæ Ducis. Ab eo originem traxit nobilis Dongelbergiorum Familia apud Bruxellenses, cujus Stemmata vide in *Tropheis Genealogicis Brabantiæ* Authore Prælato Butkens, libro IX.

(6) RODOLPHUS PIPENPOY, Senescallus Brabantiæ, & Dominus de Blaesvelt, Guillielmi & Catharinæ Gasbecanæ filius, ex Antonia Brederodia Gisilbertum; Gisilbertus ex Philippina Distensi Petrum Ascæ Dominum; Petrus ex Maria de Hevere Walterum Dominum de Oplinter, Philippi Boni Cubicularium; Walterus ex N. Henrici Domini Arschotani filia Jacobum; Jacobus ex Elisabetha Henrici Linkenbecani filia Joannem; Joannes Dominus de Tercaigne & Bossce Antonium; Antonius Eques auratus & Hierosolymitanus Magnum & Antonium, filios reliquerunt.

Hodie Seneschallus hereditarius Brabantiæ, est Dux Arschotanus, titulo Baronatûs de Rotselaer.

CAPUT CII.

Idem OTHO, *Dominus Cudicensis, fatetur se accepisse, à* JOANNE III. *Brabantiæ Duce, quinque millia librarum grossorum Turonensium, pro Oppido Graviensi, anno* 1328.

NOs OTHO de *Cuyc* & de *Heverlé*, notum facimus universis, quòd nos de quinque millibus librarum grossorum nigrorum Turonensium (grosso Turonensi pro sexdecim denariis computato) in quibus Illustris Princeps JOANNES, Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux, nobis tenebatur, ea de caussa, quòd nos Opidum nostrum de GRAVIA (quod nostrum verum erat allodium) ipsi dedimus, & in manus suas portavimus, ipsum Dominum nostrum Ducem, & suos heredes atque eorum Successores, quitamus, & quitos clamamus per præsentes, pro nobis, beredibus & Successoribus nostris:

RECOGNOSCENTES nobis ab eodem Domino nostro Duce, de prænominata pecuniæ summa integraliter esse satisfactum, harum testimonio litterarum, sigillo nostro sigillatarum.

Datum Bruxellæ die Jovis post octavas Petri & Pauli Apostolorum, anno MCCC. vigesi- 1328.
mo octavo.

CAPUT CIII.

JOANNES III. *Lotharingiæ Brabantiæque Dux* GERARDO *Domino de Diest omnia privilegia confirmat anno* 1333.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, vel audituris, nos JOANNES, Dei gratiâ, Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux, notum facimus,

QUOD nos Nobili Viro consanguineo nostro dilecto & fideli, GERARDO, Domino de (1) Diest, & Castellano Antverpiensi, & suis post ipsum heredibus & Successoribus, omnes chartas, cessiones & Privilegia, à nostris Progenitoribus sive Antecessoribus datas & concessas, sicut expressiùs in dictis chartis, concessionibus & Privilegiis continetur, laudamus, approbamus, ratificamus & testimonio præsentium litterarum confirmamus.

INSUPER nos attendentes continuum fidele servitium, quod dictus Gerardus, Dominus de Diest, nobis & nostris Antecessoribus impendit huc usque, & nobis nostrisque Successoribus in posterum est impensurus, ad eumdem super remunerare volentes, seu gratiam eidem facere specialem, concessimus & concedimus eidem Domino Gerardo, Domino de Diest prædicto suisque Successoribus, seu heredibus,

QUOD quicumque, cujuscumque fuerit vel fuerint conditionis, vel progeniti infrà libertatem Opidi Diestensis, aliquod delictum, vel fore-factum perpetraverit, vel fecerit, perpetrarint vel fecerint, quòd sæpè dictus Dominus de Diest, vel suus Scultetus, quicumque fuerit pro tempore ex parte sua, & sui heredes, post ipsum talem vel tales, delinquentem vel delinquentes corrigere possint, & emendam recipere ab eodem vel ab eisdem, per monitionem factam seu faciendam à Domino de Diest vel suo Sculteto, & per sententiam Scabinorum Diestensium super eo pronuntiatam, vel pronuntiandam.

ET ut ista maneant firma & inconvulsa, præsentes litteras pro se & pro suis Successoribus, in memoriam indelebilem, sigilli nostri munimine dedimus roboratas.

ET rogamus fideles nostros dilectos Nobiles Viros, videlicet Dominum Gerardum Comitem Juliacensem, Arnoldum Comitem Lossensem, Joannem Dominum de Cuyck, Henricum primogenitum Domini de Cuyck, Joannem dictum Bertout de Mechlinia, & Dominum Danièlem de Bouchout Militem, cum prædictis interfuerint, ut in ampliorem evidentiam, præsentem paginam velint suis sigillis roborare. Et nos

Gerardus Comes Juliacensis,
Arnoldus Comes Lossensis,
Joannes Dominus de Cuyck,
Henricus primogenitus Domini de Cuyck,
Joannes dictus Bertout de Mechlinia, & Dominus Daniel de Bouchout Miles, ad petitionem Nobilis Principis, Domini nostri, Joannis Dei gratiâ Ducis Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi, nostra sigilla, unà cum sigillo Ducis, præsentibus litteris duximus apponenda.

DATUM & actum Bruxellæ, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo tertio, in 1333.
die B. Jacobi Apostoli.

Princi-

(1) DIEST. Latinè Diestemium, Brabantiæ Oppidum, hodie ad familiam Nassaviam pertinet, ut & Castellania Antverpiensis. Quæ familia quando ex Germania in Brabantiam nostram transierit, paucis aperire pretium operæ fuerit.

Principes Arausionenses, & Barones Bredani ac Distenses, ex familia Nassavia.

I. ENGELBERTUS I. Comes Nassavius apud Joannem IV. Brabantiæ Ducem, Lovaniensis Academiæ anno 1425. conditorem, gratiâ valuit. Uxorem duxit an 1404. Joannam Polnam, ex Wassenariis oriundam, Polanæ, Leccæ, & Bredæ Dominam; sepultus Bredæ in Collegiata B. Mariæ Canonicorum Basilica, anno 1442.

II. JOANNES Comes Nassavius, Baro Bredanus, Engelberti & Joannæ filius, ex Maria Lossensi, seu Hensbergia Herstalli Domina, genuit Engelbertum & Joannem. Obiit anno 1472. Bredæ conditus.

III. ENGELBERTUS II. Comes Nassavius, Joannis filius, anno 1473. à Carolo Audace Eques Velleris aurei creatus, in prælio Guinegatensi, prope Audomaropolim, contra Francos fortiter rem gessit. Bruxellis palatium Nassavium ædificavit, obiitque anno 1504. magnifico tumulo Bredæ conditus, non relictâ sobole ex Lutgarde Badensi, Marchionis Caroli filia. Heredem scripsit Joannem fratrem suum.

Joannes autem Engelberti II. frater, ex Isabella Hassa genuerat Henricum & Guilielmum, Guilielmi Principis Arausionensis, anno 1584. Delfis cæsi, patrem. Obiit Joannes 1516. Dillenburgi conditus.

IV. HENRICUS Comes Nassavius Engelberti II. patrui sui heres, anno 1505. Eques Velleris Aurei à Philippo Pulchro creatus, arcem Bredanam ædificavit, itemque silvulam prope Bredam, ex pinis Norvegiæ arboribus, & alteram prope Distemium plantavit. Tres habuit conjuges, Franciscam Sabaudam, Claudiam Chaloniam, Philiberti Chalonii Principis Arausionensis sororem & heredem, & Manciam Mendoziam Hispanam. Henricus obiit 1538 Bredæ conditus.

V. RENATUS Chalonius, Henrici Nassavii & Claudiæ Chaloniæ filius, ab Avunculo suo Philiberto Chalonio (qui cælebs in obsidione Urbis Florentinæ anno 1531. cecidit) cognomen & Principatum Arausionensem accepit. Velleris Aurei Eques anno 1531. à Carolo V. Imperatore creatus, duxit Annam Lotharingam, Antonii Lotharingiæ Ducis filiam, & anno 1544. in obsidione Oppidi S. Desiderii tormenti ictu periit non relictis liberis. Scripsitque heredem Guilielmum Nassavium Patruelem suum.

VI. GUILIELMUS Nassavius, Princeps Arausionensis, Baro Bredanus ac Distensis, Guilielmi Comitis Nassavii & Julianæ Stolbergiæ primogenitus filius, à Balthasare Girardo Burgundo Delfis in Hollandia anno 1584. cæsus, ibidem conditus jacet. Ex * Maria Egmondana Buræ ac Leerdami Comitissa, Iselstenii Domina, genuit Philippum Guilielmum, & Mariam Philippo Comiti de Hohenlo nuptam.

* Alias Anna.

Ex Anna Saxonica, Mauritii Saxoniæ Ducis & Electoris filia, sustulit Mauritium, Annam, uxorem Guilielmi-Ludovici Comitis Nassavii, & Æmiliam conjugem Emanuelis Antonii Portugalensis.

Ex Carolotta Borbonia, Ducis Montpenserii filia, genuit Ludovicam Julianam Frederico Comiti & Electori Palatino ad Rhenum, Isabellam Henrico de la Tour Duci Bullonienfi, Catharinam Belgicam Philippo Comiti Hannoniæ, Carolottam Brabantinam Claudio Domino de la Trimouille, nuptas, Flandrinam & Æmiliam.

Ex Ludovica Colignia Gasparis Coligny Franciæ Admiralii filiâ ac viduâ Domini de Teligny, genuit Henricum-Fredericum.

PHILIPPUS GUILIELMUS Comes Nassavius, Princeps Arausionensis, ex Hispania (ubi multis annis in custodia habitus fuerat) cum Alberto Austriaco anno 1596. in Belgicam reversus, duxit Eleonoram Borboniam, Henrici Principis Condæi sororem. Eques Velleris aurei à Philippo II. 1599. creatus, obiit Bruxellis, non relictis liberis, conditus Distemii. VII.

MAURITIUS Nassavius Princeps Arausionensis, Philippi-Guilielmi frater, Comitatu Meursensi à Walburga Comitissa Meursensi donatus, obiit cælebs anno 1625. Hagæ Comitis, conditus Delfis. VIII.

FREDERICUS-HENRICUS Comes Nassavius, Philippi & Mauritii frater, Princeps Arausionensis, anno 1625 duxit Ameliam Solmensem, N. Comitis de Solms filiam, & ex ea genuit Guilielmum filium. Obiit Hagæ-Comitis die 14 Martii 1647. IX.

GUILIELMUS II. uxorem duxit Mariam, Caroli I. infelicis Anglorum Regis filiam, è qua, die 6. Novembris anni 1650. ætatis suæ 24. moriens, filium posthumum Guilielmum III. reliquit. X. Additio.

GUILIELMUS III, Princeps Nassavius & Arausionensis, Fœderatarum Provinciarum Præfectus, vulgò *Stadthouder*, uxorem habuit Mariam Stuartam Jacobi II. Angliæ Regis filiam. Ipse verò in locum Soceri sui die 23. Februarii 1689. Anglorum Rex proclamatus fuit, ac vivere desiit die 19. Martii 1702, non relictis liberis. XI. Additio.

Tabulis Testamenti sui heredem instituerat Joannem Guilielmum de Nassau-Dietz, Frisiæ Præfectum, vulgò *Stadthouder*, Amitæ suæ Albertinæ Nassavio-Orangiæ ex filio Nepotem. Verùm Elector Brandeburgicus, hodie Rex Borussiæ, ex Ludovica, Albertinæ sorore natu majore ortundus, Testamentum Regis Guilielmi invalidum atque irritandum esse contendit: in quo negotio hodieque

Causidici certant, & adbuc sub judice lis est.

Cæterum hi tituli fuère Domûs Nassaviæ N. Princeps de Orange, Comes de Nassau, Meurs, Catzenelleboge, Vianden, Diets, Buren, Leerdam, Marchio de la Vere & Vlissinge, Dominus & Baro de Breda, Grave, Cuyck, Diest, Grimberge & Hersta, Cranendonc, Warneston, Arlay, Noseroy, S. Vit, Dasburg, Polanen, Willemstadt, Nieuvaert, Iselstein, S. Martensdyck, Gertrudenberge, Chateau Regnard, Zwaluwe, Turnhaut, & Naeltwyck, Vicecomes seu Burgravius Antverpiensis, & Vesontionensis, Marescallus hereditarius Comitatus Hollandiæ, &c.

Porrò Stemma Comitum Lossensium, in Diœcesi Leodiensi, item Comitum Chiniacensium & Heinsbergensium, quod in priore editione horum Diplomatum Belgicorum hic subjungebatur, auctius & emendatius invenitur infra in Chronico Belgico ad annum 1070.. Additio.

CAPUT CIV.

CAROLUS IV. *Imperator* GUILIELMO *Marchioni Juliacensi Vesaliense, Durense, VVerdense, Bobardiense, & alia Opida jam olim oppignorata confirmat, anno* 1348.

CAROLUS Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, & Bohemiæ Rex, universis Sacri Romani Imperii fidelibus, quibus præsentes litteræ exhibitæ fuerint, gratiam suam & omne bonum.

QUOTIES fidelium nostrorum justa petentium desideriis annuimus, toties lucrum nostrum & bonum Imperii procuramus.

SANE Illustris WILHELMUS, Marchio Juliacensis, consanguineus & Princeps noster carissimus, nos clarius informavit, quod certi Romanorum Reges & Imperatores, Prædecessores nostri, suis Progenitoribus Opidum (1) Durense, pro quinquaginta millibus florenorum, Castrum (3) Werden & telonium ibidem, pro triginta novem millibus florenorum, Opidum Sintzeghe, pro quindecim millibus florenorum, & (2) Sculteriam Civitatis Aquensis, pro duodecim millibus florenorum, cum omnibus & singulis eorum juribus, honoribus & pertinentiis, titulo pignoris obligârunt.

ALIAS etiam ostendit litteras, quibus innotuit plenè nobis, quòd Opidum Bobarden & telonium ibidem, ac Opidum (4) Wesale, præscripti Marchionis Juliacensis Progenitoribus, pro expensis, quas in Civitate Coloniensi, ac in Civitate Aquensi ...... eis donaverunt, & super conquæsiverunt; & pro servitiis ipsis & Imperio præstitis, & impensis, remanserunt obligati in septuaginta septem millibus florenorum, & quingentis florenis.

PETENS humiliter & devotè, quatenùs sibi de Regali nostra clementia, debita prænotata, juxta continentiam prætactarum litterarum, approbare & confirmare, ac pro totali summa debitorum eorumdem, quæ se extendit ad ducenta viginti tria millia florenorum, & nongentos florenos, Opidum Durense, Castrum Werde & telonium ibidem, Opidum Sintzeghe, & Sculteriam Aquensem obligari gratiosiùs dignaremur.

NOS igitur attendentes grata servitia, quæ præfatus Marchio Juliacensis nobis & Sacro sæpius impendit Imperio, & quæ adhuc gratiora facere poterit in futurum, præscriptas obligationes, prout factæ sunt, & debita prænominata, prout contracta sunt, sibi suisque heredibus, de plenitudine nostræ Regalis potestatis & ex certa scientia, præsentis scripti patrocinio confirmamus hæc pignora suprascripta.

VIDELICET Opidum Durense, Castrum Werde & telonium ibidem, Opidum Sintzeghe & Sculteriam Aquensem, cum omnibus & singulis eorum pertinentiis, pro totali summa præscripta, ipsis titulo pignoris obligamus.

SPONDENTES & firmiter promittentes pro nobis nostrisque in Regno & Imperio Successoribus, quòd præscripta pignora præfato Marchioni Juliacensi ac suis heredibus non auferemus, nec ea cuicumque alteri personæ obligabimus, vel absolvendum ullatenus committemus: imò ea nos vel nostri Successores, cùm poterimus, debebimus absolvere, & pro nostra & Imperii propria pecunia liberare.

JAM insuper prænominato Wilhelmo Marchioni Juliacensi ac suis heredibus gratiam facimus specialem, quòd Præposituras, Dignitates, Ecclesias Parochiales, ac alia quæcumque beneficia suprascriptis Opidis, Castro, Sculteriæ pertinentia, & specialiter Præposituras Ecclesiarum Aquensis, (5) Kerpensis, & Werdensis, cum omnibus eorum pertinentiis, quæ præscriptis pertinent Opidis, Castris vel Sculteriæ, quorum vel quarum collationes vel præsentationes, ad nos nostrosque Successores, ratione Imperii, noscuntur pertinere, conferre possint, ac ad ea vel eas personas, quas voluerint, cùm vacabunt, vice & nomine nostro liberaliter præsentare.

QUODQUE feuda omnia & singula sæpe-dictis Opidis, Castro & Sculteriæ spectantia, & specialiter Castrum Rode, cum suis attinentiis, quæ à nobis & Imperio originaliter descendere dignoscuntur, conferre possunt, & ad ea investire ac infeudare eos, quorum esse noscuntur, & ab eisdem recipere, nostro nostrorumque Successorum & Imperii nomine, debitæ fidelitatis ac homagii solitum sacramentum.

IPSI quoque feudatarii seu vasalli, feuda eadem tenentes & recipientes, omnia servitia & jura, quæ nobis, nostris Successoribus, & Imperio, ratione eorumdem feudorum, facturi essent & servaturi ...... sæpe dicta pignora pro notata summa florenorum, boni & puri auri,

ac

(1) DURA. Veteribus Duria. Oppidum ditionis Juliacensis, obsidione Caroli V. anno 1543. clarum.

(2) WERDEN Oppidum Rheno adsitum, vulgò *Keyserswert*, in quo est Collegium Canonicorum, à S. Suitberto fundatum: de quo in Fastis Belgicis egimus.

(3) DE AQUENSI. seu Aquisgranensi Sculteria, hoc est, Prætoris munere, vide Joanis Becani Historiam Aquisgranensem.

(4) WESALE. Latinè Vesalia, vulgò *Wesel*, Oppidum ad Rhenum, mercatu celebre.

(5) KERPEN. Arx & municipium Diœcesis Coloniensis, ad Regem Catholicum pertinens: in quo vetus Canonicorum Collegium S. Martini residet. Præbendarum collator est idem Rex Catholicus, Præposituræ autem Dux Juliacensis.

ac justi ponderis, vel pro quolibet floreno duodecim grossi Turonenses antiqui, monetæ Regis Franciæ, aut viginti solidi Hallenses antiqui, per nos vel nostros Successores, pro nostra & Imperii propria pecunia fuerint, ut præmittitur, absoluta.

In quorum omnium testimonium & roboris firmitatem, præsentes conscribi, & sigillo nostræ Majestatis jussimus communiri.

Actum & datum in Moguntia anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo 1348.
octavo, Indictione primâ, XIV. Kalendas mensis Februarii, Regnorum nostrorum anno secundo.

CAPUT CV.

Wenceslaus, *Joannis Cæci Bohemiæ Regis filius, Joannæ Brabantinæ maritus, à Fratre suo Carolo IV. Cæsare, ex Comite creatur Dux primus Luxeburgensis, anno* 1354.

Carolus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus & Bohemiæ Rex, Illustri Wenceslao Duci Lucemburgensi, Fratri & Principi nostro Carissimo, gratiam Regiam & omne bonum.

Sceptrigera Cæsareæ Dignitatis Sublimitas, sicut inferioribus potestatibus Officii & Auctoritatis elatione præfertur, ut commissos sibi fideles optatæ gubernet consolationis præsidio (quo Thronus Regius tantò solidetur feliciùs, & ubcriore prosperitate proficiat, quantò indeficientiæ suæ virtute, donaria largiore benignitatis munere fundit in subjectos) a coruscantis splendore Regalis Solii Nobilitates alit; velut à sole radii prodeuntes, fidelium status & conditiones illustrant;

Quia primæ lucis integritas detrimenta non patitur, imò amplioris scintillantis jubaris expectato decore perfunditur, dum in circuitu Sedis Augustæ, Illustrium Principum numerus, ad Imperii Sacri decorem similiter augetur.

Sane attendentes multiplicia merita probitatis & præclaræ devotionis insignia, quibus Tu, & claræ memoriæ Progenitores tui, Domûs Lucemburgensis, Sacrum Romanum Imperium dignis quidem studuisti honoribus venerari, illum etiam servidum tuæ mentis amorem, quo ad Imperii procurandos honores inclinaris attentiùs, Regiæ considerationis intuitu limpidiùs intuentes,

Animo deliberato, sano venerabilium Wilhelmi Coloniensis, Gerlaci Moguntinensis, Archiepiscoporum, Illustris Ruperti Comitis Palatini Rheni, Sacri Romani Imperii Principum Electorum, venerabilium quoque Engelberti Leodiensis, Ademari Metensis, Joannis Olomucensis, Ecclesiarum Antistitum, Illustrium etiam Wilhelmi Marchionis Juliacensis, Uladislai Ducis Theslinensis, & aliorum quorumdam Principum, Baronum & Procerum Imperii prædicti accedente consilio,

Te, Frater carissime, non carnalitatis affectu, sed originis tuæ Nobilitate poscente (præsertim cùm hoc latitudo tui Dominii, ampla subjectæ tibi ditionis spatia, & intemerata fides tuæ universitatis & populi, qui à vetusto etiam tempore Sacrum honorârunt Imperium, non immeritò requirebant) hodie in nomine Domini & Salvatoris nostri (à quo omnis Principatus & honor provenire cognoscitur) illustravimus ac illustramus, & in verum Principem ac Ducem Lucemburgensem sublimavimus, ereximus, sublimamus & erigimus, de Romanæ Regiæ plenitudine potestatis,

Decernentes expressè, quòd Tu & heredes ac Successores tui, Duces Lucemburgenses perpetuo tempore, dignitate, nobilitate, jure, potestate, libertate, honore & consuetudine gaudere debeatis & frui continuè, quibus alii Sacri Imperii Principes, & nominatim Duces Illustres, freti sunt hactenùs, & quotidie potiuntur.

Terras quoque tuas, Opida, Castra, munitiones, Villas, Provincias, Districtus, montes, colles, valles & plana, cum omnibus silvis, rubetis, pratis, aquis, molendinis aquarumve decursibus, pascuis, piscinis, piscaturis, teloniis, Judæis, monetis, judiciis, bannis sive inhibitionibus venationum, quæ vulgariter teutonicè *Wiltpenne* nominantur; & pœnis inde sequentibus, de consuetudine vel de jure Baronibus, Baroniis, feudis, feudatariis, vasallis, vasallagiis, Militibus, Clientibus, Judicibus, Civibus, Nobilibus & plebæis, rusticis & agricolis, pauperibus & divitibus, & omnibus eorum pertinentiis, sicut prædicta & eorum quodlibet latitudo tui Dominii comprehendit, in verum Principatum & Ducatum Lucemburgensem ereximus & erigimus, & Insigniis, de prædictæ Regiæ Potestatis plenitudine, decoravimus.

Tibi Illustri Wenceslao Duci Lucemburgensi prædicto Ducatum, sive Principatum hujusmodi, cum omnibus honoribus, Nobilitatibus, Juribus, Privilegiis & immunitatibus, quemadmodùm Ducatus seu Principatus insignes ab illustribus Sacrosancti Romani Imperii Principibus possidentur, vel teneri seu possideri consueverunt hactenùs, & in quantum à Sacro Romano Imperio in feudum dependent, de benignitate Regia conferentes.

Decernimus etiam, & hâc Edictali Constitutione sancimus, quòd Tu, heredes & Successores tui, perpetuò Duces Lucemburgenses nominari & appellari debeatis posthac, & tamquam

tamquam ceteri Sacri Romani Imperii Duces & Principes teneri & honorari, & ubique ab omnibus reputari, omnique jure, privilegio, honore, gratiâ, dignitate & immunitate absque impedimento perfrui, quibus alii Sacrosancti Imperii Duces & Principes, in dandis seu recipiendis juribus, in conferendis vel suscipiendis feudis, & in omnibus aliis illustrem conditionem & statum Ducum seu Principum concernentibus, freti sunt hactenus, seu quomodolibet potiuntur.

ET ut Ducatus & Principatus Lucemburgensis solido fundamento firmetur, & tantò se Imperio Romano magis obligatum conspiciat, quantò ampliori fuerit Regiæ liberalitatis munere decoratus, Te, heredes & Successores tuos Duces Lucemburgenses, perpetuo infrascripto claro quidem officio gratiosiùs insignivimus,

UT quoties nos aut Successores nostros Romanorum Imperatores sive Reges, ad reprimendam rebellium nostrorum superbiam, seu Imperii procurandos honores, armatos continget incedere,

TU, heredes & Successores tui Duces Lucemburgenses, qui pro tempore fuerint, FRENUM IMPERIALIS seu Regalis dextrarii nostri, à latere dextro, gubernare & prospicere, debitæ fidei diligentiâ, debeatis, & in recubitu mensæ nostræ, CIBOS REGIOS, qui in solemnibus Curiis nostris administrati fuerint, coram nobis incidere: ut sic tanquam Principes & fideles Imperii, guerrarum & pacis in tempore, nostri curam & custodiam habeatis.

ET quia Tu Frater carissime, tamquam Dux Lucemburgensis, Sacri Imperii Vasallus & Princeps, dum eumdem tuum Principatum seu Ducatum Lucemburgensem à Regia Majestate in feudum suscipiens, nobis velut Romanorum Regi, ac vero tuo Domino fidelitatis, obedientiæ & subjectionis debitæ juramenta solita præstitisti, quòd in Principatu seu Ducatu tuo prædicto, pacem & justitiam omnibus & singulis, æquè pauperibus ut divitibus, procurare velis & debeas efficaciter & fideliter, juxta posse,

DECERNIMUS, & hoc Edicto Regali duximus statuendum, quòd Tu, heredes & Successores tui Duces Lucemburgenses, Ducatum sive Principatum Lucemburgensem prædictum, cum omnibus suis pertinentiis (sicut exprimitur superiùs) à nobis, necnon Serenissimis Imperatoribus seu Regibus Romanis, Successoribus nostris, & ab ipso Romano Imperio, quoties oportuerit, debitæ solennitatis honore & vexillis, ut moris est, & solitâ reverentiâ suscipere debeatis,

NOBISQUE ac iisdem Successoribus nostris, in casibus præmissis, velut alii Imperiales Principes & Duces præstare & facere fidelitatis, homagii, obedientiæ & subjectionis debitæ corporalia juramenta.

NULLI ergò hominum liceat hanc illustrationis, erectionis, insignitionis, decorationis & collationis paginam infringere, seu ei ausu quovis temerario contraire, sub pœna mille marcarum puri auri, quas ab eo, qui contravenire præsumpserit, irremissibiliter exigi volumus, & earum medietatem nostræ Regalis Curiæ Fisco, residuam verò partem injuriam passorum usibus applicari, præsentium, sub nostræ Majestatis sigillo aureo, testimonio litterarum.

DATUM Metis, per manus Venerabilis JOANNIS Olomucensis Episcopi, Aulæ nostræ Regalis Cancellarii, vice Gerlaci Moguntinensis Archiepiscopi, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarii, qui (vacante Sede Treverensi, cujus in civitate Metensi prædicta interesse videtur opus præsentia) specialiter habuit in commisso, anno Domini MCCCLIV. 1354.
Indictione VII. tertio Idus Martii, Regnorum nostrorum anno VIII.

CA-

SIc Ludovicus IV. Cæsar RAINOLDUM II. cognomento Rufum, aliis Nigrum, ex Comite Gelriæ Ducem creavit; Litteris Francofurti anno 1330. aut anno 1339. die 19. Martii datis, & linguâ Germanicâ scriptis: easdem latinè editas vide inferiùs in nostra Notitia Ecclesiarum Belgii.

Sub ditione Imperii Germanici, adeoque in Germania tam superiore quàm inferiore, multi quidem Comites, sed pauci olim Duces exstiterunt. Circa annum Christi millesimum, Duces septem in universa Germania fuisse, didici ex illius ævi scriptoribus, & ex vetustis Principum Diplomatibus, videlicet Duces Sueviæ seu Alemanniæ, Bavariæ, Saxoniæ, Franconiæ, Bohemiæ, Carentaniæ ac Lotharingiæ.

His postea accesserunt Ducatus Austriæ, Cliviæ, Juliaci, ditionis Montensis seu Bergensis ad Rhenum, Gelriæ, Luxeburgi, Wirtenbergæ, & alii varii, beneficio variorum Cæsarum, ut alibi docebimus.

Brabantiæ & Limburgi Ducatus eo tempore velut enati sunt, quo Godefridus Barbatus Comes Lovaniensis, & Henricus Comes Limburgensis ab Henrico IV. Imperatore ad Ducatum Lotharingiæ sunt evecti: ut in Stemmatibus Belg. cap. 15. & 16. explicui.

In Italia viciniſque Provinciis celebres olim fuerunt Duces Sabaudiæ, Calabriæ, Tusciæ, Spoleti, Beneventi & Fori Julii: quibus postea accesserunt Duces Florentiæ, Mantuæ, Ferrariæ, Urbini, Parmæ, Montis-ferrati, & alii à Romanis Pontificibus aut Cęsaribus creati.

Marculphus in Formulis suis recitat Formulam veterem, quâ olim Duces creari solent.

De origine Familiæ Comitum, dein Ducum Luxemburgensium (quæ Cęsares quatuor, Henricum VII. Carolum IV. Wenceslaum & Sigismundum, Orbi Christiano dedit, quæque Regna Hungariæ, Poloniæ, ac Bohemiæ olim possedit) multi multa fabulantur. Quid de ea ex vetustis Diplomatibus referatur, vide infra in Chronico Belgico ad annos 963. & 1214. Addit.

CAPUT CVI.

RODULPHUS *Dux Saxoniæ*, *&* WENCESLAUS *Brabantiæ ac Luxemburgi Dux*, *inter se contendunt de munere Ensiferi Imperialis.* CAROLUS IV. *Imperator controversiam terminat & componit*, *anno* 1357.

CAROLUS IV. divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex, notum facimus, tenore præsentium universis,

QUOD cùm in solemni Curia nostra Imperiali, quam in Civitate *Metensi* Sacratissimo die Nativitatis Dominicæ, cum universis Principibus, Electoribus Ecclesiasticis & secularibus, præsentibus etiam aliis Principibus, Proceribus & Nobilibus, in multitudine numerosissima celebravimus, inter Illustres RODULPHUM Ducem Saxoniæ, Sacri Imperii Archi-Mareschallum, Avunculum nostrum, ex una, & WENCESLAUM Lucemburgi, Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi Ducem, Sacrique Imperii Marchionem, Fratrem nostrum, ex altera parte, suborta fuisset materia quæstionis,

UTER videlicet eorum, ENSEM nostrum IMPERIALEM, in prædicta & aliis solemnibus Curiis Imperialibus, ante faciem Majestatis Cæsareæ præeedendo gestare, seu Imperatore vel Rege Romano in Mensa, vel pro Tribunali sedenti, coram eo tenere deberet, utroque ipsorum hoc sibi competere contendente:

NOS volentes contentionem hujusmodi sopire, & scandalis, quæ exinde nasci possent, aditum præcludere per semitam æquitatis, habito cum Electoribus & aliis Principibus antedictis super hoc maturo consilio,

CONSIDERANTES, quòd prædictus Frater noster Ducatum Brabantiæ & Marchionatum prædictos ((1) quorum virtute Ensem ipsum ad gestandum, ut præmittitur, & tenendum sibi dari petebat) à nostra Celsitudine nondum suscepit in feudum, nec de feudis Ducatûs & Marchionatûs eorundem per nos adhuc exstitit investitus,

DECLARAVIMUS, & tenore præsentium, auctoritate Imperiali, declaramus expresse, eidem Fratri, Lucemburgi, Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Duci, & Marchioni Imperii, in juribus, Privilegiis, sibi & dictis Ducatui & Marchionatui, præsertim circa portationem & tentionem Ensis Imperialis competentibus, nullum per hoc præjudium generari, vel in posterum illud sibi posse vel debere quovis modo nocere, quòd præfatus Dux Saxoniæ, in hac Curia nostra, Ensem ipsum ante faciem nostram gestahit, & etiam circa mensam nostram Imperialem tenuit coram nobis; præsentium, sub Imperialis Majestatis nostræ sigillo, testimonio litterarum.

DATUM Metis anno Domini MCCCLVII. Indictione X. Nonis Januarii, stilo Gallico, Regnorum nostrorum anno XI, Imperii verò secundo. 1357.

Signum Boëmundi Archiepiscopi Treverensis.
S. Gerlaci Archiepiscopi Moguntinensis.
S. Wilhelmi Archiepiscopi Coloniensis.
S Roberti Comitis Palatini Rheni.
S. Ludovici Marchionis Brandeburgensis.

(1) QUORUM VIRTUTE. Notet Lector, Wenceslaum non ut Luxemburgi, sed ut Brabantiæ Ducem, & S. R. Imperii Marchionem, prætendisse munus Ensiferi Imperialis.

CAPUT CVII.

MARTINUS V. *Pontifex Universitatem*, *seu Studium Generale erigit in Oppido Lovaniensi anno* 1426, *ad instantiam* JOANNIS IV. *Brabantiæ Ducis.*

MARTINUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SAPIENTIÆ immarcessibilis, cujus inextinguibile irradiat lumen, cujusque infinitus est thesaurus, omnem habens vigorem, & virtutis Altissimi dispensator, omniumque Chrismatum elargitor, ipse Dominus ad hoc, suæ miserationis dignatu, nobis licet immeritis sponsæ suæ, Universalis Ecclesiæ, Regimen piâ dispensatione commisit, & nostræ debilitatis oculo jugum imposuit Apostolicæ servitutis, ut in Petri specula positi, tamquam de supremo vertice ad infima mundi, protoplastique posteris, qui non nativitatis deposcunt fructus, sed intelligentiæ spiritu, eamdem, cujus initium verissima est disciplinæ concupiscentia, perstringendi sapientiam, divinis educantur eloquiis, reflectentes intuitum, quid pro indisciplinatis errantium curandum mentibus pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad fidei propagationem conferat Orthodoxæ, quid statui conveniat fidelium quorumlibet, prospiciamus

mus attentiùs, & qualiter à fidelibus ipsis profugatis ignorantiæ tenebris, illi post supereminentissimam Summi Opificis notionem, per ejusdem sapientiæ donum in via mandatorum directi, veri luminis pertingant claritatem, solertiùs intendentes eò ad quærendum ipsius sapientiæ alimenta litterarum studia, per quæ divini Nominis & ejusdem fidei cultus protenditur, militantis Ecclesiæ Respublica, in spiritualibus & temporalibus, cum animarum salute geritur, pax & tranquillitas ubilibet solidantur, omnisque conditionis humanæ dilatatur prosperitas, nostræ provisionis, sollicitudinis ope, Apostolicisque favoribus propensiùs excitemus.

SANE pro parte dilectorum Filiorum, nobilis Viri Joannis Ducis Brabantiæ, ac Præpositi, Decani, Scholastici & Capituli Ecclesiæ Sancti Petri, nec non Burgi-Magistrorum, Scabinorum, & Communitatis Oppidi Lovaniensis, Leodiensis Diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat:

QUOD licet in Ducatu Brabantiæ, & in aliis Dominiis ipsius Ducis, nec non etiam in Leodiensi, Cameracensi, Trajectensi, Morinensi, & Tornacensi Diœcesibus, cæterisque ibidem circumvicinis partibus, & dominiis, multa famosa & insignia loca populo Christiano & rerum copiâ admodum opulenta existant; nullus tamen in illis locus esse noscitur, in quo saltem Generale vigeat Studium literarum. Unde partium illarum plerique, commodo & usu studii carentes, vel hujusmodi literarum imperitiæ subjacent, vel in remotis partibus degere habent, scientiæ hujusmodi in eis sectantes incrementum.

VERUM Oppidum præfatum, quod de temporali dominio ipsius Ducis existit, adeò rerum copiâ, aëris temperie, multitudinis capacitate, atque domorum, & aliarum rerum necessariarum commoditate per Dei gratiam est refertum, quod ad hujusmodi receptandum, confovendumque Studium, aptum plurimùm & idoneum existere perhibetur.

QUAPROPTER ipsi, Dux, Præpositus, Decanus, Scholasticus, Capitulum, Burgi-Magistri, Scabini, & Communitas (considerantes attentiùs, quòd inter cætera virtutum opera, quæ tamquam accepta Summo rerum Auctori Sacrificia, quæ per manus offeruntur humanas, illa Divinæ Majestati grata plurimùm nullatenùs ambiguntur, per quæ ad suscipiendum singulare virtutum Diadema illis, qui scientiarum earumdem sitiunt acquirere margaritam, opportunis remediis, & auxiliaribus commodis subventionis præsidium efficaciter impertitur) Generale litterarum Studium in eodem Oppido ordinari desiderant, ut inibi disciplinæ atque sapientiæ se studiis exercentes, sibi & aliis meliores effici valeant, & partium illarum prosperitatis Auctore Domino faciliùs incrementum sequatur.

ET nihilominùs Dux ipse, unà cum Burgi-Magistris, Scabinis, & Communitate hujusmodi domos aptas, & loca convenientia illic eum scamnis & aliis necessariis officinis pro Magistris, Doctoribus & Scholaribus, ac aliis pro tempore legentibus, docentibus, disputantibus & audientibus deputare: nec non eisdem Magistris & Doctoribus legentibus, de salario competenti annis singulis, vel aliàs de Beneficiis Ecclesiasticis providere:

NECNON quòd Rector Universitatis Studii hujusmodi pro tempore existens super omnia membra Universitatis ejusdem, & illorum servitores, tam in civilibus quàm in criminalibus, & aliis quibuslibet causis, negotiis & excessibus, sine impedimentis quibusvis Jurisdictionem, coërtionem, & emendationem dictis Duci, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgi-magistris, Scabinis & Communitati, communiter vel divisim in eodem Oppido quomodolibet competentes, exercere valeat, concedere, & jurisdictionem, coërtionem, & correctionem hujusmodi à se penitùs abdicare, & in Rectorem ipsum plenariè transferre:

SINGULIS quoque Doctoribus, Magistris & Scholaribus, causâ studii ad dictum Oppidum accedentibus, vel de illo recedentibus, pro tempore quæcumque sua, res & bona secum asportandi, & ea pro suæ voluntatis libito deportandi, sive ibidem vendendi, libertatem tribuere intendunt pariter & proponunt.

QUARE pro parte dictorum Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgi-Magistrorum, Scabinorum & Communitatis, desiderantium etiam, quòd Magistri, Doctores & Scholares supradicti pro potiori dicti Studii incremento condignis Privilegiis se communitos sentiant, quibuslibet Privilegiis, libertatibus, immunitatibus & exemptionibus aliorum Generalium Studiorum, quantum in ipsis, Ducce, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgi-magistris, Scabinis & Communitate, & aliis ipsius Ducis subditis fuerit, gaudeant & utantur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicto Oppido Generale literarum Studium in qualibet licita Facultate erigere & ordinare, de benignitate Apostolica dignaremur.

NOS IGITUR, qui relatione fidâ, post informationem diligentem super habilitate loci, & aliis circumstantiis præmissis de mandato nostro receptam, Oppidum ipsum aëris temperie politum, singularumque rerum humano usui necessariarum ubertate refertum, & aliàs pro hujusmodi Studio locum aptum didicimus, pium, meritoriumque eorundem Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgi-magistrorum, Scabinorum & Communitatis desiderium, per quod scientiarum fons, ex quo ad Dei laudem & gloriam haurire possint singuli viri consilii maturitate perspicui, virtutum & dogmatum ornatibus redimiti succedant, plurimùm commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ præsentium serie statuimus, & etiam ordinamus: Quod amodo in dicto Oppido Generale in Facultate qualibet, præterquam in Theologia, sit Studium, illudque perpetuis futuris temporibus ibidem vigeat, & observetur: Quodque omnes & singuli Doctores,

ctores, Magistri, & Scholares inibi omnibus & singulis libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis. quibusvis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, Coloniæ, Wiennæ, ac Lipsensis, Pataviensis & Merseburgensis Diœcesium Oppidis studii causâ commorantibus per Sedem Apostolicam, vel aliàs qualitercumque concessis gaudeant pariter & utantur.

Singuli verò, qui cursu feliciter consummato in ea Facultate, qua hujusmodi inhæsere studio, bravium obtinere meruerint, sibique etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam, ac Doctoratûs sive Magisterii honorem petierint elargiri, per ipsorum inibi Doctores sive Magistros Præposito (quem Cancellarium studii in Oppido hujusmodi esse perpetuò volumus) si illic præsens fuerit, alioquin Decano dictæ Ecclesiæ, pro tempore existentibus, sive aliis ab eis deputandis præsententur, ut ab illis, si servatis consuetudine & modis, super talibus in dictis Studiis Generalibus observari solitis, ad hoc exstiterint idonei, sufficientesque reperti, licentiam & honorem sortiantur & reportent antedictos: & qui quidem præsentati quàmprimùm illos adepti fuerint, absque ulterioribus ab eis habendis examine, & approbatione in ipsa Facultate, quâ licentiam & honorem attigerint, in eisdem legere & docere liberè & licitè ubique possint & valeant.

Rursus quoque omnium & singulorum, causarum, & negotiorum cognitio atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholarium, membrorum atque servitorum eorundem, sive Clerici sive Laici fuerint, & etiam de quibuscumque criminibus & excessibus, correctio & punitio, ac omnimoda super illis jurisdictio ad Rectorem Studii in eodem Oppido (quem dictum Scholasticum per primum quinqennium esse, & ex tunc annis singulis inibi juxta consuetudinem studiorum hujusmodi eligi volumus) & non ad Ducem, seu ejus Successores, Duces Brabantiæ, Præpositum, Decanum, Scholasticum, Capitulum, Burgi-magistros, Scabinos, & Communitatem præfatos, aut aliquem ex eis, ipsorumve Officiales pertinere omnimodè dinoscantur; præfatisque Duci, Successoribus, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgi-magistris, Scabinis, Communitati & Officialibus, & aliis quibuscumque, de causis & negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra & servitores hujusmodi, vel ex eis aliquem, pro criminibus, & excessibus eisdem, aut quomodolibet corrigendi vel puniendi, seu aliquam in eos superioritatem vel jurisdictionem exercendi, facultate & auctoritate penitus interdictis: Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quòd nisi infra annum, à data præsentium computandum, Dux, & Præpositus, Decanus, Scholasticus & Capitulum, ac Burgi-magistri, Scabini & Communitas supra dicti, prout eos communiter vel divisim contingere censetur, privilegia, & libertates concesserint, ac jurisdictionem à se abdicaverint, & eam in Rectorem ac Universitatem prædictos transtulerint, antedicta realiter, & cum effectu, præsentes literæ, & quæcumque inde secuta, nullius existant roboris, vel momenti.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, ordinationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctos
Apostolos, V. Idus Decembris, Pontificatûs 1426.
nostri anno nono.

Inchoatio & notificatio Studii Generalis Lovaniensis facta est per Joannem IV. filium Antonii Ducem Brabantiæ 18. Augusti 1426. qui Joannes mortuus est sine liberis, uti & frater ejus Dux Philippus, atque ideo Ducatus Brabantiæ devolutus est ad Philippum Bonum Comitem Flandriæ, filium Patrui vel Avunculi dicti Joannis IV.

Idem Philippus Burgundiæ vulgò *Bonus*, anno 1433. factus est Comes Hollandiæ, Zelandiæ & Hannoniæ, ac Dominus Frisiæ.

Et circa eundem annum quoque acquisivit Ducatum Luxemburgensem in vim emptionis factæ.

CAPUT CVIII.

Joannes IV. *Brabantiæ ac Lotharingiæ Dux, Lovaniensis Academiæ Fundator, anno 1426. transfert in Rectorem & Universitatem omnimodam jurisdictionem, variaque concedit Privilegia & immunitates.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

Joannes Dei gratiâ, Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ Dux, Sacrique Imperii Marchio, necnon Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ Comes ac Dominus Frisiæ.

Universis & singulis tam præsentibus quàm futuris hoc præsens Privilegium seu præsentes litteras inspecturis, visuris, seu audituris, Salutem & omne bonum.

Cum omnis gloria sive potentia Principatûs, in subditorum constat præcipuè solidata fortunis, decet & expedit, ut quilibet in quacunque præeminentia constitutus sit subjectis in gratia liberalis: tunc enim dignitas Principum veræ laudis titulis sublimatur, & eminenti

decore præfulget, cùm Provincias suæ ditioni subjectas ad suæ provisionis prosecutionem prudentum virorum copiâ, in qualibet litterarum scientia eruditorum, fortunâ favente prospexerit decorari, & inibi pro bono Reipublicæ & subjectorum commodis in quacumque professione studia publica & generalia meruerit obtinere, ut suarum incolæ aliarumque vicinarum extranei patriarum, jejuni & famelici doctrinarum, inveniant, unde ipsorum aviditatibus satisfiat,

Nec compellantur, ad investigandas scientias, peregrinas nationes expetere, nec in alienis regionibus mendicare, ut inibi disciplinæ atque sapientiæ se studiis exercentes sibi & aliis meliores effici valeant, quorum sapientiâ & providentiâ Provinciis eisdem & incolis earundem, Auctore Domino, cultus justitiæ, pax & tranquillitas, cum prosperitatis incremento indubiè speratur feliciter provenire.

Nuper siquidem Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Martinus Divinâ providentiâ Papa quintus modernus, V. Idus Decembris, Pontificatûs sui anno nono, per suas litteras Apostolicas more Romanæ Curiæ bullatas (ut litterarum scientia Deo auctore magis magisque & uberiùs refloreat, mentes, intellectus & corda devotorum irriguo suo fonte madescat, ac per eam morum, virtutum & devotionum copiæ multiplicentur, & tamquam in tellure compluta fructum germinent speciosum) ad instantes & humiles preces nostri pro parte suæ Sanctitati repetitis vicibus suggestas, in Opido nostro Lovaniensi, loco quidem amœnitatis jocunditate, rerumque victualium ubertate multipliciter redimito, ac aliàs tanto negotio congruenti & idoneo, Studium Generale, piè, & ex suæ benignitatis clementia duxit erigendum,

Quod diversis libertatibus, exemptionibus, & Privilegiis Apostolicis, ad aliorum Generalium instar Studiorum fulcitum gratiosè decoravit, voluitque & ordinavit idem Dominus noster Papa,

Quod nisi infra annum, à data prædictarum literarum inantea computandum, omnium & singularum causarum, negotiorum & excessuum Doctorum, Magistrorum, Scholarium, membrorum & servitorum Universitatis Studii hujusmodi, sive Clerici sive Laïci fuerint, cognitionem, decisionem, correctionem, punitionem, omnimodamque superioritatem, & jurisdictionem exercendi, in eosdem, in prædicto Oppido nostro, nobis nostrisve Officiariis quomodolibet competentes, quarum cognitionem & executionem nobis penitus interdixit, quasque ad Rectorem Universitatis Studii hujusmodi pro tempore existentem censuit pertinere, à nobis abdicaverimus, & eas in Rectorem & Universitatem prædictos transtulerimus, ipsisque juxta earumdem litterarum continentiam, privilegia & libertates concesserimus, quod prædictæ literæ & quæcunque inde secuta nullius existerent roboris, vel momenti, prout in prædictis literis Apostolicis, quarum continentiam & tenorem præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressatis, pleniùs vidimus contineri.

Nos igitur, qui inter multiplicia, quibus divinæ potimur largitatis affluxu, Principatus & Dominia debitum rememoratione jugi convertentes intuitum, his summoperè reddimur intenti, per quæ ad communem eorundem nostrorum Principatuum & Dominiorum, & signanter Ducatûs nostri Brabantiæ, quem, suâ virtute poscente, non immeritò præ ceteris adamamus, totiusque Reipublicæ commoditatem, utilitatem & profectum, in quorum prosperitate utique prosperamur, Studium Generale Lovaniense, per nos summis expetitum consiliis, & ardentibus desideriis expectatum, per Sanctissimum Dominum nostrum Apostolicum tam consultè quàm providè ad nostram crebram ut præmittitur instantiam ordinatum & erectum, cui jam gratiâ opitulante divinâ de spectabilibus & egregiis Doctoribus, Magistris, Licentiatis, Baccalaureis & Legentibus, ipsorumque stipendiis, domibus, scamnis, & aliis ad id necessariò requisitis, sufficienter providimus & provideri fecimus, tam laudabiliter inchoatum Deo propicio fœlicibus sub auspiciis continuari valeat perpetuè duraturum.

Quapropter dignum arbitramur & rationi congruum, debitum etiam exigit æquitatis, ut omnes & singulos ad prædictum Oppidum nostrum studiorum causâ confluentes, & pro tempore degentes in eodem, speciali prosequamur gratiâ & favore, ac eodem privilegio, quo cæteros Burgenses nostros, sub alarum nostrarum regimine protegamus, ut eo libentiùs & liberaliùs literarum studiis intendant, quo abundantiùs & uberiùs nostri favoris gratiâ se sentiant communitos.

Hinc est, quod nos animo deliberato & de sano & maturo Procerum, Magnatum, Comitum, Baronum & Nobilium fidelium nostrorum consilio pariter & assensu, pro nobis, nostrisque heredibus & Successoribus Brabantiæ Ducibus, universis & singulis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus ad prædictum nostrum Generale Studium confluentibus, & studiorum gratiâ degentibus in eodem, membrisque, servitoribus & successoribus eorundem, ex certa nostra scientia, & de nostra pura & mera liberalitate, indulsimus, dedimus, concessimus & donavimus, ac tenore præsentium de gratia nostra speciali indulgemus, damus, concedimus & donamus, Privilegia, gratias, libertates, immunitates, & exemptiones per modum & formam inferiùs annotatos.

Imprimis siquidem in Dei nomine omnibus & singulis Doctoribus, Magistris & Scholaribus, causâ studii ad dictum nostrum Oppidum accedere volentibus cum eorum familia, ac libris, rebus & bonis suis quibuscumque, dum venerint, moram traxerint, vel recesserint ab eodem, pro tempore quæcumque sua, res, libros, & bona secum apportandi, & ea pro suæ libito voluntatis deportandi sive vendendi per potestates & districtus nostros, tam per terram quàm per aquam, securam & liberam concedimus

mus facultatem, & fiduciam, & licentiam speciales, nullis represaliis ac aliis causis obstantibus: quibuscumque bannitis, proscriptis, & fugitivis à nostris Brabantiæ Ducatu & Lovaniensi Oppido prælibatis aut quibusvis exigentibus demeritis & forefactis in corporibus seu menbris corrigi meruernut semper exclusis.

Et insuper volumus & ordinamus, quod omnium & singulorum causarum, & negotiorum cognitio atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholarium, membrorum atque servitorum eorundem sive clerici sive laïci fuerint & etiam de quibuscumque criminibus & excessibus correctio & punitio, ac omnimoda super illis jurisdictio ad Rectorem Universitatis studii hujusmodi pro tempore existentem, & non ad nos nostrosque Successores vel Officiarios debeant integraliter pertinere:

Nulla nobis nostrisve Successoribus & Officiatis facultate & auctoritate penitùs reservatâ, de causis & negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra & servitores hujusmodi, vel ex eis aliquem pro criminibus & excessibus eisdem aut quomodolibet corrigendi vel puniendi, seu aliquam in eos superioritatem vel jurisdictionem exercendi, quas à nobis penitùs abdicamus: quasque in Rectorem & Universitatem prædictos, cessimus, contulimus, donavimus, & transtulimus, ac realiter & cum effectu cedimus, conferimus, donamus & transferimus per præsentes:

Præterea quoque pro potiori dicti Studii incremento, de uberioris dono gratiæ & munificentia speciali volumus & ordinamus, dantes & concedentes, quòd universi & singuli Doctores, Magistri & Scholares causâ studii in prædicto nostro Lovaniensi Oppido pro tempore degentes membraque & servitores eorundem, omnibus & singulis favorabilibus Juribus, Privilegiis, libertatibus & franchisiis ubique terrarum & potestatum nostrarum potiantur & gaudeant, quibus cæteri Oppidani & Burgenses ejusdem nostri Oppidi ex Privilegio de jure vel consuetudine uti atque frui potuerunt seu consueverunt, Constitutionibus, Ordinationibus & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Quocirca Senescallo nostro Brabantiæ & *Villico nostro, nec non Burgi-Magistris, Scabinis & Communitati Oppidi nostri Lovaniensis prædicti, cæterisque justitiariis, officiariis, & subditis nostris per dictum Ducatum nostrum Brabantiæ ac aliàs ubilibet constitutis & locatenentibus, ac cuilibet eorundem, præsentibus & futuris, tenore præsentium districtè præcipiendo mandamus: quatenus Rectorem, Doctores, Magistros & Scholares, membraque & servitores Universitatis Studii hujusmodi supradicti, nostris indulgentiis, privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus & exemptionibus, uti & gaudere pacificè & quietè faciant & permittant, sine impedimento & perturbatione quibuscumque, sub obtentu gratiæ nostræ, ipsosque debitis prosequi favoribus & honoribus studeant prævenire, & à quibuscumque molestationibus, injuriis & violentiis, ipsis illatis vel inferendis, potentialiter defensare, quos ex nunc inantea recepimus in nostris protectione, securo conducto & custodia seu salvagardia speciali:

* Vulgò Meierus.

Quæ omnia & singula Rectori & Universitati prædictis, volumus & promittimus bonâ fide pro nobis & nostris heredibus & Successoribus imperpetuum inviolabiliter observari, fraude & dolo in omnibus & singulis semotis penitus & exclusis.

Ad cujus rei memoriam & robur perpetuò valiturum præsens Privilegium seu præsentes literas inde fieri & sigilli nostri appensione jussimus communiri.

Datum in Oppido nostro Bruxellensi, Anno Domini millesimo, quadringentesimo, vicesimo sexto, mensis Novembris die septimâ. 1426.

Sic scriptum supra plicam.

Per Dominum Ducem in suo Concilio, in quo Engelbertus Comes Nassoviæ, Dominus de Lecka, & de Breda.

Wilhelmus Comes de Seyne Dominus de Rode Sanctæ Agathæ.

Johannes Dominus de Wesemalia, & de Fallais.

Dominus Johannes Dominus de Rotselaer & de Vorselaer.

Dominus Henricus de Lecka Dominus de Hesewyck.

Johannes de Glimes Dominus de Berghis supra Zoomam, de Grymbergis & de Melino Barones.

Magister Cornelius Proper, Præpositus Cameracensis.

Johannes de Wytham Dominus de Boutersshem.

Wilhelmus de Montenaken Dominus de Grasen, & de Wilre, & quamplures alii interfuerunt. Sic subscriptum: De Dynter. CA-

Anno 1426. Septembris 6. horâ vesperarum aut circiter, in domo Consulatûs hujus Oppidi, electus est per Universitatem in Rectorem primum ad quinquennium, Mr Guil. Nepotis Magister in Artibus & Juris Canonici Baccalaureus, nec non Ecclesiæ Collegiatæ Divi Petri Scholasticus; postquam privilegium sibi concessum à Martino Papa V. quoad dictum Rectoratum cessisset & transtulisset ac resignasset in ipsam Universitatem, modò illum, sicut præmissum est, eligerent seu assumerent, permansurum ad tempus, quo ab Oppido Lovaniensi requireretur, ut ab hujusmodi Rectoria desisteret, vel ipsum Rectoriæ officium dimitteret, & in & ad manus Universitatis resignaret, aut usque aliud certum tempus per Universitatem pro ipsius officii Rectoratûs duratione in Statutis suis statuendis, quo fine requisitione dictum Rectoratum spontè, purè, liberè & simpliciter absque ulla tergiversatione sive contradictione tunc haberet & deberet resignare. Id quod placuit omnibus Doctoribus & Magistris. Et in evidens signum electionis ejusdem Domini Nepotis in Rectorem, traditum & suprapositum fuit capiti ejus (ut fert textus instrumenti desuper confecti) Caputium cum pennis de vario foderatum. Et præstitit juramentum.

De Academia Lovaniensi, ejus Collegiis, Viris præclaris, Fastis Doctoralibus &c. præclarè scripserunt *Justus Lipsius* Iscanus, *Joannes Baptista Grammaye* Antverpiensis, *Nicolaus Vernulæus* Luxemburgensis, ejusdem Academiæ Historiographi ac Professores; item Clariss. *Valerius Andreas*, Dessclius J. U. Doctor Lovanii; quorum libros consule.

CAPUT CIX.

VVesterlo, Oelen, & alia prædia Pagi Riensis, apud Herentaliam Brabantiæ Opidum sita, quæ Barones VVesemalii antea possederant, ab Ultrajectinis Canonicorum Collegiis, S. Martini & S. Salvatoris, dantur in emphiteusim Richardo Domino de Merode & Frentz. Id liquet ex Diplomate dato anno 1429.

UNiversis & singulis Christi fidelibus præsentia visuris seu audituris, Nos Decani & Capitula (1) Majoris, & S. Salvatoris Trajectensis, Ecclesiarum, (2) in Opido Arnhemensi, Trajectensis Diœcesis, residentes; translatione Capitulorum nostrorum & aliarum Ecclesiarum Trajectensium ad dictum Opidum, propter obedientiam S. Sedi Apostolicæ debitam, factâ, & confirmatione Apostolicâ desuper canonicè obtentâ & subsecutâ, cupimus fore notum;

QUÒD licet pridem, transactis nonnullis annis, postquam bona nostra & Ecclesiarum nostrarum supradictarum de (3) Oelve, Westerloe, Quakenbeke, Harssel & Berchem, cum suis pertinentiis, per mortem spectabilis Baronis quondam Domini JOANNIS, Domini de (4) Wesemale & de (5) Phalais, ad nos & dictas nostras Ecclesias fuerunt legitimè devoluta, dicta nostra bona strenuo & nobili Viro Domino RICHARDO, Domino de (6) Merode & de (7) Vrentzen, vocatis vocandis, unanimiter in perpetuam concesserimus emphiteosim, traditis sibi desuper litteris oportunis;

IPSEQUE noster emphiteota nobis singulis annis, juxta exigentiam contractûs desuper habiti & celebrati, realiter satisfecerit de eisdem;

NIHILOMINUS tamen, prout famâ volante didicimus, quidam Joannes, asserens se de Wesemale & Phalais Dominum (propter diffidationem & diffidatorum nostrorum receptationem, ordinariumque favorem, ac rapinas, violentias & impedimenta, contra nos & dictas nostras Ecclesias per ipsum attentata, deducta & probata, servatis ea in parte servandis, auctoritate Apostolicâ, per Conservatorem nostrum, & bonorum & jurium Ecclesiarum nostrarum, excommunicatus, aggravatus & interdictus, invocato etiam contra eumdem auxilio brachii secularis)

A nonnullis olim nostris Concanonicis & Confratribus, in civitate Trajectensi, ecclesiastico interdicto supposita, continuè profanantibus, & contra Mandata Apostolica, & Reverendum Dominum nostrum Episcopum Trajectensem rebellantibus, & jam dudum ob hoc excommunicatis, interdictis, & suis beneficiis auctoritate Apostolicâ privatis, quasdam prætensas concessiones, & litteras nescio quales, de jure nullas & invalidas fertur obtinuisse:

QUARUM prætextu, contra nos & dictum nostrum emphiteotam, se defendere & juvare jactavit & comminatus est, jactat & comminatur.

NOS igitur serie præsentium testificamur, dicimus, & singulis Christi fidelibus notificamus, præfatum Dominum RICHARDUM, Dominum de Merode & de Vrentzen, nostrum verum fore & esse dictorum nostrorum, & Ecclesiarum nostrarum prædictarum, bonorum de Oelve, Westerlo, Quakebeke, Hersel, & Berchem, cum suis pertinentiis, emphiteotam.

CONCESSIONESQUE & litteras, si quas dictus Joannes, asserens se de Wesemale & Phalais Dominum, excommunicatus, aggravatus & interdictus, à prædictis olim nostris Concanonicis & Confratribus, profanantibus, excommunicatis & interdictis, ac suis Beneficiis similiter privatis

Additio. AUfridus ex Comite Bratuspantium factus Episcopus Ultrajectinus anno 994, Ecclesiæ suæ concesserat Villas de Westerlo, Oelen, Colen, Hilvarenbeke &c. de quibus hoc Diploma agitur. Diploma verò Aufridi supra vide in Codice Donat. Piarum Cap. 42.

Porrò censum annuum, quo se hic obligavit D. Richardus de Merode, anno 1600 certæ pecuniæ summâ redemit Philippus Dominus de Merode & Petersem, à præfatis Collegiis S. Martini & S. Salvatoris Ultrajecti.

(1) MAJORIS. Major Ecclesia hîc dicitur Ecclesia Cathedralis Ultrajectina, S. Martino sacra. De qua, itemque de Ecclesia Canonicorum S. Salvatoris, in eadem urbe Ultrajectina, vide Cod. Donat. Piar. Cap. X.

Additio. (2) IN OPPIDO ARNHEMENSI RESIDENTES. Erat eo tempore tristissimum schisma in Ecclesia Ultrajectensi, quæ tres simul habebat Episcopos, Zwederum de Culembourg ab Eugenio IV. Pont. constitutum; Rudolphum de Diepholdt electum à parte Cleri, cui favebat Albertus Comes Hollandiæ; & Walramum de Morsa (vulgò *Meurs*) favore Guilielmi Gelriæ Ducis electum ab alia Cleri parte; qui residentiam suam Arnhemium transtulit, unà cum Canonicis sibi adhærentibus.

(3) OELVE, nunc *Oelen*, vicus Campaniæ Brabantinæ, haut procul ab Herentalia Oppido, gaudet titulo Comitatûs: spectatque ad Gentem Merodiam, ut & WESTERLO, arx & vicus in eadem Campania, quem titulo Marchionatûs anno 1626. Philippus IV. Rex Catholicus decoravit.

(4) WESEMALE. Vetus Baronia Brabantiæ: de qua supra cap. 94. egimus.

(5) PHALAIS, seu Falais, arx & vicus Diœcesis Namurcensis, haut procul ab Huio Oppido, Comitatûs dignitate ab Alberto Pio Belgarum Principè nobilitatus; est Feudum Brabantiç, olim Burgundicç, nunc gentis Noyellç.

(6) MERODE. Arx, vicus & Baronia in Ducatu Juliacensi, à qua cognomentum induit illustris Familia Merodiorum.

(7) VRENTZEN, hodie Frents, Baronia in eodem Ducatu Juliacensi, possidetur à Middelburgensi in Flandria Comite, ex eadem Gente Merodia.

privatis, ut præmittitur, obtinuerit, fore frivolas & inanes, & contra nostram voluntatem concessas.

REQUIRENTES, admonentes & exhortantes quoscumque Christi fideles, quatenùs præfatum Dominum Richardum, emphiteotam nostrum, Nosque & dictas nostras Ecclesias, in præmissis omnibus & singulis, tueri & defendere, nec non præfatum Joannem, asserentem se de Wesemale & Phalais Dominum, ut præfertur, excommunicatum, aggravatum & interdictum, refutare & vitare, concessionesque & litteras prætensas, si quas modo prædicto receperit & obtinuerit, tamquam frivolas & inanes tenere velint, nullam eisdem fidem quovis modo adhibendo.

IN quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, præsentes nostras litteras sigillorum Ecclesiarum nostrarum prædictarum fecimus appensione communiri.

DATUM in Opido de Arnhem, anno Domini M. CCCC. XXIX, mensis Julii die vicesimâ. 1429.

Stemma Comitum Merodiorum, Marchionum VVesterloæ, Terlonii &c.

I. RICHARDUS Merodii & Frentzii in Agro Juliacensi Dominus, Comitatum de Oelen, VVesterloam. & alia Pagi Riensis, seu Campaniæ Brabantinæ prædia, à VVesemaliis Baronibus titulo emphiteutico dudum possessa, primus ex sua Familia in emphiteusim ab Ecclesia Ultrajectina accepit: quæ etiamnum Marchio VVesterloæ possidet.

Idem Richardus Uxorem duxit Beatricem Dominam & heredem de Petersem prope Mosæ-Trajectum, de Lesdaele in Diœcesi Antverpiensi, de Oirschot & Hilvaribeca in Diœcesi Sylvæducensi. Ex ea filios sustulit Joannem, Richardum Houfalisicæ seu Tresiongæ & Frentziæ stirpium conditorem, & Guilielmum, cui Uxor fuit Joanna vander Aa Domina de VVoluwe. A quorum postremo VVarouxii sive Comites de Osoigne in Diœcesi Leodicensi, Barones de Duffel, Domini de Jehay, S. Peeters-Houck, de Rummen, & alii genus suum trahunt.

II. JOANNES, Richardi primogenitus, ex Aleide filia & herede Joannis de Hornes Dusseliæ & Peruweti Domini, Joannem, & Richardum Petersemii Dominum, Margaretæ Hornanæ maritum, procreavit.

III. JOANNES II. Merodius, Joannis & Aleidæ filius, VVesterloæ & Gelæ Dominus, cum Uxore sua Margarita Melunia, ibidem in Templo extra Chorum conditus jacet.

IV. JOANNES III Joannis & Margaritæ Meluniæ filius unicus, cum dicta Matre sua, & Uxore Anna Gistellia, Domini de Dutzele apud Flandros filia, Gelense Capellanorum Sodalitium, per Robertum Croyum Cameracensem Episcopum, anno 1532. instituendum curavit, & obiit anno 1550 non relictâ sobole.

V. Joanni itaque sine liberis mortuo successit HENRICUS Merodius, Richardi & Margaritæ Hornanæ, paulò ante nominatorum filius, qui Gelense Capellanorum Sodalitium in Canonicorum IX. Collegium per Maximilianum Bergium, Episcopum Cameracensem, anno 1562. vertendum curavit.

Uxor ipsi fuit Francisca Brederodia, è qua procreavit Joannem VValravum Dominum de Lesdale, Joannam Baroni de Hers, & alteram filiam Domino de Milendone nuptam.

VI. JOANNES MERODIUS, Comes de Oelen, Baro de Merode, Petersem, Peruwes, Lesdale, Dominus de Gele, VVesterlo & Iselmonde; duas habuit conjuges, Manciam de Berges Marchionissam Bergizomensem anno 1558. & Margaritam de Pallant, filiam Edmundi Baronis de Pallant & Culenburg.

Ex Mancia nata est filia unica MARGARITA MERODIA, Marchionissa Bergizomensis, Gelæ & Peruesii Domina, nupta Joanni de VVitthem, Baroni de Berselle, ut supra cap. 95 in notationibus docui.

Ex Margarita de Pallant natus est PHILIPPUS, & filiæ quinque, Odilia, Helena, Mancia, Francisca, & Juliana uxor Lamoraldi de Hornes Vicecomitis Furnensis.

PHILIPPUS Merodius, Comes de Oelen, Dominus de VVesterlo, Petersem, &c. pompæ funebri Alberti Austriaci Belgarum Principis Bruxellensis interfuit, & anno 1627 vivere desiit. VII.

Ex Anna Merodia, Joannis Houfalisæ Domini filia, Domina de Montfort & Ham-sur-Heure, quam an. 1591. Uxorem duxerat, reliquit Joannem, qui in prœlio Pragensi fortissimè pro Ferdinando Cæsare pugnans cecidit, & PHILIPPUM, qui à Philippo IV Hispan. Rege primus VVesterloæ Marchio anno 1626. est renuntiatus.

PHILIPPUS, Uxorem duxit anno 1621. Bonam de Barbançon, è qua nullam prolem reliquit. VIII. Additio

FLORENTIUS MERODIUS, secundus Marchio VVesterloæ, Fratri Philippo sine liberis defuncto successit. Uxorem duxit anno 1624 Mariam Sidoniam Comitissam de Bronchorst & Batembourg, quæ genuit Ferdinandum & Maximilianum Merodios. IX.

FERDINANDUS PHILIPPUS nuptias iniit cum Maria Magdalena à Gandavo Comitissa de Isenghem, è qua genuit filiam unicam Margaretam. X.

MAXIMILIANUS, Ferdinandi fratris sui Successor & heres factus est, ducendo Uxorem filiam ejus unicam Margaretam. XI.

JOANNIS PHILIPPUS EUGENIUS, Marchio de VVesterloo, Aurei Velleris Eques creatus anno 1695, duxit anno 1701. Mariam Theresiam de Arragonia & Pignatelli, quâ defunctâ 1718. duxit Carolam Amaliam Eleonoram VVilhelminam Alexandrinam Nassoviam Hadamar. XII.

Ex prima prodiit filia unica Isabella, anno 1717. juncta Francisco Josepho Comiti de Czernin Bohemo, qui ad congratulandum Ludovico XV. Galliarum Regi recens uncto & coronato Rhemis, à Carolo VI. Rom. Imperatore Ablegatus fuit. E secunda verò 1722. prodiit filius nondum nominatus. XIII.

Stemma Dominorum de Housalise, & Marchionum de Treslon.

I. RICHARDUS Merodius, Richardi & Beatricis Petersemiæ filius, ex Elisabetha Domina de Housalise & Moriame, in agro Leodiensi, genuit Richardum Housalisæ, & Richardum Frentzii Dominum.

II. RICHARDUS Housalisius ex Helena de Melun genuit Franciscum.

III. FRANCISCUS ex Jolenta de Hennin Lietard Joannem, Housalisæ Dominum, & Ludovicum sustulit.

IV. JOANNES Housalisæ Dominus ex Philippa Domina de Montfort in Diœcesi Ultrajectina, genuit Annam Merodiam, Philippo Merodio, Comiti de Oelen, anno 1627. defuncto, nuptam.

V. LUDOVICUS, Joannis frater, Uxorem habuit Ludovicam de Blois, Dominam de Treslon in Hannonia, & ex ea filium Philippum.

PHILIPPUS Merodius, à Philippo IV. primus Marchio de Treslon anno 1625. creatus, anno 1627. vivere desiit, relictâ posteritate ex Albertina Alexandrina de Ligne-d'Arembergh. VI.

ALBERTUS Philippi filius, secundus Marchio de Treslon, uxorem habuit Mariam Cælestinam Baronissam de Raye. VII.

CLAUDIUS FRANCISCUS, Alberti filius, uxorem duxit Annam Deodatam de Fabert, filiam Abrahami de Fabert Mareschalli Franciæ. VIII.

Ex quo conjugio duæ tantum filiæ prodierunt, quarum senior Maria Cœlestina Philippina Josepha, heres Claudii Patris sui, nupsit Joanni Ernesto Ferdinando Duci Holsaciæ, Slesvici &c. filio Joachimi Ernesti, Equitis Aurei Velleris, & Isabellæ Margaritæ Merodiæ. Sed nullæ ex hoc matrimonio proles supersunt.

Stemma Baronum de Frents in ditione Juliacensi, & Comitum Middelburgensium in Flandria.

I. RICHARDUS Merodius, Richardi & Elisabethæ Houfalisiæ seu Moriamææ filius, Dominus de Frents, genuit Rickardum.

II. RICHARDUS uxorem habuit Franciscam de Bochout, filiam N. Baronis de Boulaer, è qua sustulit Richardum.

III. RICHARDUS de Merode, Baro de Frents, duxit Margaritam de Oignies, heredem dicti Vici de Oignies, & Oppidi Middelburgensis in Flandria. Ex iis nati, Philippus Comes Middelburgensis, & Richardus Dominus de Oignies, in obsidione Bergizomensi anno 1625. cæsus.

IV. PHILIPPUS de Merode, primus Comes Middelburgensis ab Alberto Pio Belgarum Principe (cujus OEconomus fuit) creatus, Baro de Frents, Vicecomes Iprensis, Dominus de Chastelineau, Watene, Lambuissart & Linselles, uxorem habuit Joannam de Montmorency, Baronissam de Croisilles & Chaumont, Dominam de Glajon, Signy le petit, S. Ligier, Wancourt, Uraucourt, Guemappe, Houplines, Coquelare, Molimont & Nieucapelle, filiam & heredem Georgii de Montmorency, Baronis de Croisilles, & Franciscæ de Jausse, dictæ Mastaing. Obiit anno 1625.

Ex hoc matrimonio nati, Georgius, qui anno 1613. obiit, Philippus, Margarita, Isabella, anno 1611. nupta Philippo Amoraldo de Villain, Comiti de Isegem, Florentia & Francisca Moniales in Carmelo Bruxellensi, Maria nupta Philippo de Jausse, dicto Mastaing, anno 1621. defuncta, Claudia nupta Eustathio de la Vieuville, Domino de Steinvorde, Ludovica Canonica Nivellensis, Clara-Eugenia, quæ agit in gyneceio Isabellæ Hisp. Infantis, & Joanna Eleonora.

PHILIPPUS Merodius, Philippi Filius, Comes Middelburgensis, Baro de Frents & Croisilles, Vicecomes Iprensis, &c. obiit cælebs. V.

MARGARITA ISABELLA MERODIA, fratri suo in Comitatu Middelburgico, ac Vice Comitatu seu Burggraviatu Iprensi successit, eumque in dotem nuptialem attulit Philippo Lamoraldo Villani à Gandavo Comiti Ilegemii, qui obiit anno 1631. Gubernator Gallo-Flandriæ: & sic Familia Merodio-Middelburgica transiit in Ganda-Villanam. VI. Additio.

BALTHAZAR PHILIPPUS GANDA-VILLANUS, Philippi & Margaritæ supra dictorum filius, Comes Ilegemii, Masminii, Middelburgi, Baro de Rassengien, Frents, &c. anno 1652. creatus fuit primus Ilegemii ac Masminiæ Princeps. Fuit quoque Eques Aurei Velleris, ac Ducatûs Geldriæ pró Rege Catholico Gubernator. Uxorem duxit Ludovicam Henriquez de Sarmiento & Salvatierra. Obiit ipsa anno 1675. ille verò 1680. VII.

JOANNES ALPHONSUS Princeps de Isenghien, Comes Middelburgi, Ogniaci, Viandæ &c. filius Balthazaris, uxorem duxit Mariam Theresiam de Crevant d'Humieres, filiam Ludovici Ducis, Paris ac Marescalli Franciæ, Gubernatoris Gallo-Flandriæ &c. Obiit Joannes Alphonsus Versalliis 6. Julii 1687.

LUDOVICUS GANDA-VILLANUS, Princeps Isghemii, Masminii &c.

CAPUT CX.

Ordinem Equitum Velleris Aurei, anno 1430. à se institutum Brugis in Flandria, PHILIPPUS BONUS, *Burgundiæ Brabantiæque Dux, & Flandriæ Comes, suo Diplomate confirmat, anno 1431.*

PHILIPPUS Dei gratiâ Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Comes Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Namurci, Palatinus, Marchio Sacri Imperii, Dominus Salinarum & Mechliniæ.

NOTUM facimus omnibus præsentibus & futuris, quòd propter magnum & perfectum amorem, quem habemus erga Nobilem Statum & Ordinem Dignitatis Equestris, cujus honorem ardenti studio & singulari affectu augere desideramus, ut per Equestrem Ordinem vera Religio Catholica, Status nostræ Sanctæ Matris Ecclesiæ, & tranquillitas prosperitasque Reipublicæ defendantur & conserventur.

NOS, ad laudem & gloriam Omnipotentis Creatoris & Redemptoris nostri, ad honorem Matris ejus gloriosæ Virginis, & S. Andreæ, gloriosi Apostoli & Martyris, ad Exaltationem Fidei & Sanctæ Ecclesiæ, & excitationem virtutum & bonorum morum, die X. mensis Januarii, (2) anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo nono, qui erat dies Solennisationis matrimonii inter Nos & nostram carissimam & amantissimam conjugem ELISABETHAM, in Opido nostro Brugensi, suscepimus, creavimus & ordinavimus, & per has præsentes suscipimus, creamus & ordinamus Ordinem & Fraternitatem Dignitatis Equestris, & amicabilis Societatis certi numeri Equitum, quem volumus appellari Ordinem VELLERIS AUREI, sub forma, conditionibus, statutis, modis & articulis, qui sequuntur.

PRIMO ordinamus, ut in Ordine antedicto sint unus & triginta Equites, Viri Nobiles nomine & ármis, sine reprehensione; quorum Nos erimus Caput & Præses, & post Nos Successores nostri Duces Burgundiæ, &c. (1) ....

DATUM in nostra Urbe Insulensi, vicesimo septimo die Novembris, anno Gratiæ millesimo quadringentesimo tricesimo primo. 1431.

Additio. (1) HIc sequi deberent Statuta Ordinis Aurei Velleris in LXVI. Articulis Gallicè edita per Ducem *Philippum Bonum*. Historiam & Statuta hujus Ordinis cum serie Equitum, evulgarunt *Joannes Jacobus Chiffletius*, Vesuntinus anno 1632. *Joannes Baptista Christyn*, Brabantiæ Cancellarius in Jurisprudentia Heroica anno 1689. *Joannes Baptista Meurisse*, * Scutorum Fecialis &c.

* Heraut d'Armes.

(2) ANNO 1429. Stilo Gallicano; sed stilo Romano, annum à Kalendis Januariis ordiente, anno 1430 Ordo Velleris Aurei est institutus.

De computu anno rum vide supra pag. 214.

Initio non nisi XXV, pôst XXXI. Equitibus Collegium Velleris Aurei constitit, ipso Præside ceteris annumerato Sed Carolus, postea eo nomine V. Cæsar, anno 1516. Sodalitium LI. Equitum statuit. Vide Origines nostras Ordinum Equestrium, quæ inferiùs sequentur.

Solebant olim non à solo Præside, sed ab universo Collegio Equites adsumi, in Conventibus publicis, seu Comitiis, quæ vulgari vocabulo Capitula nuncupabantur. Id primus mutavit Philippus II. Rex Catholicus: ut ex Diplomatibus Pontificiis infra intelligetur.

CAPUT CXI.

Cartusianorum Monasterium, haut procul ab Urbe Bruxellensi, à Senatu Populoque Bruxellensi fundatur, favente PHILIPPO *Burgundiæ Brabantiæque Duce. Id* PIUS II. *Papa anno* 1458. *probavit.*

PIus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Pastoralis officii debitum nos excitat & inducit, ut ea, quæ pro sacræ Religionis propagatione, ac divini cultûs augmento, nec non pro statu prospero Monasteriorum, aliorumque piorum locorum, nec non personarum in illis sub regulari observantia, studio piæ vitæ degentium, utilitate providè facta sunt, firma perpetuò & illibata persistant, Apostolico munimine solidemus.

SANE, pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Monasterii B. Mariæ, propè & extra muros Opidi Bruxellensis, Cameracensis Diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat,

QUOD dudum dilecti filii, Burgi-Magistri, Scabini, Consules & Rectores ejusdem Opidi tunc existentes, ad laudem & honorem Dei ejusque Matris Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quoddam Monasterium seu Cœnobium pro septem Fratribus, ac tribus aut quattuor Ordinis (1) Cartusiensis Conversis sub regulari observantia ejusdem Ordinis Altissimo famulantibus,

DE consensu & voluntate, tam dilectorum filiorum Nobilium Virorum, PHILIPPI Ducis Burgundiæ, quin etiam CAROLI Comitis de Charlois, cum suis consortibus, ad hujusmodi Cœnobii fundationem affectuosè auxilium, consilium & assensum piè præbentium,

APUD Capellam B. Mariæ de gratia, infrà metas Parochiæ Parochialis Ecclesiæ S. Petri Anderlechtensis, juxta & extra dictum Opidum, de novo erigi, construi & ædificari fecerunt,

ET pro eorumdem Fratrum sustentatione, omnia bona, tam mobilia quàm immobilia, antiquitùs ad usum pauperum peregrinorum Bruxellæ ....per quosdam Fratres S. NICOLAI, quorum nunc memoria non habetur, hospitaliter in dicto Opido dispensata; & postmodùm consentiente, vel saltem permittente tunc Episcopo Cameracensi, elapsis tamen centum annis & ultrà, ad usum quorumdam Fratrum (2) SACCITARUM nuncupatorum, nullius tamen Regulæ, deputata (ipsis Fratribus Saccitis de necessitate vitæ primò contentatis)

FACTO erectoque Monasterio, Capellam præfatam, in qua assiduè divina celebrantur, cum apportu & oblationibus, quibus tam ipsa Capella, quàm Monasterium hujusmodi pro majori parte constructa sunt, & quotidie construuntur, cum aliis pertinentiis suis omnibus, juxta modum..... ordinationis per eos in dicta fundatione editæ, donarunt & assignarunt;

PROUT in diversis tam per Ordinarium super consensu, quàm Burgi-Magistros, Scabinos, Consules & Rectores præfatos, super ordinatione & aliis, in fundatione prædicta expressis, confectis instrumentis publicis, quorum tenores habere volumus pro expressis, dicitur pleniùs contineri.

QUARE pro parte Fratrum, in eodem erecto Monasterio commorantium, nobis fuit humiliter supplicatum, ut fundationi, erectioni, donationi & assignationi prædictis, pro illarum subsistentia firmiore, Apostolicæ robur Confirmationis adjicere, aliàsque in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

NOS igitur, qui divinum cultum nostris potissimè temporibus vigere & augeri supremis affectibus desideramus, hujusmodi supplicationibus inclinati, fundationem, erectionem, donationem & assignationem prædictas ratas & gratas habentes, illas ac omnia & singula eas concernentia in præfatis instrumentis contenta, & inde secuta quæcumque, Auctoritate Apostolicâ, & ex certa scientia, tenore præsentium confirmamus & approbamus ac præsentis scripti patrocinio communimus: supplentes omnes & singulos defectus tam juris quàm facti, si qui forsan intervenerint in eisdem.

ET nihilominùs omnibus & singulis, nunc & pro tempore in dicto Monasterio seu Cœnobio degentibus Fratribus & personis, ut omnibus & singulis Privilegiis, indulgentiis, libertatibus, exemptionibus, gratiis & indultis, aliis Monasteriis & Domibus, ac personis præfati Ordinis Cartusiensis per Sedem Apostolicam vel aliàs in genere vel in specie concessis, uti & gaudere possint & valeant, eâdem Auctoritate indulgemus: non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

NULLI ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, communitionis, suppletionis & concessionis infringere;

(1) CARTUSIA major sita est inter montes Delphinatûs, quarto lapide à Gratianopoli & Camberiaco, in Diœcesi Gratianopolitana. Monasterium hoc, simulque Ordinem suum instituit anno 1084 S. Bruno, gente Coloniensis, antea Remensis Canonicus. Vide Fastos Belgicos ad diem 6 Octobris.

(2) SACCITARUM *Ordo Fratrum de Pœnitentia* dictus plurimos olim habebat Conventus in Gallia, Anglia,

fringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

DATUM Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, quinto Idus Januarii, Pontificatûs nostri anno primo. 1458.

Italia, & in ipso Belgio Bruxellis, Valencenis, & Tornaci. In Anglia etiam *Boni Homines* dicebantur, & subsisterunt usque ad fatale Schisma seculi XVI.

Alibi verò iste Ordo suppressus fuit authoritate Gregorii X. Pontificis in Concilio Lugdunensi anno 1274; ac bona quidem Conventûs Bruxellensis cesserunt Cartusianis, ut liquet ex Diplomate recitato: alia verò Cœnobia Parisiis, Tornaci, Valencenis &c. tradita fuere Eremitis Augustinianis.

Porrò hoc Cartusianorum Monasterium, prope Bruxellam in agro olim situm, cui vulgare nomen *Scheutvelt*, ad Sacellum B. M. *de Gratia*, Calvinistæ everterunt: estque novum in urbe Bruxellensi Cœnobium à fundamentis exstructum anno 1591.

Cartusianas nostras Origines, inferiùs edendas, consule; item *Arnoldi Raissii* Duaceni Origines Cartusiarum Belgii.

CAPUT CXII.

MAXIMILIANUS I. *Imperator Carolum Croyum ex Comite creat Principem Chimacensem anno* 1486.

MAXIMILIANUS divinâ favente clementiâ Romanorum Rex, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgi, Luxemburgi, & Gelriæ; Comes Flandriæ, Habsburgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi, Artesiæ & Burgundiæ; Palatinus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Zutphaniæ; Marcgravius Sacri Romani Imperii, & Burgoviæ; Lantgravius Alsatiæ; Dominus Frisiæ, Sclavoniæ, Portûs Naonis, Salinarum & Mechliniæ, &c. Nobili CAROLO Comiti de (1) CHIMAY, ex Illustribus de CROY, descendentibus ex vera & legitima Progenie seu Origine Regum Hungariæ, Nostro & Imperii Sacri Dilecto, gratiam Regiam & omne bonum.

ILLUSTRIS, fidelis, dilecte, etsi Regalis Sublimitas, nec non ejus circumspecta benignitas universorum exaltationi studiosè consueverit intendere, & ea quæ Reipublicæ conducibilia esse crediderit, perpendere; ad illorum tamen sublimationem procurandam, proniori & singulari quodam fervore inclinatur uberiùs, quos firma constantia & inseparatæ fidei diuturnitas, evidentibus testimoniis in conspectu Regiæ Majestatis non mediocriter commendant.

SANE consideratis multiplicibus & studiosis tuis & Progenitorum tuorum obsequiis, & nobilium tuarum virtutum industriis, quibus Tu & Progenitores tui, solidâ & integrâ probitate, curâ pervigili, nobis & Sacro Imperio Romano indefessè claruisse & complacuisse dignoscuntur,& in antea ferventiùs clarere & complacere poteris & debes; quantò majoribus honorum prærogativis, largâ nostrâ manu Regali, te senties frugaliùs retectum atque consolatum.

IDEOQUE Regalis nostræ Majestatis oculos, singulari quâdam ferventiâ, in Te gratiosiùs dirigentes, Te tuosque utriusque sexûs heredes, ac eorumdem Successores legitimos, qui de lumbis tuis aut suis descenderunt, vel in posterum descendent, in veros Principes Illustres Principatus de CHIMAY, Principum Sacri Imperii ad hoc accedente consilio, animo deliberato, Auctoritate nostrâ Regali, motu proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis, in nomine Domini Salvatoris nostri, à quo omnis honor & potestas prodire dignoscitur, elevavimus, ereximus, sublimavimus atque creavimus; prout elevamus, erigimus, sublevamus, & creamus, auctoritate & potestate prædictis;

DECERNENTES & hoc Regali nostro Edicto, quòd Tu & heredes tui, ac eorumdem Successores legitimi singuli utriusque sexûs, ex lumbis tuis & suis nati & nasciturі, ex nunc & in antea perpetuis temporibus, quandocumque & quotiescumque casus se obtulerint, titulo Principis Illustris dicti Principatûs de CHIMAY frui, nominari & appellari possitis, ac in dandis & recipiendis juribus, & in conferendis seu suscipiendis feudis, ac in omnibus aliis conditionem & statum Principum Illustrium concernentibus, teneri, honorari, & ubique ab omnibus reputari, atque Privilegio, honore, gratiâ, dignitate & immunitate frui possitis & debeatis, quibus alii Sacri Imperii Principes Illustres hactenùs, jure vel consuetudine, freti sunt; nostris tamen & Sacri Imperii juribus, auctoritate & superioritate in præmissis semper salvis.

MANDAMUS igitur omnibus & singulis Principibus Ecclesiasticis & Sæcularibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Officialibus quibuscumque, Capitaneis, Burg-graviis, Potestatibus, Ancianis, Gubernatoribus, Præsidibus, Judicibus, Regibus armorum, Haraldis, personandis, Civitatum, Opidorum, Villarum & locorum Communitatibus, ceterisque nostris & Imperii sacri fidelibus dilectis, cujuscumque status, gradûs seu conditionis existant, tam in Imperio sacro, quàm alibi ubilibet constitutis,

QUATENUS

QUATENUS Te & heredes tuos ac Succeſſores ſuos, utriuſque ſexûs legitimos præfatos, Illuſtres Principes nominent, intitulent & revereantur, voſque dignis ſemper honoribus proſequantur, cunctis temporibus futuris, ad evitandam noſtram & ſacri Romani Imperii indignationem graviſſimam, & quadraginta marcarum auri puri pœnas, quas contrafacientes, toties quoties contrafactum fuerit, ipſo facto noverint ſe irremiſſibiliter incurſuros: quarum medietatem Regalis fiſci ſeu ærarii, reſiduam verò partem, injuriam paſſorum uſibus decernimus applicandas.

DATUM in Civitate noſtra Imperiali Aquiſgrani, ſub Regalis noſtri ſigilli appenſione, & teſtimonio litterarum, ipſo die coronationis noſtræ Aquiſgrani habitâ, anno Domini milleſi- 1486.
mo quadringenteſimo octuageſimo ſexto, Regni noſtri Romani anno primo.

CAPUT

Additio. (1) CHIMACUM, vulgò *Chimay*, Hannoniæ Oppidum, inter medias ſylvas, Faniam & Theoraſciam, ſexto ab Avenis lapide, ad Blancam fluviolum ſitum eſt. In ſpiritualibus ſubeſt Epiſcopatui Leodienſi, habetque Eccleſiam Collegiatam Beatæ Mariæ, ac S. Monegundi Virgini ſacram.

Anno 1473. à Carolo Audace Burgundiæ Duce in Comitatum, & anno 1486. in Principatum erectum fuit in favorem Familiæ Croiacæ, cujus Stemmata atque Succeſſiones exhibemus.

Stemma Comitum ac Principum Chimacenſium.

I. Addition. JOANNES DE CROY, anno 1430. à Philippo Bono Burgundiæ Duce Eques Velleris Aurei, & anno 1473. Chimaci Comes primus à Carolo Audace creatus, poſteaquam Dominium illud à Domino de Moreuil acquiſiiſſet. Ex Maria Lalaina, Domina de Quievrain, genuit *Philippum*, Jacobum Epiſcopum Cameracenſem (de quo Cap. ſequenti) Michaelem Dominum Sancti Piati, vulgò *Sempy*, Equitem Ord. Aurei Velleris &c. Obiit Comes Joannes anno 1473, ſepultus Chimaci in Eccleſia Collegiata.

II. PHILIPPUS, filius Joannis, anno 1473. inter Equites Aurei Velleris annumeratus, fuit Gubernator Comitatûs Hollandiæ. Uxorem habuit Walburgem de Morſia (*Meurs*) è qua genuit Carolum, Antonium Toparcham de *Sempy*, à quo hodierni Comites Solrani prodierunt. Vitâ functus eſt an. 1482, ſepultus Montibus apud Minoritas.

III. CAROLUS, hoc Diplomate memoratus creatus anno 1486. primus Princeps Chimaci, & anno 1491. Eques Aurei Velleris. Ex Ludovicæ de Albreto Conjuge, Dominâ de Avenis & Landraco, Annam filiam heredem reliquit. Obiit anno 1527, ſepultus Chimaci, uxor verò Ludovica circa annum 1540. ſepulta Avenis, ubi Canonicorum Collegium fundaverat.

IV. ANNA, Caroli filia & heres, nupſit anno 1520 Cognato ſuo PHILIPPO filio Henrici & Carolæ de Chateaubriant, primo Duci Arſchotano, Aurei Velleris Equiti, eique in dotem attulit Dominia Chimacenſe, Avenenſe, Landreſienſe, Lillerienſe, Fanum S. Venantii &c, Obiit illa 6. Aug. 1539; ipſe verò anno 1549.

V. CAROLUS, Princeps Chimaci, Dux Arſchotanus, Patri Carolo ſucceſſit, habuitque Uxores Ludovicam Lotharingicam, & Antoniam Burgundicam, è quibus nullas proles reliquit, occiſus domi ſuæ Bruxellis an. 1551.

VI. PHILIPPUS Dux Arſchotanus, Eques Aurei Velleris anno 1556 creatus, fratri Carolo ſucceſſit. Uxores binas habuit, Joannam Henricam, Dominam de Hallumo, Cominio, &c. & Joannam de Blois. Ex priore genuit CAROLUM qui ſequitur, & Annam, & Margaretam, obiitque anno 1595, ſepultus in Heverlea, apud Cæleſtinos juxta Lovanium.

VII. CAROLUS Philippi filius, Eques Aurei Velleris, & ab Henrico IV. Galliæ Rege creatus Primus Dux Croiaci, binas habuit Conjuges, Mariam de Brimeu, Comitiſſam Meganam, & Dorotheam de Croi filiam Caroli Philippi Marchionis de Havré Cognatam ſuam: ſed ex neutra prolem reliquit. Obiit anno 1612, ſepultus in Heverleenſi Cœnobio.

VIII. ANNA Caroli ſoror & heres, nupſit CAROLO de Ligne, Principi Arembergii, Equiti Aurei Velleris, à quo duos præſertim filios Philippum & Alexandrum ſuſtulit, qui tandem palmites *Arembergenſem* ſeu *Arſchotanum* & *Chimacenſem* condiderunt.

IX. ALEXANDER, Princeps Chimaci, Comes Belli-Montis, Baro Cominii &c. Eques Aurei Velleris, uxorem habuit Magdalenam Egmundanam, è qua genuit Annam, Eugenio Hennino Comiti Boſſuvii nuptam, Albertum & Philippum ſucceſſores &c. Ipſe verò anno 1629. in obſidione Veſalienſi occubuit; uxore Magdalenâ uſque ad annum 1663. ſuperſtite.

X. ALBERTUS, Ducali titulo quem Ferdinandus III. Imperator anno 1644. toti familiæ Arembergicæ impertivit, uſus eſt. Anno 1648 in fata conceſſit, nullâ ex Clara Eugenia Patruele & Uxore ſuâ, prole genitâ.

XI. PHILIPPUS, Alberti frater, Eques Aurei Velleris, anno 1647, fuit quoque Gubernator Ducatûs Luxemburgici. Anno 1675. rebus humanis exemptus eſt, relicto filio unico è Theodora de Gaveta Conjuge.

XII. ERNESTUS DOMINICUS Dux Arembergæ, Princeps Chimaci & S. R. I. Comes Bellomontii & Freſinæ, Baro Halewini, & Cominii, Dynaſta Avenæ, Par Hannoniæ, Eques Aurei Velleris, Gubernator Ducatûs Luxemburgici, ac poſtremò Pro-Rex Navarræ, Uxorem habuit Mariam de Cardenas, ſed ex ea nullam prolem. Obiit Pampelonæ anno 1686.

XIII. PHILIPPUS LUDOVICUS de Alſatia, Comes de Hennin & Bouſſu, Eugenii Hennini & Annæ Chimacenſis ſupra memoratæ filius, Amiono ſuo ſucceſſit anno 1686. Fuit hic quoque Eques Aurei Velleris; uxorem duxit Annam Ludovicam Verreycken filiam Caroli Baronis de Impda, Audientiarii. Obiit Princeps Philippus Ludovicus anno 1688.

XIV. CAROLUS JOSEPHUS de Alſatia, Princeps Chimaci, Comes Boſſuvii, Eques Aurei Velleris, uxorem habuit Dianam Ducis Mancini Nivernenſis filiam, quæ ſine prole obiit anno 1716.

Frater hujus Principis *Thomas Philippus de Alſatia*, hodiernus Mechlinienſium Archiepiſcopus, natus Bruxellis anno 1676, primò Cathedralis Gandenſis Præpoſitus, tum ex Epiſcopo Iprenſi Nominato, anno 1716 inauguratus fuit Mechlinienſium Antiſtes IX. Acceſſit an. 1719. die 29 Novembris Cardinalitia dignitas, ei à Clemente XI. collata.

CAPUT CXIII.

MAXIMILIANUS I. *Imperator Jacobum Croyum Episcopum Cameracensem creat Ducem Cameracensem*, *anno* 1510.

MAXIMILIANUS divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, venerabili, illustri (1) JACOBO DE CROY, Episcopo ac Duci Cameracensi, Comiti Cameracesii; Principi, Consiliario & Consanguineo nostro devoto, dilecto, gratiam nostram Cæsaream & omne bonum.

SPLENDOR nostræ Cæsareæ Majestatis, ad instar divini illius Solii, quod in magnitudine & multitudine electorum & Sanctorum suorum exultat, dignè trahens exemplum, hilari semper affectu desiderat, ut in circuitu Augustalis Solii nostri, Principum numerus crescat & feliciter augeatur: quò & nostra Majestas majoribus aucta dignitatibus, & potestatibus solidiùs roboretur, & fidelibus populis nostris justitia administretur, ac indebitè oppressi & afflicti refugium habeant, ubi sublevamen & auxilium in pressuris eorum comperiant, & ceteri fideles nostri, spe gloriæ & præmii, ad virtutes magis magisque excitentur.

ATTENDENTES itaque multiplicia virtutum tuarum merita, & devotionis affectum, quo Nos & Sacrum Romanum Imperium omni studio & officio venerans, gloriam, honorem & commodum nostrum & ipsius Imperii assiduè sollicitis studiis procuras, motu proprio, & certâ nostrâ scientiâ, animo deliberato, accedente etiam consilio & assensu Venerabilium & Illustrium nostrorum, ac ejusdem Sacri Imperii Principum, Comitum, Baronum, Nobilium nostrorum fidelium dilectorum, Te præfatum Jacobum Episcopum Cameracensem, Comitem Cameracesii (cùm & Origo Nobilitatis tuæ à Serenissimis Regibus Hungariæ Originem trahat, & beatitudo ac amplitudo ditionis tuæ multùm se diffundat, nec non intemerata fides, devotio & observantia tua & Progenitorum tuorum, quâ à longo tempore nobis & eidem Sacro Romano Imperio, & Serenissimæ Domui nostræ Burgundicæ inservivisti) hodie in verum Ducem Cameracensem erigimus, illustramus, insignimus, & decoramus.

DECERNENTES expressè, quòd Tu ex nunc in antea omni dignitate & præeminentiâ, jure, potestate, libertate, honore & consuetudine gaudere & frui debeas, quibus alii nostri & Sacri Romani Imperii Duces Illustres freti sunt hactenùs & quotidie potiuntur.

CIVITATEM Cameracensem, terras quoque tuas, munitiones, territoria, cum omnibus aquis, pratis, pascuis, judiciis, homagiis, & aliis juribus tibi competentibus, ac omnibus eorum pertinentiis, quæ latitudo Dominii Civitatis Cameracensis comprehendit, in verum Ducatum Cameracensem ereximus, ac de plenitudine nostræ Cæsareæ Potestatis, tenore præsentium, erigimus:

DECERNENTES, & hoc Cæsareo statuentes Edicto, quòd Tu Jacobus Episcopus & Dux Cameracensis, & Comes Cameracesii nominari & appellari, ex nunc in antea, debeas, & tamquam ceteri Romani Imperii Duces teneri & honorari, ac ubique locorum ab omnibus reputari; privilegiis, gratiis, & immunitatibus, absque omni impedimento, frui, quibus alii nostri & sacri Romani Imperii Duces & Principes, in conferendis & recipiendis juribus, & in omnibus & singulis aliis, illustrem Statum & conditionem Ducum concernentibus, freti sunt hactenus, seu quomodolibet potiuntur.

QUÒ autem universi re ipsâ cognoscant peculiarem gratiam & benevolentiam nostram, quâ Te complectimur, ad arma & insignia tuæ antiquæ & præclaræ nobilitatis, quæ sunt in hunc modum descripta: videlicet scutum quatripartitum, habens in superiori dextra, & inferiori sinistra, in campo argenteo tres facies rubeas, ad regulam directè per transversum ductas, & in superiori sinistra, & inferiori dextra, etiam in campo argenteo tres secures rubeas, latas manubriis brevibus rubeis; quarum duæ superiores manubriis ad invicem conversis, inferior autem in dexteram vertens: in medio autem scuti, parvus clipeus superpositus etiam quadripartitus, in cujus superiori dextra & inferiori sinistra, in campo aureo sunt rubei tractus incerti numeri, ab angulis incipientes, quadrati in formam rumbi cancellantes: in superiori autem sinistra, & inferiori dextra ejusdem clipei, iterum in campo aureo est leo niger, elevatis pedibus erectus, & caudâ ad caput elevatâ.

HÆC arma & insignia tuæ & tuorum nobilitatis antiquæ, in modum & formam subscriptam innovanda & melioranda, statuimus, &

(1) JACOBUS DE CROY, filius Joannis I. Comitis Chimacensis. de cujus Stemmate egimus Cap. præcedenti. Ex Præposito Ecclesiarum Cathedralium Leodiensis & Atrebatensis, electus in Episcopum Cameracensem anno 1502, vivere desiit anno 1516.

Stemmata Illustrissimæ Familiæ Croiacæ, quæ in plures ramos, Arschotamum, Ligniacum & Arembergicum, Rhodiensem ac Solranum, Chimacensem, Barbanconium, Sempiacum &c. successu temporum fuit distributa, exhibebuntur inferiùs in Chronico Belgico ad annos 1521. 1560. & 1590.

Porrò *Croiacum*, vulgò *Croy*, quod huic Familiæ nomen dedit, exiguus est Vicus Picardiæ, secundo aut tertio miliari ab Ambiano.

& etiam innovamus & meliora facimus, auctoritate & plenitudine potestatis nostræ Cæsareæ:

SCILICET, quòd tu Jacobus Episcopus & Dux Cameracensis, Cameracesii Comes, in posterum ultra arma & insignia solita, eisdem armis potiaris, quibus in eodem scuto ad tertiam partem, quæ caput scuti vocatur, superponatur sacra nostra Aquila nigra Regalis in campo aureo, extensis alis, pedibus & caudâ, rastellum rubeum transversum per alas ad pectus gestans tribus dentibus, quorum singuli in singulis alis, medius in pectore deorsum, porrecti; prout meliùs hæc artificis ministerio hìc in medio cernuntur figurata: quibus nunc in posterum futuris temporibus in omnibus uti possis; in quibus alii nostri & sacri Imperii Duces talibus utuntur.

OMNES autem & singulos defectus, si qui in præmissis ratione solemnitatis omissi, dubiâ interpretatione sententiarum aut verborum, seu alio quovis modo comperti fuerint, supplentes, ex certa nostra scientia, & de plenitudine nostræ Cæsareæ potestatis, nostris tamen ac cujuslibet alterius juribus semper salvis, & præsertim ipsius Civitatis Cameracensis, quam ultra solitum minimè gravari volumus, & sine præjudicio primævæ amortisationis, libertatis, neutralitatis, jurium, privilegiorum, concessionum, usuum & consuetudinum laudabilium tuorum Episcopatûs, Ecclesiæ, Comitatûs, Civitatis, & subditorum tuorum, & absque eo, quòd vos aut aliqui vestrum ad aliqua servitia subventionesque teneantur, ad quæ ante eamdem erectionem non tenebantur.

NULLI ergò omnino hominum liceat hanc nostræ illustrationis, erectionis, augmentationis, suppletionis, decreti, concessionis & mandati paginam infringere, aut ei ausu temerario contraire, sub nostra & sacri Romani Imperii indignatione gravissima, ac pœnæ centum marcarum auri puri, quarum medietatem fisco seu ærario nostro Cæsareo, reliquam verò partem, injuriam passi vel passorum usibus decrevimus applicari.

DATUM in Civitate nostra Imperiali Augusta die XXVIII. Junii, anno Domini mille- 1510.
simo quingentesimo decimo, Regnorum nostrorum Romani vigesimo quinto, Hungariæ verò vigesimo primo.

CAPUT CXIV.

LEO X. *Pontifex concedit* CAROLO V. *Hispaniarum Regi, dein Imperatori, ut numerum Equitum Ordinis Aurei Velleris ad quinquagenarium extendat, anno* 1516; *variaque eidem Ordini confert Privilegia.*

LEO Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

PRÆCLARÆ devotionis sinceritas, & eximia fidei constantia, quibus carissimus in Christo Filius noster Carolus, Castellæ, & Legionis, ac Aragonum, & Siciliæ Rex Illustris, & Burgundiæ Dux, suique Prædecessores Burgundiæ Duces, qui hactenus fuerunt in nostro & Apostolicæ Sedis conspectu claruerunt, & idem Carolus Rex indies splendere dignoscitur, Nos excitant, ut in iis ei favorabiliter assistamus, per quæ Majestati suæ honor accedere, & sui Statûs securitas, ac ejus, & sibi devotarum personarum animarum salus valeat provenire.

SANE præfatus Carolus Rex Nobis nuper exponi fecit, quòd dudum quondam Philippus Dux Burgundiæ, piè ductus ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, & ejus Genitricis gloriosæ Virginis Mariæ, & totius Cœlestis exercitûs honorem, nec non fidei Christianæ tuitionem, & defensionem, unam laudabilem, & celebrem Confraternitatem, seu Societatem Nobilium Militum, sub titulo seu denominatione Ordinis, aut Militiæ VELLERIS AUREI, pro triginta Fratribus Militibus, & uno Capite, seu Primate, qui pro tempore Dux Burgundiæ, & heres suus legitimus, ac in Ordine trigesimus primus foret,

NEC non uno Cancellario, Thesaurario, Secretario, ac Heraldo instituit, & ordinavit, eamque diversis honoribus, privilegiis, & libertatibus decoravit, & ad incitandum animos illorum Fratrum Militum ad virtutem, probitatem, fortitudinem, moresque componendos, & vitia detestanda, nonnulla laudabilia Statuta, & ordinationes, inter cætera quòd numerus Fratrum dicti Ordinis ad numerum majorem quàm triginta excedere non deberet, & nihil, quod ad forum, vel judicium Ecclesiasticum spectet, continentia, quæ singuli Confratres in communi assumptione sub fide, & verbo Nobilis Viri observare promitterent, fecit & edidit, illaque Apostolicâ auctoritate confirmari procuravit.

ET nuper cùm idem Carolus Rex præfati Philippi Ducis cujus ex filia abnepos, & heres legitimus, ac Ordinis seu Militiæ hujusmodi Caput, seu primus existit, vestigiis inhærens, ac circa honorem, statum, & directionem ejusdem Ordinis, & illius personarum intendens, suum primum Conventum seu Capitulum Fratrum ipsius Ordinis celebrasset,

AC inter tractandum de his, quæ ad publicam utilitatem pertinere videbantur, consideratâ præsentis temporis conditione, visum fuisset numerum prædictum potiùs ampliari, quàm restringi in ipso Capitulo, seu Conventu ad electionem Fratrum, usque ad complementum numeri soliti triginta juxta statuta Ordinis hujusmodi processum exstitit, & in hujusmodi electione

ctione aliqui Reges Christiani nominati & publicati,

Et insuper sub beneplacito nostro, licet forsan id aliàs ordinariâ auctoritate fieri potuisset, pro majori tamen auctoritate, & roboris firmitate, alii viginti Fratres nondum publicati, sed tempore suo forsan publicandi in Fratres Milites dicti Ordinis creati, & illi annotati fuerunt.

Quare pro parte dicti Caroli Regis, qui etiam Archidux Austriæ existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut creationi, & annotationi aliorum viginti Fratrum in Capitulo, seu Conventu factorum hujusmodi robur Apostolicæ confirmationis adjicere, aliàsque in præmissis prædicti Ordinis directione, conservatione, & augmento oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui eumdem Carolum Regem speciali dilectionis affectu ex visceribus caritatis prosequimur, hujusmodi supplicationibus inclinati, creationem, & annotationem prædictas, & quæcumque inde secuta rata & grata habentes, illa, necnon institutionem Societatis, & alia illius Statuta, & ordinationes hujusmodi, ac in eis contenta quæcumque, Apostolicâ auctoritate prædictâ tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac illis plenum firmitatis robur adjicimus, illaque firmiter observari debere, & numerum ipsum de triginta ad quinquaginta Fratres ipsius Ordinis præter illius Primatem de cætero ampliari, & extendi posse decernimus:

Supplentes omnes, & singulos defectus tam juris, quàm facti, si qui forsan intervenerint in eisdem; & nihilominus Statutum, & numerum hujusmodi ad alios viginti Fratres, ita ut totalis numerus Fratrum dicti Ordinis quinquaginta, & Caput, seu Primas, qui pro tempore erit Dux Burgundiæ, heres, & ipsius Caroli legitimus Successor, ac in Ordine Fratrum quinquagesimus primus, & præter illos Cancellarius, Thesaurarius, Secretarius, & Heraldus in ipso Ordine existant, aliis Statutis, & consuetudinibus prædictis in suo robore permansuris, auctoritate Apostolicâ & tenore prædictis extendimus, & ampliamus,

Ac eumdem Carolum Regem, & pro tempore existentem Primatem, & Fratres ac personas dicti Ordinis ab observatione dicti Statuti de non eligendis nisi triginta Fratribus, absolvimus, & promissionem, ac juramentum de illo observando forsan factum seu præstitum eis relaxamus.

Et insuper Primati, Confratribus, Cancellario, Thesaurario, Secretario & Heraldo Ordinis hujusmodi, nunc, & pro tempore existentibus, eorumque, qui nunc, & pro tempore conjugati fuerint, conjugibus, & utriusque sexûs liberis, ut Cancellarius ipsius Ordinis pro tempore existens ad Sacerdotium ritè promotus, seu Presbyter idoneus per ipsum ad hoc deputandus, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, & promulgatis, ac votorum quorumcumque, & mandatorum Ecclesiæ transgressionibus, manuum violentarum in quasvis personas, non tamen Pontificali aut superiori dignitate fungentes, injectionibus, jejuniorum, & pœnitentiarum eis injunctarum in toto vel in parte omissionibus, ac perjuriorum, & homicidii voluntarii, mentalis, seu casualis, (non tamen Presbytericidii, seu Clericidii,) nec non adulterii, incestus, sacrilegii, & fornicationis reatibus, ac omnibus & singulis aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam dictæ Sedi qualitercumque reservatis, (exceptis contentis in Bulla in die Cœnæ Domini legi consuetâ,) de quibus ore confessi, & corde contriti fuerint; de reservatis videlicet semel in anno, & in mortis articulo, de aliis verò eidem Sedi non reservatis casibus, quoties opus fuerit, absolvere, ac eis, & eorum cuilibet pro commissis debitam absolutionem impendere, & pœnitentiam salutarem injungere,

Necnon vota quæcunque per eos pro tempore emissa (Ultra-marino, Visitationis Liminum Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Sancti Jacobi in Compostella, necnon castitatis & religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare; ac juramenta quæcumque, ex quorum relaxatione alteri præjudicium non generetur, relaxare; necnon semel quolibet anno, & in mortis articulo, etiamsi mors non subsequatur, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & absolutionem, ita ut hujusmodi plenaria remissio in vero mortis articulo eis suffragetur, dictâ auctoritate Apostolicâ impendere possit.

Quodque liceat eis & eorum singulis habere Altare portatile, cum debitis reverentiâ, & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis, etiam Ecclesiastico interdicto ordinariâ vel Apostolicâ auctoritate suppositis, dummodò causam non dederint hujusmodi interdicto, nec eis specialiter interdictum sit, ac fecerint quantum in eis fuerit, ut in iis propter quæ interdictum ipsum dictâ auctoritate Apostolicâ pro tempore oppositum fuerit, paritio fiat, & ea executioni debitæ demandentur, ac per eos non steterit quominus pareatur, etiam antequam illucescat dies, circà tamen diurnam horam, ac etiam circa, vel parum post meridiem, per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum, in sua & cujuslibet ipsorum familiarium, domesticorum, parentum, consanguineorum pro tempore existentium præsentia, Missas & alia divina officia celebrari facere, & tempore interdicti hujusmodi in Ecclesiis, januis clausis divinis officiis interesse, & illa, ut præmittitur, celebrari facere, necnon si eos tempore interdicti hujusmodi decedere contingat, eorum corpora Ecclesiæ sepulturæ, sine tamen funerali pompa tradi, ipsisque Eucharistiam & alia Ecclesiastica Sacramenta à quocumque Presbytero idoneo, ubicumque voluerint,

rint, salvis juribus Parochialium Ecclesiarum, etiam in die Paschatis recipere, & Sacerdotibus eligendis hujusmodi, ut Missas, & alia divina officia, ut præfertur, celebrare liberè & licitè possint.

QUODQUE unam, vel duas Ecclesias, seu duo, vel tria Altaria unius, vel diversarum Ecclesiarum, in partibus ubi singulos eorum pro tempore residere contigerit, per eos, & eorum quemlibet eligendas, seu eligenda, quadragesimalibus, & aliis diebus Stationum Ecclesiarum Urbis, & extra muros ejus visitando, omnes & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones etiam plenarias consequantur, quas consequerentur si eisdem diebus omnes & singulas Stationum hujusmodi, ac septem principales, necnon Sanctæ Mariæ de Populo, & Sancti Gregorii intrà, Cappellæ Scalæ cœli extra muros Urbis hujusmodi Ecclesias personaliter visitarent; necnon tam quadragesimalibus butyro, caseo, ovis, & lacte, quàm aliis anni temporibus, & diebus prohibitis eisdem butyro, caseo, ovis, lacte, & aliis lacticiniis, ac tempore necessitatis de utriusque Medici consilio carnibus absque conscientiæ scrupulo uti, & vesci liberè & licitè valeant, Apostolicâ auctoritate prædictâ earumdem tenore præsentium de speciali gratia indulgemus.

AC singulorum prædictorum uxoribus, & filiabus, ut cum aliquibus aliis honestis mulieribus Monasteria Monialium Sanctæ Claræ, & aliorum Ordinum quorumcumque, etiam inclusarum, ter aut quater in anno, de licentia tamen earum, quæ dictis Monasteriis præfuerint, ingrediendi, & cum eisdem Monialibus refectionem suscipiendi, dummodo inibi non pernoctent, auctoritate Apostolicâ, & tenore supradictis licentiam, & facultatem concedimus.

NON OBSTANTIBUS præmissis, ac quibusvis Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, necnon Monasteriorum prædictorum juramento, Confirmatione Apostolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis, Statutis, & consuetudinibus, ac quibusvis suspensionibus, seu limitationibus similium remissionum, & facultatum per nos, & Sedem prædictam quomodolibet factis, & faciendis; quibus quoad præmissa illis aliàs in suo robore permansuris hâc vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

VOLUMUS autem, ne, quod absit, propter hujusmodi concessionem, & remissionem, Confratres, ac uxores, & liberi, ac alii prædicti reddantur procliviores ad illicita imposterum committenda. Quod si à sinceritate fidei, unitate Romanæ Ecclesiæ, ac obedientiâ, & devotione nostrâ, vel Successorum nostrorum canonicè intrantium hujusmodi destiterint, aut ex confidentia ejusdem concessionis, vel remissionis aliqua commiserint, concessio, & remissio prædicta, ac quoad illas præsentes litteræ, eis nullatenus suffragentur.

QUODQUE Indulto celebrari faciendi ante diem parcè utantur: quia cum in Altaris ministerio immoletur Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce.

CETERUM cùm difficile foret præsentes litteras ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda foret, loca deferre; volumus, & dictâ auctoritate Apostolicâ decernimus, quòd ipsarum transumptis manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in judicio, & extra, eadem prorsus fides indubia adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

NULLI ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, adjicionis, suppletionis, extensionis, ampliationis, absolutionis, relaxationis, indulti, concessionis, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire.

SI quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

DATUM Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexto decimo, sexto Kal. Octobris, Pontificatûs nostri anno quarto. 1516.

CAPUT CXV.

CAROLUS V. *Imperator Diplomate publico testatur, se in Basilica B. Mariæ Aquisgrani Imperiali Diademate coronatum, simulque receptum fuisse inter Canonicos, anno* 1520.

CAROLUS Divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator semper augustus, ac Germaniæ, Hispaniæ, utriusque Siciliæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, &c. debitum censemus, & congruum reputamus, ut Prædecessorum nostrorum Imperatorum & Regum divorum in eorum primordiis laudabiles observationes prosequamur, & de illis peractis Successoribus vera testimonia relinquamus. Hodie siquidem in Ecclesia nostra Beatissimæ Dei Genetricis Mariæ Aquisgrani coronationis nostræ completis solemniis, per honorabiles, devotos, nobis dilectos Decanum & Capitulum ipsius Ecclesiæ, in Canonicum recepti fuimus, ac Regali more & laudabili observatâ consuetudine, solito præstito juramento, portionem canonicalis

lis præbendæ quotidianâ recepimus ministratione, relictis ibidem in usum sacrarii ac rei divinæ panno cum pulvinariis, supra quæ dictam Ecclesiam ingressi primùm nostras Deo preculas fudimus, & postridie panno strato supra scamnum, in quo ante coronationem nostram oravimus: deinde trabeâ seu chlamyde, Regiâ veste: item in qua consecrati sumus: necnon duabus pallis, seu tapetis aureis, uno strato super sedem in qua sedebamus ante Altare Beatæ Mariæ Virginis, altero quo solium nostrum Regale, in alto Monasterio nuncupato existens, opertum atque ornatum fuit.

SOLUTIS etiam juribus more Prælatorum ejusdem Ecclesiæ, atque propinatis tribus carratis vini optimi, quarum duæ Ecclesiæ nostræ prædictæ, tertia Collegio Divi Adalberti ejusdem urbis cessêre & distributæ fuerunt: cæteraque omnia & singula effecimus, quæ dicti Prædecessores nostri in suis primordiis apud eandem Ecclesiam facere consueverunt.

HARUM testimonio literarum sigilli nostri minoris à tergo impressi munimine roboratarum.

DATUM in Civitate nostra Imperiali Aquisgrani, die 23. mensis Octobris, anno Nativitatis Christi millesimo quingentesimo vicesimo, 1520.
Regnorum nostrorum, Romani secundo, aliorum verò omnium quinto. Carolus.

CAPUT CXVI.

PIUS IV. *Pontifex instituit Academiam Duacenam, in Gallo-Flandria, ad normam Lovaniensis in Brabantia, anno 1559, petente PHILIPPO II. Hispaniarum Rege.*

PIUS Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

RATIONI congruit, & convenit honestati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum.

DUDUM siquidem felicis recordationis Paulo Papa IV. Prædecessori nostro pro parte charissimi in Christo Filii nostri, tunc sui, Philippi Hispaniarum Regis Catholici exposito, quòd cùm Regio inferioris Germaniæ ipsius Philippi Regis Ditioni hereditario jure subjecta, omni ferè ex parte à populis Hæreticis, atque Schismaticis cincta, & obsessa esset, & propter assiduas eorum insidias, pestiferasque doctrinas, Catholica illic fides, & animarum salus maximo in discrimine versaretur: tam graviter periclitanti in illis partibus fidei Orthodoxæ, & animarum saluti aptissimum esse remedium duxerat, si in dicta Regione, quæ à tot tantisque populis & gentibus incolebatur, præter illam Celeberrimam ac Famosam Universitatem Studii Generalis Lovaniensem, alia quoque similis Universitas Studii Generalis erigeretur:

CUI sic erigendæ Universitati Oppidum Duacense Atrebatensis Diœcesis, tam salubritate aëris, quàm fœcunditate terræ, & rerum omnium humano victui necessariarum copiâ maximè idoneum, & opportunum esse, arbitrabatur: & propterea cupiebat ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac militantis Ecclesiæ exaltationem, nec non litterarum præcipuè sacrarum, studii incrementum, Universitatem Studii Generalis, in dicto Oppido erigi & institui.

QUARE pro parte dicti Philippi Regis eidem Prædecessori nostro humiliter supplicato, ut in eodem Oppido Universitatem Studii Generalis erigere, & instituere, ac aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaretur: Præfatus Prædecessor, qui in Apostolicæ Dignitatis culmine, meritis licet imparibus, tunc constitutus, sedulâ meditatione pensabat, ut per litterarum studia cooperante omnium munerum Largitore, Christi fideles virtutibus ornarentur, Justitia coleretur, fides in primis Catholica, & Divinus Cultus non modo conservaretur, verùm etiam nostris potissimè temporibus augeretur atque propagaretur; ad idque præsertim, dum Catholicorum vota Principum id exposcebant, suæ considerationis aciem libenter convertebat, aliásque desuper disponebat, prout in Domino pro studiorum ipsius directione, & successu felici conspiciebat salubriter expedire: attendens ex litterarum præsertim divinarum studio saluti animarum consuli, & alia spiritualia, & temporalia dona universo terrarum Orbi provenire:

HUJUSMODI supplicationibus inclinatus, sub data videlicet pridie Kalend. Augusti Pontificatûs sui anno V. in ipso Oppido Universitatem Studii Generalis in Artibus, naturali ac morali Philosophiâ, ac Medicinâ, necnon Theologia, & Jure Canonico & Civili, ac quibusvis aliis licitis Facultatibus & scientiis, ad instar Lovaniensis prædictæ, ac Parisiensis, Bononiensis, & Paduanensis, ac aliarum Studiorum Generalium Universitatum, auctoritate Apostolicâ erexit, & instituit; ac illi sic erectæ, & institutæ, illiusque pro tempore existentibus Rectori, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Studentibus, Bidellis, & aliis Officialibus, & personis, quod omnibus & singulis Privilegiis, libertatibus, & immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, & præminentiis Lovaniensi, ac aliis Studiorum Generalium Universitatibus hujusmodi, illarumque pro tempore existentibus Rectoribus, Magistris, Doctoribus,

ctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Studentibus, Bidellis, & aliis Officialibus ac personis, in genere, vel in specie, tam dictâ Apostolicâ, quàm Regiâ auctoritatibus, seu aliis quomodolibet concessis, aut legitimè præscriptis, & ex nunc in posterum concedendis, & præscribendis, ac quibus illæ, & illi utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere potuerunt, quomodolibet in futurum, uti potiri, & gaudere:

NECNON iis, qui in dicta sic erecta Universitate, seu alibi per tempus debitum studuisse, ac scientiâ & moribus idonei esse comperti forent, quòd in Artibus, & Philosophia, & Medicina, ac Theologia, necnon Jure Canonico & Civili, ac aliis Facultatibus, & Scientiis prædictis, Baccalaureatûs etiam formalis, & Licentiaturæ, ac Doctoratûs, Magisterii, à pro tempore existente ipsius Universitatis Duacensis Rectore, seu aliàs juxta ejusdem Universitatis desuper edendas Constitutiones recipere, & ipsorum graduum solita insignia sibi exhiberi facere, ac postquam gradus hujusmodi recepissent, ac illorum insignia sibi exhibita fuissent, ut præfertur, Facultates, in quibus promoti essent, legere, & interpretari, ac in iis disputare, necnon quoscunque actûs gradui, seu gradibus per eos receptis convenientes exercere, aliásque omnibus & singulis Privilegiis, favoribus, gratiis, prærogativis, & indultis, quibus ceteri in Lovaniensi, & aliis Universitatibus prædictis juxta illarum Constitutiones & mores, ad gradus prædictos promoti de jure, vel consuetudine, seu aliàs utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet, in futurum uti, potiri, & gaudere in omibus, & per omnia, perinde ac si gradus ipsos in Lovaniensi, aut aliis Universitatis Studiorum hujusmodi juxta constitutiones & mores prædictos suscepissent;

NECNON Rectori & Doctoribus, & Scholaribus Universitatis Duacensis hujusmodi pro tempore existentibus, quod pro salubri ipsius Universitatis directione & conservatione, ac illius Rectoris, Magistrorum, Doctorum, Lectorum, Bidellorum, ac aliorum Officialium electione, nominatione, & provisione, & Scholarium eorundem manutentione, quæcunque Statuta, & Ordinationes licita & honesta, & sacris Canonibus non contraria, facere & edere liberè & licitè valerent, eâdem auctoritate Apostolicâ concessit pariter, & indulsit.

NON obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Privilegiis quoque & indultis, & Litteris Apostolicis quibusvis, sub quibuscunque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis etiam iteratis vicibus concessis, probatis, & innovatis.

QUIBUS omnibus dictus Prædecessor etsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, vel alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, pro sufficienter expressis habens, illis aliàs in suo robore permansuris, eâ vice duntaxat specialiter & expressè derogativis, ceterisque contrariis quibuscunque.

NE autem de erectione, institutione, concessione, indulto, & derogatione Prædecessoris hujusmodi, quod ejus superveniente obitu Litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, dictusque Philippus Rex illorum frustretur effectu, voluimus, & decrevimus, quòd erectio, institutio, concessio, indultum, & derogatio hujusmodi perinde à dicta die pridie Kalend. Augusti suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Prædecessoris Litteræ sub ejusdem diei data confectæ fuissent, prout superiùs enarratum. Quódque præsentes Litteræ ad probandam plenè erectionem, institutionem, concessionem, indultum, & derogationem prædictam ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, octavo Idus Januarii, Pontificatûs nostri anno primo. 1559.

CAPUT

CAPUT CXVI.

GREGORII XIII. *Papæ Diploma ad* PHILIPPUM II. *Regem Catholicum datum anno* 1572, *quo permittit creari novos Equites Ordinis Aurei Velleris extra Capitulum seu Comitia Ordinis.*

GREGORIUS Papa XIII. Carissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem.

EXPONI nobis nuper fecisti, quòd ad præsens vacant plura loca & Officia Ordinis seu Societatis Velleris Aurei, *Del Tuson* vulgò nuncupati, & dubitas de locis & Officiis hujusmodi extra Capitulum dicti Ordinis disponere seu providere posse.

Vulgò Tuson d'Or.

AD omnem igitur dubitandi materiam tollendam, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, Tibi, ut hâc vice de locis & Officiis hujusmodi extra dictum Capitulum, quatenùs id aliter facere nequeas, ad tui beneplacitum, disponendi licentiam & facultatem, Apostolicâ Auctoritate, tenore præsentium, concedimus.

NON obstantibus, dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, Statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, etiamsi in illis caveatur expresè, quòd illa Officia extra dictum Capitulum conferri non possent, & aliter factæ collationes & provisiones nullæ essent, Privilegiis quoque, Indultis & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis approbatis & innovatis (quibus omnibus, eorum tenores in præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter & expresè derogamus) ceterisque contrariis quibuscumque.

DATUM Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV. Octobris, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, 1572.
Pontificatûs nostri anno sexto.

CAPUT CXVII.

CLEMENTIS VIII. *Papæ Diploma ad* PHILIPPUM II. *Hispaniarum Regem anno* 1596. *missum, ejusdem argumenti, prout præcedens.*

CLEMENS Papa VIII. Carissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem.

CÙM aliàs vacantibus pluribus locis & Officiis Ordinis sive Societatis AUREI VELLERIS, *Del Tuson* vulgò nuncupati, de quibus Tu forsan dubitabas, an extra Capitulum dicti Ordinis providere posses, felicis recordationis Gregorius XIII. Prædecessor noster, supplicationibus tuis inclinatus, Tibi, si extra dictum Capitulum generale ejusdem Ordinis de illis aliter disponere non posses, de iis extra illud liberè & licitè providendi licentiam & facultatem concesserit, prout in ejusdem Gregorii Prædecessoris, in forma Brevis, decimo quinto Octobris, anni millesimi quingentesimi septuagesimi secundi, Pontificatûs sui anno sexto, expeditis litteris pleniùs continetur, quarum vigore, sicut nobis exponi fecisti, Tu de pluribus ejusdem Ordinis locis & Officiis tunc vacantibus disposuisti, sive providisti:

CUMQUE nunc de aliis etiam, quæ postea vacarunt, similiter providere cupias, camque ob rem ejusdem Gregorii Prædecessoris licentiam ac facultatem, usque ad numerum locorum dicti Ordinis nunc vacantium completum, per Nos extendi & ampliari, sive illam tibi de novo concedi, per dilectum Filium Nobilem Virum ANTONIUM DE CARDONA, Suessæ Ducem, Tuum apud Nos Oratorem, à nobis postulaveris:

NOS supplicationibus tuis hujusmodi inclinati, litterarum prædicti Prædecessoris tenorem pro expresso habentes, Tibi de omnibus locis atque Officiis dicti Ordinis, nunc vacantibus, quatenùs extra dictum Capitulum de illis aliter disponere aut providere nequeas, ad tuum beneplacitum, usque ad numerum locorum dicti Ordinis completum, extra idem Capitulum generale, disponendi & liberè ac licitè providendi licentiam & facultatem, Apostolicâ Auctoritate, tenore præsentium, concedimus & impartimur.

NON obstantibus dicti Ordinis..... *ut suprà.*

DATUM Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV. Januarii, MDXCVI. 1596.
Pontificatûs nostri anno quarto.

FINIS LIBRI PRIMI.

AUBERTI MIRÆI

DIPLOMATUM

BELGICORUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

DAGOBERTUS I. *Francorum Rex Mercatum constituit in Oppido S. Dionysii, prope Lutetiam Parisiorum, anno* 630.

DAGOBERTUS Rex Francorum, Vir Illuster, Leuthoni, Vulfioni, Rauconi, Comitibus, & omnibus Agentibus nostris, Vicariis, Centenariis, & ceteris ministris Reipublicæ nostræ.

COGNOSCAT sollicitudo & prudentia vestra, qualiter volumus & constituimus, in honore Domini & gloriosi patroni nostri DIONYSII Mercatum constituendo, ad Missam ipsam, quæ evenit septimo Idus Octobris, semel in anno, de omnes negotiantes in regno nostro consistentes, vel de ultra mare venientes, in illa strada quæ vadit ad Parisius, in loco qui dicitur Pasellus S. Martini.

ET sciatis nostri Missi ex hoc mercato, & omnes civitates in regno nostro, maximè ad ROTHOMO porto, & WICUS porto, qui veniunt de ultra mare pro vino, melle, vel garantia, emendum: & isto altero anno, seu ante sit ipse teloneus indultus usque ad tertium annum, & inde in postea de unaquaque quarrada de melle persolvant partibus S. Dionysii solidos duos, & unaquæque quarrada de garantia similiter solidos duos.

ET illi Saxones, & Ungarii, & Rothomenses, & ceteri pagentes de alias civitates persolvant de illos navigios de unaquaque quarrada denarios duodecim, & vultaticos, & passionaticos, per omnes successiones & generationes illorum, secundùm antiquam consuetudinem.

JUBEMUS etiam, ut ipse mercadus per quattuor septimanas extendatur, ut illi negotiatores de Longobardia, sive Hispania, & de Provencia, ac de alias regiones illuc advenire possent.

ET volumus atque expresè præcipimus, ut nullus negotiator in propago Parisiaco audeat negotiare, nisi in illo mercado, quem in honore S. Dionysii constituimus & ordinamus.

ET si quislibet hoc fecerit, bannum nostrum pro hoc persolvat, ad partem S. Dionysii.

PRÆCIPIMUS denique & expresè vobis mandamus, omnes Agentes seu juniores vel successores nostri præsentes & venturi, ut nullum umquam impedimentum pars S. Dionysii habeat ex parte nostra & vestra, neque intra ipsa Civitate Parisus, neque ad foras in ipso pago: teloneos, vel navigios, portaticos, rivaticos, rotaticos, vultaticos, themonaticos, cespetaticos, pulveraticos, foraticos, mestaticos, laudaticos, saumaticos, salutaticos, omnia & ex omnibus quidquam ad partem nostram, vel Fisco publico, de ipso mercado ex ipsa mercimonia exactare potuerit, pars S. Dionysii vel sui agentes in perpetuo habeant, per hanc nostram Indulgentiam & Auctoritatem.

ET ut hæc nostra præceptio de ipso loco nostris & futuris temporibus firmior habeatur, manus nostræ subscriptionibus eam subter decrevimus roborare, & de annulo nostro sigillare jussimus.

Ego Dagobertus Rex subscripsi. Dado obtulit.

630. Datum die tertiâ Kalendas Augusti, anno secundo Regni Dagoberti, Compendio, feliciter in Dei nomine, amen.

Dagoberti, Francorum & Austrasiorum Regis, Diploma, etsi barbarum, si dictionem spectes, tamen pium & antiquorum vocabulorum plenum, hic visum fuit ob oculos ponere; ut illius ævi stilum & pietatem agnoscamus ac veneremur.

Additio. Diploma hoc, aliaque plura exactè collecta vide in *Historia Regalis Monasterii S. Dionysii*, in folio, quam anno 1706. evulgavit R. P. *Felibien* Parisinus, ejusdem Cœnobii Benedictinus Reformatus, qui sub Iconibus pulcherrimis, Mausolea Regum, ac Principum Galliæ Mausolea, uti & Thesaurum pretiosissimarum Reliquiarum, ornamentorum Regiorum, aliorumque monumentorum exhibuit. Vide item infra Origines Benedictinas.

CAPUT II.

Dagobertus I. *Francorum Rex possessiones Ecclesiæ Metropolitanæ Treverensis confirmat.*

Diploma auctum & emendatum juxta Annales Treverenses P. Brouwers ad an. 643.

Dagobertus Rex Francorum Viris Illustribus, Ducibus, Comitibus, Domesticis & omnibus Agentibus tam ultra quàm citra Rhenum, & ultra Ligerim, tam absentibus quàm præsentibus.

Illud ad augmentum vel stabilitatem regni nostri sine dubio in Dei nomine credimus pertinere, si Sacerdotum, vel Ecclesiarum Dei rectis petitionibus annuentes, id quod nostris auribus patefecerint, perducimus ad effectum.

Ideo noverit omnium fidelium nostrorum.... sagacitas, quia Vir Apostolicus Pater noster, Domnus Modowaldus, Archiepiscopus Ecclesiæ Trevericæ, Præceptum afferens ad nos, præceptionibus Prædecessorum anteriorum Regum, Parentum nostrorum, Sigeberti, Theodeberti, Theoderici, imoque bonæ recordationis Hlotharii gloriosi Regis, Genitoris nostri, manibus roboratum;

In quo erat insertum, quod non solùm idem Genitor noster, verùm etiam præfati Prædecessores ejus, Reges videlicet Francorum, omnes res, quascunque boni & sancti Viri, pro divinæ contemplationis intuitu, ad partem S. Petri, Treverensis Ecclesiæ delegaverunt, suorum præceptorum auctoritate confirmarunt, quatenus eorum regnum superno auxilio tueretur, & postmodum ipsi in æthereo regno, cum Christo fine carente gaudere possent.

Itaque pro rei firmitate idem præfatus Præsul Modowaldus deprecatus fuit Sublimitatem nostram, ut Paternum ac Prædecessorum morem sequentes, hujuscemodi nostræ auctoritatis Præceptum, ob amorem Dei & reverentiam S. Petri, de iisdem rebus juberemus fieri; cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ auctoritatis Præceptum erga ipsam Ecclesiam, pro divini cultûs amore, & animæ nostræ remedio, fieri decrevimus;

Per quod præcipimus atque jubemus, ut omnes res, vel facultates ad Ecclesiam S. Petri Trevericæ Urbis pertinentes, scilicet Cellam S. Hilarii, quæ nunc appellatur (1) S. Maximini, quæ est in prædio S. Petri constructa, & Cellam S. Paulini & S. Eucharii, & Monasterium S. Mariæ, quod idem præfatus Pontifex Modowaldus, in territorio S. Petri nuper à fundamento construxit, & vocatur Horrea, Basilicamque S. Martini, sitam in pago Maiginensi, & ceteras Basilicas, castella, vicos, villas, vineas, silvas, homines, vel quicquid, largiente divinâ clementiâ, deinceps ad eamdem augmentandam Ecclesiam tribuetur, circa Rhenum & Ligerim fluvium, in regno nostro consistentia, omnia sub jure & potestate S. Petri Treverensis Ecclesiæ, ejusque Pontificis, perpetualiter mancipata permaneant.

Præterea pari modo etiam statuimus, ut nullus ex publicis judicibus, vel aliquis ex judiciaria potestate, in Monasteria, Ecclesias, castella, vicos, vel agros, loca, seu reliquas possessiones prædictæ Ecclesiæ, tam ultra quàm citra Rhenum, vel Ligerim fluvium, in pagis vel territoriis, quæ infra potestatem regni nostri memorata possidet Ecclesia, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina potestas augeri, ad caussas audiendas, vel freda aut tributa, aut conjectos aliquos exigendos, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ distringendos, vel injustas exactiones requirendas, vel teloneum exigendum, nostris & futuris temporibus, ingredi audeant; vel ea quæ supra memorata sunt nequaquam penitus exigere præsumant.

Sed liceat memorato Præsuli, suisque Successoribus, omnia præfata Monasteria, villas, vicos, & castella, cum suis adjacentibus, integrè perpetuo tempore, pro remedio animæ nostræ, eu Parentum nostrorum, sicut in Præcepto piissimi Genitoris nostri continetur, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio.

Sed, ut hoc nostræ auctoritatis Præceptum, pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostris videlicet præsentibus & futuris temporibus veriùs credatur, & diligentiùs à Successoribus nostris conservetur, manu id propriâ, cum Luidis nostris supterfirmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Orum anno Reg ni XII.

Dagobertus Rex Francorum.
Cunibertus gratiâ Dei Coloniensis Episcopus,
Abbo Metensis Episcopus,
Principius Spirensis Episcopus,
Pippinus Major domûs.

C A-

(1) De SS. Maximino, Modoaldo, Paulino & aliis fusè egimus in Fastis nostris Belgicis.

CAPUT III.

Horreënsi Virginum Benedictinarum Monasterio apud Treveros dat privilegium Leo *Papa III. circa annum* 682.

EGo Leo Vicarius S. Petri Principis Apostolorum, meritis quidem impar, vice tamen ipsius dignitate Romani fungens Pręsulatus, Cœnobium Horreense à Modowaldo Treverorum Archiepiscopo, subministrante beata Modesta, filia sororis ejus, è regalibus (1) *Horreis*, à quibus & nomen accepit, ad Divini Cultûs officium restaurandum post discessum beatæ Virginis Irminæ, quæ prima hunc locum provehendum suscepit, tantâ reverentiâ & honore apprimè donatum accepimus, ut matre istius congregationis vitâ excedente, nulla ab extraneis quocumque modo, sed una ex ipsis subrogetur, Principibus Ecclesiæ Treverensis ex consulto faventibus, Sororibus electione potitis, ipso quoque Præsule devotè annuente.

Quod tantâ auctoritate subnixum, ut in æternum stabile permaneat & fixum, in nomine Jesu Christi Domini nostri, sanctique Prædecessoris Petri, & omnium electorum Dei, æterno servetur damnandus judicio, si quis Prælatus tanto hìc commorantes exinaniverit privilegio. Fiat, fiat, amen, amen.

HOc Privilegium datum fuit post mortem S. Irminæ quæ adhuc vixit anno 716. ergo fuit datum à Leone III. qui fuit electus anno 795. & vixit usque ad annum 815. Aut hìc, aut sequenti folio est error in data.

De S. Irmina, Dagoberti Francorum Regis filia, Martyrologio Romano inscripta, in Fastis & Annalibus Belgicis tractavimus.

(1) Horreensis Abbatia Virginum Nobilium, Treviris, ab horreo seu granario regio in Domum Dei verso, nomen obtinuit.

CAPUT IV.

S. Irmina, Dagoberti I. *Francorum Regis filia, dat S. VVillibrordo, Episcopo Ultrajectino, medietatem Epternaci Oppidi (ubi nunc Abbatia Benedictina) in Ducatu Lutzeburgensi, itemque Basilicas à se ibidem ædificatas, cum variis prædiis, anno* 698. *aut* 699.

DOmino sancto ac venerabili in Christo patri Willibrordo Episcopo (1) Irmina, in Christo Deo sacrata Abbatissa.

Dum ab omnibus non habetur incognitum, quòd ego, inspirante misericordiâ Christi, pro consilio virorum Apostolicorum, Patrum nostrorum, Domini (2) Basini & Domini (3) Leotwini, Episcoporum, seu & pro consensu Sororum nostrarum Christo servientium, quæ nobiscum sunt congregatæ, Basilicas in nomine S. Trinitatis, vel in honore gloriosissimæ Virginis Mariæ, Genitricis Domini nostri Jesu Christi, seu & Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, vel ceterorum Sanctorum, in villa mea propria, quæ vocatur (4) Epternacus, sita super fluvio Sura, seu & Monasteriosum ibidem ad Monachos peregrinos conversandum, vel... pauperes ibidem alimoniam petendum, pro divino respectu, vel pro animæ meæ remedio construxi; & dum sanctitas & dilectio vestra erga me vel Monasterium meum assiduè agitur:

Igitur decrevi apud animum meum, ut vos de rebus meis propriis in aliquo consolari deberem; quod ita spontaneâ voluntate feci. Idcirco dono vobis, donatumque esse volo, memoratas Basilicas Sanctorum, ad gubernandum vel dominandum.

Itemque dono vobis ad supradicta loca Sanctorum, portionem meam in ipsa Villa Epternaco, hoc est, quamtumcumque ex successione paterna vel materna mihi obvenit, tam in domibus quàm ædificiis, mansis, mancipiis, vineis, terris, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, seu & pastores vaccarios, porcarios, vervecarios, cum gregibus eorum, vel cum appenditiis suis, id est, Badalingo, Mathofovillare, vel portionem nostram in Oxiuvillare; exceptis hominibus illis, quos

(1) DE S. Irmina, Abbatissa ac Fundatrice Monasterii Horreensis in Urbe Treverensi, itemque de Willibrordo fusè deserui in Fastis & Annalibus Belgicis.

(2) Basinus. Primùm Abbas S. Maximini Treverensis, pòst Archiepiscopus Treverensis.

(3) Leotwinus, seu Leodewinus, nisi fallor, fuit Avunculi sui Basini Successor in Episcopatu seu Archiepiscopatu Treverensi: quem alii nuncupant Ledwinum seu Lutwinum, & scribunt fuisse Abbatem ac Fundatorem Monasterii Mediolacensis. Vivente autem Avunculo suo, potuit Leodewinus seu Ledwinus fuisse Episcopus, ad conversionem gentilium ordinatus, more illius ævi.

(4) Epternacus. Est illic hodie celebris Abbatia Benedictinorum, de qua vide infra Origines Benedict.

quos per epiſtolas noſtras ingenuos relaxavimus.

SIMILITER dono vobis, vel ad ſupradictas Baſilicas, vineæ pedecuram unam in (5) monte Viennenſi, cum vinitore, nomine Alitfrido, cum omni peculiari ſuo.

ISTA omnia, ut dixi, ad ipſa loca Sanctorum, vel vobis, à die præſenti, tradimus atque transfundimus, ad gubernandum vel ad dominandum: eâ ratione, ut quidquid de re ſuperiùs memorata in Dei nomine facere volueritis, liberam & firmiſſimam in omnibus habeatis poteſtatem.

NAM ſi quis contra hanc Chartulam donationis meæ venire tentaverit, inferat fiſco auri libras decem, argenti pondo viginti, manente nihilominus firmitate.

ACTUM Treveris, (6) ſub die Kalend. Novembris, (7) anno IV. Domini noſtri CHILDEBERTI Regis.

EGO Huncio in Chriſti nomine Presbyter hanc Chartulam donationis, jubente Dominâ meâ Irminâ, perſcripſi: & ipſa ſubter manu propriâ, unà cum teſtibus, firmavit, & qui ſubſcripſerunt, in præſenti rogavit.

Ego IRMINA in Chriſti nomine hanc donationem relegi.
Baſinus Epiſcopus.
Leodowinus Epiſcopus.
Theodefridus Presbyter.
Waltharius Diaconus.
Gangbertus Presbyter.
Hudubertus Presbyter.

(5) VIENNENSI monte. Deſignatur Vianen ſeu Vianden Oppidum, in ditione Luxeburgenſi, Comitatûs titulo clarum, ad gentem Naſſaviam pertinens: ut ſuprà pag. 219. dixi.

(6) SUB DIE Kal. Novembris. Theofridus Abbas Epternacenſis, in ms. hiſtoria S. Willibrordi, dicit, in Kalendis Decembris.

(7) ANNO IV. Childeberti. Annus quartus Childeberti Regis occupat partim annum Chriſti 698. partim annum 699.

Cæterùm Irmina dedit S. Willibrordo portionem ſuam in Villa Epternaco, hoc eſt, medietatem Oppidi Epternacenſis: cujus Oppidi muris incluſa eſt illuſtris Abbatia Monachorum Benedictinorum, S. Willibrordi nomine & ſacris oſſibus clara.

Alteram dicti Oppidi medietatem Pipinus Herſtallius, Major Domus Regiæ, dedit eidem S. Willibrordo, anno XII. regni ejuſdem Childeberti: ut citato loco idem Theofridus narrat. Vide inferiùs Origenes noſtras Benedictinas.

CAPUT V.

CHILDEBERTUS *Francorum Rex Solemium, agri Fanomartenſis Villam, dat Monaſterio S. Dionyſii in Francia, anno 705. aut 706.*

CHILDEBERTUS Rex Francorum, Vir inluſter. Si aliquid ad loca Sanctorum vel Monaſteria, quæ pro opportunitate locis Sanctorum pertinent, præſtamus vel concedimus, hoc nobis ad laudem & æternam retributionem, in Dei nomine, profuturum confidimus.

IGITUR cognoſcat magnitudo ſeu * utilitas omnium tam præſentium quàm futurorum, quòd Nos Villa noſtra nuncupata (1) SOLEMIO, quæ ponitur in pago (2) Fanomartinenſe, ſuper fluvio Save, unà cum omni mercato vel adjacentia ſua, & quidquid Fiſcus noſter tam de garantia quàm de merceria ibidem tenuit, vel de qualibet couſtuma ibidem poſſiduit, etiam & oratorio illo ad (3) Crucem, quæ ſubjungit, ab ipſo termino de ipſa Villa Solemio, quæ eſt conſtructa in honore S. Martini, cum omnibus ſuis, quæ ibidem adſpiciunt, ubi MADALGISELUS ſervus noſter cuſtos præeſſe videtur, id eſt, tam terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, peculiis, præſidiis, gregibus & paſtoribus, farinariis, mobilibus & immobilibus, re exquiſitâ ad integrum, ut diximus, quidquid ad ipſam Villam adſpicere videtur, & uſque nunc ibidem Fiſcus noſter fuit, ad Baſilicam Domni Dionyſii Martyris, ubi ipſe pretioſus Domnus in corpore requieſcit, ubi Venerabilis Vir CHILARDUS Abba præeſſe videtur, ut diximus, cum omni integritate ad ipſam Villam pertinente vel adſpiciente, plenâ & integrâ gratiâ, jure proprietario, ſub emunitatis nomine, tum omnes redibitiones ſibimet conceſſas, ad opus ipſius Domni Dionyſii, vel omnis congregationis ſuæ ibidem conſiſtentis, ſicut viſi fuimus ſibi conceſſiſſe, adeoque per præſentem præceptionem decernimus ordinandum, quòd in perpetuum volumus eſſe manſurum.

* Fortè vilitas.

UT neque vos, neque juniores ſeu ſucceſſores veſtri, nec quilibet de judicaria poteſtate de prædicta

DIploma iſtud CHILDEBERTI II. Regis Francorum recitant Jacobus Guiſius in Mss. Hannoniæ Annalibus, & Jacobus Doubletius in Hiſtoria Abbatiæ S. Dionyſii in Francia, Pariſiis anno 1625. edita.

CHILDEBERTUS porrò anno 694. regnare cœpit, & anno 711. vivere deſiit. Quo regnante, hoc eſt, circa annum 697. S. Willibrordus fuit creatus Friſonum Archiepiſcopus: ut Beda tradit in Hiſtoria Anglorum.

(1) SOLEMIUS, vel Solennus, Villa in pago Fanomartenſi, eſt hodie Vicus Hannoniæ, vulgò *Solesmes* nuncupatus. Colvenerius putat pertinere hodie ad Archiepiſcopum Cameracenſem, eumque emiſſe à Religioſis S. Dionyſii.

(2) De FANO MARTIS, *Famars*, & Pago Fanomartenſi ſeu Fanomartinſi, juxta Valencenas, vide ſupra pag. 9. in Notis.

(3) AD CRUCEM, Crux Hannoniæ vicus, Gallicè *la Croix*.

(4) CHILARDUS Abbas, Jacobo Guiſio Tailardus.

prædicta Villa Solemio, ficut usque nunc Fiscus noster sperare potuit, ad partem prædictæ Basilieæ Domni Dionysii, nec ad agentes suos, nullâ repulsione, nec ullum impedimentum exinde facere non præsumatis, sed, ut diximus, ex munere nostræ largitatis ipsa Villa SOLEMIUS cum omnibus integretur vel solidetur, unà eum adjacentiis suis ad se pertinentibus vel aspicientibus, unàque eum suprascripto Oratorio S. Martini ad Crucem, cum eo quod ibidem adspicitur, pars ipsius Basilieæ Domni Dionysii, vel omnis ipsa Congregatio sua, omni tempore, sub emunitatis nomine, jure proprietario, absque cujuslibet refragatione aut impedimento habeat: utque concessa atque indulta ad ipsam Basilicam Domni Dionysii Martyris, & futuris, Deo auxiliante, temporibus proficiant in augmentis.

ET ut hæc præceptio firmior fit, manus nostræ subscriptione subter eam decernimus roborare.

Signum CHILDEBERTI Regis.

Cancellarius Bralamo, jubente Domno Rege, subscripsit.

DATUM Confintisce, Martii die XII. anno verò XII. Regni nostri. 705. seu 706.

Mamarctas in Dei nomine recognovit feliciter, amen.

CAPUT VI.

CAROLUS MAGNUS *Rex Francorum, & pòst Imperator, Lisidunam Bataviæ Villam dat Cathedrali Ecclesiæ Ultrajectinæ, S. Martino sacræ, anno 780.*

Correctum ex Historia Ultraject. Wilhelmi Hedæ.

KAROLUS Dei gratiâ Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum...... Si enim ex his quæ divina pietas nobis largiri dignata est, locis venerabilibus concedimus: hoc nobis ad æternam beatitudinem procul dubio pertinere confidimus.

IDEO compertum sit omni fidelium nostrorum magnitudini, qualiter donamus ad Basilicam (1) S. Martini, quæ est constructa in Trajecto veteri subtus (2) *Dorestado*, ubi Venerabilis Vir (3) ALBRICUS Presbyter atque electus Rector præesse videtur, hoc est, Villam nostram nuncupante (4) *Lisiduna*, in pago qui vocatur *Flebite*, super alveum (5) *Hemi*, cum omni integritate vel adjacentiis seu appenditiis suis, id est, cum terris, mansis, domibus, ædificiis, mancipiis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, omnia, & ex omnibus quantumeunque WIGGERUS Comes ibidem per nostrum beneficium tenuit, etiam & forestas illas, quarum vocabula sunt, *Hengestschote*, *Fornhese*, *Mokoroth*, *Widock*, quæ sunt de ambabus partibus *Hemi*.

SIMILITER donamus ad Basilicam S. Martini, Ecclesiam quæ est super *Dorestad* constructa, & vocatur (6) *Ubkirika*, de omnique parte centum perticas terræ, ut omni tempore prædicta Basilica spacium terræ centum perticas habere debeat, & cum ea (7) ripaticum illum super Lockiam & (8) Insulam illam prope ipsam Ecclesiam ad partem Orientalem inter Rhenum & Lockiam.

HÆC verò omnia tradimus à die præsenti ad præfata sancta loca perpetualiter possidendum.

IDEO hanc præceptionem authoritatis nostræ scribere jussimus, ut ab hac die jam memoratus Albricus Presbyter sive Successores, qui

Additio. HOc Diploma retulit *Aub. Miræus* in priore horum Diplomatum Belgicorum editione, ex Annalibus Genealogicis Familiæ Comitum de Lynden & Reckhem, Authore *Christophoro Butkens* S. Salvatoris Antverpiæ Ordinis Cisterciensis Prælato. Sed mutilatum atque corruptum est: extat autem integrum & genuinum apud *Wilhelmum Heda* in Historia Episcoporum Ultrajectensium ab *Arnoldo Buchelio* illustrata, pag. 42. qui has Notationes ad illud Diploma adjecit.

Donatio hæc continet omnem tractum circa Hemum fluvium, ubi Emersfurt (nunc *Amersfortum*) Leuiden usque ad Dorestadum, Forestas quas *Wildernissen*, aut *Veenen* vocant, quæ prope Amerongen, Elst, Wageningen, Eede adhuc conspiciuntur: in quibus Episcopi Trajectenses, aut eorum donatione Præpositus S. Joannis, maximè in Eede, Wageningen & Weelchmourhoutius, &c. decimas habent.

At hoc Diploma nuper quidam impostor (designat hîc Prælatum *Butkens*) ut magno alicui Viro * blandiretur, corrumpere & pervertere non dubitavit, & pro *Lisiduna*, *Lindiniam* reponere, qui locus est in Betua; quales sanè homines pestes sunt in antiqua Historia, & odio omnibus veritatis antiquæ amatoribus esse debent. *Ita Buchelius, loco supra citato.*

* Comiti de Reckhem.

(1) S. MARTINI. Basilica est Cathedralis in Trajecto inferiore, ad veterem Rheni alveum, quod hodie Ultrajectum vocant, *Utrecht*.

(2) DORESTADUM, seu Dorestatum, *Wyck te Duerstede*, Oppidum ditionis Ultrajectinæ ad eundem Rheni veterem alveum.

(3) S. ALBERICUS, seu Albricus. Episcopus Ultrajectinus, à nobis laudatur in Fastis Belgicis 14. Novembris.

(4) LISIDUNA, vulgò *Leusden*, non Lindinia, uti supposuit Prælatus Butkens in Annalibus Genealogicis Familiæ Lindanæ.

(5) HEYM, postea dictum est *Aeymenberch*.

(6) UBKIRIKA, id est, superior Ecclesia, quæ supra Dorestadum erat: quem verò hisce verbis locum designet, prorsus ignoro.

(7) RIPATICUM ILLUM SUPER LECKIUM. Ripaticum esse puto, quod pro conservanda vel munienda ripa debetur vectigal.

(8) INSULAM ILLAM. Signantur hîc Pagi; *Doorne* & *Cothen*, qui sunt inter alveum antiquum *Rheni* & *Lecca*. Nam cum Rhenus olim à parte Orientali de *Dorstadt* Trajectum versùs inter Villas Thorne, Wercunde, Odike, & Vechte fluxerit, Lecca verò parvo tantùm rivulo infra Dorestadum ad occasum perrexerit, tanquam in Insula omnes prædictas & adjacentes Villas complexus est.

qui fuerint Rectores ejusdem sancti loci, prædicta loca ad opus jam dictæ Basilicæ habeant, teneant, gubernent, regant, atque disponant, & quicquid exinde ad profectum ipsius sancti loci facere elegerint, libero perfruantur arbitrio.

Et nullus quislibet de Judiciaria potestate, aut quælibet persona prædicto Albrico Presbytero, neque Successoribus suis de jam dictis rebus inquietare aut contra rationis ordinem, vel calumniam generare quoquo tempore præsumant, sed per nostrum largitatis præceptum prædicta Basilica jure valeat obtinere firmissimo.

Et ut hæc authoritas firmior habeatur, vel diuturnis temporibus conservetur, manu propriâ subter eam decrevimus roborare, & de annulo nostro jussimus sigillari.

Signum Karoli gloriosissimi Regis. Data VII. Idus Junii, Anno nono ejusdem gloriosissimi Regis. Actum (9) Numaga Palatio publico, in Dei nomine feliciter. 780.

(9) Numaga, seu Neomagi ad Vahalim fl. in Geldria Carolus Magnus Imperator Palatium ædificavit, teste Eginharto. Ibidem Pascha anno 777. celebravit, Regioone teste.

CAPUT VII.

Ludovicus Pius *Imperator dat Maricolensi Benedictinorum Monasterio, in Hannonia sito, Villam Salsigniacam, anno* 821.

Rege Regum ac Domino Dominantium disponente, & ordinante ac auxiliante, Ludovicus Rex Francorum omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ suique Regni fidelibus.

Notum fore volumus instantis ævi & futuri Deo nobisque devotis fidelibus, nostræ Celsitudinis expetiisse præsentiam nobis carissimum Comitem (1) Arnulphum, ac subjecisse, quomodo nostrâ pietate concederemus (2) S. Humberto Confessori aliquam Villam, famulis prædicti Sancti congruam.

Præfati igitur nobis dilectissimi Comitis Arnulphi pio & utili hortatu compulsi, magis magisque animo commoti, agnoscentes profuturum nobis esse ac Regno, si de rebus nostris loca Sanctorum honoraremus,

Idcirco tradimus ad Monasterium, quod dicitur (3) Maricolas, quod est constructum in Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quoque Apostolorum Petri & Pauli nomine atque honore, ubi etiam jam dictus Dominus Confessor Humbertus quiescit corpore, in Pago (4) Hainoensi super fluvio (5) Sambra, villulam nomine Salsigniacas, mansos XXII. habentem, cum Ecclesia, ædificiis, culturis, pratis, silvis ac mancipiis, & omnibus ibi adspicientibus, sub testimonio fidelium nostrorum, loco supradicto transfirmamus, atque perpetualiter habenda Regali auctoritate concedimus.

Ne ergo nostri aliquis Successor, alicujus malivoli susurratione corruptus....quia, ut scriptum est, *Corrumpunt colloquia mala mores bonos*, jussimus nostræ benignitatis dignum opus litteris mandari: ne quis tyrannus vel .... prædicti Cœnobii umquam audeat auferre Fratribus illic servientibus res scilicet prælibatas, sed in eorum potestate perpetuò & servitio, absque ullius murmure.....

Et ut hæc nostræ largitionis Charta majorem ac firmiorem per diuturna tempora obtineat stabilitatem, nomine eam proprio decrevimus firmari, & decretum Regale annulo nostræ auctoritatis sigillari.

Actum Aquisgrani, Palatio Regali, anno V. Imperii Ludovici piissimi Augusti, indictione XIII. Kalendis Maii. 821.

C A-

Additio. Jacobus Guisius Montensis, Doctor Theologus ex Ordine S. Francisci scripsit Chronica, sive Annales Hannoniæ, quæ Montibus Hannonię apud Franciscanos Manuscr. tribus tomis comprehensa pridem legebantur, quæ igne consumpta sunt in obsidione Montensi anno 1691. Porrò ex his Manuscriptis Annalibus lib. 14. cap. 23. desumpsit Aubertus Miræus Diploma jam citatum. Obiit Guisius anno 1398.

Additio. (1) Arnulphus, creditur fuisse Comes Cameracensis & Valentianensis, & filius Isaaci Comitis: de quo in Codice Donationum piarum cap. 31. in Notis. *Ita habet Historia Urbis Valencenensis, Auctore Petro Oultermanno, anno* 1639.

(2) S. Humbertus, in peregrinatione Romana & Prædicatione Evangelica fuit socius S. Amandi Tungrensis Episcopi; & quiescit in Maricolensi Cœnobio, à se fundato: ut supra Cap. 5. Cod. Donat. Piarum in Notis, & in Fastis Belgicis explicui.

(3) Maricolas, vulgò *Maroilles*, in Hannonia prope Landresium, ubi insignis est Abbatia Benedictinorum, de qua vide supra Cap. 5. 27. & 28. in Codice Donationum Piarum.

(4) Hainoensis, vel Hagiooensis Pagus, vulgari linguâ *Le pays de Hainau*, Latinè Comitatus Hannoniæ, nomen accepit ab Haina vel Haginoa fluvio, qui Provinciam interfecat, & illius Metropolim, Montes Hannoniæ nuncupatam, perluit.

(5) Sambra fluvius, Julio Cæsari Sabis, *Sambre*, Mosæ miscetur Namurci.

CAPUT VIII.

LUDOVICUS PIUS *Cæsar, petente Juditha conjuge suâ, Isernam & Thorenselam, Villas Monasterii Rotnacensis (quod nunc est Capitulum Canonicorum) anno* 831. *concedit Hildefrido Viro nobili.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. LOUDOVICUS, Divinâ ordinante clementiâ.... omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum esse volumus;

QUIA dilecta conjux nostra JUDITH suggesserit Serenitati nostræ, pro quodam homine suo, nomine HILDEFRIDO, ut ei per nostræ auctoritatis conscriptionem..... illud quod pater suus nomine Luitfredus, ex rebus Monasterii quod dicitur (1) RODENACUM, per concessionem & mansuetudinis largitionem diu habuit,

ID est, villam quæ dicitur (2) Iserna, cum molendinis duobus, & aliam villam quæ dicitur Thorensel, cum territoriis & silvis, aquarum decursibus, & de eodem forestо, qui est in Iserna, ad porcos XV..... dum ad vivet, similiter per nostræ concessionis confirmationem habere debuisset:

EJUS quoque suggestioni libenter annuimus, & hanc nostræ auctoritatis conscriptionem fieri, eidemque Hildefrido dare decrevimus.

PER quam omnibus Rectoribus ejusdem Monasterii, præsentibus scilicet & futuris, præcepimus, ut nullus eorum licentiam habeat memoratum beneficium ab eodem Hildefrido auferre, aut eum exinde quâlibet occasione privare, atque dispoliare:

SED liceat ei Abbati, cum omni integritate, diebus vitæ suæ, eum habere & possidere; Ita ut ad Missam S. Martini per singulos annos pastibus memorati Monasterii de argento solidum unum persolvat.

SI de ipso censu negligens inventus fuerit, cum lege sua eum restituat, & ipsum beneficium non amittat.

POST suum autem discessum, pars præfati Monasterii, absque ullius personæ consignatione, in suam faciat revocari potestatem.

ET ut hæc auctoritas nostræ præceptionis firmior habeatur, & à fidelibus atque Successoribus nostris meliùs conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

MEGINARIUS Notarius, ad vicem Thectonis, recognovi.

DATA II. Kalendas Februarii, anno, Christo propitio, decimo octavo Imperii Domini Loudovici, Serenissimi Imperatoris Augusti. 831.

(1) RODENACUM, hodie Rotnacum, Flandris *Ronsen*, Gallis *Renay*, amplum Comitatûs Flandriæ municipium, in Diœcesi Mechliniensi. In quo est MONASTERIUM, olim dictum *Rodenacum* (hodie sedecim Canonicorum Collegium) à S. Amando Tungrensi Episcopo inchoatum (ut Baldericus in Chronico Cameracensi lib. 2. tradit) & à Lothario Cæsare, pôst Monacho Prumiensi, prædiis auctum: ut ex Fastis & Annalibus nostris Belgicis constat.

(2) ISERNA. *La cense d'Iserie*, prope Athum.

CAPUT IX.

LOTHARIUS *Lotharingiæ Rex primus, Lotharii Imperatoris filius, anno* 860. *dat Monasterio S. Dionysii in Francia & Diœcesi Parisiensi, mansum unum ex fisco Valentianensi.*

IN nomine Omnipotentis Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. (1) HLOTHARIUS divinâ præveniente clementiâ Rex.

NOVIMUS Religione Christianitatis imbuti, omnia quæ ex facultatibus nostris, ob honorem & reverentiam gloriosorum Martyrum, sacris conferimus locis, ad sempiternam pertinere beatitudinem; eorumque piis interventionibus nos in præsenti sæculo suffragari, & à propriis absolvi delictis, minimè dubitamus.

COMPERIAT itaque omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium ac nostrorum, præsentium videlicet futurorumque industria, quia Werimondus, fidelis Excellentiæ nostræ ministerialis. nec non & Deodatus, Monachus & Archicustos Ecclesiæ S. Dionysii, ubi idem inclytus Martyr Christi corpore veneratur, ac Hludovicus, dilectus consanguineus noster, Abba & rector esse videtur, imploraverunt Sublimitatem nostram:

QUATENUS

(1) HLOTHARIUS, seu Lotharius, à quo Lotharingia nomen accepit, Lotharii Imperatoris pôst Monachi Prumiensis filius, primus Lotharingiæ Rex, ex Theutberga conjuge liberos non sustulit. Ex Waldrada concubina reliquit Hugonem, & Gislam, sive Giselam, Godefrido Normannorum Regi nuptam. Obiit an. 869. Placentiæ.

QUATENUS eidem Ecclesiæ ac B. Dionysio, aliquantulum ex rebus nostræ proprietatis, ad luminaria ipsius procuranda, more solito, per Præceptum Magnitudinis nostræ roboratum, concederemus in proprium.

NOS igitur saluberrimis implorationibus illorum assensum Culminis nostri præbentes, hos Regiæ dignitatis imperavimus apices fieri, per quos sancto & gloriosissimo Dionysio Martyri, seu venerabili loco, quo idem conditus habetur, (2) in Pago nuncupante Fanomartinse, super fluvium qui vocatur Scaltus, mansum unum ex fisco nostro (3) Valentianas, quem Valentinus nomine Fiscealinus ad deserviendum possidet, ipsumque cum uxore sua, & infantibus illorum, ob amorem Omnipotentis Dei ac Beatissimi Dionysii reverentiam, seu emolumentum animæ nostræ, ad proprium largimur, jure perpetuali inibi mansurum, ac de jure nostro & dominatione in potestatem ipsius loci tradimus atque transfundimus:

QUATENUS per hoc Eminentiæ nostræ Præceptum, præscriptas res & mancipia jam fata Ecclesia B. Dionysii perpetuis teneat atque possideat temporibus; faciatque jure proprietario quidquid elegerit vel voluerit deinceps, sine cujuslibet inquietudine aut repetitione.

TELONEUM insuper ex jam dicto manso, cum rivatico suo, concedimus, ut ex inde & ex dominio memoratæ Ecclesiæ S. Dionysii, sive Congregationis inibi Deo regulariter famulantis, nullatenus teloneum à quolibet exigatur.

ET ut hæc nostræ largitionis concessionisve auctoritas futuris temporibus inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ subterfirmavimus, & annuli nostri impressione jussimus assignari.

Signum HLOTHARII gloriosissimi Regis.

EGO ERCAMBOLDUS, Regiæ dignitatis Cancellarius, recognovi & subscripsi.

DATA VII. Kalendas Februarii, anno, 860.
Christo propitio, regni Domni Hlotharii gloriosi Regis quinto, Indictione octavâ.

ACTUM VALENTIANAS, Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, amen.

(2) IN PAGO Fanomartinse, seu Fanormatensi, ad Scaltum, seu Scaldim fluvium. Fanum Martis, hodie *Famars*, vicus est Hannoniæ, prope Valentianas. Pars Urbis Valentianensis, nobis Brabantis cis Scaldim, est in pago Fano-Martensi, ac Diœcesi Cameracensi. Altera pars, nobis trans Scaldim, est in Pago Ostrovandensi ac Diœcesi Atrebatensi, & subest Archidiacono Ostrovandiæ.

(3) VALENTIANÆ, seu Valentinianæ, à Valentiniano Imperatore sic dictæ, olim Palatium Regium (ut ex recitato Diplomate liquet) nunc Urbs Mercatu celebris ad Scaldim, proprios quondam Comites habuit, in his Arnulfum, de quo infra dicemus. Hodie vulgò pars Hannoniæ censetur.

CAPUT X.

CAROLUS CALVUS *Francorum Rex, Stephano Cameracensi & Atrebatensi Episcopo, ejusque Successoribus, anno* 863. *concedit legalis justitiæ disciplinam in Civitate Atrebatensi, & teloneum ac monetæ officinam in Lambris, petentibus Isaaco & Sigardo Comitibus.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. CAROLUS divinâ propitiante clementiâ Rex Francorum.

SI nostrorum petitiones fidelium benignè suscipimus, eorum procul dubio animos in nostra fidelitate solidamus.

QUAPROPTER omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, tum præsentium, tum & futurorum, religiositas noverit, quoniam adeuntes nostræ Dignitatis præsentiam, (1) ISAAC & SIGARDUS, Comites, humiliter precati sunt, ut concederemus cuidam Cameracensis Ecclesiæ Præsuli, venerabili Viro nomine STEPHANO, ejusque Successoribus, omnem, quam Regia Majestas habet, potestatem, scilicet legalis justitiæ disciplinam, excepto dumtaxat stipite, quo Comitis industria, (2) mallo accersito, justitiam Dei & Regis regaliter habet exhibere, in quodam loco juxta ac cis castrum trans fluviolum, qui dicitur (3) Criencio, ad eam scilicet plagam, qua Ecclesia Beatæ Genitricis Mariæ sita est, infra unius leucæ undique spatium.

QUORUM omnino petitionibus .... annuendo concessimus, sed in ejusdem castri pago, villa quæ fertur (4) *Lambris*, ultra citraque fluminis ripam, quod dicitur Scarpus, totum ejusdem villæ prædium, & ultra quantùm arcus jacere potest undique, ac teloneum (si quod ibidem fortè debebitur) sed & advenas

eo

(1) ISAAC. Comes Cameracensis: de quo Baldericus in Chronico Cameracensi, ut & de Stephano Episcopo.

(2) MALLO accersito. Hoc est, conventu seu comitiis indictis.

(3) CRIENCIO. Vulgò *Crinchon*, Fluviolus urbem Atrebatensem perluit.

(4) LAMBRIS. Vulgò *Lambres*, vicus Duaco oppido vicinus, ad Scarpum, officinâ olim monetariâ celebris. Hunc quondam Episcopus seu Ecclesia Cameracensis possedit: ut ex citato Balderici Chronico constat. Annis superioribus ad Collegam nostrum D. Silvestrum Pardo, Canonicum Antverpiensem, & hodie ad illius heredes pertinet.

eo loci commorantes, atque monetæ officinam simili modo donamus; ut amodo & in perpetuum modò dictos locorum ambitus, sub immunitatis nostræ tutela ac defensione, Deo dilectus & nobis fidelis jam dictus Episcopus, ejusque Successores, quieto ordine, absque ullius contradictione personæ, perpetuò possideant, & exceptâ omnium inquietudine Deo serviant, ac propriis utilitatibus vacent, atque nostro fideliter imperio pareant.

PRÆCIPIENTER ergo jubemus, ut nullus Comes, aut Vicecomes, vel quilibet ex judiciaria potestate, suprascriptorum spatia limitum ad caussas audiendas, aut freda exigenda, aut fidejussores tollendos, aut advenas distringendos, nostris futurisque temporibus ingredi audeat: sed quidquid exinde Fiscus noster acquirere poterit, totum pro nostræ animæ remedio, ac regni stabilitate, ejus Ecclesiæ profectibus delegamus, quò & ipsis utilitas temporaria, & Nobis Successoribusque nostris salubritas proveniat æterna.

ET ut hæc nostræ auctoritatis præceptio firmior in Dei nomine habeatur, ac per futura tempora meliùs conservetur, manu propriâ subterfirmavimus, & annulo nostro sigillari jussimus.

Signum CAROLI Regis gloriosissimi.

GOSELINUS* Regiæ dignitatis Notarius, * Vide supra pag. 33.
ad vicem HERIVEI * Archiepiscopi summique * Remensis.
Cancellarii, recognovit.

DATUM XI. Kal. Junii. Indictione XI,
anno XXIV. regnante Carolo Rege glorio- 863.
sissimo.

CAPUT XI.

CAROLUS CALVUS *Imperator Dononiense Monasterium, à S. Ragenfrede in Hannonia ad Scaldim fluvium, secundo lapide à Valentianis constructum, anno* 877. *instaurat, & prædiis jam olim possessis dotat, hortatu Gislæ Sororis suæ.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. KAROLUS misericordiâ Dei Imperator Augustus: omnibus Christicolis pax & salus.

PRO timore & amore Dei, multa loca Sanctorum, Deo propitiante, alia nova construximus, alia lapsa restauravimus.

QUAPROPTER sciat omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium tam præsentium quàm & futurorum industria, quoniam per carissimæ Sororis nostræ, (1) GISLÆ scilicet nomine, crebram admonitionem, ac per dilecti nepotis nostri supplicem postulationem, quin insuper & pro animæ nostræ perpetua salute, Abbatiam Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, nec non venerandæ Virginis (2) S. Ragenfredis, quam ex suis propriis prædiis ac vernaculis ipsa vivens construxit, sitam super Scaldis fluvii ripam, in prædio, quod nuncupatur Dononium, ad pristinum certamus restituere statum.

DECREVIMUS igitur, Dei timoris causâ, necnon & per deprecationem jam dictorum, has res reddere & confirmare per nostram magnificentiam, ad utilitatem (3) Fratrum Sororumque inibi Deo militantium, ut perpetualiter possideant quæ inferiùs scripta habentur.

REDDIMUS itaque, cum nostra omni confirmatione, Fratribus & Sororibus memorati Cœnobii, ipsum videlicet Dononium cum omni integritate, mansis scilicet LIII, cum molendinis & campis, & pratis valdè uberrimis, & in Pago Hainoginense Villam, quæ dicitur (4) Halcim, cum omni similiter integritate, mansos videlicet XXIV, cum molendinis & pratis, etiamque cum omnibus familiis inibi degentibus.

IN eodem quoque Pago (5) Villam quæ dicitur Teonis, cum omni integritate, mansos videlicet XXXIV. In Villa verò quæ dicitur Salcem ejusdem Pagi mansos XIV, cum silva quæ vocatur (6) Ambligia. In præfato quoque Pago, in Villa Galdeciatas nuncupata, mansos VII, necnon & terram arabilem.

QUIN insuper statuendo sancimus, omnimodam decimam tam de Villis indominicatis, quàm

(1) GISLA. Ludovici Pii Imperatoris filia, Caroli Calvi Soror, S. Everardi Comitis & Fundatoris Cisoniensis uxor, & multarum ex eo prolium genitrix. Codicem Donationum Piarum Cap. 15. consule.

(2) S. RAGENFREDIS, ejusque Mater S Regina, Monasterium Dononiense, *Denain*, condiderunt: ut in Fastis Belg. 1. Julii explicui.

(3) FRATRUM Sororumque. Dononium (ut Marchianæ, Hasnonium, & alia multa Germaniæ inferioris ac superioris Monasteria) fuit olim utriusque sexûs Cœnobium: sed muris & claustris prorsus distincta erant ædificia pro quoque sexu.

De Dononio ita Baldericus lib. 2. cap. 28. in Chronico Cameracensi: In vico Duneng Beata Rainfredis ex sui juris rebus Cellam fundavit, & Sanctimonialibus constitutis, ipsa etiam Abbatissa regimonium duxit. Hanc autem postea, incumbente inopiâ, inclinatam pauci Canonici incolebant: donec consilio Gerardi Cameracensis Episcopi, & Leduini Abbatis Vedastini, Balduinus Comes ad pristinum statum restituit, ibique Monialibus regulariter institutis, Abbatissam, nomine Ermentrudem, præfecit. *Hactenus Baldericus.*

(4) HALCIM, fortè *Haucin* hodie.

(5) VILLA TEONIS, fortè *Tun* sive Thun, ad Scaldim, versus Cameracum.

(6) AMBLIGIA. Vicus & silva Hannoniæ, prope Crispinium. *Amblise*; cujus etiam mentio fit in vita S. Landelini Abbatis & Fundatoris Crispiniensis. Ambligiæ titulum Principatûs nonnulli adscribunt, & possidetur hodie à Principe de Ligne.

quàm de beneficiis, ex omni Abbatia, ad usus Fratrum & Sororum æternaliter largiendam.

Ipsius verò loci senior, quidquid ad opus Ecclesiarum vel ædificiorum præfati Cœnobii necessarium fuerit, ante omnia & super omnia, secundùm Dei amorem, provideat, ac providendo largiter suppleat.

Et ut æternaliter conserventur inviolabiliter, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione insigniri jussimus.

Actum est hoc anno ab Incarnatione Do-
877. mini nostri Jesu Christi DCCCLXXVII. Idibus Augusti, Indictione x. anno xxxviii. Regni Karoli Regis in Francia, & Imperii ejus ii.

Signum Karoli gloriosissimi (7) Imperatoris.

S. Norberti.

S. Gerlonis.

S. Willelmi.

S. Rodulphi ejus nepotis.

S. Bernardi.

..... Notarius scripsi, Pandiaco Palatio Regali, amen.

(7) Imperatoris. Ergo hoc Diploma non est Caroli Simplicis (ut putat Colvenerius) qui non fuit Imperator.

CAPUT XII.

Arnulphus *Imperator & Rex Germaniæ ac Lotharingiæ, Trajectensem S. Servatii Abbatiam (quæ nunc est Ecclesia Collegiata) tradit Rathbodo Treverensi Archiepiscopo, anno* 889.

Auctius & correctius editum ex Annalibus Trevirens.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Arnolphus divinâ ordinante clementiâ Rex.

Si fidelium nostrorum petitionibus aurem Serenitatis nostræ accomodamus, opemque ex supernæ largitatis commodo eis præbere studuerimus, ad perennis vitæ salutem feliciter obtinendam, hoc nobis profuturum esse, liquidò credimus.

Quapropter comperiat omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium, præsentium scilicet ac futurorum solertia, quoniam Rathbodus Venerandus Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus, adiit culmen Serenitatis nostræ supplicans, ut quandam Abbatiam S. Servatii Confessoris, quæ vocatur *Trajecta*, in Comitatu *Moselant* nuncupato consistentem, ad Ecclesiam S. Petri Principis Apostolorum, quæ constructa stat in Civitate Trevirensi, ubi Principalis Episcopii sui Sedes esse dignoscitur, ad honorem Dei Sanctorumque ejus ibidem quiescentium, traderemus. Statimque nos congruæ ejus suasioni ob reverentiam sui gratanter satisfacientes, decrevimus ita fieri.

Dedimus quoque eandem Abbatiam cum universa integritate sua ad præfatæ Sedis Ecclesiam, in beatæ memoriæ Luduici Regis Avique nostri, necnon Carolomanni Genitoris nostri, Patruorumque nostrorum, videlicet Luduici & Caroli Christianissimorum Regum, animæque nostræ perpetuam commemorationem, cum Ecclesiis, curtibus, ædificiis, familii, mancipiis utriusque sexûs, decimis, vineis, viis & inviis, exitibus & reditibus, cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, mobilibus, & immobilibus, & cum universis appendicibus & adjacentibus suis.

Hæc itaque universa per hoc præsens autoritatis nostræ Præceptum ad sæpè nominatam Sedem æternaliter retinenda donamus, & tradimus, eâ scilicet ratione, ut præfatus Episcopus Successoresque illius, similem perpetuis temporibus ex prælibata Abbatia habeant potestatem, veluti de cæteris ejusdem Episcopatûs causis, juxta utilitatem ipsius Ecclesiæ, cuncta, prout illis placuerit, securè disponere, quatenùs Rectores ejusdem Sedis cum omni Clero eorum regimini subjecto, tam pro nobis, quàm pro antedictis Prædecessoribus nostris, divinam misericordiam semper exorare delectet.

Ut autem hæc Donationis nostræ autoritas nullo unquam Successore nostro irrumpente, solidissimam in Dei nomine per omnia mundi volventis sæcula obtineat stabilitatem, munimine nostro roborata, manu nostrâ subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione jussimus sigillari. Signum Domini Arnolphi largissimi Regis.

Anspertus Cancellarius ad vicem Theomari Archicapellani, recognovi. Data Kalend. Julii. Anno Dominicæ Incarnat. octingentesimo 889.
octuagesimo nono, Indictione VII. Anno secundo regni Domini Arnolphi piissimi Regis. Actum * Franckenvurt, Palatio Regali, in Dei nomine feliciter. Amen.

* Francofurtum ad Mœnum.

Arnulphus Imperator prope Lovanium anno 891. centum plùs minùs millia Normannorum occidit. Ex Uta conjuge filium reliquit Ludovicum, suum in Imperio Successorem, qui postremus Cæsar ex Caroli Magni Stirpe apud Germanos fuit. Ejusdem Arnulphi filius naturalis fuit Zuendeboldus Rex Lotharingiæ, cujus Diplomata varia sequentibus capitibus producam.

CAPUT XIII.

CAROLUS SIMPLEX, *Francorum Rex, Franconi Leodicensi Episcopo possessiones quasdam, vi ablatas, anno* 894. *restituit, Adeleide Matre & Fulcone Remorum Archiepiscopo petentibus.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, CAROLUS misericordiâ Dei Rex.

SI justitiam Dei verè diligimus, & aures nostræ pietatis justis accommodare petitionibus certamus, morem, ut decet, Regium frequentamus, & ex hoc in futuro remunerari omnino credimus.

QUAPROPTER notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus quàm & futuris; quoniam nostræ genua Serenitatis adiens Dominus FRANCO venerabilis Episcopus, reclamavit se de quibusdam rebus, de fisco scilicet Arceias, in pago Portunensi sito, quas etiam ab Eva, Chunradi quondam muliere, per precariam acceperat, quòd vi atque violentiâ, sibi ac Ecclesiæ suæ fuissent ablatæ.

QUOD ergo ut verum comperimus, ob Dei amorem & S. Lamberti, remediumque animæ nostræ, perque deprecationem carissimæ & venerabilis Genitricis nostræ ADELEIDIS, ac Domini FULCONIS Remorum Archiepiscopi, Præceptum nostræ auctoritatis & hoc fieri, & ei dari jussimus;

PER quod jubemus atque præcipimus, ut nemini mortalium liceat, quoquo modo, ab eo vel ab Ecclesia sua, Successoribusque suis prædictas res.... cum omni integritate, veluti continetur in præfata precaria.....

QUÆ ab hodierna die & deinceps habeant, teneant, possideant, vel quidquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus, sicut de aliis suæ Ecclesiæ rebus, habeant potestatem faciendi.

ET ut hæc nostræ auctoritatis largitio, per successura annorum curricula, rata & inconvulsa permaneat, manu propriâ eam subter firmavimus, & annuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum CAROLI gloriosissimi Regis.

RAUBERTUS Notarius, ad vicem *ANSKERICI Cancellarii, recognovit. *Fuit Parisiensis Episcopus

DATUM anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo nonagesimo quarto; anno quoque, regnante Carolo, secundo, Indictione duodecimâ, VI. Kalendas Octobris. Actum (1) Attiniaco. 894.

(1) ATTINIACUM Palatium: de quo vide supra Lib. 1. Diplomatum Belgic. cap. 16.

CAPUT XIV.

ZUENDEBOLDUS *Lotharingiæ Rex, Monachis S. Dionysii in Francia, propè Parisios, anno* 896, *restituit Salonam Abbatiolam, in Saliensi Pago sitam, petente Raginero I. Hannoniæ Comite.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. ZUENTEBULCHUS divinâ procurante clementiâ Rex.

CONDECET ergo nos, qui Regiâ potestate sublimamur, maximè Dei timorem cunctis mortalibus anteponere negotiis, & loca, quæ Antecessores nostri ad honorem Dei construxerunt, præ ceteris sæcularibus rebus amare, atque conservare; quia, ut credimus, ex hoc & Dominus nobis magis placatus existit, ob cujus amorem hoc facimus, & honorem Sanctorum ejus, quorum merito veneramur obsequia.

QUAPROPTER ad notitiam perveniat universis Dei Ecclesiarum credulis, qualiter Congregatio Beati Martyris (1) Dionysii sociorumque ejus, ad nostram Sublimitatis clementiam mittens quemdam suorum fratrum reclamare, propter res quas Antecessores nostri aut alii religiosi homines, ob sui salutem, suprafatis Martyribus, ad luminaria, & ad Fratrum utilitatem, & ad pauperum curam, ipsiusque loci honestatem, dederunt, quæ in nostro regno sitæ sunt.

QUORUM reclamationem nos obaudientes, ob interventum fidelium nostrorum Odoacri & Raginharii, reddidimus eis quamdam Abbatiolam, sitam in Saliensi Pago, Salonam nomine, ad supradictos usus, cum omnibus ejus appendiciis.

EX qua Abbatiola, nos rogaverunt, duas villas specialiter concedere, ad luminaria & pauperum curam, Sulciam videlicet & Barnuvillam, cum omnibus appendiciis earum.

QUOD nos consentientes, pro nostræ animæ salute Antecessorumque nostrorum, fieri

(1) BEATI DIONYSII Congregatio, in Diœcesi Parisiensi, est Monachorum Benedictinorum: de qua vide suprà cap. 1. 5. & 9.

decrevimus, nec non & decimarum illius Abbatiolæ omnem decimatum concessimus, velut in omni Abbatia Sancti Dionysii agitur, ipsis petentibus, ad usus pauperum & matricularıorum S. Privato quotidie servientium, & oblationes quotidie offerentium, pro communi utilitate concessimus.

Et nullus umquam dominator adveniat, qui hoc infringere audeat: quod si aliquis proterviter hanc eleemosynam infringere incipiat, protenùs in iram Dei Sanctorumque ejus incurrat, ad quorum loca hanc concessionem fieri decrevimus.

Et ut breviter concludam, anathematis vinculis ligatus, nisi resipiscerit, hìc & in ævum permaneat: præsens tamen editio firma stabilisque permaneat.

Quod ut credibilius sit cunctis in Dei nomine credentibus, manu propriâ firmavimus, annulique nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domini Zuentebulchi gloriosissimi Regis.

Waldgerus Notarius, ad vicem Ratpoti Archiepiscopi, summique Cancellarii, recognovit.

Data XI. Kalendas Februarii, anno Incarnationis Domini octingentesimo nonagesimo sexto, Indictione decimâ quartâ, anno verò regni Domini Zuentebulchi primo. Actum in Suuetchusa, in Dei nomine feliciter, amen. 896.

CAPUT XV.

*vide supra cap. 14.

Zuendeboldus *Lotharingiæ Rex*, ** Abbatiam S. Servatii, quam Raginero I. Hanoniæ Comiti in Precariam concesserat, eidem adimit, & Rathbodo Treverensi Archiepiscopo reddit*, anno 898.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) Zuendeboldus divinâ clementiâ Rex.

Si more Prædecessorum nostrorum, Ecclesias Christi variè honoramus, credimus hoc ad profectum corporis & animæ pertinere; ideoque noverit omnium fidelium nostrorum præsentium ac futurorum prudentia, qualiter venerabilis Genitor noster Arnolphus, Treverensi Metropolitanæque Sedi ad S. Petrum Principem Apostolorum quandam Abbatiam potestativo jure contradidit, ubi Rathbodus reverendissimus Archiepiscopus esse videtur.

Quam postquam ad nos primitus, Deo, Patreque nostro concedente, Regni sublimitas pervenit, ob fallentium ora, qui præfatum Episcopum, totamque illius tuitionis Congregationem hoc velle narraverant, injustè (2) Reginario (3) in precariam concessimus.

Quo ita gesto, nostrorum ineuntes consilium, placitum generale Aquisgrani Palatio fieri, fidelesque nostros illuc venire statuimus; quo & memoratus Archiepiscopus Rathbodus veniens, se ad nostram reclamavit Dominationem, quòd jam dicta Abbatia de præfata Sede, illo, cæteraque Congregatione nesciente, injustè fuisset adempta.

Quod nos circum cogitantes, ne fortè incurreremus periculum in futuro, ipsam Abbatiam cum consilio, & judicio omnium nostrorum videlicet Episcoporum & Comitum antedictæ Sedi Trevirensi, reddidimus; quæ est in Pago Mosellant, vocabulo Trajecta, quæ in Beati Confessoris Servatii honorem consecrata est, ipsique eundem Episcopum investientes coram multitudine populi recipimus, ut ne ulterius, ipsius vel succedentium temporibus alicui per precariam concedatur.

Quod si alicujus succedentium illius temporibus eveniat, anathematis ambo, & qui dat, & qui accipit, vinculis ligati, in æternum permaneant. Quod ut firmius habeatur, ipsi firmavimus, annuloque nostro insigniri jussimus.

Signum Zuendeboldi gloriosissimi Regis.

Waltgerus Notarius ad vicem Rutgeri Archiepiscopi Archique-Cancellarii recognovi. Data tertio Idus Maii ipsâ die festivitatis S. Servatii, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo nonagesimo octavo, Indictione primâ, anno IV. Regis piissimi. Actum Aquisgrani Palatio. Investituræ verò in ipso Trajecto. 898.

Aliud ejusdem Zuendeboldi Regis Diploma.

Zuendeboldus Divinâ præordinatione Rex..... Noverit omnium fidelium notitia, qualiter de Abbatia S. Servatii Trajectensis Monasterii, in Pago Hasbaniense, juxta Mosam & in Comitatu *Maseland*, quam Genitor noster Arnulphus ad Ecclesiam B. Petri Treverieæ Sedis tradiderat, Rathbodus ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus in generali placito nostro querelosis precibus proclamavit, plangens eam à Recenario, sub obtentu precariæ, contra libitum suum suorumque fidelium usurpatam.

Nos verò ipsam Abbatiam memoratæ Ecclesiæ reddidimus..... Data III. Idûs Maii.... *Ut suprà.* 898.

(1) ZUENDEBOLDUS, Arnulfi Imperatoris filius naturalis, anno 895: ab eodem Rex Lotharingiæ creatus (teste Reginone) anno 897 duxit ODAM, Odonis sive Ottonis Francorum Regis filiam; & ex ea genuit *Benedictam* & *Caciliam*, Susterenses ex ordine Abbatissas, in Ducatu Juliacensi. Quod Monasterium, à Pipino Herstallio anno 714. operâ S. Willibrordi inchoatum, idem Zuendeboldus postea auxit, & tumulo suo sepulcrali anno 900. celebrius reddidit.

(2) REGENARIUS, seu Raginerus I. Hannoniæ Comes anno 876. Rolloni Normannorum Duci, in Walachriam Zelandiæ insulam irrumpenti, fortiter restitit, ab eodem postea anno 878. Condari in Hannonia captus, & paulò post dimissus: ut Dudo libro 2. & Gulielmus Gemeticensis libro 2. cap. 8. testantur. Adhæsit primùm Zuendeboldo Lotharingiæ Regi, pôst ab eo malè habitus ad Carolum Simplicem, Francorum Regem, anno 898. transiit: ut idem Regino fusè narrat. Ex ALBRADA tres reliquit filios, *Gislebertum* Lotharingiæ Ducem primum, *Raginerum* II. Hannoniæ Comitem, & *Lambertum* Comitem Lovaniensem, itemque filiam unam Berengario Lomensi seu Namurcensi Comiti nuptam. Obiit anno 914. & exequiis ejus idem Rex Carolus Simplex interfuit.

IN PRECARIAM concedere Abbatiam, nisi fallor, hoc est, in Commendam, ut hodie vulgò loquimur, seu potiùs comedendam: qui pravus mos hodieque durat in quibusdam Provinciis. Extat de hac re Querela veteris Ecclesiæ Gallicanæ (adde, & novæ) à Joanne Filesaco, Doctore Theologo Parisiensi, conscripta.

Precaria est contractus Ecclesiæ, quo acceptis mutuo bonis rei alicujus conceditur usufructus usque ad mortem ejus qui accipit.

CAPUT XVI.

ZUENDEBOLDUS *Lotharingiæ Rex dat Cathedrali Canonicorum S. Lamberti Collegio Leodicensi Villam Teux, anno 898.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. ZUENTEBOLDUS divinâ favente clementiâ Rex.

PRO his quæ, ob amorem Dei, Ecclesiis sanctis locisque Sanctorum per mansuetudinem nostræ Serenitatis tribuimus, æternæ felicitatis beatitudine, ipsis intervenientibus Sanctis, omnimodis perfrui confidimus.

IDCIRCO, omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium, tam præsentium noverit, quàm futurorum sagacitas, quia Nos, pro salute nostræ animæ, piique Genitoris nostri Serenissimi ARNULPHI Imperatoris, ac nostrorum Prædecessorum Imperatorum & Regum,

LARGIMUR Ecclesiæ, in honore Beatæ Mariæ, Genitricis Dei & Domini nostri, & præclari Martyris Christi Lamberti in Leodico constitutæ, cui præsidet FRANCO Venerabilis Episcopus, Villam nostri Dominicatûs, sitam in Pago * Leuga, super fluvium Poledam, vocabulo TEUX, cum omnibus justè & legaliter ad eam pertinentibus, videlicet mancipiis utriusque sexûs, campis, silvis, pratis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, cambis, parvis exitibus & reditibus, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, eo tempore & pacto, ut ex hoc, & in antea, præscriptæ Ecclesiæ, nec non prædicto Episcopo, Successoribusque ejus, sine contradictione aliqua, immobiliter perpetuò subsistant.

* Liege.

ET ne hæc nostræ benevolentiæ largitio permansuris successionibus infucatè servetur, nostri annuli impressione subter insigniri præcepimus.

Signum Domini ZUENTEBOLDI Regis.

Walgerius Notarius, ad vicem Ractbodi Archicancellarii, recognovit.

ACTUM VIII. Idus Octobris, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo nonagesimo octavo, Regni verò Zuenteboldi Serenissimi ac piissimi Regis quarto. Actum Villâ Aquæductus, in Dei nomine feliciter, amen. 898.

CAPUT XVII.

LUDOVICUS *Lotharingiæ Rex, Suentiboldi frater & in regno Successor, anno 910. dat Mortarium Villam Canonicis in Caprimonte (Oppido olim Diœcesis Leodicensis) degentibus.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. LUDOVICUS divinâ ordinante gratiâ Rex.

QUOTIES Sanctarum Dei Ecclesiarum necessitatibus munimine Regalitatis subvenerimus, morem Antecessorum nostrorum imitamur: idque nobis ad præsentis ævi subsidia, atque ad futura beatitudinis præmia incunctanter adipiscenda, proficere credimus.

QUOCIRCA omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque fidelium, præsentium ac futurorum, prudens agnitio comperiat, quia HATTO Venerabilis Archiepiscopus, & GERBERDUS Celsitudinem nostram adierunt, intimando, qualiter Frater noster SUENTIPULCHUS, postquam à Regni gubernatione Proceres Regni Lotharienfis demiserint, cuidam Viro ROINGO quandam proprietatem dederit, quam ipse Roingus postmodum ad substantiam Canonicorum, (1) in CAPRI-MONTE loco vocato, degentium, utcumque delegaverit;

Cumque prænominatus Comes hoc taliter actum perscrutaverit, nostrisque auribus innotuit, humillimè expetiit cum Hattone præfato Pontifice, ut pro salute animæ nostræ, easdem res prænominatis Canonicis, per nostræ auctoritatis Præceptum, confirmaremus.

Hoc quoque ipsorum petitioni libenter acquiescentes, præscriptas res in Comitatu Leuchia sitas, Mortariumque locum vocatum, cum omnibus suis appenditiis, ut hactenùs jam dictus Roingus eas habere visus fuit, ita deinceps, ad substantiam sæpedictorum Canonicorum, per præsentem nostræ Regalitatis vigorem concedimus, ac confirmamus.

Videlicet cum manso indominicato, atque Ecclesia, cum aliis duodecim mansis, castitiis, campis, pratis, pascuis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus, ac mancipiis utriusque sexûs inibi residentibus.

Hoc quoque obnixè statuentes ac sancientes, ut more Ecclesiastico, ab hodierna die, præscripti Canonici ad mensam ipsorum habeant, teneant, possideant, nostrique ob id memores effici delectentur.

Et ut præsens nostræ largitionis & confirmationis Præceptum, per succedentia tempora, veriùs credatur, ac diligentiùs servetur, manu propriâ subter firmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domini Ludovici Serenissimi Regis.

Theodulphus Notarius, ad vicem Rathpodi Archiepiscopi & Cancellarii summi, recognovi.

Data V. Idus Novembris, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCX. Indictione decimâ tertiâ anno verò Domini Ludovici decimo.

Actum, in Geleneheim, in Dei nomine feliciter, amen. sic

Additio. In Caprimonte, vulgò *Chevremont*, ad Wesam fluvium secundo à Leodio lapide, fuit olim Arx insignis, ac penè inaccessibilis; ideoque Leodiensibus summopere infesta. Eam astu intercepit Notgerus Leodiensis Episcopus anno 980. qui illuc vocatus ad baptizandam prolem Satrapæ, magnam militum turmam, sub clericali habitu secum deduxit. Illi verò dum intromissi forent, mox arma priùs occultata arripiunt, milites Satrapæ armis suis expoliant, & Caprimontense Castrum funditus excidunt. Historiam hanc latiùs deductam vide apud *Chapeavillium* & *P. Fisen* in Historia & Gestis Pontificum Leodiensium.

De Notgero Præsule memorantur hi Versus.

Legia ditatur per me, Caprimons spoliatur.
Hic ruit, hac surgit; manet hac; nunquam ille resurget.

Fuerunt quoque olim in Caprimonte tria Canonicorum Collegia: unum Deiparæ Sacrum, cum duodecim Presbyteris, quos cum omnibus redditibus Aquisgranensi B. Mariæ Capitulo adjunxit Notgerus.

Alterum S. Caprasii Templum cum decem Canonicorum Collegio, quod ad S. Paulum Leodium transtulit idem Episcopus.

Tertium S. Joannis Evangelistæ Templum; quod nec igne, nec aliâ vi ullâ destrui priùs potuit, quam Basilicam eidem Evangelistæ Leodii ponendam vovisset Notgerus.

Votum hoc implevit sequenti anno 981, fundato illic triginta Canonicorum Collegio, cum Præposito, Decano, Scholastico, &c.

CAPUT XVIII.

Carolus Simplex *Francorum Rex Canonicis Ecclesiæ S. Lamberti Leodicensis anno* 915. *dat Forestum seu silvam in Arduenna sitam, Stephano Leodicensi Episcopo, & Raginero I. Hannoniæ & Hasbaniæ Comite, petentibus.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Carolus, divinâ propitiante clementiâ, Rex Francorum.

Si Deum præ oculis habendo, in augmentandis suis Ecclesiis honoramus, nostrosque fideles in suis rectis petitionibus libenter excipimus, divina humanaque nobis simul conciliamus, atque Regiam liberalitatem moribus Paternis exequentes sumus.

Quocirca omnium nostrorum fidelium, præsentium videlicet ac futurorum, comperiat solertia, quod Dudo Virdunensium Episcopus, (1) Raginerus Marchio strenuus, pariter etiam Robertus nostræ Serenitatis executor fidelissimus, nostram adierunt Excellentiam, poscentes prorsùs,

Uti interventu Stephani venerabilis Tungrorum Episcopi, nostræ consanguinitati affinis dilectissimi, partibus Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, almique Martyris Lamberti, in proprium traderemus Forestem, quæ olim pertinuerat ad Tectis villam, quam dato fisco (2) Zuendipolchus retinuerat ad manum Regiam, quamque constat in Pago (3) Luviensi, atque in Comitatu Sichardi sitam, atque istis finibus circumquaque conclusam;

Terminatur à Wlfingi fago, usque in fluvium Amblevam, inde ad Monasterium Stabu-

(1) Raginerus I. Hannoniæ & Hasbaniæ Comes: de quo & aliis tribus ex ordine Ragineris, in Stemmatibus Belgicis Cap. 21. fusè disserui. Horum stirps mascula hodieque perstat in Lantgraviis Hassiæ, qui originem trahunt ab Henrico Brabantino, Henrici II. Brabantiæ Ducis filio.

(2) Zuendipolchus, seu Suendiboldus Lotharingiæ Rex, de quo supra Cap. 15.

(3) Luviensi, seu Lutgiensi Pago; *Pais de Liege.*

(4) Stabulaus, sicque vadit ad.... & inde ad Salceias, usque ad Nordrees fontem, & ad Havernii usque ad Vesere, & idem ad rivum de Solmania usque ad Solergeas & Hukelebac, usque ad Veserem & Geislampiam, usque ad Hospitale, & sic revertitur ad Wlfingi fagum.

HORUM itaque petitioni gratanter assensum præbentes, egimus, juxta quod fuerant obnixè poscentes.

DELEGAVIMUS namque ipsam Forestem prælibatis partibus jure perpetuo in proprium tenendam, & totum undecumque ad integrum, velut dudum semper in Regum manibus consisterat, firmavimus omni tempore possidendam; in tantum, ut neque à quoquam venatio ullatenùs fiat per illam, nisi Prælati illius Ecclesiæ licentiam omninò habuerit indeptam.

SI quis ita temerario ausu in ea venari præsumpserit, sic bannum Regium inde componat, quomodo antea componebatur, dum Regum in manibus steterat.

ET ut hoc nostræ auctoritatis Præceptum perpetualiter manens, semper sit inconvulsum, has testatorias litteras exinde fieri jussimus, anulique nostri impressione subtùs insigniri præcepimus.

Signum CAROLI Regis gloriosissimi.

JONSUINUS Notarius, ad vicem Herivei Archiepiscopi, Summique Cancellarii, recognovit.

DATUM VIII. Kalendas Septembris, Indictione tertiâ, anno vicesimo tertio, regnante 915.
Carolo Rege gloriosissimo, (5) redintegrante decimo octavo ......

ACTUM Monasterio (6) S. ARNULPHI, in Dei nomine feliciter, amen.

(4) STABULAUS, hodie Stabuletum, Abbaria Benedictinorum, unita cum Malmundariensi. De his vide infra Origines Benedictinas.

(5) REDINTEGRANTE. Vide Cod. Don. cap. 19.

(6) S. ARNULPHI. Monasterium Benedictinorum Metis, multorum olim Regum tumulis nobile.

CAPUT XIX.

CAROLUS SIMPLEX *Francorum Rex Rutgero Treverensi Archiepiscopo restituit Trajectensem S. Servatii Abbatiam, anno 919.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. CAROLUS divinâ propitiante clementiâ Rex Francorum.

DOGMATE divino instruimur, Regiâ Majestate monemur, quatenùs Sanctorum loca sub solida tuitione provideamus: & si quæ sunt alicujus pravitate attrita, ad pristinum reverti faciamus statum.

NOVERIT igitur omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorum, videlicet præsentium ac futurorum industria, quoniam vir venerabilis nobis fidelis Rutgerus, Treverensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sæpiùs plangendo adiit Celsitudinem nostram, dicens, quòd Abbatiam (1) S. Servatii, quæ est constructa in Trajecto in Comitatu Maseland, quam dedit per suum Præceptum sibi commissæ Treverensi Ecclesiæ Arnulphus Rex, sed violentiâ Ragineri Comitis, & filii ejus (2) Gisilberti, à prædictâ Treverensi Ecclesia jam olim esset injustè ablata.

ERGO ad caussas nostras ejus proclamationem mittens, judicio Scabinorum Palatii nostri, & attestatione omnium fidelium nostrorum, ipsam Abbatiam S. Petro, in cujus honorem est constructa Treverensis Ecclesia, & prænominato Præsuli reddimus, ut in perpetuum, sine cujuspiam contradictione, cum omni integritate ipse & Successores ejus ipsam Abbatiam teneant atque possideant, & quidquid pro sua, suæque Ecclesiæ utilitate, ex ipsa facere decreverint, liberam in omnibus potestatem habeant faciendi.

ET ut hæc notitia instantibus & futuris temporibus rata esse credatur, & firmior habeatur, sigillo nostri Palatii eam roborari jussimus.

Hæc sunt nomina eorum qui præfatum contulerunt judicium, videlicet

Episcoporum,

Wifridus, Dado, Raubertus,
Abbo, Stephanus:

Sed Comitum,

Matfridus, Sigardus, Otto,
Fulbertus, Christianus, Erkengerus,
Isembardus, Hungerus, Ecfridus,
Ermenfridus, Walterus, item Walterus:

Nec non & Scabinorum,

Blidulphus, Regnardus, Adelbertus,
S gebertus, Witterus, Adelbardus,
Rubertus, Bernacrus, Volmarus,
Roricus, Otkerus, Ingrannus,
Betto, Engilbertus, Filbertus, Iswardus.

Rathbodus Notarius, præcipiente Domino Rege Carolo, hanc notitiam scripsit.

DATA Idibus Junii, Indictione, VIII. anno XXVII. regnante Rege Carolo, redintegrante XXII largiore verò hereditate indeptâ VII.

ACTUM (3) Heristal Palatio.

C A.

(1) SANCTI SERVATII Collegium Canonicorum Trajecti ad Molam, nuncupatur hic Abbatia, more & stilo illius ævi, apud Leodicenses & alios usitato.

Canonicis olim in communi viventibus præerant Abbates, sed sæculares: de quorum officio ac prærogativis multa præclarè enarrat Joannes Molanus S. T. D. Lovan. libro 2. de Canonicis, cap. 5.

Idem Author refert, à Richario Leodiensi Episcopo constitutos fuisse anno 934 duodecim Abbates sæculares: videlicet S. Mariæ & S Lamberti Leodiensem. Eyckensem (nunc Mosaci) Amaniensem, Hiuensem, Messiensem (nunc unitum Abbatiæ S. Laurentii Leodii) Cellensem (nunc Viseti) Dionantiensem, Namurcensem ad S. Mariam, Cinacensem, Thudiniensem, Alnensem (ubi

nunc Abbatia Cistercienfium) & Mechlinienfem, ubi nunc Metropolis.

Poftmodùm verò plerifque in locis ex Abbatibus denominati fuêre Præpofiti, ut ad S. Lambertum Leodii, ad S. Servatium Trajecti, Tungris, Hui &c.

Manent tamen hodieque in Diœcefi Leodienfi hi quatuor Abbates fæculares, Amanienfis, Cinacenfis, Vifetenfis, & Dionantenfis.

(2) Gisilbertus. Ragineri I. Hannoniæ Comitis & Albradæ filius, fuit primus Lotharingiæ Dux: ut in Stemmatibus Belg. cap. 11. docui.

Additio. (3) Heristal, feu Herftal, municipium valde antiquum ad ripam Mofæ, Leodium inter & Trajectum; fed ditionis Brabantinæ. Arx illic antiqua vifebatur, quæ olim erat Palatium Pipini, qui ex Majore Domûs Regiæ anno 752 Francorum Rex eft creatus, quique familiari cognomine dicebatur Herftallius. Natus eft illic quoque Carolus Martellus ex Alpaide Pipini pellice.

Poftmodum arx illa bellis ac vetuftate diruta fuit; fpectabatque ultimis temporibus Heriftallium, cum titulo Baronatûs ad Domum Naffoviam. At poft obitum Guilhelmi III. Regis Angliæ ac Ducis Auriaci, anno 1701. fine liberis defuncti, pro Heriftallio inter Regem Boruffiæ & Status Fœderati Belgici tanquam Tutores junioris Principis Frifiæ contenditur.

De Heriftallo Ecclefiæ Leodienfi oppignorato, vide fupra Diploma Frederici I. Imperatoris datum an. 1171. lib. I. Diplom. Belgic. Cap. 67.

CAPUT XX.

Ejufdem Caroli Simplicis *Francorum Regis Diploma alterum, ejufdem argumenti ac fententiæ, anno* 919.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Carolus divinâ largiente mifericordiâ Rex Francorum:

Si Servorum Dei petitionibus aurem libenter accommodamus, divini cultûs amore, Regium decenter morem exequimur, ac vitæ æternæ prœmia propter hoc adipifci veraciter credimus.

Quocirca comperiat omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclefiæ, noftrorum videlicet præfentium & futurorum folertia, quoniam Archipræful Venerabilis Treverenfis Ecclefiæ Rutgerus noftræ Serenitatis culmen adiit, conquerens quòd Abbatiam quandam, quæ eft conftructa fuper flumen Mofam, in loco (1) Trajectus nuncupato, ubi requiefcit corpus Sanctiffimi Confefforis Servatii, Arnulphus quondam Rex, deprecante Rathbodo prædictæ Ecclefiæ pridem Archiepifcopo, delegaverat S. Petro Apoftolo ad Cathedram Treverenfem.

Idque fanctinnis Præceptum confirmare ftuduit; fed irruentibus diverfis contrarietatibus, à poteftate ejufdem Sedis Raginerus pridem Comes eamdem Abbatiam violenter fubtraxit, & reclamante dicto Rathbodo apud Regem Zuendeboldum, illam reddere compulfus eft S. Petro.

Verùm Zuendeboldo perempto, iterum à Raginero pervafa eft, ac poft illum ab ejus filio Gisilberto pari violentiâ hactenùs negatur reddere.

Cujus petitionem fore falubrem cognofcentes, confenfu Epifcoporum noftrorum, & judicio Comitum, feu aliorum fidelium, fupradictam Abbatiam in Trajecto fuper flumine Mofa fitam, in Comitatu verò Hasbaenfi, in confpectu noftro & præfentia Principum noftrorum ipfimet prælibato Archiepifcopo reddere imperavimus, pro amore Dei.

Ita dumtaxat, ut à nobis reftitutam S. Petro, ufibufque Sanctæ Treverenfis Eccefiæ, ab hinc in futurum nullus valeat eam fubtrahere vel dividere exinde; fed noftræ pietatis munere ipfe Archipræful Rutgerus, & ejus Succeffores memoratam fæpe Abbatiam habeant, teneant, cum villis, mancipiis utriufque fexûs, & omnibus rebus juftè ibidem pertinentibus, & earumdem rerum exactionibus, & omnia ad fe pertinentia regant & difponant pro fuæ utilitatis ftudio, ficut priorum Regum Auctoritates patefaciunt.

Hanc igitur Abbatiam reddendam noftræ Auctoritatis Præcepto Archipræfuli Rutgero, & fuæ Ecclefiæ, manu propriâ roboravimus, & annuli noftri impreffione infigniri juffimus.

Signum Caroli Regis gloriofiffimi.

Gozelinus Notarius, ad vicem Rutkeri Archipræfulis Summique Cancellarii, recognovit.

Data VII Idus Julii Indictione VIII. anno Regni Caroli inclyti Regis XXVII. redinte- 919.
grante XXII. largiore verò hereditate indeptâ VIII.

Actum in (2) Villa Theodonis.

(1) Trajectus. (Genit. ûs) mafculino genere, ut rectè Veteres fcripferunt. Quod Oppidum hodie Trajectum ad Mofam, neutro genere, fed barbarè nuncupatur, vulgò *Maeftricht*: Ammiano Marcellino *Optricefium*, quafi dicas *Oppertricht*. Hinc nonnulli Trajectum fuperius nominant, ad diftinctionem Trajecti feu potiùs Trajectûs inferioris, ad Rhenum in Batavis fiti, & vulgò Ultrajectum, *Utrecht*, nuncupati.

(2) Theonis Villa, olim Palatium Regium, nunc munitum Ducatûs Luxemburgenfis Oppidum, ad Mofam, Francis *Thionville*, Germanis *Diedenhove*.

CAPUT XXI.

STEPHANUS *Papa fundationem Abbatiæ Broniensis, in Comitatu Namurcensi, anno 942. confirmat, Romæ existente, & coram petente S. Gerardo Abbate ac Fundatore Broniensi.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, & S. Mariæ semper Virginis. (1) STEPHANUS, Sedis Apostolicæ Summus Episcopus, Servus Servorum Dei, Fratribus ac Filiis nostris per universum orbem terrarum in Fide Catholica degentibus.

NOTUM cupimus esse omnibus tam præsentibus quàm futuris, qualiter Filius ac Frater noster divinâ annuente clementiâ, Gerardus Abbas nobis innotuit de Monasterio (2) Broniensi, quòd in melius reformavit & restauravit, in honore S. Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, Sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, & S. Joannis Baptistæ.

POST verò multorum Sanctorum pignora, congregavit ibi corpus etiam S. *Eugenii* Martyris, Archiepiscopi Toletanæ Sedis, discipuli & ordinati S. Dionysii Archiepiscopi, & cum magna reverentia & honore inibi attulit: hereditatem quoque propriam tam in agris quàm mancipiis, & in omnibus jure hereditario adjacentibus devotè ac voluntariè ad præfatum dedit Monasterium.

POSTQUAM autem nobis hoc indicavit, provolutus pedibus nostris petiit, quatenùs auctoritate Apostolorum Petri & Pauli malediceretur omnis, qui de eodem Monasterio aliquid conaretur, tam de Reliquiis Sanctorum, quàm de vestimentis & libris, & de territoriis auferre, atque de mancipiis vel de aliis quibuslibet rebus, quas nunc habet sibi datas, vel ultrà possit Dei misericordiâ obtinere.

Hoc quoque magnopere expetiit, ut eodem constringatur anathemate quicumque Privilegium, quod de eodem loco & Monasterio jam Regia Magnificentia & Imperialis sanxerat Auctoritas, aliquatenùs præsumeret infringere:

SCILICET ut nullus Episcopus, nullus Comes, nullus Advocatus, nullus Judex Publicus, nec quilibet ex Judiciaria Potestate, in Ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati Monasterii præsumat ingredi, aut ad causas audiendas, aut precaturas faciendas, aut freda vel tributa, aut obsonia quælibet exigenda, vel mansiones, aut silvas, vel paradas faciendas; aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem Monasterii, tam ingenuos quàm servos, super terram ipsius commanentes, injustè distringendos, nec ad ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus.

SED liceat memorato Dei Servo Gerardo, suisque Successoribus, res prædicti Monasterii, cum Monachis suis, sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere & ordinare, absque cujuslibet arbitri communione, nisi ipso Abbate & suis Monachis id rationabiliter fieri petentibus.

HOC quoque firmari expetiit nihilominùs, ut eâdem damnetur maledictione, quicumque locum ipsum & loci Incolas, infrà suos terminos hostili incendio, vel cæde, aut aliquâ injustâ oppressione præsumpserit aliquatenùs depopulari, vel infringere.

ADSTANTIBUS igitur Episcopis & Confratribus hujus Sanctæ Romanæ Sedis, & consentientibus, petitionem Famuli Dei GERARDI Apostolicâ Auctoritate firmari decrevimus.

IGITUR Auctoritate Patris & Filii & Spiritûs Sancti, & S. Mariæ semper Virginis, Dei Genitricis, & omnium Cælestium Virtutum, & S. Joannis Baptistæ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, S. Eugenii Martyris, ejusdem loci Patroni & Provisoris, & Sanctorum, quorum Reliquiæ inibi sunt, simulque omnium Sanctorum, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, excommunicamus, anathematizamus, damnamus omnes, qui horum quidpiam, quæ de immunitate & libertate Broniensis Ecclesiæ & loci prælibata sunt, irritum fecerint vel infregerint, nisi resipuerint, & pœnituerint, & ab Abbate & Fratribus ejus veniam promeruerint, & de cetero emendaverint.

AT verò qui observator extiterit hujus nostræ Præceptionis, & Regiæ Sanctionis, gratiam & misericordiam, vitamque æternam à Misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Ego CASTORIUS Notarius Regionarius & Scriniarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, corroborante Apostolicâ Auctoritate, & Sancto Papâ Stephano suggerente, recognovi.

Signum Domini STEPHANI Papæ gloriosi.

Data V. Kalendas Maii, anno ab Incarnatione Domini (3) ....

Actum Romæ feliciter, amen.

Ego Leo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ar-

(1) STEPHANUS Papa anno 939. creatus, obiit anno 943.

(2) BRONIUM. Hodie S. Gerardi Abbatia Benedictinorum, annexa Episcopatui Namurcensi.

(3) ... Anno 939. regnante Henrico in regno Lotharii, imperante in Italia Hugone anno secundo, Indictione septimâ *Ita supplevit Paulus Croonendalius in sua Historia Namurcensi Manuscripta.*

chipresbyter, rogante Domino nostro Stephano, subscripsi, amen.

Ego (4) Dairinus Episcopus, jubente eodem Episcopo, subscripsi, amen.

Ego Valentianus Episcopus subscripsi, amen.

Ego Agapitus Episcopus ipso jubente subscripsi, amen.

Ego Emerentianus Episcopus subscripsi, amen.

Ego Simphorianus Episcopus subscripsi, amen.

Ego Liberius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Laurentius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Florentius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Gregorius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Gaudentius Episcopus subscripsi, amen.

Ego Clementianus subscripsi, amen.

Ego Urbanus Episcopus, jussu Domini Stephani Papæ, subscripsi, amen.

(5) Hilduinus Mediolanensium Archiepiscopus subscripsit, amen.

Wido Placentinensis Episcopus subscripsit, amen.

Petrus Cumensis Episcopus subscripsit.

Ainardus Basulæ Episcopus subscripsit, amen.

Richuinus Stratburgis Episcopus subscrisit, amen.

(6) Rotherus Treviris Archiepiscopus subscripsit, amen.

Benedictus Metensis Episcopus subscripsit, amen.

Richarius Leodicensis Episcopus subscripsit, amen.

Stephanus Cameracensis Episcopus subscripsit, amen.

(4) Dairinus. *Marinus* apud Cronendalium: fortè idem qui anno 943. Stephano in Pontificatu successit, obiitque anno 946.

(5) Hilduinus, antea Abbas Lobiensis, dein ex Episcopo Veronensi Archiepiscopus Mediolanensis.

(6) Rotherus, fortè Rotbertus Archiepiscopus Trevirensis.

CAPUT XXII.

Conrado *Lotharingiæ Duce postulante*, Otho I. *Imperator anno* 944. *dat Faraberto Leodicensi Episcopo Monasterium Eiche, quod nunc est Canonicorum Collegium, in Masecia Ditionis Leodicensis Oppido.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto, divinâ providentiâ Rex.

Si locis divino cultui mancipatis aliquid impendimus, augmenti æternæ remunerationis cumulum speramus inde nos adepturos.

Quocirca noverit omnium fidelium nostrorum cautela, tam præsentium, quàm succedentium, qualiter ob amorem omnipotentis Dei, interpellante nostram liberalitatem Duce (1) Conrado, tradidimus ad Leodicensem Sedem, in honore semper Virginis Mariæ dedicatam, quoddam Monasterium, (2) Eiche vocatum, super fluvium *Votra* constructum, situm in Pago *Husce*, in Comitatu Rodulphi, quatenus præfatæ Ecclesiæ, cui modò præest Farabertus Episcopus, suique Successores eamdem inde teneant potestatem, quam in reliquis habent rebus ad suam Sedem pertinentibus, cum omnibus ad prænotatum Cœnobium justè spectantibus terris, mancipiis, cunctisque, quæ dici vel nominari possunt.

Et ut hæc Auctoritas nostra, Præceptumque traditionis inviolatum deinceps permaneat, jussimus hoc conscribi, sigillique nostri impressione munitum firmari.

Signum Domini Ottonis Serenissimi Regis.

Eimo Notarius, ad vicem Brunonis Archicancellarii, recognovi.

Actum Chuitileneburg, anno Incarnationis Domini nongentesimo quadragesimo quar- 944.
to, IV. Nonas Julii, Regni autem Domini Ottonis decimo sexto, Indictione septimâ.

(1) Conradus, seu Cuno, Lotharingiæ Dux ab Othone I. Imperatore anno 944. creatus, ejusdem filiam Luidgardem anno 947. duxit uxorem, quæ anno 953. decessit: ut Continuator Reginonis testatur. Idem Dux Diplomati Gemblacensi anno 950. subscripsit.

(2) Eiche. Monasterium olim Monialium, fundatum circa annum 730. ab Adelardo & Grinuara Parentibus S. Harlindis Virginis, de qua vide Fastos Belgicos ad diem 2. Octobris.

Sanctimonialibus postmodum suffecti sunt Canonici decem, unà cum Decano, & Præposito, seu Abbate sæculari, qui è gremio Canonicorum S. Lamberti Leodii eligitur. Anno 1571. Capitulum illud è veteri habitatione in *Alden-Eyck* migravit in Urbem Mosacensem, vulgò *Maesyck*, Leodium inter & Ruremundam.

CAPUT

CAPUT XXIII.

OTTHO MAGNUS *Imperator Rothberto Archiepiscopo Trevirensi, Abbatiam S. Servatii Mosætrajectinam restituit atque confirmat, anno* 945.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. OTTO Divinâ favente clementiâ Rex.

SI justis fidelium nostrorum precibus præbuerimus remunerationis compensationem, ubi de Ecclesiasticis fit rebus, Dominum; ubi autem de negotiis fit humanis, nostros fideles credimus nobis fideliores exinde fore, ac promptiores devotioresque obsequio.

PROINDE agnoscat omnium fidelium nostrorum conventus, qualiter Nos Proceres nostri adeuntes, scilicet Moguntiacensis Episcopus Fridericus, & Frater noster Henricus, simulque Comes Hermannus, rationabili prece deprecati sunt, ut Ecclesiæ S. Petri Trevirensi, ac fideli nostro Ruotberto ejusdem Sedis Episcopo, daremus, quin potiùs restitueremus Abbatiam S. Servatii sitam in Trajecto, quorum ratis petitionibus acquiescentes, agnoscentesque nos ad hoc debitores, ut justitiam faceremus eidem Trevirensi Ecclesiæ reddidimus & restituimus prædictam Abbatiam S. Servatii ex toto & integro, omnesque appendices, cum cæteris omnibus quæ visa est habere.

INNOVANTES ergo Prædecessorum nostrorum Edictionem, Regum videlicet Arnolphi, Zuendeboldi, Luduici & Caroli, qui prælibatæ Sedi antedictam contulêre Trajectensem Abbatiam, hoc Regiæ liberalitatis Præcepto sancimus, quo nemo Successorum nostri præsens datum refringendi, seu aliquo modo violandi, habeat potestatem.

ET ut hæc Traditionis nostræ Autoritas plenissimâ vigeat firmitate, manu nostrâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione corroboravimus.

Signum Domini Ottonis Serenissimi Regis.

Bruno Cancellarius ad vicem Friderici Archicapellani recognovi.

Data quarto Kalend. Januarii, anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXLV. Indictione 945.
IIII. Anno Domini Ottonis X.

Actum in Thalahem.

CAPUT XXIV.

VValcicodorensis Benedictinorum Abbatia, ad Mosam fl. in Comitatu & Diœcesi Namurcensi, ab EILBERTO *Comite ac Domino Florinensi, ejusque conjuge* HERESINDE, *anno* 946. *fundatur dotaturque.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. OTTO divinâ favente clementiâ Rex.

NOTUM sit omnibus Sanctæ Ecclesiæ fidelibus & filiis, præsentibus scilicet & futuris, qualiter Venerabiles Episcopi nostri, Fredericus Sanctæ Maguntinensis Ecclesiæ, & Hugo Leodiensis, adierunt Serenitatis nostræ præsentiam, deprecantes, ut cuidam nobili Viro (1) EILBERTO nomine, assensum præberemus, de rebus sui juris Monasterium ædificare, in honore S. Mariæ semper Virginis, in loco qui dicitur *Walciodorus*, ubi jam dictus vir & uxor sua Heresindis in Religione ferventissima susceperant quosdam Dei servos, peregrinationis gratiâ à Scotia venientes, & sub Regula S. Benedicti vivere cupientes.

DEDIT igitur prædictus vir, cum conjuge sua, de proprietate sui juris ad præfatum locum, prædictis Monachis locum qui dicitur *Walciodorus*, ubi est Ecclesia in honore S. Mariæ constructa, & mansus indominicatus, ad quem aspiciunt mansi triginta, cambæ septem, fornarii duo; in Pago *Ardenna* dicto ad Littras, mansum indominicatum, ad quem aspiciunt mansi triginta, ubi est Ecclesia in honore S. Dionysii constructa, cambæ duæ, fornarii duo; in *Falmenna* .... mansum indominicatum, ad quem tres cambæ, duo fornarii, duo in *Condrosio* ad locum *Antina* dictum, ubi est Ecclesia in honore S. Maximini constructa; mansum indominicatum, ad quem aspiciunt mansi triginta unus, cambæ duæ, fornarius unus; in loco *Florines* dicto, mansos sex, cambam unam, cum omnibus ad prænominata loca jure pertinentibus, mancipiis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis.

QUORUM petionibus nos, sicuti æquum erat, aurem libentissimè accommodantes (quippe quæ salutis nostræ commoda postulabant) statuendo decrevimus, ut illud Monasterium perpetuò in usus peregrinorum & pauperum stabiliatur, firmetur atque corroboretur, & semper in ditione SCOTORUM permaneat, & quamdiu aliquis illorum vixerit, nullus alius fiat Abbas, nisi unus ex ipsis; post verò decessum illorum alius, Deum diligens & amator sanctæ

Regulæ,

Regulæ, efficiatur Abbas; ipsum autem Monasterium, quod ad hoc noscitur esse constructum, vocetur deinceps Monasterium peregrinorum.

Et ut hoc nostræ concessionis Præceptum firmiter permaneat, manu nostrâ subtus firmavimus, annuloque nostro insigniri jussimus.

Signum Domini Ottonis Serenissimi Regis.

Urmus Cancellarius, ad vicem Friderici Archicapellani.

Actum XIII. Kalendas Octobris, anno Incarnationis Domini nongentesimo quadragesimo sexto, Indictione primâ, anno Ottonis undecimo. Actum juxta Civitatem Remis dictam. 946

Ex Walciodori Archivis Diploma istud Paulus Croncndalius recitat in sua Comitum Namurcensium Historia, quæ Bruxellæ apud filium ms. extat.

(1) Eilbertus, sive Elbertus Comes, Dominus de Flormes, Ebroini & Berthæ filius, Gerardi Comitis Lossensis frater, cum uxore sua Herelinde (ex quâ liberos non sustulit) Monasterium S. Michaelis in Theoraseia extruxit. Anno 944. aut 946. Castrum Walciodorense, *Waussoire*, in Monasterium vertit, S. Forannanum, ex Scotia anno 968. venientem, primum ibi Abbatem constituit; demum anno 977. vivere desiit, Walciodori sepultus cum Gerardo fratre.

Ebroino seu Euroino Ludovicus Balbus Imperator circa annum 879. dedit Antnnam, *Antine*, in Condrusio, & Heidresium, *Haidres*, in Famenna. Donationis Tabulæ extant apud Cronendalium libro citato.

Otho Imperator an. 968. Cœnobium Walciodorense Theoderico Episcopo Metensi concessit, qui Hasteriense Monasterium, dimissis Monialibus, cum Walciodorensi conjunxit: sic ut unus idemque sit Abbas loci utriusque.

Est autem Hasteria ad alteram Mosæ ripam, ex opposito Walciodori sita, in qua Wilaericus, ejusque conjux, anno 656. Moniales collocarunt.

S. Forannanus anno 982. in Domino obdormivit, & Walciodori quiescit cum S. Eloquio, S. Folliani fratre: de quibus vide Fastos nostros Belgicos, item Origines Benedictinas.

CAPUT XXV.

Ludovicus *Transmarinus Francorum Rex, petente Arnulpho Magno Flandriæ Comite, anno 950. possessiones Monasterii Blandiniensis, juxta Gandavum, confirmat; Monachis Benedictinis, per S. Gerardum Broniensem, loco Canonicorum, substitutis.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Divinâ prærordinante gratiâ Francorum Rex Ludovicus.

Si in divinis cultibus operam dantes, Ecclesiam Dei ad summum sacræ religionis statum sustollere conamur, ab ipso bonorum omnium Remuneratore, pro certo confidimus fore nobis recompensandum.

Igitur notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, quoniam nostræ dignitatis adiens præsentiam Arnulphus Comes & Marchio nobilissimus, nosterque consanguineus clarissimus, nobis retulit dolendo, quoddam Cœnobium à beatissimo Amando Præsule, sub regulari monachorum norma, nobiliter secus castrum Gandavum super Scaldi fluenta, olim constructum fuisse, quod antiquitus vocabatur *Blandinus*, nunc verò vocitatur ..... Monasterium penitus modo .... destructum.

Unde idem Comes Arnulphus, ob Dei Sanctorumque ejus amorem, vehementer compassus, ei reddidit jure quasdam res, quamvis non omnes, prædicto Cœnobio, quæ dudum per violentiam & nimiam sæcularium cupiditatem inde fuerant absumptæ, (1) remotis Canonicis inibi non satis honestè viventibus, quo meliùs ibidem ....Monachi substitueerentur, qui regulæ & Abbati vacando obedirent.

Quocirca prælibatus Comes nostram satis reverenter expetiit Munificentiam, quatenus concessas res Præcepti nostri munimine iam dicto Monasterio corroborare dignaremur, quod & fecimus.

Sunt autem memoratæ res, scilicet mansuræ, quæ sunt in portu Gandavo sitæ, à fluvio *Scalde* usque ad decursum *Leyæ* fluminis, cum censu earum, atque cum decimis omnibus. Naulum quoque, quod à prætereuntibus exigitur, & prati floralia, cum aliis ibidem aspicientibus, & molendino unô, in loco qui dicitur *Affua*;

Vineam quoque secus monasterium, ac terram, quæ ibi adjacet usque ad portum Gandensem, atque alia rura, quæ monasterio sunt contigua, supra quæ construant officinas, aliaque sibi congrua: Capellam denique in honore S. Mariæ dicatam, in villa, quæ dicitur *Meerem*, villam quæ dicitur *Gunringehem*, cum appenditiis suis, in pago verò Wasiæ super fluvium Scaldim, villam, quæ dicitur (2) *Tempseca*, cum omnibus appenditiis.

In pago autem *Hainau* super fluvium *Lanum*, (3) villam quæ vocatur **Dulcis*, Ecclesiam scilicet cum manso indominicato, ac cum omnibus sibi adjacentibus pratis & pascuis: * Alibi Dulciacum.

Et in pago *Flandrensi*, in loco nuncupato *Morona*

(1) Canonicis remotis. Notent Antiquitatis Ecclesiasticæ studiosi, in plurimis Cœnobiis, quæ nunc sunt aut fuerunt Monachorum Ordinis Benedictini, Canonicos primitus vixisse, ut in Blandiniensi, Bavonensi, & aliis.

(2) Tempseca, seu Tamisia, *Tempst*, amplum Wasiæ municipium, ad Scaldim, S. Amelbergæ Virginis patrimonium, olim Monasterii Blandiniensis, nunc est Ducis Bournonvillii.

(3) Villa, quæ vocatur *Dulcis*, vel *Dulciacum*, sita est in Hannonia, vulgò *Douley*, data jam olim in feudum ab Abbate & Conventu Blandiniensi. Ac inde non

Morona Bennonis, paſtolaria quæ ſuffieere poſſunt ovibus CXX. & in alio loco mari proximo, vocabulo *Beſcura*, terram in qua poſſunt alere oves centum.

Ac in ipſo pago dedit præſeriptis Monaehis, poſt diſceſſum ſuum, medietatem fiſci ſui, quæ vocatur *Heutlingehem*, manſum .... unum cum manſionario, ac majore nomine Fulberto, aliiſque maneipiſs numero XII.

Unde hoc noſtræ auctoritatis Decretum fieri, ac venerabili Gerardo Abbati Mooachiſque prælibati monaſterii dari præcepimus, per quod præſcriptas res cum omni integritate, & alias quæ poſtmodum à Dei cultoribus illis ſunt largiendæ, firmiter teneant, atque perpetuò, hemine inquietante, poſſideant:

Ea ſcilicet ratione, vt Abbas cum monaehis, ſecundùm loci poſſibilitatem, regulariter ibidem vivere ſtudeant, ac pro nobis & totius regni ſtatu militare Deo jugiter ſatagant.

Et ut noſtræ eorroborationis eoneeſſio pleniſſimum obtineat ſtabilitatis vigorem, manu propriâ ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus.

Signum Ludovici glorioſiſſimi Regis.

Oidilo Notarius, ad vicem Artaldi Archiepiſcopi, relegit & ſubſcripſit.

Actum Remis, XIII. Kal. Septembris, Indictione VIII. aono XV. regnante Ludovieo Rege glorioſo. 950

ita pridem lis fuit in Concilio Privato inter Pontium l'Honoré feudi ejus poſſeſſorem & Abbatem & Conventum S. Petri, quæ ſententiâ 21. Julii 1606. fuit terminata, quâ deciſum: dictum feudum ſubjacere legibus & juribus Hannoniæ, ibique tributa ſolvi debere, ſalvo jure relevii dicto Prælato.

CAPUT XXVI.

Otto I. *Imperator Dulciacum, Crombruggam, aliaſque poſſeſſiones Monaſterii Blandinienſis anno 966. confirmat, petente VVomaro Abbate Blandinienſi.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente clementiâ Imperator Auguſtus.

Cum Regiæ vel Imperatoriæ dignitatis officium eſſe conſtet, ut monaſterialia loca, Deo & Sanctis ejus dicata, ob Divini cultûs augmentum, novis ſemper auctoribus roborentur: idcireo notum eſſe volumus omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quam futurorum, induſtriæ,

Qualiter Venerabilis Abbas Womarus Blaodinienſis Cœnobii, noſtram adiit Serenitatem, rogans ut more Anteceſſorum noſtrorum, Regum ſcilicet vel Imperatorum, rebus vel proprietatibus Monaſterii ſui, infra Regni noſtri terminos conſtitutis, immuoitatis vel deſenſionis noſtræ bravium concederemus, hocque noſtræ Auctoritatis Præcepto roboraremus.

Nos verò interventu dilectæ conjugis noſtræ Adelheidis, fideliſque Archiepiſeopi noſtri Wilhelmi, ob ſpem divinæ remunerationis, pro ſtatu vel incolumitate Regni, vel Imperii noſtri, filiique noſtri cariſſimi Regis Ottoois, piæ illius petitioni aſſenſum præbuimus, & ut res vel poſſeſſiones præſcripti Blandioienſis Cœnobii, infra Regni noſtri terminos cooſtitutæ, *Dulciacus* ſcilicet in Pago Haginau, & *Crombrugga* in Pago Brabantinſe, quam Villam Caniſiam noſtra Soror Gerbergis Regina Monachis, ob remedium aoimæ fidelis Comitis ſui reddidit Arnulphi, ſub perpetuæ immunitatis noſtræ tuitione ſint, volumus:

Ita ut nullus noſter Comes, aut Judex & Vicarius, aut publicus Fiſci exactor, vel Advocatus, vel alius aliquis prænominatas villas ingredi audeat, ad fredas exigendas, vel hominibus præſcripti Cœnobii, inibi habitantibus, diſtrictiooem ingerendi, vel aliud quid poteſtatis exercendi licentiam aut poteſtatem habeat, niſi Abbas & Advocatus, quem ſibi ipſe utilem & neceſſarium elegerit.

Et ut hoc Auctoritatis noſtræ Præceptum firmum & ſtabile permaoeat, hanc chartam conſcribi fecimus, quam & propriâ maou ſubter firmavimus, annulique noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Signum Domini Ottonis, magni & invictiſſimi Imperatoris Auguſti.

Luidolphus Cancellarius, ad vicem Wilhelmi Archicapellani, recognovi.

Datum XI. Kal. Februarii, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVI. Iodictione IX. aono Regoi Domini Ottonis XXXI. Imperii vero IV. 966

Actum Trajecto, in Dei nomine felieiter, amen.

Othonum Cæſarum Stemma vide infra in Donationibus Belgicis.

CAPUT XXVII.

FRETHEBALDUS *Vir Nobilis omnem sui juris hereditatem, in Comitatu Testerbandiæ situm, dat Ultrajectino Canonicorum S. Martini Collegio Cathedrali, anno 993.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Operæ pretium duximus, quæ subsequuntur scriptis inserere, ne posteros lateret quod prior ætas faceret.

QUAPROPTER desideramus notum esse cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod quidam Miles, nobili parentum prosapiâ progenitus, nomine FRETHEBALDUS, amore Dei salubriter instigatus, nil dubitans cum transitoriis acquirere perennis vitæ gaudia, omnem sui juris hereditatem, quam habuit infra Comitatum (1) *Testerbant* nuncupatum, cum omnibus ad ea pertinentibus (exceptis tribus mansis, & mancipiis in eis manentibus, quæ viginti erant sui curtilis mancipata servituti) pro animæ suæ suorumque parentum remedio, tradidit & donavit S. Martino, suo spirituali patrono, ad stipendialem videlicet usum Fratribus in Trajecto .... commorantibus;

EA scilicet ratione, ut Pontificalis Cathedræ Fratres curtim ex integro.... cum ædificiis, mancipiis, agris, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, & quidquid inde habuit, & id totum quod de Ecclesia de *Ulrele* structa suæ subjacuit potestati, semotum haberent.

CETERA quæ supersunt, rebus in omnibus, cultis & incultis, utriusque Monasterii Fratres, ibidem Deo servientes, æquâ & pari communiter divident inter se divisione.

POST decessum verò hujus Vicepræpositi Monasteriorum..... anniversarium non immemores præterirent..... pro eo luminaria præsentando, cibo potuque Fratres lætificando quotannis.

DOMINUS autem Præsul (2) AUSFRIDUS piâ memoriâ recolendus, pro hujuscemodi traditionis remuneratione, ut firmior & stabilior esset hujusmodi traditio, concessit eis singulis annis de sua parte dari XII. libras in beneficium, dum viveret.

QUI etiam addidit, ut si ipse vel ejus, quod absit, Successor hæc concessa neglexerit, ipse præfatus Miles de suo, quod dedit, faciat ut velit.

ANNO Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo tertio, Indictione decimâ, anno verò tertii Othonis regnantis decimo tertio, 993.
Imperii autem ejus primo, XII. Kalendas Octobris, in quinta feria.

Actum est in Trajecto, in præsentia Domini piæ recordationis AUSFRIDI Præsulis, suique Præsulatûs anno secundo, coram Testibus quàm pluribus, quorum quorumdam hîc subnotantur nomina:

Ulfhere, Godefrit, Wiric,
Item Godefrit, Erof, Bovo,
Ribrac, Himezo, Lanzo,
Aufrit, Gerbolt, Hildebold,
Adalhard, Acto, Poppo,
Item Poppo, & cum his multò plures.

MOX post hæc subsequenti die, ut firmius & stabilius esset, infra terminum prædicti Comitatûs, in Villa quoque *Thiele* nuncupata, eisdem prænominatis testibus & aliis nonnullis adstantibus, sine alicujus retractione, (3) cum ramo & cespite, jure rituque populari sancitum est, rationabiliterque firmatum, ut hujusmodi traditio intacta & inconvulsa permaneat, feliciter in Christo stipulatione subnixa.

CAPUT

(1) TESTERBANT. Comitatus antiquus, qui Tractum Heusdanum, Altenaensem, Thielensem, Insulam Bommelianam, aliaque loca inter Mosam & Wahalum fluvios, seu inter Hollandiæ & Gelriæ limites sita, continebat.

(2) AUSFRIDUS, aliis Ansfridus aut Aosfredus, ex Bratuspantium & Hoiensium Comite factus est Episcopus Ultrajectinus: ut in Cod. Donat. piar. Cap. 40. & 42. docui.

(3) CUM RAMO ET CESPITE. Plures olim in usu fuerunt Donationum ac Traditionum Formulæ, quarum Addidi. una exhibetur supra Lib. I. Diplom. Belgic. cap. 98. & plures aliæ in *Capitularibus Regum Francorum*, signanter in *Formulis Marculphi Monachi Benedictini*, (qui anno 660. vixit.) Hasce Formulas anno 1677. Editioni præfatorum Capitularium inseruit, suasque Notas addidit Vir Clarissimus *Stephanus Baluzius*, Tutelensis.

Igitur symbolum traditionis erat per glebam, sive cespitem viridem, qui in Donationibus piis super Altare ponebatur, aliàs verò in præsentia Judicum aut plurimorum testium exhibebatur, ut designaretur terra alteri in dominium tradenda.

Addebatur quoque ramus viridis, in signum arborum aut sylvarum simul traditarum. Similiter chirothecæ, libri, virgæ aut baculi, annuli &c. symbola erant rerum tradendarum.

Frequentissimè fiebat traditio per festucam, ob facilitatem, quâ festuca obviam sæpe occurrit. Hanc tradebat emptori venditor, aut qui modo quovis rei dominium in alterum transferebat. Hinc *Veteres, quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes, sponsiones suas agnoscebant*, ait *Isidorus*. Sæpius quoque legitur in Legibus Salicis, *Cum Festuca fidem facere* &c. *Exfestucare*, est alteri dominium tradere &c.

Hæc ex Notis *Baluzii* lib. supra citato, & ex Glossario Mediæ & Infimæ Latinitatis per Du-Cangium.

CAPUT XXVIII.

OTHO III. *Imperator Ultrajectinæ S. Martini Ecclesiæ Cathedrali anno 999. dat Districtum Villæ Bomele, & alia prædia; supplicante Ausfrido ejusdem Urbis Episcopo.*

Conte- stum ex Historia Ultraject. Wilhelmi Hedæ.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. OTHO, supernâ favente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus.

SI locis divino cultui mancipatis alicujus honoris seu proprietatis supplementum præbere studuerimus, in nostræ animæ & carnis felicitate nobis divinitus remunerari procul dubio credimus.

QUAPROPTER optamus, ut omnibus nostris fidelibus, præsentibus atque futuris, notum sit, qualiter nos, ob remedium animæ nostræ, Parentumque nostrorum, nec non interventu & supplici rogatu Ausfridi, Sanctæ Trajectensis Ecclesiæ Venerabilis Episcopi, & Franconis reverendi Præsulis nostri prædictæ Sedis Trajectensis, Ecclesiæ in honore S. Martini Confessoris constructæ dedimus, largiti sumus, & omnino concessimus omnem Districtum super Villam (1) *Bomele*, & super cuncta, quæ ad eamdem Villam pertinent, videlicet publicæ rei subjecta.

TELONEUM verò, monetam, & negotium generale fermentatæ cerevisiæ, & quod vulgò *Gruit* nuncupatur; imo quidquid in jam dicta villa, ad publicum bannum sive Districtum pertinere visum est, in Comitatu Urochi Comitis, in Pago Testerbantia dicto, situm:

ATQUE eumdem Districtum, cum moneta, banno & teloneo, & totius publicæ rei fruitione, prælibato Cœnobio S. Martini Confessoris penitus in perpetuum tradidimus.

INSUPER sibi donavimus quidquid Poppo, filius Wedigeri, habuit in ministerium in eodem Comitatu, & in Villa Arclo, proprietario jure habendum, tali ordine, ut præfatus Ausfridus Venerabilis Præsul, suique Successores, easdem res per nostram confirmationem traditas teneat, disponat, ordinet & perfruatur, nostrâ omniumque nostrorum perpetualiter remotâ contradictione.

ET ut hæc nostræ auctoritatis Pagina firma permaneat, hanc manu propriâ corroboravimus, & sigillari præcepimus.

SIGNUM Domini OTHONIS Cæsaris invictissimi.

HERIBERTUS Cancellarius, vice Willigisi Archiepiscopi, recognovi.

DATUM III. Idûs Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo nono, Indictione duodecimâ, anno tertii OTHONIS regnantis XVI, imperantis III. 999.

ACTUM in Romano Palatio, felici manu.

(1) BOMMELIA, Insula ex Mosæ & Wahalis confluentibus orta, variisque fortallitiis munita, haud procul à Sylvaducis, Geldrici juris est; olim Diœcesis Ultrajectensis, postmodum verò Sylvæducensis. Fuit illic Collegium decem Canonicorum, fundatum anno 1303, item Prioratus Canonicorum Regularium.

S. HENRICI, *eo nomine secundi Cæsaris, Stemma.*

OTHO III. Imperator in Italia X. Kal. Februarii anno 1001. obiit: ejus intestina Augustæ Vindelicorum, corpus Aquisgrani est conditum. Ita Contractus, Scafnaburgensis. & Ms. Marianus Scotus. Successit S. Henricus: cujus Stemma accipe.

HENRICUS RIXOSUS Bavariæ Dux, Henrici Aucupis Imperatoris filius, genuit ex Juta, Arnoldi Bavariæ Ducis filia, Henricum Bavariæ Ducem.

HENRICUS ex Gisela, Conradi Burgundiæ Ducis filia, sustulit S. Henricum Cæsarem, & S. Brunonem Episcopum Augustanum: ut Antonius Albicius in Stemmatibus Principum Christianorum tradit.

S. HENRICUS Othoni III. in Imperio successit; uxorem habuit S. CUNEGUNDEM Sigefridi I. Comitis Luxemburgensis filiam. Episcopatum Bambergensem fundavit, vitaque sanctissimè peractâ functus est anno 1040. Vide plura in Chronico Belgico ad annum 1002. & in Fastis Belgicis.

CAPUT XXIX.

RADULPHUS *Vir Nobilis, ejusque uxor* GISLA, *Aicuriense Canonicorum XII. Collegium in Gallo-Brabantia anno* 1036. *fundant: quod inde postea Lovanium ad S. Jacobi Ædem est translatum.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. REINARDUS Leodiensium Pastor indignus, omnibus qui sunt, & qui futuri sunt, in Christo pax & caritas multiplicetur.

QUIA benefacta in lucem collocari volunt, ut per ea ad studium boni operis quam plurimi excitentur; sicut Dominus ait: Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.

HUJUS vocem audiens Vir Nobilis RADULPHUS, cum conjuge sua GISLA, luculentum & memorabile opus unanimiter... Qui prædiis & possessionibus hujus sæculi abundantes, sed de fructu carnis suæ heredem nullum habentes,

Consi-

Consilium Evangelicum simul acceperunt, ut facerent sibi amicos de rebus transitoriis, qui eos in æterna tabernacula recipiant, & servos Christi, imo ipsum Christum Dominum nostrum heredem suum designarent.

ITAQUE constructâ Ecclesiâ in proprio territorio, id est, in Villa quæ vocatur AIUNCORT, omnes suas possessiones eidem contulerunt, ad usum videlicet duodecim Canonicorum, quos in obsequium Domini pro suis animabus ibidem constituerunt.

QUOD cum nostro consilio & auxilio perfecissent, venerunt ad nostram Civitatem, & illic tradiderunt S. Mariæ, & S. Lantberto medietatem Ecclesiæ, & dimidium alodium, cum omnibus facultatibus suis, & Brombais, quæ sunt sitæ in Comitatu *Dungleberc*, & Holtam, quæ est in Comitatu *Sceppes*, & Wolmereis, cum dimidia Ecclesia, quæ jacet in Comitatu *Brunengurt*, & Chieiberge cum integra Ecclesia, in Comitatu *Anguers*, & aliam integram Ecclesiam de Opprebais.

HORUM omnium traditionem fecerunt ambo Radulfus & uxor sua Gisla, ad altare S. Lantberti, me ipso Rainaldo Episcopo præsente, cum pluribus nostris fidelibus Canonicis, & Nobilibus laicis, quorum præcipui isti fuerunt:

Rotfridus Archidiaconus.
Waizo Præpositus.
Nitzo Custos.
Gerardus Archidiaconus.
Joannes Archidiaconus.
Rotbertus Archidiaconus.
Gosbertus Archidiaconus.
Comes Gilbertus.
Comes Henricus, quem super hoc fecimus Advocatum.
Godefridus, Wolurardus, Gumbertus,
Bernerus, Griboldus, Gislanus,
Fulcuinus, Algisus, Liezelius,
Girardus, Lanzo,
Balduinus, Joannes, Helfridus.

NUNC ergò quantum ad nos pertinet, oramus & obtestamur, per nomen Domini, ut nemo nostrorum Successorum audeat de rebus supra dictis quidquam usurpare, neque commutationem neque precariam facere, neque in beneficium dare, neque unum omninò Canonicum de duodecim minuere.

SI autem sciens & cognoscens hanc rem ita firmatam esse, postea tamen contra hoc nostrum Decretum fecerit, non remittatur ei hoc peccatum neque in hoc sæculo neque in futuro, sed condemnetur cum diabolo & ejus Angelis in die Judicii.

Actum in Urbe Legia, pridie Kalendas Decembris: anno Dominicæ Incarnationis mille- 1036.
simo tricesimo sexto, Indictione quartâ, anno autem Regni Chuonradi Imperatoris quartodecimo.

Additio. CAnonicorum S. Petri Collegium, à Radulpho & Gisla conjugibus fundatum ac dotatum, ex Aicuria, olim Leodiensis, nunc Namurcensis Diœcesis vico, Lovanium ad S. Jacobi Templum est translatum anno 1456, authoritate Nicolai V. Pontificis, petente Philippo Bono Burgundiæ Brabantiæque Duce. Diploma Translationis hujus in Supplemento Diplomatum Miræi exhibebimus.

Decanus Capituli S. Jacobi Lovanii hodieque est Archidiaconus & Officialis pleno jure in Pagis de *Ayncuria*, *Opprebasio*, *Radio Speculi*, vulgò *Roux-miroir*, & *Longavilla*, eorumque appendiciis, licet sint sub Diœcesi Namurcensi.

CAPUT XXX.

HENRICUS III. *cognomento* NIGER, *Imperator, dat Nithardo Leodicensi Episcopo Comitatum Hasbaniæ, anno* 1040.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, HENRICUS divinâ favente clementiâ Rex.

SI fidelium nostrorum voluntati ac petitioni nostrum assensum pium ac benevolum adhibere curamus, quin ipsi nobis in futuro multò fideliores, & ad omne nostrum servitium promptiores sint, minimè dubitamus.

QUAPROPTER omnibus divini nostrique nominis amatoribus, tam futuris quam præsentibus, perspicuum esse volumus, qualiter NITHARDUS, Sanctæ Leodiensis Ecclesiæ Venerabilis Episcopus, nostram Regalem adiit Sublimitatem, humiliter deprecans;

UT in primis, caussâ divinæ retributionis, ac ob remedium animæ Pii Genitoris nostri CONRADI Imperatoris, à nobis, dum viximus, numquam obliviscendi, nec non ob humilem interventum fidelium nostrorum BRUNONIS Sanctæ Wirceburgensis Ecclesiæ, & THIETRICI Metensis, Venerabilium Episcoporum, ac pro suo assiduo & fideli servitio, quo Patri nostro nobisque multum fideliter serviunt,

COMITATUM ARNOLDI Comitis, nomine HASPINGA, in Pago (1) Haspingow situm, cum tali jure, talique districto, quale Parens noster,

(1) HASPINGOW, Latinè *Hasbania*, Flandris *Hespengow*, Gallis *Hasbaye*, Provincia frumenti feracissima, inter Tongros, Thenas, Trudonopolim & Trajectum Mosæ. Et hodieque inter Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconus Hasbaniæ, qui vastissimo præest Districtui. Vide supra Codic. Donat. Piar. pag. 32. in Notis.

Ad Quis verò fuerit iste *Arnoldus* ultimus Comes Hasbaniæ, alibi non invenitur, ideoque non liquet, posterisne caruerit, atque ita Comitatus redierit in potestatem Regis: an fortè ob crimen eo privatus fuerit.

noster, aut Nos hactenus in illo visi sumus habere, in moneta vel teloneo, imò cum omni utilitate, quæ scribi aut excogitari potest, prædictæ Leodiensi Ecclesiæ, in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ac pretiosissimi Martyris Lamberti, qui ibidem corporaliter requiescit, constructæ, eâ lege in proprium concederemus, ut hanc proprietatem, quam hactenus in illo habuimus, præfatus Episcopus Nithardus, suique Successores ab hinc potestativè habeant.

Et ut nostræ Concessionis Auctoritas stabilis & inviolata omni permaneat ævo, hanc chartam inde conscribi, eamque manu nostrâ propriâ, ut subter videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione præcepimus insigniri.

Signum Domini Henrici Regis invictissimi.
Theodericus Cancellarius, vice Burdonis Archicapellani, recognovit.

Datum IX. Kalendas Februarii, Indictione octavâ, anno Dominicæ Incarnationis mil- 1040.
lesimo quadragesimo, anno Domini Henrici tertii ordinationis duodecimo, Regni verò primo.

Actum Ulmæ feliciter, amen.

CAPUT XXXI.

Haspra, Præpositura Benedictinorum inter Cameracum & Valentianas sita, Monachis Vedastinis, & Anglicuria Gemeticensibus anno 1044. *attribuitur.*

Principi æternitatis Domino nostro Jesu Christo, cui soli, cum Patre & Spiritu Sancto, singularis est Æternitas, Omnipotentia & Incommutabilitas, sit laus perennis gloria, qui commutat temporum tempora, & sæculorum disponit medicamina, solus vivit & regnat virtute Deificâ.

Ego (1) Leduinus Abbas, quamvis indignus, Cœnobii pretiosi Confessoris Christi Vedasti, cui Deo auctore deservio, meam & communis sortis caducam cognoscens conditionem,

Quoniam perpetuitate levatur, quod non immortalitate ditatur, primùm duxi, tam pro testimonio præsentium, quàm pro notitia futurorum, Scriptum fieri, de quibusdam rebus prædicti Patris Vedasti, nostris temporibus commutatis, rursumque reëmptis.

Nota res est, & penes nos Scripto retinetur, cum ceteris Donationibus à Francorum Regibus Beato Vedasto collatis, villam quæ vocatur (2) Anglicurt, quæ est in Beluacensi Episcopio, antiquitate esse hereditariam, cum familia, S. Vedasto.

Sed nostro tempore, dico, anno Incarnationis Summi & veri Pontificis Jesu Chri-
sti millesimo quadragesimo quarto, per Ge- 1044.
rardum Cameracensem & Atrebatensem Episcopum, quæsitum est, quærendo atque retractando alterutrum, sic peractum est:

Ut Nos Consilio Seniorum & vicinorum, nec non nostrorum Fratrum, Cellam quæ dicitur (3) Haspra, à Comite (4) Richardo, & Theoderico Abbate (5) Gemeticensis Cœnobii, dono acciperemus, quia vicinior nobis erat:

Ipsi quoque Anclicurt Cellulam viciniorem sibi nostrâ donatione possiderent. Testes hujus rei fuerunt,

Richardus Comes, qui donationem.....
Robertus Archiepiscopus, Frater ejus.
Richardus, filius Richardi.
Robertus Frater ejus.
Wairinus Beluacorum Præsul, nostræ Congregationis Frater.

Actum (6) Rodomis, mense Januario, in octava Epiphaniæ, Indictione sextâ, regnante Serenissimo Rege Francorum Roberto, (7) anno Imperii sui XXVIII.

CAPUT

(1) Leduinus Richardo, Monasteriorum S. Vitoni Virdunensis, itemque S. Vedasti Atrebatensis Abbati, in regimine Vedastini Cœnobii successit; Præposituram de Berclou, prope Basileam Oppidum, fundavit, Haspram acquisivit, & Dononiense Monasterium reformavit. Vide Baldericum in Chron. Cam. l. 2. cap. 28. & 29. & lib. 3. cap. 16.

Additio. (2) Anglicurt, hodie Præpositura de *Angicourt* in Diœcesi Bellovacensi: quam anno 1023. Robertus Rex Franciæ Monachis Vedastinis asseruit, per Diploma subjiciendum inferiùs, in Supplemento Diplomatum Miræi.

(3) Haspra, Præpositura olim Gemeticensium, nunc Vedastinorum Monachorum, sita est ad Scaldim fluvium, inter Cameracum & Valencenas. Erecta est anno circiter 619: vide infra Origines Benedictinas.

(4) Richardus Comes Normanniæ, filium habuit Richardum, suum in Ducatu Normanniæ Successorem.

(5) Gemeticum S. Petri, vulgò *Jumiege*, celeberrima Benedictinorum Abbatia, ad Sequanam fluvium, in Normannia, ac Diœcesi Rothomagensi. Fundavit eam circa annum 638. Guilielmus Normannorum Dux; Bathildis verò Galliarum Regina insigniter dotavit. Hodie subjecta est Congregationi Benedictinorum S. Mauri.

(6) Rodomis, hodie Rothomagum, ad Sequanam fluvium, Urbs populosa, mercatu celebris, Archiepiscopali Sede illustris.

(7) Anno XXVIII. Ab obitu patris, qui anno 996. decessit. Alibi invenies annos Roberti Regis numeratos à tempore coronationis, vivente patre factæ, hoc est, ab anno 987. juxta stilum Gallicum, aut ab an. 988. juxta stilum Romanum,

CAPUT XXXII.

LEO IX. *Pontifex anno 1048. confirmat privilegia Stabulensis & Malmundariensis Monasteriorum, Ordinis Benedictini; in Arduenna, simulque statuit, ut Stabulenses & Malmundarienses Religiosi unicum deinceps habeant Abbatem.*

LEO Episcopus, servus servorum Dei, Theoderico religioso Abbati venerabilis Monasterii S. Petri, Sanctique Remacli, in Stabolao positi, suisque Successoribus in perpetuum.

SUMMÆ Apostolicæ dignitatis apex in hoc Divini prospectûs amore dinoscitur præfulgere, si in exercendis Dei laudibus, sui impensiùs studebit laboris exhibere certamen. Ob hoc debita nos ejusdem Apostolicæ Pastoralis compellit sollicitudinis cura, ut quæ ad stabilitatem piorum pertinere dignoscuntur locorum, ubertim promulgare & Apostolicæ institutionis censurâ debeamus confirmare.

IGITUR quia postulasti Frater à nobis, quatenus Monasteria à Venerabili Patre Remaclo constructa, id est, (1) STABOLAUS & MALMUNDARIUM, sita in Saltu Ardennensi, privilegio nostræ auctoritatis muniremus: & quia justa visa est petitio tua, assensum tibi præbentes,

PER hujus nostri Apostolici Privilegii Constitutum, sancimus atque decernimus, secundùm antiquorum dicta Regum, scilicet Sigeberti, Clodovei & Dagoberti, qui & eorumdem Constitutores fuere Monasteriorum, necnon & Imperatorum, Caroli, Loduici & Othonis, Augustorum,

UT loca, vel Villæ aut possessiones, quæ à Regibus, Imperatoribus cæterisque bonis Christianis præfatis sanctis locis largita atque oblata, & in postmodum concedenda sunt, firmâ stabilitate, perpetuoque jure inconcussa permaneant, juxta quod eadem loca venerabilia Apostolico, Imperiali, Regioque Constituto Privilegioque constant munita, nec liceat cuiquam magnæ vel parvæ personæ inibi pertinentibus demere quidquam.

ET profectò præterea huic Apostolico Decreto id vigilanter inserere, atque Apostolicâ auctoritate roborare curavimus, ut defuncto per successionem Abbate, secundùm quod à jam dictis Regibus, necnon & Imperatoribus est diffinitum, ex utrisque in unum Cœnobiis confluentibus Monachis, habeant sine simulatione, sine exceptione personæ, secundùm S. Benedicti Regulam, Abbatem eligendi liberam optionem:

EA tamen præponderante ratione, Malmundariensium pace, & quia B. Remaclus utriusque Monasterii Constructor, & Tungrensium antea Episcopus & Pastor, maluit in altero eorum, id est, Stabulensium, locum sepulturæ deligere sibi, ipsi primam electionis obtineant vicem, si apud eos melior meritis, & instructior litteris inveniatur.

SI autem non illic, sed melior Malmundarii reperiatur utrique loco præficiendus, ab eo potiùs quàm ab externis assumptus intromittatur.

SI quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit his, quæ ad laudem Dei à nobis, pro stabilitate jam dictorum Monasteriorum, statuta sunt, refragari, aut hæc in quoquam transgredi; sciat se anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo & ejus atrocissimis pompis, atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æternis incendiis concremandum.

AT verò, qui pio intuitu observator & custos in omnibus exstiterit hujus nostri Apostolici Constituti, ad cultum respicientis, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Additio. (1) DIplomati huic occasionem dedit celebre dissidium inter Monachos Stabulenses ac Malmundarienses, quorum posteriores ab Archiepiscopo Coloniensi Ordinario suo Abbatem proprium Tegnonem obtinuerant, non obstante Ordinatione S. Remacli Fundatoris, ut utriusque Monasterii sub unico Abbate esset cor unum & anima una.

Totam ejusdem Controversiæ seriem è vetustis Manuscriptis Monachi Stabulensis Anonymi exhibuit *Joannes Chapeaville* Canonicus & Vicarius Generalis Leodiensis, in libro *de Gestis Pontificum Leodiensium* Tomo I. sub hoc titulo: *Triumphus S. Remacli de Malmundariensi Cœnobio.*

Porrò STABULENSE ac MALMUNDARIENSE, duo sunt Benedictinorum antiqua Cœnobia, fundata à S. Remaclo Leodiensium Episcopo; ut latiùs exhibebitur infrà inter Origines Benedictinas. Prius Cœnobium S. Petro sacrum, situm est sub Diœcesi Leodiensi, alterum S. Benedicto dicatum, est sub Archidiœcesi Coloniensi.

Eadem Cœnobia unita ab anno 1048. unicum & communem habent Abbatem, eumque passim Commendatarium: prout plures fuêre Leodienses Episcopi, & hodieque (anno 1720.) est Illustriss. D. Joannes Ernestus Comes de Loewesteyn & Wertheim, Episcopus Tornacensis.

CAPUT XXXIII.

GODEBALDUS *Abbas Walciodorensis Ordinis S. Benedicti, juri suo renunciat, ut Pons lapideus Dionantensis, super Mosa flumine, ædificetur;* HENRICO *Episcopo Leodicensi,* ALBERTO *Comite Namurcensi,* CONONE *Comite, & aliis consentientibus,* *Anno* 1080.

IN nomine Domini. Quicumque fideles istud conscriptum legeritis, sciatis hoc factum esse voluntate & Præcepto Henrici Episcopi Leodiensis & Comitis Alberti Namucensis, à me GODESCALCO Abbate Sanctæ Ecclesiæ Walciodorensis, in honorem Dei, ad confirmationem sequentis operis.

Vide supra pag. 159.

A tempore Eilberti Comitis, qui primus in Walciodoro monasticam vitam instituit, usque ad tempus istud, quo pons lapideus in (1) DEONANT cœpit construi, navem unam magnam, quam Bargam vocant, ad opus transeuntium, habebat Ecclesia Walciodorensis. Hæc dabat Fratribus nonaginta quattuor denarios singulis annis, & Abbati, qui præerat, quattuor sextarios optimi vini.

CUMQUE placuisset Dominis, qui præerant loco, scilicet HENRICO Episcopo, Comiti ALBERTO Namucensi, CONONI Comiti, Frunuardo Præposito, & Opidaneis, Isaac Villico, & Gozuino de Rupe, & ceteris, ut pons fieret lapideus, unde Villa melioraretur (nam antea quidem fuit, sed nulli erat aptus usui) convenerunt in unum in eadem Villa, III. Kalendas Septembris.

IBI me accersiens Episcopus prænominatus, rogatu & consilio Deonantensium, assentiente de hoc negotio Comite Namucensi, sub cujus Advocatione erat locus Walciodorensis, tale quid à me expetivit, ut concederem ei, causâ gratiæ & Fraternitatis, in auxilium & adsustentationem pontis, hos reditus, quos dinumeravi, & quos jure nostro accipiebamus cum navi.

ET Nos pro hac vicissitudine istud Privilegium inibi ad pontem, cum nostris omnibus hominibus, & cum omnibus diversæ ætatis & sexûs, ex omnibus locis, ad locum nostrum attinentibus, & partem haberemus; ut nihil omninò ab ipsis eundo, redeundo, ducendo, vel aliquid portando intus vel foris daretur vel acciperetur; & si, quod absit, transitus destrueretur, aut nimiâ violentiâ aquæ pons dilaberetur, navim nostram ad portum nostrum, qui illic est, reduxissemus, & reditus nostros, absque calumnia alicujus & terrore, in primis recepissemus.

IN qua re nusquam assensum meum præbere volui, quoadusque Comes Albertus III. Namucensis beneficium atque honorem, quod ab Atavo suo Comite (2) ROBUALDO Ecclesiæ Walciodorensi, in eodem Opido, ob reverentiam Genitricis Dei, traditum fuerat, petitione adstantis Episcopi, confirmavit & renovavit:

VIDELICET ut nullus ex omnibus nobis subjectis, teloneum vel munus aliquod dedisset, causâ alicujus mercati, sed securi ipsi & filii eorum permansissent ab hoc tributo & liberi.

QUO facto, cum placuisset mihi & ceteris omnibus, concessimus & tradidimus, quæ volebat Episcopus, eâ scilicet conditione, ut præfati sumus. 1080.

ACTUM est Deonant, Kalendis Septembris, anno Domini millesimo octogesimo, Indictione III. anno XXV. Imperii Henrici quarti Imperatoris. Testes,

Dominus Henricus Episcopus,
Godescalcus Abbas,
Albertus Comes.
Godefridus filius ejus,
(3) Cono Comes,
Theodericus Advocatus,
Heribrandus Frater ejus,
Godefridus Dehili,
Cono Frater ejus.

(1) DEONANT. Latinè Dionantum, vulgò *Dinant*, Oppidum ditionis Leodicensis, mercatu celebre ad Mosam.

(2) ROBUOLDUS. Comes Namurcensis hìc dicitur Atavus Alberti Comitis Namurcensis: quod nota, & vide, num is potuerit esse ROTBODUS Comes Namurcensis, qui cum Lamberto Comite Lovaniensi an. 1013. aggressus est Baldricum Episcopum Leodicensem, in Villa Hugardis: ut Baldericus in Chronico Camer. lib. 3. cap. 5. commemorat. Si id verum, ergo fuerunt tres Alberti, & Robuoldus seu Rotbodus (ut dicitur in Chronico Cameracensi) fuerit pater Alberti I.

(3) CONO. Comes, nisi fallor, Montis Acuti, qui cum God. Bullonio in Syriam ad bellum sacrum anno 1096. se contulit.

CAPUT XXXIV.

BALDUINUS *cognomento Hierosolymitanus, Comes Montensis seu Hannoniensis, Templum in honorem Deiparæ in Urbe Valentianensi, à matre sua* RICHILDE *inchoatum, Monachis Benedictinis Hasnoniensibus anno* 1086. *tradit & amplificat: quod nunc S. Mariæ majoris dicitur.*

Correctum ex Historia Valencenensi Oultremanni.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. BALDUINUS dono Dei Comes de Montibus, Castello sito in Pago Hainauco, cunctis Principibus sui Comitatûs.

GRATIA & misericordiâ omnipotentis Dei, bonas affectiones credimus inspirari, ipsasque ad profectum bonorum, ad effectum usque perduci. Quocirca si quid ad honorem ipsius nominis conamur, totum id gratiæ nominis refundimus, cujus ope rectas voluntates dirigi non dubitamus.

EGO itaque BALDUINUS Comes, filius Balduini Flandrensis Monarchæ,(1)cujus Pater, meus scilicet Avus, Philippum Regem Franciæ nutrivit, manifestum fieri volo universis Ecclesiæ Dei filiis, quòd pro redemptione animarum nostrarum, seu Antecessorum nostrorum, ego & Mater mea (2) RICHILDIS, satis religiosa femina, & eleëmosynis valde intenta, ædificare cœpimus quoddam Oratorium in honore S. Mariæ Matris Domini, & *Fidis* Sanctæ Virginis, pro voto nostro consecrandum, in possessione nostra, videlicet secus Castrum Opidi (3) VALENTIANARUM.

QUI locus ne divinis vacaret cultibus, Clericos ibidem ad Deo serviendum constituimus, & liberum ab omni sæculari consuetudine fecimus, & (4) Briulum, hoc est, pratum, eidem loco ab occidente contiguum, cum terra usque Gaugeoli pratum, liberum ei dedimus, & omnium cambarum in novo Burgo factarum vel faciendarum tertiam partem redituum, ad Comitem pertinentem attribuimus, præter cambam Aquicinensium, Cambam Lamberti, Augustini, Waldeberti de Mathem, Burchardi & Godeberti. Medietatem etiam Villæ Alnetum vocatæ, liberam in terra & prato & aqua & hospitibus, cum familia servili ejusdem fisci prædicto loco concessimus.

SED postquam Mater mea ex hac vita decessit, exoptans supradictum locum ad honorem Dei amplificari, & pro salute animæ meæ ibidem commorantes vacare ferventiùs & arctiùs sacræ religioni, suggerente etiam GODEBERTO religioso Clerico, ejusdem loci Provisore, annuente Domino (5) GERARDO Cameracensi Episcopo atque favente, atrio Monasterii jam ab eo benedicto, locum illum ab omni sæculari lege vel consuetudine liberum, banno scilicet, latrone, inventione, furto, foro, feratico, teloneo, ambitum etiam, præcincturam atrii vel claustri, hoc est, totum Monasterium, id est, monachorum officinas, & omnia quæ ad illud pertinent, tradidi S. Petro Principi Apostolorum, Cœnobii (6) HASNONIENSIS, sub manum Abbatis,

EA ratione & dispositione, ut ibidem Fratres sub habitu Monachali & norma Deo dilecti Patris Benedicti Christo militantes constitueret, & tamquam propriam Cellam, absque ullius refragatione, perpetuo jure possideret.

QUAM traditionem vel donationem firmam inviolatamque ab omnibus confirmari volo, & cum testium adstipulatione subscriptorum, tum etiam sigilli nostri impressione confirmo;

NE quis videlicet modò viventium vel successorum amodo illam conetur infirmare, ne quem à Cœnobio Sancti Petri Hasnoniæ sæpedictum locum quacumque occasione præsumat auferre, ne quis habitantibus ibi Fratribus aliquam molestiam, vel de rebus pro eleëmosyna sibi concessis aliquam torturam audeat inferre.

SI quis verò hæc, quæ pro absolutione peccatorum meorum, & Matris meæ RICHILDIS, ad honorem Dei statuimus, molitus fuerit infringere, tremendo Dei judicio se sciat subjacere, & nisi pœnituerit, non solùm pro suis, sed etiam pro alienis reatibus Inferni pœnas subire. Hujus donationis Testes,

Seggardus & Arnulphus.

De Laïcis,

Hugo filius Christiani, & Ursio frater ejus,
Almannus, Herbrandus, Elgerus,
Baldricus & Walkerus frater ejus,
Wigerus de Tudin, Manasses, Walterus de Mauritania,
Walterus Duacensis, voluntariè pauper,
Udo Major.

Anno

(1) CUJUS pater, meus scilicet Avus. Balduinus Insulanus hic designatur: de quo vide Cod. Donationum piarum cap. 56.

(2) RICHILDIS. Ragineri IV. Hannoniæ Comitis filia & heres, duos maritos habuit. Ex priore, Hermanno Comite Thuringiæ, peperit Rogerium, à nativitate claudum, qui Episcopus Catalaunensis fuit. Ex posteriore, Balduino VI. Flandriæ Comite, nati Arnulfus Infelix, Flandriæ Comes, & Balduinus Jerosolymitanus, cujus Diploma hic habes.

(3) VALENTIANÆ, seu Valentinianæ, *Valenciennes*, Urbs nobilis ad Scaldim, suos olim Comites habuit.

(4) BRIULUM. Bruilum, vel Brolium, Germanicè *Breul*, significat pratum, aut vivarium seu parcum ferarum.

(5) GERARDO, II. Cameracensi Episcopo, de quo vide supra pag. 75. in Notis.

(6) HASNONIENSIS Cœnobii in Hannonia: de quo supra Codice Donat. piar. Cap. 22. & 63.

Anno ab Incarnatione Domini Jesu Christi
1086. MLXXXVI. Indictione IX. Epactâ XIV. concurrente III. anno Imperatoris Henrici ab obitu Patris sui xxxII. à benedictione verò sui in Regem xxxv. confirmata est hæc Charta, & à fratre Waltero, alio Monacho S. Petri Principis Apostolorum, conscripta, & testimonio etiam ipsius confirmata.

CAPUT XXXV.

CONRADUS *Comes Lucelemburgensis, in Oppido Lucelemburgo, Benedictinis Sodalibus anno* 1083. *Munstericense B. Mariæ Cœnobium construit.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego CONRADUS Comes, licet serò, inspiratione Divinæ gratiæ ad pœnitentiam provocatus, eleëmosynis & ceteris pietatis operibus peccata mea redimere statui ....

CŒPI itaque in monte hoc, ubi nullus Parentum meorum priùs adoravit Dominum nostrum, Domum Domini in honore & veneratione Apostolorum Principis à fundamentis construere .... absque calumnia alicujus hominis, seu Advocatiæ præter Me & Successores meos.

QUÆ omnia ut magis rata essent, acta sunt annuente uxore meâ CLEMENTIA, cum filiis & filiabus nostris, in præsentia Domini Metensis Episcopi Herimanni, anno millesimo octo- 1083.
gesimo tertio, pridie Nonas julii.

HUic Diplomati appensum est sigillum, Equitis armati effigiem exprimens, hac inscriptione: *Conradus Comes de Lucelemburch.*

Munstericense Cœnobium, à Conrado patre inchoatum, GUILIELMUS filius & in Comitatu Lucelemburgi Successor perfecit, prędiaque ab eodem attributa confirmavit; edito Diplomate, ex quo hæc habe:

Ego Wilhelmus Comes de Lucelemburg cupiens imitari patrem meum Conradum Comitem, & perficere quod ipse incepit .... hujus confirmationis & supradictæ Constitutionis nostræ chartam ego & filius meus Conradus super Altare ipsius Cœnobii posuimus ....

Huic Diplomati similiter appendet sigillum Equitis armati, cum ista inscriptione: *Sigillum Wilhelmi Comitis de Lucelemburch.*

CAPUT XXXVI.

PHILIPPUS *Comes Locnsis, Roberti Frisii Flandrorum Comitis filius, anno* 1093. *Locnse Canonicorum Regularium Cœnobium, in Diœcesi Iprensi, fundat ac dotat.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Intuenti mihi, quando sæcularis honor eò quidem ad amplitudinem veram conscendit, quo statuere Divinum, imò extollere modis omnibus laborat, placuit mihi quatenùs in hoc Gymnasio quasi spectaculis interessem, dum ea concederem, quæ pro posse meo præludere valerem: & quidem ut manifestiùs videas quod dico, verborum meorum ista est solutio.

EGO enim PHILIPPUS, filius Roberti Marchionis cognomento Frisonis, locum quendam in Flandria possideo, (1) Lo quidem vocabulo, sub ditione autem mea ex toto. Quo in loco B. Petrus mansionarios quosdam sibi vendicavit, super quos tamen Comitatum & Advocationem habebam, & de his etiam reditum debitum exigebam.

SED quoniam placuit mihi, ut in Domo Dei offerrem quæ possem, Comitatum & Advocationem, stallum & teloneum, & quidquid sæcularis juris super terram ac mansionarios S. Petri habebam, vel Antecessores nostri, Deo Sanctoque Petro ac Canonicis famulantibus concessi: me quidem his omnibus exuens, potestatique eorum scilicet Canonicorum donans ac subjiciens.

ET hoc quidem pro salute & anima mei ipsius, seu anima Patris mei, ac salute Fratris mei, ROBERTI Comitis Flandriæ, omniumque animarum nostrarum, libenter facio.

AD hujusmodi donationem Fratrem meum Robertum Marchionem Flandriæ invito, ut sciant omnes, quia concedimus ambo, coram his Testibus,

Bernoldo Watenensi Præposito,
Roberto Canonico,
Godeberto Præposito ipsius Ecclesiæ,
Theobaldo Iprensi,
Radulpho filio Ravemari,
Gilberto de Maro,

Eustathio

FUndationis seu Donationis hujus, à Philippo Comite Loensi factæ, meminit Meierus lib. 3. Annalium Flandriæ. Vide etiam suprà lib. 1. Diplomatum Belgicorum cap. 91.

(1) Lo in Diœcesi Iprensi, Canonicorum Regularium olim Præpositura, nunc Abbatia.

Lo in Diœcesi Tornacensi, prope Insulas, est Abbatia Monachorum Ordinis Cisterciensis, Lannè Laus.

Eustathio de Usen, Tidberto Fratre ipsius,
Radulpho de Castelo,
Gerardo de eodem,
Frinaldo de Cassel,
Thomâ Camerario,
Frumaldo de Stenvord,
Odulfo Camerario,
Adam Fratre Theobaldi.

Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo tertio, Indictione 1093.
primâ, regnante Philippo Francorum Rege, Roberto ipso Flandriam gubernante, Pontificante autem Domino Gerardo Morinorum Præsule.

CAPUT XXXVII.

Lacensis Abbatia Benedictinorum, in Diœcesi Treverensi, vulgò ad Lacum, cis Mosellam, prope Antonacum, anno 1093. fundatur ab HENRICO *Comite Palatino Rheni, ejusque conjuge* ADLEIDE.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS Dei gratiâ Comes Palatinus Rheni, & Dominus de Lacu.

AD inveniendam quietem humilium spiritu, notum facimus cunctis Christi nostrisque fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, quòd cùm absque liberis essem, annuente & cooperante uxore mea ADLEIDE, pro remedio animæ meæ, & æternæ vitæ consecutione, de patrimonio meo, scilicet LACHO, in honore Beatæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctique Nicolai, Monasterium regulæ monasticæ cultoribus incolendum fundavi, propriisque bonis dotavi, sub præsentia & cognitione Domini (1) HILBERTI Venerabilis Trevirorum Archiepiscopi.

ADVOCATUM verò non alium, quàm me ipsum, quamdiu vixero, huic Cœnobio constituo. Post mortem verò meam, quem Fratres præfati Monasterii, sive ex Privignis meis, sive in Provincia, viribus & benignitate, sed & subveniendi oportunitate idoneum providerint, ejusdem Monasterii familiis & possessionibus præficiatur Advocatus, quod dicitur *Dingroget*: si tamen hoc Decretum & subscriptum se observaturum esse promiserit, videlicet si bona Ecclesiæ viriliter tueri, & familiam ejus clementer & humanè tractare voluerit.

NOVERIT itaque omnino sibi observandum, ne Advocatiam vel conjugi in dotem, vel alicui in beneficium dare præsumat, nec alium pro se substituat, cùm sciat hunc honorem se hereditario jure non contingere, sed hanc provisionem, pro remedio animæ suæ, ad tutelam Monasterii, de manu Abbatis se suscipere.

PRÆTEREA nec aliquando in bonis Ecclesiæ hospitando, Ecclesiam vel familiam ejus gravet, nec injusta servitia ab ea, neque violentas exactiones, quas Precarias vocant, aliquando exigat.

IN cujus Advocati negotio non alius Minister, neque Vicarius, neque Subadvocatus præerit, nisi qui Villicus Abbati fuerit. Numquam ad publicum placitum considebit, nisi à Fratribus, si res ita poposcerit, invitatus fuerit. CUM invitatus fuerit, serviatur ei, quod honori ejus sit congruum, & pati possit Ecclesia; ne vel sumptuum ejus, vel comitatûs nimietate contristetur.

ITA verò agat, & tam pium, modestum, tamque benignum Fratribus & familiis eorum se exhibeat, ut dignus honore sui nominis existat, & pro officio fideliter administrato remunerationem à Christo, Beatâ Mariâ interveniente, suscipiat.

QUOD si timoris Dei oblitus, quos fovere debuerat, violenter oppresserit, & admonitus infra sex hebdomadas non satisfecerit, tandem Ecclesiastico anathemate percussus, Advocatiam amittat; & alium Fratres, potentiâ, modestiâ, & defendendi possibilitate utilem & efficacem sibi eligant, qui sub prædicta conditione ipsam Advocatiam administraturus suscipiat.

DE cetero desidero, & quantum de mortuo vivens possum, firmiter statuo, ut ubicumque in Provincia vita excessero, nusquam nisi in præfato Monasterio sepeliar. Idem de Advocatis omnibus, & de uxore mea fieri volo, & constituo.

NE autem quisquam heredum meorum vel Successorum, aliquam injuriam Domino Deo & Beatæ Mariæ quandoque inferre intendat, de bonis à me huic Monasterio collatis ea nominatim supponi placuit, quæ & Episcopali banno confirmari fecimus:

SCILICET Crufft cum Ecclesia, Bedendorff, & Heimbach, & eorum adjacentia, Belle, Feide, Alkane, Willenburgh.

HÆC, inquam, Beatæ Mariæ tradidi, cum omnibus appenditiis, id est, cum utriusque sexûs mancipiis, ædificiis, areis, exitibus & reditibus, agris, quæsitis & conquirendis, pratis, pascuis, viis & inviis, aquis aquarumve decursibus, molis, molendinis, piscationibus, vineis, vinetis, silvis, atque cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit.

ACTA sunt hæc anno Incarnationis Domini millesimo nonagesimo tertio, Indictione primâ, 1093.
regnante Serenissimo Imperatore Henrico tertio,

DIploma istud ex Tabella templi Lacensis Marquardus Freherus descripsit, & in Originum Palatinarum Partem 2. cap. 9. retulit.

(1) HILBERTUS, aliàs Helbertus, & Ingelbertus, Treverorum Archiepiscopus.

tio, anno autem Regni ejus tricesimo octavo, Pontificatûs verò Domini Hilberti Trevirorum Archiepiscopi quarto decimo.

Ut autem hæc nostra Traditio firma & inviolabilis in perpetuum permaneat, Chartam hinc inde conscriptam sigilli nostri impressione insigniri fecimus Hujus Constitutionis Testes sunt,

Dominus meus Hilbertus Trevirorum Archiepiscopus.
Sigefridus Privignus meus.
(2) Henricus Dux de Limbergh.
(3) Wilhelmus Comes de Lutzenburgh, cognati mei.
Walravius, & frater ejus Volcko, (4) Comites de Arlon.
Dudo Comes de Lucenburgh,
Hermannus Comes de Virnenburg.
Meffridus Comes de Weide, & frater ejus Richwinus de Kempenich.
Burckhardus de Ulbruek, & frater ejus Henricus.
Reinboldus de Issenburgh.
Wolkoldus de Broel.

(2) Henricus Dux de Limberg, seu Limburg, qui post God. Bullonium anno 1100. Hierosolymis sine liberis defunctum, ab Henrico IV. Imperatore Ducatum Lotharingiæ inferioris impetravit. Miror tamen in isto Diplomate, quod anno 1093. datum est, ipsum vocari Ducem, non autem Comitem.

(3) Wilhelmus Comes de Lutzenburg, Conradi filius, & Conradi II. Comitis Lutzenburgensis pater: de quo supra Diplom. Belg. lib. 2. cap. 34. & in Stemmatibus Belgicis cap. 17. egimus.

(4) Comites de Arlo, sive Arlon, in ditione nunc Luxeburgensi.

Ceterùm Lacense Monasterium ædificari cœptum Henricus Comes Palatinus, morte præventus, non absolvit: quod postea privignus ejus Sifridus, seu Sigefridus, idem Comes Palatinus Rheni, perfecit, juxta Diploma sequens, quod licet imperfectè conscriptum, ex eadem Tabella Freherus desumpsit, & typis publicavit.

CAPUT XXXVIII.

Sifridi, *Comitis Palatini ad Rhenum, Diploma de ejusdem Monasterii Lacensis ædificatione absolutâ.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

Ego Sifridus gratiâ Dei Comes Palatinus .... notum esse volo fidelibus, qualiter & à quibus Ecclesia, quæ vocatur Lacus, constructa sit, & libertati tradita.

Prædecessor & Dominus meus Henricus Comes Palatinus, exhortante uxore suâ, Adleida videlicet matre meâ, prædictam Ecclesiam ædificare cupiens, fundamentum ejus tantummodo posuit, & jam morte imminente, sicut bonorum suorum, ita quoque hujus laboris, Ecclesiæ scilicet perficiendæ, heredem me instituit.

Quod primùm quidem, utpote juvenis, neglexi, postmodùm verò pœnitentiâ ductus, quod neglexeram, devotissimè corrigere studui ......

Reliqua desiderantur in prædicta Tabella. Habuit autem Comes hic Sifridus uxorem Gertrodem; adeoque diversus fuit ab illo, cui conjux Genovefa Brabantina: ut ait loco citato Freherus.

CAPUT XXXIX.

Urbanus II. *Papa Atrebatensem Episcopatum à Cameracensi, cum quo hactenus fuerat unitus, separat, & ea de re ad Clerum Atrebatensem scribit, anno* 1093.

Urbanus II. Servus Servorum Dei, dilectis filiis Alardo Atrebatensi, & Bernardo Ostrevannensi, Archidiaconis, ac omnibus Præpositis & Decanis, cum omnibus Clericis, qui in prædictis Archidiaconiis sunt, salutem & Apostolicam benedictionem.

Apostolicæ Nos Sedis compellit Auctoritas, universis per orbem terrarum Ecclesiis providere, & sua jura poscentibus paternâ compassione succurrere. Quia igitur Atrebatensis Ecclesia, multis jam temporibus propriâ carens dignitate, Cameracensis Ecclesiæ jugum pertulit, dignum profectò duximus, ut propitiante Domino amissa ei dignitas, ex Apostolicæ Sedis benignitate, restitueretur. Neque enim subjectionem Atrebatensis Ecclesiæ aliquod Romanæ Auctoritatis chyrographum Cameracensibus vendicat, & Atrebatensis Urbis populositas longè illam, cui hactenùs subdita fuerat, antecedit.

Et Canonum itaque Decretis, & Prædecessorum nostrorum exemplis freti, nunc tandem, annuente Domino, Atrebatensium justis votis & petitionibus importunis effectum dedimus, & Venerabilem Virum Lambertum, quem communi assensu Electum ad Nos, cum communi Decreto, adduxerant, in Episcopum consecravimus, quæque ad Atrebatensem Parochiam

rochiam antiquitus pertinuisse noscuntur, ipsi & ipsius Successoribus perpetuò regenda & Episcopali jure possidenda Privilegii Auctoritate confirmavimus; nominatim Archidiaconias duas, quarum una *Atrebatensis*, altera dicitur (1) *Ostrevannensis*.

VESTRAM ergo Dilectionem Litteris præsentibus admonemus atque præcipimus, ut ei deinceps tamquam Cardinali Episcopo, & tamquam B. Petri manibus consecrato, subesse & obedire juretis. Unde & Vos & Clericos universos, qui in prædictis Archidiaconiis sunt, à professione Cameracensis Ecclesiæ absolvimus.

SI qui verò hujus nostræ Constitutionis tenore perspecto, prædicto Confratri nostro Atrebatensi Episcopo obedire contempserint, quamcumque in eos sententiam ipse Episcopali moderatione dictaverit, Auctoritatis nostræ pondere firma permaneat.

DATA Romæ VIII. Kalendas Aprilis.

Additio. ALteram Urbani II. Pontificis Epistolam ejusdem argumenti, vide supra in Codice Donat. Piarum Cap. 65. item infra plures alias Epistolas, quas ex *Spicilegio Domni Lucæ d'Achery Monachi Benedictini* collectas, Supplemento Diplomatum Miræi inseremus.

Ceterum Episcopatus Atrebatensis ab ipsis exordiis unitus fuerat Cameracensi, sub Sanctissimis Episcopis Diogene, Vedasto, Gaugerico, Auberto &c. Sed anno 1093, regnante inter Cameracenses Canonicos discordiâ super futuri Præsulis electione, Urbanus II. proprium Atrebatensibus concessit Episcopum Lambertum Gisnensem, Archidiaconum Ecclesiæ Morinensis, & Cantorem S. Petri Insulis.

Atrebatum deinceps fuit sub Metropolitano Remensi usque ad annum 1559, quo inter Suffraganeas Sedes Archiepiscopi Cameracensis cœpit annumerari.

(1) OSTREVANNENSIS. Sunt hodieque duo Archidiaconi in Diœcesi Atrebatensi, videlicet Atrebatensis & Ostrevannensis seu Ostrobantensis. In hoc Tractu Duacum (pro parte) Abbatiæ Viconiensis, Marchianensis, Dononium, &c. continentur.

CAPUT XL.

ROBERTUS *cognomento Hierosolymitanus, Flandriæ Comes, Roberti Frisii filius, in Terra sancta militans, facto voto, Abbatiam S. Andreæ, Benedictinorum, prope Brugas, institui per uxorem suam Clementiam jubet: Baldrico Tornacensi ac Noviomensi Episcopo approbante anno* 1105.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti. Ego (1) BALDRICUS, Dei gratiâ, Tornacensium atque Noviomensium Episcopus, omnibus hìc & ubique fidelibus in æternum gaudere cum gaudentibus.

NULLI pænè fidelium in universo orbe terrarum constat esse incognitum, ROBERTUM juniorem Flandrensium Marchionem, in Jerosolymitano exercitu, præ ceteris omnibus ducem & signiferum Christianorum exstitisse, & ad laudem & gloriam nominis Christi contra Paganos fideliter & viriliter dimicasse.

HIC cùm per varia bellorum pericula Antiochiam pervenisset, & inibi unà cum ceteris Christi fidelibus, ab innumerabili supervenientium Paganorum multitudine obsessus fuisset, divini spiritûs inflammatus igne, & B. Andreæ Apostoli succensus amore (per ipsum enim visitavit, ut aiunt, & liberavit eos Dominus) vovit illicò in quodam Monasterio, prope Brugis sito, in honore ejusdem Apostoli consecrato, in ipsius veneratione Monachos se instituturum.

COGNITO itaque, ejusmodi votum, absque nostro assensu, se adimplere non posse, dilectissimæ sibi conjugi suæ CLEMENTIÆ Comitissæ (quam in omnibus bonis sibi confidebat obedire) Legatos direxit, & litteras continentes, ut sua ex parte Pastoralitatis nostræ providentiam consuleret, & Altare supradicti Monasterii à nobis (ad nostram enim Diœcesim pertinebat) postularet, in quo Monachos constituere posset.

AUDITA igitur prædicti Militis Christi Roberti, Flandriensium Marchionis, viri sui, legatione, venerabilis Comitissa Clementia præsentiam nostram adiit, & ad complendam viri sui voluntatem, Altare de *Betferkerca* (hoc enim nomen prædicti loci antiquitus dicebatur) humiliter & devotè postulavit.

CUJUS humilitatem & devotionem considerans, Lamberto Archidiacono, ceterisque Clericis nostris assentientibus, Rainero quoque ejusdem Altaris Personâ collaudante, supradicto Altari jus libertatis, sub Privilegii auctoritate, condonavi, & Pontificali dignitate illud confirmavi; eâ scilicet conditione, quòd inibi Monachi constituantur.

HIS ita peractis, postquam prædictus Comes Robertus, superatis gentibus, rediit, consilio Principum suorum, me etiam annuente, supradictum locum Abbati Affligemensis Ecclesiæ eâ lege commendavit, ut Monachos ex Cœnobio suo inibi constitueret, & secundùm incrementum exterioris substantiæ, Monachorum quoque numerum suppleret, & regimen loci ipsius tam ipse, quàm posteri ejus, perpetuo jure obtinerent.

ANNUIMUS autem hoc eâ ratione, ut ipse

(1) BALDRICUS seu Baldericus, Tornacensis & Noviomensis Episcopus, Scriptor Chronici Cameracensis, Duaci per Georgium Colveneriuum S. T. D. publicati. Vide supra pag. 80. in Notis.

ſe Abbas mihi meiſque Succeſſoribus de eodem loco debitâ ſubjectione obediat; ut omnibus ritè ordinatis Monachi liberi maneant, & ſecurè Deo ſerviant, nullo eos inquietante, nullo ab eis exactionem aliquam exigente.

Concessimus etiam, ut Abbas ſeu Monachi Presbyterum in eodem loco conſtituant, qui ab Epiſcopo vel Miniſtris ejus curam Parochianorum ſuſcipiat, & tam pro ſe, quam pro eis rationem reddat.

Ne ergò quis Privilegii hujus auctoritatem violare præſumat, anathemate interdiximus, & ſigilli noſtri impreſſione conſignavimus, præſentibus his, quorum ſubſcripta ſunt nomina:

Signum Domini Baldrici Epiſcopi.
S. Archidiaconi Lamberti.
S. Deſiderii Decani.
S. Berthulphi Præpoſiti.
S. Conradi.
S. Gualberti.
S. Raineri.
S. Blithionis.
S. Guidonis Cancellarii.
S. Comitiſſæ.
S. Roberti Caſtellani.
S. Cononis.
S. Lamberti Nappin.
S. Tagmari.
S. Fredebaldi.

Actum Brugis, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quinto, Indictione octavâ, regnante Rege Philippo, Epiſcopante Domino Baldrico, Roberto juniore Principante cum uxore ſua Clementia. 1105.

CAPUT XLI.

Robertus Hierosolymitanus, *Flandriæ Comes, ex Syria domum reverſus, Monaſterium S. Andreæ prope Brugas dotat, Anno* 1105.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego (1) Robertus univerſæ Flandriæ poſt Deum Princeps, divinæ admonitioni aurem cordis inclinans, quæ ait: Theſaurizate vobis theſauros in Cælo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur; ſimulque conſiderans divitias mundi & gloriam corruptioni obnoxiam, neceſſarium duxi, ut per manus fidelium aliquid illo præmitterem, quod moriens integrum invenirem.

Pro mea itaque meorumque ſalute, à Domino Baldrico impetravi, ut Altare de (2) Betferkereka, quæ & Straten appellatur, in honore (3) B. Andreæ Apoſtoli fundatum, libertate donaret, & ex Dominicatura mea duas partes decimarum ejuſdem Eccleſiæ, tam meâ quàm omnium poteſtate abſolvens, libertati & memorato Apoſtolo, ad conſtruendum inibi Cœnobium Monachorum, tradidi.

Et quia tunc temporis bonus odor ſpirabat ex area Affligemienſis Cœnobii, prædictam Eccleſiam Abbati Affligemienſium nomine Fulgentio, tam ipſi quàm poſteris ejus in regimine ſuccedentibus, eâ lege gubernandum tradidi, ut pro facultate loci, Monachos de Cœnobio ſuo illò transferret, & quantumcumque, ex proceſſu temporis, eamdem Eccleſiam per oblationes fidelium, Dominus ditaret, juxta conſiderationem facultatis, Monachos ipſe multiplicaret, & eidem loco tamquam ſuo præſideret, Paſtorali poteſtate & Paternâ providentiâ.

Quod ne quis Succeſſorum meorum infringere, vel ab aliis fidelibus collatum ſeu conferendum eidem Eccleſiæ auferre præſumeret, Chartâ & ſigilli mei impreſſione confirmavi. Facta eſt autem hæc Traditio Brugis, coram ſubſcriptis Teſtibus.

Signum Stephani de Boular.
S. (4) Amorici de Muene.
S. Walteri Flamens.
S. Reinardi Caſtellani de Bruchburch.
S. Freolfi Caſtellani de Berghen.
S. Theoderici de Eſne.
S. Harket, filii Caſtellani.
S. Radulphi, & Ravemari Fratris ejus.
S. Zethabaldi.

Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quinto. 1105.

C A-

(1) Robertus Hieroſolymitanus, Flandriæ Comes, obiit anno 1111. Atrebati ad S. Vedaſtum conditus.

(2) Betferkercke, olim, nunc *Straeten* dictus, Vicus juxta Brugas, in quo ſita eſt Abbatia S. Andreæ. Nomen dedit Familiæ *Vander Straeten*, olim potentiſſimæ ac celeberrimæ.

(3) S. Andreæ Abbatia Ordinis S. Benedicti, juxta Brugas, initio fuit Præpoſitura dependens ab Abbatia Affligemienſi. Poſtmodum verò proprium Abbatem adepta eſt anno 1188; uti infra videbitur ex Diplomate Philippi Alſatii Flandriæ Comitis, hoc libro 2. Diplomatum Belgicorum. Vide etiam infra Origines noſtras Benedictinas.

(4) Amorici de Muene, Fortè Amalrici de Nive.

CAPUT XLII.

WILHELMUS *ab Ipra, Philippi Loensis Comitis filius naturalis, anno* 1118. *Loense Monasterium dotat.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego WILLELMUS, Dei miseratione (1) Philippi Comitis filius, mente pertractans quàm nihil sint universa, quæ temporaliter currunt, revera perpendo, quòd nullæ possessiones vel hereditates meliùs aut tutiùs conservantur, quàm quæ in cælestes thesauros manibus pauperum jugiter collocantur, servorumque Dei usibus in perpetuum profutura offeruntur.

UNDE piis petitionibus Domini GERARDI libenter assentiens, Loensi Ecclesiæ S. Petri Apostoli, cui idem, Domino gubernante, deserviebat, tres mensuras, pro remedio animæ meæ, ac Patris mei, omniumque Parentum meorum, omninò ab omni exactione & debito in perpetuum liberas contradidi; denique hujus Donationis confirmationem, concedente uxore meâ, feci.

ET sciant universi Sanctæ Ecclesiæ filii, quoniam ambo concedimus, ut prædictæ mensuræ, ad opus Canonicorum, & sustentationem pauperum, in potestate suprà nominati Præpositi, Successorumque ejus, omni tempore consistant, & ab omni gravamine mundanæ oppressionis in sempiternum quietè permaneant.

ET ut hæc meæ devotionis oblatio irrefragabiliter confirmetur, & à nemine mortalium temere infringatur, Chartam istam sigilli mei impressione ego signari decrevi, subsequentibusque Testibus astipulando corroboravi.

Signum Fibolfi Castellani Bergensis.
S. Tietbaldi Ariensis.
S. Goiffridi.
S. Rodulfi Fratris ejus.
S. Eustathii.
S. Alardi de Warnestun.
S. Dirolfi Iprensis.
S. Soëri, & Fromoldi Fratris ejus.
S. Willelmi Præpositi Iprensis.
S. Gerbodi Canonici Iprensis.
S. Thomæ Presbyteri Loensis.
S. Gerardi ejusdem Ecclesiæ Præpositi.
S. Folperti, Winnardi, Erchenbaldi, Hugonis, Presbyterorum.
S. Balduini Presbyteri & Canonici.
S. Veirani.
S. Ravanonis, & Hugonis, Clericorum.
S. Petri Scholastici & Notarii.

Actum est autem hoc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo decimo octavo, 1118.
Indictione decimâ tertiâ, regnante Ludovico Francorum Rege, regente Flandriam Carolo Comite, Pontificatûs verò Domini Calixti II. Papæ anno primo, Episcopatûs autem Domini Joannis vigesimo.

(1) PHILIPPUS, Loensis Comes, patrem habuit Robertum Frisium, filium naturalem Guilielmum ab Ipra seu Iprensem, Canty in Anglia Comitem, qui obiit Canonicus Regularis, ut arbitror in Lo. Stemmata nostra Principum Belgii cap. 19. consule.

CAPUT XLIII.

JOANNES *Morinensis seu Taruanensis Episcopus, anno* 1119. *confirmat Institutum & prædia Monasterii Loensis, quod est Canonicorum Regularium in Diœcesi nunc Iprensi.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) JOANNES Dei gratiâ Morinorum Episcopus universis Ecclesiæ Catholicæ filiis gratiam & consolationem Sancti Spiritûs.

QUONIAM gentium Doctor & Apostolus nos specialiter admonet, ut bonum operemur ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, placuit nobis Ecclesiam in honore S. Petri Apostoli fundatam, in Villa quæ vulgò dicitur *Lo*, ab omni spurcitia & Simoniæ infamia diligenter mundatam, dedicare, ipsamque cum omnibus, quæ ad eam pertinent, ad sustentationem Canonicorum, ibidem secundùm Regulam B. Augustini Deo servientium, liberrime liberam facere; excepto quod singulis annis sex solidos Taruanensi Episcopo debent persolvere.

VITÆ namque canonicæ ordinem, quem professi sunt, præsentis Privilegii auctoritate firmamus: & ne cui post professionem exhibitam proprium quid habere, neve sine Abbatis vel Congregationis licentia, de Claustro discedere liceat, interdicimus.

IPSIS itaque suisque Successoribus, in eadem religione permansuris, ea omnia perpetuò possidenda sancimus, quæ in præsentiarum obti-

(1) JOANNES, Morinensis Episcopus, varia Canonicorum Regularium Cœnobia in sua Diœcesi fundavit vel auxit; in his & S. Martini Iprense, quod nunc est Cathedrale Canonicorum sæcularium Collegium.

tinere videntur, Ecclesiam scilicet ipsam S. Petri, cum tertia parte decimæ de annona, & tota decima trium divisionum, sicut antiquitus dispartitæ sunt in Parochia.

Imò cum universa decima lini, agnorum, ceterorumque animalium, vel fructuum, terram etiam, quam Winnardus, Everardus, Rembaldus, Dodo & Dodinus, Veiramus & Erenbaldus, Canonici, atque Ingramus Laïcus, conversionis suæ tempore, S. Petro obtulerunt, & terram quæ vulgò dicitur Ecclesiæ terra, Stocheto, Roiameth, & quæ Præconis atque Oufridi terra vocatur, omnemque simul terram tam à Parochianis, quàm à ceteris fidelibus, pro redemptione animarum suarum, & parentum suorum, prædictæ Ecclesiæ S. Petri contributam.

Quæque verò Philippus, filius Roberti Marchionis cognomento Frisonis, cum fratre suo Roberto Comite Flandriæ, eidem Ecclesiæ concessit, (1) Comitatum videlicet & Advocationem, stallum & teloneum, & quidquid sæcularis juris super terram & mansionarios S. Petri habebat, & quæcumque deinceps concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, justè & canonicè adepti fuerint.

Item statuimus, ut obeunte ejusdem loci Abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ vel violentiâ intrudatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel certè Fratrum pars consilii sanioris, de suo, si idoneus inventus fuerit, Collegio, secundùm Dei timorem, sibi præesse providerint.

Quod si huic regimini congrua persona in eadem Congregatione non fuerit, cum consilio Episcopi & aliorum religiosorum virorum, aliunde talis eligatur, qui tam dignitate loci, quàm speculatione magisterii digne eis præponatur.

Si qua sanè Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis Paginam sciens, temerè eam infringere tentaverit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione condignâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio de perpetua iniquitate cognoscat, & à sanctissimo Corpore Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & in futuro apud districtum Judicem præmia æternæ retributionis inveniant.

Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nono decimo, Indictione duodecimâ, regnante Ludovico Francorum Rege, Karolo Comite Flandriam regente, anno Papatûs Domini Calixti primo, & Præsulatûs Domini Joannis vigesimo: & confirmatum coram his Testibus. 1119.

Signum Harberti Archidiaconi.
Walteri Archidiaconi. Lamberti Abbatis.
Ingelberti Abbatis. Arnulfi Præpositi.
Willelmi Præpositi. Hugonis Præpositi.
Goselini Decani. Walteri Thesaurarii.
Bernardi Capellani. Hugonis Magistri.
Hugonis Furnensis. Walteri Furnensis.
Joannis Ariensis Præpositi.
Lamberti Casletensis Præpositi. Fulcardi Decani.
Hugonis Decani. Erembaldi Decani.
Alaini Decani.
Arnulfi Decani. Normanni Decani.

(1) Hinc Abbas Loensis dicitur Comes Loensis.

CAPUT XLIV.

Campi Veteris Monasterium, Ordinis Cisterciensis, prope Rhenobercam, Diœcesis Coloniensis Oppidum, anno 1122. *fundatur ac dotatur à* Frederico *Archiepiscopo Coloniensi.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fredericus, Dei gratiâ Archiepiscopus Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ, omnibus in Christo piè viventibus tam præsentibus quàm futuris.

Quamquam primi Parentis excessu, in hujus exilii ærumnosam cæcitatem à gaudio beatæ felicitatis dejecti simus, non tamen ita præcisi atque abrupti sumus, ut non etiam in rebus his mutabilibus degentes, æternam beatitudinem quærere debeamus.

Quod quidem & Nos, licet indigni, perspicuè considerantes, quidquid spei, quidquid recompensationis misericordiæ operibus sit, non ignorantes, ad honorem gloriæ Magni Dei, ad decorem Domûs Domini, aliquos novellæ plantationis Cisterciensis ramusculos, hortis Ecclesiæ nostræ spiritualiter inserere, propositum assumpsimus; quorum sub umbra si fortè coaluisset spiritus noster, à curis liber exterioribus aliquando requiesceret, ibique cubans in meridie decolorantis æstum solis subterfugeret.

Hujus itaque rei confidentiâ animati, freti & erecti, tandem accito Fratre Arnulpho, viro quidem satis religioso, qui quondam nostræ matris ubere lactatus, in virilis jam animi robur evaserat, contemptoque mundi flore, diversis diversarum virtutum gradibus incedens, Morimundensi videlicet Ecclesiæ, Curæ Pastoralis sollicitudine, præerat, inter cetera, ut aliquos de pusillo grege sibi credito, suæque Professionis Monachos ad Nos transferret, quantum ad Cœnobii unius institutionem sufficeret, voluimus, petivimus & impetravimus.

Quos humiliter adductos, & lætâ expectatione receptos, in loco solitario, qui Campus vulgò dicitur, prudenti prudentum consilio, instigante Spiritu Sancto, benignè collocavimus. Quibus etiam suisque Successoribus, B. Benedicti Regulam pari ordine, id est, secundùm Instituta Cisterciensium, servantibus, locum prædictum tam à Curia nostra in Berke, ad quam pertinere videbatur, quàm incolis ejusdem loci, liberè absolutum, cum omni decimatione & utilitate, agris videlicet cultis & incultis, silvis, aquis aquarumque decursibus, paludibus, pratis & pascuis, (concessâ etiam iis uti circumjacente silvâ, quæ ad Jus Episcopale pertinet: quantum ad porcorum pabula, & ad instaurationem officinarum suarum opus fuerit) clementi benignitate manumisimus, concessimus & æternaliter tradidimus.

Præterea quæcumque piâ fidelium liberalitate ibidem Deo famulantibus collata sunt, vel conferri possunt, sub B. Petri defensionis cautelam suscipimus, colligimus & comprehendimus.

Ut autem liberiùs Divino operi jugiter insudare valeant, non solùm eos à Decani & Archidiaconi, verùm etiam ab omni sæculari jurisdictione perpetualiter absolvimus: nec....nisi in quantum primæ institutionis eorum Privilegium patitur, ex Episcopali Dignitate ab illis exigimus, nec amodo exigendum decernimus.

Proinde ut paginæ hujus memorabilis Edicta rata permaneant & inconcussa, tam banni auctoritate, quam sigilli nostri impressione corroboravimus:

Hoc specialiter subnectentes, ut nulla umquam cujuscumque dignitatis, gradûs vel ordinis persona audeat, vel præsumat ipsam Ecclesiam, vel religiosè in illa famulantes ullo modo inquietando molestare, vel de suis mobilibus vel immobilibus ausu temerario attingere.

Quoniam dignum est, ut qui continuo obsequio Christi solius militiæ excitantur, indeficientis nostræ inspectionis salubri munimine protegantur.....

Ex Campo Veteri multa Monachorum ejusdem Ordinis Monasteria, velut filiæ, prodierunt: ut

Valkenreda in Diœcesi Moguntina, prope Harthoniam, an. 1128. fundata ab Adelheide Comitissa de Clettenberg.

Volkolderoda in Thuringia & Diœcesi Moguntina, anno 1131. ab Helmburge Comitissa de Glichen.

Amelungesborna in Saxonia & Diœcesi Hildeshemensi, anno 1135. à Sigefrido Comite Botemelburgio.

Harswitehusa in Westphalia & Diœcesi Paderbornensi, anno 1141. à Bernardo Episcopo Paderbornensi

Lapis S. Michaelis, Michelstein, in Saxonia & Diœcesi Halberstadiensi, anno 1146. à Beatrice Abbatissa Quendelimburgensi.

Campus Novus, in Diœcesi Suerinensi, anno 1234. à Wencellao Rugiæ Principe.

Ex his & alia plurima Monachorum ejusdem Instituti Cœnobia prodierunt, ut

Aula Regia in Bohemia, juxta Pragam, anno 1304.

Lucka in Saxonia ac Diœc. Mindensi, anno 1143.

Novale S. Mariæ, Marienraed, in Diœcesi Hildeshemensi, anno 1244.

Pelplinum, in Prussia, & Diœc. Uladislawiensi.

Campus S. Mariæ in Diœcesi Monasteriensi, anno 1185.

Haut procul ab Urbe Coloniensi est & *Mons Vetus*, ab Eberhardo, Adolphi Comitis Montensis Fratre, fundatus, Castro Aldenburgensi in Monasterium Ordinis Cisterciensis commutato, in quo sepulti sunt Comites & Duces Montenses. Vide suprà lib. 1. Diplomatum Belgic. cap. 96.

CAPUT XLV.

Walterus *de Trudeneris, Vir Nobilis, Monasterio S. Laurentii Leodicensi dat Prædium suum Avernense, in Comitatu Steppensi. Quam Donationem suis litteris confirmat Albero Leodicensis Episcopus anno 1124.*

In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Albero gratiâ Dei Leodiensis Episcopus, notum facio præsentibus & futuris Christi fidelibus.

Quia Walterus de Trudeneris liber homo, Prædium quod habebat in minori Avernas in Comitatu de (1) Steps, tradidit, pro salute animæ suæ, ad Altare B. Laurentii, ex integro tam in cultis & pratis, quàm in nemore & censu & familia, quæ illo tempore in ipso manebat Prædio, cum omnibus usurariis & appenditiis suis, cum omni decima indominicatûs proprii, necnon & tota justitia ipsius Prædii.

Advocatiam verò ipsius Prædii liberam reliquit in manu Leodiensis Episcopi, ut ei soli de omni injustitia reclamet Ecclesia S. Laurentii, & ut nunquam eandem Advocatiam in beneficium det alicui. Nam in pretium redemptionis animæ suæ, ipsum allodium Deo & S. Laurentio obtulit, & ideo Leodiensem Episcopum Advocatum ibi esse voluit, qui specialis Provisor & Pastor erat ipsius Walteri, tamquam liberi hominis, sicut & ceterorum liberorum hominum principatûs proprii.

Homines verò, qui de terra censuali ejusdem Prædii sunt beneficiati, fundos suos ab Abbate tenebunt, sicut eo die tenebant, quo ipsum Prædium S. Laurentio est traditum, nec præter simplicem terræ censum aliquod requisitionis jus, sive ullam districtionem ibi habebunt: quia omnia hæc ad Abbatem pertinentia sunt, & ei de omni injustitia est proclamandum.

Diffinitum est etiam, ut nec Walterus dum

dum vivit, nec post eum Abbas aliquis quidquam de terra & decima indominicali, vel de censu, sive de omni reditu ejusdem Prædii beneficiare aut diminuere possit; eò quod eleëmosyna Deo & S. Laurentio oblata sit.

Ipse verò Walterus usumfructum ejusdem Prædii in vita sua sibi ex integro retinuit: & ideo, ne vel ab ipso dum vivit, vel ab aliquo, postquam obierit, ullâ surreptione infringi possit, summam terræ ad indominicatum S. Laurentii pertinentis, summam quoque censûs, aliorumve redituum, hic subannotari placuit.

Primò quidem totam decimam ad indominicatum S. Laurentii pertinentem, sive in fructibus terræ cultilis, sive in fructibus domestici nutriminis: deinde viginti bonaria terræ indominicalia, & de terra censuali solidos XLI. & III. denarios, in tribus terminis, Epiphania scilicet, & Nativitate Sancti Joannis, & Festivitate S. Remigii. Quattuor quoque modios avenæ, in solennitate S. Martini, & XXII. capones in Natali Domini, & octo panes, cum totidem cerevisiæ picariis.

Familia quoque ipsius Prædii, id est, servi & ancillæ singulis annis censum solvent capitis sui denarios X. unum ad Altare S. Laurentii, in Festivitate S. Martini. Et cum aliquis eorum sine herede obierit, XII. denarios dimittet Ecclesiæ S. Laurentii.

Quæ omnia nos rata & inconvulsa perpetuò manere decernimus, & pro confirmationis testimonio Chartam hanc conscribi jussimus, & nostri sigilli impressione roboravimus, excommunicantes & æternæ maledictionis anathemate condemnantes eos, qui quovis malignitatis ingenio quidlibet horum infringere tentaverit, & Ecclesiæ S. Laurentii ullam inquietudinem aut molestiam concitaverit.

Testes fuerunt Archidiaconi omnes.
Andreas Præpositus.
Henricus Decanus.
Henricus junior.
Alexander, Adelmanus, Seppo,
Emmo, & alii multi ex Clero S. Lamberti.

De Nobilibus viris.

Godefredus Comes Namurcensis.
Arnulfus Comes Lossensis.
Gisbertus Comes de Duras.
Lambertus Comes de * Monte Acuto. * Forte Agmont.
Wigerus Advocatus.
Willelmus de Loffez.
Godelschalcus de Merelevers, frater ejusdem Walteri, & alii multi de familia Ecclesiæ.
Theodericus de Ponte.
Widericus de Prato. Avelinus.
Lambertus de Hoyo, & Arnulphus frater ejus.
Albertus de Villier, & Theodericus frater ejus, & alii multi.

Actum Leodii anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo quarto, Indictione primâ, regnante Henrico V. anno regni ejus decimo septimo. 1124.

Sancti Laurentii Abbatia exempta, Ord. S. Benedicti, olim extra, nunc intrà Leodium, inchoata fuit circa annum 960. ab Eraclio Leodiensium Episcopo, atque à Successoribus Notgero, Wolbodone, & Ragnero insigniter aucta ac dotata. Plura vide infrà inter Origines Benedictinas.

(1) Steps. Vulgò *Steppe*, antiquus Vicus ac Comitatus in Hasbania, celebris victoriâ Hugonis de Petraponte Episcopi Leodiensis contra Brabantos anno 1213. Vide Scriptores Historiæ Leodiensis.

CAPUT XLVI.

Theodericus Alsatius, *Flandriæ Comes, ejusque uxor* Suanehilda, *Prædia & Privilegia Loensi Monasterio à Prædecessoribus suis concessa, firmant anno* 1130.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Theodericus Dei gratiâ Comes Flandriæ, cum generosa uxore mea Suanehilda, confirmando Privilegia Prædecessorum meorum Rotberti & Karoli, terram Preconis, ceterasque possessiones, quas S. Petro de Lo dederunt, Comitatum etiam, stallum, totiusque Opidi teloneum, expeditionem, & quod Teutonicè dicitur *Balguart*, tensuram & creditionem, atque omnem exactionem, vel quidquid sæcularis juris super terram ac mansionarios ejusdem S. Petri habuerunt, ob remedium animæ meæ & Parentum meorum, libenti animo concessi Canonicorum ibidem Domino servientium usibus profutura in perpetuum.

Si autem fuerint duella, raptus mulierum, quod vulgò de *Wifsverdragan*, homicidia infra prædictos terminos extrà atrium evenerint, & horum quorumlibet reus inibi capiatur, vel si Ecclesia de hujuscemodi clamorem mihi faciente, sententiâ capitali aut membrorum mutilatione justè damnetur, quod modum vel vires ejus excedit, hoc procul dubio ad jus meum pertinebit: eâ videlicet conditione, ut si reus per pecuniam redemptus fuerit, duas partes pecuniæ, pro emunitate Ecclesiæ habeat, tertia verò meis usibus cedat.

Ne ergò cuilibet hominum liceat eamdem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel teme-

temerariis vexationibus fatigare, hujus doni collationem sigilli mei impressione munio, coram subtitulatis Testibus:

Iwaino de Truncinis,
Daniële de Tenremonde,
Willelmo de Boulara,
Waltero de Tornaco,
Willelmo, filio Philippi Comitis,
Waltero filio Alardi,
Gerardo Camerario,
Willelmo Castellano de S. Audomaro.
Isaac Formosolensi,
Henrico Broburgensi,
Lamberto de Rinenghelles,
Anselmo, & Baldewino fratre suo,
Volcrano de Lampernissa.

Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tricesimo, Indictione octavâ, regnante Ludovico Francorum Rege, & præsidente Gerardo quinto Præposito memoratæ Ecclesiæ. 1130.

CAPUT XLVII.

Diploma Philippi Alsatii, *Flandriæ ac Veromandiæ Comitis, datum anno* 1181, *in favorem præfati Monasterii Loensis.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Philippus Dei gratiâ Flandriæ & Viromandiæ Comes, confirmando Privilegia Prædecessorum meorum, Roberti, Karoli, & Domini Theoderici Patris mei, terram Preconis, ceterasque possessiones, quas S. Petro de Lo dederunt, Comitatum etiam, stallum, & totius Opidi teloneum, & expeditionis retinendæ libertatem, & quod Teutonicè dicitur *Balguard*, tensuram, & creditionem, atque omnem exactionem, vel quidquid sæcularis juris super terram ac mansionarios ejusdem S. Petri habuerunt, ob remedium animæ meæ, & Parentum meorum, libenti animo concessi, Canonicorum ibidem Deo servientium usibus profutura in perpetuum, &c. *ut supra*.

Ne autem &c. *ut supra*, coram subtitulatis Testibus,

Gerordo de Mecinis,
Anselmo Præposito de Eversam,
Waltero de Lo,
Waltero Camerario de Ipra,
Riquardo Blavoet de Furnis, & aliis multis.

Actum est hoc Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo octogesimo primo. 1181.

Theodericus Alsatius anno 1168. obiit, Watenis secundo lapide ab Audomaropoli sepultus.

(1) Philippus Theoderici filius decessit anno 1191. sine liberis, in obsidione Ptolemaidis in Syria.

CAPUT XLVIII.

Lotharius III. *Cæsar, Richilde conjuge sua & Conrado Comite Lutzeburgensi petentibus, anno* 1131. *dilatat viam navalem in alveo Suræ fluminis, eamque concedit Abbati Epternacensi.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Lotharius tertius Dei gratiâ Romanorum Rex.

Cùm venissemus Epternacum, implorandi gratiâ S. Clementis Willibrordi patrocinia, notum factum est nobis, Antecessorem nostrum Imperatorem Henricum concessisse Epternacensi Abbati suisque Fratribus, liberâ potestate uti navium cursu & recursu, per alveum fluminis, quod dicitur Sura, judiciario jure Principum, suæ Imperiali annotatum dominationi; sed rectorum incuriâ, & æmulorum perfidiâ frequenter impeditum.

Quod nos ægrè ferentes, volumus renovare, & salutis nostræ gratiâ, Regalis sigilli nostri impressione confirmare.

Et quia experti sumus rei veritatem à majoribus natu Trevericæ Sedis, testimonium perhibentibus, rogatu & auxilio conjugis nostræ Richildæ Reginæ, & Episcopi Megingoti de Merseburg, & Comitis Conradi, qui præest eidem Abbatiæ,

Mittimus nuntios nostros, ad terminandam & dilatandam marcam, seu navalem viam in alveo supradicti fluminis xx. pedum latitudinis, hoc est, Gerardum de Castello Rutich, & cum eo majores de Abbatia, necnon Lodewigum primorem Treverorum, & cum eo meliores de civitate, quos ipse elegerit.

Huic negotio interfuere

Episcopi,

Stephanus Metensis Episcopus,
Henricus Tullensis,
Megingotus Merseburgensis.

Abbates.

Gerardus S. Maximini de suburbio Treverensi,

Lant-

Lantfridus Prumiensis,
Wieboldus Stabulensis.

Ex Laicis,

Wilhelmus Palatinus Comes,
(1) Conradus Comes de Lucelenburg,
Comes Otto de Rineke, fraterque suus de Salmes,
Hermannus Comes,
Comes (2) Reinoldus de Montzum,
Gerlacus Comes, fraterque suus Imecho,
Comes Meinhardus de (3) Spenheim,
Bernhardus de * Huonstaden, (* Hosta-den.)
Adolphus de Saphenberg.

Ex Ministerialibus Treverensibus.

Ludowigus Palatii Custos.
Item Ludowigus, Henricus, & ceteri plures tam ex Clero, quàm ex Laicis de Epternaco.
Cuono Winithore.
Godefridus Ravanger.
Signum Domini LOTHARII tertii Regis invictissimi.
Tietmarus, ad vicem Adelberti Archicancellarii, recognovit.
DATUM IX. Kalendas Maii, anno Incarnationis Domini MCXXXI. Indictione IX. 1131.
anno verò regni Domini Lotharii tertii, Dei gratia, Romanorum Regis Serenissimi, sexto.
ACTUM Treveris feliciter, amen.

HEnrico V. Imperatori anno 1125. Ultrajecti defuncto, successit LOTHARIUS III. Dux Saxonum, Aquis-grani Idibus Septemb. coronatus, ut Anselmus Gemblacensis testatur.

Idem ab Innocentio II. Papa, an. 1131. die 21. Aprilis, Dominica 4. Quadragesimæ, Leodici coronatus est, cum Richilde conjuge sua: ut Dodechinus, Otho Frisingensis lib. 7. cap. 18. & Ægidius Aureæ Vallis Monachus commemorant. Obiit III. Kalendas Decembris, anno 1137. ut idem Dodechinus, & Scriptor Auctarii Gemblacensis testantur: quod nota contra Baronium, Lotharii obitum ad annum 1138. referentem. Successit CONRADUS, Henrici V. Imperatoris ex sorore nepos, anno 1138. Dominicâ 4. Quadragesimæ Aquis-grani coronatus.

(1) CONRADUS Comes, qui præest Abbatiæ. Conradus, inquam, Comes Luxeburgensis, Gulielmi filius, qui inter testes Laicos hic numeratur. Fuit autem Abbas commendatarius Epternacensis, ut ante ipsum Sigefridus, & alii nonnulli Comites Luxeburgenses.

(2) REINOLDUS de Montzum, vulgò *Pont à Mouson*: quod est oppidum Lotharingiæ superioris, Academiâ clarum. Reinoldus hic, cognomento Monoculus, fuit primùm Mussiponti, pòst Barri Comes: ut Andreas Quercetanus lib. 4. cap. 16. Hist. Burg. narrat. Habuit Patrem Ludovicum & Matrem Sophiam Comitissam Barrensem, filiam Ducis Lotharingiæ Mosellanæ, sororem Beatricis.

(3) SPENHEIM sive Spanheim. Comitatus hodieque notus in Palatinatu Rheni. Est ibidem, prope Crucenacum Oppidum, Spanheimense Benedictinorum Monasterium, in quo professus fuit anno 1482. Vir celeberrimus *Joannes Trithemius*, dein Abbas primùm Spanheimensis, pòst Herbipolensis ad S. Jacobum, ibidem anno 1511. vitâ functus. Edidit *Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum*, aliaque Opera præclarissima.

CAPUT XLIX.

Idem LOTHARIUS III. *Imperator, petente uxore suâ Richinza, Decimas vicorum de Santfliten & Orderen, Canonicis Ecclesiæ Antverpiensis ab* HENRICO V. *Imperatore anno* 1119. *datas, confirmat. anno* 1133.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. LOTHARIUS, divinâ favente clementiâ, tertius Romanorum Imperator Augustus.

CUM in iis, quæ à nobis justè & rationabiliter petuntur, omnium petitioni condescendendum sit, præcipuè exauditionis aures illis præbere debemus, quorum fidelitatem experti sumus & devotionem.

ADHIBITO itaque Scripti nostri testimonio, tam futuris quàm præsentibus notum esse volumus, qualiter nos, instinctu dilectæ nostræ (1) RICHINZÆ, petitioni fidelis nostri Magistri Rathwardi acquievimus, Ecclesiamque S. Mariæ Dei Genitricis, quæ est in Burgo, qui vocatur ANTWERP, debitâ amplectentes veneratione, decimam omnem, quæ continetur à terminis (2). Zantfliten usque (3) Olmeremuthen, ab Antecessore nostro Imperatore (4) Henrico quarto, Ecclesiæ S. Michaëlis in eodem Burgo collatam, cum integritate Præposituræ, & omnibus appenditiis suis, præfatæ Ecclesiæ S. Mariæ assignamus.

IN qua confirmatione priorem tenentes dispensationem, decrevimus, ut quarta pars prædictæ decimæ Præposito, reliquæ verò præfatæ Ecclesiæ S. Mariæ incommutabiliter serviant.

INVIOLATAM itaque esse volentes nostræ Confirmationis auctoritatem, præcipiendo jubemus, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla denique magna parvave persona, in his concessis, sæpiùs dictam Ecclesiam inquietare, divestire, aut molestare præsumat.

SI quis verò contra hoc conari præsumpserit, centum libras auri, medietatem Cameræ nostræ,

(1) RICHINZA. Richilda seu Richildis, Lotharii III. Imperatoris conjux.

(2) SANTFLITEN, nunc *Santvliet*, vicus ad Scaldim, inter Antverpiam & Bergas ad Zomam, olim piscatorum copiâ potens, nunc egregiè munitus.

(3) OLMERENUTHEN, nunc *Olmeren*, vicus Brabantiæ, eodem in tractu.

(4) HENRICO Quarto, aliàs Quinto, si Henricum Aucupem Imperatoribus annumeres: ut lib. 2. horum Diplomatum Belgicorum cap. 41. edocui. Henrici Diploma anno 1119. (non anno 1125. ut vitiosè excusum legitur) Trajecti datum, exstat in Codice Donationum piarum cap 74.

nostræ, & medietatem præfatæ componat Ecclesiæ.

Quod ut veriùs credatur, & ab omnibus diligentiùs custodiatur, præsentis Decreti Paginam sigilli nostri impressione notavimus Huic autem Confirmationi idoneos adhibuimus Testes,

Brunonem Coloniensem Archiepiscopum.

Episcopos,

Andream Trajectensem,
Werinherum Monasteriensem,
Alexandrum Leodiensem,
Luithardum Cameracensem,
Adalberonem Basiliensem,

Palatinos Comites,

Otthonem & Fridericum,
Adelbertum Marchionem.

Signum Domni Lotharii tertii Romanorum Imperatoris invictissimi. Ego Berthulous, vice Voelberti, recognovi.

Data anno Incarnationis Domini millesimo centesimo trigesimo tertio, Kal. Januarii, 1133.
Indictione undecimâ, anno verò Regni Regis Lotharii nono, Imperii secundo. Actum Aquisgrani in Christi nomine feliciter, amen.

CAPUT L.

Gosuinus *Dominus Heinsbergensis & uxor ejus* Aleidis *fundant Monasterium Heinsbergense, quod nunc est Virginum Ordinis Præmonstratensis in Ducatu Juliacensi, & Diœcesi Leodicensi; confirmante Alexandro Episcopo Leodicensi anno* 1165.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Alexander secundus Dei gratiâ Leodiensis Episcopus omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

Si officii nostri locum & dignitatem consideremus, necessarium est, ut bona non tantùm coram Deo, sed coram omnibus hominibus faciamus, & piam fidelium intentionem erga sanctam Ecclesiam debitâ auctoritate roboremus.

Noverit itaque dilectio vestra, quòd Dominus (1) Gozwinus secundus Henesbergensis, & uxor ejus Aleidis, animarum suarum, parentum quoque & filiorum memores, Basilicam monti suo collateralem, in honorem Domini nostri Jesu Christi, Matrisque ejus fundaverunt; & eam per manum Prædecessoris nostri Heinrici consecratam, & mancipiis, agris & arbustis dotatam, divinæ servituti obtulerunt.

1165 Anno verò Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo quinto, Indictione decimâ quartâ, regnante Friderico Romanorum Imperatore, in Ecclesia B. Mariæ in Aquis-grani, ab ipso Fundatore Gozwino & filiis ejus Philippo Archidiacono, Gozwino, Godefrido, consentientibus, rogati sumus, quæ prædictæ Basilicæ dotis sunt allodia (ne aliquis ausit diripere ab ipsis (2) Fratribus ibi Domino militantibus) banno sancire, & summam totius reditûs ejusdem Basilicæ scripto enumerare.

In ipso etenim fundo Henesbergensi cum agris & arbustis mansi duo; Rode mansi undecim, Waldenrode mansi duo, in loco qui vulgo *Ad quercum* dicitur, mansus & dimidius. Eumdem quoque locum communionem sylvæ & pastus, per suæ potestatis ambitum, habere instituit.

Communicato itaque consilio cum ipso Domino Gozwino & filiis ejus, maximè rogatu Domini Philippi Præpositi majoris Ecclesiæ & Archidiaconi, hæc confirmata sunt & sigillo nostro roborata III. Idus Martii, quod tunc erat in capite jejunii, in celebri Curia nostra Leodii, & Testes idonei suppetati, quorum sunt nomina,

Dominus Elbertus Archidiaconus.
Dominus Reinerus Archidiaconus.
Dominus Almericus Archidiaconus.
Dominus Balduinus Archidiaconus.
Dominus Bruno Archidiaconus.
Dominus Hubertus Decanus S. Lamberti.
Abbas Drugo S. Jacobi.
Abbas Everhelmus S. Laurentii.
Abbas Gerlandus Floreffiæ.
Abbas Lucas de Cornillon.
Godefridus Dux Lovaniæ.
Heinricus Comes Namucensis.
(3) Lodewicus Lonensis
Herewigus Decanus.
Rutgerus filius Domini Gozwini.

Ne igitur quisquam huic liberæ traditioni in posterum contraire præsumat, omnimodis probibemus, & sub anathematis intentatione interdicimus.

C A-

(1) Gozwinus, seu Gosuinus, illo nomine secundus, (qui signavit lib 1. Diplomarum Belg fol. 185.) Dominus Heinsbergensis, & uxor ejus Aleidis seu Adeleidis, ad pedem arcis Heinsbergensis, Monasterium in honorem S. Mariæ & S. Joannis Evangelistæ construxerunt ac dotarunt, quod intra muros Oppidi Heinsbergensis hodie Moniales Ordinis Præmonstratensis, nobili genere natæ, possident. Fuit olim extra muros situm, usque ad annum 1542. quo conflagravit, bello inter Carolum V. Cæsarem & Gulielmum Juliæ Ducem sæviente.

Est autem Heusberga, seu Heinsberga, Oppidum Ducatûs Juliacensis, & Diœcesis Leudicensis, cujus Oppidi dominium ad Juliacenses Principes est devolutum, Familiâ veterum Dominorum Heinsbergensium emortuâ.

(2) Fratribus ibi militantibus. Ut alia pleraque Præmonstratensia, sic & Heinsbergense Monasterium olim fuit utriusque sexûs: ut datur intelligi ex subsequentibus Diplomatibus. Hodie Præpositum habet ex Ordine Præmonstratensi, qui Monialibus præest.

(3) Lodewicus Lonensis, seu Lossensis Comes. De Comitibus Lossensibus vide infra Chron. Belg. ad annum 1070.

CAPUT LI.

PHILIPPUS HEINSBERGIUS, *Coloniensis Archiepiscopus*, *Monasterii Heinsbergensis Fundationem*, *à patre suo Gosuino & matre Adeleide factam*, *confirmat* *Anno* 1180.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ego (1) PHILIPPUS, Dei gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus in perpetuum.

CUM omnibus in bono servire debeamus Ecclesiis, maximè tamen honestum est, ad confirmationem veritatis, nos cooperatores exhibere domesticis.

NOVERIT ergò omnis futura generatio, quòd Dominus meus & Pater carnalis GOZWINUS, hujus nominis secundus de Heinsberg, & Domina mea & Mater ADELEIDIS, consentientibus omnibus heredibus suis, meipso scilicet & Fratribus meis, GOZWINO, HERIMANNO, GODEFRIDO, Sororibusque, UDA, METHILDE, SALOME, partes allodii sui, duos videlicet mansos qui fuerunt feudum Godefridi, item duos mansos, qui fuerunt Arnoldi, continuatim jacentes, in suburbio ipsius Castri, pro salute animarum suarum, omniumque Parentum, Deo omnipotenti intimâ atque perfectâ voluntate obtulerunt, constructâ ibidem Ecclesiâ in honore Dei & sanctissimæ atque piissimæ Genitricis ipsius Mariæ, ad Altare ipsius in die consecrationis, quando à Domino Henrico secundo, piæ memoriæ, Leodiensi Episcopo, prædicta consecrata est Ecclesia, addito insuper allodio suo, quod dicitur *Rode Huberti*....

DE cetero quantamcumque libertatem potuerunt, tam ipsi quàm Leodiensis Episcopus Dominus Henricus, eidem Ecclesiæ concesserunt: ita ut si, Deo auctore, vel Præpositurâ, vel alio quolibet Priotatu sublimari possit, solâ electione Fratrum, & nullâ violentâ accessione extraneorum promoveatur, quicumque ipsis maximè idoneus videbitur. Isque curam Fratrum de manu Episcopi, gratis & absque omni contradictione, suscipiat.

NULLI denique Archidiacono, nulli Decano, excepto suo Præposito vel Priore, rationes reddant de suæ familiæ delicto. Oleum quoque & Chrisma ab ipso Leodiensi Episcopo. quilibet Fratrum accipiet in Pascha, à quo & potestatem habent recipiendi ad Baptismum & Communionem liberorum hominum infantes, vel quicumque ab eis exigunt, cum Parochiani sui licentia.

IN ægritudine verò mortis positus Curiam *Haneberg*, quæ quinque mansos habet, & in *Haget Sittert* viginti bonuaria, tradidit. In via *Schinvelt* allodium, quod solvit dimidiam marcam, tam ipse quàm Domina mea, per manus nostras & Fratris mei Godfridi, prædictæ dederunt Ecclesiæ......

HANC igitur donationem & libertatem tam legaliter factam, quamvis non titulo Episcopatûs aut Archiepiscopatûs, tamen jure ad nos respiciat, auctoritate Dei omnipotentis atque nostrâ communimus, & sigilli nostri impressione signamus: & ne qua in posterum spiritualis secularisve persona imminuere aut infringere audeat, sub anathematis vinculo interdicimus. 1180.
Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo.

C A-

Addicio.

(1) PHILIPPUS HEINSBERGIUS, Archiepiscopus Coloniensis, idem qui Capite præcedenti dicebatur Præpositus & Archidiaconus Cathedralis Lambertinæ Leodii. Obiit anno 1191.

Ex Familia Lossensi-Heinsbergica erat Joannes, qui anno 1419. electus Leodiensis Episcopus, anno 1455. abdicavit in favorem Ludovici Borbonii, & quarto pôst anno obiit.

Cæterùm *Joanna Lossensis*, Domina & heres Heinsbergica, Diesthemiensis &c. Neptis præfati Episcopi *Joannis*, Maritum accepit anno 1454. *Joannem* Nassovii, ac Saræpontis Dominum.

Hinc natæ sunt filiæ, *Elisabetha* & *Joanna*. Prior nupsit *Wilhelmo* postremo Juliæ Duci (de quo supra pag. 214.) illa verò obiit in primo puerperio anno 1479.

Joanna Lossensis, Domina Diestensis, Sichemiensis, &c. Soror *Elisabetha*, conjugem habuit *Joannem* Comitem Palatinum, Ducem Bavariæ, qui illa uxoris suæ dominia vendidit affini *Guilielmo* Duci Juliacensi; cum Heinsberga priùs cum suis appendentibus per matrimonium *Elisabetha* transiisset in Domum Juliacensem; cujus incorporationem Dux impetravit à *Frederico* Cæsare anno 1489. *Ita habet Prælatus Butkens in operibus Genealogicis & Historia Comitum Lossensium edita Leodii anno* 1717.

CAPUT LII.

Aliud ejusdem PHILIPPI HEINSBERGII, *Coloniensis Archiepiscopi, Diploma, anno* 1183. *datum præfato Cœnobio Heimsbergensi.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego PHILIPPUS.... *ut supra :* Noverit ergò omnis futura generatio, quòd Dominus meus & Pater carnalis GOZWINUS, hujus nominus secundus de Heinsberg.... emerit quoddam allodium, scilicet undecim mansos, à manu cujusdam liberi Baronis Huberti, & eos S. Mariæ Cœnobio in Heinsberg contulerit.

SED quoniam, ut omnibus notum est, Acta plurima ætas diluit, Pater meus prædictus Gozwinus, & Mater mea Aleidis, hos mansos eo jure S. Mariæ contulerunt, ut à nullo quod datum est & in agris & in silvis, impediretur, sed solâ libertate doni, & Advocati sui intuitu, Ecclesia illa frueretur.

NOTUM etiam esse volumus omnibus fidelibus, quòd ego PHILIPPUS & Frater meus GODEFRIDUS, post obitum Parentum nostrorum, tres mansos illi Ecclesiæ contulimus in Rode : & sicut quidam Hezelinus, & uxor ejus Gertrudis, possederant, & in agris & in silvis, legem confirmamus. Hæc facta sunt in præsentia

Leodiensis Episcopi Rudolfi, &
Præpositi summæ Ecclesiæ Coloniensis Brunonis, &
Comitis Gerhardi de Gelren, &
Comitis Alberti de Molbach, & aliorum multorum tam Clericorum quàm Laïcorum...

ACTA sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo tertio, 1183.
Indictione secundâ, regnante Friderico Romanorum Imperatore.

CAPUT LIII.

CÆLESTINI *Papæ III. Diploma, anno* 1194. *scriptum, ejusdem argumenti.*

CÆLESTINUS Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo, OFFICIÆ Magistræ & Sororibus Ecclesiæ S. Mariæ in Heinesberg, tam præsentibus quàm futuris, Regularem vitam professis, in perpetuum ......

VESTRIS justis postulationibus clementer annuentes, & præfatum Monasterium S. Mariæ, in quo Divino mancipatæ estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm Deum & B. Augustini Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.....

LOCUM ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, possessiones quas habetis in Heinesberg, & bona quæ habetis in *Rode*, & ea quæ habetis in *Humberse* & in *Hoenge*, & alia quæ à bonæ memoriæ Philippo Coloniensi Archiepiscopo & à Radulfo quondam Leodiensi Episcopo Monasterio vestro confirmata sunt, vobis Auctoritate Apostolicâ confirmamus.....

DATUM Laterani, per manum Ægidii S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, VI. Nonas Julii, Indictione XII. anno
Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo 1194.
nonagesimo quarto, Pontificatûs verò Domini Cælestini Papæ III. anno quarto.

CAPUT LIV.

RUDOLPHI *Leodicensis Archidiaconi Diploma, anno* 1201. *datum iisdem Monialibus Heinsbergensibus.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. RUDOLPHUS, divinâ permittente clementiâ, Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconus, universis Christi fidelibus, qui hoc Scriptum inspexerint, salutem in perpetuum.

PRÆSENTIS Scripti attestatione notum esse volumus, quòd Cœnobium quoddam S. Mariæ prope Castrum in Heinsberg, quod ex Religiosis Fratribus & Sanctimonialibus feminis, Dominus Gozwinus secundus & uxor ejus Aleidis, in suo allodio construxerunt, crescente jam religione, pro numero fidelium ibidem Deo famulanti-

mulantium, non est sufficienter ab his fundatoribus dotatum .....

QUAPROPTER Dominus (1) GOZWINUS de Valckenberg, nepos jam dicti Goswini, & Domina ALEIDIS, neptis ejus, decreverunt Ecclesiam de *Geilenkirken*, quæ ad eorum pertinebat Patronatum, prædicto Cænobio vacantem conferre. Pari quoque donatione prætaxati Nobiles G. & A. stipendium cujusdam Præbendæ de *Geilenkirken* ad supradictum Claustrum transtulerunt.

ISTORUM verò Nobilium piam Institutionem sanctaque desideria Dominus (2) ALBERTUS Leodiensis Episcopus debitâ benignitate consovens, Fratres illius Claustri, nomine Ecclesiæ suæ sibi præsentatos, dono Altaris in *Geilenkirken* investivit, quod eo tempore, post obitum Domini Otthonis Archidiaconi, ad eum pertinebat, Curam animarum iisdem Fratribus indulgens.

CÙM autem hujus rei ordinem justè ac legaliter, coram Prioribus Leodiensis Ecclesiæ & Fratribus Swestrensis Capituli, effectui mancipatum prædictus Dominus Albertus Leodiensis Episcopus, Scripti sui sanctione, ac sigilli sui munimine confirmare debuisset, morte præventus id non perduxit ad effectum.

NOS verò, quia Domino Ottoni in Archidiaconatu successimus, & religiosas personas in Archidiaconatu nostro constitutas in sua justitia fovere debemus, Donationem Altaris in Geilenkirken, his Fratribus factam, ratam habentes, totam hujus rei seriem auctoritate nostrâ confirmamus, cum signis authenticis Domini Gozwini & Aleidis, qui duo facti hujus auctores fuerunt, nostræ quoque imaginis sigillum præsenti Scripto imprimentes.

DATA (3) Swestris in generali Capitulo, in prima Dominica post Pascha, anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo primo, 1201.
concurrente VII, Epactâ XIV. Indictione IV. Hujus rei Testes sunt

Ericus Decanus prædicti Capituli,
Herimannus Pastor de Swestris,
Willelmus Præpositus Marnensis, & omnes Fratres Swestrensis Capituli.

(1) GOZWINUS de Valckenberg fuit Dominus Oppidi Falcoburgensis, ut arbitror: quod dominium, nobis Brabantus Transmosanum, hodie sub Ducatu Limburgensi comprehenditur, unà cum Ditione Dalhemiensi & Roducensi.

(2) ALBERTUS Leodiensis Episcopus Godefridi III. Lotharingiæ Brabantiæque Ducis filius, apud Remos anno 1192. martyrio coronatus, quiescit Bruxellis in Regio Carmelitanarum Virginum Cœnobio; anno 1612. Remis eò translatus, & Martyrologio Romano adscriptus, ad diem 21. Novembris. Fastos nostros Belgicos consule.

(3) SWASTRIS, vulgò *Susteren*, Oppidum Ducatûs Juliacensis, & Diœcesis Leodicensis: in quo est Canonicorum, itemque Nobilium Virginum Canonicarum Collegium, à S. Willibrordo Archiepiscopo Ultrajectino fundatum: ut in Cod. Donation. Piar. cap. 21. docui.

In Susterensi Ecclesia quiescunt S. Gregorius & S. Albricus, Episcopi Ultrajectini. Ibidem sepulta jacet Vastradis mater ejusdem S. Gregorii, & duæ filiæ Suendeboldi Lotharingiæ Regis.

CAPUT LV.

S. ENGELBERTUS *Archiepiscopus Coloniensis & Martyr Possessiones Monasterii Heinsbergensis anno* 1218. *confirmat*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) ENGELBERTUS, Dei gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis Christi fidelibus in perpetuum.

PIUM attendimus, & ad præsentis vitæ decursum prosperiorem, & ad futuræ remunerationem æternam nobis maximè profuturum, quòd loca sancta, monasticæ religioni dicata, paternâ caritate diligamus, & ubicumque possumus promoveamus & conservemus.

INDE est, quòd universitati vestræ cupimus constare, quòd nos Monasterium (2) Beati Gerlaci, & S. Mariæ Virginis perpetuæ apud Heinesberg, ob intimam devotionem tam Fratrum quàm Sanctimonialium, quam ad cultum & servitium Dei habent, in specialem defensionis nostræ protectionem recepimus, eisque omnia bona quæ nunc habent, vel in posterum, dante Domino, justè poterunt adipisci, præsenti Paginâ confirmamus.

SPECIALITER tamen exprimimus Prædium in *Munen*, videlicet centum duodecim jugera terræ arabilis: quod prædium idem Monasterium justo emptionis titulo conquisivit ab Hermanno de Bruege, & ipse Hermannus in præsentia nostra apud Lehegenich in ipsa Ecclesia eidem Monasterio contradidit: & Frater

(1) SANCTUS ENGELBERTUS, anno 1225. pro defensione libertatis Ecclesiasticæ, & Romanæ Ecclesiæ obedientia martyrium subiit, agente & procurante Frederico Comite de Altenach & Ilenberg, qui ideo fuit excommunicatus & positus in rota. Postea Comites de Altenach mutârunt nomen in Marck. Genealogiam Comitum à Marca vide in Chronico nostro Belgico ad annum 1356.

Historia vitæ S. Engelberti, à Cæsario Monacho Heisterbacensi, Ordinis Cisterciensis, scripta, exstat apud Surium. Eandem Notis illustratam denuo evulgavit Coloniæ anno 1633. Ægidius Gelenius Canonicus Coloniensis. Festum S. Engelberti celebrat Ecclesia die 7. Novembris.

(2) S. GERLACUS Eremita Ordinis Præmonstratensis, anno 1170. floruit. Vita ejus exhibebitur infrà in Fastis Belgicis ad diem 5. Januarii. Fundavit Monasterium Monialium dicti Ordinis Præmonstratensis, juxta Falcoburgum, secundo lapide à Trajecto Mosæ, in

ter suus Reimarus Clericus huic facto consensit, pro se & omnibus eorum cognatis vel amicis: & omni juri, quod in Prædio illo videbantur habere, uterque renuntiavit & exfestucavit.

Ita mansum unum in Villa *Hertene*, LX. jugera habentem, quem similiter ipsum Monasterium justè comparavit, ipsi Monasterio in perpetuum confirmavit.

Ad cujus rei certam in posterum evidentiam, præsentem Chartam inde conscriptam sigillo nostro fecimus communiri. Hujus rei Testes sunt,

Gerhardus Præpositus (3) Carpenensis,
Godefridus Carpenensis Canonicus,
Fridericus Præpositus Monasteriensis,
Comes Willelmus Juliacensis,
Theodericus de Roslare,
Arnoldus de Gimmenich, Emundus de Brakele, & alii quàm plures, tam Clerici quàm Laïci. Acta sunt hæc anno Domini millesimo 1218
ducentesimo decimo octavo.

Diœcesi olim Leodiensi, nunc verò Ruremundensi; ubi nunc est celebris Præpositura, sub cura Abbatis Heilissemensis in Brabantia.

Ejusdem S. Gerlaci puteus, seu fons miraculosus hodieque in hoc Cœnobio visitur, in quo etiam requiescunt sacræ ejus Reliquiæ, & Mausolæo marmoreo sequentes versus inscripti leguntur.

Gerlacus miles quondam, pòst cultor eremi,
Hoc mausolæo conditur arte suo.
Contempsitque lares, aras, patriosque penates;
Matta silex, ædes concava quercus erat.
Vitæ lascivos redimis Gerlace reatus,
Cedens virgineo rura paterna Choro.

(3) Carpen, celebre Municipium sexto lapide à Colonia Agrippina distat, & jure hereditario spectat hodie ad Regem Catholicum. Habet arcem militari præsidio munitam, & vetustum Canonicorum Collegium. Vide supra pag. 220.

CAPUT LVI.

Theodericus *Dominus Heinsbergensis anno 1223. copiosius dotat Heinsbergense Virginum Cœnobium, à suis Prædecessoribus fundatum.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Theodericus, Dei gratiâ Dominus Hensbergensis, omnibus, tam præsentibus quàm futuris, ad quos hujus Scripti notitia pervenerit, in perpetuum.

Cum omnes, qui se heredes Dei & coheredes Christi, Christianæ Professionis executione, testantur, loca promovere debeant Deo dicata; illi tamen eorum promotioni diligentiùs intendere tenentur & efficaciùs, pro quorum salute perpetua principaliùs & specialiùs incohata noscuntur.

Quocirca in Cœnobio B. Mariæ Virginis in Heinsberg, à nostris Prædecessoribus, pro sua suorumque Successorum salute fundato, Religiosum Conventum Fratrum & Sororum, sub districtione Præmonstratensis Ordinis, regularibus intentum disciplinis, ac quotidianis eleëmosynis & hospitalitatibus, aliisque misericordiæ operibus opus impendentem propensiùs & operam, adhuc in nostris temporibus eo defectu cognoscentes laborare temporalium, quod de propriis reditibus aut laboribus annuam & necessariam annonæ nequeat habere sustentationem, indignum duximus sine compassionis exhibitione prætereundum.

Unde prope Heinsberg, in quodam loco nostræ Jurisdictionis palustri & nemoroso, qui vulgo *Palus* dicitur, à termino circa *Randerode*, qui *Hurst* nuncupatur, per terminos Parochiarum *Drummene* & Heinsberg, in eodem loco, omnem decimam novalium, minorem & majorem, quam hactenus habuimus, in honorem Dei & S. Mariæ Virginis, ipsi Cœnobio contulimus, usu perpetuæ proprietatis habendam.

Utque hæc Collatio robur justæ & perpetuæ protectionis haberet, Venerabilem Dominum Hugonem Episcopum Ecclesiæ Leodiensis adivimus, eamdem decimationem in manus suas resignantes. Placuit tamen nobis, & per ipsum & per nos Decimam quandam excipi, quæ jam dudum Canonicis Heinsbergensis castri, sub privilegio felicis memoriæ Domini Philippi Coloniensis Archiepiscopi, infra prædictum terminum est denominata.

Ceterùm cùm mater mea, & uxor, unà cum filio meo, Ecclesiasticam habeant in sæpedicto Cœnobio sepulturam, itemque ibidem dilecta soror mea & filia, in statu religionis, mundi cordis & puræ conscientiæ vacent contemplationi; dictum factum nostræ devotionis, in firmamentum perpetuæ stabilitatis, sigilli nostri fecimus appensione muniri. Primi verò facti nostri apud Cœnobium Heinsbergense Testes sunt,

Giselbertus Præpositus, Iwanus Prior,
Sibertus & Henricus Sacerdotes ejusdem Cœnobii,
Arnoldus miles de Gimnich,
Alardus de Havekesdale, Albertus Pincerna,
Reinardus Schermus, Everhardus Morsel,
Rutgerus de Berg, Gozwinus Knupsel,
Gozwi-

Gozwinus de Holtheim, & plures alii, tam Clerici quàm Laici.

Facti autem posterioris, Domini Leodiensis Episcopi, & nostri, apud Leodium, in proximo Sabbato, post caput jejunii, Testes sunt,

Sibodo Præpositus S. Alberti Aquensis, & Canonicus S. Lamberti in Leodio;

Item alius Sibodo, Decanus Ecclesiæ S. Mariæ in Aquis;

Joannes Plebanus in Linne, & Decanus Swestrensis Capituli.

Godefridus Sacerdos in Geilenkirchen.

Et Milites, Watherus de Bunde,

Adam de Haren, & Gozwinus frater suus,

Alardus de Havekesdal, Reinardus Schermus,

Rutgerus de Berge, & alii plures.

Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tertio, 1223.
vi. Nonas Martii, Indictione xi.

Stirpe masculâ primorum istorum Dominorum Heinsbergensium extinctâ, dominium Heinsbergense primò ad Lossensem, post ad Juliacensem familiam est devolutum: ut suo loco à nobis explicabitur.

CAPUT LVII.

Arnoldus *Vicecomes Gistellensis anno* 1180. *dotat Aldenburgensem Benedictinorum Abbatiam in Flandria*; *probante* Philippo Alsatio *Flandriæ Comite.*

Philippus, favente Deo, tam Flandriæ quàm Viromandiæ Comes, universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis in perpetuum.

Cùm omnia, quæ mundi hujus dives producit fœcunditas, divinæ largitatis beneficio possideamus ad libitum, ea solum nobis in posterum profutura reponimus, quæ pauperum Christi manibus in cælestes thesauros deportanda committimus.

Ut ergò æternæ mendicitatis evadamus incommoda, aliqua ex iis, quæ modò superfluunt, sunt præmittenda, quibus & interim pauperum Christi sublevetur inopia, & nobis in posterum præparentur subsidia.

Præsenti igitur Paginâ curavi insinuare tam futurorum quàm præsentium tenaci memoriæ, quòd Arnoldus Vicecomes de (1) Gistella, cum uxore sua Agnete, omnem decimam, quam in Parochia de (2) Erneghem, & Westkerca, & Roxem, & Bekeghem, inter Pita & Watervalla à me in feodo habebat, absolutâ renuntiatione in manus meas resignavit: & ego eandem decimam, pro meis & meorum reatibus diluendis, Ecclesiæ S. Petri de (3) Aldenburg, perpetuis usibus, legitimâ ac liberâ donatione contradidi.

Ipse verò Arnoldus, cum uxore sua Agnete, quamdam decimam, quam in confinio præfatæ decimæ ab Ecclesia S Nicolai de (4) Ribelmund, sub annua dimidii firtonis solutione, hereditario jure possidebat, eidem S. Petri Ecclesiæ, sub eodem pensionis canone, perpetuò possidendam, juris sui loco, concessit.

Verùm ne sæpedicta S. Petri Ecclesia, temporum volumine, aliquod de rebus suis possit pati præjudicium, præfatam Donationem scripto mandari, & Sigilli nostri munimine corroborari necessarium duxi. Huic Donationi interfuerunt,

Gerardus Præpositus Insulanus,

Walterus Capellanus Comitis de Winendala,

Gerardus Vicecomes de Aldenburg,

Boidin de Ravenscota,

Christianus de Gistella,

Theodericus Damhoudera,

Weitin de Jabbeca, & fratres ejus,

Henricus de Paskendala,

Henricus de Schirvelda,

Daniel de Torholt,

Haket de Riddervoorda,

Datum (5) Furnis anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo, Indictione tertiâ, Epacta decimâ septimâ. 1180.

C A-

(1) Gistella, Vicus est haud procul Aldenburgo, cultu S. Godelevæ Martyris celebratus, qui illustri familiæ nomen dedit. Fuit illic quondam Abbatia Virginum Benedictinarum, eidem S. Godelevæ sacra, quæ anno 1577. per Iconoclastas excisa, hodiedum translata extat in Urbe Brugensi.

(2) Erneghem, Westkerka.... Vici circa Gistellam & Aldenburgum, olim sub Episcopatu Tornacensi, nunc Brugensi.

(3) Aldenburgum primæ olim notæ apud Flandros Oppidum fuisse constat, secundo milliari ab Ostenda. Nunc illustratur antiquâ Abbatiâ Ordinis S Benedicti, quam in honorem SS. Petri & Pauli extruxit anno 1084. B. Arnulphus è familia DD. de Pamele in Flandria oriundus, qui ex Abbate S. Medardi Suessionensis factus est ibidem Episcopus.

De S. Arnulpho vide Fastos Belgicos ad diem 15. Augusti. De Abbatia Aldenburgensi vide infra Origines Cœnobiorum Benedictinorum.

(4) Ribelmund, vulgo *Ribemont*, Abbatia Benedictinorum S. Nicolao sacra, in Picardia; de quâ vide plura inferiùs in Donationibus Belgicis.

(5) Furnis. Oppidum Flandriæ, sub Episcopatu Iprensi, egregiè munitum: antiquo Canonicorum Collegio, & Abbatiâ Ordinis Præmonstratensis illustratum.

CAPUT LVIII.

Hugo *primus Abbas Monasterii S. Andreæ juxta Brugas, Godescalco Abbati Affligemensi dat* LVII. *mensuras terræ: & dictum Monasterium Andreanum ex Prioratu fit Abbatia libera, anno* 1187. *per Guilielmum Archiep. Remensem.*

Willelmus Dei gratiâ Remorum Archiepiscopus, S. R. E. Tituli S. Sabinæ Cardinalis, universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis in perpetuum.

Noverint tam præsentes quàm futuri, quòd dilectus noster Hugo Abbas S. Andreæ juxta Brugas, & Fratres sui, Prior & Monachi ejusdem loci, terram quam habebant in Pago *Oostburch*, circiter quinquaginta & septem mensuras, reddentem singulis annis decem marcas, Godescalco Abbati de Affleghem & Conventui werpiverunt, & eam ipsis sine omni calumnia in perpetuo possidendam concesserunt.

Abbas verò prædictus & Conventus de Afflеghem, attendentes quòd jam dicta Ecclesia B. Andreæ, quæ Prioratus illorum esse solebat, ad tanti profectûs, tam in spiritualibus quàm in temporalibus, venisset incrementum, quòd Ordinis religione exigente, & suppetente copiâ facultatum, Abbas ibidem non immeritò creari posset & deberet, locum ab omni dominio suo, subjectione & exactione liberum & emancipatum dimiserunt, & Deo & S. Andreæ dederunt,

Et de eorum assensu, & pari convenientia omnium, novum ibidem Abbatem, qui eis in nullo obnoxius in posterum tenebitur, institui permiserunt, & prædictum Prioratum Monasterium perpetuum permanere decreverunt.

Approbantes itaque, quod ab utraque tam solemniter, quàm laudabiliter parte factum est, ratum deinceps & firmum permanere decernimus, & præsentis Scripti patrocinio & sigilli nostri auctoritate confirmamus.

Statuentes, & sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis hanc nostræ confirmationis Paginam audeat infringere, vel ei in aliquo contraire, salvâ in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate.

Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo septimo. Datum 1187.
per manum Lambini Cancellarii nostri.

CAPUT LIX.

Everardus de Avesnis *Tornacensis Episcopus, ejusdem Monasterii Andreani exemtionem, & Hugonis primi Abbatis consecrationem, ab Episcopo Morinensi factam, approbat anno* 1189.

Everardus, Dei gratiâ, Tornacensis Episcopus, universis Christi fidelibus tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

Suscepti cura regiminis ad hoc nos provocat & inducit, ut secundùm Deum religiosorum virorum honestati, commodis, & profectibus & libertatibus Ecclesiarum, quæ in nostra sunt Diœcesi constitutæ, quantum in nobis fuerit, propensiùs intendamus.

Hujus itaque considerationis vestigia prosequentes, universitati fidelium præsenti Privilegio fieri volumus manifestum, quòd cum Godescalcus Abbas & Capitulum Affligemiense, auctoritate Domini Remensis, in ejus præsentia, locum Ecclesiæ S. Andreæ juxta Brugas, quæ eorum Prioratus esse solebat, Fratribus ibidem Deo servientibus liberum & emancipatum dedissent, & ab jure & dominio, quod priùs ibi habuerant, liberum dimisissent, ut ad augmentum servitii Dei locus ille in Monasterium consurgeret, & perpetuò permaneret:

Nos, de assensu Capituli nostri, libertatem ejusdem Ecclesiæ & emancipationem, in præsentia Domini Remensis factam, sicut in ejus autentico Scripto continetur, necnon ordinationem & benedictionem Venerabilis Viri Hugonis, Abbatis ejusdem Ecclesiæ, per Dominum Morinensem celebratam, ratam habuimus, & habemus, & præsentis Scripti patrocinio confirmamus.

Statuentes, & sub anathematis interminatione, salvâ tamen Patrum reverentiâ, firmiter inhibentes, ne aliquis in posterum præfatos Fratres Monasterii S. Andreæ, super libertate & emancipatione memoratâ, audeat indebitè molestare, vel contra juris ordinem temerè perturbare. Nomina autem Testium qui huic approbationi interfuerunt fecimus inferiùs annotari......

Ut autem sæpe dicta libertas majoris obtineat roboris firmitatem, ego

Arnulphus Decanus,

Gosuinus & Thiedo Archidiaconi,

Totumque Capitulum Tornacensis Ecclesiæ, sigillo nostro appenso perhibemus testimonium veritati. Datum Tornaci II. Idus Februarii, anno Domini millesimo centesimo octoge- 1189.
simo nono.

CA-

CAPUT LX.

HENRICUS I. *Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ Dux, auget Dotem Abbatiæ Villarienſis, Ordinis Ciſtercienſis, in Brabantia & Poſſeſſiones omnes confirmat. Anno* 1184.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego (1) HENRICUS Dux Lotharingiæ præſentibus & futuris notum facio, quòd poſſeſſiones (2) VILLARIENSES, & quæcumque bona eadem Eccleſia ſub poteſtate mea vel in præſenti poſſidet, vel poſtmodum, præſtante Domino, poterit adipiſci, ſub mea protectione ſuſcipio, ſervatâ ordinis, quem Fratres ejuſdem loci profeſſi ſunt, libertate.

PRÆSENTI itaque Privilegio ſtatuo, ut in tota terra mea memorati Fratres, & eorum animalia, ſeu quælibet ad uſus eorum pertinentia, nullam in paſcuis aut viis ceteriſque ejuſmodi beneficiis patiantur moleſtiam, nullo graventur jugo ſervitutis, nullâ ſeculari exactione perturbentur, ſed in ea libertate, quam Claræ-Vallenſis Ordo habere dignoſcitur, quæcumque illis divino beneficio collata ſunt, ſibi ſuiſque Sceeſſoribus illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

ALLODIUM de Villari, ſicut illud poſſident ſæpedicti Fratres, uſuaria in ſilvis & paſcuis Bayſenſis alodii, ſeu quidquid ex dono Nivellenſis Eccleſiæ grangias de *Gemiontrau*, & *Berniſart*, & *Boneria*, cum omnibus pertinentiis illarum, vel quidquid habent in Cheſſart, quod ad me vel homines meos jure aliquo ſpectare dignoſcitur,

GRANGIAM de *Stoyſy*, cum omnibus pertinentiis ſuis, quæ de manu mea deſcendere, & à priſtinis exactionibus noſcitur eſſe liberrima; grangias de (3) *Emelemont*, & de *Lompret*, cum pertinentiis earum, grangiam de (4) *Scotis*, & quidquid in ipſo poſſident alodio;

ALODIUM de *Thorembais*, quod Sigerus & & Godefridus fratres, & eorum ſoror Ermetrudis, ſine ulla diminutione ejuſdem alodii, in eleemoſynam contulerunt;

ALODIUM quod habent in *Reborſart* & in *Ramelies*, & in *Hardorp*, alodium de *Opperbais*, ſicut illud poſſident liberrimè, ex multorum donatione & meâ pariter affirmatione.

ACTUM (5) GELDONIÆ, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo octogeſimo quarto, decimo octavo Kalendas Maii, Indictione ſecundâ, ſub Teſtibus quorum ſubſcripta ſunt nomina. 1184.

De Clericis.

(6) ALBERTUS frater meus.
Richo de Tenis.
Arnolphus Notarius Ducis.
Gerardus de Nethen, & Magiſter Daniel.

De Nobilibus.

Ægidius de Duras, & Petrus frater ejus.
Wilelmus de Birbais.
Godefridus & Walterus frater ejus, & Renerus Ruſſeboſch.

De Familia.

Arnulphus de Bigardis.
Arnulphus, de Walehem,
Alardus Rox, Conſiliarii Ducis, & alii complures.

CA-

(1) HENRICUS I. Brabantiæ Dux anno 1235. obiit. Lovanii ad S. Petrum in medio Choro conditus.

(2) VILLARE, ſeu Villarium, Abbatia Ordinis Ciſtercienſis, ſeu Claræ-vallenſis (ut in iſto Diplomate nuncupatur) in Gallo-Brabantia & Diœceſi Namurcenſi, ad Thiliam ſeu Diliam Fluvium, qui Lovanium perluit. De hac Abbatia vide plura inferiùs in Chronico noſtro Ciſtercienſi.

Villario vicinus eſt vicus *Tilly*, cum arce inſigni; cujus loci Comitem primum Ferdinandus II. Cæſar Joannem Serclaſium, belli Ducem fortiſſimum, creavit anno 1622.

(3) EMELEMONT, Latinè *Mellis-Mons*, hodie Prioratus Villarienſium, in via Lovanio Namurcum, prope Peruêtum.

(4) DE SCOTIS. Deſignatur vicus *Schooten*, prope Antverpiam, ubi hodiedum eſt Prioratus Religioſorum Abbatiæ Villarienſis.

(5) GELDONIA, Flandris *Geldenaken*, Gallis *Judoigne*, Gallo-Brabantiæ Oppidum Vice-Comitatus.

(6) ALBERTUS frater meus. Deſignatur S. Albertus Cardinalis & Epiſcopus Leodienſis, de quo ſupra hoc libro cap. 54. egimus.

CAPUT LXI.

PHILIPPUS ALSATIUS, *Flandriæ Comes, & Advocatus Monasterii S. Andreæ prope Brugas siti, anno 1188. Tabulis publicis testatur, dictum Monasterium à Godescalco Abbate Affligemiensi libertate donatum & emancipatum fuisse.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego PHILIPPUS, Flandrensium & Viromanduorum Comes, notum fieri in perpetuum volo, quòd Vir Venerabilis Godescalcus Abbas Affligemiensis, laudante & assensum prabente Capitulo ipsius, Ecclesiam S. Andreæ juxta Brugas sitam, omninò emancipavit, & quidquid in ea juris habebat vel habere videbatur, omninò resignavit, recognoscens quòd eidem Ecclesiæ licebit in perpetuum sibi Abbatem eligere ex quacumque Ecclesia, & electionis semper libertate gaudere.

SCIENDUM etiam, quòd ejusdem Ecclesiæ Advocatus & Dominus Ego sum, & rerum ipsius, & Fratrum ibidem Deo servientium: ita ut nulli personæ laïcæ liceat umquam in supra dicta Ecclesia dominationis quidpiam reclamare, præterquam mihi heredibusque meis.

HOC igitur ut ratum semper inconvulsumque permaneat, tam præsentis Paginæ, quàm mei impressione sigilli, imò subscriptarum testimonio personarum muniri decrevi.

Signum Gerardi, Brugensis & S. Audomari Præpositi, & Flandriæ Cancellarii.

S. Gerardi Præpositi Insulani.
S. Willelmi de Tenremunde.
S. Joannis Castellani Brugensis.
S. Eustathii Camerarii.
S. Gerardi de Gremberghe.
S. Walteri de (1) Nivenvella.
S. Theoderici Castellani de Dickxmude.
S. Gerardi de Aldenberch.
S. Arnulphi de Ghistella.
S. Sigeri de Borenhem.
S. Lamberti de Domo.

ACTUM in domo mea MALEN, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octo- 1188.
gesimo octavo.

Additio. (1) NIVENVELLA, hodiè *Nevele*, Vicus sub Castellania Veteris Burgi Gandavensis; qui jam olim Baronatûs titulo præclarus, illustrissimos habuit possessores, qui recensentur à Joanne Bapt. Gramaya, & ab Antonio Sandero, in suis Descriptionibus Flandriæ.

(2) BORNAHEM, Municipium & Baronatus in Wasia, de quo egimus supra Lib. I. Diplom. Belgic. Cap. 45. 46. 49. & 50.

CAPUT LXII.

Manumissionis Formula apud Flandros anno 1193. usitata.

EGo R. DE (1) WAVRIN, Dominus (2) Lilerii & Senescallus Flandriæ, omnibus tam posteris quàm præsentibus notum fieri in perpetuum volo, quòd Julianam de Frigido manso, & Alhurgim de Maresco, & earum progenies, quæ mihi & Successoribus meis jugo (3) servitutis obligabantur, Divini amoris intuitu, & pro animæ meæ & carissimæ uxoris meæ SIBYLLÆ, & Antecessorum & Successorum meorum salute, liberè manumisi, & eas omnino liberas feci, eisque tanquam liberis abeundi quòcumque voluerint, & sese quibuscumque voluerint Ecclesiis commutandi, potestatem liberam concessi: laudante pariter & concedente dilectissimâ uxore meâ SIBYLLA, concedentibus etiam carissimo fratre meo HELLINO,

Vide supra pag. 127. (1) WAVRIN. Domini de Wavrin fuerunt Domini de *Lillers*, *S. Venant*, & *Malanoy*, quæ omnia possedit Dux Arschotanus, & ex iis quædam vendidit. Wavrinum, vetus est, nobile & amplum Dominium Castellaniæ Insulensis, nunc penes Familiam de Lalain-Barlaimont, estque una è quatuor supremis judicaturis (vulgo *Haultes Justices.*) Aliæ tres sunt *Comines*, *Cysoing*, & *Falempin*. *Cysoing* habet Princeps de Ligne; *Falempin* habet Rex Galliæ, cujus Officiarius est Dominus de Bre, ex familia de Hainin, prope Bossut.

(2) LILERIUM, Oppidum Artesiæ, *Lilers*, in quo est celebre Canonicorum Collegium; de quo supra lib. 1. cap. 30. egimus.

(3) SERVITUTIS Mancipia, servos & libertos posterioribus etiam sæculis apud Belgas, ut olim apud Romanos exstitisse, ex variis Ecclesiarum nostratuum monumentis constat. Horum nonnulla amicus noster Ferreolus Locrius in suo Chronico Belgico ad annum 868. recitat. Vide & infra ad annum 1243.

Crescente Christianismo paulatim decrevit conditio servilis, mansitque in Hannonia servitus solvendi *melius Cathelum*, id est, *mobile*; in Flandria Cappones aut aliquem censum capitalem, ut aliquot Denarios. Qui ista aut similia solvunt Canonissis Montensibus, vocantur Gens de Franc-urine. *Ita Flor. Haræus.*

Dirum servitutis jugum, Christianâ libertate ac caritate indignum, Margarita Constantinopolitana, Flandriæ Comitissa, sustulit, & in Flandriam revehi severè prohibuit, Litteris editis, quas Insulis in Archivis Canonicorum S. Petri adservari, Molanus lib. de Canonicis commemorat. Has Litteras se vidisse mihi dixit Flor. Vander Haer, & idem mihi affirmavit Gomicurtius.

LINO, & HILDRADE, & MAROIA & ADA Sororibus meis; & R. de(4) *Senghin* & GOSUINO Patruis meis; & A. de *Meallens*, & I. de * *Spineto*, amicis meis cariſſimis.

* Eſpinoy

NE autem prædictas Julianam & Alburgim, vel earum poſteritatem aliquis, ſub nomine ſervitutis, alia ſupprimere præſumpſerit exactione, ego & uxor mea, & omnes præſcripti Succeſſores mei, eas vel earum progenies, à quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis manumittendas & ſuſtinendas eſſe in ſua libertate conceſſimus; rogantes, ut ſi quis eam infringere vel in aliquo minuere attentaverit, Eccleſiaſticâ ad ſatisfactionem compellatur diſtrictione.

QUOD ut ratum & immutabile in perpetuum permaneat, præſentem Tabulam tam Sigilli mei appenſione, quàm teſtium annotatione communivi.

S. P. de * Maiſnilio.
S. Ruſſelli de Boſco.
S. Hellini de (5) Fornes.
S. R. de Legra, & B. fratris mei.
S. Nicolai Riſſard.

* Pagus prope Fornes apud Inſulas.

ACTUM apud Fornes, an. Domini MCXCIII. 1193.

(4) SENGHIN. *Singhem* eſt prope Fornes ſeu Baſſeiam; & nunc Senghinium poſſidet Princeps Eſpinoyus.

(5) FOURNES. Latinè de Furnis, apud Inſulas eſſe ſuſpicatur Gomicurtius, quia Domini de Wavrin (quod eſt in Caſtellania Inſulenſi) dominium latè in illo tractu extendebatur. Domini de Wavrin tunc communiter vocabantur *Hellini*, ut ſuprà pag. 187: Hellinus Dapifer: & erant Dapiferi Hereditarii Flandriæ, id eſt OEconomi Hereditarii. Wavrin hodie poſſidet Comitiſſa Barlemontia. *Fournes* Pagum poſſidet Dux Bournevillius ex parte Domus de Rancicourt; & Comitatus de Copigny anno 1624. erectus, eſt in eodem Pago de Fournes. Fournes Pagum pro maxima parte Abbas S. Andreæ in Caſtello Cameracenſi olim poſſedit; ut dicitur in Codice Donationum Piarum cap. 46. & Chron. Cameracenſi lib. 3. cap. 49.

CAPUT LXIII.

Eccleſiæ de Rycke-vorſel & Malle à JOANNE *Cameracenſi Epiſcopo dantur Canonicis Antverpienſibus, anno* 1194.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen. JOANNES, Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, omnibus ad quos præſentes litteræ pervenerint in perpetuum.

DE neceſſitate ſuſceptæ adminiſtrationis aſtringimur, Eccleſiaſticarum Perſonarum ita commodis providere, ut ipſis poſſeſſiones piâ fidelium devotione collatas, & in poſterum conſervemus, & etiam augmentemus ſervatas.

EAPROPTER dilectis filiis noſtris Antverpienſis Eccleſiæ Canonicis, ad uſus ipſorum, ob remedium animæ noſtræ, Altaria de (1) FORSELA & de MALLE liberè & abſolutè contulimus; donationem noſtram præſentis Paginæ patrocinio, & noſtri Sigilli auctoritate, in poſterum confirmantes; & ne quis ampliùs hoc infringere præſumpſerit, ſub periculo excommunicationis inhibentes.

DATUM Cameraci, per manum Magiſtri Roberti, anno Verbi Incarnati MCXCIV. 1194. XIII. Kalendas Martii.

(1) VORSELA, hodie *Rycke-vorſel*, Vicus Campaniæ Brabantinæ, haut procul ab Hochſtrato, ad Comitem Hochſtratanum, ex Gente Lalaina, pertinet.

CAPUT LXIV.

HENRICUS VI. *Imperator anno* 1196. *Comitatum Veluæ Balduino Ultrajectenſi Epiſcopo confirmat;* BALDUINUS *autem Henrico Lotharingiæ Brabantiæque Duci concedit.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS VI. divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ.

IMPERATORIÆ Majeſtatis noſtræ debitum poſtulat & requirit officium, ut ea quæ inter fideles & Principes Imperii, cauſſam & fomitem dant diſcordiæ, limâ correctionis & diligentiæ enervantes, ad firmam pacis concordiam vigilanti ſtudio ipſos ſatagamus reducere.

QUAPROPTER notum facimus univerſis Imperii noſtri fidelibus, præſentibus & futuris, quòd Nos quæſtionem illam, quæ jam diu vertebatur inter dilectos Conſanguineos noſtros BALDUINUM Trajectenſem Epiſcopum, & HENRICUM Ducem Lotharingiæ, ſuper Comitatu (1) VELUÆ (in eo videlicet, quòd ipſe Epiſcopus Comitatum illum de conceſſione Imperatoris ſibi & Eccleſiæ Trajectenſi aſſerebat pertinere, & è contrario Dux Lotharingiæ dicebat, quòd ipſum Comitatum de manu noſtra teneret in fide & feudo) ad hunc finem deduximus, quòd ipſe Dux injuriam ſuam recognoſcens, omne jus quod in Comitatu illo videbatur

tur habere, in manus nostras liberè resignavit.

Nos itaque prædictum Comitatum cum omnibus suis pertinentiis, Imperiali clementiâ, prædictæ Ecclesiæ Trajectensi, & dilecto Consanguineo nostro BALDUINO in perpetuum confirmam s. Ipse verò Episcopus eumdem Comitatum, cum omnibus pertinentiis suis, & omni jure, prædicto consanguineo nostro HENRICO Duci Lotharingiæ in præsentia nostra benignè concessit, sub eo tenore, ut idem Comitatus ad ejus heredem filium suum vel filiam liberè transeat & integrè.

STATUIMUS igitur & Imperiali Edicto sancimus, ut nulla omnino persona in posterum hanc nostram ordinationem & confirmationem aliquatenus infringere audeat vel turbare. Quod si quis attentaverit, centum libras auri pro pœna compenset, dimidium Cameræ nostræ, reliquum passis injuriam. Ad cujus rei certam in perpetuum evidentiam, præsentem Paginam inde conscribi jussimus, & Majestatis nostræ Sigillo aureo communiri. Hujus rei Testes sunt,

Ludolphus Magdeburgensis Archiepiscopus,
Hartwicus Bremensis Archiepiscopus,
Hartmannus Lantgravius Thuringiæ,
Otho Comes de Benthem,
Comes Lambertus de Erfordia,
Wenardus Burggravius de Magdenburg,
Comes Albertus de Wingerode,
Robertus Dueoude,
Anno de Mintenberg,
Marcardus Dapifer,
Deshardus de Distemberg,
Henricus Camerarius de Gron,
Henricus Pincerna de Lutra,
Gerardus de Grimberg,
Arnoldus de Wesemale, & alii plures.

SIGNUM Domini Henrici VI. Romanorum Imperatoris & Regis Siciliæ. Ego CONRADUS Hildensemensis electus, Imperialis Aulæ Cancellarius, recognovi.

ACTA sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXCVI. Indictione XIV. regnante 1196.
Domino Henrico VI. Romanorum Imperatore, anno regni ejus XXV. Imperii verò V. & Regni Siciliæ II. Datum apud Gulenhusen, pridie Nonas Martii.

Additio. (1) VELUA, alias *Velavia*, vulgo *Weluwe*, hodie non Brabantini, sed Geldrici juris est Tetrarchia, olim titulo Comitatûs illustris Situm habet inter Comitatum Zutphaniæ, Ditioneſque Transisalaniam, & Ultrajectinam.

Decanatus Veluæ notus est in antiquis Ecclesiæ Ultrajectinæ Codicibus, sub quo Parochiæ pridem recensitæ fuêre XL. ad quas prisco more instituebat S. Petri in Ultrajecto Præpositus seu Archidiaconus.

Inter hæc loca, præcipua erant: *Rhenen*, *Waegeningen*, *Harderwyck*, *Nyekercke*, Oppidi jure donata. Postmodùm verò pars hujus Decanatûs Ultrajectinæ Ecclesiæ subtracta, subjectaque fuit anno 1559. novo Episcopatui Daventriensi.

CAPUT LXV.

ALBERTUS *Dominus de Dintere, Vir Nobilis, dat Bernensi Monasterio Ord. Præmonstr. Prædium Bernehese in Campania Brabantiæ, an.* 1196.

Vide supra pag. 73.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego ALBERTUS de (1) Dintere tradidi meipsum Ecclesiæ S. Mariæ in (2) *Berna*, & quidquid habere visus ium in vicinia Curiæ, quæ vocatur (3) *Bernehese*, & universas possessiones agrorum meorum, & dimidietatem paludis quæ vocatur *Locsbruc*, cum libera potestate communis usûs in aquis, & pascuis, & silvis, in Hesewich.

ET quia hæc à Domino (4) HENRICO de Kuc feodaliter tenebam, ipse autem à Duce Lovaniensi, & transferre in alienam potestatem per me ipsum legitimè non poteram, allodium meum, in medelæ loco, memorati feodi Domino Henrico confirmavi.

QUOD in usum Ducis suscipiens, proprietatem ejus Duci legaliter assignavit, in die S. Servatii, apud villam, quæ vocatur *Orschot*.

DUX verò jus suæ proprietatis, quod in meo feodo apud *Bernehese* habebat, Ecclesiæ *Bernensi* condonavit, & Zalam ejus, in eodem loco & die, Dominus Henricus de manu Ducis, ad usum Ecclesiæ, suscepit, in præsentia honorabilium Virorum istorum,

Domini Alberti de Cuek, filii Domini Henrici,
Theoderici de Herlar, Huberti de Hesewich,
Wilhel-

(1) DINTERE, vicus Brabantiæ, secundo lapide à Silva-Ducis situs. Patria, nisi fallor, aut dominium Emundi Dinteri, ex familia Nobili de Dinter, quatuor Ducum nostrorum Secretarii, qui scripsit Historiam Brabantiæ Ms. apud me, & obiit anno 1448. Bruxellis, conditus ad S. Jacobum in Monte Palatino, quem vulgò *Frigidum* nuncupant.

Vicorum de Dintere & de Heeswyck Dominus est N. Serclasius, Comes de Tilly, cujus patruus Joannes felicissimè nunc præest copiis Catholici fœderis.

(2) BERNA porrò, olim Hollandiæ, nunc Brabantiæ est Abbatia, Ordinis Præmonstratensis, anno 1134. à Folcoldo ejus loci Domino fundata: ut supra lib 1. cap. 53. docui. Folcoldus assumptâ veste regulari Bernæ annis XV. vixit, & die 12. Aprilis anno 1149. decessit. Bernenses Canonici hodie incolunt Domum Fratrum vitæ communis, in Urbe Silviducensi, quam sibi pretio compararunt.

(3) BERNEHESE, nunc Bernhese, est tractus terrarum, partim sub jurisdictione vici Hesiwicensis, partim Dinterensis, secundo lapide à Busco-Ducis: ex quibus potissimùm prædiis Bernenses hodie aluntur.

(4) HENRICUS Dominus de Kuc, aliàs Cuyck: quod amplum est Territorium, & Antiqua Baronia Brabantiæ, ad Principem Aransionensem pertinens. Cukensi seu Cudicensi ditioni hodie accensetur Gravia, Oppidum munitum ad Mosam: de quo vide supra lib. 1. cap. 101. & seq.

Wilhelmi Comitis de (5) Megem, Anselmi de Welde,

Walteri Bac, Henrici Schulteti.

Ubi autem prædicta bona in Bernchese Dominus Henricus & filius suus, ad usum Ecclesiæ, unà cum manu Abbatis Everardi, apud Castrum *Herpen* susceperunt, hi sunt Testes, qui præsentes fuerunt.

Henricus de Batenburch, Consobrinus Domini Henrici,

Walterus Alf, Marsilius de Loen,

Wilhelmus Appelgrau,

Egeno de Har, & filius suus Robertus.

Henricus Spiegel. Helias.

Gesta sunt autem hæc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto, Imperatore Henrico, Episcopo Leodi- 1196
ensi Alberto, Trajectensi autem Balduino, Duce Brabantiæ Henrico.

(5) Meghem est hodieque Comitatus & feudum Brabantiæ, olim Gentis Brimevæ, nunc Croyæ.

CAPUT LXVI.

Albertus *Cudicensis Donationes ab Alberto Dinteræ, & Almerico Hesevici Dominis factas, in usum Monasterii Bernensis, confirmat.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen. Ego Albertus de Kuc omnibus Christi fidelibus, tam posteris quàm præsentibus in perpetuum.

Cum facta Patrum præcedentium non semper tangant memoriam posterorum, necessarium duximus ea diligentioris stili officio describi, quæ sanctæ devotionis intuitu consummata vigili memoriæ perpetuò expedit commendari.

Hinc est, quòd ea quæ devoto incohata principio dignoscimus, idoneo fine terminare satagimus: scilicet quòd quidam liberæ conditionis Miles Albertus de Dintere quandam Curiam in suo allodio apud Bernchese possedit, in cujus possessionem jure hereditario successit.

Dicta autem Curia hoc juris in silva *Dintere* huc usque & nunc obtinet & obtinuit, quòd ejus incolæ & ligna ardenda, & ligna ædificiis in eodem allodio construendis apta, pro suo placito, ad plenum liberè possunt educere.

Porcos itaque domesticos in prælibata silva possunt sine decima nutrire, communibus pascuis pratorum & rivorum, cum suis coheredibus, participare; nec super his Domini de Kuc vel alicujus sui coheredis prohibitionem vel gravamen formidare.

Alter itaque ejusdem conditionis Miles Almericus de Heswic, apud Bernehese, Curiam aliam, in suo allodio, eodem jure, quo & prædictus Miles possedit; quæ Curia prænominatæ Curiæ jus in omnibus & per omnia à primo fundamento hactenùs quietè obtinuit.

Horum Militum uterque utramque Curiam Conventui B. Virginis Mariæ in Berna integrè & irrevocabiliter, Patris mei Henrici consensu annuente, contulit Conventui quoque prædicto de bonis de *Ambershoye* collata est dimidia potestas, quâ quælibet Curia pollet.

Contulit etiam dicto Monasterio nominatus Albertus de Dintere medietatem de *Losobruc*, tam in arboribus quàm in plantis.

Nos autem dictis eleëmosynarum largitionibus nunc, nostri Scripti & Sigilli munimento, fidele testimonium adhibentes, ea quæ prælibavimus, rata & inconvulsa volumus permanere.

Qui autem sacrilego ausu hæc turbare vel violare attentaverit, Divinæ sententiæ & nostræ animadversioni, usque ad condignam & plenariam satisfactionem, subjacebit.

CAPUT LXVII.

Balduinus *Flandriæ & Hannoniæ Comes, pòst Imperator Constantinopolitanus, Gerardimontensis Oppidi Leges & Privilegia à Prædecessoribus suis concessa, firmat ac stabilit, circa annum* 1200.

Ego (1) Balduinus, Flandriæ & Hannoniæ Comes, universis notum fieri volo, quòd Prædecessor noster Balduinus, tam Flandriæ, quàm Hannoniæ Comes, allodium quoddam in Parochia de (2) Hunighem, à quodam (3) Geraldo, magnæ auctoritatis Viro emptum, sibi vendicavit, in quo Opidum construendum elegit, quod à Geraldo Geraldimons nominari placuit.

Viso autem, quòd prædictum allodium, pro parvitate & brevitate sua minimè sufficeret ad ea, quæ Opido construendo forent necessaria, de parte prædicti allodii Dominum de (4) Boulaer feodavit, ut quæ ad usus Geraldimontensium essent necessaria, provideret.

Dedit igitur Dominus de Boulaer, in recompensationem feudi prænominati, Balduino Comiti, ad usus Geraldimontensium (5) *Busimont*, sicut ipse possedit, & *Cortslade*, & pasturam

ſturam à ponte ſuperioris Boulaer uſque (6) Hunighem, à (7) Tenera uſque ad terram arabilem, & ab Herſebeke, ſicut (8) Dutſchem præterfluit uſque Teneram.

DEDIT etiam omnem paſturam à Boulaer Caſtello, uſque Grimeghem: addidit inſuper, quòd quibuſcumque aquis vel paſcuis homines ſui uterentur, liceret Geraldimontenſibus uti communiter.

PRÆTEREA prædictus Comes (9) Raſpaliam acquitavit Geraldimontenſibus, qui poſtea communi conſilio & aſſenſu totius Villæ, Domino & Patri meo Balduino, Comiti Flandriæ & Hannoniæ & Marchioni Namurcenſi liberè contulerunt; in cujus reſtitutionem prædictus Comes dedit Gerardimontenſibus medietatem Hallæ, in omni jure ſuo, perpetuo poſſidendam.

HIS ita ordinatis, Balduinus Comes conſiderans, quòd prædictum Opidum, quod ſitum erat in Marchis Flandriæ, Hannoniæ & Brabantiæ, ad inhabitationem ſui minimè quemquam invitaret, niſi maximæ libertatis ope tutaretur, convocatis Flandriæ, Hannoniæ, Brabantiæ Baronibus, aſſenſu quorum & conſilio omnia præordinavit, in Opido Gerardimontenſi hæc libertatis jura conſtituit, quæ cum eo Barones prædicti, præſtitâ cautione juramenti, in perpetuum ſervanda compromiſerunt. Sunt autem ſequentia.

EX quo aliquis in Opido Gerardimontenſi hereditatem acquiſierit, ſi Opidi Inſtituta ſecundùm Judicium Scabinorum tenuerit, liber erit, cujuſcumque conditionis fuerit. Idem ſi voluerit, habet libertatem dimittendi Opidum, ſi de pacto vel debito ibidem ſatisfecerit.

ITEM nemo cogatur inire duellum, vel ſubire judicium ignis & aquæ .....

ITEM ſi quis fuerit abſque herede, libertatem habet erogandi ſua, & hereditatem ſuam, tam Eccleſiis quàm pauperibus in eleëmoſynam.

ITEM nato puero ex conjunctis legitimè, ſi intra liminaria Domûs tantùm auditus ſtatim obierit, moriente patre vel matre, viventi hereditas & pecunia adjudicatur. Et notandum quòd hereditas in eleëmoſynam data poſt annum tranſactum, debet ad Scabinatum reverti.

ITEM ſi filii vel filiæ hereditatem vel pecuniam à Parentibus acceperint, altero Parentum mortuo, ſi partiri voluerint, quod priùs acceperint in commune referatur.

ITEM ſi Burgenſis allodium alicujus in Opido coram Francis hominibus & Scabinis invadiaverit, vadimonium ſuum ibidem, judicio Scabinorum, obtinebit.

ITEM ſi quis Burgenſi debitum ſuum ſolvere noluerit, quod Scabinis notum fuerit, auxilio Comitis & poteſtate compellatur ei ſatisfacere.

ITEM ſi Scabini de aliquo judicio dubitaverint, inquiſitionem ſuam à Scabinis Gandenſibus accipient. Scabini autem eamdem legem & eadem judicia, quæ huc uſque tenuerunt, deinceps teneant.

PRÆTEREA ſi quis aliquem occiderit, vel membris truncaverit, caput pro capite, membrum pro membro, niſi ſe defendendo hoc fecerit.

ITEM ſi quis alium vel verberaverit, vel pulſaverit, vel ad terram proſtraverit, vel capillaverit, ſexaginta ſolidos ſolvet Comiti, & ſi feriâ ſecundâ hoc contigerit, ſex libras.

ITEM ſi quis aliquem Scabinorum vel Villicum, in ſervitio Comitis exiſtentem, convitiatus fuerit, ſexaginta ſolidos ſolvet, & ſi feriâ ſecundâ hoc contigerit, ſex libras.

HÆC itaque libertatis jura à Prædeceſſoribus noſtris cum maxima diſcretione inſtituta, & à PHILIPPO Illuſtri Comite Flandriæ & Viromandiæ confirmata, ut rata & inconvulſa in perpetuum permaneant Geraldimontenſibus, præſentem contuli Paginam, ſigilli mei auctoritate, & Teſtium annotatione roboratam.

C A-

(1) PRÆDECESSOR noſter Balduinus. Fuit is, niſi fallor, Balduinus Montanus, Flandriæ & Hannoniæ Comes, qui circa annum 1068. aut 1081. Geraldi-montem in Oppidi formam redegit, legibus firmavit & privilegiis dotavit: quæ poſtea Philippus Alſatius & Balduinus Conſtantinopolitanus confirmarunt.

(2) HUNIGHEM. Templum antiquum, intra muros Oppidi Gerardimontenſis: penes quod anno 1624. Cœnobium Virginum Benedictinarum reformatarum ædificari cœptum eſt.

(3) GERALDUS, ſeu Gerardus, vir nobilis, Oppidi Gerardi-montenſis in Flandria Imperiali conditor, à toparcha Boularienſi occiſus fuiſſe traditur, in agro vicino, ubi hodieque crux lapidea viſitur.

(4) BOULAER. Baronia & arx, haut procul ab Oppido Gerardi-montenſi ſita.

(5) BUSIMONT. Collis, Oppido Gerardi-montenſi vicinus cum ericeto.

(6) TENERA. Fluvius Oppidum Gerardi-montenſe interſecat, & in Scaldim devolvitur Teneramondæ.

(7) DUTSCHEM. Rivus in Teneram influens.

(8) RASPALIA Sylva poſſidetur nunc ab Abbate S. Adriani, & Abbatiſſa Belli-prati.

PATRI meo Balduino. Fuit is Balduinus Magnanimus, Hannoniæ Comes.

A GANDENSIBUS accipient. Lex iſta nunc abrogata eſt.

CAPUT LXVIII.

Iotha, *Matrona dives, probendam fundat in Ecclesia B. Mariæ Antverpiensis, anno* 1201.

Robertus B. Mariæ Antverpiensis Præpositus, & ejusdem loci Capitulum, omnibus præsentem Paginam inspecturis salutem in Domino.

Præsentium attestatione universitati vestræ notum fieri volumus, quòd quædam matrona, Jotha nomine, spiritu pietatis ducta pro anima sua & Goswini mariti sui, & Prædecessorum suorum, reditus decem marcarum in Ecclesia nostra Antverpiensi, ad usum unius præbendæ, instituit: ita quòd in ea statim eligeretur Canonicus, qui in fratrem receptus, nobiscum æquâ fructuum gauderet possessione; reditus verò prædicti in usum cederent communitatis.

Ad quam Præbendam nos, Divinæ pietatis intuitu, & honestatis personæ respectu, Joannem Acolytum in Fratrem & Canonicum elegimus, & ipsi concessimus plenam participationem bonorum spiritualium & temporalium; stallum in Choro, vocem in Capitulo, cum ceteris solennitatibus, eidem assignantes: non obstante in posterum cujuscumque calumniâ seu contradictione; non obstante etiam quocumque damno seu incommodo emergente de bonis, quæ à prædicta collata sunt matrona.

Quod ut debitam obtineat firmitatem, præsentem fecimus conscribi Paginam, sigilli nostri charactere roboratam. Actum anno Verbi Incarnati millesimo ducentesimo primo. 1201.

CAPUT LXIX.

Joannes *Frater Guilielmi Domini Betuniæ & Teneramundæ, Cameracensis Episcopus, Præbendam, à Iotha Matrona institutam, anno* 1203. *confirmat.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Joannes, Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, omnibus tam modernis quàm posteris, in perpetuum.

Præsentium attestatione tam modernis quàm posteris notum fieri volumus, quòd quædam matrona Jotha nomine, spiritu pietatis ducta, pro anima sua & Goswini mariti sui, & Prædecessorum suorum, reditus decem marcarum in Ecclesia Antwerpiensi, ad usum unius Præbendæ, instituit: ita quod in ea statim eligeretur Canonicus, qui in Fratrem receptus, cum Canonicis suis æquâ fructuum gauderet possessione; reditus verò prædicti in usum cederent communitatis. Ad quam Præbendam Præpositus & Capitulum Antwerpiense, communi voto, Joannem Acolytum canonicè in Fratrem & Canonicum elegerunt.

Quam institutionem, & canonicam ejusdem Præbendæ collationem habentes præsentium auctoritate confirmatam, tam ipsam quàm alias Ecclesiæ Præbendas sub nostra protectione suscipimus; sub anathematis interminatione districtiùs inhibentes, ne aliquis de cætero huic nostræ confirmationi se opponat, aut præsumat de prædictis, seu quibuscumque aliis Ecclesiæ justis possessionibus, quas ad præsens possident, vel in futurum poterunt adipisci, dictæ Ecclesiæ Canonicos molestare.

Quod ut debitam obtineat firmitatem, præsentem fecimus conscribi Paginam, sigilli nostri Charactere roboratam.

Actum anno Verbi Incarnati millesimo ducentesimo tertio. 1203.

CAPUT LXX.

Roberti *Præpositi & Capituli Antverpiensis Tabulæ de decimis & prædiis in Millegbem, emptis per Iotham matronam.*

In nomine Sanctæ Trinitatis, Ego Robertus, Ecclesiæ B. Mariæ in Antwerpia Præpositus, & quod mecum est Capitulum, notum facimus universis, præsentem Paginam inspecturis,

Quod quædam Matrona, (1) Jotha nomine, spiritu pietatis ducta, ad comparandos reditus decem marcarum, se Ecclesiæ nostræ obligavit, & filium suum Joannem, Concanonicum nostrum, hujus rei fidejussorem interposuit, sub tali quidem forma, ut in ea novus institueretur Canonicus, ibidem in perpetuum ministraturus.

Postmodum verò, cùm duos manipulos decimæ

decimæ de (2) MILLENGHEM, & quædam alia bona in eadem villa, consilio Domini Ducis, & nostro comparasset, & eorumdem bonorum investituram de manu Domini Ducis Ecclesia recepisset, ut ipsam à præmissa obligatione, & filium à fidejussoria cautione absolveremus, postulavit.

Nos verò justæ petitioni ipsius debitum præbentes assensum, bona præmissa, cum omni commodo, vel incommodo, quod in posterum posset provenire, in communitatem nostram recepimus; ipsamque & filium in præmissis obligationibus de tanta parte redituum, quantam de præmissis bonis annuatim provenire contigerit, omnimodis absolvimus. Et tali quidem factâ æstimatione, ut tria sistaria siliginis pro marca, & quattuor sistaria hordei similiter pro marca computentur.

UT autem hæc rata & inconvulsa in perpetuum permaneant, præsenti paginæ rei gestæ seriem impressimus, & sigillorum nostrorum appositione communivimus. Datum anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo 1206.
sexto.

(1) UT IOTHA Matrona Antverpiæ, sic Godefridus Villicus seu Prætor Lovaniensis anno 1185. & alii non pauci homines privati, varias Præbendas Lovanii in Ecclesia S. Petri instituerunt ac dotarunt.

(2) MILLENGHEM hodie Milleghem, Vicus Antverpiæ vicinus.

(3) DUCIS Brabantiæ, Henrici eo nomine primi.

(4) SISTARIA, Brabantis *Sisteren*, genus mensuræ granorum.

CAPUT LXXI.

BALDUINUS *cognomento* MAGNANIMUS, *Flandriæ & Hannoniæ Comes, ab Henrico VI. Imp. primus Namurci Marchio creatus, dotat anno* 1192. *Namurcensem S. Albani Ecclesiam, nunc Cathedralem.*

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. BALDUINUS Comes Flandriæ & Hannoniæ, & Marchio Namuci primus, universis Christi fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, in perpetuum.

COGNITUM fieri volo vestræ discretioni, quòd cùm Dominus omnipotens, ad honorem Namucensis castri, quod me ex parte Avunculi mei, HENRICI Comitis Namuci & Luseeleborg, jure hereditario contingebat, me sublimasset, & Henricus sextus Romanorum Imperator, ex honore ipsius castri, & ejus appenditiis, me MARCHIONEM & Principem Imperii, præeunte Principum suorum judicio & eorum subveniente consilio, fecisset;

INTUITU caritatis & eleëmosynæ, dedi Ecclesiæ S. Albani in Namuco quoquo anno viginti quattuor solidos Namucensis monetæ in censibus meis de Villa & herbata, quæ Nova Villa nominatur; ut ita inquam, quòd duodecim solidos in Natali Domini, & duodecim solidos in festo S. Joannis Baptistæ ipsa Ecclesia S. Albani, sine difficultate aliqua & dilatione, accipiat. Denarii quidem illi in reparationem ipsius Ecclesiæ convertendi sunt: si verò nulla reparationis necessitas apparuerit, ipsi denarii in luminari Ecclesiæ convertentur.

UT autem hoc ratum habeatur, & inviolatum permaneat, Scripto annotatum & sigilli mei appensione signatum, subscriptis Testibus, tam Nobilibus quàm ministerialibus, corroboravi.

Signa Nobilium.

Willelmi Fratris mei, Nicolai de Barbentione, Clarenbaldi de Alta ripa, & Henrici de Mula, Simonis de Mosam, Nicolai de Geslin, Philippi de Werde.

Signa Ministerialium.

Willelmi & Nicolai Ungesee, Henrici de (2) Autrepia,
Iberti de Ays, & Iberti filii ejus.

Signa Clericorum.

Gissleberti, S. Germani in Montibus & S. Albani in Namuco Præpositi & Custodis,
Hermanni Decani S. Albani.

ACTUM per manum Gissleberti prædicti, in Hannonia & in Namuco Cancellarii mei, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo 1192.
nonagesimo secundo, Cœlestino Papâ III. Romanæ Ecclesiæ Pontificatum gerente, Henrico sexto Imperatore Romanis imperante.

C A-

(1) DE BARBENTIONE, vulgò *Barbanzon*. Est arx & vicus Hannoniæ, primo lapide à Bello Monte distans, titulo Principatûs ab Alberto Pio Belgarum Principe anno 1614 honoratus.

(2) AUTREPIA, *Otrep*, Vicus Hannoniæ prope Camberonam, pertinuit ad Marchiones de Trazegnies, dein ad Familiam Moullart.

CAPUT LXXII.

Idem BALDUINUS *Comes Almanno, Guilielmi fratris sui filio, Præbendam unam Ecclesiæ S. Albani Namurcensis anno* 1195. *confert, ejusque sectionem in duas portiones decernit.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) BALDUINUS Comes Hannoniensis, & primus Marchio Namucensis, universis Christi fidelibus, tam præsentibus quàm futuris.

DISCRETIONI vestræ notum fieri volo, quòd cùm Salvaricus, Ecclesiæ S. Albani in Namuco Canonicus, Præbendam, quam in ipsa Ecclesia habebat, resignasset, ego ipsam Præbendam ALMANNO Clerico, Willelmi fratris mei filio, contuli; & ex communi ipsius Ecclesiæ consensu, concessi & firmavi. Quòd si Almannum decedere contigerit, & ejus pater Willelmus supervixerit, Willelmus ipsam Præbendam, quoad vixerit, integrè possidebit, salvâ refectione annuatim Ecclesiæ debitâ, & Vicariâ pro servitio Ecclesiastico institutâ.

POST decessum verò Willelmi, duæ ex hujus Præbendæ bonis universis fient Præbendæ, quæ duobus à me & meis Successoribus conferentur perpetuò Sacerdotibus, qui cootinuum in ipsa Ecclesia S. Albani statutum jurabunt.

SI verò Willelmus decesserit, antequam ejus filius Almannus, similiter ex ipsius Præbendæ bonis, post decessum Almanni duæ fient Præbendæ, quæ prædicto modo duobus conferentur Sacerdotibus.

UT autem ratum habeatur, & inconvulsum permaneat, Scripto chyrographizato, & sigillo nostro, cum sigillo sæpedictæ Ecclesiæ confirmatum est. Cujus quidem Scripti partem Ecclesia S. Albani sibi retiouit, aliam verò sibi partem Willelmus Frater meus, & ejus filius Almannus sibi reservaverunt. Testes,

Guilbertus ipsius Ecclesiæ Præpositus & Custos, Vide supra p. 109. in Notis.
Hermannus Decanus, Robertus,
Magister Adam Camerarius,
Joannes de Waleст,
Philippus, Franco, Lambinus,
Godescalcus, Henricus,
Lambertus, Joannes, Renerus, Canonici.

TESTES etiam Domini Comitis & Marchionis fideles ad bonorem Namucensis.... pertineotes Viri, Nobiles, Clarenbaldus de Altaripa, Walterus de Sotengien, Nicolaus de Condato, Philippus de Werda, & cum eis ipsius Ecclesiæ Ministeriales, Ibertus de Aix & ejus filius Ibertus, Renerus de Merlemont, Willelmus de Ungesys, Nicolaus oepos ejus, Balduinus de Dansneu. Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quinto. 1195.

(1) BALDUINUS Magnanimus, Flandriæ & Hannoniæ Comes, & Marchio primus Namurcensis, XVII. Kal. Januarii anno 1195. vivere desiit, sepultus Montibus Hannoniæ in Basilica S. Waldetrudis. In cujus tumulo, cùm ossa ad novam Basilicam transferrentur, hęc inscriptio fuit inventa:

EPITAPHIUM
BALDUINI MAGNANIMI Flandriæ & Hannoniæ Comitis, Montibus in Templo S. Waldetrudis sepulti.

HIc jacet BALDUINUS *Comes Hannoniensis, Vir Venerabilis, Prudens, Princeps potens & illustris. Hic fuit Filius Comitis Balduini, qui ante majus Altare jacet. Hic ex parte matris suæ Namucum fuit adeptus, & inde primus Marchio Namucensis appellatus. Hic ex parte Uxoris suæ Margaretæ, (quæ fuit filia Theodorici, & soror Philippi, Comitum Flandriæ) Flandriam cum Hannonia & Namuco possedit. Hic habuit filios, quorum Balduinus primogenitus in Flandria & in Hannonia, Philippus verò successit in Namuco. Habuit & filias, quarum una fuit Elizabeth, Sanctissima Francorum Regina. Obiit XVII. Kalend. Januarii MC. XCV. Requiescat in pace.* 1195.

Balduino Magnanimo Uxor fuit MARGARETA, Philippi Alsatii, Flandriæ Comitis, in Syria sine liberis defuncti, Soror & heres, quæ anno 1194. Winendaliæ decessit, sepulta Brugis in Templo S. Donatiani, ante Aram majorem. In cujus sepulcro anno 1352. reperta fuit lamina plumbea, cum ista Epigraphe:

EPITAPHIUM
MARGARETÆ Comitissæ, quæ Philippi Alsatii, Flandriæ Comitis, Soror & heres, Balduini Magnanimi Uxor fuit.

HÆc fuit MARGARETA, *Uxor Balduini Comitis Flandriæ & Hannoniæ, primi Marchionis de Namu, mater Elizabeth Sanctissimæ Francorum Reginæ, filia Theodorici, & soror Philippi, Comitum Flandriæ. Hæc fuit plurimorum meritorum, præcellens in omni opere bono cunctas mulieres viventes in tempore suo. Obiit XVII. Kalendas Decembris, anno MC. XCIV. mense* 1194. *Novembri. Requiescat in pace.*

Idem Balduinus Magnanimus Patrem habuit Balduinum cognomento ÆDIFICATOREM, matrem verò Aleidem: quorum Epitaphia, olim ad tumulum legi solita, ne pereant, hic libet subtexere.

EPITAPHIUM

BALDUINI ÆDIFICATORIS, Hannoniæ Comitis, Montibus in Templo S. Waldetrudis sepulti.

BALDUINUS hic requiescit, Comes Hannoniensis, cujus Proavus fuit Balduinus (a) I. *(a) Hasnoniensis, qui ex Richilde genuit Balduinum* (b) II. *(b) Hierosolymitanum. Ille Balduinus genuit Balduinum* (c) III. *(c) (qui in hac humatus est Ecclesia ante chorum) ex* (d) Ida. *(d) Alida, Sorore Godefridi Ducis Lovanii. Ille* (e) III. *(e) ex Jolide genuit hunc Balduinum* (f) IV. *(f), animosum & fortem, justitiæ & pacis amatorem, erga subjectos humilem, contra hostes rebellem, qui hanc Ecclesiam S. Waldetrudis tertiò concrematam, & Sancti quoque Vincentii Sonegiensis plumbo texit, & Castri locum muris cinxit, & super portam Basilicam S. Servatii ædificavit, in Valentianis aulam & muros circa Villam erexit, in Bello-monte muros circa turrim construxit, Binchium, Haimonis Quercetum, (g) Buxeum, Castrum* (g) Buccinium. *h) Ramis* (h) Raimes. *& Athum à fundamentis condidit, turribus & ædificiis munivit. Anno Incarnationis Domini millesimo centesimo septuagesimo primo,* 1171. *ætatis verò suæ sexagesimo secundo, VIII. Nonas Novembris obiit.*

EPITAPHIUM

ALEIDIS Comitissæ, quæ Godefridi Comitis Namurcensis atque Ermensindæ filia, & Balduini Ædificatoris Uxor fuit.

ME ligat ad lapidem Comitissam mors Aëlidem,
Qui legis adde fidem; cras tibi fiet idem.
Quid mihi famosæ dat fama, genus generosæ,
Quid mihi formosæ forma, nitorque rosæ?
Fama tepet, generi dolor est speciem removeri,
Sicque datur fieri non hodie quod heri.
Finis adest Julio, cùm nulla vel altera fio,
Matris humi gremio more locata pio.
Sanctis cognata, Namucensi stemmate nata,
Sancta sequens fata, plaudo metendo sata.
Quisquis ades tecum volvas, quid nunc traho mecum:
Dum potes, est æquum te dare dona precum.

Hujus Epitaphii Versus unus aut alter, marmori incisus, hodieque legitur, in ambitu Chori Ecclesiæ S. Waldetrudis Nobilium Virginum Canonicarum Montibus Hannoniæ.

CAPUT LXXIII.

HENRICUS I. *Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ Dux, Prædia in Milleghem à Viro Nobili Antonio de Bunsceke, ejusque Fratribus, collata Canonicis Antverpiensibus, confirmat anno* 1202.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS, Dei gratiâ, Dux Lotharingiæ, & Marchio Romani Imperii, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

NOTUM sit omnibus præsentem Paginam inspecturis, quòd ANTONIUS & Fratres sui, videlicet *Willelmus*, *Henricus*, *Arnoldus*, Milites de Bunsceke, duos manipulos decimæ in Millenghem, & XIV. bunaria allodii, quod in eadem Villa hereditario jure possederant, in manus nostras, ad usus Canonicorum Ecclesiæ S. Mariæ in Antwerpia, more Nobilium, liberè & absolutè resignaverunt. Et nos eadem bona, intuitu divinæ remunerationis, Canonicis prædictæ Ecclesiæ in perpetuum possidenda, sub testimonio Nobilium Virorum, contulimus.

UT autem hæc donatio rata & inconvulsa in posterum permaneat, sigilli nostri impressione & testium subscriptione confirmavimus. Testium nomina hæc sunt,

Godefridus de Schoten,
Arnoldus de Grimbergis,
Walterus Bertholt de Grimbergis,
Arnoldus & Gerardus Fratres de (1) Diest,
Lambertus de Rumpsdorpe,
Henricus de Rikestelle,
Nicolaus de Ranst,
Willelmus de Craihem,
Arnoldus Droffate de Rotselar,
Arnoldus de Wesemale,
Nicolaus de Sant.

Actum anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo secundo. 1202.

STEM-

(1) DIEST, *Diesthemium*, aliis *Dilsta*, situm est ad Demeram flumen, Halâ tantùm unius, Tilemonte verò trium leucarum itinere dissitum. Oppidum ipsum concinnum & territorio latè diffuso insigne: habet dignitatem & titulum Baronatûs seu Dynastiæ, estque ejus Dynasta veteri quâdam prærogativâ VICECOMES, vel (ut vulgò vocant) BURGGRAVIUS ANTVERPIENSIS. Nec impar prædictis antiquitas & gloria Dominorum de DIEST, quorum etiam sub GODEFRIDO BARBATO I. Lotharingiæ & Brabantiæ Duce potens & celebre innotuit nomen.

STEMMA DOMINORUM DIESTENSIUM.

Additio Ex Jurisprudentia Heroica.

ARNOLDUS Dominus de DIEST vixit anno 1268. cique uxorem tribuunt Bertham, filiam heredem Castellani Antverpiensis (ex cujus Capite hæc Castallania mansit hereditaria Dominis de Diest) & ex eadem filium ARNOLDUM, qui cum filio suo GERARDO fidelem & opportunam præstitit operam Joanni I. Brabantiæ Duci in prœlio Woeringano anno 1288. Duxit ISABELLAM filiam Ducis BRITANNIÆ: fundavit Fratres Ordinis S. Francisci Diestæ: Begginis ibidem (quibus pater ejus anno 1254. concesserat facultatem construendi Ecclesiam) crescente earundem numero, locum ampliavit anno 1271. obiit anno 1296. sepultus in Ecclesia dictorum Fratrum Minorum Diestæ, superstite prædicto filio GERARDO. Hic primò duxit filiam Comitis Lossensis, secundò JOANNAM de FLANDRIA, filiam GUILIELMI dicti *Sine terra*. JOANNES TERTIUS Dux Brabantiæ, confirmans illi omnes suas Chartas & Privilegia anno 1333. vocat illum suum consanguineum: obiit sine liberis anno 1337. sepultus in Carthusia de Zeelhem, quam fundavit. Procuravit insuper Ecclesiam S. Joannis Baptistæ Diestæ erigi in Collegiatam per Hugonem Episcopum Leodiensem anno 1297. Habuit fratrem JOANNEM Episcopum primò Cameracensem, postea Ultrajectensem, qui fundavit Collegium XII. Canonicorum Amersforti. THOMAM item Dominum de Zeelhem, ex quo successione temporis & generationum. procreata est JOANNA de DIEST, JOANNIS Baronis de DIEST & JOANNIS de HORNES filia, Dominiorum de Diest, Sichem. &c. heres. Hæc anno 1437. nupta erat JOANNI DE LOSS Domino de Heynsberg, qui obiit anno 1448. & reliquerunt JOANNAM de HEYNSBERGHEN Dominam de Diest. Sichene. &c. nuptam JOANNI Comiti de NASSAU & Sarebrugge, &c. defuncto anno 1472. quorum filia JOANNA Domina de Diest & Sichene elocata JOANNI Comiti Palatino, Duci in Bavaria, vendidit Dominium de Diest & Sichene Duci Juliacensi, qui illud postmodum retrocessit ENGELBERTO Comiti Nassoviæ, permutatione factâ cum territoriis de Vucht, Gangelt & Mille: inde ad filium HENRICUM, & ab illo in Guilielmum Principem Auriacum ejusque postmodum heredes continuatum fuit.

Sequentium Dominorum Diestemiensium Stemma ex Familia Nassavio-Orangia, invenies supra pag. 219.

CAPUT LXXIV.

PHILIPPUS *cognomento* NOBILIS, *Marchio & Comes Namurcensis, numerum Canonicatuum seu Præbendarum, in Namurcensi S. Albani Ecclesia, auget, anno* 1211.

PHILIPPUS Marchio Namucensis universis Christi fidelibus tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

NOVERIT universitatis vestræ discretio, quòd cum Ecclesiam in Namuco S. Albani Christi Martyris pretiosi invenissem aliquantulum desertam, & quasi vacuam, sincerâ dilectione eam amplectens, cum bona devotione in quàm pluribus eam restruxi, tam in Altaribus quam..... novoque Presbyterio, tam campanis quàm campanariis, ac Dormitorio, pluribusque aliis ipsi Ecclesiæ competentibus & necessariis, gloriosisque Sanctorum Reliquiis & pretiosis Ornamentis honoravi;

ASSENSUQUE Domini HUGONIS Leodiensis Episcopi, à Viris venerabilibus, Domino STEPHANO scilicet Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliæ Primate, & à Domino BERTRANNO Metensi Episcopo, Dominicâ quâ cantatur, *Quasi modò geniti*, anno gratiæ millesimo ducentesimo octavo, feci conse- 1208.
crari, & numerum Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, qui erat septemdecim, auxi tribus Præbendis de propriis bonis meis, & refeci numerum plenum viginti Canonicorum.

HÆC quidem non ex jactantia vel arrogantia refero, sed ut perpetuæ ad conservationem honorum & dignitatis Ecclesiæ, tradantur memoriæ... scripto præsente & sigillo meo, cum sigillo S. Albani, confirmata sunt. Actum anno Verbi Incarnati millesimo ducentesimo unde- 1211.
cimo.

CAPUT LXXV.

Idem PHILIPPUS, *Marchio Namurcensis, anno* 1212. *Militaris seu Equestris Ordinis Viros liberat à servitute solvendi melius Mobile, seu Cathellum, ut vocant, post obitum.*

EGo PHILIPPUS Marchio Namucensis notum facio universis, tam præsentibus quàm futuris, quòd consuetudines quasdam indecentes, quas contra honorem Militarem injustè usurpaveram, iniquas esse discernens, decrevi & statui, ut à nullo Milite, qui sit de familia vel Advocatione mea, melius Mobile (quod quidem melius Cathelum dicitur) de cetero accipiatur post ejus decessum, nec id ab ejus herede pro illo mortuo exigatur.

UT autem hoc habeatur ratum, præsente Scripto & sigilli mei appositione confirmavi.

Actum apud Reaton, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo. 1212.

(1) PHILIPPUS, cognomento Nobilis, Marchio secundus Namurcensis, Balduini Imperatoris Constantinopolitani frater, non anno millesimo ducentesimo decimo tertio (ut ejus tumulo per errorem à posterioris ævi manu insculptum legitur) sed anno millesimo ducentesimo duodecimo vivere desiit: ut Paulus Croonendalius in sua Ms. Comitum Namurcensium Historia, ex fide Tabularum publicarum, rectè probat.

In ejusdem tumuli apud Namurcenses inscriptione (quam in Stemmatibus Belgicis cap. 13. produxi) falsò dicitur fratris sui Henrici in Comitatu Namurcensi Successor. Successit enim immediatè Patri suo Balduino Magnanimo, & obiit quadriennio ante fratrem suum Henricum Imperatorem Constantinopolitanum, qui Comes Namurcensis non fuit. Philippo autem Nobili in Principatu Namurcensi Soror successit IOLANDIS, Petro Comiti Autisiodorensi nupta: cujus Tabulas mox producam.

CAPUT LXXVI.

GOBERTUS *Dominus de Bioul jus omne suum, quod habebat in Silvam Marlaniam, cedit* PETRO *Comiti Autisiodorensi & Marchioni Namurcensi, ejusque Conjugi* JOLENDÆ, *anno* 1123.

HUGO, Dei gratiâ Leodiensis Episcopus universis tam præsentibus quàm futuris. Noveritis hanc esse formam compositionis & pacis perpetuæ inter PETRUM Comitem Antisiodorensem & Marchionem Namucensem, & JOLENDAM Comitissam, uxorem ejus, Marchionissam Namucensem, & GOBERTUM de BIOUL, super reclamationibus & querelis, quas ipse Gobertus contra prædictos Comitem & Comitissam, & contra eorum Prædecessores moverat, de nemoribus quæ dicebantur esse de (1) Marlania & de Bioul.

GOBERTUS siquidem, in nostra & prædictorum Comitis & Comitissæ constitutus præsentia, subque plurium parium suorum & aliorum Nobilium testimonio, omne jus, quod in prædictis nemoribus se habere dicebat, spontaneâ ductus voluntate, & omissis omnibus exinde caussis & querelis, illud totum prædictis Comiti & Comitissæ & eorum heredibus in proprietatem dimisit.

DE consensu autem prædictorum Comitis & Comitissæ, Gobertus satis dictus retinuit sibi & heredibus suis, in prædictis nemoribus, ligna vivi nemoris, ædificiis suis propriis necessaria, infra potestatem de Bioul, & non aliàs; sive dando vel vendendo, & ligna mortui nemoris suo foco proprio oportuna, & pascua porcorum suorum domûs suæ propriæ de Bioul....

UT autem hæc rata permaneant, petitionem utriusque partis, Scripto præsente & Sigillo nostro, cum sigillis satis dictorum Comitis & Comitissæ, confirmavimus. Huic Scripto Sigilla sua apposuerunt, in testimonium, Viri Nobiles,

(2) Alardus de Cimaco, Hugo de Florinis,
Wilhelmus Patruus, Nicolaus de Condeto,
Walterus de Fontanis,
Clarenbaldus de Altaripa.

ACTUM apud Floreffiam anno Domini mil- 1213.
lesimo ducentesimo tertio decimo, mense Augusti.

(1) MARLANIA, silva amplissima haut procul Namurco distat; in qua Eremiticum habent Cœnobium Carmelitæ Discalceati, beneficio Alberti & Isabellæ, Principum Belgii, fundatum anno 1619.

(2) CIMACUM, vel Chimacum. *Chimay*. Hannoniæ Oppidum. Principatûs titulo clarum: de quo vide supra lib. 1. Diplomatum Belgicorum cap. 112.

CAPUT LXXVII.

PETRUS *Comes Autisiodorensis & Marchio Namurcensis, decimas Namurcensi Canonicorum B. Mariæ Collegio, à Prædecessore suo Philippo Nobili, attributas, confirmat, anno* 1214.

Auctum & emendatum ex ipsis Archivis Ecclesiæ B. M. Namurci.

PETRUS (1) Comes Antisiodorensis & Tormirensis & Marchio Namucensis, & JOLENDIS Comitissa, Uxor ejus, & Marchionissa, universis tam præsentibus quàm futuris, in perpetuum. NOVERIT universitatis vestræ discretio, quòd cum Vir illustris, bonæ memoriæ, PHILIPPUS Marchio Namucensis, Prædecessor noster, gravi detentus infirmitate, sanæ tamen mentis vigens conscientiâ, Viros venerabiles & religiosos, Conradum scilicet Villariensem, & Balduinum Camberonensem, & Nicolaum Marchianensem, & Renerum Valencenensem, Abbates, Testamenti sui Procuratores penitus & Executores constituisset, decimas suas omnes, quas tunc temporis

(1) PETRUS Comes Antisiodorensis, seu potiùs Autisiodorensis (sive gallicè *d'Auxerre*) & Tormirensis, seu *Tonnerre*. Ceterùm quâ ratione PETRUS fuerit electus Imperator Constantioopolitanus, breviter hic narrare fuerit operæ pretium.

BALDUINO Flandriæ & Hannoniæ Comiti in dicto Im-

ris ad manus suas habebat, eisdem Abbatibus inter cætera resignavit, conferendas liberè & absolutè Ecclesiis, eorum dispositione, & saniore, quâ possent, ordinatione, in eleëmosynam perpetuam, exprimens eis loca, quibus decimas illas specialiùs conferri desiderabat.

JAM dicti igitur Abbates assignaverunt Ecclesiæ B. Mariæ in Namuco, in eleëmosynam perpetuam, omnes partes decimarum, quas prædictus Marchio Namucensis, seu illius Antecessores habuerant apud Elmmes, & apud Umbercees, & ad Burges, & ad S. Medardum, & ad Novillam & Altrepiam, & ad Warisoul, & quartam partem totius grossæ decimæ de Geninne, & de Anhea, & de locorum illorum appenditiis.

UNDE ipsa Ecclesia debet annuatim reddere veteri Capellæ S. Georgii sitæ in nemore Namucensi duodecim modios annonæ mensuræ Namucensis.

REMANSERUNT autem nobis & heredibus nostris nemora cum omni jure & proprietate quæ jam dicta Ecclesia sua esse dicebat, quorum alterum S. Mariæ, alterum verò S. Martini nuncupabant. Salvo semper usuario mansionariorum Villæ de Fol habendi ædificia & pascua in prædictis nemoribus ad usus porcorum ibidem nutritorum de proprio catelo hominum ad usum & consuetudinem pasnagii sicut esse solebat.

SALVO etiam usuario loci de mortuo nemore ad usus prædictorum Mansionariorum, ipsum verò pasnagium remanet nobis & heredibus nostris in proprietatem.

DE prædictis decimis decem modii convertendi sunt quoquo anno in anniversarium præfati Marchionis distribuendi quidem Canonicis & Vicariis qui celebrationi anniversarii præsentes intererunt.

DE illarum etiam decimarum quarta parte ad Abbatiam satis dictæ Ecclesiæ pertinente duodecim modii annuatim convertendi sunt ad Missam S. Martini in Bullei.

Nos equidem satis dicto Marchioni in Marchia & Comitatu Namucensi jure hereditario succedentes, omnia prædicta tam de decimis supradictis præfatæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ collatis, quàm de nemoribus nobis retentis, pleniùs approbamus sigillisque nostris, ut eadem rata permaneant, confirmamus.

ACTUM anno Verbi Incarnati millesimo 1214.
ducentesimo quarto decimo, mense Maio.

perio HENRICUS frater successit, qui anno millesimo ducentesimo decimo sexto, die 3 Junii Thessalonicæ obiit. In Henrici locum, Franci, Veneti & alii Latini, qui tum in Græcia versabantur, PETRUM Philippi Augusti Francorum Regis cognatum, elegerunt, missâque legatione in Orientem evocârunt. Is nuntio accepto, cum Uxore sua JOLENTA, Romam se contulit ad Honorium Papam, qui ipsos in Ecclesia S. Laurentii extra muros anno 1218. coronavit.

Româ Constantinopolim cogitans Petrus, in via à Theodoro Lascare, aliisque Græcis prope Dyrrachium captus, diu ab iisdem in custodia detentus fuit: in qua & miserè obiit, adeoque Constantinopolim numquam attigit. Quo fit, ut à Scriptoribus Græcis, in serie Latinorum Imperatorum omittatur, & nominatim à Nicephoro Gregora, qui lib. 4. sic ait: Qui verò tum Constantinopoli regnaret, Balduinus erat, Balduini primi ex sorore nepos. Ei enim frater Henricus successit, huic sororis Jolentæ primogenitus filius Robertus, Roberto fratre ætate proximus Balduinus. *Hactenus Nicephorus.*

Petro itaque à Græcis capto, JOLENTA, uxor ejus, Imperii Constantinopolitani administrationem suscepit: cui anno proximè sequenti defunctæ ROBERTUS filius in Imperio successit.

CAPUT LXXVIII.

(1) *Vallis Dei, Abbatia Monachorum Ordinis Cisterciensis, in Diœcesi Leodicensi, tertio lapide à Limburgo; fundatur à* LOTHARIO *Comite Hostadiensi, anno* 1216.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (2) ENGILBERTUS, Divinâ favente clementiâ, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis Christi fidelibus, ad quos præsens Pagina pervenerit, in perpetuum. Ne rei gestæ finem consumat oblivio, litterarum solet indiciis æternari.

QUAPROPTER noverit tam præsens ætas quàm successura posteritas, quòd Lotharius Comes de Hostaden, zelo piæ devotionis succensus, de conniventia & consilio Ministerialium suorum, mansum terræ, duodecim bonaria continentem, juxta Sartum S. Joannis, ab heredibus comparatum, Abbati WIDONI & Confratribus suis de S. Agata, Cistertiensis Ordinis, pro remedio animæ suæ, ac Parentum suorum, per manus nostras, liberum & absolutum ab omni jure, censu & exactione, contradidit: ut Fratres jam dicti Monasterium suum in locum transferrent eumdem, tamquam ipsis magis idoneum & commodiorem.

UT igitur hoc factum rationabile, ratum permaneat & inconvulsum, præsentem Paginam

(1) VALLIS DEI. Gallicè *Vaux Dieu*, Flandricè *Godtsdale*, sita est medias inter silvas, in confinibus Ducatûs Limburgensis & Comitatûs Dalhemiensis, in agro nobis Transmosano.

(2) S. ENGILBERTUS Archiepiscopus Coloniensis, & martyr, teste Cæsario, fuit frater Adolfi Comitis Montensis ad Rhenum; cujus filiam & heredem duxit Henricus IV. Dux Limburgensis.

Stemma utriusque exhibuimus suprà Lib. I. Dipl. Belg. cap. 96. Vide insuper cap. 55. hujus libri II.

nam exinde conscriptam, Sigilli nostri charactere, & Sigillo Comitis præfati dignum insigniri duximus, sub anathemate districtè præcipientes, ne quis huic facto ausu temerario contraire præsumat. Hujus rei testes sunt,

Conradus major Decanus & Archidiaconus Coloniensis.

Godefridus Capellanus.

Conradus & Arnoldus Canonici Colonienses.

Henricus de Ellende, Canonicus SS. Apostolorum.

Otto de Wikerhode,

Adolphus de Ellende.

Willelmus de Nuenhagen.

Reinardus Dapifer de Hostaden.

Herbordus de Marcke, Adolphus de Culen.

Petrus de Wikerhode,

Lodovicus Dapifer de Dolehem.

Peregrinus Notarius, & alii quàm plures. 1216

ACTA sunt hæc anno Gratiæ millesimo ducentesimo sexto decimo, Pontificatûs nostri anno primo.

CAPUT LXXIX.

JOLENDIS *Marchionissa & Comitissa Namurcensis, ad Imperii Constantinopolitani coronam, cum Petro Marito suo, evocata, cedit Philippo filio suo Comitatum Namurcensem, & benefacit Ecclesiæ S. Albani, an.* 1216.

EGo JOLENDIS, Comitissa Antisiodorensis & Marchionissa Namucensis, notum facio universis præsentibus & futuris, quòd cùm terram meam Namucensem, cum integritate feodi, dedissem PHILIPPO filio meo in proprietate; retinui mihi de ipso feudo, assensu ejusdem filii mei, in reditibus Binciensibus, quindecim libras denariorum, annuatim conferendas ad voluntatem meam in eleëmosynam, & percipiendas omni anno in Purificatione Beatæ Mariæ.

INSTITUI quidem Capellaniam perpetuam in Ecclesiæ B. Albani Namucensis Altari, ante sepulcrum germani mei Philippi, quondam Marchionis Namucensis, pro ipsius & mea, & viri mei Petri Comitis Antisiodorensis, & Parentum meorum salute. Beneficium igitur illud conferendum semper Sacerdoti, qui in propria persona prædicto Altari deserviat, in Missa pro fidelibus defunctis. Salvâ semper illâ Missâ, quam prædictus Germanus meus ibidem instituit cum annuo beneficio XV. librarum.

HI verò duo Capellani Horis conventualibus in eadem Ecclesia tenentur interesse: sed neuter eorum ad celebrationem majoris Missæ cogendus est ......

SATIS dictus quippe filius meus, de tota terra Namucensi, cum integritate feodi, & Dominio ejusdem terræ, bene & legitimè adheredatus, satis dictæ Capellaniæ institutionem, modo quo prædictum est, approbavit, & sigillo suo, cum mei sigilli confirmatione, diligenter roboravit.

ACTUM anno Verbi Incarnati millesimo 1216
ducentesimo sexto decimo.

EX hoc Diplomate datur intelligi, JOLANTAM, ejusque maritum Petrum Antisiodorensem, non nisi annis quatuor possedisse Comitatum Namurcensem, & anno millesimo ducentesimo decimo sexto cessisse Philippo filio dictum Comitatum seu Marchiam Namurcensem, paulò antequam Romam proficiscerentur, ad suscipiendam coronam Imperii Constantinopolitani ex manibus Pontificis Maximi. Quod nota contra Meierum, qui ad annum 1215. hæc refert.

CAPUT LXXX.

PHILIPPUS *illo nomine secundus, Marchio Namurcensis, Petri Imperatoris Constantinopolitani & Jolendis Comitissæ Namurcensis filius, Namurcensem S. Albani Ecclesiam dotat, anno* 1221.

EGo (1) PHILIPPUS Marchio Namucensis omnibus, tam futuris quàm præsentibus, Paginam hanc inspecturis, notum facio, quòd pro animabus PETRI bonæ memoriæ Imperatoris Constantinopolitani, Patris mei, & JOLENDIS Imperatricis, Matris meæ, & Antecessorum meorum, Ecclesiæ S. Albani Namucensis, in eleëmosynam perpetuam, affectu benigno, contuli omnes calceos, qui mihi debebantur omni anno, duobus terminis de stallagio Namucensi;

SALVIS tamen illis calceis, qui de jure debentur Scabinis Namucensibus, & tribus horoscopis, duobus portariis castri, & duobus præconibus villæ; salvis quoque aliis calceis, si qui judicio Scabinorum Namucensium aliàs de jure debeantur.

DE his quidem calceis institui, ut omni anno in perpetuum, in die anniversarii Parentum meorum, piæ memoriæ, Canonicis S. Albani, qui

qui præsentes erunt anniversario, distribuantur quindecim solidi Valencenensis monetæ.....

Testes hujus rei, Gillebertus Præpositus, & Hugo Decanus S. Albani, & Magister Joannes Custos S. Albani, Notarius meus, cum præsentibus ejusdem loci Canonicis, scilicet Alardo, Renmo, Dionysio, Petro & Servatio, & aliis.

Testantur etiam hoc factum meum vir Nobilis Gerardus de Jacea, Simon quoque de Genleng, & Balduinus de Lobys, Milites, quia præsentes fuerunt. Sub testimonio etiam Philippi de S. Lupo, Villici Namucensis, & Scabinorum, videlicet Renaldi, Sigeri, Lamberti de Burges, Philippi de Vanafleur, & Colini de Vellomonte, & multorum aliorum.

Ut autem hæc eleëmosyna mea, bene & pro bono facta, non valeat irritari, sed firmitatem perpetuam obtineat, Chartulam hanc Sigilli mei appensione muniri feci. Actum in Festo Beati Dionysii, anno ab Incarnatione Domini millesimo duecentesimo vicesimo primo. 1221.

(1) Philippus illo nomine secundus Comes Namurcensis, ad bellum sacrum contra Albigenses profectus, in obsidione Avenionensi, aut pauló post Urbem illam à Ludovico Galliæ Rege captam, anno 1226. vivere desiit, non relictâ sobole; sepultus Valcellis, quæ est Abbatia Ordinis Cistertiensis, haut procul à Cameraco, ubi tumulus ejus marmoreus in claustro Capituli hodieque visitur. Fundari post obitum suum jussit Abbatiam Grandi-pratensem, ut infra dicemus.

Philippo in Comitatu Namurcensi suffecta est Soror Margarita, Henrico Comiti Viennæ seu Viandæ in agro Luxeburgensi nupta.

CAPUT LXXXI.

Waleramus, *Dux Limburgensis & Comes Luceburgensis, Roberti-Montense Virginum Cœnobium, Ordinis Cistercicensis Leodii, an.* 1221. *dotat.*

Waleramus (1) Dux de Lemburg, Comes de Lucemburg, & Marchio de Arlon, universis Christi fidelibus ... Inde est, quod Conventui Sanctimonialium de (2) Roberti-Monte, Cistertiensis Ordinis, nemus de *Nigirrey*, sicut in spelunca ejusdem loci usque ad nemus earum extenditur, contulimus & concessimus perpetuò possidendum.

Datum Lemburg, anno Gratiæ millesimo ducentesimo vicesimo primo. 1221.

(1) Waleramus iste Dux Limburgensis & Comes Luceburgensis, & de Rupe, Marchio Arlunensis, obiit anno 1229. juxta Cronendalium, aut anno 1238 juxta Archiva Monasterii ad Rodam Ducis siti; in quo sepultus jacet, cum hoc Epitaphio.

Iste fuis talis, virtutibus Imperialis,
Majestas similem nescivit habere per orbem,
Limburg Dux, Archos Arlon, Comes in Luceliburg,
Walramus: dictus Dux Henricus Pater ejus.

(2) Roberti-mons, Leodii, jam olim ab anno 1015 à piis Virginibus inhabitatus, præsentiâ S. Bernardi ejusque vaticiniis illustratus fuit anno 1131. Cisterciensis Ordinis Regula ibidem recepta est an. 1193. Novum itidem Monasterium non sine miraculo extructum. Quod pauló pòst flammis absumptum deseritur, Virginibus in alteram Abbatiam Leodiensem Vallis Benedictæ migrantibus. Sed restauratur an. 1243, à quibusdam Monialibus è Valle Benedicta redeuntibus.

CAPUT LXXXII.

Post longum Bellum, pro Comitatu Namurcensi, inter Philippum Marchionem Namurcensem & Waleramum Ducem Limburgensem ac Comitem Luxeburgensem gestum, pax commponitur anno 1222.

Ego Joanna, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, omnibus certum facio, quòd post longam guerram habitam inter me, & Philippum Marchionem Namucensem, consanguineum meum & fidelem ex una parte, & Virum Nobilem Dominum Valeramum Ducem de Lembourg, Comitem de Luxenbourg, & Dominam Ermensindem, uxorem ejus, ex altera parte, super Comitatu Namucensi; pax est reformata (1) in hunc modum .....

Actum apud Dionantum feriâ secundâ post *Invocavit*, anno millesimo ducentesimo vicesimo secundo, mense Martio. 1222

C A-

(1) In hunc modum. Per hunc tractatum pacis, non exigua Comitatûs Namurcensis portio Transmosana cessit Waleramo Duci Limburgensi ac Comiti Luxeburgensi: altera verò portio mansit penes Philippum Comitem Namurcensem.

CAPUT LXXXIII.

Argentonium, Monialium Ordinis Cisterciensis Cœnobium in Gallo-Brabantia, anno 1229. *fundatur à* GUILIELMO *Harentonii Domino, & IDA ejus Conjuge.*

UNIVERSIS Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis WILLELMUS DE HARENTON, & uxor ejus cognoscere veritatem.

UNIVERSITATI vestræ notum facimus, quod Nos, propter salutem animarum nostrarum & Prædecessorum nostrorum, contulimus in eleëmosynam liberè & absolutè Conventui Monialium, quæ consilio nostro se transtulerunt de Grandi-valle, ad locum qui dicitur (1) ARGENTON, prope Harenton, omnia bona nostra, quæ habemus apud prædictum Harenton, tam in agris quàm in pratis & nemoribus, & molendino, & vivario, & reditibus & censu, & domibus; exceptis septem bonariis terræ arabilis, quæ contulimus Ecclesiæ de Gemblaco.

IN cujus rei testimonium præsentes Litteras Sigillo Domini (2) I. quondam Aconensis Episcopi fecimus sigillari, sub hac conditione, quod prædicta bona & possessiones in vita nostra detinebimus, post mortem verò nostram ad prædictas Moniales devolventur.

ACTUM anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo nono, mense Maio. 1229.

Additio. (1) ARGENTON. Moniales illæ primitùs fundatæ prope Genappiam, nunc suum habent domicilium primo lapide à Gemblaco in Gallo-Brabantia. Solebant antiquitus subesse Abbati Villariensi tanquam Patri suo: postmodum recognoverunt Abbatem Alnensem, dein Bonessiensem, nunc iterum Villariensem.

(2) I. QUONDAM ACONENSIS EPISCOPI. Designatur hìc Jacobus à Vitriaco, primum Acconis seu Ptolemaidis in Syria Episcopus, dein S. R. E. Cardinalis, Episcopus Tusculanus, Sedisque Apostolicæ Legatus in Terra sancta, in Germania, Francia & Belgio.

Scripsit Libros tres *Historiæ Orientalis & Occidentalis*, variaque alia Opera. Obiit Romæ anno 1244, & corpus ejus Româ transportatum est Oigniacum, quod est Cœnobium Canonicorum Regularium ad Sabim fluvium in Diœcesi Namurcensi, ubi quondam inter Religiosos vixerat.

CAPUT LXXXIV.

GODEFRIDUS *Peruesii Dominus Argentoniensis Monasterii fundationem confirmat, anno* 1230.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Universis Christi fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, præsentes Litteras inspecturis, ego GODEFRIDUS Dominus de (1) Peruez, (2) Ducis Lotharingiæ fratris filius, cognoscere veritatem.

UNIVERSITATI vestræ notum facio, quod WILLELMUS DE HARENTON, & uxor sua IDA, de licentia & voluntate mea, in eleëmosynam contulerunt domui de Argenton, Cistertiensis Ordinis, Leodiensis Diœcesis, terras, aquas, silvas, prata & ædificia, cum molendino & rebus aliis, tam mobilibus quàm immobilibus, quas habent & habituri sunt apud Harenton, nihil mihi juris omnino, nihil sibi vel suis heredibus, successoribus, aut propinquis reservando, præter usumfructum, quem dicti Willelmus & Ida in rebus supradictis, quamdiu vixerint, tantùm sibi reservaverunt, & septem bonaria terræ, quæ jam dicti Willelmus & Ida domui Gemblacensi.... tenentur assignare post obitum suum, jure perpetuo possidenda.

IN hujus rei testimonium, ut hæc rata & inconcussa permaneant, præsentes Litteras Sigilli nostri munimine dignum duxi roborandas.

PRÆTEREA etiam omnibus innotescat, quòd voluntate nostrâ & assensu, filiæ Domini Thomæ Militis de Smechim, scilicet Clara & Achias, Domum Monialium de Harenton possunt intrare, & ibidem de licentia nostra habitum assumere monialem.

DATUM anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo, feriâ tertiâ post Festum Beati Laurentii. 1230.

CA-

(1) PERUEZ, sive Perues, quod Antonino in Itinerario est Peruiciacum, Gallo-Brabantiæ municipium, titulo Baroniæ clarum, potentes olim Dominos habuit, ex ipsa stirpe Ducum Brabantiæ: cui stirps Hornana successit Theodericus Hornanus, Peruesii & Duffliæ Dominus, anno 1373. Tabulas Cortebergenses signavit. Hodie Dux Arembergici & Arschoti, Baronatu Peruetano potitur. Additio.

(2) DUCIS Lotharingiæ fratris filius. Notent antiquitatis nostratis studiosi, Godefrido Peruesii Domino Patrem fuisse non Ducem, sed fratrem Ducis Brabantiæ seu Lotharingiæ inferioris.

CAPUT LXXXV.

JOANNES *Leodicensis Episcopus Argentonium in protectionem suscipit anno* 1232.

JOANNES, Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, universis præsentes Litteras inspecturis in Domino salutem. Universitati vestræ notum facimus, quod Domum Monialium de Argenton, Cistertiensis Ordinis, & locum ipsarum sub nostra protectione recipimus; donum, quod eis contulit Willelmus de Harenton & Ida uxor sua, auctoritate nostrâ confirmantes eisdem, & alia similiter quæ à fidelibus eis justè & rationabiliter sunt collata.

DATUM anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense Augusto, feriâ sextâ post Festum Beati Laurentii. 1232.

CAPUT LXXXVI.

Scladiniense Canonicorum Collegium, in Agro & Diœcesi Namurcensi, anno 1229. *dotatur à* FLORENTIO *Abbate S. Cornelii Indensis prope Aquasgrani.*

FLORENTIUS Dei gratiâ Abbas, totusque Conventus(1) Indensis Ecclesiæ, omnibus præsentes Litteras inspecturis gratiam Dei & orationes.

CUM omne bonum à Deo sit, unde omnis fidelis illud amare debeat & amplecti, per præsentem Scripturam notum facimus universis, decimam totam grossam & minutam, quam habebamus & possidebamus sanâ conscientiâ, in villa nostra de *Sclain* & in ejus appenditiis, nos de communi assensu & deliberatione, contulisse Conventuali Ecclesiæ Canonicorum B. Mariæ de *Sclain*, perpetuis temporibus, sine contradictione & reclamatione tenendam & habendam, titulo eleëmosynæ; ejusdem Ecclesiæ tenuitate nimiâ piè consideratâ, cùm Indensis Ecclesia, tamquam pia mater, filiæ suæ (2) SCLADINIENSI adesse teneatur & prodesse.

HUJUS autem rei gratiâ Fratres & Canonici prædictæ Ecclesiæ hilari animo concesserunt, de deliberato consilio sui Capituli, se singulis annis solenniter celebraturos festum Patronorum nostrorum beatorum Martyrum Cornelii & Cypriani, & exequias Fratrum nostrorum morientium, sicut & suorum Canonicorum celebrare: & nos idem eis concessimus de suis Canonicis decedentibus.

LARGITI sunt autem nobis Canonici memorati, de benignitate propria, volentes recompensare gratiam pro gratia, in quantum facultas eorum pati valuit, quadraginta & octo marcas Coloniensis monetæ, de quibus nos acquisivimus Ecclesiæ nostræ alios reditus, pro dicta decima, prapinguiores & utiliores.

PRÆNOMINATAM verò pecuniam Vir bonæ memoriæ Dominus HUGO, quondam Leodiensis Episcopus, Canonicis antedictis piè legaverat in extremis, ut de eis reditus acquirerent ad suum anniversarium.

QUARE libentiùs & meliùs illam nobis dederunt, cum de dicta decima ipsius Episcopi anniversarii diem ordinaverint celebrare.

UT autem præmissa inconvulsa observeutur, præsentem Chartam sigillis nostris communivimus, in robur & testimonium perpetuæ veritatis.

DATUM in pleno Capitulo nostro, anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo nono, mense Julio. 1229.

(1) INDENSE S. Cornelii Monasterium Benedictinorum, ad Indam fluviolum, secundo lapide ab Aquisgrani situm est, vulgò *Cornelis-Munster*, de quo vide plura superius lib. I. Diplom. Belgic. cap. 84.

Additio. (2) SCHLADINIUM, Gallicè *Schlain*, vicus in Comitatu Namurcensi, ad Mosam, non procul ab Andenna. Est hic Ecclesia Collegiata Sanctæ Felici sacra, habens Canonicos septem cum Præposito; ex fundatione Henrici IV. Imperatoris, cujus olim pervetus ad quamdam Templi columnam picta visebatur effigies, cum hac subscriptione.

Hoc Gymnasium Collegiatæ Ecclesiæ dotavit Henricus IV, qui invito proprio Genitore Imperium obtinuit, anno 1106.

Dotem auxit Abbas Indensis, uti patet ex Diplomate: eâque ratione, & ejusdem beneficiò Cæsaris, Præbendarum Schladiniensium Collator est.

Nota: *Schladiniense* Capitulum diversum esse ab altero *Seclinensi*, quod S. Piato sacrum est, estque Municipium agri Insulensis in Gallo-Flandria.

CAPUT LXXXVII.

Ruremundæ in Gelria Nobilium Virginum Monasterium, Ordinis Cisterciensis, à GERARDO *Gelriæ Comite, ejusque Conjuge* MARGARITA, *conditur & dotatur anno* 1218.

Correctum secundùm Originalia Abbatiæ.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego GERHARDUS, Comes Gelrensis, omnibus hoc Scriptum inspecturis salutem in eo qui est salus omnium. Quæ geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, poni solent sub lingua Testium, & Scripturæ memoriâ perennari.

IDEO siquidem notum esse cupio tam præsentibus quàm futuris, quod cum venerabilis Mater mea RICHARDIS nomine, sæcularibus negotiis fastidita, Sancti Spiritûs inspirante gratiâ, veterem hominem exuere, & novum, videlicet Cistertiensis Ordinis habitum, induere decrevisset, extra fines proprios in partes extraneas proposuit declinare. Unde non modicâ correptus tristitiâ, cum amicorum meorum unà mecum instantia, ab hoc tandem proposito vix fuit reclinata. Ipsam enim in propriis patriæ malebam prædiis degere sub Ordine desiderato, quàm in alienis partibus prædicto modo conversari.

IGITUR ego GERHARDUS & MARGARETA, conjux mea, unà cum filio nostro OTTONE, pium ejus desiderium studentes promovere, supplicatu nostro, eam, Personis Cistertiensibus, tam Fratrum quàm Sanctimonialium, Cistertiensis Ordinis, sibi providè deputatis, in Opidum nostrum RUREMUNDE honorificè perduximus;

ET Ecclesiam B. Mariæ semper Virginis, ibidem in prædio nostro constructam, cum omni jure suo, quo nobis dignoscebatur attinere, & præterea quadraginta areas circumjacentes, & tres areas quas contulit quidam Hermannus, cum Anea dictus, cum omnibus attinentiis suis, atque bona alia, quæ in præsenti Pagina consequenter inveniuntur expressa, in remedium animarum nostrarum, Parentum ac Prædecessorum nostrorum, Deo & B. Mariæ semper Virgini obtulimus;

CONFERENTES ea venerabili Matri nostræ in eadem Ecclesia Abbatissæ ac Conventui ibidem Domino deservienti, perpetuò possidenda. Jus quoque Patronatûs Ecclesiarum (1) GELREN, videlicet novæ & veteris, cum totali decima & silvis ac aliis attinentiis suis; Patronatum Ecclesiæ *Wettene*, cum totali decima, & silvis, ac ceteris attinentiis suis; Patronatum Ecclesiæ *Rodhem*, cum totali decima & silvis atque aliis attinentiis suis. Decimam tamen earumdem Ecclesiarum statuimus, sicut nunc est, permanendam, & silvas sine consensu nostro nec vastandas omninò, nec in novalia redigendas.

STATUIMUS quoque, easdem Ecclesias nulli Clerico sæculari, sed Fratribus prædicti Cœnobii conferendas; & si præfatus Conventus Fratrum defectum patiatur, sæculares Clericos tamquam Vicarios instituat. Præterea unam marcam ad luminaria prædictæ Ecclesiæ de fermento cervisiæ, quod vulgò *Grut* nuncupatur, annuatim exsolvendam, & tantùm ejusdem fermenti, quantum sæpedictus Conventus ad cervisiam necesse habuerit, ordinavimus ipsi perpetuò administrandum.

QUIDAM autem nomine Godefridus de Mirlare dimidium mansum in *Hamme*, qui quatuor solidos Leodiensis monetæ singulis annis solvit, à nobis jure feodali tenuit, quem cuidam, nomine Siberto de Biersbeke, simili jure quo tenuerat, concessit, quique quemdam, Winandum nomine, hereditario pacto in præfatam terram, videlicet prædictorum solidorum instituit; quam verò terram, consensu prænominatorum Virorum, comparavit supra nominati loci Conventus.

NOS igitur, ut nihil de contingentibus omitteretur, sæpe-dictos solidos, in reverentiam Matris misericordiæ, eidem Conventui perpetuò donavimus. Item unum molendinum in Rura, & quartam partem unius jugeris, juxta Curiam Muckenbruke prælibato Conventui contradidimus, in perpetuum possidenda; præterea nulla bona nobis attinentia præfato Conventui, sine nostro consensu liceat comparare.

TALI verò conditione interveniente, bona superiùs memorata, cum attinentiis suis, sæpedicto conventui contulimus, ut si casu eumdem Conventum de loco, in quo nunc est, in alium locum, sine nostro consensu, transferri contigerit in posterum, supradicta bona ad nos liberè redeant possidenda. Præterea ne aliquis successorum nostrorum, repletus invidiâ, sæpedicta bona prænominato Conventui minuere valeat, aut omnimodis auferre, præsentem Paginam nostri Sigilli munimine roboravimus. Testes verò,

Vir Nobilis Henricus de Monte,
Et Waltherus de Erle,
Et Gerhardus de Barsdunc,
Et Frater suus Henricus,
Et Gerhardus de Rotheim,
Et Arnoldus de Wachtendunc,
Theodericus (2) Advocatus in Ruremunde,
Et Nicolaus Scriptor, & alii quàm plures.

DATUM Trajecti anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, XVI. Kal. Julii. 1224.

Diploma istud etsi anno 1224. sit scriptum, ex Epitaphio tamen Fundatorum, quod marmori incisum legitur Ruræmundæ in hoc ipso Cœnobio, constat illud anno 1218. fundatum fuisse.

Additio. *Obiit Anno Domini MCCXXIX. ipso die B. Severi Episcopi*, Gerardus *Comes Gelriæ & Zutphaniæ, qui cum* Margareta *Uxore suâ, ad instantiam Matris suæ* Richardæ de Nassovia *primæ hujus loci Abbatissæ, Monasterium istud fundavit anno MCCXVIII. ambo in hoc loco sepulti.*

Cœnobium istud Cisterciense, vulgò *Munster-Clooster* nuncupatur, estque Nobilium Domicellarum, sub directione spirituali ac Visitatione Abbatis Campi Veteris prope Rheno-bergam, de quo supra cap. 44. hujus libri actum fuit.

Porrò Richarda Nassovia, prima hujus loci Antistita, fuit Vidua Otthonis II. Gelriæ Comitis, ex quo connubio prodiêre, Henricus, qui ob eximiam pietatem Sancti nomen adeptus est, Gerardus III. Patris Successor, Ottho ex Præposito Xanthensi Episcopus Ultrajectinus, (vitâ functus anno 1212.) Adelheidis Guilielmo I. Hollandiæ Comiti, & Margareta Comiti Bergensi nuptæ.

Obiit Richarda anno 1231. Subsequentium verò Abbatissarum seriem exhibet *Historia Geldrici Ducatûs*, à R. *D. Joanne Knippenbergh* Pastore Heldensi stylo elegantissimo conscripta, & Bruxellis edita anno 1719, ubi plurima curiosa de rebus sacris Geldriæ reperies.

Additio. (1) Gelren, sive *Gelria*, Oppidum naturâ & arte munitissimum, anno 1702. post acrem 18. mensium obsidionem à Rege Borussiæ fuit expugnatum. Ecclesia primaria Sanctam Mariam Magdalenam tutelarem habet; ejus Patronatus primò quidem concessus fuerat Abbatiæ Nobilium Virginum Ruremundæ, uti patet ex hoc Diplomate: postmodum verò datus est FF. Carmelitis Geldrensibus anno 1306. à Reinaldo I. Gelriæ Comite. Diploma exhibebitur infra in Supplemento Diplomatum Miræi.

A Gelriæ Oppido nomen obtinuit tota Gelriæ regio, quæ anno 1079. Comitatûs, & anno 1339. Ducatûs titulum accepit. Proprios olim habuit Principes, quorum postremus Carolus Egmondanus obiit anno 1538. & tunc Gelria ceteris Belgii Provinciis accessit.

In Tetrarchias quatuor solet dividi, scilicet Ruremundensem, Neomagensem, Arnhemiensem seu Velaviæ, & Zutphaniensem Comitatum. Posteriores tres Sæculo XVI. accesserunt Dominio Fœderatorum Belgii Ordinum; & sola Ruremundensis Tetrarchia remansit Principibus nostris subdita.

Verùm hæc Regio per Tractatum Pacis Ultrajectensis anno 1713. ita fuit subdivisa, ut Venlona cum appendiciis & Fortallitio Werdæ S. Stephani cesserit Hollandis; Gelria cum annexis Regi Borussiæ; Erckelenium Electori Palatino; Ruremunda vero, Episcopalis Civitas, cum minimo tractu remanserit sub dominio Cæsaris, Principis nostri.

(2) Advocatus in Ruremonde, vernaculè *Vrecht*: quæ dignitas hodie est penes Familiam de Viversem.

CAPUT LXXXVIII.

Contractus Antenuptialis, inter Henricum Blondum *Comitem Luceburgensem &* Margaritam Barrensem, *anno* 1231. *initus: quo Contractu Lineyum Familiæ Luceburgicæ accessit.*

Ego (1) Ermensindis, Comitissa Lucemburgensis, Marchionissa Arlunensis, omnibus præsentes Litteras inspecturis notum facio, quòd Henricus Dominus de Lucemburg, filius meus, ducere debet in uxorem Margaretam, filiam Domini Henrici Comitis Barrensis: & idem Comes dedit filio meo prædicto in maritagio (2) Lineyum, & Castellaniam cum dependentiis, hominiis & Dominiis:

Ita quòd Lineyum & Castellaniam, cum supradictis omnibus, eidem tenetur facere valere septingentas libras .... annuatim, tali conditione, quòd si terra jam dicta minùs quàm septingentas libras valeret annuatim, ipse defectum tenetur ei assignare per Dictum duorum bonorum virorum, quorum alter de hominibus meis, reliquus verò de hominibus Comitis Barrensis debet esse...... de Lineyo in terra sua. Et si jam dicta terra plus quàm septingentas libras annuatim valeret, hoc quod supercresceret, sibi & aliis heredibus suis remaneret.

Contractus iste antenuptialis etsi anno 1231. initus fuit, matrimonium tamen anno 1240. demum fuit consummatum; eò quòd Margarita Barrensis ad ætatem nubilem anno 1231. nondum pervenisset.

Cæterùm ex isto contractu antenuptiali, & altero quem supra lib. 1. cap. 77. recitavi, liquet, Familiam Luxeburgicam, ex qua tot Imperatores, Reges, Duces, Cardinales, Episcopi, Equites Velleris Aurei, & alii heroës prodierunt, trahere originem suam non à vetustis Comitibus Luxeburgensibus (ut Wasseburgius, Vignierius, Reusnerus, Henninges, Berthelius, & alii conantur adstruere) sed à Ducibus Limburgensibus.

Quò etiam facit, quòd Comites S. Pauli, ex familia Luxeburgica prognati, Leonem Limburgicum, non Luxeburgicum, pro insigni gentilicio, semper prætulerint ac gesserint. Id liquet ex Quarteriis, ut loquuntur, Philippi Cliviensis Ravestenii, ejusque conjugis Franciscæ Luxeburgicæ, Bruxellis in Choro Dominicanorum, tumulo eorumdem appensis: inter quæ Quarteria primum locum obtinet insigne Limburgicum, hoc est, Leo ruber in scuto argenteo, cum inscriptione, *Limburg*: cùm alioqui debuisset poni *Luxemburg*, pro primo quarterio.

(1) De Ermensinda, Henrici Comitis Luxeburgensis filia & herede, Walerami Ducis Limburgensis posteriore conjuge, eorumque liberis, in Chronico Belgico latiùs agemus. Ex his Gerardus, Dominus de Durbuy, tres filias reliquit, N. Comiti de Grand-pré in Campania, *Ermergardem* Gerardo Domino de Blanckenheim in Eiflia, & *Margaritam* Joanni Domino de Gistelle in Flandria, nuptas.

N. Comes Grandis-prati, ex filia Gerardi de Durbuy, sustulit inter alios liberos N. Comitem Grandis-prati, & Gerardum cognomento Grandi-pratanum, Dominum de Housalise & Roussy. Quod posterius dominium anno 1304. idem Gerardus obtinuit, per sententiam arbitrariam, à Beatrice Avennensi, Henrici Comitis Luxeburgensis, in Prælio Woeringano anno 1288. cæsi vidua, pronuntiatam.

(2) Lineyum, vulgò *Liney* vel *Ligney*, est in ditione Barrensi, Roussy in Campania aut tractu Reihelensi.

Et hæc debent discerni per duos Dictores supradictos per assensum meum & Henrici filii mei, & Comitis Barrensis, ad hoc electos. Terram autem supradictam debet facere tenere Comes Barrensis Henrico filio meo liberè, sicut allodium proprium, & sine servitio alicui propter hoc impendendo. Ipse verò filius meus vel heredes sui illam de aliquo reaccipere in feodo non possunt.

Si verò Margaretam filiam Comitis, sine herede corporis sui, vel heredes suos, si quos haberet de filio meo, de herede in heredem, sine herede mori contingeret, terra prædicta ad Comitem & heredes suos rediret.

Et si (3) Elisabeth filiam meam, prædicti Comitis Sororem, filii mei Walerami uxorem, sine herede corporis sui, vel heredes suos, si quos haberet, de herede in heredem, sine herede mori contingeret, (4) Marci-villa cum appenditiis suis, & Arencey cum appenditiis suis, sicut ego eadem teneo in dote, redirent ad Margaretam filiam Comitis, & ad Henricum maritum ejus filium meum, & heredes eorum: & tunc terra de Lineyo supradicta ad Comitem Barrensem & heredes suos alios reverteretur.

Item si dictam Margaretam sine herede corporis sui, vel heredes suos, si quos haberet de Henrico filio meo, de herede in heredem, sine herede mori contingeret, Marcivilla & Arenceyum cum appenditiis, sicut supra dictum est, ad Comitem & heredes suos reverterentur. Dictus verò Henricus filius meus debet dotare sæpefatam Margaretam de septingentis libris terræ .... in castello & castellania, in hominiis & in dominiis. Et in illo die, quo idem filius meus Margaretam ducet in uxorem, debent nominari & castellum & Castellania supradicta, & terra assignari per duos Dictores supradictos.

Et idem filius meus tenetur ducere in uxorem eamdem Margaretam, quàm citò ipsa ad ætatem devenerit competentem: & super hoc ipse filius meus fidem dedit. Et ego Ermensindis Comitissa, mater ejus, hoc matrimonium, & omnes conventiones supradictas tenere, & facere teneri creantavi, & super his fidem dedi. Ipse etiam Comes Barrensis ipsum matrimonium, & omnes conventiones supradictas tenere, & facere teneri, fide datâ, creantavit.

Et super his observandis amicos & fideles meos plegios constitui de tribus millibus libris Metensis monetæ. Similiter Comes Barrensis super eodem matrimonio, & super prædictis conventionibus tenendis, amicos & fideles suos plegios constituit de tribus millibus libris Metensibus.

Quod ut firmum sit, præsentes Litteras Sigilli mei munimine roboravi.

Actum anno Domini millesimo ducente- 1231
simo tricesimo primo, mense Julii.

(3) Elisabeth Henrici Comitis Barrensis soror, maritum habuit Waleramum, Walerami Ducis Limburgensis, ex priore conjuge filium, Henrici IV. Ducis Limburgensis fratrem: quem in Diplomate jam recitato Ermensinda filium suum vocat, sed impropriè: eò quòd esset Walrami mariti sui filius ex priore conjuge. Obierunt Walramus & Elisabeth sine prole.

(4) Marcivilla, vulgò *Marville*, & Arenceyum, *Arency*, sunt in Ducatu Luxeburgensi.

CAPUT LXXXIX.

Idem Contractus Antenuptialis anno 1235. *ratificatur.*

Ego Ermensendis, Comitissa Lucemburgensis & Rupensis ..... promisi Nobili viro Henrico Comiti Barrensi, de matrimonio, quod debet contrahi inter Henricum filium meum, & Margaretam filiam ejusdem Comitis Barrensis..... Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo tricesimo 1235
quinto.

CAPUT XC.

Henricus *Marchio Namurcensis & Viandæ Comes, ejusque Conjux* Margarita, *juxta legatum ac mandatum fratris sui Philippi Labeonis II. Marchionis Namurcensis, fundant Abbatiam Grandi-pratensem, quæ est Monachorum Ordinis Cisterciensis, anno* 1231.

Henricus Marchio Namucensis & Viennæ Comes, & Margareta Marchionissa & Comitissa, uxor ejus, in perpetuum. Universitati vestræ notum facimus, quòd cùm Nos per commutationem recepissemus ab Abbate & Conventu de Villari, Cistertiensis Ordinis, Leodiensis Diœcesis, omnes possessiones, quas eadem Abbatia habebat apud Grande-pratum, & apud Toncourt, & apud Burchis, cum suis appenditiis, & omne quod habebat ex illa parte Mosæ inter Dionantum & Hoyum & Mosam;

Nos easdem possessiones totaliter, liberè & absolutè, in allodium perpetuum & liberum,

rum, contulimus Abbatiæ de Grandi-prato, quam fundavimus secundùm legatum cariſſimi Prædeceſſoris ac Fratris noſtri PHILIPPI, bonæ memoriæ, quondam Marchionis Namucenſis, & pro animabus aliorum Anteceſſorum noſtrorum, & noſtris, in remedium peccatorum.

ACTUM anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo primo, menſe Auguſto. 1231.

CAPUT XCI.

Idem HENRICUS *Marchio Namurcenſis & Conjux ejus* MARGARITA *benefaciunt Abbatiis Ciſtercienſis Ordinis, Villarienſi in Brabantia, & Grandi-pratenſi in Namurceſio, anno* 1231.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS, Marchio Namucenſis & Comes (1) Viennæ, & MARGARETA Marchioniſſa & Comitiſſa, uxor ejus, univerſis Chriſti fidelibus, tam præſentibus quàm futuris, præſentem Paginam inſpecturis, æternam in Domino ſalutem.

AD univerſitatis veſtræ notitiam volumus pervenire, quod nos Fratribus de VILLARI, Ciſtertienſis Ordinis, Leodienſis Diœceſis, per commutationem in fundo & vellere contulimus quadringenta bonaria ſilvæ, in perpetuum allodium liberè poſſidenda, nihil omninò juris in his, nihil heredibus noſtris ad præſens vel in poſterum reſervantes, præter....

SCIENDUM etiam, quòd dictas poſſeſſiones eiſdem Fratribus commutavimus, pro poſſeſſionibus, quas ipſi ultra Moſam tenebant apud Troncourt & Grande-pratum, cum ſuis appenditiis, & pro eo quodcumque habebant inter Dionantum & Hoyum & Moſam.

QUÆ nobis commutata integraliter contulimus ad uſus Abbatiæ GRANDIS-PRATI, pro remedio animæ cariſſimi Prædeceſſoris ac Fratris noſtri PHILIPPI, Marchionis Namucenſis, qui extremo teſtamento ſuo diutiùs inſpiratus, Abbatiam conſtruendam ordinavit, nec non pro remedio animarum noſtrarum, & omnium Prædeceſſorum noſtrorum.

UT igitur hæc rata & inconvulſa permaneant, præſentem Paginam ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandam.

ACTUM anno milleſimo ducenteſimo triceſimo primo, menſe Auguſto. 1231.

C A-

(1) VIENNA ſeu potiùs Vianda, Oppidum ac feudum Ducatûs Luxeburgenſis, ab aliquot ſæculis potentes Comites habuit. Exſtant Diplomata varia, nominatim anno 1269. & 1270. à Philippo Comite Viennenſi ſignata, quæ Paulus Cronendalius, in Hiſtoria Ms. Namurcenſi, ſe vidiſſe teſtatur cum hac inſcriptione. Sigillum Philippi Comitis Viennenſis. In ipſo Sigillo viſitur effigies equitis armati, in cujus ſcuto eſt inſigne leonis cum linea interſecante.

Philippo, ſucceſſit GODEFRIDUS II. Comes Viennæ & Dominus Grimbergæ, cui Uxor fuit Luitgardis Domina de Ligny, Lets, & Fleris; anno 1311. adhuc ſuperſtes.

Godefridus ex Luitgarde filium primogenitum reliquit Philippum, qui ab Henrico Comite Luxeburgenſi, poſt Imperatore, anno 1306. avitum Caſtrum Viennenſe in feudum accepit.

Circa annum 1327. Godefridus III. Comitatum Viennenſem poſſedit, & duxit filiam Joannis I. Comitis Namurcenſis, & anno 1337. in Cypro obiit.

Anno 1380. Simon. Walrami Comitis Spanhemenſis filius, Spanhemenſem & Viennenſem Comitatum ſimul tenuit. Demum Viandæ Comitatus, cum Baronia Grimbergenſi pro parte, ad familiam Naſſaviam eſt devolutus, cùm Otho Naſſavius, Henrici filius, ex ſtirpe Dillenburgica, duxit Adelheidem, dicti Comitatûs Viandenſis, Baroniæ S. Viti & Grimbergæ pro parte heredem. Obiit Otho anno 1369. relicto filio Joanne, qui fuit pater Engelberti Naſſavii, Bredæ Domini ratione Uxoris Joannæ Polanæ: cujus poſteritatem ſupra lib. 1. cap. 103. reperies.

Viandenſis porrò Comitatus pro inſigni habet ſcutum rubrum cum linea candida interſecante; quale etiam eſt inſigne Archiducatûs Auſtriæ & Comitatûs Urbiſque Lovanienſis. Quod quidem inſigne in ſcuto etiamnum præfert Princeps Arauſionenſis ex gente Naſſavia

Ut ad Margaritam Namurcenſem Comitiſſam redeat oratio, de ipſa loquitur Capitulum *Significavit*, de Reſcriptis, cujus hæc ſunt verba: Significavit nobis Comitiſſa Namurcenſis, quòd cùm mortuo Comite fratre ſuo, ipſa in ejus ſucceſſerit Comitatu, G & B. per quaſdam Litteras Apoſtolicas, per Tullenſem Epiſcopum & quoſdam alios Clericos & Laicos impetratas, eam coram judicibus, ad quos obtentæ fuerant, ſuper quadam ſumma pecuniæ, quam eidem fratri ſuo mutuaſſe dicebant, per generalem clauſulam convenerunt &c.

Capitulum iſtud deſumptum eſt ex Decretali Gregorii IX. Papæ (quæ ab anno 1227. uſque ad annum 1241. præfuit) Epiſtolâ, ad Abbatem S. Jacobi Leodienſis miſſâ.

CAPUT XCII.

FERDINANDUS *Portugalensis, ejusque Conjux* JOANNA, *Flandriæ Comites, fundationem ac dotationem Abbatiæ Grandi-pratensis laudant & approbant anno* 1232.

FERANDUS, Flandriæ & Hannoniæ Comes, & JOANNA uxor ejus, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, omnibus præsentes Litteras inspecturis salutem.

NOVERINT universi, quòd nos excambium quadringentorum bonariorum nemoris, trecentorum videlicet & XXIX. & unius jornalis de Marlaigne, in loco qui dicitur *Osait*, & septuaginta, uno jornale minùs, in *Osteng*, quod HENRICUS Marchio Namucensis & Comes Viennæ, & MARGARETA uxor ejus, fecerunt Abbati & Conventui, prò Curte quæ Grande-pratum appellatur, cum appenditiis suis quam habebant in..... Namucensi, ubi Abbatia Cistertiensis Ordinis, secundùm legatum piæ recordationis Philippi Marchionis Namucensis, fundata est, laudamus & approbamus.

DATUM anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo secundo. 1232.

CAPUT XCIII.

THOMÆ *Sabaudi, Flandriæ Comitis, ejusque Conjugis* JOANNÆ *Constantinopolitanæ Diploma anno* 1238, *ejusdem argumenti ut præcedens.*

UNIVERSIS Christi fidelibus præsens Scriptum inspecturis THOMAS, Flandrensis & Hannoniensis Comes, & JOANNA Comitissa, uxor ejus, cognoscere veritatem.

CÙM piæ recordationis PHILIPPUS, Comes Namucensis, in ultima voluntate Abbatiam Cistertiensis Ordinis in Comitatu suo Namucensi, pro remedio animæ suæ, & Prædecessorum suorum animabus, fundari statuerit, & eadem Abbatia ab Henrico Comite Viennensi & Margareta, uxore ejus, Sorore bonæ memoriæ Philippi Comitis prædicti, tunc terram Namucensem possidentibus, creata sit & fundata, & annui reditus, quos idem Philippus Comes, ad fundationem ipsius Abbatiæ, in eleëmosynam contulerat, ab eisdem Henrico Comite & Margareta, uxore ejus, tam in terra Namucensi quàm Flandrensi, quæ à nobis tenentur, in feudum dati sint & assignati,

ET postmodum supradictæ Abbatiæ, quæ GRANDE-PRATUM vocata est, Fundatio cum appenditiis suis, & redituum dictorum assignatio, & aliorum quæ præfatus Philippus Comes memoratæ Abbatiæ de Grandi-prato donavit vel assignari præcepit, à Viro Illustri BALDUINO Imperii Romaniæ & Namucensis..... herede, postquam supradicta terra tamquam legitimo heredi reddita sibi fuerat, & ab eo possessa, approbata, laudata sit & confirmata;

NOS eadem omnia, tamquam Domini superiores, concedimus, approbamus, laudamus & sigillorum nostrorum appensione confirmavimus. Datum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octavo. 1238.

CAPUT XCIV.

ROBERTUS *cognomento* CASLETANUS, *Roberti Betunii Flandriæ Comitis Filius, prætendit sibi deberi Comitatum Flandriæ, anno* 1322.

CAROLUS, Dei gratiâ, Francorum & Navarræ Rex, universis præsentes Litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quòd cùm (1) ROBERTUS de Flandria, Miles, filius defuncti Roberti quondam Comitis Flandriæ, tamquam proximior & unicus superstes ejus filius, ut dicebat, diceret se esse saisitum, per consuetudinem patriæ notoriam, quâ dicitur, quòd *mortuus saisit vivum*, de Comitatu & Patria Flandriæ, &c. ex una parte, & MATTHÆUS de Lotharingia, Miles, nomine & ratione (2) Mathildis uxoris suæ, Dominæ de Florences, filiæ dicti Comitis, & ipsa Domina pro se;

DICENTES dictam Dominam esse proximiorem in successione dicti Comitis; ex eo quia filia dicti Comitis, & quia dictus Robertus, & (3) Joanna Domina de S. Gobano, Soror ipsius, renuntiaverunt, & per juramenta sua omni juri successionis dicti Comitis Nivernensis

nensis, filii primogeniti dicti defuncti Comitis Flandriæ, &c. Domina verò de S. Gobano, filia dicti defuncti Comitis Flandriæ.....

DATUM anno millesimo trecentesimo vicesimo secundo, die vicesimâ nonâ Junii. 1322.

(1) ROBERTUS cognomento Casletanus, Roberti Betunii Flandriæ Comitis filius junior, pro sua portione hereditaria possedit Dunkercam, Gravelingam, Borburgum, Watines, Casletum, Bornhem, & Warnestou, ubi & moriens anno 1331. sepeliri voluit. Ex Joanna, Arturi Britanniæ Ducis filia, unicam reliquit filiam, *Iolam*, Henrico Comiti Barrensi nuptam. Oppida ista postmodum per connubia ad familiam Luxeburgicam, ac Domum Vindocinensem seu Borbonian sunt devoluta, excepto Casleto, quod Philippus Bonus, ratione lytri pro Renato Lotharingiæ Duce ad se retraxit, & Bornhemio, quod hodie possidet Petrus Coloma, Baro Bornhemiensis.

(2) MATHILDIS Domina de Florences, seu Florenges, quod Oppidum est in Lotharingia versus Sedanum: non autem Florines, quod est Oppidum Diœcesis Leodiensis, & alium tunc habebat Dominum.

(3) JOANNA, Domina S. Gobani nupsit Enguerramo Domino de Coucy.

MANTISSA

Capitis præcedentis, juncto Cap. 45. Libri primi Diplomatum Belgicorum, in quâ exhibetur Diploma Erectionis Baronatûs de Bornhem in Comitatum. Anno 1658.

PHILIPPE par la grace de Dieu Roy de Castille, de Leon, d'Aragon &c.

Pour le bon rapport que fait nous a été de nostre cher & feal Messire JEAN FRANÇOIS COLOMA Baron de Bornhem, Viscomte de Dourlens, Seigneur Voué de Hinghene, Seigneur de Marickercke, Terna, Alennes, & Bretel, & qu'il seroit issu de l'ancienne Maison de Coloma en nos Royaumes d'Espagne, de laquelle seroyent sortis plusieurs grands personnages de marque & de condition, qui auroyent rendus des notables & signalés services à nostre Couronne & à l'Estat, ainsi qu'à leur exemple auroit fait son Ayeul Messire PIERRE COLOMA Baron de Bornhem, Seigneur de BOBADILLA de nostre Conseil de Guerre, & Contador Mayor de nostre Armée au Pays-Bas, premier de ses devanciers, qui passa d'Espagne auxdits Pays-Bas, lesquelles charges ayant deservi lors qu'il n'y avoit point de Veedor General, il les auroit administré si utilement & dignement, que le Roy Philippe second de glorieuse memoire nostre très-honoré Seigneur & Ayeul, luy en auroit fait les demonstrations de reconnoissance deue, avec des témoignages honorables, qu'il en estoit fort satisfait, par les grands & extraordinaires traictemens qu'il luy auroit fait donner de temps en temps: au moyen de quoy aiant acquis la Baronnie de Bornhem, une des dix-sept Chastellenies de nostre Pays & Comté de Flandres portant le titre de Pays de Bornhem, il se seroit marié aveq une Dame de condition Heritiere Viscomtesse de Dourlens, de laquelle il auroit procrée entre aultres enfans Messire ALEXANDRE COLOMA deuxiesme Baron de Bornhem Capitaine de Cavalerie Legere, & Commissaire General de celle commandée par le Duc de Nemours, contre le Duc de Savoye, & Messire PIERRE COLOMA troisiesme Baron de Bornhem, Seigneur de diverses grandes Terres & Seigneuries, lequel auroit été troisfois Commissaire deputé au renouvellement des Magistrats de nostre Pays, & Comté de Flandres, & en l'an seize cent quarante sept, auroit été choisy pour l'envoyer de nostre part, vers le Prince Electeur Duc de Baviere, iceluy Pierre Pere du susdict Messire JEAN FRANÇOIS COLOMA Baron de Bornhem, lequel auroit espousé Dame Marie Terese d'Ongnies fille de feu Messire Claude d'Ongnies Comte de Couppigny Chef de nos Domaines & Finances audit Pays-Bas & de Dame Anne de Croy sa femme, sœur de deux Grands d'Espagne. *Pour ce est il* que Nous ce que dessus consideré & ayans favorable esgard, *ausdits services* & alliances, ensemble à la noble extraction, & autres bonnes parties qui concourrent en la personne dudit Messire JEAN FRANÇOIS COLOMA Baron de Bornhem, avons de nostre certaine science, pleine puissance & authorité souveraine fait & crée iceluy Messire JEAN FRANÇOIS COLOMA, comme le faisons, & creons par ces Presentes Comte & faditte Baronnie Chastellenie & Pays de Bornhem, situé en nostre dit Pays & Comté de Flandres, tenu en fief directement de nostre Chambre Legale de Flandres, consistant en plusieurs Seignenries & Villages à clocher, à sçavoir Bornhem, Hingene, & Marickercke, & divers grands Hameaux, & un tres ancien Chasteau avec haute, moienne, & basse justice, erigé & erigons par ces Presentes en dignité, titre, & preminence, *de Comté*, avec ses appendences, & dependences, hauteurs, jurisdictions & revenus, y appartenant audit Messire JEAN FRANÇOIS COLOMA, & ce que luy & ses Successeurs y pourroient adjouster, unir & incorporer à l'advenir en augmentation & pour plus grand lustre d'ycelle Seigneurie, ce que leur permettons de pouvoir faire par ces Presentes &c. Donné, en nostre Ville de Madrid Royaume de Castille, le deuxiesme jour du moy de May, l'an de grace mille six cens cincquante huit, & de nos Regnes le trente-huitiesme. Estoit Paraphé, M. B. Vt. Soubsigné, Philippe. Enbas estoit escrit avec Paraphe titulo de Condé, en fabor de D. Juan Francisco Coloma Baron de Bornhem. Sur le Reply: Par le Roy. Contresigné, Brecht.

PETRUS COLOMA primus Baro Municipii de Bornhem, novi ibidem Cœnobii Fratrum Anglorum Dominicanorum Auctor fuit, & eidem concessit partem Vivificæ Crucis Servatoris nostri, quæ ex Monasterio dicto *Coninex-dorp*, Ordinis S. Benedicti, in Archidiœcesi Coloniensi, translata fuerat 18. Aprilis 1588.

Conjugem habuit Joannam L'escuyer Vicecomitissam Dourlani, Bretellæ, Ternaci, Alennæ, Moriensarti & Serouxi Dominam, filiam Roberti & Eleonoræ Le Vasseur, quam ex Anna Quarré prioris Thori uxore genuit Guillielmus Le Vasseur, Valhuonii, Moustii, & Moriensarti Toparcha, Præfectique Atrebatensis vices gerens ab anno 1543. Robertus autem L'escuyer à Joanne Vicecomite de Dourlens, Domino de Manicourt, Barastle, Appes, de le Berghe &c. ex Maria Uutenhove, Richardi Equitis Aurati & Primarii Consulis Gandavensis anno 1516. filiâ, procreatus fuit. Joanna verò L'escuyer marito suo plures liberos peperit utriusque sexûs: quorum natu major ALEXANDER COLOMA secundus Baro Bornhemiensis, Vicecomes Dourlani, in Bello Sabaudico claruit, & in obsidione Vercellensi sub Petro Toletano Colona Marchione de Villafranca, lethalibus vulneribus acceptis anno 1617, unà cum Hieronymo Carafa Montis-nigri Marchione, & Joanne Bravo de Lagunas, lentè moriens Bruxellis cœlebs occubuit 21. Augusti 1625.

DIDACUS COLOMA filius tertio-genitus Dominus de Bobadilla audiit, & in Aula Regis Catholici Nobilibus Palatinis aggregatus innuptus obiit Madrili 23 Julii 1639. qui Successorem habuerunt fratrem secundo-genitum PETRUM COLOMA tertium Baronem Bornhemiensem, Virum animis ac virtute præstantem; qui du-

ctâ Corneliâ de Vos de Pollaer, Belliprati & Hammæ Dominâ, Petri Equitis Aurati, & Gerardi Belliprati Toparchæ; ab anno circiter 1566. Præfecti Atrebatensis vices tenentis, nec non Joannis de Vos Equitis Aurati Domini de Herlebaut Primarii Consulis Gandavensis annis 1540. 1546. 1549. 1553. 1557. & 1562. filiâ, nepte, & pronepte, binos genuit filios, JOANNEM FRANCISCUM Bornhemii Comitem creatum, & PETRUM COLOMA primum Moriensarti & Serouxi Baronem: quorum ille duxit 28. Junii 1654. Mariam Theresiam d'Ongnyes, Claudii Comitis de Coupigny & Annæ de Croy filiam: ex qua inter cæteros liberos procreavit MARIAM FRANCISCAM COLOMA, uxorem Ignatii Philippi de Lannoy ex Comitibus De La Moirerie, Comitis de Beaurepaire defuncti 26. Januarii 1715. & numerosæ prolis matrem: FRANCISCUM CLAUDIUM COLOMA Comitem Bornhemii, Vicecomitem Dourlani, qui Mariæ Theresiæ Bette, filiæ Augustini Ambrosii Francisci Marchionis de Lede, & Dorotheæ de Croy, junctus sine liberis decessit anno 1704. CAROLUM JOSEPHUM FRANCISCUM COLOMA tertium Comitem Bornhemiensem: & MARIAM FLORENTIAM COLOMA, Joannis Theodori de Cortwarem Comitis de Nyelle, Toparchæ de Langelis defuncti 29. Septembris 1713. modò viduam, & plurium liberorum matrem. PETRUS verò COLOMA primus Moriensarti Baro duxit 20. Junii 1668. Annam Isabellam de Bejar-Lerma, Dominam de Westacker, Oosthoven, & Crayenhoven, Francisci Equitis Aurati filiam unicam & hæredem, Joannis Equitis Aurati, Cardinali Andreæ Austriaco inter Nobiles ab ore Palatinos, & anno 1633. Primarii Consulis Antverpiensis Neptem, Blasii de Bejar Equitis Aurati & ejusdem urbis annis 1592. 1593. 1598. 1599. 1606. 1607. 1612. 1613. & 1616. Primarii Consulis Proneptem, ex qua duo filii Processerunt: JOANNES PETRUS COLOMA, & JOANNES ALPHONSUS COLOMA in Magno Senatu Belgico Consiliarius, & Summus Fisci Imperialis Patronus, qui ex Barbara Le Poyvre plurium filiorum pater factus est. Hanc genuit Ludovicus Le Poyvre Toparcha de Mullem, & Primarius Consul Franconatûs, cujus domus à pluribus sæculis inter veteres Militares & Equestres in Belgio familias huc usque enituit. JOANNES PETRUS COLOMA Moriensarti Baro immatura morte abreptus 5. May 1714. plures quoque liberos reliquit etiamnum superstites, ex Maria Clara Philippina de Romrée, Petri Francisci Vitalis Toparchæ de Bonheyde, & Joannis Caroli Domini de Mazée, Provinciæ Mechliniensis iteratis vicibus Consulum, nec non Joannis Equitis Aurati Toparchæ de Fraypont, Vilné, & de la Chapelle, Nobilibus Palatinis in Aula Archiducum anno 1618. aggregati filiâ, Nepte, & Pronepte; cujus filio natu-maximo tertio Moriensarti & Serouxi Baroni, nomen Petri Francisci Engelberti inditum fuit. *Vide Teneramendam Lindani edit. anni 1612. in 4. pag. 84. 87. 151. 201. & 240. Gonçalo Argote de Molina Nobleza del Andaluzia fol. 29. verso & 40. verso. Flandriam illustratam Sanderi tom. 1. pag. 88. 93. 293. tom. 2. pag. 502. 591. 612. & in Auctario ad tom. 2. pag. 34. Papenbrochium in Actis SS. Aprilis Tom. 2. pag. 962. Franciscum Dierickx Abbatem S. Salvatoris de fide Reliquiarum pag. 172. & seqq. Baronem le Roy in sua Topographia Gallo-Brab. lib. 3. cap. 32. pag. 148. Chronicon Belgicum Lotrii pag. 470. Le Roux en son Recueil de la Noblesse des Pays-bas pag. 113. 141. 192. 248. & 311. Le Theatre de la Noblesse de Brab. pag. 47. & au Chap. des Chevaliers en 1582. 1598. 1629. & 1654. Belgium Dominicanum pag. 400. & 424. Luis de Salazar y Castro de la Casa de Silva tom. 1. pag. 491. & 567. & tom. 2. pag. 211. & 675.*

CAPUT XCV.

JOANNA CONSTANTINOPOLITANA, *Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, Monasterium Dominicanorum in Urbe Brugensi fundat ac dotat, anno* 1233.

JOANNA, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, omnibus presentes Litteras inspecturis, salutem.

NOVERINT universi, quod pro remedio animæ Domini & mariti nostri carissimi FERDINANDI, felicis memoriæ, quondam Flandriæ & Hannoniæ Comitis, ac pro nostra salute, diligenter & sollicitè laboravimus, ut ad ampliandum cultum Domini, & ad profectum populi, Domus Fratrum Ordinis Prædicatorum construatur in Brugis.

ET ad incohationem ejusdem Domûs de pecunia, quam idem Dominus Comes in testamento suo assignavit, de consilio & voluntate ejusdem executorum testamenti, trecentas libras dabimus, ac de nostro proprio, Fratribus ibidem mansuris, ad commodum ipsorum, ædificia quædam construi faciemus.

ROGAMUSQUE eosdem Venerabiles & carissimos Fratres, quatenùs orationibus suis pro ipso Domino Comite & pro nobis devotè ac diligenter orare studeant, tamquam pro Fundatoribus sui loci, & in prædicationibus suis ad populum orationes faciant fieri speciales.

NOS ergò erga eosdem Fratres semper esse volumus obligatæ specialiter, omnesque homines & fideles nostros affectuosè rogamus, ut sæpè-dictos Fratres velint diligere, & in suis negotiis ac necessitatibus adjuvare: scientes quod quidquid ipsis facient, reputabimus nobis factum.

DATUM Insulæ, feriâ quintâ post Epiphaniam, anno Domini millesimo ducentesimo tri- 1233.
cesimo tertio.

CAPUT

DOtem Monasterii Brugensis jam dicti auxit MARGARITA, Joannis Soror & heres, amplissimo ædificio pro infirmis, à fundamentis excitato, cum Sacello adjuncto: quæ etiamnum exstant. In isto Cœnobio, infra annorum XXXII. spatium, bis Capitulum generale, videlicet anno 1336 & 1369. fuit celebratum: quod nusquam alibi factum leges, si Romam exceperis.

Ceterùm in Belgicis Provinciis Conventus isti Dominicanorum hodie numerantur: Lovaniensis, Antverpiensis cum Vicariatu Lirano, Silviducensis, Bruxellensis cum Vicariatu Vilfordiano, Trajectensis ad Mosam cum Vicariatu Sittardiano, Gandensis, Brugensis, Iprensis, Winoci-bergensis, Insulensis cum Vicariatu Lilериensi, Duacensis, Tornacensis, Atrebatensis, Audomaropolitanus, Valentianensis, Montensis, Braniensis, & Luxeburgensis.

Hæc quidem tempore Miræi. Adde nunc Conventum Additio.
Mechliniensem translatum Sylvâducis; Calcariensem in

Clivia, Namurcensem, Tungrensem; Liranum, Vilvordiensem, Sittardiensem, Lilleriensem, qui olim tantùm erant Vicariatus; item nunc Vicariatum in Sylva Raspalia prope Gerardi-montes, Cameracensem, Terlonienſem, Altibrunensem, & Revinionsem prope Lotharingiam.

Sunt quoque Conventus FF. Prædicatorum Anglorum Lovanii & Bornhemii in Wasia, & Hyberoorum Lovanii.

Dominicanarum Monialium sunt ista apud Belgas Cœnobia: Vallis-Ducissæ, vulgò *Auderghem*, primo lapide à Bruxella, Vallis-Angelorum, olim extra, nunc in Urbe Brugensi; Abbatiola, vulgò *l'Abbiette*, in Urbe Insulensi; Tegularia, vernaculè *Thieulloye*, ad muros Urbis Atrebatensis; Bellomontanum Cœnobium in Urbe Valentianensi, Audomaropolitanum, Tamisiense in Wasia, Duacense, Antverpiense, & Ruremondense.

Adde nunc etiam, Gandavense, Lovaniense, Mariæ-Vallis Nobilium Virginum prope Luxemburgum, Montis S. Agnetis Sittardiæ, Merville-num, & Monasterium Sororum Anglarum Bruxellis.

CAPUT XCVI.

BALDUINUS II. *heres Imperii Constantinopolitani, Marchio Namurcensis & Dominus Curtiniaci, prædia ac silvas ab Henrico Fratre attributas Monasterio Grandi-pratensi, confirmat anno* 1237.

NOS BALDUINUS, heres Imperii Romaniæ, Comes & Marchio Namucensis, & Dominus (1) Curtiniaci, notum facio omnibus præsentes Litteras inspecturis, quod nos Fratribus de Villari, Cistertiensis Ordinis, Leodiensis Diœcesis, pro commutatione à nobis ipsis facta, super possessionibus, quas ipsi ultra Mosam tenebant apud Troncourt, Burchis & Grande-pratum, cum suis appenditiis, & pro eo quod habebant inter Dionantum & Hoyum & Mosam, damus & concedimus quadraginta bonaria silvæ, in perpetuum allodium liberè possidenda, nihil omnino juris in iis, nihil heredibus nostris, ad præsens vel in posterum, reservantes, præter venatum.....

DATUM Valencenis anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo septimo mense Aprili. 1237.

LUdovico Francorum Rege, & Joanna Flandriæ Comitissa, agentibus, Comitatus Namurcensis, & varia prædia in Regno Franciæ sita, Balduino II. Imperatore Constantinopolitano (cujus Soror Margarita annis aliquot dictum Comitatum possederat) anno 1237. sunt restituta: ut ex Ms. quodam Codice apud Cronendalium legitur. Anno 1237. Margarita, Marchionissa Namucensis & Comitissa Viennæ, Castrum Namucense invita deseruit, & Balduinus Imperator Constantinopolitanus successit, sed non sine magna impensa sanguinis Namucensis. Unde sunt Versus sequentes:

Anno milleno septeno tricesimoque
Cum bis centeno, subiit Castrum Namucense
Balduinus Comes, in festivitatibus Odæ.

(1) CURTINIACUM, Gallicè *Courtenay*, in Gasconia; ut Guil. Tyrius lib. 10. de Bello sacro cap. 24. tradit. De Familiæ Curtiniacensis Proceribus (qui hodieque subsistunt in Gallia) fusè agunt Sammarthani Fratres in Genealogia Regum Franciæ, & Quercetanus in libro de Ducibus Burgundiæ.

CAPUT XCVII.

Pactio inter HENRICUM II. *Lotharingiæ Brabantiæque Ducem, &* WALTERUM BERTHOLDUM *Mechliniæ Dominium, inita anno* 1238.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Hæc est forma pacis & compositionis inter Illustrem Ducem Brabantiæ & Nobilem Virum, Dominum Walterum BERTHOUT,

VIDELICET, quòd omnes naves, pisces deferentes ante Antverpiam ad Mechliniam, liberè poterunt pertransire, persoluto tamen telonio, si quo tenentur. Si quæ verò naves alias merces, vel alia bona portaverint, cum eo jure servato, transibunt ante Antwerpiam, quò hactenùs transire consueverunt. Quoscunque verò pisces illi de Antwerpia emerint ex altera parte de Romerswale, vel ceperint ubicunque, Mechliniæ vendere poterunt.

ITAQUE nec ipsi, nec ementes contra ipsos Antwerpienses, telonium solvere de ipsis piscibus tenebuntur. Quicumque autem de Antwerpia ex hac parte Romerswale pisces emerint, & eosdem pisces apud Mechliniam vendiderint, ementes contra ipsos tale jus solvere debent, quale jus hactenùs solvere consueverunt.

SI quis etiam aliquem de Antwerpia inculpaverit, de eo quod pisces emerit ex hac parte de Romerswale, Antwerpiensis quisque super hoc, proprio juramento, se poterit expurgare.

ITEM Antwerpienses facient Mechliniensibus id quod de jure tenentur facere eisdem, & Mechlinienses Antwerpiensibus vice versâ facient id quod de jure facere tenentur eisdem.

ITEM omne allodium quod possidet Dominus Walterus Berthout, & quod homines sui ab ipso tenent in feodum in terra Brabantiæ, in Marchionatu de Antwerpia, vel aliàs

in

in dominio Ducis, præter villam de Kini, portavit in manus Ducis & resignavit, & ab ipso Duce recepit in feodum jam dictum allodium, salvâ eidem Waltero Berthout suâ justitiâ altâ & inferiori. Et quia dictus Walterus Berthout in manus Domini Ducis præfatum allodium resignavit, recompensationem faciet ipsi prædictus Dux, secundùm dictum Domini Arnoldi de Wesemale, & Domini Henrici de Uttenhoven.

In nemore verò, quod Wavera dicitur, Dominus Dux habet venationem, quando sibi placuerit. Et per hæc nihilominus dictus Walterus Berthout & Successores sui, & homines sui, qui aliquas partes dicti nemoris ab ipso tenent, & successores hominum suorum de dicto nemore, arboribus, & fundo seu feris dicti nemoris voluntates suas plenariè facere possunt, absque aliqua contradictione, vendere si velint, & in usus suos quoscunque convertere.

Insuper omnia judicia alta & inferiora, parva & maxima, quæ supradictus Dominus Walterus Berthout tenet, & quæ homines sui tenent ab ipso, idem Walterus Berthout, & sui Successores à Domino Duce & suis Successoribus in feodum tenent, & tenebunt jure perpetuo.

Et super præmissis judiciis idem Dux prædicto Waltero Berthout veram & firmam warandiam præstabit & stabilem. Et litteras suas patentes super hoc exhibebit eidem Waltero Berthout, & litteras testimoniales hominum suorum, videlicet Ducis de Limborch, Comitis Gelriæ, Comitis de Lon, Domini Walerami de Limborch & aliorum, usque adeò quòd sufficere debeat.

Præterea Chartas, Privilegia & munimenta universa, quæ idem Walterus Berthout habet ab ipso, seu ab Antecessoribus suis, à Romanis Imperatoribus sive Regibus obtenta, apud Haffligem per decem annos à Domino dicto Waltero deponentur, sub testimonio competenti.

Si verò prædictam warandiam idem Dux infra terminum fecerit ante dictum, transactis decem annis, idem Dux de dictis Privilegiis, Chartis & munimentis suam faciet voluntatem.

Quòd si infra eundem terminum controversia moveatur dicto Waltero Berthout, ad cujus defensionem Chartis, Privilegiis & munimentis indigeat supradictis, Abbas Haffligemensis & Conventus ea dicto Waltero Berthout restituent; & super hoc litteras suas eidem Waltero Berthout dabunt patentes.

Insuper feodum, quod dictus Walterus Berthout hactenus à Domino Duce tenuit, allodium supradictum, justitiam seu judicia prædicta, necnon deductiones navium, prout supra dictum est, idem Walterus Berthout, & sui Successores à Domino Duce & suis Successoribus in unum feodum jure perpetuo tenebunt.

Super omnibus autem divisionibus, distinctionibus vel constitutionibus inter Dominum Ducem & Walterum Berthout prædictos faciendis, compromiserunt ipsi fide præstitâ corporali in Walterum Cluenting, Carolum de Arschot ex parte ipsius Ducis; & Henricum de Heisebruch, & Wilhelmum de Echove, Milites ex parte Domini Walteri Berthout. Ita quòd ipsi inquisitâ veritate sub juramento suo, & fidei interpositione de promissis jus suum præbeant unicuique juxta optimam sui conscientiam.

Si quem autem arbitrorum justo impedimento contigerit esse detentum, qui non possit decisioni negotii interesse, alius loco sui, ab eo, qui illum elegit, substituetur. Si dicti arbitri in aliquo discordaverint, assument Dominum Godefridum de Parweys, cujus dictum & ordinationem Dominus Dux & Walterus Berthout super præmissis in omnibus observabunt.

Ceterum si dictus Dominus Godefridus de Parweys impedimento justo & legitimo detentus, prædictis interesse non possit, Dominus Otto Comes Gelriæ substituet alium loco sui. Prædicti verò arbitri dictum & ordinationem infra Dominicam proximam Palmarum, secundùm formam superiùs expressam pronuntiabunt. Et si dicti arbitri in dicto suo fuerint discordes, prædictus Godefridus de Parweys super ipsa discordia dictum suum & ordinationem suam infra octavas Paschæ proximas pronuntiabit.

Sane notum sit universis, quòd prædictus Dux consanguineam suam Mariam, primogenitam Sororis suæ Comitissæ de Alvernia, Waltero * Berthout, primogenito Walteri Berthout prædicti, tradet in uxorem legitimam; & cum ea dabit eidem Waltero mille libras Flandrenses annuatim percipiendas in certis bonis & firmis, prædicto filio suo super hoc assignandis, quoadusque prædictas mille libras persolverit eidem.

* Magno sepulto in Monasterio de Blyenberg Mechliniæ.

Prædictus verò Walterus Berthout dabit dicto filio suo quingentas libras Flandrenses annuatim percipiendas in certis bonis & firmis, prædicto filio suo super hoc assignandis; eâ stabilitate, quòd prædicta Maria, quidquid juris Nobilis Matrona in bonis mariti sui, secundùm consuetudinem & legem Brabantiæ obtinere consuevit, in bonis prædictis obtinebit.

Ut autem præmissa omnia à nobis Waltero Berthout prædicto, & nostris Successoribus firmiter & inviolabiliter observentur, appensione sigilli nostri præsentem Chartulam fecimus roborari.

Actum & datum apud Lovanium in crastino B. Andreæ Apostoli anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octavo. 1238.

C A-

CAPUT XCVIII.

WALTERUS BERTOLDUS, *Dominus Oppidi Mechliniensis, Henrico II. Brabantiæ Duci dat Fidejussores anno* 1238, *super Pactione paulò antè recitata.*

WALTERUS Berthout, Advocatus in Mechlinia, universis præsentes litteras inspecturis salutem æternam. Noverint universi, quòd nos formam & compositionem inter Illustrem Ducem Brabantiæ & nos, in crastino B. Andreæ Apostoli conceptam, & sigillo nostro munitam tenemur eidem inviolabiliter observare; hoc idem ipsi, sub interpositione fidei nostræ, & sub pœna duorum millium Marcharum Coloniensium promittendo.

NOS autem, si caussæ in dicta forma contentæ, infra octavas Paschæ proximò adventuri non fuerint adimpletæ, & hoc per nos, vel per arbitros à nobis electos steterit, apud Lovanium veniemus, exinde nullatenus recessuri, antequam eidem Domino Duci completa sint ea quæ continentur in forma seu compositione prædicta, vel quousque sibi à nobis de dicta pœna, sub fide nostra promissa, fuerit plenariè satisfactum.

SI autem aliquid de præmissis nos contigerit non servare, fidejussores super hoc ipso Domino Duci dedimus, videlicet Dominum Ottonem Comitem de Gelria, Dominum Godefridum de Parweys, Dominum Arnoldum de Dieft, Dominum Arnoldum de Wesemale, Henricum de Heisebruch, Wilhelmum de Echove, Nicolaum filium Domini Peregrini Militis.

QUI omnes præfato Domino Duci, fide interpositâ, similiter spoponderunt, quod nisi nos omnia prædicta firmiter tenuerimus, ipsi apud Lovanium venient, moraturi ibidem, donec dicto Domino Duci satisfactum fuerit de promissis, prout superiùs est expressum.

UT autem universa supradicta inviolabiliter observentur, nos Sigillum nostrum, unà cum Sigillis Fidejussorum prædictorum, præsentibus Litteris apposuimus. Actum & datum in crastino Beati Andreæ Apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octavo. 1238.

WALTERUS Bertautius, Mechliniæ Dominus, anno 1231. Franciscanorum Monasterium inchoavit: ubi & anno 1243. moriens sepeliri voluit, cum Uxore Margarita Cononis Britanniæ Comitis filia. Bertautiorum seu Bertoldorum Stemma vide inferiùs in Chronico Belgico ad annum 1128.

CAPUT XCIX.

BALDUINUS *heres Imperii Constantinopolitani, & Comes Namurcensis, Constantinopolim cogitans, CLX. bonaria silvæ vendit Monachis Grandi-pratensibus, anno* 1239.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. BALDUINUS heres Imperii Romaniæ, & Comes Namucensis, omnibus hoc Scriptum inspecturis æternam in Domino salutem.

QUONIAM humanæ conditionis inconstantia hoc sibi retinet, ut mentibus hominum de die in diem subrepens oblivio frequentiùs invalescat; ad ejus remedium provisum est, ut ea quæ solemniter & bonâ fide gesta sunt, in perpetuum durabilia permaneant, Scripto commendentur memoriali.

INDE est, quòd ad fidelem universitatem dignum duximus pervenire, quòd nos Constantinopolim, pro negotio Crucis & sanctæ Ecclesiæ, de præcepto Domini Papæ, profecturi, Domui de Grandi-prato, Cistertiensis Ordinis, Leodiensis Diœcesis (cujus Fundator piæ recordationis exstitit Philippus, Frater noster, quondam Comes Namucensis) vendidimus bene ac legitimè centum & sexaginta nemoris, cum fundo suo, bonaria, quod nemus vulgò dicitur *Ietefol*, cujus pars est Grecerum juxta Warex in terra Namucensi;

IDEM nemus cum fundo suo in allodium liberè & absolutè, pro remedio animæ nostræ & Prædecessorum nostrorum, in dictam Domum transferentes, ut ejusdem Domus paupertatem in aliquo sublevaremus; maximè cùm nos & nostros ipsi Domui profiteamur esse obligatos: promittentes quod nos eidem Domui super dicto nemore garandiam præstabimus, & eamdem Domum contra omnes defendemus.

HOC autem de consensu Illustris Domini Comitis & Serenæ Comitissæ Flandriæ & Hanoniæ, factum est, de quibus movet Comitatus Namucensis.

ET ut ea quæ supra scripta sunt, à nobis & Successoribus nostris in perpetuum inviolata confer-

conserventur, præsentis scripti Paginam sigilli nostri appensione duximus roborandam; omni juris subsidio tam expresso quàm exprimendo, pro nobis & nostris Successoribus, in hac parte tamquam Comes Namucensis renuntiantes.

ACTUM anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo nono, XIV. Kalendas Maii. 1239.

BALDUINUS II. Imperator Constantinopolitanus anno 1237. secundò venit in Franciam ac Belgium, & biennio circiter hic substitit. Anno 1239. Constantinopolim reversus, res Imperii Orientalis fortiter administravit: sed anno 1260. captâ à Græcis Constantinopoli (juxta Panuinii calculum) in Galliam rediit, ubi & circa annum 1279. obiit. Uxorem habuit Balduinus MARTHAM, Joannis de Brenna, Regis Hierosolymitani, filiam.

Variis demum bellis pro Comitatu Namurcensi exortis, idem Balduinus, consentiente Philippo filio suo, & hortante S. Ludovico Galliæ Rege, dictum Comitatum Guidoni Flandriæ Comiti anno 1262. vendidit. Et ad controversiam omnem sopiendam, Guido Isabellam, Henrici Blondi Comitis Luxeburgensis filiam, Henricus Blondi filius Beatricem, Balduini Avennii, Domini Bellimontis filiam, Joannes Avennius Hannoniæ Comes Philippam, Blondi ejusdem filiam, sibi matrimoniis junxerunt.

CAPUT C.

Testamentum MACHTILDIS, *Comitissæ Boloniensis (quæ Alfonsum Portugalensem maritum habuit) anno* 1241. *scriptum.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen. Ego MACHTILDIS, Comitissa Boloniæ, volens ordinare de bonis meis Testamentum, sive per quamcumque meam ultimam voluntatem disponere, statuo de bonis meis in hunc modum.

INPRIMIS do & lego carissimo marito meo ALFONSO, filio Illustris Regis Portugaliæ, Comiti scilicet Boloniæ, viginti millia librarum Parisiensium, solvendarum eidem, vel ejus mandato, per quinque annos, à die mei obitûs computandos, videlicet quolibet anno quattuor millia librarum Parisiensium, per quattuor terminos inferiùs annotatos, usque ad præfatam solutionem totius summæ prædictæ.

DONO etiam ei & lego omne jus, & omnem actionem, & totam partem, quæcumque mihi competit aut competere poterit ullo modo in quattuor millibus librarum Parisiensium, quæ dicto Comiti & mihi debentur, ratione cujusdam compositionis factæ inter ipsum & Comitem & Comitissam Flandrensem.

ET promisi, & adhuc promitto Comiti Boloniensi, marito meo prædicto, quod istud donum & legatum in perpetuum observabo, nec illud in aliquo revocabo in perpetuum ullo modo.

ET quantum ad donum & legatum prædictum, ipsum Comitem maritum meum, & Reverendum Patrem Robertum Episcopum Beluacensem, & carissimum consanguineum meum Dominum MATTHÆUM de Tria constituo Executores meos.

VOLO etiam & statuo, quòd supradicta omnia & quodlibet de prædictis, ita firma & stabilia perseverent, quod per aliquod testamentum meum vel per aliquam voluntatem meam, quæ huc usque fecerim vel faciam in futurum, in scriptis vel sine scriptis, nullatenùs revocentur.....

OMNIA autem supradicta & singula promisi, & promitto me firmiter servaturam, & contra in aliquo non venturam in posterum......

GUALTERUS de Castellione, & ego JOANNA ejus uxor, quorum sigilla inferiùs sunt appensa, approbamus, volumus & concedimus, & promittimus & promittimus Comiti Boloniæ supradicto, quòd contrà prædicta vel aliquod prædictorum nullo umquam tempore veniemus.....

ACTUM anno millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense Martio. 1241.

VAsconcellus in Historia Regum Lusitaniæ, Quercetanus in Historia Castillionæa, & alii Rerum Gallicarum Scriptores de his rebus fusè tractant. Ceterùm Machtildis fuit filia Idæ Comitissæ & heredis Boloniensis, & Reinaldi Comitis Dom Martinensis.

Mathildis ipsa quoque Boloniensis, Dom. Martinensis & Mortaniensis Comitissa & heres, duos habuit Maritos, Philippum Clari-montis Comitem Philippi Francorum Regis filium, & Alphonsum Portugalensem, qui demum Rex Portugalliæ obiit.

Stemma Comitum Boloniensium in Picardia vide latiùs exhibitum in Chronico Belgico ad annum 1030. Additio.

Alphonsus verò memoratus Portugalliæ Rex ordine III. fuit filius Alphonsi II. & in eodem regno successit anno 1248. post obitum Sancii fratris sui Primo-geniti. Uxorem suam Mathildem postmodùm repudiavit, duxitque Beatricem filiam naturalem Alphonsi Castellæ Regis; quapropter ab Alexandro IV & Gregorio X Pontificibus fuit excommunicatus, ejusque Regnum interdicto notatum. Demum post varias vicissitudines vivere desiit anno 1279.

CAPUT CI.

HUGO *Castellanus Gandensis, & Uxor ejus* MARIA, *anno* 1243. *ad usum Ecclesiæ Antverpiensis, suos servilis conditionis in VVasia homines manumittunt, sub annuo censu capitali.*

EGO (1) HUGO Castellanus Gandensis, & MARIA uxor mea, notum facimus universis Litteras has visuris, quòd nos ad Ecclesiam S. Mariæ in Antwerpia personaliter accedentes, divinæ pietatis intuitu, ac in remissionem peccatorum nostrorum, per sententiam hominum nostrorum, & cum debita solennitate, ad usum ejusdem Ecclesiæ, perpetuò manumisimus homines nostros de Wasia, servili conditione nobis addictos (quorum nomina sunt inferiùs adnotata) cum omni posteritate ipsorum, tam præsenti quàm futura, absolventes eos ab omni servili conditione, quâ nobis tenebantur adstricti.

MANUMISSI autem singuli, in præsentia nostra, obtulerunt semetipsos dictæ Ecclesiæ, cum omni posteritate sua, ad duos denarios Flandrenses solvendos annuatim in Assumptione B. Mariæ, nomine censûs capitalis; & quando nubunt sex denarios Flandrenses, duodecim verò quando moriuntur. Testes,

Dominus Joannes de Gandavo, Miles,
Sigerus Frater noster,
Colinus de Varendonc,
Ægidius Bhuc,
Balduinus de Spoiden,
Sigerus de Roeden, Homines nostri,
Joannes Egulphi,
Joannes de Ordren,
Folpertus Cantor,
Nicolaus de Molendino,
Godescalcus Canonicus, Sacerdotes,
Magistri, Henricus Noze,
Nicolaus Canonicus Diaconus,
Henricus de Bella,
Nicolaus Romanus, Canonicus Subdiaconus, & quàm plures alii, tam Clerici quàm Laïci,

IN testimonium præmissorum contulimus Litteras nostras tam Ecclesiæ quàm manumissis supradictis, appensione Sigilli nostri roboratas.

ACTUM Antwerpiæ in Ecclesia B. Mariæ, anno Domini millesimo ducentesimo quadra- 1243.
gesimo tertio, IV. Kal. Junii.

NOMINA Manumissorum sunt hæc.

IN MELSELE Willelmus, Joannes, Theodericus, Elisabeth de Drische, fratres & soror. Walterus Calewart de Beke. Helewigus, Gertrudis, Margareta, sorores ejus. Magtildis filia Helewigis. Filii sororis Calewart, Willimus, Ghiselbertus, Lisana. Helewigus de Drisce: filii ejus Rodulphus, Sigerus, Joannes, Gertrudis, Adalisia. Arnoldus Sceve, Magtildis soror ejus, Sigerus de Rode, Margareta: filii filiæ Margaretæ Soeiman, Henricus, Ebin & soror eorum. Onulphus, Margareta, Helewigis, Clementia, sorores. Sigerus Margaretæ filius. Maria, Magtildis, filiæ Margaretæ, Gertrudis, Beatrix, filiæ Hamers.

ET in SUINDRECHT Willelmus, Michaël, Sigerus de Molendino, Eliana eorum soror, Sigerus, Henricus, Balduinus, filii Gei-
læ

Castellani Gandenses.

(1) HUGO Castellanus Gandensis 1250. vendidit Bornhem Margaritæ Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ, consentiente MARIA Uxore, ut constat ea Litteris Officialis Cameracensis illo anno datis.

Idem HUGO patrem habuit Hugonem Castellanum Gandensem, qui fratrem habuit VILLANUM, Dominum de S. Jans-steen in Wasia, quod hodie possident Villani cum Jure Patronatûs Ecclesiæ in Assenede.

Ab eo stirpem suam trahit Gandavia Villanorum Familia, quæ Comitatum Isegemii, aliaque prædia plurima etiamnum in Flandria possidet, vulgò *Villain dict de Gand*.

Idem Hugo Uxorem duxit MARIAM, filiam Eustachii de Hannonia, Domini de Rodio, & ex ea unicam filiam sustulit MARIAM, Castellaniæ Gandensis heredem, Gerardo Domino de Sottegem nuptam.

Gerardi Sottegemii & Mariæ Gandaviæ filius HUGO, Castellanus Gandensis, & Dominus de Sottegem, filiam heredem reliquit ISABELLAM, quæ nupsit Hugoni Domino de Antoin prope Tornacum.

Hugonis Antoniani & Isabellæ Sottegemiæ filia & heres ISABELLA, Castellana Gandensis, Domina de Antoin & Sottegem, primùm nupsit Henrico à Lovanio, pòst Alfonso de la Cerda, ex Regum Castellæ & Legionis Familia oriundo; sed ex neutro prolem genuit. Tertiò nupsit Joanni de Melun: quæ Familia, præter Principatum de Espinoy, hodieque Castellaniam Gandensem possidet.

Isabellæ hujus Epitaphium hodieque legitur in Antoniensi Canonicorum Basilica; quod Latinè ex Gallico redditum, sic sonat:

Hic sita est ISABELLA *Domina de Antoin, Espinoy, Sottenghien, & Castellana Gandensis, olim Uxor Henrici de Lovanio, pòst Alfonsi de Hispania, ac demum Domini Joannis Vice-Comitis de Melun, Camerarii Franciæ, Domini de Blangis; quæ Domina obiit in Festo S. Nicolai anno* 1354.

Stemma de Sotteghem, Antoin, Espinoy, extat apud Butkens in Libro Familiæ de Linden pag. 132.

De aliis Formulis manumissionis vide supra hujus lib. 2. cap. 62; item infra lib. 1. Donat. Belgicar. ad an. 1228.

Similes formulas manumissionis factæ Lovanii ad Altare S. Petri vidi 1627. in Archivis ejusdem Ecclesiæ coram Præposito &c. Similis formula extat Aureliani in muro Templi Cathedralis.

læ de Scotsele, Margareta ejusdem filia, Walterus de Piro, Bernart, Arnoldus fratres.

In Crudbeke, Amelbergis, & ipsius filii. In Vrasenen Adelisa cum sua posteritate, Balduinus, Gerlindus filius Margaretæ, Helewidis, Geila, sorores ejus. Adalisa Goceliui Scevels filia: Helewigis ultra Acker, Henricus & Balduinus.

Isti à Castellano Gandensi manumissi se obtulerunt Ecclesiæ B. Mariæ in Antwerpia, Sigerus Wade, Balduinus, Willelmus, Fratres filii sororum ejus.

CAPUT CII.

Henricus IV. *Dux Limburgensis, ejusque Uxor* Cunigardis, *Comitissa Montensis seu Bergensis ad Rhenum, Beneficium conferunt Monialibus Ordinis Cisterciensis, Leodii in Roberti-monte, anno* 1244.

Henricus Dux de Lemburg, Comes de Monte, & (1) Kunigardis Ducissa & Comitissa ibidem, præsentium inspectoribus notum facimus, quod Sororibus de Roberti-monte, pro nostrarum & Successorum nostrorum remediis animarum, quolibet anno, dum glandes in nostris nemoribus creverunt, quinquaginta porcos..... Datum anno millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, 1244.
Dominicâ post Matthæi Apostoli.

(1) Cunigardis filia & heres Adolfi Comitis Montensis seu Bergensis ad Rhenum, maritum habuit Henricum V. Ducem Limburgensem ac Comitem Luxeburgensem: de quo supra Lib. 1. horum Diplom. Belgic. cap. 77. & 96. egimus.

De Abbatia Roberti-montana vide item supra Lib. 2. Cap. 81.

CAPUT CIII.

Henricus, *Bredæ Dominus, Jus Patronatûs & Altaria Ecclesiarum de Schoten & Merxem Canonicis Antverpiensibus anno* 1267. *donat*; Nicolao *Episcopo Cameracensi probante.*

Nicolaus Dei gratiâ Cameracensis Episcopus dilectis in Christo filiis, Capitulo Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Antwerpia, salutem in Domino.

Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod Nobilis vir Henricus, Dominus de Breda, jus patronatûs & personatûs, sive Altaria Ecclesiarum de (1) *Scoten* & de *Mercsem*, cum pertinentiis suis, liberaliter donavit vobis, prout ad ipsum spectare noscebantur ab antiquo; Litteras suas patentes vobis super hoc concedendo, quarum tenor talis est:

Universis præsentes Litteras visuris Henricus, Dominus de Breda, salutem & noscere veritatem. Noverit universitas vestra, quod ego intuitu Dei, & ob reverentiam & honorem gloriosæ Virginis Mariæ, necnon & remedium animæ meæ, & Progenitorum meorum, jus patronatûs & personatûs, sive Altaria Ecclesiarum de Scoten & de Mercsem, cum omni jure & pertinentiis suis, prout dictæ Ecclesiæ ad me spectare noscuntur, viris venerabilibus, Capitulo Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Antwerpia, confero liberaliter & assigno: salvo per omnia in dictis locis meo dominio temporali.

In cujus rei testimonium Sigillum meum, unà cum Sigillis virorum Nobilium, Domini Walteri dicti Berthaut, Domini de Machlinia, & Domini Rasonis, Domini de Lidekerka, præsentibus est appensum.

Interfuerunt autem his Viri Nobiles, Dominus Walterus Berthaut, Dominus Raso, prædicti, Dominus Ægidius Berthaut, nec non & Dominus Henricus de Boutersem, Dominus Goscelinus Boc, & Arnoldus de Lira, Milites, Godescalcus de Berbelghem, Nicolaus de Stene, & alii quàm plures.

Actum & datum Sabbato ante *Lætare Jerusalem*, anno Domini millesimo ducentesimo 1267.
sexagesimo septimo.

Nos itaque devotis tam vestris quàm dicti Nobilis precibus inclinati, perpendentes etiam pium & salubrem ipsius affectum; id quòd per eum circa prædictas Ecclesias factum est, ratum & gratum habentes, easdem vobis Ecclesias cum pertinentiis suis, auctoritate ordinariâ confirmamus.

Præ-

(1) Schoten, nunc Schooten, & Mercsem seu Merxem, sunt vici Antverpiæ vicini. Breda Oppidum est Brabantiæ, ad gentem Nassaviam pertinens, in quo sedem habet Collegium X. Canonicorum, præter XI. supernumerarium Canonicum, qui postea ceteris accessit. De nupera obsidione & expugnatione Bredana exstat elegans Commentarius Cognati & Civis nostri, R. P. Hermanni Hugonis, ex Societate Jesu, qui Ambrosio Spinolæ, Marchioni Barbaciæ, à sacris est confessionibus.

Præterea quia, ficut intelleximus, reditus Præbendarum Ecclesiæ vestræ tenues sunt & exiles, propter sectionem Præbendarum factam ibidem; vobis indulgemus, ut fructus & proventus, quos Personæ dictarum Ecclesiarum ratione Personatûs hactenùs percipere consueverunt, convertere possitis in usus vestros, ad quotidianas distributiones: ut eò ferventiùs & ampliùs Domino serviatis.

Salva tamen Capellanis, qui pro tempore fuerint in iisdem Ecclesiis, instituendi ... legitimâ & competenti fructuum portione.

In cujus rei testimonium præsentibus Litteris Sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, feriâ quartâ pòst *Invocavit me*. 1268.

CAPUT CIV.

Robertus *Artesiæ Comes secundus, Roberti I. Filius, possessiones Monasterii Alciacensis Benedictinorum in Arthesia anno* 1269. *in protectionem suscipit, tamquam Advocatus illius loci.*

Robertus Comes Atrebatensis universis..... Fidelium Antecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, pioque in Christo affectu desiderantes, Ecclesias in nostro Comitatu & Dominio fundatas, maximè eas, quæ sub nostræ Advocationis, nullo medio, protectione existunt, perpetuâ protectione muniri, & plenâ libertate gaudere, ne in posterum malignorum versutia suæ malignitatis arma, armis fidei & justitiæ rejectis, levare possit aliquatenùs in easdem;

Justis petitionibus Venerabilis Patris, fidelis nostri, Guilielmi, permissione Divinâ, Ecclesiæ S. Silvini (1) Alciacensis juxta Hesdinium Abbatis, totiusque Conventûs ejusdem loci, propensiùs inclinati, ob remedium animæ meæ, & carissimi Genitoris nostri Roberti, quondam Comitis Atrebatensis Illustris, & omnium Antecessorum nostrorum;

Ea omnia, quæ tempore præfato piâ devotione sibi collata fuerunt, & quæ acquisita usque in hodiernum diem, vel postea, de licentia nostra, vel mandato nostro, seu per Litteras nostras acquisita erunt, tamquam defensor & Advocatus eorumdem, & bonorum suorum, ubicumque existant, ipsorum exigentibus meritis & precibus, confirmamus eisdem & nostrâ auctoritate, à Nobis, heredibus & Successoribus nostris observari volumus illæsa Ecclesiæ, ac inconvulsa.

Ne autem præscriptâ subditorum nostrorum negligentiâ seu tergiversatione minimè observentur, districtè præcipimus, & in mandato damus Balivis, Præpositis & aliis nostris in terra nostra quibuscumque servientibus, qui pro tempore erunt, nostris seu heredum nostrorum aut Successorum nostrorum temporibus, ut cum ab Abbate & Conventu prædictis, vel Successoribus eorum, qui in ipsa S. Silvini Ecclesia Domino famulabuntur, fuerint requisiti, omni dilatione postpositâ, omnia prædicta tamquam nostra propria studeant, rigore justitiæ, observare; & à perturbatoribus, si qui fuerint, personarum & rerum omnium, defendere, & sub protectione nostra & Successorum nostrorum tuitione, sub fideli, in quo nobis tenentur vel tenebuntur officio, fideliter consulere & tueri.

Actum Parisius anno Domini millesimo du- 1269.
centesimo sexagesimo nono, mense Martio.

Alciacum est insignis Benedictinorum Abbatia apud Artesios, haut procul ab Hesdinio Oppido, vulgò *Au-chy-les-Moines*. Alciacum porrò prædium, cum Villa Sithiu, Adroaldus Vir illustris, prole carens (de quo vide Cod. Donat. piarum cap. 3.) S. Bertino circa annum 654. tradidit, præsente S. Audomaro Teruanensis Urbis Episcopo. Cumque Bertinus cœpisset Domum orationis apud Alciacum instituere, Adalsquarius Vir Nobilis, & ejus conjux Aneglia Basilicam Alciaci in honorem Beatæ Mariæ & S. Petri Apostoli circa annum 680. construxerunt.

Ibidem eorum filia Sicchedis, depositâ seculari veste, Deo dicata, nonnullis sacratis Virginibus præfuit, ante Adventum S. Silvini Episcopi; cujus defuncti tumulum Sicchedis memorata auro & gemmis cælavit variis. Danis postea in Galliam irruentibus, venerabiles S. Silvini Reliquiæ ad Sithiu Cœnobium sunt translatæ.

Exinde Engelramus Comes Hesdiniensis Ecclesiam Alciacensem, à Barbaris destructam, anno 1072. instauravit, estque ibidem sepultus. Anno 1072. Heribertus Abbas Sithiensis primum in Alciaco Abbatem constituit Suelgerum, Monachum Sithiensem, vivente Drogone Morinensi Episcopo. Suelgero Geruinus, Geruino Norbertus, Norberto Odo, Odoni Simon, & sic alii ex ordine, omnes Monachi Sithienses, successerunt.

Anno 1079. Engelramus Comes confirmavit & ratificavit Abbati, ac Monachis S. Silvini Alciacensis, omnes donationes à se factas, approbante Huberto Morinorum Episcopo. Paschalis II. Papa, per Bullam, cujus tale est initium, *Ad hoc nos disponente Domino &c.* Abbatis subrogationem seu electionem in Monasterio S. Silvini, juxta præteriti temporis morem, in dispositione Abbatis S. Bertini relinquendam decrevit.

Calixtus II. Papa anno 1123. Eugenius III. Alexander III. Clemens III. Cælestinus III. Innocentius III. Honorius III. & Gregorius IX. idem postea statuerunt. Innocentii III. Rescriptum exstat lib. 5. Decretalium.

Cæterùm Monasterii Alciacensis Advocatus à primis initiis fuit Comes Flandriæ; ut liquet ex Balduini, cognomento Securis, Flandrorum Comitis Diplomate, anno 1112. Audomaropoli dato.

Notum facio, quòd ipsâ die, quâ Gualtero terram suam reddidimus, Abbatiam S. Silvini, quæ apud Alciacum in honore Dei fundata est, tamquam unam de Abbatiis terræ nostræ, in propria Advocatia omninò retinuimus. Unde ipse Walterus, tactis sacrosanctis Reliquiis, in præsentia nostra juravit, quòd quidquid Avunculus suus Engelramnus Ecclesiæ suæ Alciacensi contulit, & quidquid eâdem die, quâ ipse terram suam à nobis suscepit, prædicta Ecclesia possedit, quietè possidere permitteret.

Flandriæ Comitibus in dicta Advocatia Comites Artesiæ successerunt: ut patet ex Roberti II. Artesiæ Comitis Diplomate anno 1269. jam recitato.

CAPUT CV.

Controversiam inter Canonicos S. Albani & Scabinos Namurcenses, de jurisdictione motam, GUIDO *Comes Flandriæ & Marchio Namurcensis componit anno* 1270.

NOS GUIDO Comes Flandriæ, & Marchio Namucensis, notum facimus universis, quod cùm discordia verteretur inter dilectos nostros, Præpositum, Decanum & Capitulum Ecclesiæ B. Albani Namucensis, ipsius Ecclesiæ Villicum, Scabinos seu Judicatores ex una parte, ac Majorem Villicum, & Scabinos Villæ Namucensis ex altera,

SUPER eo quòd dicti Major & Scabini Namucenses dicebant ad ipsos debere accedere Scabinos seu Judicatores Ecclesiæ prædictæ, pro consilio habendo super suis sententiis proferendis; & quia ipse Major & Scabini Namucenses prædicti de sententiis à prædictis Scabinis seu Judicatoribus Ecclesiæ S. Albani prædicti prolatis possent cognoscere, & easdem sententias confirmare vel infirmare, si ad eos super his fuerit appellatum, prædictis Præposito, Decano & Capitulo, Villico & Scabinis seu Judicatoribus præmissa negantibus & contrarium affirmantibus.

NOS auditis rationibus utriusque partis, & inspectis Privilegiis Ecclesiæ supradictæ, habito prudentum consilio, de communi consensu dictarum partium, super præmissis diffiniendo pronuntiavimus in hunc modum;

QUOD prædicti Scabini seu Judicatores Ecclesiæ Beati Albani, si consilio indigeant super suis sententiis proferendis, non ad dictos Majorem & Scabinos Namucenses, sed ad Nos tamquam ad superiorem Dominum suum sæcularem, vel ad Baillivum nostrum Namucensem, si præsentes non fuerimus, venire debent pro consilio obtinendo. Et si à sententiis ipsorum Scabinorum seu Judicatorum Ecclesiæ Beati Albani appellandum fuerit ad Nos, vel ad Baillivum nostrum prædictum, si præsentes non fuerimus, immediatè debeat appellari, ut sententiæ, à quibus appellatum fuerit, per Nos vel Baillivum nostrum, habentem à nobis speciale mandatum, confirmentur & infirmentur, prout de jure fuerit faciendum.

DATUM in Castro Namucensi, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, se- 1270.
cundâ feriâ post Cineres.

CAPUT

STEMMA COMITUM NAMURCENSIUM.

GUIDONIS, ejusque Conjugis prioris Mathildis Epitaphia in Flinensi Virginum Cœnobio, Ordinis Cisterciensis, prope Duacum hodieque exstant: quæ ex Gallico Latinè reddita sic sonant:

Hic situs est Illustris & Nobilis Princeps, GUIDO *Comes Flandriæ, Fundator hujus loci: qui obiit captivus Compendii, mense Martio annò* 1304. *& fuit allatus in hunc locum anno* 1305.

Hic sita est Nobilis & Virtuosa Domina MATHILDIS, *Comitissa Flandriæ, Domina Bethuniæ & Teneramondæ, Uxor Illustrissimi Principis Guidonis, Comitis Flandriæ, Fundatoris hujus Ecclesiæ: quæ obiit anno....* *

* Meierus eam asserit obiisse anno 1259.

Altera Guidonis Uxor ISABELLA Luxeburgica, anno 1298. die 25. Septembris decessit, Petegemii juxta Aldenardam sepulta, in Monasterio Clarissarum à se condito, cum hoc Epitaphio:

Additio.

Hic ISABELLA *jacet, Guidonis altera Conjux,*
Heres Namurci, Luceburgique propago.
Obiit anno MCC. XCVIII. 25. Septembris.

Ceterùm Guido Flandris 26. annis, Namurcensibus 34. annis præfuit, hoc est, usque ad annum 1297. quo Comitatum Namurcensem JOANNI filio suo ex Isabella primogenito cessit: ideoque in Epitaphio non vocatur Comes Namurcensis.

JOANNES porrò Comes Namurcensis duas habuit Conjuges; quarum prior Margarita, Roberti à Francia, Comitis Claromontani filia, anno 1308. obiit: altera Maria Artesiensis diu marito superstes fuit. Joannes Parisiis anno 1330. die Veneris ante Festum Purificationis vivere desiit, sepultus ibidem in Templo Franciscanorum; ubi ante novi Templi exstructionem, Epitaphium olim habuit quod sequitur:

Additio.

Cy gist hault Prince & de bonne memoire Monsieur Jehan Conte de Namur, que fu filz aisné de bon Guy Conte de Flandres, & de Isabelle fille du Conte de Luxemborch, qui trepassa de ce siecle l'an de graci 1330. *le vendredy devant le Chandeleuse, & fut miz en terre le quart jour de Feburier.*

JOANNI successit filius primogenitus JOANNES II. illo nomine Comes Namurcensis: quod notat Croriendalius contra Meierum. Cum fratre suo Guidone in Terra Sancta, & cum eodem, alteroque fratre suo Philippo in Prussia militavit. Inde rediens, in Germania anno 1335. decessit, ibidem humatus, quinto Principatûs sui anno.

JOANNI II successit GUIDO II. frater, qui similiter cœlebs obiit anno 1336. die 12. Martii, in Salesiniensi Virginum Cœnobio prope Namurcum conditus. Guidonis Principatum excepit Philippus III. Comes Namurcensis: de quo infra agemus.

CAPUT CVI.

JOANNES I. *Brabantiæ Dux, ejusque frater* GODEFRIDUS, *Arschoti & Virsonii Dominus, anno* 1283. *Contractum ineunt cum* JOANNE *Rivira Domino, super divisione jurium in Territorio Arschotano.*

JOANNES Dei gratiâ Lotharingiæ, & Brabantiæ Dux, & GODEFRIDUS ejus Frater, Dominus de (1) Arschot & de (2) Virson, universis has Litteras visuris & audituris salutem in omnium Salvatore.

PETIVIT à nobis dilectus fidelis noster, JOANNES dictus de (3) RIVIRA, jus suum super universis bonis & singulis, quæ tenens est & possidens infrà allodium de Arschot, à jure nostro ibidem dividi & distingui.

ET quoniam super ipso jure, inter nos & ipsum Joannem, aliquando dissensio exstiterit, volentes eidem gratiam facere specialem, & ut eò ampliùs ad nostrum se promptiorem præbeat obsequium, per dilectos & fideles nostros, Henricum de Lovanio, Dominum de (4) Herstallio, consanguineum nostrum carissimum, Walterum Volckart, Milites, Joannem de Hulderberge Clericum, terræ Brabantiæ redituum Receptorem, Ægidium dictum Zuane, Villicum Thénensem, Scabinos & seniores villarum

Beerthem. de Arschot, de Berthingeem & de Langdorp, dictum jus à jure nostro distingui fecimus & separari.

ITA quod universos articulos & singulos, in hac Charta subnotatos, eidem Joanni recognoscimus esse veros. In primis siquidem recognoscimus ipsum Joannem fore oriundum de Comitibus quondam de Arschot, ac (5) de Fratre Majore.

ITEM si quisquam suorum mansionariorum, commorans infra libertatem de Arschot, in Berthingeem, in Langdorp, in Weerde, in Testelt, in Ghielrode, in Rillaer, in Messelbroeck, & in Utbeem, infra libertatem de Arschot ab aliquo conveniatur seu arrestetur, poterit ipse Joannes super hoc Scabinos de Arschot monere, absque nostra vel alicujus alterius præstatione.

Beerthem. Langdorp. Sint-Jooris-weert. Thestelt. Rillaer. Messelbroeck.

ET positis petitione & responsione inter partes, si Scabini super hoc non fuerint satis instructi, Caput suum super hoc petendo, dictus Joannes ipsos Scabinos ad Caput suum ducere tenetur: & cum redierint, sententiam, ab ipsis Scabinis super hoc prolatam, facere teneri, & emendam exinde levare solus.

ITEM si Scabini in placito, coram ipso tractato, ab aliquo contradicantur, hoc ipse Joannes judicare tenetur, & emendam exinde provenientem solus levare, usque ad quadraginta quinque solidos....

ITEM recognoscimus piscariam in Themera suam esse, de Werffoudre, ubi piscaria Domini de Rotselare finitur, usque ad silvam quæ dicitur *Kelveres-bosgelken*, quam Arnoldus de Staden tenens est. Item recognoscimus venationem, piscationem, & aucupium seu avium captio-

Demer.

AUtographum hujus Diplomatis adservatur Lovanii à Canonicis S. Petri in Capella Familiæ de Rivira: cui appeosa vidimus sigilla quatuor majora, Equitem armatum exprimentia, videlicet Joannis I. Brabantiæ Ducis, ejusque fratris Godefridi Virsonii, Henrici de Lovanio, & Walteri de Ligne, cum duobus minoribus sigillis, Walteri de Volcart & Iwani de Weldart. Tria priora sigilla Leonem Brabantinum in clypeo repræsentant, quartum verò habet scutum cum barra, ut loquuntur, seu linea ab alto intersecante. Quod hodieque proprium est insigne Familiæ de LIONE, apud Belgas nunc potentissimæ; utpote quæ Ducatum Arschotanum, Principatus de Arenberghe, Chimay & Barbanzon, Marchionatum de Roubaix, Comitatus de Beaumont, Aigremont & Seneghem, Baronias de Ayesnes, Haverle, Bierbeke, Quievraing, aliaque prædia amplissima hodie possidet.

(1) AASCHOT Oppidum Brabantiæ ad Demeram fluvium, tertio lapide à Lovanio: quod olim Comites, paulò infrà à me memorandos, habuit; nunc Ducali titulo gaudet, quo Philippum Croyum, Carolus V. Imperator decoravit.

(2) VIRSON Oppidum in Biturigibus, *au pays de Berry*, quod Godefridus Henrici III. Brabantiæ Ducis filius, Joannis I. frater possedit ex parte uxoris: ut Dioterus, Divæus, Haræus & alii rerum Brabantinarum Scriptores fusè narrant.

(3) RIVIRA Flandris *Reviren*, Gallis *Riviere*, vicus Brabantiæ, quem suis cum appendicibus hodieque possidet Henricus Comes Riviræ à Ferdinando II. Imperatore creatus Comes de Heer in agro Leodicensi prope Trudonopolim, ex vetustis Comitibus Arschotanis oriundus.

(4) HARSTALLIUM seu Heristallum, Baronia & feudum Brabantiæ, ad Mosam fl. primo lapide à Leodico, insigne olim Palatium habuit, quod Ducibus ac Præfectis Austrasiæ, Carolo Magno, Ludovico Pio, aliisque Principibus olim in deliciis fuit: hodie à Principe Arausionensi possidetur. Vide supra lib. 1. cap. 67.

(5) DE FRATRE MAJORE. Exstat Affligemii Diploma, à Godefrido Barbato, Lotharingiæ inferioris Brabantiæque Duce, anno 1125. scriptum, in quo sic loquitur. ARNULFUS Comes de Aderschot, cum duobus filiis suis, GODEFRIDO & ARNOLFO, in Curia mea Lovaniæ venit: & quidquid apud Buckenhoult habebat in terris, silvis, aquis & pascuis, cum omni decima, ad opus Affligemensis Ecclesiæ, in quo JOANNEM filium suum Monachum fecerat, liberaliter dedit. Testes fuerunt, Arnulfus de Grimbergis, Gerardus frater ejus, Vorwinus de Heverle, & Reinerus filius ejus, Sigerus de Wavera, Henricus de Bierbais, Henricus Loppoum, Henricus de Asca, Eustathius de Tiesch, Arnulfus de Rotselare, Dapifer, Arnulfus de Fitorch, Franco Castellanus Bruxellensis, Franco de Sclusa, & Alardus de Balterzem, nunc Bautersem.

Cæterùm à Godefrido, Arnulfi Comitis Arschotani Filio majore jam memorato, ut arbitror, originem seu stirpem traxit Joannes Rivirae Dominus supra laudatus, ejusque posteritas: quod quia hactenus latuit, visum fuit paulò fusiùs explicare.

captionem, Teutonicè *Vogelen*, ubique supra bona sua esse suas. Eo salvo, quod cùm aliis nostris hominibus, aucupium de jure habentibus, inhibuerimus, ne cum retibus anates capiant, nostrum teneat mandatum in præmissis....

PRÆTEREA libertatem Opidi de Arschot, quemadmodum conscripta est, & Sigillis nostrorum fidelium, videlicet Gerardi Domini de Rotselare, Dapiferi Brabantiæ, atque Joannis de Arschot, dicti de Pulchra Curia, Militum, nec non Joannis de Huldenberge, dicti nostrorum redituum Receptoris, & Ægidii dicti Zuane, Villici Thenensis, sigillatam confirmamus & approbamus, ac in perpetuum ratam observare promittimus & inconvulsam.

ET ut hæc universa & singula, quemadmodum hic conscripta sunt, divisa & ordinata, à nobis & nostris Successoribus sæpedicto Joanni & suis Successoribus perpetuò & inviolabiliter inconvulsa teneantur, nos eidem præsentem Chartam Sigillis nostris tradidimus communitam & sigillatam. Ad majorem quoque omnium præmissorum evidentiam & securitatem, rogavimus dilectos nostros & fideles, Henricum de Lovanio, Dominum de Harstallio, Consanguineum nostrum dilectum, Walterum Dominum de LIGNE, Walterum dictum Volkart, & Iwanum de Meldaert, Milites nostros, ut huic Chartæ Sigilla sua, unà cum Sigillis nostris, apponant & appendant. Et nos

Henricus de Lovanio, Dominus de Herstallio,

Walterus Dominus de LIGNE,

Walterus Volkart,

ET IWANUS de Meldaert, Milites prædicti, ad preces & instantiam dilectorum Dominorum nostrorum prædictorum, Sigilla nostra, unà cum eorum Sigillis, præsenti Scripto duximus appendenda, ad majorem evidentiam præmissorum. Datum anno Domini millesimo du- 1183.
centesimo octogesimo tertio, in Nativitate B. Joannis Baptistæ.

CAPUT CVII.

ARNULPHUS DE LANDAST, *Dominus de Eynes prope Aldenardam, ejusque Conjux* MATHILDIS, *Jus Patronatûs Ecclesiæ Collegiatæ Eynensis, olim in Tornacensi, nunc in Gandavensi Diœcesi sitæ, cedit Abbati Einhamensi, anno* 1200.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego BALDUINUS Flandrensis & Hainoniensis Comes, notum esse volo tam præsentibus quàm futuris, quòd ARNULPHUS de Landast, Dominus de Eynes, annuente uxore suâ MATHILDE, jus Patronatûs & potestatem conferendi Præbendas, & quidquid juris in Ecclesia de EYNES habebat, ab omni penitùs obligatione alienum, in manus meas spontè resignavit.

EGO autem, Divinâ inspirante clementiâ, & bonorum Virorum super hoc habito consilio, ad petitionem ipsius Arnulphi, illud idem, & totum quod mihi collatum erat, in potestatem & proprietatem Ecclesiæ de EIHAM integrè & plenariè transtuli & dedi. Et ut Divinum officium ibidem devotiùs agatur, quattuor Presbyteros, duos Diaconos, quorum unus Magister Scholarum erit, & unum Subdiaconum, secundùm voluntatem Abbatis, ibi volumus institui.

UT autem hoc ratum permaneat & firmum, & ne morbo oblivionis veniat in dubium, Literas istas scribi, & testimonio sigilli mei feci communiri.

ACTUM est hoc præsente & consentiente uxore MARIA,

Henrico Fratre meo,

Willelmo Advocato de Betunia & Domino de Tenremonde,

Arnulpho de Aldenarde,

Rasone de Gavere,

Magistro Rogero Capellano meo,

Gerardo de Roden,

Eustathio de le Mandre,

Ostone Balgere,

Willelmo & Waltero Notariis meis,

Rolino de Gant, & Gerardo Wamart, Officialibus meis, anno ab Incarnatione Domini
millesimo ducentesimo. 1200.

DATUM per manum Gerardi Brugensis Præpositi, Cancellarii Flandriæ.

C A-

CAPUT CVIII.

Idem ARNULPHUS DE LANDAST *libertate donat aliquot servos & ancillas suas, anno* 1222.

EGo ARNULPHUS de Landast, Dominus de Eynes, notum facio omnibus præsentes Litteras inspecturis, quod ego mancipatos meos & ancillas meas, quos habebam in villa de Eynes, emancipavi sub hac conditione; quod ego habere debeo valentius caput, quod habebunt in morte sua; caput illud quod habebunt in sanitate sua, sicut ibunt ad forum & ad templum. Ita quod si discedant à villa, mei remaneant, sicut priùs. Isti sunt quos emancipavi.....

Hoc Scriptum feci de assensu filiorum meorum, Gerardi & Arnulphi, qui mihi tamquam heredes succedent, in præsentia Walteri, Dei gratiâ Tornacensis Episcopi. Hoc cum factum fuit, præsentes fuerunt,

Persona de Eynes Petrus, Ægidius, Canonici ejusdem loci,
Berritus Capellanus,
Walterus Custos,
Et Homines mei, Willelmus Block,
Eustatius de Erleghem,
Oliverius Halba,
Berritus de Ponte & Henricus.

QUOD ut ratum sit in perpetuum, præsens Scriptum feci Sigilli mei munimine roborari. Actum anno Domini millesimo ducen- 1222.
tesimo vicesimo secundo, mense Decembri.

IN FLANDRIÆ Comitatu quatuor sunt primariæ Baroniæ, Cisoin, Eyne, Pamele & Boulaer; quæ *Ursi Flandriæ*, vulgò *Bers de Flandres* nuncupantur. Eyna, seu Heyna, prope Aldenardam sita, habet insigne Presbyterorum S. Eligii Collegium, à Gerardo de Landast, Milite, ejusque conjuge Alborge, circa annum 1185. fundatum; quorum tumulus elatior ibidem hodieque spectatur.

Gerardi & Alborgæ filius fuit hic Arnulphus de Landast, qui & anno 1242. Diploma S. Martini Tornacensis signavit. Visiturque in sigillo effigies equitis armati. Ex Mathilde conjuge liberos reliquit, Gerardum, Arnulphum & Aelidem.

Cæterum ex familia Landastensi, vulgò *Landas*, prodierunt Domini de Landas & Warlaing prope Duacum, Barones de Eyne & Cisoin prope Insulas, Domini de Louvegnies prope Bavacum, & Domini de Chin prope Tornacum. Est autem LANDAS vicus cum arce, haut procul à Duaco situs, quem Philippus Pulcher Francorum Rex anno 1313. Baroniæ titulo decoravit.

CAPUT CIX.

Naldevici in Hollandia, à GUILIELMO *illius loci Domino, Collegium VI. Canonicorum, in honorem S. Adriani, instituitur, & à* GUIDONE *Ultrajectensi Episcopo confirmatur anno* 1307.

UNIVERSIS præsentia visuris vel audituri, Nos WILHELMUS de Naelwyck, Miles, verus Collator Ecclesiæ ibidem, salutem cum notitia veritatis.

CUM Ecclesia loci prænominati ad sustentationem plurium competenter sit dotata, Nos igitur, freti consilio proborum atque discretorum, ad honorem Dei, ejusdem quoque gloriosæ Genitricis, B. Adriani Patroni ibidem, atque Sanctorum omnium aliorum, pro salute animarum Parentum nostrorum, omniumque benefactorum dictæ Ecclesiæ, vivorum seu mortuorum, omnes proventus dictæ Ecclesiæ vacantis sex Sacerdotibus, regulam Canonicorum observantibus, sub æquali participatione distribuendos, ad deserviendum in perpetuum, in propria persona, purè contulimus, propter Deum, sub forma subsequenti.

QUILIBET ipsorum Sacerdotum in sua septimana summam Missam, cæterasque Horas decenter regat ac devotè: reliquis verò diebus quivis aliorum, secundùm Decani ordinationem, ad Dei servitium sit idoneus & paratus. Curatus verò suprà suam propriam portionem, sex libras Hollandiæ, pro officio Curæ sibi deputato, recipiet annuatim; & si necesse fuerit, quilibet aliorum ad sibi succurrendum fideliter sit paratus.

INSUPER quicumque Sacerdotum ad Matutinas, ad Missam, Vesperas, & ad Vigilias non venerit, duos denarios Hollandiæ solvet. Sed si ad alias Horas non venerit, pro qualibet Hora omissa sit ad unum denarium obligatus: & quidquid huic dirimetur, una pars illius sit ad supplendum ornamenta; reliquam verò partem recipiant servientes.

SIMILITER quilibet Sacerdotum stabilem residentiam in Parochia prædicta faciet; nisi de licentia Decani paucis diebus exiverit, negotium suum procurando: & quicumque horum publicè deliquerit, de providentia Decani sufficienter corrigatur. Concedimus insuper cuilibet prædictorum Sacerdotum, post obitum suum, primum annum gratiæ, pro debitis,

bitis suis persolvendis: si verò aliquid superfuerit, una pars sit pro augmentatione communis proventûs, reliqua vero pars pro librorum seu Ecclesiæ ornamentorum supplemento.

Volumus etiam omnibus modis, ne nos, vel aliquis nostrorum Successorum, aliquam prædictarum præbendarum alicui conferamus, nisi idoneo Sacerdoti; nec quis sive Decanus cum Canonicis, seu aliquis aliorum de vera collatione prædictarum Præbendarum se intromittat, nisi nos & nostri Successores. In cujus rei testimonium præsenti Scripto nostrum Sigillum duximus apponendum.

Reverendo igitur in Christo Patri Domino nostro Guidoni, Dei gratiâ Episcopo Trajectensi, supplicamus humiliter & devotè, quatenus suo consensu ac Sigillo, ad honorem Dei, suprascripta dignetur confirmare.

Et nos Guido, Dei gratiâ Episcopus Trajectensis, ad honorem Dei, atque ejusdem gloriosæ Genitricis Mariæ, B. Adriani, aliorum quoque omnium Sanctorum, omnia suprascripta nostro consensu atque sigillo confirmamus. In cujus rei testimonium præsens Scriptum nostro Sigillo, unà cum Sigillo Domini Wilhelmi de Naelwyck, duximus roborandum. Datum anno Domini millesimo trecen- 1307.
tesimo septimo, in die Luciæ Virginis.

CAPUT CX.

Naldevicensium Præbendarum numerus usque ad XII. à Guilielmo, *illius loci Domino, anno* 1369. *augetur, Joanne Vierneuburgio Ultrajectensi Episcopo approbante.*

Joannes de Viernenburch, Dei gratiâ Episcopus Trajectensis, dilecto nobis in Christo filio Wilhelmo de (1) Naelwyck, Armigero, salutem in Domino sempiternam.

Ut in Ecclesia Collegiata de Naelwyck, nostræ Diæcesis, cujus Ecclesiæ & Præbendarum ejusdem dignosceris esse Patronus, in Divini Cultûs augmentum, numerum augere valeas Præbendarum, ipsisque Præbendis particulariter vacantibus, propter excrescentiam fructuum, eas dividere, & de una plures efficere (salvo jure superstitum, quibus de hoc nolumus derogare, dummodo per industriam tuam & providentiam, Personis quibus eas conferes, satis idoneis, & competenter in temporalibus & in vitæ necessariis subveniatur, in quo conscientiam tuam oneramus) præsentibus indulgemus.

Salvis ipsis adjectis de novo Canonicis, & ultra numerum antiquum, consuetudinibus, libertatibus & Privilegiis, per Prædecessores nostros ac aliunde quæsitis & concessis eisdem: quibus eos novos & antiquos uniformiter gaudere volumus, & nunc & in ævum; jure nobis competenti, prout hactenùs observatum est, semper salvo. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum.

Datum anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, mensis Maii die octava. 1369.

(1) Naalnwyck. Naldevicus, municipium Hollandiæ, prope Gravesandam, secundo lapide ab Haga Comitis, olim potentes habuit Dominos, qui erant hereditarii Marescalli Hollandiæ.

Ex his Guilielmus, Miles, Collegium sex Canonicorum Naldevici anno 1307. instituit: quem numerum Guilielmus, Armiger, Guilielmi Milios filius aut nepos, anno 1369. duplicavit. Sicque XII. Canonicis Collegium Naldevicense constitit, olim in Ultrajectensi, pòst in Harlemensi Diœcesi.

Naldevicense municipium, cum vicis adjunctis & arce vetusta, *Honsbole* nuncupata, Carolus Comes Arenbergicus Henrico Nassavio, Maurini fratri, nunc Principi Arausionensi, vendidit.

CAPUT CXI.

Philippus *Comes Namurcensis, in S. Albani Basilica, Capellaniam anno* 1336. *fundari procurat, juxta voluntatem & legatum Guidonis Fratris sui ac Prædecessoris.*

Philippus Comes Namucensis dilectis & fidelibus nostris, Præposito, Decano totique Capitulo Ecclesiæ nostræ Beati Albani Namucensis, ac aliis præsentes Litteras visuris, in Domino salutem.

Cum dilectissimus Frater noster Dominus (1) Guido, quondam Comes Namucensis, bonæ memoriæ, in suo testamento & ultima voluntate, in qua decessit, legaverit unum Altare fundandum in dicta nostra Ecclesia, & dotandum certis reditibus, videlicet de viginti quinque libris, grosso veteri pro duodecim denariis computato:

Nos verò ultimæ voluntati dicti nostri quondam

dam Fratris cariſſimi ſatisfacere cupientes, ipſum Altare jam per Nos in dicta noſtra Eccleſia fundatum, in honore B. & Glorioſæ Virginis...In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus Litteris duximus appendendum.

Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo ſexto, in vigilia Beati Joannis Baptiſtæ. 1336.

(1) In Guidonis illo nomine ſecundi Comitis Namurcenſis defuncti locum à popularibus ſuffectus, & domum revocatus eſt Philippus frater. Is namque procul à Patria tunc aberat, in Pruſſia ſcilicet militans cum Rege Norvegiæ, qui Blancam Philippi ſororem duxerat. Exinde ad bellum ſacrum in Orientem profectus, Famauguſtæ in Cypro Inſula, anno milleſi-
1337. mo trecenteſimo triceſimo ſeptimo deceſſit, ibidem apud Franciſcanos conditus. De cujus ac Fratrum obitu, ex veteri Codice, Cronendalius in Ms. Hiſtoria Namurcenſi hæc recitat:

Anno 1337. Philippus Comes Namurcenſis moritur in Ultramarinis. Et ſic intra novem annos tres Fratres in Comitatu Namurcenſi ſibi invicem ſucceſſerunt, quarto Guilielmo impubere ſuccedente, & quinto Henrico jam defuncto, duobus adhuc minoribus Roberto & Ludovico ſuperſtitibus, cum ſorore, cujus maritus Comes Viennenſis, cum dicto Philippo, in Ultramarinis partibus eſt defunctus.

Philippo itaque defuncto frater Guilielmus in Comitatu Namurcenſi ſuccenturiatus, his titulus uſus eſt: Guilielmus à Flandria, Comes Namurcenſis & Dominus Sluſæ. Ex Catharina Sabauda, quæ anno 1388. obiit, duos ſuſtulit filios, Guilielmum & Joannem, Namurcenſes ex ordine Comites. Deceſſit anno 1391. Namurci apud Franciſcanos cum Uxore conditus.

Guilielmus, Guilielmi filius, Sluſæ in Flandria Dominus vivente patre fuit, & anno 1384. juxta Cronendalium, aut anno 1386. juxta Meierum, Sluſam Philippo Audaci, Burg. Duci Flandriæque Comiti ceſſit, & pro illo Oppido Betuniam accepit, titulo permutationis. Amotis Monialibus, anno 1414. in Molinensi Cœnobio Monachos Ordinis Ciſtercienſis collocandos curavit, probante Martino V. Papa. Molinenſi huic Cœnobio immediatè ſubjecta eſt Nisella, Sodalium Ordinis ejuſdem Abbatia, in Gallo-Brabantia, à Chriſtina Franckenberg[ia] Abbatiſſa Nivellenſi anno 1440. fundata.

Idem Guilielmus II. Comes Namurcenſis, poſt Ludovici Malani Flandriæ Comitis ſine prole maſcula obitum, pro inſigni gentilicio Leonem Flandricum ſine banda, ut vocant, ſeu linea, ſibi ſumpſit. Duas habuit Conjuges, Mariam Roberti primi Ducis Barrenſis filiam, & Joannam de Harrecourt, ſed ex neutra prolem reliquit. Obiit anno 1418. Namurci in Choro Franciſcanorum ſepultus. Joanna vidua, Betuniæ, Bailleuli & Petengemii Domina, anno 1455. die 15. Februarii demum deceſſit.

Guilielmo frater Joannes in Comitatu Namurcenſi & Dominio Betuniæ ſubrogatus, cùm nec uxorem, nec liberos haberet, anno 1421. dictum Comitatum Philippo Bono, Burgundiæ Duci vendidit, ea lege, ut eumdem poſſideret, quamdiu in vivis ageret. Obiit annò 1429. Kalendis Martiis, Namurci in Choro Templi S. Albani humatus.

CAPUT CXII.

Pactum Concordiæ inter Joannem III. *Brabantiæ Ducem, &* Ludovicum Nivernensem, *Flandriæ Comitem; quod LXXX. Viri Nobiles, partim Brabanti, partim Flandri, ſuis Sigillis firmarunt, anno* 1339.

1339. Anno milleſimo trecenteſimo triceſimo nono, die 13. Decembris, inter Joannem III. Brabantiæ Ducem, & Ludovicum Flandriæ Comitem, inita eſt pax ſeu concordia: cujus articulos, linguâ Flandricâ conſcriptos (qui Bruxellis in Curia Senatûs Populique Bruxellenſis adſervantur) quadraginta Nobiles Brabanti ac totidem Flandri ſuis Sigillis, hodieque integris, firmârunt.

Joannes Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, & Marchio,
Otto Dominus de Cuyck,
Guilielmus Dominus de Hornes & Gaſebeke,
Thomas de Dieſt, Dominus de Zeelem,
Guilielmus Dominus de Weſemale, Mareſcallus Brabantiæ,
Guilielmus van Duvenvorde, Dominus de Oiſterhout,
Joannes Dominus de Rotſelare, Droſſartus Brabantiæ,
Joannes de Loen, Dominus de Agimont & Waelhain,
Henricus Berthout, Dominus de Duffle,
Joannes de Leſdale, Burgravius Bruxellenſis,
Guilielmus Dominus de Boxtel,
Joannes Dominus de Sombreffe,
Joannes de Kuyck, Dominus de Hochſtrate,
Ludovicus Dominus de Diepenbeke,
Theodericus Dominus de Walicourt & Aa, Mareſcallus Hannoniæ,
Henricus de Walicourt, Dominus de Faverchines,
Ludovicus de Berlaer, Dominus de Helmont,
Ægidius de Quaderebbe, Dominus de Bierge,
Arnoldus van Hielbeke,
Joannes Pilyſere.
Joannes van Kersbeke,
Hermannus van Os,
Ludovicus vander Borcht, Receptor Brabantiæ,
Joannes de Meldert,
Joannes Pulleman, Droſſartus Brabantiæ,
Joannes de Wineghem,
Daniel van Boechout,
Henricus de Bouterſſem.
Henricus van Waelhem,
Raſo van Graven, Dominus de Lintere,
Goſuinus Dominus de Godtſenhoven,
Iwanus de Meldert,
Arnoldus vande Wiere,
Willelmus vanden Boſche,

 Gerar-

Gerardus van Vorflaer, Burgravius Geldonienfis,
Joannes de Immerfeel,
Golias de Vilvorden, Utenhove,
Joannes van Crainhem,
Joannes van Schonhoven,
Carolus de Rivieren, & Walterus Dominus de Melin, Milites.
LUDOVICUS Comes Flandrenfis, Nivernenfis & Rethelenfis,
Henricus à Flandria, Dominus de Ninove,
Philippus Dominus de Axele,
Simon de Mirabel, Dominus de Biereweis,
Gerardus Dominus de Raffeghem & Lens,
In Hannonia. Rafo de Gavere, Dominus de Herimez,
Arnoldus de Gavere, Dominus de Scoreffe,
Joannes de Gruthufe, Dominus de Aa,
Rogerius Brifetefte, Dominus de Bruxhem,
Joannes de Axele,
Oliverius Dominus de Pouke,
Willelmus de Nevele,
Gofuinus vanden Moere,
Vulfardus de Ghiftelle,
Gerardus de Raflegem, Dominus de Crainhem,
Joannes de Houtere, Burgravius Iprenfis,
Joannes de Belle,
Euftatius Pafcaris,
Rogerius de Lichtervelde,
Zegerus de Drongene, Dominus de Melle,
Gerardus de Giftelle,
Daniel de Rofebeke,
Rogerius Brifetefte,
Simon de Malftede,
Rogerius de Waernewyc,
Gerardus de Moerfeke,
Willelmus vander Straeten,
Joannes van Poelvorde,
Joannes van Maflemine,
Rafo de Erpe, Milites;
Joannes van Aishove,
Gisbertus de Leuwerghem,
Gerardus de Maffemine,
Daniel de Drongene,
Joannes de Erfele,
Joannes vanden Moere,
Arnoldus Baronaige,
Joannes de Huntsbeke,
Ludovicus de Moerkercke,
Hugo de Stelandt, &
Joannes de Loukerne, Scutiferi.

CAPUT CXIII.

Tabulæ Cortebergenfes à WENCESLAO *Brabantiæ & Luxeburgi Duce, ejufque Conjuge* JOANNA, *anno* 1372. *editæ, & à Brabantiæ Proceribus figillatæ.*

IN Curia Senatûs Populique Bruxellenfis variæ exftant Tabulæ publicæ, quæ Cortebergenfes dicuntur, à CORTEBERGA inter Bruxellam & Lovanium fita: quo loco olim Comitia Ordinum Brabantiæ celebrari folent. His Tabulis hodieque appenfa funt Sigilla Procerum, qui Comitiis Cortebergenfibus interfuerunt. Pro exemplo habe Tabulas à Wenceflao Brabantiæ & Luxeburgi Duce, ejufque conjuge JOANNA, anno 1372. editas, quas infrà fcripti Proceres fuis figillis firmârunt:
1372.

Guilielmus à Namurco,
Robertus à Namurco, Dominus de Beaufort & Ronay,
Ludovicus à Namurco, Dominus de Peteghem,
Walravus de Valkenborch, Dominus de Borre, Zittert & Herpen,
Theodericus de Hornes, Dominus de Perweis & Duffle,
Swederus de Abcoude, Dominus de Putte & Gaesbeke,
Joannes de Polanen, Dominus de Lecke & Breda,
Reinoldus Dominus de Schoonvorft,
Joannes van Aa, Dominus de Grimberges & Gruthufe,
Joannes de Boechout, Burgravius Bruxellenfis,
Gerardus Dominus de Vorffelaer, Burgravius Geldonienfis,
Joannes Dominus de Witthem,
Gerardus vander Heyden, Dominus de Boutershem,
Bernardus Dominus de Borgnival, &
Joannes Godevaers, Milites,
Godefridus de Tronknape, Scutifer, Receptor Brabantiæ.

Electi ex parte Ducis & Ordinum Brabantiæ, in Concilio Cortebergenfi.

JOANNES de Loon, Dominus de Agimont, Walhain & Ghete,
Joannes Dominus de Rotfelare,
Joannes de Haesbain,
Arnoldus de Craienhem, Dominus de Grobbendonck.

Barones & Milites Brabantiæ.

LUDOVICUS de Harrecourt, Dominus de Chaftelbrian & Arfchot,
Robertus Dominus de Rumpft,
Henricus Dominus de Dieft,
Guilielmus Dominus de Wefemale, Marefcalcus Brabantiæ,
Joannes Dominus de Petershem,
Godefridus Dominus de Hardewemont, Hoelen & Op-Velpe,

Henri-

Henricus Dominus Bergarum ad Zomam,
Joannes Dominus de Marbais,
Joannes Dominus de Sombreffe,
Alardus Dominus de Reves,
Osto Dominus de Trasegnies,
Henricus Dominus de Diepenbeke & Lens,
Joannes de Grimberges, Dominus de Asche,
Franco de Halen, Dominus de Lillo & Monte S. Wiberti,
Raso de Rivieres, Dominus de Neder-lintere,
Florentius de Stalle, Dominus de Rivieres,
Daniel de Bochout, Dominus de Hoenbeke & Loenhout,
Henricus de Quaderebbe, Dominus de Bierges,
Osto de Wedergrate, Dominus de Eygene,
Joannes Dominus de Glimes,
Ludovicus Dominus de Dongelberghe,
Gilbertus de Graven,
Arnoldus de Molenbais,
Arnoldus de Opperbais,
Godefridus, Joannes & Carolus de Immersele, Fratres,
Joannes de Beere,
Walterus de Duffle,
Florentius & Jacobus de Duffle,
Costinus de Berchem,
Joannes de Ranst,
Joannes de Schoonhoven, Dominus de Zundert,
Joannes de Meldert,
Golias vander Tommen,
Joannes Pyliser,
Joannes van Ophem.
Joannes van Hamme,
Joannes de Wavre,
Morelius de Ripensart, &
Joannes vanden Bisdome, Milites;
Walterus Dominus de Edingen,
Joannes Dominus de Cranendonck,
Joannes Dominus de Cuyck,
Joannes Dominus de Megem,
Joannes de Berlaer, Dominus de Helmont,
Joannes Dominus de Heverle, Camerarius Brabantiæ,
Guilielmus Dominus de Boxtel, &
N... Dominus de Wavere, Scutiferi.

CAPUT CXIV.

Fœdus Unionis inter Brabantos & Limburgenses anno 1415. initum; ex Flandrico Latinè redditum.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen. Omnibus præsentes Litteras visuris & audituris, salutem in Domino.
Joannes Gemblacensis,
Joannes Haffligemensis,
Rolandus Vliderbecanus,
Otto Villariensis,
Petrus S. Bernardi ad Scaldim,
Arnoldus Sancti Michaëlis Antverpiæ,
Gerardus Parcensis,
Joannes Helissemensis,
Joannes Averbodiensis,
Joannes Tungerloensis,
Joannes Grimbergensis,
Gisbertus Jettensis, ABBATES;
Joannes de Luxembourg, Comes de Conversan & Brienne, Dominus de Enghien,
Engelbertus Comes de Nassau, Dominus de Lecke & Breda,
Jacobus Dominus de Apcoude, Gasbeke, Putte & Stryen, Marescallus hereditarius Hanoniæ,
Guilielmus Comes de Zeyne, Dominus Rodæ S. Agathæ,
Engelbertus de Enghien, Dominus de Rameia, Folie & Tubise,
Thomas Dominus de Diest & Zichene, Burgravius Antverpiensis,
Joannes Dominus de Wesemale & Phalais, Marescallus hereditarius Brabantiæ,
Joannes de..... Rieu, Magister de Chantrain,
Henricus de Boutershem, Dominus Bergarum ad Zomam,
Henricus de Bergis, Dominus de Grimberges & Melin, ejus filius,
Joannes de Schonvorst, Burgravius de Mondouwen, Dominus de Flamengerie & Waley, *Monjoe inter terram Juliacensem & Limburgensem.*
Joannes Dominus de Rotselare & Borselare, OEconomus hereditarius Brabantiæ,
Joannes de Cuyck, Dominus de Hochstrate,
Joannes de Hornes, Dominus de Perweys,
Jacobus Dominus de Ghete,
Jacobus Dominus de Sombreffe,
Ancelmus Dominus de Trasegnies,
Engelbertus de la Marck, Dominus de Louverval & Vogelensanck,
Raso de Riviere, Dominus de Neder-Linter,
Guilielmus van Meerhem, Dominus de Boxtel,
Joannes filius de Diest,
Joannes filius de Wesemale,
Henricus vander Lecke, Dominus de Hezewyck,
Joannes de Berlaer, Dominus de Helmont & Keerberghe,
Simon Dominus de Sangueles,
Henricus Dominus de Heverle & Goyke, Camerarius hereditarius Brabantiæ,
Arnoldus de Crayenhem, Dominus de Grobbendonck,
Daniel Dominus de Bouchout, Huenbeke & Loenhout, Burgravius Bruxellensis,
Joannes de Grimberges, Dominus de Assche,
Alardus Dominus de Revie,

Joannes Dominus de Marbais,
Joannes Dominus de Witthem,
Henricus de Witthem ejus Frater,
Joannes de Dieſt,
Henricus de Dieſt, Dominus de Rivieren,
Euſtathius Dominus de Vertain,
Joannes Dominus de Meghem,
Robertus de Sponty, Dominus de Wavre,
Libertus de Meldert, Dominus de Brudelingen,
Walterus de Kersbeke, Dominus de Godtſenhoven,
Henricus de Rotſelare,
Joannes van Aa, Dominus de Hoighſtain,
Joannes de Witthem, Dominus de Bouterſhem,
Gerardus de Berges, Dominus de Merxhem,
Joannes van Halen, Dominus de Lillo,
Ægidius de Bouchout,
Walterus de Winge,
Raſo de Lintere,
Rogerius de Petershem, Dominus de Lefdale,
Joannes Dominus de Petershem,
Theodericus de Merhem, filius de Boxtel,
Joannes Dominus de Huldeberghe,
Robertus de Aſſche,
Joannes van Ranſt, Dominus de Mortzele & Canticrode,
Henricus de Ranſt, Dominus de Keſſel,
Joannes Dominus de Glimes,
Joannes Dominus de Dongelberghe,
Raſo van Grave, Dominus de Maleve,
Willelmus van Ranſt, Dominus de Vrumde & Milleghem,
Henricus de Wailhain,
Philippus Dominus de Geldorp,
Theodericus de Haeſtricht, Dominus de Venloen,
Guilielmus van Ghent, Dominus de Meerwyck,
Joannes van Lier, Dominus de Norderwyck,
Joannes de Kersbeke,
Joannes Dominus de Liſmal,
Gerardus de Lintere,
Willelmus de Montenake, Dominus de Graſe,
Joannes de Baronaige, Dominus de Percke,
Joannes vanden Boſch, Burgravius Furenſis,
Joannes Dominus de Wanghe,
Balduinus van Grave,
Arnoldus de Geldenaken,
Simon de Coudenbourgh, Dominus de Oplintere,
Joannes de Diedeghem,
Henricus van Colem,
Arnoldus vanden Houte,
Nicolaus de Zwaef,
Joannes de Zwaef,
Walravus vander Dilſt, Dominus de Borchvliet & Hogherheyden,
Arnoldus Dominus de Immerſele & Hameyden,
Henricus Diebier, Dominus de Mierle,
Joannes Dominus de Schonhoven,
Joannes van Schonhoven,
Guilielmus vanden Berghe, Dominus de Orbais, Burgravius Geldonienſis,
Henricus Dominus de Gronſelt & Ringberch,
Adamus vanden Berghe, Dominus de Leinborch,
Andreas de Merode, Dominus de Frankenberch, Burgravius Limburgenſis,
Joannes Hoen van Vuerendalen,
Nicolaus Hoen, Dominus de Broeke,
Reinerus van Berghe, Dominus de Geul,
Joannes de Hulsberg,
Reinerus Dominus de Nuwerborch,
Goſuinus Beghyn,
Daniel Hoen,
Reinardus vanden Nuwerborch,
Joannes Huyn de Emſtenraed,
Godefridus Dobbelſtein van Dodenrode,
Goſuinus de Cortenbach,
Reinerus de Hulsberch,
Theodericus van Berghe,
Gerardus de Cortenbach,
Arnoldus van Sevel,
Goſuinus van Sevel,
Gerardus van Eylhout,
Guilielmus de Rodenbock, dictus Stoeſberch,
Adamus van Guittichoven,
Franco van Halsberch,
Wernerus vanden Berbome,
Gerardus van Coldenberch,
Franco van Bulſtert,
Leonardus van Roosbeck,
Conradus van Benſenrode,
Arnoldus van Hoeven,
Chriſtianus van Rincberge,
Gerardus de Petershem,
Arnoldus van Eldren,
Pontius van Welkenhuyſen,
Henricus van Welkenhuyſen, Dominus de Clermont,
Wernerus de Gronſelt,
Balduinus de Mon-Jardin,
Gerardus vanden Bongart,
Euſtathius vanden Bongart,
Adamus vanden Bongart,
Guilielmus Dominus de Argenteau,
Petrus van Cortenbach.

Burgimagiſtri & Scabini Oppidorum.

Lovanienſis, Bruxellenſis, Antverpienſis, Buſcoducenſis, Trajectenſis ad Moſam, Thenenſis, Leeuwenſis, Nivellenſis, Dieſtenſis, Herentallenſis, Lirenſis, Arſchotenſis, Bredenſis, Sichenenſis, Bergizomenſis, Steinbergenſis & Geldonienſis, item Limburgenſis, Falcoburgenſis, Dalhemienſis, Rodenſis, Waſſenbergenſis, Gangeltenſis, Millenſis, Vuchtenſis, Kerpenſis, Lomeshemenſis, & Spremontenſis, ſalutem in Domino.

Notum ſit omnibus, Nos in bonum & commodum noſtri Ducis Joannis, qui eſt primogenitus Antonii quondam Ducis noſtri, piæ

piæ memoriæ, unanimiter inter nos conclusisse, quòd futuris temporibus perpetuò manebimus uniti & indivisi; quodque pro defensione Ducis nostri & Patriæ omnes & singuli vitam & bona nostra impendemus..... In quorum fidem sigilla nostra his Litteris appendi jussimus.

DATUM anno millesimo quadringentesimo decimo quinto, die 4. Novembris. 1415.

BRABANTIÆ & Limburgi, aliarumque Transmosanarum Provinciarum Ordines, ab insidiis hostilibus sibi metuentes, anno 1415. fœdus istud inter se inierunt, cùm ANTONIUS Burgundus, Brabantiæ & Limburgi Dux, Philippi Audacis filius, pro Francis contra Anglos pugnans in prælio Blangiacensi cecidisset; duobus filiis minorennibus post se relictis, JOANNE IV. Lovaniensis Academiæ Conditore, & PHILIPPO. Quibus sine sobole defunctis, fratruelis PHILIPPUS BONUS, Burgundiæ Dux Flandriæque Comes, anno 1430. successit.

CAPUT CXV.

MAXIMILIANUS BERGIUS, *Cameracensis Episcopus, in Campania Brabantiæ Gelense Canonicorum Collegium anno 1562. instituit; petente Henrico Merodio, VVesterloæ, Petersemii, Lesdaliæ, Dusseliæ ac Gelæ Domino.*

MAXIMILIANUS à Bergis, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus & Dux Cameracensis, Sacri Imperii Princeps, Comes Cameracesii, universis & singulis præsentes inspecturis salutem in Domino.

INTER varias sollicitudines, quibus undique noster circumseptus est animus, illa præsertim nostro insidet cordi, ut ea quæ pro divini cultûs augmento, veterisque nostræ Religionis Catholicæ conservatione providè constituta sunt, nedum nostris sint firma temporibus, sed & posteris quoque illibata persistant, pro nostri officii Pastoralis debito solerter intendamus.

SANE nuper dilectus nobis in Christo Nobilis & generosus Dominus, HENRICUS à Merode, Baro de Merode, Petersem, Peruwes, Duffele & Lesdale, Dominus de Westerlo, Gele &c. suâ nobis supplicatione exposuit;

QUALITER aliàs bonæ memoriæ ROBERTUS de Croy, eâdem gratiâ Episcopus & immediatus Prædecessor noster, dum vixit, ad humilem & devotam supplicationem Nobilium & generosarum personarum, MARGARETÆ de Melun, relictæ quondam Domini (1) Joannis à Merode, etiam Baronis de Merode, ac Domini JOANNIS à Merode, filii ipsorum unici, ejusque Conthoralis Dominæ ANNÆ de Gistella, septem Horas canonicas, in Sacello Beatæ DIMPNÆ Virginis & Martyris in libertate GELENSI, per novem Presbyteros, ac Rectorem scholarium, & quattuor Chorales decantandas, nec non Vicarios, qui per eosdem novem Presbyteros, & Rectorem scholarium, quorum unus Director nuncupatur, auctoritate ordinariâ erexit & instituit;

PROQUE illarum erectione, fundatione & dotatione, Personatum Ecclesiæ Divorum Amandi & Dimpnæ, cujus collationem seu præsentationem dictus quondam Dominus Joannes à Merode, occasione Dominii sui temporalis dictæ libertatis, ad se spectare prætendebat, perpetuò suppressit & exstinxit;

ILLIUSQUE, necnon certorum aliorum beneficiorum fructus, reditus & proventus, multaque alia bona temporalia, per præfatos supplicantes & fundatores ad effectum prædictum donata & relicta, eidem Sacello perpetuò applicavit & incorporavit, Confirmatione Apostolicâ desuper subsecutâ, ac Jure Patronatûs laïcalis dicto Domino temporali loci, pro tempore existenti, tam Apostolicâ quàm Ordinariâ Auctoritatibus perpetuò reservato: prout hæc & alia in Litteris desuper confectis latiùs constare dignoscuntur.

VERÙM cùm citra præfatam erectionem dictarum Vicariarum, fructus non parum aucti sint, ipsaque Libertas Gelensis locus sit admodum populosus, & Sacellum prædictum valdè celebre, & ad quod quàm plurimi, ab immundis & malignis spiritibus obsessi, confluere, atque inibi per Dei gratiam liberari solent, si præfatum Sacellum in Collegiatam erigeretur Ecclesiam, ex hoc profectò divinus cultus & populi devotio non parum augeri operarentur, dictarumque Horarum Canonicarum institutio magis ac magis stabiliretur & consolidaretur.

AC proinde etiam ipse Dominus HENRICUS, pro augmento fundationis dictarum Horarum Canonicarum, & ut Decanus & Canonici ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ, noviter erigendæ, juxta statûs sui exigentiam & honestatem, commodiùs sese intertenere, ac Divinis Officiis vacare possent, & reditum annuum & hereditarium centum florenorum Rhenensium communium, quolibet ad viginti stuferos monetæ Brabantiæ æstimato, dictæ futuræ Ecclesiæ Collegiatæ, seu Decano & Canonicis ejusdem Ecclesiæ donare paratus esset, & ex nunc ad effectum novæ erectionis ejusmodi, & non aliter, sub certis modis & conditionibus, in Instrumento publico desuper confecto latiùs expressis, donatione inter vivos irrevocabiliter donavit.

QUAPROPTER idem Dominus Henricus nobis humiliter supplicavit, ut antedictum Sacellum in Ecclesiam Collegiatam, ac Vicarios in Decanum & Canonicos, Jure Patronatûs, ac aliàs sibi & Successoribus suis, juxta modum & formam dictæ primæ fundationis, erectionis & institutionis, similiter reservato, creare & instituere dignaremur.

Nos

Nos itaque viso ac diligenter inspecto tenore dicti Instrumenti donationis, & considerantes præterea fructus, reditus & proventus dictarum Vicariarum, citra illarum primævam fundationem & erectionem, non parum auctos esse, maturis super his deliberatione & consilio præhabitis, ad præfati Nobilis & generosi Domini Henrici à Merode Baronis, Domini Libertatis Gelensis, humilem & devotam supplicationem & instantiam, in honorem Dei omnipotentis, Beatissimæ Mariæ Virginis, ac S. Dimpnæ Virginis & Martyris, Sacellum prædictum in COLLEGIATAM Ecclesiam, ac Vicarias in Canonicatus & præbendas, Auctoritate nostrâ ordinariâ, erigendum duximus & erigimus; dictosque Directorem & Vicarios in Decanum & Canonicos, qui simul unum corpus seu Capitulum facient, creamus & instituimus per præsentes, ipsosque Decani & Canonicorum titulis, insigniis, honoribus & præeminentiis decoramus;

JURE Patronatûs, & quolibet alio jure dicto Domino temporali loci, ejusque Successoribus, juxta normam & formam in antecedente primæ fundationis & erectionis litteris contentam, quo ad collationem, institutionem & destitutionem illorum, ac aliàs perpetuò reservato; prout & Nos quoque Auctoritate nostrâ prædictâ eidem Domino loci, pro tempore existenti, perpetuò reservamus:

SIC tamen, ut si ex aliorum quoque Christi fidelium devotione seu liberalitate, contigerit fructus, reditus & proventus dicti Collegii in tantum augeri, quòd ad duodecim Canonicatuum & Præbendarum numerum sese extendere possent, dictum Collegium eò usque deberet & posset augmentari:

ET si quis Canonicorum, Presbyterorum vel aliorum Christi fidelium, bona sua vel reditus valoris centum florenorum Rhenensium communium, ad præbendam unam in dicta Ecclesia fundandam contulerit, quòd is possit unum notum & idoneum Sacerdotem vel Clericum ad Canonicatum & præbendam nobis seu Successori nostro, pro tempore existenti, præsentare: quem quidem per nos admissum ipse Decanus & Capitulum recipere debebunt (cum bonis ad illum, ut præmittitur, collatis) in Canonicum & Confratrem.

STATUENTES & ordinantes, quòd præfatus Decanus pro tempore curam habebit animarum dictorum Canonicorum, suorum Confratrum, ac Rectoris Scholarium, Custodis, & familiarum suorum domesticorum, aliorumque dictæ Ecclesiæ Ministrorum, actu servientium, illisque ac peregrinis & ægrotis, eò confluentibus & degentibus, quoties illa petierint, per se vel Vicarium suum, ecclesiastica ministrabit Sacramenta.....

ITEM similiter statuimus & ordinamus, quòd præfatus Decanus & Canonici singulis annis tenebuntur celebrare duo anniversaria: quorum quidem alterum singulis annis eo die, quo ipsum Dominum Henricum ab hoc sæculo migrare continget, & alterum in die obitûs quondam Dominæ FRANCISCÆ de Brederode, suæ Conthoralis, die 7. Martii celebrabunt....

IN quorum omnium fidem & testimonium præsentes Litteras manu nostrâ signatas conscribi, & per fidelem nobis dilectum Consiliarium & Secretarium nostrum subscribi, nostrique sigilli munimine jussimus roborari. Datum & actum Bruxellæ, dictæ nostræ Diœcesis, anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Indictione quintâ, 1562.
Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pii Divinâ Providentiâ Papæ quarti anno tertio.

IN eadem Campania Brabantiæ HENRICUS à Bavaria, electus Episcopus Leodicensis, Ecclesiam EINDOVIENSEM in Collegiatam IX. Canonicorum, anno 1399. erexit; petente Gulielmo à Milenberch, ejusdem Oppidi, itemque septem Fontium & Cranendonci Domino, & dotem augente Joannâ Brabantiæ Ducissâ.

HOCHSTRATI item anno 1531. CLEMENS VII. Papa in Parochiali S. Catharinæ Templo Canonicorum XII. Collegium instituit; Antonio Lalaino, primo Comite Hochstratano, ejusque consorte Isabella Culenburgica, postulantibus ac dotantibus. Ex his præbendarum quatuor collatio ad Decanum & Canonicos Antverpienses pertinet, reliquarum verò ad Comitem Hochstratanum.

(1) JOANNES DE MERODE, Gelæ Dominus, Capellaniarum Gelensium Fundator, obiit anno 1550, non relictâ sobole è Conjuge sua Anna Gistellia. Plura de illo, & Stemmate Comitum Merodiorum, Marchionum Westerloæ &c. supra asseruimus Lib. I. Diplom. Belgic. cap. 109.

FINIS.

AUBERTI MIRÆI
DONATIONUM BELGICARUM
LIBRI DUO.

NOBILISSIMO VIRO

D. FERDINANDO DE BOISSCHOT,

EQUITI ORDINIS MILITARIS S. JACOBI,

REGI CATHOLICO A CONSILIIS STATUS,

SENATUS SANCTIORIS ET BELLI,

BARONI DE SAVENTHEM,

DOMINO DE STERBEKE ET NOSSEGHEM,

CANCELLARIO BRABANTIÆ, &c.

BELGICAM noſtram, Julii Cæſaris potiſſimùm armis ſubactam, Romani ad annum uſque ſalutis quadringenteſi- 410.
mum decimum tenuerunt: quo tempore FRANCI, Germaniæ populi, Romanorum præſidiis, qui ad Rhenum & Moſam arces coloniaſque frequentes habebant, loco pulſis, fixam in Gallia demùm ſedem ac domicilium collocarunt. Primus cis Rhenum Pharamundus Rex Francorum exſtitit: cujus Succeſſor Clodio Cameracum, Tornacum & Nemetacum ſeu Atrebatium Urbem Romanis eripuit. Clodionem Merovæus, hunc Childericus excepit: Childerici Filius CLODOVÆUS, Romanis universâ Galliâ pulſis, regnum ad Pyrenæos uſque montes propagavit, & S. Vedaſto, pòſt Atrebatium Antiſtite, doctrinæ Evangelicæ facem præferente, primus Regum Francorum Religionem Chriſtianam ſuſcepit.

Francorum porrò regnum longè latèque propagatum in Auſtraſiam

& Neustriam seu Westrasiam ipsi diviserunt. AUSTRASIÆ, secundùm Reges, amplissimâ potestate Duces olim præfuerunt; qui & rem omnem militarem administrabant. Ex iis Præfectos Palatio, quos MAJORES DOMUS appellabant, legi moris erat. Tales fuerunt Pipini tres, Grimoaldus, Ansigisus, Carolus Martellus & alii, quos primos inter Brabantiæ nostræ Duces vulgò numerant.

Austrasiæ vocabulo exinde suppresso, ea ipsa Provincia à Lothario, Lotharii I. Imperatoris filio, LOTHARINGIÆ nomen induit: quam primò Reges, posteà Duces gubernarunt. Sectâ denique Lotharingiâ in Mosellanam seu superiorem, & Ripuariam seu inferiorem; Mosellanis,
959. anno nongentesimo quinquagesimo nono, à Brunone Coloniensi Archiepiscopo, Othonis I. Imperatoris fratre ac Vicario, Dux fuit datus FREDERICUS: ut Flodoardus in aureo suo Chronico commemorat.

Lotharingiæ verò nostræ inferioris Dux primus ab Othone II. Impe-
977. ratore anno nongentesimo septuagesimo septimo renuntiatus fuit CAROLUS, Ludovici Francorum Regis & Gerbergæ filius, qui Bruxellam, Aulâ suâ ac domicilio in Sennæ fluvii insulâ collocato, primus nobilitavit, & S. Gudilæ Virginis sacra ossa, ex Morsella agri Alostani vico, eòdem transtulit.

OTHONE, Caroli filio, sine liberis defuncto, GODEFRIDI septem, continuâ ferè serie, Principatum apud nos gesserunt: quos inter GODEFRIDUS BULLONIUS, illud belli sacri fulmen, emicuit. Huic *impigro & ad rem militarem acerrimo adolescenti* (ut Lambertus Scafnaburgensis in Chronico loquitur) Henricus IV. Imperator Ultrajecti existens an-
1076. no millesimo septuagesimo sexto Marcam ANTVERPIENSEM, & an-
1089. no millesimo octogesimo nono Ducatum LOTHARINGIÆ nostræ inferioris contulit.

1096. Itum est postea, magno Principum nationumque Christianarum concursu, in Turcos & Saracenos. Bullonius itaque noster, eodem zelo accensus, ut expeditionem suam Deo & S. Michaëli, militiæ cælestis Principi, commendaret, Antverpiæ Collegium XII. Canonicorum in ejusdem Archangeli æde instituit ac dotavit; quod inde ad Basilicam Marianam postea translatum, & decursu temporis auctum, nunc est Cathedrale. Exinde nummos in usum belli pii colligens, Otberto Leodicensi Episcopo arcem suam ac ditionem Bulloniensem, sibi ab avunculo GODEFRIDO GIBBOSO, Lotharingiæ nostræ itidem Duce, testamenti tabulis relictam, vendidit; majore alienantis quàm ementis gloriâ. Cum BALDUINO itaque fratre, BALDUINO Hannoniæ Comite, HUGONE S. Pauli Comite, ejusque filio ENGELRAMO, HENRICO & GODEFRIDO Ascanis, Fratribus Brabantis, & aliis proceribus plurimis, sacrum iter aggressus, Germaniâ & Hungariâ peragratâ, per Bosphorum Thracium in Asiam transmisit, & Antiochiâ ceterisque urbibus ad deditionem compulsis, demùm Hierosolymam subegit; omnium nationum con-
1100. sensu Rex ibidem paulò pòst renuntiatus. Cui quidem anno MC. ad meliorem vitam evocato BALDUINUS Frater in regno est succenturiatus. Scilicet hoc piorum armorum ipsis præmium in terris fuit.

Crescen-

Crescentibus posteà animis, Brabanti, Flandri, Frisii & alii Germaniæ inferioris populi, ducentarum navium classe per fretum Herculeum in Syriam navigaturi, cùm ad Hispaniæ littora appulissent, *Olisiponem* Lusitaniæ metropolim & *Silvam* Algarbiæ Urbem, Duce JACOBO AVESNENSI, viro fortissimo, Mauris eripuerunt. Nec his contenti (ne quid scilicet in Oriente intactum relinquerent) Constantinoplim, Cæsarum Græcorum sedem, vi expugnarunt; BALDUINO Flandriæ 1204.
Hannoniæque Comite primùm, pòst ejus Fratre HENRICO ad Imperii solium evectis.

Horum & aliorum laudatissimorum Principum nostrorum DONATIONES, & alia effusæ ergà Ecclesias liberalitatis monumenta (quæ Amplissimis Viris, PETRO PECQUIO Brabantiæ, & HENRICO UWENO Gelriæ, Cancellariis hortantibus atque adjutantibus, ex archivis cùm publicis tum privatis magno labore ac studio collegi) unum in corpus digesta, Notisque illustrata nunc profero: ut fabellæ & commenta, quæ de multarum apud nos Ecclesiarum ac Principatuum originibus ab hominibus malè feriatis temerè conficta leguntur, Tabularum istarum publicarum fide ac testimoniis, quibus nihil certius aut fidelius, prorsus eliminentur ac jugulentur.

Itaque non hîc Priamos Tungri, Brabones Brabanti, Forestarios aut Bucquios Flandri, Alberones Hannonii, aut Melusinas Luxeburgii reperient. At verò suum hîc *Berengarium* sub Ludovico Pio Imperatore Comitem Flandria; *Rothingum*, Gothilones & Godefridum Bullonium Antverpia; *Ragineros* quatuor ex ordine Comites Hannonia; *Lambertum* Ragineri I. & Albradæ filium, itemque *Ansfridum* Bratuspantium Comitem Urbs Lovaniensis, velut ab inferis revocatos agnoscent. *Sigifridos* duos Luxeburgum; *Arnulfum*, Othonem & Albertum Comites Chiniacum; *Henricum*, Philippum & Godefridum Vianda; *Albertos* tres Namurcum; *Eustathios* totidem Bononia; *Robertos* VI. Betunia; *Balduinos* ditio Alostana; *VVicmannum* & Theodericum Ganda; *Amalricos* Flandriæ Constabularios Ninovia; *Rasones* Gavera; *VValteros* Mechlinia, Grimberga & Angia; suos item Comites Valentianæ, Gisnæ, Marca, Arschotum, Cudica & Bellus Mons; suos denique Toparchas Falcoburgum, Avesnæ, Arda, Gasbeca, Peruiciacum, Distemium, Breda, Bergæ ad Zomam, Trasiniacum, Asca, & alia alibi Oppida velut redivivos amplectentur. Quorum quidem tot Illustrium Principum atque Heroum non dico res gestas, sed ne nomina quidem hodie haberemus, nisi Diplomata seu Tabulæ ab ipsis scriptæ aut signatæ nobis ea conservassent, atque ad omnem posteritatem transmisissent.

Ceterùm poterunt, ut spero, his antiquissimis documentis etiam illi moveri, qui hodie bellum impium Religioni & Regi Catholico movent. Quem enim ad veterem ac veram Religionem colendam non excitent tot Imperatorum, Regum, aliorumque Principum exempla, & piæ munificentiæ monumenta? Quem ad Providentiæ Divinæ admirationem non rapiat regionis olim silvis horridæ ac paludibus inaccessæ, nunc præ ceteris orbis terræ Provinciis florentissimæ consideratio? præsertim cum vi-

det omnem iſtam felicitatem doctrinæ Chriſtianæ deberi? quæ poſtquam admiſſa fuit, non tantùm effecit, ut idola tollerentur, ſed ipſos quoque homines ad cultiorem vitæ rationem traduxit, ut Carbonariam aliaſque ſilvas exciderent, Morinorum Friſiorumque paludes exſiccarent, & Urbes, quæ paucæ aut nullæ anteà fuerant, exſtruerent. Hinc Audomaropolis, Giſlenopolis, Amandopolis, Trudonopolis, & alia tot illuſtria Opida, quæ ab ipſis Divis nomen acceperunt.

Sed ſtilum ſiſto, & hunc Sacræ ac Politicæ Antiquitatis Theſaurum (ſine jactantia ſic appellare liceat) à duobus præſtantiſſimis Cancellariis pro parte erutum, in ſinu veſtro, NOBILISSIME DOMINE, qui eamdem dignitatem ſumma cum laude obtines, depono. In illo, inquam, ſinu, in quo PHILIPPUS Rex Catholicus, & ALBERTUS Archidux (quanti Principes!) graviſſima Reipublicæ Chriſtianæ negotia feliciſſimo ſucceſſu depoſuerunt, cùm Britannicâ primùm, pòſt Gallicâ Legatione fungereris: in cujus denique, velut Atlantis Belgici, humeris tota moles nunc recumbit. De FRANCODALIÆ deditione, & ſpontanea Anglorum inde migratione procurata, cùm extraordinariam in Britannia legationem obires, adeoque de Palatinatu nobis aſſerto; de Ærario publico Veſtrâ induſtriâ ac ſolertiâ difficillimis temporibus toties aucto; de munere Judicis Militaris ſummâ æquitate ac prudentiâ tot annis adminiſtrato, nihil dico: quia Modeſtia veſtra id vetat. Deum rogo, ut annorum & honorum incrementa donet, communi Eccleſiæ ac Reipublicæ bono. Antverpiæ x. Kal. Aprileis M. DC. XXIX.

Nobiliſſimæ Dominationis Veſtræ

Studioſiſſimus

AUBERTUS MIRÆUS.

A U-

AUBERTI MIRÆI DONATIONUM BELGICARUM LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

S. MARTINUS *Papa & Martyr. Monasterio Blandiniensi* (*quod hodie S. Petri dicitur, & est Benedictinorum illustris Abbatia juxta Gandavum*) *circa annum 651. Privilegium libertatis & immunitatis concedit*; *postulante S. Amando, Tungrensi seu Trajectensi ad Mosam Episcopo.*

MARTINUS Episcopus, ultimus servorum Dei, omnibns Deum diligentibus salutem. De quotidiano Sanctæ Matris Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ profectu ac multiplicatione gaudere debemus, atque in vinea Domini pro mercede laboris operantibus auxilium ferre debemus.

UNDE notum fore volumus Sanctæ universalis Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quàm & futuris, qualiter sanctæ dilectionis nostræ filius AMANDUS, cum consensu & petitione carissimi filii nostri...... memoriæ DAGOBERTI Francorum Regis, sive filii ejus SIGEBERTI, Privilegium auctoritatis nostræ expetierit de quodam Cœnobio, quod ipse, deliminatis gentilium spurcitiis, fundo tenus exstruxisse dignoscitur; cui nomen BLANDINIUM indidit, quodque etiam ab ipso consecratum est in honore Beatissimi Apostolorum Principis Petri, Doctorisque gentium Pauli; situm inter decursum duorum fluminum *Scaldis* & *Legiæ*.

PRIVILEGIUM quidem sanctæ auctoritatis nostræ, nostris futurisque temporibus, memorato loco indulgemus, ordinamus atque firmamus de stabilitate ipsius loci, de Villis & Facultatibus, de Ecclesiis & Ecclesiarum decimis, sive familia, & de quibuscumque stipendiis specialiter inibi Deo servientium, & Ecclesiæ ornamentorum, atque luminariorum, ac matriculariorum, hospitum, atque pauperum, juxta petitionem carorum nostrorum præcellentissimorum Regum, Dagoberti atque filii ejus Sigeberti, nostrâ Apostolicâ auctoritate stabilimus, corroboramus, & inconvulsa statuimus.

DECREVIMUS itaque, ut liceat regulari Abbati FLORBERTO, ad præsens inibi subrogato, vel constituto à filio nostro Amando, tam ipsi, quàm in reliquum futuris Abbatibus, in universis utilitatibus loci, divino solatio, ita omnia disponere & ordinare, absque ullius contradictione vel refragatione, ut liberè invigilent mandatis Domini (1) secundùm Regulam S. Benedicti.

SI quis verò (quod non optamus) temerario ausu contra hujus nostri Privilegii Apostolici publica scripta agere præsumpserit, reum se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; ac à Sacratissimo Corpore & Sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque perinde in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jus servantibus, & de suis bonis locum ditantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hìc fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Judicem præmium æternæ pacis inveniant.

SCRIPTUM per manum STEPHANI Notarii & Regionarii, & sacri Scrinii S. Romanæ Ecclesiæ, in mense Januario, (2) Indictione secundâ. Datum XIV. Kalendas Februarii, per manum Amandi Episcopi, Theatrapi Sanctæ Sedis Apostolicæ.

CAPUT

SAncti MARTINI Papæ & Martyris, cujus Diploma jam recitavimus, dies natalis ab Ecclesia quotannis celebratur die 12. Novembris, postridie Festivitatis S. Martini Turonensis. Quoto autem Christi anno ad Pontificatum pervenerit, & obierit, ex Anastasii Bibliothecarii Chronico Parisiis edito, contra Baronii calculum, hæc habe:

Anno 649. Theodorus Papa moritur, & Martinus in Julio ordinatur. Anno 653. Martinus Papa in exilium abducitur, & ejus loco Eugenius ordinatur in Septembri. Anno 655. exul moritur.

De SS. AMANDO & FLORBERTO vide nostros Fastos Sanctorum Belgii; de Amando diem 6. Februarii; de Florberto diem 1. Novembris.

(1) SECUNDUM Regulam S. Benedicti. Dubito an sit glossema, à posterioris ævi manu seu calamo.

(2) INDICTIONE secundâ. Est hìc vitium in numero Indictionis; ut & capite sequenti.

CAPUT II.

Idem S. MARTINUS *Papa Monasterio Elnonensi in Diœcesi Tornacensi (quod hodie S. Amandi dicitur, & est Benedictinorum Abbatia) circa annum 651. dat Privilegium Libertatis & Immunitatis; petente eodem S. Amando.*

MARTINUS Episcopus, ultimus Servorum Dei, omnibus diligentibus Deum salutem. De quotidiano Sanctæ Matris Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ profectu ac multiplicatione gaudere debemus, atque in vinea Domini pro mercede laboris operantibus auxilium ferre debemus.

UNDE notum fore volumus Sanctæ Universalis Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quàm & futuris, qualiter sanctæ dilectionis nostræ filius AMANDUS, cum consensu & petitione carissimi filii nostri ..... memoriæ DAGOBERTI Francorum Regis, sive filii ejus SIGEBERTI, Privilegium auctoritatis nostræ expetierit, de quodam Cœnobio, cui HELNONIS indidit nomen, quodque etiam ab ipso consecratum est in honore Beatissimi Apostolorum Principis Petri, Doctorisque Gentium Pauli, intra decursum duorum fluminum *Scarp* & *Helnonis*.

PRIVILEGIUM quidem sanctæ auctoritatis nostræ, nostris futurisque temporibus, memorato loco indulgemus. Ordinamus itaque atque firmamus de stabilitate ipsius loci, de villis & facultatibus, de Ecclesiis & Ecclesiarum Decimis, sive familia, & de quibuscumque stipendiis specialiter inibi Deo servientium.

INTERDICIMUS autem, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & ex auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis prohibemus, cujus vice huic Ecclesiæ Romanæ, auctore Deo, præsidemus, ut nullus Episcoporum ultra præsumat de reditibus, rebus vel chartis eorum, vel villis quocumque modo, quâlibet exquisitione minuere, nec dolos vel immissiones aliquas facere, nec illorum ingredi Monasterium, neque placita, nec aliud quid facere. Sed si quâ causâ fortè inter terram venientem ad partem .... Ecclesiæ & Monasterii evenerit, & pacificè non potuerit ordinari, apud electos Abbates & alios Patres timentes Deum, sine voluntaria dilatione, mediis Sacrosanctis Evangeliis, finiatur.

DEFUNCTO verò Abbate, non extraneus, nisi de eadem Congregatione, quem sibi concors Congregatio elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo & venalitate aliqua ordinetur. Pariter autem custodiendum est, ut invito Abbate ad ordinanda alia Monasteria, aut ad Ordines sacros vel Clericatûs officium tolli exinde Monachi non debeant. Sed si abundantes fuerint, qui ad celebrandas Dei laudes vel utilitates loci complendas sufficiant; de his, qui superfuerint, offerat Abbas coram quos dignos potuerit. (1) Quisquis autem ex Monasterio ad Ecclesiasticum Ordinem pervenerit, ulteriùs illic nec potestatem nec licentiam habeat habitandi.

MISSAS quoque publicas ab Episcopo in eodem Cœnobio fieri omninò prohibemus, ne in Servorum Dei recessibus, & eorum receptaculis ulla popularibus præbeatur occasio conventiculi; nec audeat Cathedram ibi collocare, vel quamlibet potestatem imperandi, nec aliquam Ordinationem quamvis levissimam faciendi habeat, nisi ab Abbate ejusdem loci fuerit rogatus: quatenus Monachi semper maneant in Abbatis sui potestate.

HANC ergo Scriptorum nostrorum Paginam, omni in futuro tempore, ab omnibus Episcopis firmam statuimus illibatamque servari; ut & suæ Ecclesiæ, juvante Domino, suo tantùm sint jure contentæ, & Abbas jam dicti Monasterii atque Monachi Ecclesiasticis conditionibus, seu angariis, vel quibuslibet obsequiis sæcularibus nullo modo subjaceant, nullis Laicis viris deserviant; sed remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiant.

QUICUMQUE ergò in Apostolicis Constitutionibus sincerâ dilectione observator extiterit, benedictionem & misericordiam à Domino percipiat. At qui ea, quæ Apostolica Sedes stabilivit,

DIPLOMA istud, ex vetusto Martyrologio manuscripto Monasterii S. Amandi, ad Elnonem sive Helnonem fluviolum siti, fideliter depromptum, ad nos misit Georgius Colvenerius, Doctor Theologus & Cancellarius Academiæ Duacensis. Quod unà cum Diplomate Blandiniensi, paulò antè recitato, luce ac typis dignum judicavimus; eò quòd neutrum extet in Tomis Conciliorum & Epistolarum Pontificiarum. Legitur tamen in iis aliud ejusdem S. Martini Papæ Rescriptum ad S. Amandum, quod & Baronius Tom. 7. Annalium recitat.

(1) QUISQUIS ex Monasterio ad Ecclesiasticum Ordinem pervenerit. Florentius Haræus lib. 2. de Castellanis Insulensibus cap. 2. hinc rectè colligit discrimen inter Clericatum & Monachatum apud Veteres.

Additio. Circa annum 1655. gravis mota fuit lis inter Franciscum Gandavillanum Episcopum Tornacensem, & Nicolaum Du Bois Abbatem Elnonensem, pro Exemptione à jurisdictione Episcopali. Abbas pro se allegavit hoc Diploma Martini Pontificis, quod multis utrimque scriptis examinatum & agitatum, de falsitate suspectatum fuit. Episcopus verò per sententiam obtinuit, ut Abbas & Conventus Elnonensis suæ jurisdictioni deinceps subjicerentur.

livit, pro nihilo ducere atque violare tentaverit, Beati Petri Apostolorum Principis, nostrique Apostolatûs Auctoritate, anathematis vinculis irretitus, ut sacrilegus à sinu Matris Ecclesiæ, & participatione Corporis & Sanguinis Christi separatus, cum diabolo & angelis ejus sententiam damnationis accipiat.

Scriptum per manum Stephani Notarii & Regionarii & Sacri Scrinii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Januario, Indictione secundâ.

Datum decimo quarto Februarii, per manum Amandi Episcopi, Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ.

CAPUT III.

Testamentum S. Leodegarii *Episcopi Augustidunensis & Martyris, scriptum, in favorem Ecclesiæ suæ Cathedralis. Anno* 671.

Ego (1) Leodegarius, etsi indignus Heduorum Episcopus, septimo Episcopatûs mei anno, considerans varias rerum mutationes, sed & inevitabilem mortis terminum, ac formidabilem Judicii & cunctis tremendam districti Judicis horam, simulque pro his & hujusmodi ad illam disciplinam recurrens, quæ præit Lucæ VI. *Date, & dabitur vobis*, & Lucæ XVI. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, qui vos recipiant in Cœlis*, & illud recordans Sapientiæ XIII. monentis: *Redemptio animæ viri, divitiæ ejus*. & Ecclesiastici III. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum:*

Pro amore divinitatis, pro remissione peccatorum, pro recordatione Domini Clotharii, & Baldechildis Reginæ, nec non pro statu Regis Theoderici, & Regni, & cunctorum Procerum ejus, præcipuè pro his, qui in dicendis rebus conquirendis adjutores, donatores & conlaboratores nobis extiterunt;

Dono, trado, transfundo, heredem statuo Ecclesiam (2) B. Nazarii, titulum mei Præsulatûs, de rebus meis, hoc est, de *Mariniaco* Villa, quæ jacet super Iconem fluvium, quam mihi dicta Regina de proprio suo in proprium meum delegavit, & per Regale instrumentum chartæ habere concessit, nec non de *Tilionaco* Villa, quæ de jure materno ab Avis & Proavis mihi competit, & est supra fluvium Sagonam, ac de *Canapis* Villa, quam de Bodisuno & Sigrada Deo devota conquisivi, cujus terra sita est tam infrà quàm citrà Divionem Castrum.

Quas Villas & Capellas, cum suis servis utriusque sexûs, terris, vineis, pratis, aquis, stagnis, cursibus, recursibus, silvis, pascuis, majoris peculii vel minoris, de statu proprio nostro, in statum matriculæ nostræ, quam ad ostium Ecclesiæ S. Nazarii fabricavimus, cum omnibus appendiciis, delegamus, secernimus, transfundimus: eâ ratione ut tam à Præposito ejusdem Ecclesiæ Barcario, quàm à Successoribus ejus, quos nostri Successores Pontifices ordinaverint, quadraginta Fratres quotidiana diaria & stipendia omni tempore accipiant; ut liberiùs pro salute Regni & Principum, ac totius orbis Deum deprecari possint.

Si verò ullus majorum heredum vel minorum nostrorum, aut alicujus personæ homo, hanc nostram & communem eleëmosynam, & hujus instrumenti Chartam violare præsumpserit, ut reus Majestatis noverit se, coram Majore Palatii, vel capite vel centum libris auri mulctandum. Episcopis autem Successoribus nostris hæc deservire volumus, sicut & plura in partem eorum contulimus, & sicut hæc coram Deo digna consideraverint.

Si verò deinceps alicujus obstinatio contra hæc se erexerit, noverit se etiam quinquaginta quatuor Episcoporum, qui à Principibus nostris *Kaco* congregati sunt (quibus præsentibus, vel quorum consilio hanc Donationem Ecclesiæ Matriculæque nostræ celebravimus) & nostrâ, quamvis extremâ auctoritate, excommunicatum, & in invocatione S.Trinitatis, ex parte B. Petri Apostolorum Principis, cum Juda traditore Domini (qui habens loculos res Domini furabatur, & pauperum) æternaliter damnandum: & cum Chore, Dathan & Abyron, quos vivos terra absorbuit, insuetâ & desperabili morte, in omnium viventium terrorem, nisi dignâ satisfactione resipuerit, profligatur in æternum puniendus. Amen, amen.

Acta publicè, tertio anno Regni Theoderici Regis. 671.

Ego Leodegarius huic Donationi, factæ sub anathemate, subscribo, & manu propriâ firmo.

CAPUT

(1) Sanctus Leodegarius, Donationi à S. Bercario factæ, Childerico regnante, Remis subscripsit; exstatque apud Camuzatum in Antiquitatibus Trecensibus. Ebroini Aulæ Magistri jussu, anno 672. crudelissimè necatus fuit, in agro Atrebatensi. Vide Baldericum in Chronico Cameracensi lib. 1. cap. 20. & 21. & Fastos nostros Belgicos ad diem 2. Octobris.

(2) B. Nazarius, fuit primus Heduorum seu Augustidunensium Episcopus: de quo Sirmondus in Notis ad Ennodium.

CAPUT IV.

LUDOVICUS PIUS *Imperator dat fundum, ad amplianda & dilatanda Claustra Canonicorum Tornacensium, petente VVendilmaro Episcopo Tornacensi, anno* 818.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. LUDOVICUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Notum sit .....

QUIA postulavit nobis Vir Venerabilis (1) WENDILMARUS, Tornacensis Urbis Episcopus, ut terras quasdam fisci nostri in eadem Urbe ei, in amplianda & dilatanda Claustra Canonicorum, in nostra eleëmosyna concederemus; Nos itaque ad hoc inspiciendum, Venerabilem Abbatem *Irmionem* & *Igobertum* & *Hartmannum*, Missos nostros, direximus, qui & provideant de terra habente in circuitu ..... pro mercedis nostræ augmento, & reverentia ipsius sancti loci, secundùm dimensionem tradere libuit, ut in ditione Ecclesiæ consistant.

DATUM XII. Kalendas Decembris, Aquisgrani, in Palatio Regio, anno Imperii nostri quarto, Indictione undecimâ, in Dei nomine 818. feliciter, amen.

(1) DE Wendilmaro Tornacensi ac Noviomensi Episcopo consulatur Cognatus in Historia Episcoporum Tornacensium.

CAPUT V.

Missi Dominici & Comites circa annum 830. *à* LUDOVICO PIO *Imperatore in variis Provinciis ac Diœcesibus sunt constituti; & nominatim Berengarius Comes in Diœcesi Noviomensi ac Tornacensi.*

NOMINA locorum, in quibus Missi Dominici legatione funguntur.

IN (1) Vesontio, quæ est Diœcesis Bernoini Archiepiscopi, Heiminus Episcopus, & Monogoldus Comes. In Mogontia, quæ est Diœcesis Heistulfi Archiepiscopi, idem Heistulfus Episcopus, & Rhuotbertus Comes. In Treveris Hetti Archiepiscopus, & Adalbertus Comes. In Colonia Hadaboldus Archiepiscopus, & Eemundus Comes.

IN Remis Ebo Archiepiscopus, quando potuerit; & quando ei non licuerit, (2) Rhuothadus Episcopus ejus vice, & Rhuofridus Comes, sint super sex videlicet Comitatus, id est, Remos, Catalaunum, Suessionem, Silvanectem, Beluacum, & Laudunum.

SUPER quattuor verò Episcopatus, qui ad eamdem Diœcesim pertinent, id est, Noviomagensem, Ambianensem, Teruanensem & Cameracensem, (3) Rangarius Episcopus, & BERENGARIUS Comes.

SENONES Hieremias Archiepiscopus, & Donatus Comes. Rotomagum Willebertus Archiepiscopus, & Ingotbertus Comes. Turonem Landramnus Archiepiscopus, & Rhuotbertus Comes. Lugdunum, Tarentasia & Vienna, Albericus Episcopus, & Richardus Comes.

SUnt hæc desumpta ex cap. 25. libri 2. Capitulorum Caroli Magni & Ludovici Pii, quæ Ansegilus Abbas Lobiensis in ordinem redegit. & Petrus Pithæus 1588. Parisiis evulgavit, & denuo edidit Baluzius.

Germanici Imperatores & Francorum Reges olim Provincias suas, in his & Belgicam nostram, per suos Missos (id est, Legatos seu Commissarios, ut hodie vocant) & per Comites regebant: ut ex Capitulis Caroli Magni, Ludovici Pii, Caroli Calvi, & aliorum constat.

Circa annum 830. Berengarius à Ludovico Pio *super quatuor Episcopatus, Noviomagensem, Ambianensem, Teruanensem, & Cameracensem Comes* constitutus fuit: ut Capituli jam producti verbis utar.

Ex quo manifestè colligitur, Balduinum Ferreum non fuisse primum Flandriæ Comitem; Forestarios item non fuisse Flandrorum Principes: quandoquidem Reges Francorum, ut Principes ac Domini, Belgicam nostram, ante Balduini Ferrei ævum, per suos Missos ac Comites rexerint. Quod quidem rectè ante nos observavit Florentius Haræus lib. 1. cap. 3. de Castellanis Insulensibus.

Cæterùm *Noviomagensis* seu Noviomensis Episcopatus (qui cum *Tornacensi* tunc erat unitus) illo tempore comprehendebat quidquid terrarum hodie ad Noviomensem in Francia, & ad Tornacensem, Gandensem & Brugensem in Flandria Diœceses pertinet. *Teruana*, jussu Caroli V. Imperatoris, anno 1553. funditùs excisa, suo ambitu continebat quidquid hodie Iprensis, Audomaropolitanus & Boloniensis Episcopi possident. *Cameracensis* Episcopatus, nunc Archiepiscopatus, comprehendebat quidquid hodie ad Cameracensem & Atrebatensem Diœceses spectat, cum parte terrarum ad Mechliniensem & Antverpiensem Diœceses nunc spectantium.

Toti huic terrarum tractui ut Comes præfuit BERENGARIUS, Ludovici Pii nomine; ut ex ejusdem Capitulis constat. Primus itaque Flandriæ Comes, cujus apud Veteres Scriptores fit mentio, fuit hic Berengarius: quod notare visum fuit contra errorem popularem, quo Balduinus Ferreus constituitur primus Flandrorum Comes.

(1) VESONTIO, Metropolis Sequanorum à Clarissimo

Viro

Viro Joanne Jacobo Chiffletio, amico nostro, accuratè descripta, est in omnium manibus; ut & *Moguntia* à Nicolao Serario. *Remorum* Antistites Flodoardus, & post ipsum Guil. Marlot, *Treverenses* Christophorus Browerus, *Bellovacenses* Antonius Oiselius, *Noviomenses* ac *Tornacenses* Joannes Cognatus, *Morinenses* Jacobus Malbrancq, *Cameracenses* & *Atrebatenses* Baldericus Episcopus Tornacensis, celebrârunt.

(2) RHUOTHADUS, Suessionensis Episcopus, infrà cap. 8. Rothadus.

(3) RANGARIUS, Ambianensis Episcopus, infrà cap. 8. Raginarius.

CAPUT VI.

LOTHARIUS *Imperator Harimalam in Hasbania, Filsurdum in Brabantia, & alias alibi Villas, Ecclesiæ B. Mariæ Aquisgranensis à Carolo Magno & Ludovico Pio datas, anno 844. confirmat.*

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, Dei æterni. (1) LOTHARIUS ordinante Divinâ providentiâ Imperator Augustus. Oportet Imperialem Sublimitatem..... ut Ecclesiarum ac Sacerdotum Dei utilitatibus, benignitatis suæ munere, faveat: quia si talibus semper studet negotiis, proculdubio & temporalem gloriosiùs transiet vitam, & æternam feliciùs obtinebit.

QUAPROPTER noverit omnium fidelium Sanctæ Ecclesiæ, ac nostrorum tam præsentium quàm futurorum industria, quia Vir Venerabilis LOTHARIUS Abbas, cui Cellulam in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ constructam ac fundatam in loco, nuncupante (2) *Novo Castello*, ad regendum commissam habemus, detulit obtutibus nostris quasdam Domini Avi nostri KAROLI præstantissimi Augusti, ac piæ memoriæ Genitoris nostri LUDOVICI, Serenissimi Imperatoris auctoritates. In quibus repperimus, qualiter ipsi ob amorem Dei & reverentiam ipsius sancti loci, eamdem Cellulam, cum omnibus ad se justè & legaliter pertinentibus vel aspicientibus, consistere facerent; & eorum immunitate hactenùs prædicta Cellula munita atque defensata fuisset.

CONTINEBANTUR in eisdem Præceptionibus nomina Villarum, quæ prædictæ Cellulæ subjectæ sunt, id est, in Pago Hasbaniæ (3) *Harimalla*, in Pago Texandrio *Bodilio*, in Pago Bracbantense (4) *Filsurdo*, in Pago Hainionense *Herinio*, *Hiriniolo*, *Kinneras*, *Waldriaco*, *Agimagas* & *Alto-porto*, in Pago Laumense (5) *Fraxino*, in Pago Leucroni Villa *Angeliagas*, mansos duos cum omnibus appendiciis vel adjacentiis eorum, & decima, vel censum, quæ Rectores ipsius Cellulæ annuatim accipiunt, id est, de Villis nuncupantibus in prædicto Pago Hainionense *Loveruna* & *Waldriaco*, & in Pago Hasbaniense *Awanlia* & *Imburcio*, unde memorata Cellula decimam vel censum suscepit, ut perenniter in ditione prædictæ Cellulæ subsisteret: sed pro majoris securitatis securitate petiit jam dictus Lotharius Clementiam nostram, ut easdem auctoritates denuò per nostræ Serenitatis Præceptum confirmaremus.

CUJUS petitioni, ob amorem Dei ac reverentiam ipsius loci sancti, ac fidele obsequium ejus, libenter acquiescentes, hos Excellentiæ nostræ apices fieri censuimus: quibus præcipientes jubemus, ut nemo fidelium nostrorum, aut Missus noster discurrens, aut quislibet ex Judiciaria Potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædictæ Cellulæ, quas moderno tempore justè & rationabiliter in quibuslibet Pagis atque territoriis, infrà ditionem Imperii nostri, possidet, vel ea quæ deinceps eidem conlatæ fuerint Cellulæ, ad caussas audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Cellulæ, tam ingenuos quàm & servos, super terram ipsius commanentes, injustè distringendos, nec ullas reditiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris ac futuris temporibus ingredi audeant, vel ea quæ suprà memorata sunt penitùs exigere vel exactare præsumant: & quidquid prædictæ Cellulæ in eleëmosyna nostra concedimus, ut in alimoniam pauperum & stipendia Clericorum, ibidem Deo servientium proficiat in augmentis.

PRÆDICTÆ verò Villæ, quarum nomina superiùs continentur, & decimæ & census de prædictis Villis, sicut in Avi & Genitoris nostri auctoritatibus continentur, ita perpetuò in ejus ditione subsistant: & decimâ vel censu, quæ de

DIploma istud ex Archivis Ecclesiæ B. Mariæ Aquisgranensis accepimus.

(1) LOTHARIUS, Ludovici Pii Frater & in Imperio Successor, in Prumiensi Cœnobio Monachus anno 855. obiit.

(2) NOVUM CASTELLUM. Sic olim nuncupata fuit Urbs Aquisgranensis.

(3) HARIMALLA, seu Harimala, *Hermale*, sita est ad Mosam, Leodium inter & Visetum.

(4) FILFURDUM, in Pago Bracbantensi, *Vilvorde*, oppidum hodie ad fossam Bruxellensem, quæ Antverpiam ducit. Furdum, Furtum seu Fordum, idem est quod Vadum. Hinc Francofurtum ad Mœnum, & alterum ad Oderam; item Amersfurtum in Diœcesi Ultrajectensi ad fluviolum cognominem. Sic & Filfurdum seu Vilfordia ad Sennam fluvium est sita.

Jus Patronatûs Ecclesiæ Vilvordiensis nunc possidet Abbatia Cameræ Ordinis Cisterciensis. Vide plura lib. II. Donat. Belgic. ad annum 779. & 1245. Addit.

(5) FRAXINUS, vulgò *Frasne*, locus celebris, & Toparchia vetus Gallo-Brabantiæ, olim habuit Monasterium Canonicorum Regularium, quod præ inopia ad ruinam tendens, traditum fuit Benedictinis Affligemensibus anno 1099. Videbitur Diploma inferiùs in Supplemento Diplomatum Miræi. Addit.

de præscriptis Villis annuatim exire solebant, etiam deinceps persolventur, velut eorumdem Prædecessorum nostrorum temporibus, ad præfatum sanctum persolutæ fuerunt locum.

Et ut hæc nostræ Auctoritatis Præceptio pleniorem in Dei nomine, nostris & futuris temporibus obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Lotharii Serenissimi Augusti.

Rudmundus Notarius, ad vicem Hilduini recognovi.

Data III. Idus Septembris, anno, Christo propitio, Imperii Domini Lotharii Imperatoris in Italia XV, in Francia V. Indictione VII. 844.

Actum (6) Longalare Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, amen.

Additio. (6) Putat P. Mebillon hoc Palatium fuisse situm in sylva Arduennæ non procul à S. Huberti Cœnobio.

CAPUT VII.

Privilegium Monasterii Corbeiensis Ord. S. Ben. in Gallia, Paschasio Radberto Abbati concessum à Synodo Parisiensi, *anno* 846. *aut* 847.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo quadragesimo septimo Indictione X. regnante per Provincias Galliæ gloriosissimo atque Serenissimo Principe Karolo, jam divisione Regni ac pace cum Fratribus, Lothario scilicet & Ludovico Regibus confirmatâ, convenientibus nobis Galliarum Episcopis ex Regio Præcepto Parisius, ut super his quæreremus, quæ in Ecclesiis Dei, tam propter civilis belli transactam violentiam, quàm & ob inertiam Prælatorum atque subjectorum, longè jam secùs quàm dignum est geruntur; nec non cujus rei gratiâ pestis atque lues tam diu in populo grassantur; qui etiam modus atque status, secundùm Institutionem Patrum, sanctarum Ecclesiarum esse deberet, quæve Privilegia antiquitùs tradita conservari deberent:

Inter cetera Venerabilis Frater noster Radbertus, Abbas (1) Corbeiensis Monasterii, obtulit nobis sacras Litteras Piissimorum Principum, *Ludovici* videlicet bonæ memoriæ piissimi Imperatoris, ac *Lotharii* filii ejus; quibus cautum est, ut ipsum Monasterium, secundùm antiquum morem, jam inde à principio custoditum, electionis gratiam & rerum suarum dispensationis libertatem haberet, cum omni integritate, tam nostris quàm futuris temporibus.

Insuper & auctoritatem atque consensum Præcellentissimi atque Nobilissimi Regis *Karoli* protulit, qui & idem Monasterium, secundùm morem Prædecessorum suorum, quasi jure hereditario, in sua familiaritate ac defensione, ab exordio Regni sui, favente Domino, suscepit,

(1) Corbeiense Monasterium Benedictinorum, in Diœcesi Ambianensi situm, cùm multis olim & maximis semper ornamentis floruerit, tum Paschasii certè Radberti temporibus clarissimum ac florentissimum fuisse fatendum est. Abundabat enim tum Viris Nobilissimis, qui sæculi pompam aspernati, purpuram palliolo, palatinamque militiam monasticâ mutarunt. Quorum ex numero, ut ceteros omittam, Adalardum seu Adelhardum, & Walam fratres, Caroli Magni consanguineos, alterum alteri succedentem, Abbates vidit.

Ceterùm Radberto prima Christianæ institutionis tirocinia fuerunt apud sacras Virgines Suessionenses, quarum curâ & studio puerulus educatus est. cùm earum Cœnobio præesset *Theodrada*, regiæ stirpis Antistita, consanguinea Caroli Magni. Monasticam inde vitam aggressus in Monasterio Corbeiensi, sanctioris disciplinæ Magistrum & Ducem habuit S. *Adalardum* Abbatem, Theodredæ ejusdem fratrem; & Walæ Comitis, qui & ipse pòst Monachus & Abbas Adalardo, ut diximus, successit. Ibi ergo florentem & idoneam studiis suis palæstram nactus, cùm ingenio atque indole esset eximiè, mirificos in litteris & in omni virtutum genere progressus fecit.

Inter ingenii & doctrinæ monumenta notissimus est *Liber de Corpore & Sanguine Domini*, quem Ludovico Pio regnante, cùm temerè à nonnullis de Sanctissimo Sacramento jactata quæstio esset, composuit; in eoque genuinum Ecclesiæ Catholicæ sensum ita primus explicuit, ut viam ceteris aperuerit, qui de eodem argumento multi posteà scripsere. *Matthæi* Evangelium duodecim libris exposuit, quorum quatuor priores adhuc Monachus inchoarat, reliquos jam Abbas adjecit. In Psalmum etiam XLIV. insignem Tractatum tribus libris contexuit, ad Sanctimoniales B. Mariæ Suessionenses, gratiam illis rependens primævæ, quam ab illis hauserat, educationis suæ. Vitam præterea Institutoris sui *Adalardi*, & *Walæ*, item fratris ejus, agonemque SS. Martyrum *Rufini* & *Valerii*, cùm apud Basilicas corruptum & depravatum offendisset, Clericorum ejus loci rogatu, comptiore stilo edidit ac perpolivit. Alia item præter epistolas diversas non pauca scripsit; tum denique in *Threnos Hieremiæ* multiplicis expositionis libros quinque; quod postremum Radberti opus fuisse creditur, è sene seni Odilmanno, ut ex epistola constat, oblatum. Senex ergò felici exitu vitam clausit, die S. Richarii (quem præcipuo semper amore coluerat) memoriæ sacro, VI. Kalendas Maias, anni à Christo nato DCCCLI. Conditus primùm in Ecclesia S. Joannis Evangelistæ, in aditu sacrarii, perdiu ibidem jacuit, annis ferè ducentis. Posteà cùm ad ejus tumulum crebra mirandorum operum curationumque prodigia fierent, translatus inde, Sedis Apostolicæ auctoritate, in majorem S. Petri Basilicam à *Widone* Episcopo Ambianensi, atque inter *Adalardi*, *Præcordii*, aliorumque Sanctorum reliquias collocatus est IV. Idus Julias. Sic ferè Jac. Sirmondus in Parisiensi editione operum Radberti, anno 1618.

Ceterùm *Corbeiam Gallicam* jam laudatam S. Bathildis, Clodovei II. cognomento Insensati, Francorum Regis Vidua, ejusque filius itidem Rex ad Somonam fl. condidit. *Germanicam seu Saxonicam Corbeiam*, ad Visurgim fl. in Diœcesi Paderbornensi anno 822. Ludovicus Pius Imperator, hortante B. Adalardo, ædificare cœpit, ut Scafnaburgensis tradit, aut anno proximè sequenti, ut ex Adamo, rerum Septemtrionalium scriptore, Baronius colligit.

pit, & veluti munus reverâ Deo gratissimum, inter diversos turbines caussarum, ut tranquillitate præcipuè Ordini eidem congruente potiretur, Deo devotissimè obtulit, suisque sacratissimis Litteris promulgavit.

PETIIT itaque à Nobis, quò ea quæ sacris Litteris piissimorum Principum confirmata fuerant, nostrâ quoque auctoritate, ex voluntate Principis confirmarentur. Quod & nos justum & Ordine nostro dignum esse censuimus, tam pro reverentia Dei, qui ipsum locum protegit atque provehit, quàm & propter munus Pastorale gregis Christi susceptum; nec non & ob eorum dilectionem, qui ipso in loco laudabiliter Domino hactenùs famulantur.

NAM sicuti comperimus, ipse locus venerabilis, BATHILDE Reginâ à *Clotario* filio suo impetrante, à sanctis Viris fundatus est, & sacræ Religionis normam, quam primo tempore suscepit, inviolatam deinceps retinuit; in tantùm ut eos qui se fundaverant, non modò æquaverit, sed etiam penè superaverit. Qua de caussa & Nobilissimi Viri in eodem loco ad Dei servitium spontè confluxerunt, & eumdem locum tam Nobilitate suâ, quàm & vitæ merito decoraverunt. Undè factum est ut ipse locus familiarior Dominis rerum fieret: adeò ut sub sua tutela Reges atque Reginæ eum susciperent....

QUOCIRCA monemus atque hortamur Filios ac Dominos nostros piissimos Principes nostri pariter & futuri temporis, quia penè in omnibus locis id confunditur, saltem propter amorem & reverentiam Dei & Servorum ejus debitam dilectionem, insuper & Regni sui prosperitatem atque augmentum, ut electionis gratiam & liberam dispositionem facultatum suarum illi loco conservare satagant; & sit in illo Monasterio semper Privilegium electionis, sicut antiquitùs in Ecclesiis electio conservata fuit; non supposita aut suffecta, sed libera, juxta auctoritatem Canonicam, & Regulam S. *Benedicti* .....

OBSECRAMUS etiam Fratres & Coëpiscopos nostros, per adventum Domini nostri Jesu Christi & nostræ congregationis in ipsum, sed & Religiosos Abbates, qui ad hanc sanctam & beatam Synodum non occurrerunt, in quorum manus hujus Privilegii à Nobis editi & corroborati Pagina pervenerit, suâ auctoritate & subscriptione hoc confirmare non differant.

HINCMARUS sanctæ Metropolis Ecclesiæ Remorum Episcopus, hoc Privilegium Episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti confirmavi.

ERPUINUS indignus Silvanectensis Episcopus, huic Privilegio, Episcopali auctoritate stabilito, in nomine Sanctæ Trinitatis subscripsi.

GUNTBOLDUS Sanctæ Metropolis Ecclesiæ Rotomagensis Episcopus, hoc Privilegium relegi, atque Episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti confirmavi.

SIMEON Sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Episcopus, huic Privilegio auctoritate Episcopali assentiens; in Sanctæ Trinitatis nomine subscripsi.

ROTHADUS Sanctæ Suessioniensis Ecclesiæ Præsul, huic Privilegio auctoritate Pontificali assentiens subscripsi.

THEODERICUS Sanctæ Cameracensis Ecclesiæ Episcopus, huic Privilegio auctoritate Episcopali assentiens, in nomine Sanctæ Trinitatis subscripsi.

IRMINFRIDUS Sanctæ Bellovacensis Ecclesiæ Episcopus, huic Privilegio auctoritate Episcopali assentiens, in nomine Sanctæ Trinitatis subscripsi.

WENILO Sanctæ Senonicæ Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus, hoc Privilegium relegi, atque Episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti subscripsi.

FULCOINUS Taruanensis Ecclesiæ indignus Episcopus, huic Privilegio auctoritate Episcopali assentiens, in nomine Sanctæ Trinitatis subscripsi.

HELIAS Carnotensis Episcopus hoc Privilegium relegi, atque Episcopali auctoritate ratum fieri dignum duxi.

RAGINARIUS Sanctæ Ambianensis Ecclesiæ Episcopus, huic Privilegio auctoritate Pontificali assentiens, subscripsi.

PRUDENTIUS Sanctæ Trecassinæ Ecclesiæ indignus Episcopus, huic Privilegio auctoritate Episcopali assentiens, in Sanctæ Trinitatis nomine subscripsi.

ALDRICUS Cenomanensium Episcopus.

AGIUS indignus Episcopus Aurelianensis Ecclesiæ, huic Privilegio Episcopali auctoritate stabilito, in nomine Sanctæ Trinitatis subscripsi.

ERCHENRADUS Parisiacensis Ecclesiæ Episcopus, huic privilegio Episcopali auctoritate stabilito subscripsi.

FRECULFUS Lexoviensis Ecclesiæ Episcopus, Episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti subscripsi.

SAXOBODUS Sagensis Ecclesiæ Episcopus hoc Decretum consensi, & subscripsi..

IMMO Noviomagensis Ecclesiæ indignus Episcopus hoc Privilegium consensi, & subscripsi.

ERLUINUS gratiâ Dei Constantiæ Episcopus hoc Privilegium consensi.

LUDOVICUS Monasterii pretiosissimorum Martyrum Christi, Dionysii ac sociorum ejus, Abbas, Privilegium hoc relegi, ratumque decernens subscripsi.

RADBERTUS ipsius Monasterii Abbas, Privilegium hoc relegi, ratumque decernens subscripsi.

CAPUT VIII.

CAROLUS CALVUS, *Francorum Rex, indicto Conventu apud Silvacum Villam Regiam in Agro Laudunensi, Regnum suum in XII. Missaticos seu Regiones distribuit, & in his Missorum Dominicorum Collegia XII. constituit, mense Novembri anno* 853.

MISSI & Pagi per Missaticos qualiter fuerunt ordinati.

I. HINCMARUS Episcopus, Ricuinus, Engiscalcus, Missi in (1) Remtiano, Vonziso, Stadiniso, Pertiso, Barriso, Camiziso, Catalaunio, Virtudiso, Baganfoniso, Tardaniso.

II. (2) PARDULUS Episcopus, Altmarus, Teodacrus, Missi in Lauduniso, Portiano, Suessonico, Urciso, & Vadiso.

III. IMMO Episcopus, (3) Adalardus Abba, Waltcaudus, Odelricus, Missi in Noviomiso, Vermendiso, Adertiso, Curtriciso, Flandra, Comitatibus Engilramni, & in Comitatibus Waltcaudi.

IV. FOLCOINUS Episcopus, Adalgarius, Engiscalcus, & (4) Berengarius, Missi in Comitatu Berengarii, Engiscalchi, Gerardi, & in Comitatibus (5) Reginarii.

V. HLUDOWICUS Abba, Irminfridus Episcopus, Ingilwinus, Gotselmus, Missi in Parisiaco, Melciano, Silvanectensi, Vircasino, Beluacensi & Vindoiliso.

VI. PAULUS Episcopus, Hilmeradus Episcopus, Herloinus, Hungarius, Missi in Rotmense, Tellau, Vitnau, Pontiu, Ambianense.

VII. EIRARDUS Episcopus, Theodericus Abba, Herloinus, Hardoinus, Missi in Aprincato, Constantino, Bagisino, Coriliso, Otlingua Saxonia, & Hardumi, Oxmiso, & in Lisuino.

VIII. DODO Episcopus, Hrotbertus, & Osbertus, Missi in Cinomannico, Andegavensi, atque Turonico, Corboniso & Sagiso.

IX. BURCARDUS Episcopus, & Hrodulfus, & Heinricus Abba, Missi in Blesiso, Aurelianensi, Vindusniso, Carentino, Durcasino, Duniso, Ebricino, Stampiso, Castriso, Pinceseiso, Madreciso.

X. WENILO Episcopus, Odo & Donatus, Missi in Pago Senonico, Trecasino, Wasteniso, Miliduniso, Moruiso, Proviniso, & in tribus Arcisisis, & in duobus Brionisis.

XI. TEUTBOLDUS Episcopus, Jonas Episcopus, Isembardus, & Abbo Abba, Daddo, Missi in Comitatibus Milonis, & in Comitatibus Isembardi, Augustudino scilicet, Matisconensi, Divionensi, Cabillono, Hatuariis, & in Tornedriso, & in Belniso, & in Dusmiso Comitatu Attelæ, & in Comitatu Romoldi.

XII. HUGO, Gozso, Nivilungus, Missi in Niverniso, Alciodriso, Avaliso.

CAPUT

SUnt hæc desumpta ex cap. 12. Capitulorum Caroli Calvi, quæ Jacobus Sirmondus Societatis Jesu Theologus Lutetiæ 1623. publicavit.

Additio. Hæc inter alia Capitularia Regum Francorum denuo evulgavit Lutetiæ Parisiorum, Notisque illustravit Vir Clarissimus Stephanus Balusius, Tutelensis, anno 1677.

Ceterùm Carolus Calvus Francorum Rex regnum suum universum, exceptâ *Aquitaniâ*, quæ tunc seorsim regebatur, & *Britanniâ*, quæ rebellarat, in duodecim Regiones seu Missaticos distribuit, atque in his duodecim Missorum Dominicorum Collegia constituit: quorum singula, ut mos erat, Episcopum aliquem, aut simul etiam Abbatem, & Comitem unum, pluresve designatos habuerunt.

(1) REMTIANO, id est, Pago Remensi.

(2) PARDULUS, Laudunensium, IMMO Noviomensium ac Tornacensium, FOLCOINUS Taruanensium, Episcopi. Ceterùm S. Fulcoinus seu Folquinus anno 855. in Domino obdormivit, & quiescit in Alciaco, Artesiæ Abbatia Benedictina. Vide Fastos nostros Belgicos ad diem 14. Decembris.

(3) ADALARDUS Abbas Corbeiæ Gallicæ & Saxonicæ, patrem habuit Bernardum, Caroli Martelli filium. Vitam ejus scripsit Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis in Gallia: cujus opera junctim Sirmondus edidit. Vide supra cap. 7. & Fastos Belgicos ad diem 2. Januarii.

(4) BERENGARIUS, Comes in Noviomensi ac Tornacensi. Ambianensi, Taruanensi, Cameracensi & Atrebatensi Diœcesibus: ut superiore capite docui.

(5) REGINARIUS, seu Raginerus, illo nomine primus Hannoniæ Comes, *Albradam* conjugem habuit, & & ex ea filios, *Gislebertum* Lotharingiæ Ducem primum, *Raginerum* Hannoniæ, & *Lambertum* Lovanii Comites; filiam item Berengario Lomacensi seu Namurcensi Comiti nuptam. Circa annum 914. senex admodum vivere desiit. Plura de eo vide in Stemmatibus Principum Belgii.

CAPUT IX.

Temseca, VVasiæ Villa ad Scaldim fluvium, datur Monachis S. Petri Blandiniensis juxta Gandavum, à CAROLO CALVO *Francorum Rege, anno* 870.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. CAROLUS Dei gratiâ Rex. Notum esse volumus omnibus Sanctæ Ecclesiæ fidelibus, ac nostris, præsentibus scilicet & futuris; quia Venerabilis Vir BALDUINUS, Abbas Monasterii, quod vocatur BLANDINIUS, à S. Amando in Vico Gandensi constructus, in honore Apostolorum SS. Petri & Pauli consecratus, & ubi modò corpus B. AMELBERGÆ Virginis quiescere dignoscitur ...... qualiter pro remedio animæ nostræ, Fratribus, in eadem Ecclesia dignè Deo militantibus, ut aliquas res per auctoritatem Præcepti nostri daremus; quod & ita fecimus.

DEDIMUS præfatis Deo servientibus in Pago Wasiæ super fluvium Schaldæ, Villam quæ vocatur (1) TEMSECA, cum Ecclesia benè ornata, & in honore S. Mariæ, & S. Petri Apostolorum Principis consecrata, ubi S. Amelberga Virgo gloriosa migravit à sæculo ad Christum .....

QUÆ ut pleniorem in Dei nomine obtineant vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris veriùs credantur, & diligentiùs conserventur, de annulo nostro subterjussimus sigillari.

Signum CAROLI gloriosissimi Regis.

Ildeboldus Notarius, ad vicem Gosleni, recognovi.

DATA Idibus Aprilis, Indictione tertiâ, 874.
anno tricesimo, regnante Carolo gloriosissimo Rege.

ACTUM Compendio Palatio Regis, in Dei nomine feliciter, Amen.

(1) TEMSECA, Flandris *Temst*, Gallis *Tamise*, amplum Wasiæ municipium, Scaldi additum, cum arce vetusta, olim fuit Abbatis Blandiniensis, nunc Ducis Bournonvillii Dominium.

Additio. Jus Patronatûs olim penes Abbatem Blandiniensem, nunc addictum est Patribus Oratorii, qui & ibidem habent amplum domicilium, & Litteras humaniores cum fructu docent. Est & Prioratus Monialium Ordinis S. Dominici, fundatus anno 1507. à Rolando Le Febure, Domino Tamisiæ, Liesfelde &c.

CAPUT X.

Excerptum ex HINCMARI *Remensis Archiepiscopi Epistola* VI. *ad Episcopos Provinciæ Remensis, circa* 873. *scripta : in qua cap.* 18. *docet, olim Remensi Archiepiscopo duodecim Sedes Episcopales subditas fuisse.*

IN Regno Chlodovei, nuper cum integra gente ad fidem conversi, per sanctam prædicationem B. Remigii, Domino coöperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, B. (1) ORMISDA vices suas eidem S. Remigio, Remorum Durocortorum antiquæ Metropolis Episcopo (quæ præcedentibus temporibus habuit sub se (2) duodecim civitates, videlicet *Suessionum*, *Catalaunorum*, *Veromandorum*, *Atrebatum*, *Cameracensium*, *Tornacensium*, *Silvanectum*, *Belgivagorum*, *Ambianensium*, *Morinum*, item *Ponticum Bononiensium*, & *Laudunum Clavatum*, in quo Castro ex sua parochia idem S. Remigius, Africanorum Canonum & Apostolicâ fultus auctoritate, constituit Episcopum) per Belgicas & quasdam Provincias Gallicanas commisit; ut Dei Ecclesias, quas Franci adhuc Pagani devastaverunt & incenderunt, universa prædantes, & quæcumque perperam gesta fuerant ad debitum statum reduceret; manente Privilegio Arelatensi Ecclesiæ in sibi antiquitus delegatis Provinciis.

CAPUT

(1) ORMISDA, seu potius Hormisda, anno 514. in Pontificatu sedere cœpit, & anno 523. decessit.

(2) XII. CIVITATES, Episcopales, videlicet Suessionensis, Catalaunensis, Veromanduensis, Atrebatensis, Cameracensis, Tornacensis, Silvanectensis, Bellovacensis, Ambianensis, Morinensis seu Taruanensis, Bononiensis & Laudunensis, olim in Remensi Provincia fuerunt numeratæ. Hodie non nisi septem numerantur, Suessionensis, Catalaunensis, Silvanectensis, Bellovacensis, Ambianensis, Laudunensis & Bononiensis.

VEROMANDUORUM Urbs ab Hunnis & Gothis eversa, hodie quæritur. Putatur eo olim loco stetisse, ubi nunc Monasterium visitur, *Vermand l'Abbaie*, inter Peronam & Quintinopolim.

CAMERACUM, Atrebatum & Tornacum an. 1559. Paulus IV. Pontifex à Remensi Provincia resecavit; Cameraco Archiepiscopum dedit, & Atrebatensem, Tornacensem, Audomaropolitanum ac Namurcensem Episcopos, ut Suffraganeos, eidem subesse voluit.

Morinorum caput TARUANA anno 1553. funditus fuit excisa; parte unâ prædiorum Bononiam ad Francos, alterâ Ipras & Audomaropolim ad nostros Belgas translatâ. Sicque Taruanensis seu Morinensis Diœcesis, olim amplissima, à tribus hodie Episcopis, Bononiensi, Iprensi & Audomaropolitano, partitim possidetur. Notitiam Episcopatuum Orbis Christiani, à nobis editam, plura si voles, consule

De Hincmaro Archiepiscopo vide sup. pag. 134. in Not.

CAPUT XI.

CAROLUS CALVUS *Imperator & Francorum Rex, cùm in Italiam (in qua obiit) iter anno* 877. *adornaret, regnumque Filio* LUDOVICO BALBO *per absentiam administrandum relinqueret, Reinelmum Tornacensem Episcopum, Balduinum Ferreum Flandriæ Comitem, aliosque Episcopos & Comites ipsi Consiliarios adjungit.*

QUALITER & quo ordine Filius noster in hoc regno remaneat,& qui debeant esse quorum auxilio utatur, (1) & vicissitudine cum eo sint. Videlicet ex Episcopis assiduè sint cum illo aut (2) Ingilwinus aut (3) Reinelmus, sive (4) Odo, seu (5) Hildeboldus.

Ex Abbatibus, si alia necessitas non evenerit, assiduè sint cum eo, Welpho, (6) Gauzlinus, & (7) Folco.

Ex Comitibus verò aut Teudericus, aut (8) Balduinus, sive Chuonradus, seu (9) Adalelmus, alternatim cum illo consistent: & quanto sæpiùs pro nostra utilitate potuerint, Boso & Bernardus.

SI versus Mosam perrexerit, sint cum eo (10) Franco Episcopus, Joannes Episcopus, Arnulfus Comes, Gislebertus, Letardus, Matfridus, Widricus, Gotbertus, Adalbertus, Ingelgerus, (11) Rainerus, unà cum prædictis.

SI ultra Sequanam perrexerit, Hugo Abba, Walterus Episcopus, Wala Episcopus, Gislebertus Episcopus, & cæteri nostri fideles illius partis, unà cum prædictis. Sed & de aliis fidelibus nostris, secundùm quod in unaquaque parte regni necesse fuerit.

DEsumpta sunt hæc ex cap. 43. Capitulorum Caroli Calvi, à Sirmondo editorum. Vide etiam supra pag. 340.

(1) ET VICISSITUDINE cum eo sint. Caroli Magni instituto vel exemplo: de quo vide Synodum apud S. Macram anno 881. habitam.

(2) INGILWINUS, Parisiensis Episcopus.

(3) REINELMUS, Noviomensis ac Tornacensis Episcopus.

(4) ODO, Bellovacensis Episcopus.

(5) HILDEBOLDUS, Suessionensis Episcopus.

(6) GAUZLINUS, seu Gauslenus, primùm Abbas SS. Vincentii & Germani, prope Parisios, pòst Episcopus Parisiensis; sub Carolo Calvo, ejusque filio Ludovico, functus est munere Cancellarii.

(7) FOLCO, seu Fulco, primùm Abbas ad S. Bertinum & ad S. Vedastum, post Archiepiscopus Remensis. Natales Belgic. 17. junii consule.

(8) BALDUINUS, Ferreus, Flandriæ Comes.

(9) ADALELMUS, Comes Atrebatensis.

(10) FRANCO, Leodiensis; Joannes, Cameracensis, Episcopi.

(11) RAINERUS, seu Raginerus, I. Hannoniæ Comes.

CAPUT XII.

S. GERARDUS, *Vir Nobilissimo Genere natus, fundat anno* 918. *Monasterium Broniense, quod est Benedictinorum, & S. Gerardi hodie dicitur, in Agro Namurcensi.*

EGo in Dei nomine (1) GERARDUS, cogitans de Dei timore, & æterna retributione, dono, consentiente Patre meo *Stantione*, & Fratre meo *Widone*, & ceteris Parentibus meis, quorum nomina vel signacula subter tenentur inserta, aliquas res meas ad Ecclesiam, ubi cupio construere Monasterium, ac me ipsum in servitio Omnipotentis Dei militaturum .... quæ est sita in Pago Lomacensi, in loco nuncupato BRONIUM, super fluvium Bornom, dono jus quod habeo in Romerias.

ACTUM in Villa de Bronio, anno Domini DCCCCXVIII. anno Karoli octavo Regis excellentissimi. 918.

CAPUT

SAnctus GERARDUS Abbas & Fundator Monasterii Broniensis, apud Stablecellas, Lomacensis seu Lomensis agri vicum, natus, patrem habuit Stantionem, matrem verò Plictrudem, Stephani Tungrensis Episcopi sororem, & fratrem Widonem. Intimus fuit *Berengario* Lomacensi seu Namurcensi Comiti: de quo in Stemmatibus Principum Belgii cap. 23. egimus. Res à S. Gerardo gestæ leguntur apud Surium. Plura quoque de illo ejusque Cœnobio Broniensi referuntur supra pag. 38. 93. 183. & 257.

CAPUT XIII.

OTHO I. *Imperator VValciodorense Monasterium anno 968. Theoderico Metensi Episcopo donat, & Hasteriam cum VValciodoro conjungit.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. OTTO divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, quoniam interventu dilectissimæ consortis Imperii nostri ADELHEIDÆ Augustæ, nostrique carissimi filii OTTONIS Augusti, concessimus Sancto Proto-martyri Stephano, sacrosanctæ Metensi Ecclesiæ, simulque venerabili ejusdem sanctæ Sedis Præsuli, nostroque dilectissimo sobrino DEODERICO, suisque deinceps in eadem sancta Sede Successoribus, locum quemdam in Pago Lomacensi, nomine (1) WALCIODORUM; quem vir quidam *Eilbertus*, cum conjuge sua *Heresinde* dedit, & ex proprio prædio statum Monasterii fundavit, ac monastico ordini in perpetuum deputatum nostræ Imperiali Dominationi subjecit. Eum nos S. Stephano jam dicto, Metensi Ecclesiæ, ipsique dilectissimo sobrino nostro, suisque Successoribus per hanc nostræ auctoritatis Paginam in proprium jus, ab hinc in futurum, perpetuò possidendum tradimus, ac dono Imperatorio cedimus: ut ejusdem sacrosanctæ Sedis Præsul, tam locum ipsum quàm omnia pertinentia uti sua propria curet & ordinet, & Abbatem secundùm instituta B. Benedicti Monachis degentibus præficiat......

UT autem hæc nostri Imperialis Decreti auctoritas firmior gratiorque per succedentium temporum habeatur curricula, jussimus eidem sæpedicto sobrino nostro venerabili Pontifici Deoderico, ut quemdam locum HASTERIAM nomine, olim à Sanctissimo Prædecessore suo Antistite Adelberone, ex proprio hereditatis jure, partibus jam crebrò nominati Proto-martyris Stephani delegatum, supradicto Cœnobio gratiâ solaminis copularet: & quoniam proximâ vicinitate junguntur, etiam sub unius ditione ordinationeque Abbatis, eadem præfata loca, Walciodorum videlicet atque Hasteria, indissolubili conjunctione necterentur.

SIGNUM Domini OTTONIS magni & invictissimi Imperatoris. Luidgerius ad vicem Hattonis Archiepiscopi & Cancellarii scripsit. Data XVII. Kalendas Januarii, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo o- 968.
ctavo, Indictione XIV. anno Regni serenissimi Regis Ottonis tricesimo sexto, Imperii scilicet in Italia octavo. Actum in civitate Papiæ, infra Palatium, in Christi nomine feliciter, amen.

DIploma istud, ex Walciodorensis Monasterii Tabulario depromptum, Paulus Cronendalius recitat in Historia Namurcensi, quæ Bruxellis exstat Ms. apud Filium.

(1) WALCIODORUM, vulgò *Vaussors*, inter Dionantum & Givetum ad Mosam est situm; ut & Hasteria, *Hastiers*. De utroque vide Origines nostras Benedictinas. Hasteriensem porrò Cellam *Adelbero* seu Adelbertus Metensis Episcopus propriè non fundavit, sed instauravit ac dotavit, utpote à Widerico ejusque conjuge circa annum 656. primitus fundatam. Vide plura lib. 2. Diplom. Belgic. cap. 24.

OTHONUM IMPERATORUM STEMMA.

Henricus Auceps Othonis Saxoniæ Ducis Filius duxit Hadwidam, pòst S. Mathildem.

- *Ex Hadwida, Tancmarus.*
- *Ex Mathilde*
  - *Otho I. Imperator duxit Editham 2. Adelheidem.*
    - *Ex Editha. Luitolfus Dux Sueviæ.*
    - *Ludgardis uxor Conradi Ducis Lotharingiæ & Franconiæ, obiit 953.*
      - *Otho Dux Franconiæ, aliis Sueviæ & Bavariæ.*
        - *Henricus.*
          - *Conradus II. Salicus Imperator.*
        - *Cono.*
        - *Gregorius V. Papa obiit 999.*
    - *Ex Adelheide, Otho II. Imperator, obiit 983.*
      - *Otho III. obiit sine liberis 1002.*
    - *Guilielmus ex N. nothus, Archiep. Moguntinus.*
  - *Bruno Archiep. Coloniensis.*
  - *Henricus Dux Lotharingiæ, pòst Bavariæ.*
    - *Henricus Rixosus Dux Bavariæ.*
      - *S. Henricus II. Imperator, obiit 1024.*
      - *Bruno Episcopus Augustanus.*
      - *Gisala uxor S. Stephani Regis Hungariæ.*
  - *Gerberga Regina Francorum.*
  - *Hadewidis uxor Hugonis Capeti.*
    - *Hugo Capetus Rex Francorum.*
    - *Beatrix uxor Friderici I. Ducis Lotharingiæ Mosellanæ.*

1. Tancmarus in bellis civilibus stans contra Othonem I. Imperatorem occisus fuit; teste Widichindo.

2. Otho I. Imperator primò duxit Editham seu Eggidam N Francorum Regis filiam, pòst Adelheidem, Rudolphi Burgundiæ Regis filiam, cujus vitam scripsit Odilo Abbas Cluniacensis.

Henricus primùm Lotharingiæ, pòst Bavariæ Dux à fratre Othone I. Imperator constitutus, duxit *Jutam*, Arnoldi Bavariæ Ducis filiam, & ex ea genuit Henricum Rixosum, qui ex *Gisela*, Conradi Burgundi filia sustulit *S. Henricum* II. Cæsarem, & *Brunonem* Episcopum Augustanum, juxta Albizium, itemque *Gisulam*, juxta Genealogum S. Arnulfi.

Luitolfus Dux Sueviæ duxit Itam, Hermanni Sueviæ Ducis filiam, & ex ea genuit Othonem Ducem, Gregorii V. Papæ patrem, juxta Guillimannum.

Ludgardis, seu Luitgarda, aliàs Ludica, 947. nupsit Conrado seu Cunoni, Werinheri filio, primùm Lotharingiæ, pòst Franconiæ Duci, qui unà cum Luitolfo contra Othonem I. Imperatorem rebellis, Hungaros in Lotharingiam adduxit, factùsque demùm pœnitens contra eosdem fortiter dimicans anno 957. occubuit. Ludgardis autem anno 953. decessit; ut apud Continuatorem Reginonis legitur.

Guilielmus Archiepiscopus Moguntinus, Othonis I. ex matre Sclavonica filius naturalis, ante nuptias ejusdem; teste Ditmaro.

Otho II. duxit Theophaniam, Romani Imperatoris C. P. aut alterius Græci Principis filiam.

Othonis III. Uxor à vetustis Scriptoribus non nominatur. Obiit anno 1001. sine prole. Aquisgrani conditus. Filiæ, quæ ipsi adscribuntur, putantur confictæ.

Stemma Gregorii V. Papæ, juxta Francisci Guillimanni sententiam.

- *Otho I. Imperator Henrici Aucupis Filius duxit 1. Editham 2. Adelheidem.*
  - *Ex Editha*
    - *Luitolfus Dux Sueviæ seu Alem. duxit Itam, Hermanni Ducis Sueviæ Filiam.*
      - *Otho Dux Sueviæ & Bavariæ, aliis Franconiæ.*
        - *Conradus Marchio Carnorum.*
        - *Echardus Marchio Thuringiæ.*
        - *Bruno, pòst Gregorius V. Papa an. 996. creatus, obiit 998.*
    - *Ludgardis, 947. uxor Conradi, Lotharingiæ, pòst Franconiæ Ducis.*
  - *Ex Adelheide*
    - *Otho II. Imperator, obiit 983.*
      - *Otho III. Imperator, obiit 1001. sine liberis.*

Luitolfus à patre Othone I. Imperatore neglectus, contra patrem arma sumpsit. Eodemque tempore Conradus seu Cuno Lotharingiæ Dux (qui Ludgardim seu Luitgardem, Luitolfi sororem duxerat) contra Socerum suum Othonem I. similiter rebellavit, & Hungaros in Lotharingiam adduxit.

Stemma ejusdem Gregorii V. Papæ, juxta Scriptorem Genealogiæ S. Arnulfi, & Wipponem in Vita Conradi II. Imperatoris.

- *Otho I. Imperator duxit 1. Editham 2. Adelheidem.*
  - *Ex Editha*
    - *Luitolfus Dux Sueviæ.*
    - *Ludica seu Ludgardis 947. Uxor Conradi Ducis Lotharingiæ, pòst Franconiæ, obiit 953.*
      - *Otho Dux Franconiæ.*
        - *Henricus Dux.*
          - *Conradus II. Salicus Imperator.*
        - *Cuno.*
        - *Bruno, pòst Gregorius V. Papa.*
        - *Guilielmus Archiepiscopus Moguntinensis.*
  - *Ex Adelheide*
    - *Otho II. Imperator, obiit 983.*

CAPUT XIV.

Otho II. *Imperator veteres Monasterii S. Bavonis Gandensis Possessiones in Pago Brachatensi confirmat, & alias pridem ablatas in Hasbaniensi, Riensi & Tessandriensi Pagis, restituit anno 976.*

Otto, divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Si ea quæ fideles nostri .... Igitur notum sit omnibus tam præsentibus quàm & futuris Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, quòd Monachi Venerabilis Abbatis Womari, Rectoris Monasterii sancti Confessoris Christi Bavonis, quod est constitutum in honore Beati Petri Apostolorum Principis, in loco nuncupato Ganda, nostram adeuntes Excellentiam, humiliter petierunt, ut idem Monasterium, pro cavendo futuro periculo, & monasticæ Religionis vigore inibi perpetualiter corroborando, nostræ Auctoritatis Præcepto muniremus.

Quorum

Quorum petitioni libenter annuentes, pro præmio sempiternæ retributionis, ac pro salute animæ nostri Genitoris, sed & gratia fraternæ societatis in eodem Monasterio Nobis concessæ, & fideliter, ut credimus, conservandæ, assensum præbuimus.

Quapropter statuimus, ut idem Monasterium cum Dei auxilio, à Venerabili Marchione (1) Arnulfo, moderno tempore, in melius restitutum, juxta ejusdem loci scripta & Regalia Præcepta, & Apostolici Privilegii Decreta, in Ordine Monastico, sub regulari disciplina, res suas quietè possideat;

Sive eas videlicet, quas antiquitus piâ fidelium largitione possedit, hoc est, in Pago Bragbatensi Villam *Warminiam*, cum Ecclesiis duabus & omnibus adjacentiis, & Villam *Flietbersele* cum Ecclesia, & omnibus appenditiis, & *Lapingehem* & *Bamingehem* cum Ecclesia, & *Gisingasele* cum Ecclesia, & omnibus adjacentiis eorum.

Sive illas, quas Nos, Domini nostri Genitoris gloriosi Imperatoris diffinitam perficientes devotionem, eidem loco restituimus, hoc est, in Pago Hasbaniensi Villam de *Wintrehove* & *Vinnethe*, cum Ecclesiis singulis & reliquis appenditiis, & in Pago Rien (2) *Boucholt* cum Ecclesia & adjacentiis, & in Pago Tessandriæ (3) *Northrevic* & (4) *Edingehem*, cum Ecclesiis & omnibus adjacentiis.

Quæ etiam duæ scilicet possessiones, rogatu prædicti Venerabilis Abbatis, suorumque Monachorum, cuidam fideli nostro Viro Nobili *Solgberno* & uxori ejus, non refragante quoque nostrâ Præceptionis & Auctoritatis licentiâ, in præsentia nihilominùs nostra, delegatæ sünt & traditæ; dantibus eis pro hoc, mutuâ vicissitudine, sui juris & hereditatis Villam in (5) *Holthem* in Pago Bragbatensi sitam, cum Ecclesia & appenditiis.

Et in Pago Flandrensi, possessionem vocabulo *Selthem* vel *Latergo*, cum omnium rerum ad se pertinentium summâ integritate, confirmamus perenniter usibus Fratrum præfati Monasterii; & sub perpetua immunitatis nostræ tuitione esse volumus: ita ut nullus Comes, aut Judex, aut Vicarius, aut publicus Fisci exactor, aut Advocatus prædictas res ingredi audeat, ad fredas exigendas, vel paratas faciendas, vel aliud quid potestatis & districtionis exercendum.....

Ut autem nostræ Confirmationis Auctoritas majorem, in Dei nomine, per succedentia tempora, obtineat vigorem, eam manu propriâ subter-firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Domini Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti.

Robertus Cancellarius, ad vicem Willigisi Archicapellani, notavit.

Data XIV. Kal. Februarii, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo 976.
sexto, Indictione IV, Regni Domini Ottonis XV. Imperii IX.

Actum (6) Bruolisela.

(1) Arnulfo, Juniore, Comite Flandriæ, Balduini Filio, Arnulfi Magni Nepote, qui anno 989. obiit.

(2) Boucholt, nunc Bouchoudt, vicus agri Riensis, haut procul à Lira Brabantiæ Oppido. In quo vico Ecclesia Cathedralis Gandensis etiamnum multa prædia possidet.

(3) Northrevic, nunc *Norderwyck*, vicus in Campania Brabantiæ.

(4) Edingehem, nunc *Edighem*, vulgò *Eghem*, inter Antverpiam & Liram. Aliqui tamen putant hîc designari Vicum de Ieteghem, qui etiam est prope Liram.

(5) Holthem, nunc *Hauthem*, vicus in veteri Brachbanto, tertio lapide à Gandavo: quo in loco S. Livinus Gandensium Patronus olim quievit.

(6) Bruolisela, nunc Brussella seu Bruxella, *Brussel*, Principum Belgii Sedes. Baldericus in Chronico Cameracensi lib. 1. cap. 28. vocat *Brosellam*: & narrat S. Gaugericum Cameracensem Episcopum eo loco in ultimum ac lethalem morbum incidisse circa annum 712.

CAPUT XV.

Epistola ad Sigifridum, *Sigifridi primi Comitis Luxeburgensis Filium, circa annum 984. scripta à* Gerberto, *pòst Romano Pontifice Silvestro secundo.*

Sigifredo Comitis Filio Gerbertus. Nimium amorem circa Parentes vestros, qui nunc exules sunt, habentes, eos ad flumen Matronam*, xi. Kalendas Aprilis, allocuti sumus. Et quæ Dominam nostram Theophaniam de sua fidelitate scire voluerunt, per epistolam mandamus.

* Volgo *Marne*, in Gallia.

Et quia cum benevolentia Ottonis & Heriberti, quorum custodiâ servantur, eos alloqui valemus, quæcumque & vos & Domina nostra eis mandare volet, litteris nos habere facietis. Hoc insuper vestræ fidei committimus, quia si Hugonem vobis in amicitiam colligaveritis, omnes impetus Francorum facilè devitare valebitis.

I. Primus Comes Lutzelburgensis fuit Sigifridus, qui Castellum Lucilburgum seu Lutzelburgum (sic nuncupatum à Germanis, quasi parvum burgum) in Pago Arduennæ situm, à *Wikero* Abbate S. Maximini Treverensis, titulo permutationis, anno 963. acquisivit: juxta Tabulas à nobis lib. 1. Diplomatum Belg. cap. 20. recitatas.

II. Comes secundus, nisi fallor, fuit Sigifridus, Sigifridi I. filius, ad quem ista Gerberti Epistola scripta est, qui anno nongentesimo nonagesimo tertio, cum conjuge

conjuge sua *Hadewicha*, Monachis S. Maximini Villam quamdam donavit: cujus donationis Tabulæ supra Lib. I. Donat. Belgic. cap. 25. exstant; sitque in iis mentio *Henrici* Comitis, filii dicti Sigifridi.

Duos itaque fuisse Sigifridos, Luxeburgenses ex ordine Comites, colligi posse videtur ex ista & aliis Gerberti epistolis.

(2) SIGIFRIDUS II. porrò ex Hadewicha liberos sustulit, *Henricum* Comitem, pôst Bavariæ Ducem, cujus fit mentio supra Cap. 25. libri I. Diplom. Belg. *Theodericum* & *Adalberonem*, Metenses ex ordine Episcopos, *Fredericum* Comitem, *S. Cunigundem*, Henrici re & cognomento Sancti conjugem, & *Juitham* (ut in veteri de Welfis Chronico apud Canisium tom. 1. Antiquæ Lectionis legitur) Welfo I. nuptam. De his Herm. Contractus ad annum 1008. & 1047. videatur.

III. Tertius itaque Comes Luxeburgensis, nisi fallor, fuit *Fredericus*, Sigifridi II. filius; quem Vignierius & Bertelius Gisilberti seu Gilberti nescio cujus filium faciunt. Idem Fredericus, ut suspicor, Dux Lotharingiæ inferioris anno 1046. ab Henrico Imperatore creatus fuit, ut idem Contractus narrat.

Uxorem habuit GERBERGAM, Eustathii I. Comitis Boloniensis filiam, & ex ea unicam filiam reliquit, nomine *Mutam* seu *Jutam*, conjugem N. Comitis Limburgensis ac matrem Henrici Exducis, qui Godefrido Bullonio in Ducatu Lotharingiæ inferioris successit, eodemque posteà privatus fuit; ut in Genealogia S. Arnulfi apud Pithæum legitur.

Obiit Fredericus anno 1064. non relictâ prole masculâ, ut diximus; sepultus Stabuleti in Arduenna, cujus Monasterii fuerat Advocatus.

De erectione Comitatûs Luxemburgensis in Ducatum supra egimus lib. 1. Dipl. Belg. cap. 105.

Schema Stemmatis primorum Comitum Luxeburgensium.

- *Sigifridus I. Comes Luxeburgensis anno 963.*
  - *Sigifridus II. Comes Luxeburgensis duxit Hadewicham.*
    - *Henricus Comes, pôst Bavariæ Dux.*
    - *Theodericus Episcopus Metensis.*
    - *Adalbero III. Episcopus Metensis.*
    - *Fredericus Comes Luxeburgensis duxit Gerbergam Eustathii I. Comitis Boloniensis Filiam 1046. Dux Lotharingiæ inferioris, Stabuleti sepultus 1064.*
      - *Muta seu Juta uxor N. Comitis Limburgensis.*
        - *Henricus Comes Limburgensis, qui Godefrido Bullonio in Ducatu Lotharingiæ inferioris successit 1101.*
    - *S. Cunegundis Uxor S. Henrici II. Imperatoris.*
    - *Juitha uxor Welfi I.*

De Juitha Welfi seu Welphonis I. conjuge, vide vetus Chronicon de Welfis, ab Henrico Canisio editum tom. 1. Antiquæ Lectionis.

CAPUT XVI.

Idem GERBERTUS ADALBERONEM *Episcopum Virdunensem, ejusque Fratrem* HERMANNUM *Comitem Dagisburgensem*, GODEFRIDI CAPTIVI *Comitis Virdunensis Filios, hortatur ad constantiam & fortitudinem in adversis, circa annum* 984.

ADALBERONI vocato Episcopo Verdunensi, & HERMANNO, Fratribus, GERBERTUS. Felices quibus paterna virtus exemplar sit imitabile. Vester genitor hoc petit, repentinus casus ne vos deterreat, filio Cæsaris fidem, quam promisistis, inviolatam servate, omnia Castra ab hostibus tuemini; denique nec (1) *Scarponnam* nec *Haidonis Castellum*, nec quidlibet eorum, quæ vobis reliquit, Francis relinquetis, illecti aut vanâ spe suæ liberationis, aut terrore sui cruciatûs, aut filii FRIDERICI. Hæc præcepta magnanimus Pater generosis filiis dedit. Sentiant in vobis hostes non se totum cepisse GODEFRIDUM, auxilia undique comparate, liberatores, XVII. Kalendas Aprilis, me interpretem fieri voluit sibi suique fidissimum.

EST hæc Epistola numero XLVII. inter Epistolas Gerberti, Parisiis anno 1611. editas, estque scripta ad Adalberonem Episcopum Virdunensem, & Hermannum Comitem Dagisburgensem, Fratres, Godefridi Captivi, Virdunensis & Eihamensis Comitis (non autem Godefridi Barbati, Lotharingiæ Ducis, ut Claudius Robertus in sua Gallia Christiana censuit) filios: de quibus vide paulò infra.

Hortatur

Hortatur autem Gerbertus Adalberonem & Hermannum, ut fidem Cæsaris filio datam servent, utque non terreantur repentino casu, hoc est, incarceratione Parentis sui Godefridi, quem Lotharius Francorum Rex, anno 984. juxta Sigeberti Gemblacensis calculum, capto Virduno, in carcerem conjecerat. Vide Stemmata nostra Principum Belgii cap. 13.

(1) SCARPONNA. Nota Antonino in Itinerario & in Tabula Peutingeriana, nunc vicus ad Mosellam, prope Mussipontum Lotharingiæ Oppidum, Academiâ clarum, *Charpeigne*: ut per Litteras Nanceio me monuit Stephanus Voirinus, Societatis Jesu Theologus, antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus.

CAPUT XVII.

S. HENRICUS *Imperator confirmat Possessiones Monasterii S. Bavonis Gandensis, Ordinis S. Benedicti, anno* 1003.

HENRICUS divinâ favente clementiâ Rex. Si ea quæ fideles nostri.... Idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum industria, quod vir venerabilis EREMBOLDUS Abba, ex Monasterio Gandensi, quod est situm, ubi Scaldis fluvius Legiæ fluvio jungitur, constructum à B. AMANDO Pontifice in honore S. Petri Principis Apostolorum, ubi etiam insignis BAVO Confessor Christi corpore quiescit, obtulit nobis auctoritatem immunitatis domini Antecessoris nostri, scilicet Ottonis invictissimi Imperatoris.

IN qua continebatur insertum, qualiter ipse ob amorem Dei & præmium æternæ retributionis, proprietates rerum, quorumdam tyrannicâ invasione injustè præreptas, eidem Monasterio restituerit, hocque suæ confirmationis Scripto roboraverit, & quod gratiam Fraternæ Societatis in eodem Monasterio sibi concessam habuerit, vel qualiter omnium exactiones teloneorum indulserit.

PRO firmitatis namque studio rogavit nos prædictus Eremboldus Abba eadem renovari, scilicet ut tantæ firmitatis gratiâ, nostram quoque superadderemus auctoritatem. Cujus petitioni libenter assensum annuentes, decrevimus Regiæ dignitatis Præceptum fieri, videlicet ut idem Monasterium res suas quietè possideat, quarum hæc sunt vocabula.

Hoc est in Pago Bragbantensi Villam (1) *Sualmam* cum Ecclesiis duabus & omnibus adjacentiis suis, & Villam (2) *Holthem* cum Ecclesia ac silva, & *Meresbem* & (3) *Flietbersele* cum Ecclesiis & omnibus appenditiis earum; & in eodem Pago Villas his nominibus dictas, *Merem* & *Lietbeka* & *Setteka* & *Crainbam*, & in Rien (4) *Bocbolt* cum Ecclesiis singulis, silvis, & omnibus appenditiis propriis: quas quidem Villas, cum aliis rebus, quorundam hostili prædatione injustè abreptas, Dominus Antecessor noster gloriosus Imperator jure ac piè redonavit.

ET in Rien Villam *Frunetbe* cum Ecclesia & appenditiis, & nemus *Sommigerotba*, & in *Wilrika* Ecclesiam cum appenditiis. In Pago quoque Scaldis possessionem vocabulo *Erika*, & *Papingalant* cum Ecclesia & omnibus appenditiis propriis, & super *Odrosfliet* terram, in qua possunt ali oves quingentæ, & quidquid ex ditione S. Bavonis in (5) *Bevelanda* & in *Walacra*; & in *Bruinsela* contineri dignoscitur, & in *Eepena* terram, in qua possunt pasci verveces cccc. & in alio loco cc. & in *Holscols* super fluvium Lara cccc.

HOC ergò, cum omni rerum ad se pertinentium summa integritate, confirmamus perenniter usibus Fratrum præfati Cœnobii, sub perpetua immunitatis defensione, ac nostræ Celsitudinis facto testamento. Per quod jubemus atque præcipimus, ut nullus Comes aut Judex publicus, Vicarius, Advocatus, seu quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones præfati Monasterii, quas moderno tempore in quibuslibet Pagis ac territoriis, infra ditionem Imperii nostri, justè ac legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines illius loci, tam ingenuos quàm servos, super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris ac futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt penitus exigere præsumat.

SED & memorato Monasterio, spe beatitudinis æternæ, ut ad salutem animæ meæ in æterna quiete proveniat, cum concessis fredis, omnium teloniorum exactiones indultas esse volumus ac remissas, sicut in Præcepto Antecessoris mei continetur: ita ut quoties pro utilitate Monasterii ac Fratrum aliquos dirigi contigerit, per diversa loca Imperii nostri euntibus & revertentibus, absque ulla sollicitationis inquietudine,

(1) SUALMAM. Hodie Munincx-Swalm, Vicus prope Sottegemium.

(2) HOLTHEM, vulgò *Hautbem*, vicus tertio milliari à Gandavo, in cujus Basilica parochiali olim sepultum fuit corpus S. Livini Episcopi & Gandensium Patroni; visiturque etiamnum tumulus ibidem ingentis molis, cum cavea subterranea: ut in Fastis Belgicis 12. Nov. fusius explicui.

(3) FLIATHERSSLE, hodie Vliedersele seu vulgo *Vlierzeele*, secundo lapide ab Alosto.

(4) BOCHOLT. Bouchout Pagus Agri Riensis prope Liram, de quo supra pag. 29.

(5) BEVELANDA & Walacra, Insulæ Zelandicæ, *Beverlant* & *Walcheren*.

ne, negotium ſuum liceat exercere, quatenus ipſos ſervos Dei ibidem famulantes, pro me atque ſtatu regni à Deo mihi conceſſi, jugiter miſericordiam Dei exorare delectet. Ut autem hujus renovationis ac confirmationis auctoritas majorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propriâ ſubter eam firmavi, annulique impreſſione aſſignari juſſi.

Signum Domini Henrici Regis invictiſſimi.

Egilbertus Cancellarius, vice Wulligiſi Archicapellani, recognovit.

DATA Nonis Februarii, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo tertio, Indictione pri- 1003.
mâ, anno ſecundo Domini Henrici Regis I.

Actum in Aquiſgrano Palatio feliciter.

CAPUT XVIII.

GISLA *Gandavenſis, ſe ipſam, cum univerſa ſobole, offert in Ancillam Eccleſiæ S. Gertrudis Nivellenſis, anno* 1003.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum ſit tam præſentibus, quàm futuris in perpetuum. Ego GISLA, cùm ſecundùm mundanæ dignitatis gloriam, liberis orta Parentibus in Gandavo, ſatis forem ingenua, in ſanctorum Patrum exhortationibus animadvertens, Humilitatem inter ceteras florere virtutes, concupivi animo, in Sanctorum ſervitio, carne & ſpiritu humiliari, quorum Patrocinio & Interventu Dei miſericordiam aſſequerer.

HAC ergò præmunita intentione, Me, cum mea tota ſobole, tradidi per liberam manum Beatæ GERTRUDI in ancillam, ut ſuo acceptos Nos dignaretur famulatu, in remiſſionem peccatorum. Tradidi autem me, ſub hac lege indiſſolubili, ut tam ipſa quàm tota progenies mea & poſteritas, XVI. Kal. Aprilis, ſingulis annis, pro capitali cenſu, ad Capitale Virginis Altare, unum denarium perſolveremus, pro mortua manu tantumdem. Nullum Advocatum, præter Lovanienſem Comitem, nullum Cenſuarium, præter Cuſtodem Altaris habentes; liberi deinceps à cetera exactione.

ET ne quis præſumeret hanc Legem nobis violare, promulgata eſt ab Eccleſia Nivellenſi ſententia anathematis in eum, ut pereat cum Dathan & Abyron.

ACTUM eſt hoc publicè Nivellæ, anno Incarnati Verbi MIII. Indictione primâ, Epa-
ctâ XVII. imperante glorioſo HENRICO, præ- 1003.
ſidente Domino (1) NOTKERO Leodicenſi Præſule; Comite (2) Lovaniæ LANTBERTO; Abbatiſsâ Eccleſiæ ALHEDE; ſubſignatis Teſtibus.

Signum Alhedis Abbatiſſæ.
S. Frederici Præpoſiti.
S. Godeſcalci.
S. Gualteri.
S. Cononis.
S. Joannis.

(1) NOTKERUS Leodicenſis Epiſcopus anno 1007. obiit: in qua Diœceſi olim ſita fuit Nivella vetus Gallo-Brabantiæ Oppidum, Sigeberto Gemblacenſi Nivigella. Nunc autem eſt in Diœceſi Namurcenſi.

(2) LOVANIA, ut Veteres loquebantur, ſeu Lovanii Comes Lantbertus, anno 1015. Florinis cæſus, Nivellis conditus jacet, cum Uxore Gerberga, Caroli Lotharingiæ Moſellanæ Ducis filia.

CAPUT XIX.

Epiſtolâ ad OTGINAM *Flandriæ Comitiſſam*, BALDUINI BARBATI *Conjugem, ſcriptâ*, OTHELBOLDUS XXVI. *Abbas Monaſterii S. Bavonis Gandenſis recenſet Sanctos ac Poſſeſſiones dicti Monaſterii, circa annum* 1030.

DOMINÆ noſtræ Sereniſſimæ OTGINÆ Comitiſſæ, OTHELBOLDUS, gratiâ Dei Abbas, ceterique Gandenſis Cœnobii Fratres debita ſervitutis & orationis obſequia.

PRÆCEPIT nobis excellentiſſima pietas veſtra, ut nomina SANCTORUM, quorum corpora, annuente Deo, apud nos coluntur, ſcriberemus. Obtemperantes juſſionibus, paucis annotavimus & deduximus vobis ea, ut memoria eorum jugiter vobiſcum eſſet in præſenti, & ut partem cum eis mereamini habere in futuro. Nomina autem eorum hæc ſunt.

PRIMUS & præcipuus Patriæ noſtræ Patronus S. ALOWINUS, cognomento BAVO, Nobiliſſimus atque ditiſſimus Hasbanienſis Pagi Comes, Beatiſſimæ Gertrudis Virginis Conſobrinus, Prædicatione Beati Amandi Pontificis, imò Dei Omnipotentis inſpiratione, totâ mentis devotione converſus, relinquens cognationem & Patriam, Chriſtum ipſumque Conſulem Gandavum ſecutus, dum ſtuduit relinquere terrena, meruit obtinere cæleſtia. Sed hæc pleniùs liber vitæ ejus refert.

Secundus S. LANDOALDUS, Romæ Præſul ordinatus, & à prædicto Pontifice Amando accitus, ut gregem Domini fidelium ſanctâ ſecum prædicatione in Gallia amplificaret, poſtquam mul-

multam ad Dominum plebem convertisset, Trajectensem per novem annos rexit Pontificatum; S. Lambertum ab annis puerilibus studiis coelestibus informans, post multam bonorum operum insignia, in eodem est Episcopio tumulatus.

Tertius beatus AMANTIUS, ipsius Præsulis S. Landoaldi Archidiaconus, cum ipso in eadem theca repositus.

Quartus ADRIANUS Martyr, ipsius ad Regem Hildericum Internuntius, & in ipsa Legatione à latrone interemptus, simul cum eo est tumulatus.

Quinta S. VINCIANA Virgo, soror ejusdem S. Landoaldi.

Sexta Beata LANDRADA, Belisiæ Abbatissa, quæ Beatam docuit Amelbergam.

HI cum Beato Landoaldo de Roma pariter venientes, & ipsius ubique laboris & Prædicationis consortes, cum ipso sunt simul tumulati, & Deo propitio ad nos usque perlati. Sed hæc omnia liber de gestis eorum conscriptus manifestiùs testatur.

Septima PHARAILDIS Virgo, apud nos antiquitus reposita.

Octavus S. LIVINUS Episcopus, de Scotia causâ orationis veniens, & apud Villam quamdam S. Bavonis hereditariam à viris malignis interfectus, Palmam est Martyrii à Christo adeptus.

Nonus beatæ memoriæ MACARIUS, Antiochenæ Sedis, ut ipse testabatur, Archiepiscopus, (1) ut ipsi vidimus, sapientiâ & morum honestate præclarus: quem Dominus, post multa peregrinationis incommoda, nobis est transmittere dignatus, atque præsentis vitæ molestiâ exutum, & æternâ gloriâ sublimatum crebris miraculorum signis mirificè decoravit.

DEINDE quanta apud Nos plurimorum Sanctorum pignora habeantur, scilicet Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, antiquitus ab ipso Christianitatis exordio recondita, nisi quis oculis inspexerit, neque narranti neque scribenti facilè credet. Et quod ex his maximum & pretiosissimum, est pars quædam magna Ligni Salutaris, cum ipso Redemptoris nostri cruore manifestissimè perfusa, & fabricata auro, gemmisque pretiosis decentissimè inserta.

NUNC igitur, Domina nostra dulcissima, quoniam satis vobis factum est de Corporibus & Reliquiis Sanctorum, animadvertat, si placet, vestra pietas, qualis quantusque hic locus olim fuerit, & ad qualem nunc dilapsus inopiam; & tamen caput Regionis, primatum tenens ceterarum civitatum, & ab antiquis Gandavum vocitatus castrum; ubi sanctus Pontifex AMANDUS, post gentilium conversionem, templum Domino, in honore Beati Apostolorum Principis Petri, Reliquiis maximis construxit insertis, atque Monachorum ibi catervam instituens; Privilegiis Apostolicis & Regum Præceptis decentissimè corroboravit: ubi etiam insignis Pater BAVO omnium virtutum perfectione probatissimè consummatus, ut ante prælibavimus, à Deo Omnipotente sublimiter est exaltatus.

CUMQUE meritis ipsius & virtutum signis idem locus quotidie oblationibus fidelium augeretur & cresceret; post plurima annorum curricula, peccatis Christianorum exigentibus, Nortmanni ipsum locum adeunt, vastant, incendunt, & omnia diripiunt; solummodo Sanctorum corporibus, maximis fidelium laboribus, ad Montem Regium Laudunensem fugâ dilapsis.

CUMQUE inibi, propter metum ipsorum Danorum, quoniam omnia occupaverant, diutiùs morarentur, hereditas eorum versa est ad alienos, & domestici atque extranei diripuerunt ea. Sed & Proavus senioris nostri MAGNUS ARNULFUS, maximas inde abstrahens partes, satellitibus suis, secundùm quod unicuique eorum erat contiguum, distribuit.

HOC est, in Pago Curtracensi villam Elisachiam cum Ecclesia & mansis triginta octo, item villam Sidenghem, & in villa Holthem mansos quattuordecim; & in Pago Metelentinse, in villa Seclinis, mansos quatuor, cum molendinis duobus & cambis duabus; & in Pago Tornacensi villam Fontaneiam nomine, cum omnibus appendiciis; & in Pago Trecensi villam Colomnam dictam, item aliam villam nomine Nielam; & in Pago Bracbantensi villam Meren, cum Ecclesia & mansis septuaginta septem, item Crainham villam, cum Ecclesia & mansis triginta, item Bellavicum cum Ecclesia & omnibus appendiciis; item Brugeeine villam cum omnibus reditibus, item villam Miliniam cum Ecclesia & omnibus adjacentiis, item villam Mershem cum Ecclesia, pratis, pascuis, silvis; & omnibus adjacentiis; item villam Singem cum Ecclesia & ceteris ad ipsam pertinentibus, item villam Badengem cum Ecclesia & reditibus ceteris, item villam Mortesela, cum Ecclesia suisque appenditiis; item in Masmine mansos quinque cum Ecclesia.

ET in Pago Flandrensi Bettingem, cum Ecclesia & omnibus ad ipsam pertinentibus, item Holtanna cum Ecclesia, item Ostold Ecclesiam, item Ecclesiam Adingem. Item in Pago Mempisco villam Guntrengem cum Ecclesia; & in Pago Gandensi villas has, Hemthorp, Husoine, Bergine, Wasmonasterium, cum omnibus appendiciis earum, & Ecclesia in Merendra sita.

SED & Comites Provinciarum, & Episcopi singuli eorum obtinuerunt partes suas, unusquisque in locis suis, usque ad tempora piæ memoriæ Prædecessoris nostri, Domini videlicet Abbatis ODWINI: qui adiens piissimum Imperatorem Ottonem, quasdam Imperio suo contiguas

DE SS. Bavone, Landoaldo, & aliis, quorum corpora olim in Bavonensi Monasterio quieverunt, vide Fastos nostros Belgicos.

(1) UT IPSI VIDIMUS. Nota ætatem Scriptoris Othelbodi Abbatis. Obiit autem S. Macarius anno 1012.

contiguas villas impetravit, quibusdam, ut erant ibi injustè direptæ, morte ipsius interveniente, remanentibus:

Ex quibus duas fiscales detinuit Episcopus Leodiensis, Calmund & (2) Meldrada, cum eorum appenditiis, ut (3) Renoldus Comes *Suessionis* villam Vasleiam nuncupatam; sed & (4) Winemarus villam Litbecam, cum Ecclesia & omnibus appendiciis, & Uda Comitissa villam Warminiam, cum mansionibus quindecim & suis appenditiis, & Comes (5) Renerus villam Letha cum Ecclesia & suis reditibus, & Sconarda similiter, & Robertus villam Grenberga, & plurimi plures, quas enarrare longum est.

Interim quoniam huc usque de injustè vel violenter loco sancto ablatis summatim perstrinximus, nunc redeamus ad ea, si pietati vestræ audire placet, quæ Sanctis remanserunt, vel quæ post reversionem eorum de prædicto Monte, laborioso sudamine nostrorum Parentum, postmodùm sunt reacquisita.

In Pago Flandrensi, id est, in (6) Rodenborch, duæ Ecclesiæ, additis etiam inibi aliquantis terrarum partibus, fidelium postmodùm devotione collatis. Similiter & Baltreshanda, & in Lappescura, & in villa Velhem mensuræ vel mansi quinque, & in Mempisco, in villa Cauengem, Ecclesia una.

Et in Pago Gandensi in Villa Merendre m. quinque, & in Wilda m. quinque, & in Winderholt Ecclesia una: & inter Marcam & Ekkergem m. xvi. cum Ecclesia, & inter Liedrengem & Singengem & Achtine m. decem: item in alia Villa Singengem, super Scaldim fluvium, m. v. cum Ecclesia: item in Guddengem m. quinque, & in (7) Sualmis Villa cum Ecclesiis & m. xx. & in (8) Papengem Villa, cum Ecclesia & m. xxx. & in Kothem & in (9) Gisensela m. vi. cum Ecclesia & dimidia. Hæc de plurimis prioribus pauca juris Sanctorum cessêre.

Et hæc sunt quæ, clementiâ pii Imperatoris Ottonis, prædictus Dominus Abbas Odwinus postmodùm impetravit, ut suprà retulimus. In Pago Tornacensi Villam (10) Waterlos, cum Ecclesia & omnibus adjacentiis, & in Comitatu Antverpiensi Villam (11) Bucholt cum Ecclesia & reditibus, sed & præcincturas & telonea in omni Regno suo nobis clementer indulsit.

Huic nostræ miseriæ & inopiæ accessit pietas benignissimi nostri hujus Senioris Balduini: & de suo proprio in Pago Flandrensi, in loco nuncupato Ruga, contulit ducentas mensuras terræ, pascuis ovium congruas; & in Pago Gandensi, in Villa Stota mensuras septem, & in Pago Bragbatensi Villam (12) Selleca, cum Ecclesia & mensuris decem, & in Villa nostra Waterlos mensuras septem.

Hæc ergò omnia cum exactoribus nostris diligentissimè perscrutantrs, vix m. cc. ad Fratrum usus servientes quivimus computare.

Ecce Domina nostra clementissima, patefecimus vobis omnia, quæ priùs apud Nos fuerunt, & quæ postmodùm, & quæ nunc. Amodò locum nostrum respicite, & nostri misereamini; ut Dominum nostrum Balduinum & liberos vestros, & Regnum vestrum Omnipotens Dominus noster, interventu omnium Sanctorum suorum, precibusque nostris exiguis, respiciat & gubernet. Detque vobis quietam & tranquillam vitam in præsenti, & Regnum & requiem sempiternam in futuro, amen.

CAPUT

Additio. (2) Meldrada, vulgò *Meldert*, vicus Diœcesis Mechliniensis sub Decanatu Thenensi prope Hougardiam. Celebris hìc est cultus S. Ermelindis Virginis, de qua vide Molanum in Natalibus SS. Belgii & Fastos nostros ad diem 29. Octobris.

Sic fermè ait Molanus loco citato: Dux Pipinus, Pater Beatæ Gertrudis, sacrum Corpus Beatæ Ermelindis, consanguineæ suæ curavit levari è tumulo: prædiorum quoque maximâ multitudine locum ditavit, instituens illic Sanctimonialium Virginum Monasterium.

Quibus, ut Divinum Sacrificium peragerent, Presbyteri ex Monasterio S. Bavonis Gandavi evocati sunt, atque in vicino monte, qui Teutonicè *Calsmont* dicitur, constituti. Sed neutrum Monasterium nunc subsistit, crediturque Normannorum furore eversum.

Bona præfatorum Monasteriorum dein assignata fuêre Capitulo S. Bartholomei Leodii, (de quo in Epistola jam memorata conqueritur Otheboldus Abbas S. Bavonis) ab eoque etiamnum possidentur.

Tamen Begginæ Lovanienses contendunt, se primitus fundatas fuisse Meldariæ, & inde migrasse Lovanium, seque hodiedum possidere bona, census & redditus Monasterii harum Sanctimonialium Meldariæ. *Ita habet Joannes à Rychel Abbas Gertrudanus, in vita S. Begghæ, cap.* 47.

(3) Renoldus, seu Rainaldus, Comes Suessionensis, infrà cap. 24.

(4) Winemarus Castellanus Gandensis: de quo vide lib. 1. Dipl. Belg. cap. 45.

(5) Renerus, seu Ragincrus, Hannoniæ Comes.

Additio. (6) Rodenborch, hodie Ardenbourg, munitum Flandriæ Oppidum, quod nunc est in potestate acatholica Hollandorum. Fuit illic olim Capitulum Canonicorum B. Mariæ & S. Bavoni sacrum, fundatum circa annum 1294. ab Abbate S. Bavonis. Litteras Fundationis exhibebimus in Supplemento Diplomatum Miræi.

(7) Sualmis, hodie *Munick-swalmen*, Pagus in Comitatu Alostano ac Diœcesi Mechliniensi, sub Decanatu Rothnacensi. Ejus Patronatus hodieque spectat ad Episcopum Gandavensem, quà Successorem Abbatis Bavoniani. Decima verò pertinet ad Capitulum Cathedrale Gandavense, quod factâ sæcularisatione ex Abbatia S. Bavonis anno 1536. exortum est.

(8) Papenghem: hodie Papinghem, Vicus sub Parochia de Vlierzeele, in Comitatu Alostano, Diœcesis Mechliniensis, & Decanatu Oirdegemiensi: ubi Patronatum itidem gerit Episcopus Gandensis.

(9) Gisensela, hodie Gyseele, Parochia sub eodem Decanatu Oirdegemiensi, & eodem Patronatu.

(10) Waterlos, Patrimonium S. Bavonis, Parochia Gallo-Flandriæ in Episcopatu Tornacensi ac Decanatu Helciniensi. Ejus Patronatus hodieque spectat ad Episcopum Gandavensem.

(11) Bucholt, hodie *Bouchout*, Parochia Diœcesis Antverpiensis, haut procul Antverpiâ, olim dicta *Bacwalde*, (cujus mentio facta est in Testamento S. Willebrordi Cod. Donat. Piar. cap. 8.) hinc sub Patronatu Abbatis S. Bavonis Gandavi, hodie verò Episcopi Gandavensis.

(12) Selleca, hodie *Zellick*, Parochia Diœcesis Mechliniensis, Bruxellas inter & Alostum: ejusdem Patronatûs ut supra.

CAPUT XX.

GERARDUS *Vir Princeps Vulferei Curtem anno* 1033. *donat Divionensi S. Benigni Cœnobio, quod est Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Omnibus rectè credentibus, ac sanum sapientibus liquet, provectum perfectionemque justitiæ, salutem quoque animarum permaximè in eleëmosynarum largitate consistere, Domino in Evangelio pronuntiante: *Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quæ quamvis multipliciter à devotione fidelium Christi membris impertiatur, uno modo exhibita fructuosior, Deoque gratior approbatur; cùm scilicet Sancta Ecclesia, quæ Christi sponsa esse noscitur, bonorum temporalium, nobis ab ipso collatorum, munere nostro, heres efficitur. Hoc enim modo non semel tantùm, sed perenniter & in omnibus ætatibus facimus nobis amicos, spirituales videlicet viros, & ejusdem Ecclesiæ filios, de iniquo mammona, qui recipiant nos ad æterna tabernacula.

CUJUS utilitatis respectu ego (1) GERARDUS, cùm, divinâ opitulante gratiâ, mundanæ dignitatis multis fulcirer opibus, contuli DIVIONENSI Cœnobio, gloriosissimi Martyris (2) BENIGNI præsentiâ nobilitato, religionisque monasticæ statu, temporibus nostris, famosissimo, hortatu & interpellatione HALINARDI Abbatis prædicti Cœnobii, quoddam juris mei prædium, à Prædecessoribus meis hereditariâ mihi lege dimissum; de quo quidem voluntas Antecessorum meorum fuerat, ut ad præfatum deveniret locum; sed obstaculo mundanæ occupationis, ad nostra usque tempora remansit imperfectum.

PERPENDENS ergo à Deo mihi reservatum hujus beneficentiæ fructum, obtuli Deo Sanctoque Martyri Benigno, pro peccatorum meorum absolutione, proque patris mei ADALBERTI, & avunculi mei GERARDI animarum salute, jam memoratam prædium, Villam scilicet Vulferei-Curtis, quæ sita est in Comitatu Solecensi, supra flumen quod dicitur Mosuna, cum omnibus suis appendiciis: in primis scilicet cum Ecclesia in honore Dei Genitricis dicata, servis & ancillis ibi commanentibus, seu alibi dispersis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, cunctis insuper ad prædictum locum interiùs aut exteriùs pertinentibus, quæsitis & inquirendis, totum ex integro de mea potestate in præfati Monasterii Rectorumque ejus transfundo; nihil mei reservans ex omnibus, præter Advocati tutelam, quam retinui propter animæ meæ salutem, scilicet ut in rebus à me collatis prædictus locus semper haberet ex meis heredibus tutorem ac defensorem.

CUJUS tutelæ functionem cuidam nostro fideli, GERARDO nomine, quia mei memor erat, tali commendavi tenore, ut in prædicto alodio nihil requirat, nihil penitus accipiat, sed si fortè contigerit, ut humilitas ac mansuetudo Monachorum à vasuis aut ab extraneis pro aliquo negotio non possit justitiam exigere, si Advocatus fuerit ab eis accersitus, & legalem de re, pro qua agitur, exegerit emendationem; ipse emendationis tertiam à Monasterii Ministris accipiat partem. Quod præsenti Chartæ idcirco inseritur, ut Successorum meorum industria caveat, ne eleëmosyna nostra alicujus Advocati cupiditate depereat.

QUOD si quis..... Deo Sanctoque teste suo Benigno resistente, non prævaleat, imò Regali Cameræ xxx. auri libras componens; præfato Monasterio totidem adjiciat, & nostra donatio inconvulsa permaneat, quæ publicè ac legaliter facta, meâ propriâ manu, multorumque Virorum illustrium consistit roborata.

Signum GERARDI qui fecit,
S. Guuteri,
S. Oderici Militis ejus,
S. Arnulfi Fratris ejus,
S. Theoderici Comitis,
S. Bosonis......

ACTUM Monasterio (3) *Romarici*, publicè die Sabbati, 11. Kalendas Julii, anno millesimo tricesimo tertio, anno autem Regni Chunradi Imperatoris..... anno quoque Regni Filii ejus.... Indictione primâ, Epactâ decimâ septimâ, in Dei nomine feliciter, amen. 1033.

CA-

(1) GERARDUS. Quis fuerit iste Gerardus, non ausim certò affirmare. Fortasse is fuit qui Adelberto in Ducatu Lotharingiæ Mosellanæ anno 1048. successit, inter Duces Mosellanos ordine septimus. Disputant autem Antiquitatis indagatores, cujus iste Gerardus Dux fuerit filius. Scriptor Genealogiæ Fundatorum Monasterii Murensis apud Helvetios, Spirembergii anno 1218. editæ, tradit Gerardum istum fuisse filium Theoderici Lotharingiæ Mosellanæ Ducis, ordine secundi. Quod si verum est, Gerardus, cujus Diploma jam recitavimus, non fuerit Dux Lotharingiæ, utpote Adelberti filius, juxta idem Diploma.

(2) S. BENIGNI. Divionense Cœnobium, in Ducatu Burgundiæ ac Diœcesi Lingonensi, est Canonicorum Regularium: quibus adscriptus Henricus, Henrici I. Brabantiæ Ducis filius primogenitus, anno 1269. solemnia vota emisit, ut infrà suo loco dicemus.

(3) S. ROMARICI Monasterium in Lotharingia ac Diœcesi Tullensi, olim erat duplex, Monachorum, item Monialium Benedictinarum, fundatum à S. Romarico Abbate, & Monacho Luxoviensi, qui vixit circa annum 620, & inter Sanctos celebratur die 8. Decembris.

Sed circa annum 1515. facto transitu à statu Regulari ad Secularem, hodie est illustre Virginum Canonicarum Collegium, quæ sunt numero LXXII. omnes primariæ Nobilitatis, sub Abbatissa (quæ passim nunc est ex Familia Lotharingica & titulum gerit Principis S. R. I.) item Decana, Eleemosynaria &c. Additio.

CAPUT XXI.

THEODUINUS *Leodicensis Episcopus Huiensem Canonicorum B. Mariæ Ecclesiam dotat anno* 1066.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Bona vitæ præsentis omnibus, qui ea diligunt avarè, nullam salutem, sed mortem pariunt sempiternam. Qui autem per eadem bona operibus misericordiæ florere studuerint, ferunt quidem temporalia, metent verò centuplo fructu sine fine mansura.

PROINDE igitur ego (1) DIETWINUS, Leodiensis gratiâ Dei Episcopus, exemplo Domini Richarii, Euracri, Notgeri, aliorumque Decessorum hujus Sedis, qui non solùm extrinsecus acquisita, sed multa etiam sibi & Successoribus subtrahentes, laborantibus inopiâ Congregationibus piè & misericorditer subvenerunt, in salutem & redemptionem animæ meæ, Ecclesiæ in (2) HOYO Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Sanctique Domitiani, contuli ad usus Fratrum hæc subter adnotata......

QUONIAM verò in eadem Ecclesia requiem elegi in sæculum sæculi, eam cum appendicibus Ecclesiis & omni Clero, ab omni subjectione Archidiaconi, ipso annuente & totâ Leodiensi Ecclesiâ, absolvimus, & eorum omnium curam Decano ejusdem delegavimus.....

HÆC omnia ritè peracta ipso die, quo Ecclesiam dedicavi, adjuvante Lietberto Cameracensi Episcopo, Golbertus Archidiaconus altâ voce recitavit sine contradictione..... Testes,

Hermannus Præpositus,
Godescalcus,
Boso,
Dietwinus,
Wolbertus Decanus,
Asculpus Cantor,
Franco Scholasticus,

Laïci verò,

Comes Adelbertus,
Comes Henricus,
Comes Cono,
Walterus Advocatus Ecclesiæ,
Godescalcus de Cennaco,
(3) Godefridus & Arnulphus de Florines,
Theodoricus de Floreffia, & Frater ejus Christinus,
Hermannus de Heis,
Stephanus de Fals.

FACTA sunt hæc anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto, Indictione IV. 1066.
anno Episcopatûs Domini Dietwini XVIII. Regis verò Henrici XI.

Ego Franco Scholasticus recognovi.

(1) DIETWINUS, seu Theoduinus, Leodicensis Episcopus. anno 1075. decessit, Huy conditus in Basilica S. Mariæ à se dotata.

Additio. (2) HOYO, aliàs Huium. Otho III. Imperator anno 985. confirmavit Notgero Leodicensi Episcopo, ejusque Successoribus Donationem Comitatûs Hoiensis factam ab Aufrido vel Ansfrido Episcopo Ultrajectino. Vide Diploma in Codice Donat. Piarum Cap. 40; item Cap. 58. ejusdem Codicis aliud Diploma Theoduini Episcopi in favorem Ecclesiæ Huiensis.

(3) GODEFRIDUS & Arnulphus de Florines, fratres Gerardi I. Cameracensis Episcopi, de quibus Baldericus in Chron. Cameracensi.

CAPUT XXII.

GODEFRIDUS MAGNUS, *Lotharingiæ superioris & inferioris Dux, rogante Conjuge sua* BEATRICE, *in Ecclesia S. Dagoberti Martyris, in Lotharingiæ Oppido Sathanaco sita, Monachos Gorzienses anno* 1069. *collocat, amotis Canonicis.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, GODERIDUS Dei gratiâ Dux & Marchio. Dignum & animabus nostris utile ac necessarium esse censemus, ut qui diutiùs in hujus mundi pelago conversati, & per ejus vel adversa vel prospera variis casibus velati, secundis ac contrariis ventis agitati sumus, tandem aliquando Salvatoris Domini clementiam invocantes, portum salutis & tranquillitatis comprehendere satagamus, & ipsi Domino Deo nostro pro omnibus, quæ nobis tribuit, saltem parum quodlibet retribuere festinemus.

QUOD ita competentur posse fieri speramus & credimus, si in Ecclesiis, quæ sub nostro jure fuerant hactenus constitutæ, sed non satis divini officii executoribus institutæ, Deo religiosè servientes Monachos aggregemus, & eis de nostris prædiis ac reditibus, unde sibi ministrent necessaria, prorogemus; ut dum nos illis bona temporalia procuramus, Deo procurante participari

participari bonis eorum spiritualibus valeamus.

UNDE ego GODEFRIDUS Dux, instinctu & supplicatione venerandæ Collateralis nostræ BEATRICIS multoties sollicitatus, considerans quòd Ecclesiam (1) S. DAGOBERTI apud (2) Sathanacum, Villam juris nostri, & pretiosis ipsius Sancti Martyris Ossibus, & multis aliis Sanctorum pignoribus illustratam, sed à Canonicis inibi sub carnali vita degentibus, & sua potiùs quàm divina quærentibus, usquequaque neglectam, virum boni testimonii & sanctæ conversationis HENRICUM (3) Gorziensem Abbatem, & Monachos ejus, cum consilio Domini CUONRADI, Sanctæ Treverorum Sedis Archiepiscopi (in cujus Diœcesi locus ipse situs erat) ceterorumque fidelium, Dei ac nostrorum, convocavimus, & illis remotis istos in locum eorum substituimus.

QUAPROPTER notum esse volumus tam futuris quàm præsentibus Sanctæ Gorziensis Ecclesiæ filiis & fidelibus, quia Ecclesiam jam dictam S. Dagoberti S. Gorgonio & Abbati Gorziensi Henrico & Successoribus ejus legali donatione concedimus & confirmamus, & omnibus rebus sibi ex antiquitate appendentibus delegamus, id est, in dotibus Altaris, in decimis, campis, pratis, pascuis, silvis, piscationibus, censibus, capaticis & omnibus aliis pertinentiis.

PRÆTEREÀ superaddimus eis judiciarium mansum, superponimus cum reditibus suis Ecclesiam sitam apud Villam Mosacum, adjungimus decimas omnium nostrarum ipsius potestatis indominicaturarum, hoc est, in censibus terrarum, in capaticis virorum & feminarum, decimam molituræ & piscinam molendinorum nostrorum, decimam caseorum ad Curiam nostram pertinentium, decimas etiam rerum beneficatarum. Donamus etiam eis vineam apud Villam vocabulo *Columbariam*, & pratum quod dicitur ad *Canirol*, juxta pratum nostrum indominicatum, sed & corvatem in loco qui vocatur *Blatizis-fontana*: & hæc omnia eis confirmamus jure quieto possidenda per sæcula.

AD hæc ne quis hominum sive liber, sive servus, sive Judex, sive Advocatus, huic nostræ Donationi contraire præsumat, neve ei in ullo vel in otio vel negotio refragator vel temerator existat, nostræ potestatis auctoritate & banno prohibemus & interdicimus, & omnes Successores nostros, ut idem prohibeant & inculcent, votis omnibus flagitamus.

ET ut hæc donatio & confirmatio perpetuum memoriale obtineat, nec cujusquam oblivionis vetustati subjaceat, hanc descriptionem testamentalem jussimus exarari, & nostri sigilli impressione, simulque Testium idoneorum affixione signari.

Signum Godfridi Ducis.
S. Beatricis conjugis suæ.
S. Godefridi filii sui.
S. Geselini Comitis.
S. Fulconis Comitis.
S. Helbranni Castellani.
S. Herbranni filii sui.
S. Alberti filii sui.
S. Gisleberti,
Godescalci,
Roderici,
Balduini,
Godefridi,
Hugonis,
Theobaldi,
Herberti,
Warini,
Rogeri,
Ratholdi,
Rudolphi,
Richeri,
Alonis.

ACTUM (3) BULIONI, anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo nono, Indi- 1069.
ctione VII. regnante Henrico, filio Imperatoris Henrici, anno Regni ejus XIII.

(1) SANCTUS DAGOBERTUS iste quando Martyrium fecerit, nondum certò comperi. Errant qui hunc Martyrem faciunt Regem Francorum.

(2) SATHANACUM, vulgò *Stenai*. Urbs olim munitissima, ad Mosam sita in finibus Campaniæ Gallicæ & Ducatuum Luxemburgi & Barri. Olim illic erat Prioratus Benedictinorum, ab Abbatia Gorziensi dependens.

Additio. (3) GORZIENSE, S. Gorgonii Monasterium fuit olim Benedictinorum, distans tertio lapide ab Urbe Metensi. Fundatum fuit circa annum 758. à Sancto Chrodegando Episcopo Metensi, Caroli Martelli Francorum Regis Cancellario. Olim quoque dicebatur *Novientum*, eò quod in terra istius nominis à Pipino Francorum donata, fuisset erectum illud Cœnobium.

Porrò non modo Virorum sanctitate ac litteris eminentium, sed & plurium Episcoporum Seminarium fuit Gorzia: ibique Sigebertus Gemblacensis Chronographus diu vixit. Solebant olim illic esse 70. aut 80. Monachi Benedictini: sed vel bellorum injuriis, vel Abbatum Commendatariorum prodigalitate, sic dimunitus fuerat ejusdem Abbatiæ splendor, ut Gregorius XIII. Pontifex eam anno 1580. suppresserit, ejusque proventus univerit Primatiæ Sancti Georgii Nancei, ad instantiam Ducis Lotharingiæ.

Ab hoc tempore divinis Officiis Gorziæ operantur septem vel octo Canonici sæculares, in Ecclesia Parochiali; nam Ecclesia Abbatialis cum claustris sic est diruta, ut vix lapis super lapidem remanserit.

(4) BULIONENSE, seu Bullionense Castrum, cum ditione vicina, Godefridus Bullonius, ad bellum sacrum anno 1096. profecturus, Otberto Leodicensi Episcopo vendidit; ut & Thudinium Oppidum, vulgò *Thuin*, Balduinus Jerosolymitanus Hannoniæ Comes.

Stemma Godefridorum, Ducum Lotharingiæ superioris seu Mosellanæ, & inferioris, seu Ripuariæ ac Brabantiæ.

- *Godefridus Captivus Comes Virdunensis & Dominus Ihami, vixit 984, duxit Machtildem Balduini II. Comitis Flandriæ Viduam, quæ obiit 1009.*
  - *Godefridus Improlis Dux Lotharingiæ inferioris, obiit 1023.*
  - *Gothilo Magnus Dux Lotharingiæ superioris & inferioris, obiit 1044.*
    - *Godefridus Magnus, Dux Lotharingiæ utriusque, duxit Beatricem Frederici II. Ducis Mosellani Filiam, obiit 1070.*
      - *Godefridus Gibbosus Dux Lotharingiæ utriusque, & Dominus Bullonii, duxit Mathildem, Bonifacii Marchionis Tusciæ & dictæ Beatricis Filiam, obiit 1076. sine prole, & scripsit heredem Godefridum Bullonium.*
      - *Ida Uxor Eustathii II Comitis Boloniensis.*
        - *Eustathius III.*
        - *Godefridus Bullonius.*
        - *Balduinus.*
    - *Fredericus pòst Stephanus IX. Papa.*
    - *Gothilo Ignavus Dux Lotharingiæ inferioris post Godefridum Improlem, juxta Contractum, obiit 1046.*
    - *Oda Uxor Balderici Comitis Lovaniensis.*
      - *Henricus II. Comes Lovaniensis duxit Aleidem.*
        - *Henricus III. Comes Lovaniensis duxit Gertrudem Roberti Frisii Comitis Flandriæ Filiam, obiit 1095.*
        - *Godefridus Barbatus Dux Lotharingiæ & Brabantiæ 1106. duxit Idam.*
          - *Godefridus II.*
            - *Godefridus III. Dux Brabantiæ.*
        - *Raginerus Monachus Afflegemii.*
        - *Adalbero Episcopus Leodiensis, Aeleida Filius ex altero Marito.*
    - *Regelindis Uxor Alberti II. Comitis Namurcensis.*
  - *Adalbero Episcopus Virdunensis, obiit 992.*
  - *Fredericus Comes Virdunensis, obiit Monachus.*
  - *Hermannus Comes Dagisburgensis & Dominus Ihami, obiit Monachus.*
    - *Mathildis Uxor Ragineri IV. Hanoniæ Comitis.*
      - *Richildis Uxor Balduini VI. Comitis Flandriæ.*
  - *Ermengardis.*

CAPUT XXIII.

BALDUINUS *Comes Gisnensis, ejusque Uxor* ADELA, *Monachis Cœnobii Carofensis seu Carofenensis, in Diœcesi Pictaviensi, dant varia prædia, ad Monasterium Andrense Ord. S. Bened. in Diœcesi Teruanensi excitandum; probante Girardo Teruanensi Episcopo, anno* 1084.

EGO GIRARDUS, Morinorum Dei clementiâ Episcopus, omnibus Ecclesiæ filiis in Domino Jesu Christo salutem.

NOTUM vobis facio, Fratres carissimi, quod ego condignæ petitioni (1) BALDUINI Comitis, & uxoris sive filiorum ipsius benignè condescendens, Comitatum de Gisnes obtinentis, Altare villæ quæ vulgò (2) *Andernes* dicitur, ad opus Monachorum Cœnobii S. Salvatoris (3) Carofensis, ibidem Domino famulantium, omni exactionis debito liberum concedo, exceptis duobus solidis, quos singulis annis in Cœna Domini huic matri Ecclesiæ Fratres ibi commorantes persolvent.

ALIUD quoque Altare, quod dicitur S. Martini, in territorio quod vulgò dicitur *Bredenarde*, concedo, non liberum, sed sub Persona. Excommunicatos verò nostros aut pœnitentes minimè recipiant: Oleum cum Chrismate à nobis per se accipiant. Quod si præfatus locus divino

(1) BALDUINUS Comes Gisnensis, illo nomine primus, ad opus Monachorum, in Villa *Andernes* Deo servientium, dedit Capellam Beatæ Mariæ in Castro Gisnensi sitam; probantibus liberis suis; *Manasse*, *Fulcone*, *Hugone*, *Widone*, & *Mathilde*, coram his testibus, Goiffrido Parisiacensi Episcopo, Ida Boloniensi Comitissa, Ernulfo de Arda, Elemberto Vicecomite, Mauritio & Alulfo filio ejus, Hugone Blanchardo, Balduino filio Wifridi, Balduino Boiardo, Hernaro de Campagnies, Eustachio de Bavelinghem, Lamberto de Tornehem, Hugone de Surches, Eustachio filio Galandi, Goscelino Castellano de Arda, Eustachio filio Frumoldi, & multis aliis: ut Guilielmus Abbas Andrensis in sui Monasterii Chronico manuscripto narrat; ad cujus calcem de primis Comitibus Gisnensibus recitantur Carmina quædam à nobis superiùs allegata pag. 192.

divino munere adeo pullulaverit, ut Prior aut Abbas ibi constituatur; electio ejus penes eosdem Fratres & Capitulum S. Salvatoris (3) Carofenensis pendeat. Electus autem Episcopo Teruanensi consecrandus præsentetur, à quo susceptâ benedictione, ei debitam promittat subjectionem.

Præfatus etiam Comes ibidem attribuit terram de *Hantengehem* cum hospitibus liberam, & duas partes decimæ de *Speldeca*, & terram quattuor dierum in villa *Bissengehem*; & terram triginta dierum apud *Altenges* & apud *Morlengehem*, & carrucatam & dimidiam terræ apud *Suanecam*, & prata triginta dierum in Pago *Bredenarde*, & Comitatum solitudinis de Gisnes, & hospitum duorum hortos apud Gisnes.

Vicecomes Elembertus donat trium dierum terram, cum horto apud Gisnes. Balduinus dat triginta trium dierum terram apud *Fratun*, itemque sex dierum terram apud Gisnes. Domelina octo dierum terram in Campaniis, & hortum unum ad Morlengehem. Ingelramnus de Bavigehem trium dierum terram apud Gisnes. Eustathius de Bavelingehem octodecim dierum terram & prata. Eustathius, filius Frumoldi, viginti dierum terram apud Campanias & apud Buxin. Hugo Blancardus hospitem unum apud Morelenghem. Goso de Campaniis de prædio suo quinquaginta dies. Bonardus de Gisnes hospitem unum. Arnulphus, filius Mauritii, viginti dies prædii apud Boninges & apud Lelengehem; Goiffridus de Bratmes quattuor dies terræ; Everardus totum prędium suum de Herberges. Rainewidus decimam septem carrucarum. Balduinus filius Wifredi decimam prædii sui de Campaniis. Eustathius, Frumoldi filius, decimam prædii sui de Campaniis. Eustathius, filius Galandi, decimam prædii sui. Wandelmarus de Arda & Robertus de Lotenes decimam prædii sui de Campaniis. Goiffridus de Bredenarda suam portionem. Lambertus de Tornehem partem suam decimæ de Liskes.

Item Comes prædictus sedem molendini cum stagno apud Gisnes, & pensam caseorum singulis annis. Balduinus octo dierum terram, & ancillam unam cum filiis.

Quod si aliquis hanc libertatem studuerit violare, aut in rebus hujus loci datis ac dandis invasionem fecerit, donec Deo & Fratribus illis satisfecerit, anathema sit.

Actum est hoc anno Incarnationis Dominicæ millesimo octogesimo quarto, Indi- 1084.
ctione septimâ, temporibus Gregorii VII. regnante Philippo Francorum Rege anno XXVI. dominante Rotberto Consule, anno Præsulatûs Girardi primo, testibus his præsentibus.

Ego Girardus Episcopus subscribo,
Signum Arnulfi Archidiaconi,
S. Joannis Abbatis,
S. Giroldi Abbatis,
S. Audoeni Abbatis,
S. Milonis Decani,
S. Odonis Custodis,
S. Raineri,
S. Bernardi,
S. Nortmanni Decani,
S. Fulcardi Decani,
S. Lamberti Decani,
S. Erembaldi,
S. Norberti,
S. Ernulfi de Arda,
S. Ernulphi de.....
S. Elemberti de Marcenes,
S. Hermari,
S. Balduini, filii Wifredi,
S. Eustachii, fili Frumoldi,
S. Hugonis Blancardi,
S. Guidonis.

Post Versus supra citatos pag. 192. extat in eodem Ms. Codice lacuna, seu spatium vacuum: constatque ex postremis Versibus ibi recitatis, illos scriptos fuisse, vivente *Arnoldo* Comite Gisnensi decimo tertio.

In eodem manuscripto Codice hi Versus recentiore manu adscripti leguntur:

Hic Baldeuinus *Comes inclytus intumulatur*,
Sub quo Gisnia florida Patria pacificatur:
Cujus subsidio Cæsar, *Rex*, *Dux hilaratur*,
Andria protegitur. Super æthera suscipiatur;
Annus millenus ducentenus quadragenus
Quartus, *cum Christo stat in ejus funere plenus.*
Infortunatus Arnoldus *posteà natus*,
Undique vexatus, *& ab omni parte gravatus.*
Hinc Balduinus, *facto Patris*, *sine terra*,
Vixit: & inde pius Joannes.

Additio. (2) Andernes, nunc Ardea, vulgò *Ardres*, Oppidum est Comitatûs Gisnensis, Diœcesis olim Teruanensis, nunc Boloniensis, haud procul Caleto. Habet Abbatiam Benedictinorum, cujus hic fit mentio; aliam item Præmonstratensium, quæ olim erat Collegium Canonicorum, de qua vide plura lib. I. Donat. Belgic. cap. 37. & 59.

(3) Carofensis, vulgò *Charroux*, Abbatia Benedictinorum nobilis atque antiqua in Diœcesi Pictaviensi, ad Cheronam fluvium.

Gisnensium Comitum Series.

I. Sifridus Danus Gisnas Monasterio S. Bertini abstulit, & castellum ibi ædificavit: ut Joannes Iperius in Chronico Bertiniano tradit. Ex *Elstrude*, Arnulfi Magni Flandriæ Comitis filia, genuit Arnulfum.

II. Arnulfus sive Ardulphus ex *Mathilde*, Erniculi Comitis Boloniensis filia & herede, sustulit Rodulfum.

Rodulfus, Gisnarum & Boloniæ Comes, duxit III.
Rosellam Hugonis Comitis S. Pauli filiam: ut Andreas Quercetanus in Historia Familiæ Montmorenciæ, & Ferreolus Locrins in Historia Comitum S. Pauli narrant.

Eustathius, Rudolfi filius, Gisnarum & Boloniæ Comes, ex *Mathilde* Lamberti Comitis Lovaniensis IV.

filia genuit *Eustathium* Comitem Boboniensem, Godefridi Bullonii patrem, *Balduinum* Comitem Gisnensem, *Godefridum* Episcopum Parisiensem, *Gerbergam*, & *Lambertum* Comitem Lensensem, qui anno 1054. sine prole obiit: ut Baldericus in Chronico Cameracensi tradit.

V. BALDUINUS Comes Gisnensis duxit Adelam, & anno 1084. Andrense Monasterium fundavit. Liberos reliquit *Robertum*, alio nomine *Manassem*, & *Gislam* Wenemaro Castellano Gandensi nuptam: ut Lambertus Ardensis Presbyter in suo Chronico Ms. commemorat.

VI. MANASSES ex *Emma*, filia Domini de Renty, genuit *Robertum*, qui ante Patrem obiit, relicta unicâ filiâ *Beatrice*, & *Sibyllam* seu *Rosam*, uxorem Henrici Vicecomitis Borburgensis, quæ sine liberis decessit.

VII. BEATRIX, Avo suo Manassi defuncto in Comitatu Gisnensi succedens, primùm *Alberico Apro*, natione Anglo, pòst *Balduino* Domino Ardæ seu Ardræ nupsit, sed ex neutro prolem genuit: obiitque Theoderico Alsatio apud Flandros principante.

VIII. Manassis posteritate exstinctâ, Soror ejus *Gisla*, dictæ Beatricis Amita major, quæ grandæva adhuc superèrat, Comitatum Gisnensem adiit, & ARNULFO seu Arnoldo filio suo, quem ex Wenemaro Castellano Gandensi genuerat, liberaliter cessit: ut idem Lambertus Ardensis in suo Chronico narrat.

IX. ARNULFUS DE GANDAVO, Comes Gisnensis, uxorem duxit *Mathildem*, Guilielmi Castellani Audomarensis filiam, & Walteri Tiberiadis in Palæstina Principis sororem, ut idem Lambertus Ardensis cap. 47. Meierus in Gestis anni 1084. & Andreas Quercetanus lib. 3, cap. 1. in Historia Familiæ Castillionææ tradunt. Idem Arnulfus cum Mathilde uxore suâ Villam Niwerlede Monasterio Claræ-paludis prope Audomaropolim circa annum 1145. contulit. Diploma Donationis lib. 2. Dipl. Belgicorum Cap. 71. exstat. Obiit Arnulfus anno 1169. teste Meiero.

X. BALDUINUS, Arnulfi & Mathildis filius, Comes Gisnensis, duxit *Christianam* Arnulfi Vicecomitis Marquisiensis & Adelinæ Ardensis Dominæ filiam unicam; ut Lambertus Ardensis cap. 67. & 85. Meierus in gestis anni 1144. tradunt. Idem Balduinus & uxor ejus Christiana anno 1174. variis prædiis Claræ-paludis Cœnobium dotârunt. Balduinum S. Thomas Cantuariensis, cùm ex Anglia pulsus Gisnas venisset, Equitem creavit, ut lib. 1. cap. 71. Dipl. Belgicorum docui. Obiit Balduinus anno 1205. Chronographo Andrensi & Meiero testibus.

Balduino defuncto in Comitatu Gisnensi successit filius *Arnulfus*, qui *Beatricem* Borburgensis in Flandria Castellaniæ heredem anno 1198. duxit uxorem: ut idem Lambertus Ardensis cap. 149. tradit his verbis: *Arnoldus de Gisnes, ad consilium patris Gisnensis Comitis Balduini adhuc superstitis, unicam Broburgensis Castellaniæ heredem, nobilissimi pueri Broburgensis Castellani Henrici jam mortui sororem, legitimo sibi adjunxit & copulavit matrimonio.* XI.

Ceterùm huic Arnoldo seu Arnulfo, Ardæ Domino, & Borburgi Castellano, Historiam suam Lambertus Ardensis inscripsit, obiitque Lambertus circa annum Christi millesimum ducentesimum. Arnulfus porrò obiit anno 1220. & liberos reliquit *Godfridum* in Comitatu Gisnensi Successorem, & *Annam* nuptam Guilielmo Domino de Croy & Araines in Picardia: ut Joannes Scoherius in Genealogia Familiæ Croyæ tradit. De eodem Arnulfo multa Meierus in Gestis annorum 1209. & 1213. commemorat.

GODEFRIDUS Comes Gisnensis anno 1253. ab Hollandis capitur, militans pro Margarita Constantinopolitana Flandriæ Comitissa. XII.

ARNULFUS Godfridi filius duxit *Aleidem*, heredem Engeranni Domini de *Coucy*, & ex ea procreavit *Balduinum* Comitem Gisnensem & *Engerannum* Dominum de Coucy. Anno 1282. Comitatum Gisnensem Philippo Pulchro Francorum Regi vendidit. XIII.

BALDUINUS litem movit pro recuperando dicto Comitatu, sed obiit ante finem litis, ex *Joanna Montmorencia* filiam relinquens Joannam. XIV.

JOANNA nupsit Joanni Augiæ Comiti, *Eu* in Normannia, qui Comitatum Gisnensem Decreto Parlamenti Parisiensis anno 1295. recuperavit. XV.

RODULFUS seu Rudolfus, Gisnarum & Augiæ Comes, Regni Franciæ Comestabilis, in hastiludio lanceâ percussus anno 1344. interiit. XVI.

RUDOLFUS, Rudolfi filius, Franciæ item Comestabilis, jussu Joannis I. Franciæ Regis, anno 1350. capite plexus est; Gisnensi & Augiensi Comitatibus fisco Regio adscriptis. Palatium autem Comitum Gisnensium in Urbe Audomaropolitana, ab Attesiæ Comitissa, in Monasterium Dominicanorum est conversum: ut Iperius in Chronico Bertiniano tradit. Ut porrò Series Comitum Gisnensium clarior fiat, in Schemate eam exhibebo. XVII.

GISNENSIUM COMITUM STEMMA.

- *2. Arnulfus I. Sifridi Filius duxit Mathildem Comitissam Boloniensem.*
  - *3. Rudolfus duxit Rosellam Comitis S. Pauli Filiam.*
    - *4. Eustathius Comes Gisnensis & Boloniensis, duxit Mathildem Lovaniensem.*
      - *Eustathius Comes Boloniensis Pater Godefridi Bullonii.*
      - *Gerberga.*
      - *Godfridus Episcopus Parisiensis.*
      - *5. Balduinus Comes Gisnensis duxit Adelam, & Andrense Monasterium 1084 fundavit.*
        - *6. Manasses duxit Emmam*
          - *Robertus obiit ante Patrem*
            - *7. 8. Beatrix nupta 1 Alberico Apro, 2. Balduino Domino Ardæ, obiit sine prole.*
          - *Sibylla aliàs Rosa, Uxor Henrici Borburg. obiit sine liberis.*
        - *Hugo.*
        - *Fulco Comes de Baruth.*
        - *Guido.*
        - *Gisla Uxor Wenemari Castellani Gandensis.*
          - *9. Arnulphus de Gandavo, Comes Gisnensis obiit 1169.*
            - *10. Balduinus obiit 1205. duxit Christianam Ardæ heredem.*
              - *11. Arnulfus duxit Beatricem Borburg. obiit 1220.*
                - *12 Balduinus obiit 1244.*
                  - *13. Arnulfus.*
              - *Ægidius.*
              - *Balduinus Clericus.*
              - *Sigerus.*
              - *Godfridus.*
              - *Guilielmus.*
            - *Guilielmus*
              - *Balduinus.*
          - *Sigerus.*
        - *Aleidis.*
      - *Lambertus Comes Lensensis.*
    - *Berta.*

Ceterùm in Comitatu Gisnensi situm est Caletum, portus regni Galliæ celeberrimus. Fuit autem dictus Comitatus Feudum Artesiæ, ut Olivarius Marcanus & alii tradunt. Comitibus Gisnensibus operæ pretium fuerit subnectere Dominos Ardæ, ut emendemus ea quæ nobis per errorem sub finem Stemmatum Belgicorum exciderunt.

Domini

Domini Ardæ, vulgò Ardres, *in Tractu Caletensi.*

ARNULFUS Dominus Ardensis anno 1096. in honorem S. Audomari fundavit Canonicorum Collegium in Oppido Ardensi. Diploma fundationis lib. 1. Dipl. Belgicorum cap. 37. exstat

Idem Arnulfus ex Mathilde Markisiensi filium reliquit Arnulfum. Mathilde mortuâ, duxit Clementiam Hugonis, Comitis S. Pauli, filiam & heredem; & jacet sepultus in S. Bertini Monasterio.

ARNULFUS, Arnulfi filius, ex Gertrude, Balduini Crassi Comitis Alostani filia, liberos sustulit, Arnulfum, Manassem, Balduinum, Hugonem, Agnetem & Athelam seu Adelinam: ut Mejerus in gestis anni 1069. commemorat.

BALDUINUS, Arnulfi & Gertrudis filius, Ardæ Dominus, Beatricis Comitissæ Gisnensis maritus, Ardense Canonicorum Sæcularium Collegium ab Avo suo Arnulfo fundatum, in Canonicorum Regularium Ordinis Præmonstratensis Abbatiam anno 1144 vertit. Diploma libro I. Diplom. Belg. cap. 59. legitur. Obiit sine liberis & in Dominio Ardensi successit soror ejus Athela.

ATHELA seu Adelina nupsit Arnulfo Vicecomiti Markisiensi, cujus in Diplomate Balduini Ardensis an. 1144. dato libro citato cap. 59. fit mentio.

CHRISTIANA, Arnulfi Vicecomitis Markisiensis & Athelæ Ardensis filia, marito suo *Balduino*, Gisnensium Comiti, Dominium Ardense & Vicecomitatum Markisiensem in dotem attulit. Conjuges Abbatiam Clarimarisci anno 1174. dotârunt, lib. 1. Dipl. cap. 71.

CAPUT XXIV.

Ribodimontensis S. Nicolai Abbatia Benedictinorum, in Diœcesi Laudunensi; anno 1084. *fundatur ab* ANSELLO DE RIBODIMONTE; *probante* PHILIPPO *I. Francorum Rege.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex. Antiquâ consuetudine ac diligentiâ Prædecessorum meorum ad tempora nostra cautum exstitit & provisum, quæ à fidelibus legaliter Ecclesiis ac Monasteriis conceduntur possidenda, litteris ad succedentium temporum notitiam commendare; ad obstruendam verò & refutandam quorumdam malignantium videlicet ac bonis invidentium improbitatem, sigillo nostræ Majestatis insignire.

UNDE notum fieri volumus fidelibus nostris, tam præsentibus quàm futuris, quòd (1) ANSELLUS DE RIBODIMONTE, adiit Serenitatem nostram, obsecrans ut quamdam Abbatiam, quam ipse constituerat proximè Robodimontem, in honore sanctæ Dei Genitricis, & beatissimi Confessoris Nicolai, ei nos in perpetuum stabilem ac firmam fore concederemus, & nostræ Majestatis vigore corroboraremus, & quæcumque eidem loco largiebatur de bonis suis, sine advocatione & absque omni consuetudine, quam inde requirat, deinceps tam ipse quàm sui Successores, nec alius quilibet, nisi Fratrum orationes, in ipso loco Deo militantium, in perpetuum absolutè & quietè possidenda & habenda.

CUJUS petitioni benignè annuendo, præfatam Abbatiam in posterum amodò stabilem & ratam fore statuimus, firmando quoque concessimus, & concedendo firmavimus, id ipsum postulante Domino *Helinando* Laudunensi Episcopo, ut locus ipse deinceps solutus sit & quietus, & Fratres Monachali Religioni ibidem deservientes, ab omni inquietudine & subjectione cujuslibet personæ, salvâ reverentiâ & Christianitate debitâ, & canonicâ subjectione sanctæ Laudunensis Ecclesiæ, & ipsius Sedis Episcopi.

QUÆCUMQUE verò à præfato Ansello eidem loco donata sunt, Villam videlicet Lucianis, Vilam quæ dicitur Montiniacus, Villam quæ dicitur Moncellis, & quod eidem loco contulit apud Albrecias, & aqud Macerias, & apud Audenicurtem, & duos molendinos apud Ribodimontem, & silvam & terram, quæ est inter duas aquas, & servos & ancillas, & cetera omnia ipsius Abbatiæ Monachi soluta & quieta teneant & possideant, sine advocatione, & absque omni consuetudine, quam deinceps indè requirat tam ipse quàm Successores sui, nec alius quilibet, nisi orationes Fratrum ibidem Deo servientium; ad hæc si quidem quæcumque præfato loco à fidelibus donata sunt vel fuerunt, Fratribus ipsis annuimus possidenda.

EORUM autem Abbate ingresso viam universæ carnis, vel si alio aliquo modo eidem Monasterio Abbas defuerit, de ipso loco Abbatem eligant communi consilio & assensu, vel de alio quocumque Monasterio voluerint. Electus verò communi consilio Capituli atque Anselli,

(1) ANSELLUS de Ribodimonte, non solùm Ribodimontense in Diœcesi Laudunensi, sed & Aquicinctinum Monasterium, in Diœcesi Atrebatensi, prope Duacum condidit: ut constat ex Gerardi II. Cameracensis & Atrebatensis Episcopi Tabulis, lib. 1. Diplom. Belg. cap. 40. à me productis. Idem Ansellus laudatur à Guilielmo Tyrio in libris de Bello sacro, ob res fortiter in Oriente gestas: ubi & pro Christo cecidit anno 1098. aut 1099.

Additio. RIBODIMONS, vulgò *Ribemont*, Municipium Picardiæ ad Isaram fluvium, quarto lapide à Fano S. Quintini, sub Episcopatu Laudunensi. Abbatia S. Nicolai in Nemore Ordinis S. Benedicti, ibidem fundata, nunc subest Congregationi S. Mauri, cujus Regulam strictiorem Religiosi susceperunt. Passim habet Abbates Commendatarios, non modico ejusdem Cœnobii detrimento.

(2) GOFRIDUS, seu Godfridus Parisiorum Episcopus, filius Eustathii II. Comitis Boloniensis, & Patruus Godefridi Bullonii, ut cap. superiore docui.

selli, seu ipsius heredis, ad benedicendum ducatur, atque tunc demum curam animarum per Pastoralem Virgam accipiat, & Monachis deinceps Abbas ordinetur. Ut verò hæc superiùs omnia firma in perpetuum & inconvulsa permaneant, memoriale istud indè fieri, & nostri nominis caractere & sigillo signari & corroborari præcipimus. Si quis autem adversus hoc nostræ Majestatis firmamentum aliquid tentare præsumpserit, auri libras Fisco Regio centum persolvat, & ipse damnabitur Regiæ Majestatis reus. Calumnia verò illius irrita fiat.

ACTUM apud Ribodimontem, anno Incar-
1084. nati Verbi millesimo octingentesimo quarto, Indictione septimâ, anno Regni Philippi Francorum Regis vicesimo quarto, præsentibus iis quorum nomina subtitulata sunt.

Gilbertus, ad vicem Gaufridi Cancellarii, Parisiorum Episcopi, relegendo subscripsi.

Signum Helinandi Laudunensis Episcopi,
S. Rainaldi Remensis Archiepiscopi,
S. Rotgeri Catalaunensis Episcopi,
S. Vidonis Beluacensis Episcopi,
Hugonis Comitis Pontivii,
Comitis Eubaldi de Rocei,
Comitis Rainaldi Suessionensis,
Comitis Balduini Valentiani,
Eustatii Vicedomini Catalaunensis,
Joslini Beluacensis,
Balduini de Gurci,
Radulfi filii Belith,
Vidonis de Leicieres,
Vidonis de Vitrey.....
Bernardi de Ribodimonte,
Petri Castellani,
Roberti Anguisot,
Walberti Laudunensis,
Vinemari Laudunensis.

CAPUT XXV.

REGINA *Nobilis Matrona fundat Prioratum Aqualiæ, vulgò Aiwaille, in Ducatu Luxemburgensi, quarto lapide à Leodio; eumque donat Monachis Cluniacensibus, anno* 1088.

Additio. EGO REGINA ex prosapia non obscura secundùm carnem procreata, sed meritorum generositate nullâ, Comitis videlicet Cononis filia, qui Frater exstitit Conradi Viri Clarissimi, in itinere Jerosolymitano defuncti, Generi nimirum Comitis Pictaviensis.

QUOD contingit ex capite matris meæ, meæ maritationis sorte offerendum credo in illa domo, in qua habitare, eique militare dispono sub regimine Cluniacensis disciplinæ, dono perpetuo liberaliter, ac solemniter Deo Omnipotenti Trino, & Uni, cujus nomini dedicatus locus ipse consistit ad titulum pertinens Beatissimi Principis Apostolorum in Cœnobio (1) Marcigniacensi, prædium mihi competens jure matrimonii, ex parte videlicet Matris, quod in silva Arduenna, territorio Leodiensi constitutum, in duo loca dividitur, quorum alter (2) Aqualia, alter *Rachans* dicitur, quâ nimirum pace, & integritate, nullâ calumniâ oblatrante, illud possidebam, cùm in jus prædicti Monasterii ancillarum Dei totum transfundens, atque transcribens,

QUATENUS cum omnibus appendiciis suis, terris, silvis, aquis, pratis, molendinis, piscariis, mansis, cunctisque redditibus, sive porcorum, sive arietum, sive agnorum, lini quoque, & lanæ, ceræ, pecuniæ: postremò cum universis consuetudinibus suis, sive dictis, sive subauditis serviat uterque burgium Marcigniacensi Cœnobio.

ANNO Incarnationis Domini millesimo 1088.
octuagesimo octavo, Indictione XI. regnante in pace solo Jesu Christo Domino nostro.

CAPUT

Additio. (1) MARCIGNIACUM, vulgò *Marcilli*, antiqua est Abbatia Benedictinorum in Diœcesi Cadurcensi in Gallia, fundata à Rege Pipino.

(2) AQUALIA, vulgò *Aiwaille*, Municipium inter medias Arduennæ sylvas ad Amblonam fluviolum situm, olim habuit Prioratum Ordinis Cluniacensis, sub Ducatu Luxemburgensi, ac Diœcesi Leodiensi. Sed hic sæculo XVI. desiit, ejusque bona incorporata fuêre Collegio PP. Societatis Jesu Luxemburgi.

Similiter PP. Jesuitæ Leodii pro suo Collegio, & pro Litteris humanioribus edocendis, obtinuerunt Prioratum Ordinis Cluniacensis, dictum S. Symphoriani, in Condrusio, item Domum Hieronymianorum, sive Fratrum in communi viventium Leodii, ac præterea Præbendam unam in qualibet è septem Ecclesiis Collegiatis Leodiensibus,

Hoc Diploma habemus ex Historia Leodiensi P. Fisen, Tom. I. Lib. IX.

CAPUT XXVI.

ROBERTUS, *cognomento* HIEROSOLYMITANUS, *Flandriæ Comes, Præpositum Ecclesiæ S. Donatiani Brugensis creat perpetuum Flandriæ Cancellarium, anno* 1089.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego RODBERTUS, Dei misericordiâ Flandrensis Marchio, Comitis Rodberti agnomine Fresonis filius, Dei primùm gratiâ præventus, majorumque exemplo meorum, & Sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ Doctorum salubri admonitione instructus (ut Beatissimi Apostoli, sic nos ad cælestia invitantis, *Fratres, non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, quia heredes sumus quidem Dei, coheredes autem Christi*) statui sanum mihi consilium, quatenus Christum mihi facerem heredem, qui nos perditos suo Sanguine redimendo sibi coheredes fecit supernæ vocationis, & participes suæ remunerationis.

ECCLESIAM igitur in Castello BRUGENSI, sub honore Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctique Patris nostri Archi-Pontificis Donatiani constructam, in libertatem ab omni publica exactione donavi, cum omnibus appendentibus ædificiis, Ecclesiis terrisque & decimis, ad præbendas Fratrum, sive ad Præposituram pertinentibus, à Prædecessoribus meis, vel ab aliis fidelibus ibidem donandis, solùm, post canonicam & liberam electionem Canonicorum, de Præposito assensum meisque posteris reservans.

REDECIMATIONIS verò nummorum de cunctis ovilibus meis, quæ similiter ab Antecessoribus meis in ædificia Ecclesiæ data est, talem mihi meisque Successoribus retineo potestatem, ut si Præpositus vel aliquis Canonicorum, cujus fidei ad ornatum loci commissa fuerit, eam malè disposuerit, vel sine Fratrum suorum testimonio expenderit, per me consilio & judicio Canonicorum ad emendationem & dignam compellatur correctionem. Hanc tamen ipsam decimationem sic liberam Ecclesiæ confirmo, ut nunquam vel à me, vel à posteris meis ab usu ipsius possit extorqueri, vel vi, vel astutiâ fraudulentâ.

PRÆPOSITUM sanè ejusdem Ecclesiæ, quicumque sit, CANCELLARIUM nostrum & omnium Successorum nostrorum, susceptorem etiam & exactorem de omnibus reditibus Principatûs Flandriæ perpetuò constituimus; eique magisterium meorum Notariorum & Capellanorum & omnium Clericorum in Curia Comitis servientiûm, potestativè concedimus.

CANONICI verò, quandocumque ad Curiam meam venerint, jus Capellanorum obtineant, & omnibus quidem bonis, ad Præbendas eorum pertinentibus, eamdem habeant libertatem, quam Canonici Insulanæ Ecclesiæ in beneficiis Præbendarum suarum habent. Scilicet ut quæ inferiùs continentur, libera ab omni dominatione seu potestate cujusque & absoluta sint; exceptâ ejus quidem, quem Præpositus & Canonici ejusdem Ecclesiæ communi elegerint voluntate: qui & ipse tam diu non ulteriùs eorum rebus præsit, quamdiu eis placuerit.....

SI quis autem his in aliquo contraire vel contradicere voluerit, centum libras auri persolvat. Pridie Kalendas Novembris actum Brugis anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo 1089. nono, Indictione duodecimâ, Epactâ VI..... cyclo IV. astantibus quàm plurimis Nobilibus & idoneis testibus, Clericis atque Laïcis, quorum quorumdam nomina hîc sunt signata.

Signum Raineri Præpositi,
S. Ingarici,
S. Folperti,
Albadi,
Ledelmi,
Bertulfi,
Ledberti,
Reineri,
Radulfi,
Dodini,
Thancradi, } Canonicorum.
S. Cononis de Emis,
S. Radulfi Camerarii,
S. Rodberti Pincernæ,
S. Gerardi Præstabularii,
S. Galteri Dapiferi,
S. Athelardi filii Cononis,
S. Erembaldi Castellani Brugensis,
S. Rodberti filii ejus,
S. Athelardi de Stratis,
S. Abdonis de Rodanburg,
S. Heggardi filii Gutharii.

PRæpositura S. Donatiani Brugensis est annexa Episcopatui Brugensi per Pium IV. Papam: ideoque Episcopus Brugensis hodie nuncupatur perpetuus & hereditarius Flandriæ Cancellarius. Codicem nostrum Donationum piarum cap. 16. & 34. consule.

CAPUT

CAPUT XXVII.

GODEFRIDUS BULLONIUS *Lotharingiæ Dux, pòst Hierosolymorum Rex, Ecclesiam S. Dagoberti Martyris, in Sathanaco Lotharingiæ Oppido sitam, & ab* ARNULFO *Comite occupatam, recuperat, Monachisque Gorziensibus restituit, circa annum* 1090.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, GODEFRIDUS Divinâ propitiante Clementiâ Dux & Marchio. Justum & utile Nobis esse, scire & considerare debemus, ut quoniam fæcularis militiæ negotiis occupati, divinis intendere, prout expedit, nequaquam valemus, saltem Deo & Sanctis peculiariùs in Monasteriis deservientibus consilium nostrum & auxilium exhibentes, per hæc beneficentiæ eorum, pariterque mercedis, ipso Deo donante, participes existere valeamus.

UNDE notum esse volumus Sanctæ Universalis Ecclesiæ filiis & fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, quia Dux GODEFRIDUS, (1) Avus meus, cum BEATRICE Uxore sua, apud (2) SATHANACUM juris sui Villam, in Ecclesia S. Martyris Dagoberti, pro suarum animarum remedio, Monachos de Monasterio (3) S. Gorgonii constituerit, eisque inter alia, ad supplementum victûs & vestitûs, Ecclesiam Villæ *Mosaci*, quæ sine contradictione suæ proprietatis erat, legaliter condonaverat, quam etiam ipsi Monachi, totâ vitâ ipsius Avi mei, & filii sui, Avunculi mei, quietè & pacificè possederunt.

POSTQUAM verò, ipsis defunctis, in nostras manus honor eorum per successionem devenit, & penè omnis Regio, ipsis ante subjecta, in odium nostri atque injurias gratuitas conjuravit, ipsi tunc hostes nostri, causâ odii in nos assumpti, in ipsos quoque Monachos insurrexerunt, eisque per summam injustitiam atque violentiam ipsam Ecclesiam de manibus abstulerunt, eamque alteris in beneficium tradiderunt, multisque annis, usquè dum videlicet erga nos in gratiam redirent, cœptam injustitiam Deo Sanctisque sibi famulantibus intulerunt.

SUPER qua re cùm apud Sathanacum nobis præsentibus quæstio suborta fuisset, & ipsis etiam cessantibus, qui ipsam violentiam exercebant, concio Monachorum nos super hoc interpellare cœpisset, seque jam super hoc apud Synodum Treverensem proclamationem fecisse, & judicio Synodali Ecclesiam ipsam suo juri adjudicatam fuisse, & auctoritate Pontificali pacem & quietem possidendi sibi imperatam esse dixisset, simulque ad hoc superesse testes, qui prædictæ donationi Avi mei interfuissent, efficaciter affirmasset, testes undecim evocari, & ante nos coadunari effecimus, & ipsis testificantibus vera esse, quæ Monachi asseverabant, omni parte reperimus.

QUIBUS ominbus auditis & diligentiùs considerats, visum est nobis Comitem ARNULFUM, qui Princeps ipsorum fuerat Ecclesiæ pervasorum, sub nomine sacramenti & fidei conjurare, utrumnam hæc omnia cognosceret vera esse, an potiùs ea vel vellet vel posset veraciter impugnare. Qui sanè adjuratione acceptâ, confessus est hæc ita, ut diximus, acta esse, seque & interfuisse, & audisse, & fuisse, & vidisse, & ipso Avo meo hanc donationem faciente, laudasse. Hâc ejus confessione perceptâ, subsequenter eum monuimus, ut Sancto & Nobis exindè faceret, quod facere jure deberet, & ipsam invasionem coram Deo & Sanctis emendans, deinceps ab ipsa Ecclesia, cum omnibus sibi adjectis, perpetualiter abstineret. Et ipse jure obniti non valens, ad opus Dei & S. Dagoberti, sibique deservientium Monachorum, Ecclesiam nobis integrè & sine omni in posterum reclamatione reddidit & impertivit; & nobis ipsius Ecclesiæ donum S. Dagoberto super Altare suum restituentibus, ipse spontaneus interfuit & laudavit.

UNDE ut hæc rerum gestarum memoria per tempora succedentia firma & inconvulsa permaneat, hanc descriptionem momorialem fieri jussimus, & sigilli nostri impressione ac Testium idoneorum affixione roborari statuimus.

Signum GODEFRIDI Dei gratiâ Ducis & Marchionis.

ACTA sunt hæc (4) Balioni.

CAPUT

(1) AVUS MEUS. Maternus, Godefridus Magnus, Lotharingiæ Dux. Cujus filius Godefridus Gibbosus, sine prole anno 1076. moriens, ditionis suæ Bullonensis heredem scripsit GODEFRIDUM, inde dictum BULLONIUM, Idæ Sororis suæ filium ex Eustachio II. Comite Boloniensi. Codicem nostrum Donat. piarum Cap. 66. lege, si placet.

(2) SATHANACUM, vulgò *Stenay*, de quo supra in nostris Cap. 22 harum Donat. Belg

(3) S. GORGONII Monasterium, est famosa Abbatia Gorziensis, nunc diruta; de qua vide Caput 22. citatum.

(4) BULIONI, hodie *Bouillon*. Oppidum Episcopatûs Leodiensis, titulo Ducatûs illustris, quem olim gessit Godefridus hoc Diplomate memoratus. Nunc verò eundem titulum gerunt Episcopus Leodiensis, item Familia de Turre-Arverniæ in Gallia.

Est quoque Bullionii Prioratus Benedictinorum ab Abbatia S. Huberti dependens, de quo vide supra Cod. Donat. piar. Cap. 66.

CAPUT XXVIII.

RADBODUS *Tornacensis ac Noviomensis Episcopus, &* WALTERUS *Insulensis Præpositus, Canonicis Ecclesiæ S. Petri Insulensis donant Personatum & Ecclesiam Viroviaci, vulgò* Wervike, *anno* 1090.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego RADBODUS Dei gratiâ Noviomensium seu Tornacensium Episcopus, omnibus Deum devotè timentibus, perpetuò gaudere cum gaudentibus.

SICUT, Fratres carissimi, Divinorum nos hortatur pagina Præceptorum, Deo militantibus sollicitâ consideratione necessaria convenienter subsidia non negare; ita eadem Nos admonet, desiderium, quod ad Religiosum Præpositum monstratur pertinere, absque ulla dilatione, Deo Auctore, complere. Ait enim B. Gregorius, quoties ea, quæ hortari nos convenit, postulamur, moras ad concedendum facere non debemus; ne differre bona desideria, quæ magis fovenda sunt, videamur.

PROINDE notum fore volumus, quòd (1) WALTERUS, Tornacensis Ecclesiæ Archidiaconus, atque Islensis Ecclesiæ Præpositus, cum quibusdam ejusdem Islensis Ecclesiæ Fratribus, nostram adierit præsentiam, obsecrans, ut Altare de (2) WERVY, quod sub Personatu tenebat, eidem Ecclesiæ, ad usus supradictorum Fratrum, perpetuò sub Personatu tenendum concederemus. Quorum quidem petitioni, quia jam me in sua societate susceperant, atque mihi, meis quoque Successoribus Episcopis Præbendam in eadem Ecclesia grataoter concesserant, dignum duxi condescendere, atque quod petebant concedere.

CONCESSIMUS itaque, Ego scilicet, & Walterus Archidiaconus, prædictum Altare Islensis Ecclesiæ Fratribus, tam futuris quàm præsentibus, perpetuò sub Personatu tenendum, tali videlicet conditione, quod anniversariam nostri faciant commemorationem, mei scilicet, & ipsius Walteri; hoc adjecto quod in anniversario ejusdem Walteri (qui hujus rei apud nos fidelis Orator extitit, & idem Altare quod tenebat eis libenter concessit) plenariam habeant refectionem, & in Festo SS. Simonis & Judæ, ejusdem Altaris Persona Episcopo seu ejus Vicario decem solidos solvat; Personâ verò morte, seu quâcumque occasione à Personatu illo decedente, alia subrogetur Persona, quæ in sua restitutione decem similiter solidos solvat.

QUARTO quoque anno Archidiaconus, infrà Parochiam illam synodalia jura exercens, debitam, sicut antè, habeat impensam. Quod ut ratum futuris temporibus maneat, manu propriâ firmavi atque Clericorum nostrorum testimonio corroborari feci.

Signum RADBODI Episcopi.
S. Walteri Archidiaconi.

Signa Tornacensium Canonicorum,
Henrici Decani,
Hermanni Præpositi,
Sigerii Cantoris,
Odonis Scholastici,
Lietberti,
Hietberti,
Balduini,
Gildulfi,
Bernuini,
Elberti.

Signa Islensium Canonicorum,
Engelberti Decani,
Raimberti,
Lamberti,
Walteri,
Elbodii,
Lamberti,
Balduini,
Stephani.

Signa Decanorum.
Balduini, Gonzelini,
Berfridi, Godeschalsi,
Willelmi, Frederici,
Lamberti, Sallefridi,
Hunrardi, Fulcardi.

ACTUM Tornaco, in Ecclesia S. Mariæ, Domno Radbodo in Synodo præsidente, XI. Kalendas Martii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo, Indictione decimâ 1090.
tertiâ, Domno Radbodo episcopante anno vicesimo tertio, regnante Rege Philippo anno tricesimo secundo.

Ego Wido Cancellarius subterfirmavi.

CAPUT

(1) WALTERUS fuit secundus Ecclesiæ Insulensis S. Petri Præpositus; de quo sic legitur in Codice Obituario, ut vocant, ejusdem loci: Pridie Nonas Apri-
1080. lis, eodem die, anno Domini millesimo octuagesimo obiit Fulcardus, primus hujus Ecclesiæ Præpositus, constitutionis hujus Ecclesiæ & suæ dispensationis anno vigesimo quinto: cui successit Galterus.

Ex his verbis rectè colligit Florentius Haræus lib. 2. cap. 1. de Castel. Insulensibus, Ecclesiam S. Petri Insulis anno millesimo quinquagesimo quinto ędificari coeptam fuisse, & non anno 1066. quo dicta Ecclesia solenni ritu fuit consecrata, & quo Diploma Dotationis fuit scriptum, quod in Codice nostro Don. piarum cap. 56. exstat.

(2) WERVY, vulgò *Wervike*, Latinè Viroviacum, Oppidum est Flandriæ populosum ac mercatu celebre, sub Dioec. Tornac. Menenis uno, Insulis verò & Ipris distans tribus milliaribus.

CAPUT XXIX.

ROBERTUS HIEROSOLYMITANUS, *Flandriæ Comes*, RODGERO *Insulensi Castellano petente, Prædia Falempinensi Monasterio à Saswalone, Castellano itidem Insulensi, anno* 1039. *attributa, confirmat, anno* 1090.

IN nomine Dei summi Genitoris, & Geniti, & utriusque Spiritûs Paraclyti. Quoniam Dei disponente clementiâ ad hoc Pastor in Ecclesia sublimatur, ad hoc Judex populo præficitur, ad hoc denique Princeps patriæ principatur, ut quod populi ignorantiâ delinquitur, cura Pastoralis emendet; quod stultorum imperitia molitur, judicialis severitas enervet; quod pravorum contumacia machinatur, Principalis potentia conculcet; quod autem piorum votis incipitur, Prælatorum pio consensu ad effectum actionis deducatur.

EGO RODBERTUS, per gratiam Dei Flandrensium Marchio, præsens præsentibus denuntio, & ut notum fiat generationi omni, quæ ventura est, litteris annotari facio, quod RODGERUS Islensis Castellanus, divini gratiâ respectûs, multo rogatu, digno etiam famulatu à nobis quæsierit, quæsitum impetraverit, libertatem dari Ecclesiæ de (1) FALEMPIN, quam Antecessorum suorum devotio construxerat, & hereditario jure ad se devenerat, quamque quorumdam malignantium tyrannide attritam & pravitatis consuetudine viderat exinanitam.

NOS igitur illud Gregorianum attendentes, *Valdè peccamus, si aliorum benè gesta non diligamus*, omni servitute, omni consuetudine, omni prorsus nostri juris exactione remotâ, libertatem, quæ Islensi ceterisque liberis attributa est Ecclesiis, Ecclesiæ illi concedimus, concessam firmamus, firmatam litteris mandamus: ut videlicet quæcumque à SASWALONE, primo ipsius Fundatore, sunt data, vel posteà concessa, sive in posterum concedenda, quietè habeat, securè teneat, liberrimè possideat.

ILLUD etiam non abs re annectendum censuimus, ut quando Præpositus ex hac vita decesserit, Advocatus, ad quem Præpositura danda pertinuerit, illi, quem Fratres communiter elegerint, absque alicujus exactionis sive pecuniæ sive servitii ambitione, juxta præceptum Domini lucidum gratis gratanter concedat.

NE quis autem Successorum meorum, sive ipsius Rodgeri, nec Dominum timens, nec hominem reverens, ipsam libertatem infringere, vel in aliquo conetur minuere, hanc Paginam Privilegii, prædictæ libertatis Testem, Clericorum & Principum meorum nominibus subnotatis, consignamus, insuper & sigilli nostri eam impressione corroboramus.

Signum Walteri Archidiaconi,
Wibaldi Præpositi (2) Siccliniensis,
Joannis Præpositi primi de Falempin,
Signum Engelrandi Decani Islensis.

Signa Canonicorum Islensium, Siccliniensium, Falempinensium.

Everardi,
Raimberti,
Lamberti,
Salefridi.
Fulcardi,
Berheri,
Widonis,
Joannis Decani Siccliniensis.

Signa Laïcorum,

Rogerii Castellani,
Engelberti,
Isaac,
Offonis,
Gerardi,
Frumaldi,
Alulfi,
Gerrici,
Amalrici,
Desiderii.

ACTUM apud Islam, v. Kalendas Maii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo, Indictione XIV. Epactâ XVII. anno Regis Philippi XXII. Episcopatûs Domni Radbodi XXI 1090.

Ego Raimbertus subscripsi.

CAPUT

(1) FALEMPINUM Canonicorum Regularium Abbatia, in Diœcesi Tornacensi, à Saswalone Castellano Insulensi anno 1039. fundata: cujus Tabulæ extant in Cod. Don. piarum cap. 44.

(2) SICCLINIUM, vulgò *Seclinium*, celebre municipium, ejusdem Diœcesis, Collegio Canonicorum celebre.

CAPUT XXX.

Genealogia CAROLI *Ducis primi Lotharingiæ inferioris, circa annum* 1095. *ſcripta.*

I. KAROLUS CALVUS genuit Ludovicum, de quo dictum eſt, quòd nihil fecit, quia poſt mortem Patris tantùm quatuor annis vixit.

II. LUDOVICUS filius Ludovici genuit Karolum Simplicem & Karlomannum. Hic Karolus Simplex ab Herberto captus eſt.

III. KAROLUS ex Ogina genuit Ludovicum.

IV. LUDOVICUS genuit Lotharium Regem, & Karolum Ducem ex Gerberga.

V. LOTHARIUS Rex genuit Ludovicum Juvenem, & Karolus Dux, Frater Lotharii Regis, genuit (1) Ermengardem & Gerbergam.

VI. ERMENGARDIS genuit Albertum, Comitem de Namuco. Et Albertus genuit Albertum, qui nunc mortuus eſt; à quo procreati ſunt quatuor filii, (2) Fredericus Præpoſitus S. Lamberti, Godefridus, Henricus & Albricus.

ET Gerberga, Soror Ermengardis, genuit VII.
Henricum Seniorem Comitem de Bruſſella.

HENRICUS Senior genuit Comitem Lam- VIII.
bertum, & Henricum Fratrem ejus, & Mathildem Sororem ejus. Hanc Mathildem duxit uxorem Comes Euſtathius de Bolonia, & genuit ex ea duos filios (3) Euſtathium & Lambertum.

EUSTATHIUS accepit filiam Godefridi IX.
Ducis, Idam nomine, genere Nobilem, & moribus: & genuit ex ea tres filios, (4) Euſtathium, Godefridum Ducem nunc Lotharingiæ, & Balduinum.

GEnealogia iſta legitur ad calcem Chronici Hugonis Floriacenſis, quod cum aliis adjunctis anno 1227. Petrus Monachus in pergameno deſcripſit, & S. Quintino obtulit. Eſt volumen ingens pergamenicum, quod Jacobus Revardus Jureconſultus emit à milite, qui illud in direptione Oppidi S. Quintini anno 1558. acceperat. Fuit poſteà Jacobi Pamelii, Epiſcopi Audomarenſis nominati; hodie Brugis adſervatur in Bibliotheca Societatis Jeſu.

(1) ERMENGARDEM & Gerbergam. Ermengardis ut primogenita (niſi fallor) nominatur primo loco.

(2) FREDERICUS Præpoſitus S. Lamberti. Idem poſteà, anno videlicet 1119. creatus eſt Epiſcopus Leodicenſis. Atque hinc conſtat Genealogiam iſtam ante annum Chriſti 1119. eſſe ſcriptam.

(3) EUSTATHIUM & LAMBERTUM, Comitem Lenſenſem, niſi fallor, qui Iſlæ anno 1054. occiſus fuit: ut Baldericus in Chronico Cameracenſi lib. 3. cap. 78. tradit.

(4) EUSTATHIUM, Godefridum & Balduinum: Euſtathius ut primogenitus nominatur primo loco, Godefridus autem Bullonius ſecundo, & Balduinus tertio loco; nullâ factâ mentione Guilielmi, quem ſolus ex vetuſtis Scriptoribus Guilielmus Tyrius lib. de Bello ſacro memorat.

Stemma Caroli Ducis primi Lotharingiæ inferioris, itemque Comitum Namurcenſium & Lovanienſium.

I.

- *Carolus Dux Lotharingiæ inferioris 977. ab Othone* II. *Imperatore creatus, Agnetem Heriberti Comitis Trecenſis Filiam duxit & obiit 991.*
  - *Otho Dux Lotharingiæ, obiit ſine prole 1005.*
  - *Ermengardis Uxor Alberti* I. *Comitis Namurcenſis*
    - *Albertus* II. *Comes Namurcenſis, duxit Regelindam Gothilonis Magni utriuſque Lotharingiæ Ducis Filiam*
      - *Albertus* III. *Comes Namurcenſis, duxit Idam Saxonicam.*
        - *Fredericus Præpoſitus, pòſt Epiſcopus Leod. 1119.*
        - *Godefridus Comes Namurcenſis, duxit 1. Machtildem Rogeri Comitis Portiani Filiam, 2. Ermenſindam Luxeburgicam.*
          - *Adelbertus; obiit ſine prole.*
          - *Henricus Cæcus Comes Namurcenſis & Luxeburgenſis, duxit Agnetem Gelrenſem.*
            - *Ermenſinda Uxor Henrici Comitis Campaniæ.*
          - *Clementia.*
          - *Beatrix Uxor Guiterii Comitis Rethelenſis.*
          - *Aleidis aliàs Ermenſinda Uxor Balduini* IV. *Ædificatoris Comitis Hannoniæ.*
            - *Balduinus* V *Magnanimus Comes Hannoniæ & Namurci, duxit Margaretam Flandriæ heredem.*
              - *Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes, pòſt. Imperator Conſtantinop*
              - *Philippus Nobilis Comes Namurcenſis.*
              - *Henricus Imperator Conſtantinop.*
        - *Henricus.*
        - *Albricus, aliàs Albertus*
    - *Henricus.*
    - *Hadewidis Uxor Gerardi Alſatii Ducis Lotharingiæ Moſellanæ.*
      - *Theodericus Dux Lotharingiæ Moſellanæ.*
      - *Gerardus Comes de Egisheim.*
    - *Emma Loſſenſis.*
  - *Gerberga Uxor Lamberti Comitis Lovanienſis, caſi 1015. Florinis.*

*

II.

- *Gerberga Uxor Lamberti Comitis Lovaniensis cæsi 1015. Florinis.*
  - *Henricus I. Comes Lovaniensis & Bruxellensis, obiit 1038.*
    - *Otho, obiit puer.*
    - *Adelaidis.*
    - *Cunegundis.*
    - *Adela.*
  - *Baldricus, aliàs Lambertus Barbatus Comes Lovaniensis, duxit Odam Gothilonis Magni Filiam, obiit 1054.*
    - *Henricus II. Comes Lovaniensis, duxit Aleidem, aliàs Adelam, obiit 1068.*
      - *Henricus III. Comes Lovaniensis, duxit Gertrudem Roberti Frisii Flandriæ Comitis Filiam, obiit 1095.*
        - *Ida, Uxor Frederici I. Imperatoris & aliæ 3. filiæ.*
      - *Godefridus Barbatus Comes Lovaniensis, pòst Dux Lotharingiæ & Brabantiæ.*
        - *Godefridus II. Dux Brabantiæ.*
          - *Godefridus III. in Cunis.*
      - *Reginerus obiit 1077.*
      - *Adalbero Episcopus Leodiensis istorum Frater fuit ex parte Matris.*
  - *Reginerus.*
  - *Machtildis Uxor Eustathii I. Comitis Boloniensis.*
    - *Eustathius II. Comes Boloniensis, duxit Idam, Godefridi Magni Lotharingiæ utriusque Ducis Filiam.*
      - *Eustathius III. Comes Boloniensis*
        - *Rodulfus 1122. in Cod. Don. c. 75.*
      - *Godefridus Bullonius Dux Lotharingiæ & Rex Jerosolymitanus.*
      - *Balduinus Rex Jerosolymitanus.*
    - *Lambertus Comes Lensensis.*
    - *Godfridus Episcopus Parisiensis.*

CAPUT XXXI.

BALDUINUS *cognomento* HIEROSOLYMITANUS, *Comes Montensis sive Hannoniensis, in Syriam ad bellum sacrum profecturus, anno* 1096. *Covinum (aliis Tuwinum) Castellum vendit* OBERTO *Episcopo Leodicensi.*

IN nomine Sanctæ Trinitatis. Omnibus tam futuris quàm præsentibus notum fieri volumus, quòd ego OBERTUS, gratiâ Dei Leodiensis Episcopus, honori Ecclesiæ consulens & utilitati, emi à Comite (1) BALDUINO DE MONT Castellum de (2) COVINO, cum appenditiis ejus, consilio & suasu fidelium tam Clericorum quàm Laicorum, propter pacem & tranquillitatem perpetuò habendam; quia malefactores ibidem commorantes, rapinis & prædis, aliisque molestiis miserabiliter vexabant Episcopatum.

ITAQUE afflictione pauperum commotus, & consultu sapientium persuasus, conveni cum prædicto Comite, quatenus illud Castrum traderet S. Mariæ, Sanctoque Lamberto, tali conditione, ut duas Præbendas darem duobus filiis suis in Ecclesia S. Lamberti, & majori eorum darem alias Præbendas in omnibus aliis Monasteriis, insuper & Custodiam, post decessum Domini Wazonis Custodis; tali videlicet tenore, quòd si ipse major Frater moriatur, alter honorem ipsum & Præbendas reposcat & obtineat. Præterea ipsi Comiti dedi in proprios usus *pondo auri, marcas quinquaginta.*

QUOD pactum ideò libentiùs & benigniùs Ecclesiæ

(1) BALDUINUS, illo nomine secundus Hannoniæ Comes, cum Matre sua *Richilde*, anno 1081. Basilicam S. Mariæ Majoris in Urbe Valentiana, & Abbatiam S. Dionysii prope Montes Hannoniæ Metropolim fundavit. Ex Ida filios reliquit Balduinum, Arnulphum, Ludovicum & Henricum, suprà in Diplomate memoratos. Ex his Arnulphus sive Arnoldus, juxta Jacobum Guisium juniorem & alios, fuit Dominus Oppidi Rodiensis, *Roeux*: cujus primum Comitem anno 1530. Carolus V. Imperator creavit Adrianum de Croy.

(2) COVINUM. Alii legunt *Tuwinum*, seu Tudinium, Oppidum ad Sabim fluvium situm, haut procul à Lobiensi Abbatia.

Ecclesiæ Dei, propter salutem animæ suæ, concessit, quia gratiâ divinâ inspirante animo conceperat cum aliis devotis Christianis Hierosolymam proficisci.

TRADIDIT igitur, coram idoneis Testibus, ad Altare S. Mariæ, Sanctique Lamberti, per manus *Raineri* Advocati, præsente & annuente uxore ipsius IDA, cum filiis suis, *Balduino*, *Arnulpho*, *Lodewico*, *Henrico*, Castellum supradictum, cum omnibus ad illud pertinentibus in Ecclesiis, mancipiis, villis, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cultis & incultis, viis & inviis, exitibus ac reditibus, & omnibus quæcumque justè possunt & debent nominari, ad honorem illum respicientibus à fluvio Mosa usque ad Cinacum, & usque Leisiam, & Belmont, & Ruminiacum, & cætera loca, quousque termini ipsius loci longè latèque extenduntur.

Hujus rei Testes adfuerunt Clerici isti:

Fredericus Præpositus de S. Lamberto,
Balduinus Archidiaconus,
Andreas Archidiaconus,
Godescalcus,
Renzo,
Wazo,
Elbertus,
Adelardus,
Aper,
Stepelinus,
Hezelinus,
Godescalcus,
Hillinus,
Steppo,
Lambertus,
Stephanus,
Otto,
Bruno Præpositus de S. Joanne.

Item Decani de aliis Monasteriis.

Oddo,
Balduinus,
Lambertus,
Franco.

Laïci Nobiles isti.

Reinerus Advocatus, qui recepit ipsius allodii traditionem,
Comes Warnerus de Greis,
Wedericus de Walecort,
Wigerus de Tudin,
Joannes Lovierval,
Godefridus de Ham,
Walterus de Bacunwetz, & filius ejus Mainerus,
Walterus de Trueneis,
Reinbaldus filius Reinbaldi de Gesselin,
Lambertus de Calmont,
Arnulfus de Ronc,

De Familia Ecclesiæ.

Lambertus de Hoyo,
Theodoricus de Ponte,
Warnerus Pincerna, & Frater ejus Obertus,
Lambertus Dapifer,
Adelardus, & Fredericus Frater ejus,
Albertus de Offei,
Bovo de Bavechen,
Joannes Dapifer, cum aliis quampluribus viris egregiis & honestis.

ACTUM est publicè Leodii XVIII. Kalend.
Julii, anno ab Incarnatione Domini millesimo 1096.
nonagesimo sexto, Indictione tertiâ, Imperante Nobilissimo Henrico tertio Romanorum Augusto, & præsidente Leodiensi Cathedræ Domino & venerabili Oberto, anno ordinationis suæ in Episcopatu quinto.

CAPUT XXXII.

GODEFRIDUS BULLONIUS *Lotharingiæ Dux, ejusque Frater* BALDUINUS (*qui posteà Hierosolymitani ex ordine Reges fuerunt*) *Ecclesiam S. Dagoberti, in Sathanaco Lotharingiæ Oppido sitam, anno* 1096. *ampliùs dotandam curant.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, GODEFRIDUS Dei gratiâ & misericordiâ Dux & Marchio. Quoniam quidem negotiis sæcularibus satis superque detenti, divinis prout necesse est, intendere non valemus, & per hoc temporalia emolumenta spectantes, animarum statum, quod nobis valde formidabile est, negligere non timemus, operæ pretium est Nobis saltem Deo regulariter servientium utilitatibus providere: quatenùs, ipsis pro Nobis orantibus, mercedis eorum apud Deum in aliquo participes valeamus existere.

UNDE & Ego & Frater meus BALDUINUS notum facimus omnibus nunc vel futuris temporibus Sanctæ Ecclesiæ filiis & fidelibus, quòd Ecclesia apud (1) SATHANACUM olim Villam, nunc Castellum, in honore S. DAGOBERTI Martyris constructa, temporibus priscis, ab Avo nostro Duce GODEFRIDO BARBATO & (2) BEATRICE conjuge sua, S. Gorgonio Gorziensi & Henrico ipsius loci Abbati Venerando, & Monachis ipsius, cum omnibus appendiciis suis donata, & ab ejus filio GODEFRIDO similiter Duce, nostroque Avunculo, totâ vitâ suâ laudata; sed posteà nobis in eorum hereditatem succedentibus, & multis gravibusque contra

contrà Nos excitis bellorum tumultibus, ex uno ab hoſtibus noſtris, occaſione noſtri odii, per circuitum ſnum direpta eſt & vaſtata, ex alio, nobis in ejuſmodi tempeſtatibus occupatis, non ita, ut dignum & neceſſarium fuerat, proviſa eſt & defenſa.

QUAPROPTER Monachis, qui ibi diſpoſiti erant, penurias aliquantas patientibus, & ſuper hoc quibuſdam honeſtis hominibus apud noſtram Audientiam querimonlam facientibus, ſtatuimus Dominum *Warnerum*, Gorzienſem Abbatem, prædicti Henrici Succeſſorem, ad nos cum ſuis Fratribus convocare; & conſilio inter nos communicato, juſtum & utile viſum eſt per noſtram & ejus donationem ipſorum Fratrum Sathanaci commorantium ſubſtantiam multiplicari & creſcere; quatenùs dum minùs rerum temporalium ſollicitudinibus occuparentur, divini ſervitii ſtudiis efficaciùs inſiſtere animarentur.

PRÆDICTUS ergò Abbas, cum conſilio Fratrum ſuorum, ad ſupplementum ſubſtantiæ, quidquid Eccleſia Gorzienſis in Gaudiaco Villa, ſuper fluvium Moſellam ſita, poſſidebat, contulit & perpetuò poſſidendum ratâ donatione firmavit, ſcilicet in Eccleſia, decimis, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, terris, & ſuis omnibus pertinentiis; excepto tamen navali tranſitu & reditu, qui ibi inter Monaſterium & Civitatem decurrit.

NOS autem quidquid primùm præſcriptus Avus noſter Godefridus Barbatus, & conjux ſua Beatrix, ad Eccleſiam ipſam & Manachorum in ea Deo famulantium ſuſtinentiam & utilitatem contulerat, & poſteà vel quorumdam præſumptio hoſtilis abſtulerat, vel noſtra occupatio & auxilii indigentia etiam à noſtris contrà ipſos violenter teneri pertulerat, porrectis ſimul manibus, ſcilicet, Ego GODEFRIDUS Dux & Frater meus Baldwinus, integrè & abſolutè reddidimus; utque deinceps in perpetuum Fratres prædicto loco deſervientes pacificè illud, & abſque cujuſquam inquietudine teneant, per manus liberorum fidejuſſorum, ſuper Altare S. Gorgonii donum ipſum poni & veſtiturâ legali confirmari effecimus:

SCILICET Eccleſiam S. Dagoberti, cum Domo quæ vulgò Cella vocatur, & cum omnibus ab antiquitate appendiciis ſuis in decimis, pratis, ſilvis, terris cultis & incultis, viridariis, molendinis, aquis, piſcationibus, acquiſitis & acquirendis, & omnibus, quæ quocumque modo nominari poſſunt, pertinentiis, ſimulque Eccleſiam de MOSACO, cum omnibus utilitatibus ſuis, & omnibus, quæ prædictus Avus meus ſuperaddidit, donationibus prælibatis.

PRÆTEREA ne quis umquam huic noſtræ conſtitutioni & veſtituræ legali audeat refragari, noſtra & omnium Succeſſorum noſtrorum Auctoritate & banno prohibemus & interdicimus; & qui quidpiam tale præſumpſerit, ad Divinum eos judicium provocamus.

UT etiam hæc noſtra Statuta rata & inconvulſa permaneant, hanc memorialem deſcriptionem fieri juſſimus, & Sigilli noſtri impreſſione, Teſtiumque idoneorum affixione ſignavimus.

Signum Godefridi Ducis, qui hanc Chartam deſcribi fecit.
S. Baldwini Fratris ſui.
S. Walteri Advocati.
S. Henrici Comitis.
S. Amalrici.
S. Richeri.
S. Ottonis.
S. Ludonis.
S. Heriberti.
S. Everardi.
S. Albrici.
S. Leudonis.
S. Sihardi.
S. Sozfridi Fratris ſui.
S. Dibaldi.
S. Sigfridi.
S. Helgaudi.
S. Franconis.
S. Hugonis.

ACTUM Sathanaci, anno Dominicæ Incar-
nationis milleſimo nonageſimo ſexto, Indicti- 1096.
one quartâ.

CAPUT

(1) SATHANACUM, vulgò *Stenay*, Oppidum eſt hodie Ducatûs Lotharingiæ. Vide ſupra Cap. 22. & 27.

(2) BEATRIX. Frederici II. Lotharingiæ Moſellani Ducis filia, primùm *Bonifacio* Tuſciæ Marchioni, pòſt *Godefrido Magno* ſeu Barbato, utriuſque Lotharingiæ Duci nupſit. Ex Bonifacio *Mathildem*, & ex Godefrido Magno genuit *Godefridum Gibboſum*, Lotharingiæ inferioris Ducem, & *Idam* Euſtathii II. Comitis Bolonienſis conjugem, Godefridi Bullonii Matrem. MA[illegible], virilis animi mulier, anno 1077. & 1102. varia Tuſciæ & Lignriæ Oppida S. Romanæ Eccleſiæ dono dedit, quæ hodie Patrimonium S. Petri nuncupantur. Anno 1115. è vita deceſſit, bis quidem nupta, primùm Godefrido Gibboſo ſuprà nominato, pòſt ann. 1089. Welphoni, Welphonis IV. Baioariæ Ducis filio, Azonis Marchionis Ferrarienſis Nepoti, ſed ſemper intacta: ut Bertholdus, Domnizo, Leo Oſtienſis, & Scriptor Chronici de Guelfis, tom. 2. Caniſii, narrant. Vide infra cap. 36.

CAPUT XXXIII.

Andrensis Benedictinorum Monasterii fundationem, à BALDUINO *Gisnensi Comite factam, Filius ejus ac Successor* MANASSES *anno* 1097. *confirmat.*

QUONIAM diversitate morum plerumque contingunt controversiæ caussarum, videtur expedire res Ecclesiis Dei traditas litterarum annotatione ad posteros mittere, ne res in dubium posita, aliquem perversis Ecclesias impugnandi scrupulum gignat.

UNDE scripto mandamus, quòd BALDUINUS Comes Gisnensis, Hereditatem cupiens in regno Dei habere, locum exstruxit Andernensem. Quem, ut ad opus Dei meliorum semper exemplis melioraretur, Ecclesiæ Karrosensi subdidit, atque ut idem locus in recognitionem subjectionis pariter, & eleëmosynam sui, prædictæ Ecclesiæ Karrosensi omni anno censum, videlicet duas marcas argenti, persolveret, constituit.

POST cujus mortem filius ejus (1) MANASSES eleëmosynam patris augere cupiens, in manu Petri Karrosensis Abbatis; loco Andernensi, si aliquis suorum feudatorum de feudo ipsius centum solidatas, vel tantùm ut suum hominatum non perderet, dònare voluisset, concessit. Gratiâ autem Domini in melius proficiente, electo ejusdem Ecclesiæ Gilberto primo Abbati & ordinando hoc immunitatis contulit Privilegium, ut homines ejusdem Andrenensis Ecclesiæ pro aliquo forisfacto non distringeret vel judicaret, nisi sicut homines Parium Gisnensium.

OBEUNTIBUS verò ejusdem loci Abbatibus, electa si in loco fuerit idonea persona, in Capitulum Karrosense deducatur: ibi probatâ electione ab Abbate & Capitulo Karrosensi, ci Pastoralis virga, curaque injungatur; salvâ subjectionis obedientiâ Ecclesiæ Karrosensi ab eo servandâ. Si verò in loco condigna nequiverit reperiri, in Capitulo Karrosensi dignè dignus eligatur, & ab Episcopo Teruannensi consecratus, loco Abbatis præponatur.

HÆC, ut dicta sunt, prædictus Comes Manasses concessit, & auctorizavit; simul etiam ne aliquam dominationem vel consuetudinem ipse aut ullus ex heredibus ejus in eodem loco habeter; nisi tantùm locum, loco Advocati, in perpetuum custodiret.

ACTA sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ MXCVII. Indictione sextâ, præsidente Apostolicæ Sedi Domino Papa Urbano, Philippo Francorum Rege, Gerardo tunc Morinorum Episcopo, Rotberto Flandrensium Comite; Testibus his, 1097.

Hugo Archidiaconus, frater Manassæ Comitis, testis.
Gerardus Hamensis Abbas, testis.
Ravengarius Abbas Capellæ, testis.
Fulco, frater Comitis, testis.
Arnulfus de Arda,
Lambertus Vicecomes,
Balduinus filius Witfredi,
Balduinus de Osterwic,
Ermerius de Bavelingahem,
Eustathius de Curtabronna,
Hugo de Surkes,
Hugo Malvoisin, Rotbertus de Hammes,
Witdo de Elembom, sunt Testes; & multi alii hoc viderunt vel audierunt.

(1) MANASSES Comes Gisnensis, Balduini Fundatoris Monasterii Andrensis ex Adela Filius, Fratres habuit Hugonem Archidiaconum Teruanensem, Fulconem Comitem de Baruth in Syria, Guidonem Comitem de Foces, Sorores autem, Gislam Uxorem Wenemari Castellani Gandensis, & Alidem. Vide cap. 23.

CAPUT XXXIV.

HENRICUS III. *Imperator, donat Canonicis Ecclesiæ S. Mariæ Aquisgranensis Villam Harve, in Pago Arduennæ situm, itemque Advocatias de Harve, Loncins & Mandervelt, anno* 1098.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) HENRICUS divinâ favente clementiâ tertius Romanorum Imperator Augustus.

Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, qualiter ob interventum dilecti filii nostri Henrici Regis, Oberti Leodicensis, Witelonis Mindensis, Burchardi Monasteriensis, Episcoporum, Burchardi, Werinneri, Marchionum, ob servitium quoque Capellani nostri Godescalci, Aquensis Ecclesiæ Præpositi; in primis autem, pro remedio animæ nostræ, Parentum, aliorumque fidelium nostrorum, quoddam prædium nomine (2) *Harve*, situm in Pago Harduennæ, in Comitatu Gietbaldi, cum omnibus

(1) HENRICUS III. Est quartus illo nomine Imperator iis, qui Henricum Aucupem annumerant.

(2) HARVE, nisi fallor, nunc *Herve*. Gallis *Heve*. Villa seu vicus agri Transmosani, ubi præstantissimi casei conficiuntur.

bus appendiciis, hoc est, utriusque sexûs mancipiis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, viis & inviis, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis, aquarum decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus, & reditibus, quæsitis & inquirendis, & cum omni utilitate, quæ ullo modo provenire poterit, Dominicæ Matri & perpetuæ Virgini Mariæ, in Aquensi Ecclesia specialiter suo nomine attitulata, in proprietatem jure perpetuo firmando tradidimus, tradendo firmavimus.

DEDIMUS quoque eidem Dominæ nostræ Mariæ in eadem Aquensi Ecclesia tres Advocatias, videlicet super idem prædium, quod prædiximus, *Harve*, & super alia duo loca, *Loncins* & *Mandervelt*, quæ pertinent ad præfatam S. Mariæ Aquensis Ecclesiam; eâ ratione, ut ejusdem Aquensis Ecclesiæ Præpositus Godescalcus, suique Successores, easdem Advocatias tres potestativè teneant, & pro utilitate Ecclesiæ præfatæ, & Fratrum ibidem Deo servientium consilio, cui velint, negent, tribuant, super eadem tria loca & universa ad hæc pertinentia, similiter de præfato prædio *Harve*, quod eis placet, pro utilitate tamen Ecclesiæ, idem præfatus Præpositus Godescalcus, suique Successores faciant.

ET ut hoc firmum & inconcussum omni ævo permaneat, hanc Chartam indè conscribi & propriâ manu, ut infrà videtur, corroboratam, Sigilli quoque nostri impressione insignitam, præfatæ Aquensis Ecclesiæ Præpositi & Fratrum utilitati jussimus servari.

DATA IV. Idus Februarii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo octavo, 1098.
Indictione sextâ, anno autem Domini Henrici tertii Romanorum Imperatoris Augusti, Regni XLII, Imperii XIV.

ACTUM Aquisgrani feliciter, amen.

CAPUT XXXV.

Andanam sive Andennam Villam, ab ALBERTO III. *Comite Namurcensi* III. *Ecclesiæ Andennensi & Virginibus in ea Deo famulantibus restitutam*, HENRICUS III. *Imperator approbat anno* 1101.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS divinâ favente clementiâ tertius Romanorum Imperator Augustus. Notum sit universis Ecclesiæ Catholicæ filiis, quoniam ALBERTUS Comes Namurcensium, ANDANENSIS Ecclesiæ diuturnâ proclamatione pulsatus, scilicet quòd ipsam Villam (1) ANDANAM, quæ (2) *Ad septem Ecclesias* dicitur, olim in usu præbendæ ibidem Deo famulantium habitam, quidam Prædecessor suus, injustè suis distribuerit militibus, maluit huic justæ & continuæ proclamationi aurem pietatis tandem accommodare, finemque imponere, nec Prædecessoris errori nefario diutius subjacere.

HAC igitur pœnitentiâ ductus Leodium venit, me super hac re consuluit, & omnino sui propositi dispositorem constituit. At ego videns mihi præsentatum sacratissimæ BEGGÆ corpus & insuper divinâ inspiratione tactus, adjudicavi non aliter legitimè id posse fieri, nisi eo pacto, ... Comes Villam licet injustè militibus beneficiatam per aliquam mutuationem recuperaret, & recuperatam liberè & pacificè in manu mea ad usum Ecclesiæ reponeret. Quod quidem Comes prudenter executus, Villam pro Villa scilicet *Bouveler*, quam firmâ manu tenebat, pro Ecclesia Andana mutuatus integrè recuperavit, & sibi recuperatam in manu mea absolutè reposuit.

EGO igitur Andanensem principalem Villam, cum suis appendiciis & Villis adjacentibus, & cunctis earum reditibus, aquis, pratis, silvis, molendinis, terris cultis & incultis, decimis & universis usibus ad corpus Beatæ Viduæ Beggæ reportavi & tradidi; filiis supradicti Comitis (3) Alberti, *Godefrido*, *Henrico*, *Alberto*, videntibus, audientibus & annuentibus.

HIS ita dispositis, Advocatiam Villæ, rogatu Fratrum & Sororum Ecclesiæ, Comiti Alberto

(1) ANDANA, sive Andenna, Municipium Agri Namurcensis ad Mosam fluvium inter Namurcum & Hunum. Est ibi Collegium xxx. Nobilium Virginum Canonicarum, & x. Canonicorum, à S. Begga, Sorore S. Gertrudis Nivellensis, anno 687. fundatum. Præbendas confert non Præposita loci, sed Rex Catholicus, ut Comes Namurcensis.

Additio. (2) AD SEPTEM ECCLESIAS. Romæ sunt Septem Ecclesiæ, quæ à peregrinantibus solent religioso cultu visitari: videlicet S. Crucis in Jerusalem, SS. Fabiani & Sebastiani. S. Joannis in Laterano, S. Laurentii extra portam Exquilinam, S. Mariæ Majoris, S. Pauli in Viâ Ostiensi, & S. Petri in Vaticano.

Ad harum imitationem Ecclesiarum, quas Romam profecta devotè visitaverat S. Begga, Andanam reversa septem quoque erexit Ecclesias, de quibus ita habet Martyrologium Romanum: *Andaniæ ad Septem Ecclesias, B. Beggæ Viduæ, Sororis S. Gertrudis.* De his etiam egit Card. Baronius in Notis ad Martyrologium.

Prædictarum Ecclesiarum hæc sunt nomina. 1. S. Mariæ Majoris. 2. S. Petri. 3. S. Joannis. 4. S. Salvatoris. 5. S. Stephani. 6. S. Michaelis. 7. S. Lamberti: quæ omnes hodièque visuntur Andennæ.

Hæc refert Abbas à Ryckel in Vita S. Beggæ p. 55. ubi hæc adjungit. Inquirenti mihi, quì factum sit, ut ex Septem Ecclesiis una dedicata sit S. Lamberto, cum S. Beggæ posthumet S. Lambertus, non fuit qui satisfaceret. Suspicio tamen est, titulum per Encænialia mutatum, vel ob allatas eo S. Lamberti Reliquias miraculis clarissimas.

Alberto reddidi; ea eum conditione, ut ibi nullus omnino Advocatus esset, nisi ille tantùm, qui eam specialiter de manu Imperatoris teneret. Et hoc ipsius Advocati jus esset, ut nihil aliud quàm tertium in tribus generalibus Placitis denarium ibi haberet, & ipsum denarium non suâ, sed dispensatione Ministri Ecclesiæ & Scabinorum reciperet.

PRO hac largitione, quam Ecclesiæ Beatæ Beggæ, pro remedio animæ meæ feci, me vivente, mihi Missam specialem omni secundâ feriâ, & defuncto, pro me & animabus omnium fidelium defunctorum ipsa constituit Ecclesia.

QUOD ut ratum & inconvulsum omni ævo permaneret, meo Præcepto, meâ auctoritate, me præsente, OBERTUS Leodicensis Ecclesiæ Episcopus Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio perpetuo anathemate segregavit, quicumque hoc aliquo ausu, aliquâ temeritate infringere præsumet. Hujus igitur Traditionis Testamentum sancitum & astipulatum, & tot tantorumque præsentiâ & auctoritate illustrium virorum, qui subscripti sunt.....

Fredericus Archiepiscopus Coloniensis,
Obertus Episcopus Leodiensis,
Albero Episcopus Metensis,
Cuno Episcopus Wormacensis,
Burchardus Dux,
Fredericus Marchio,
Burchardus,
Henricus filius Ducis Welphonis,
Comes Bertholdus & filius ejus Bertholdus Comes,
Wilhelmus Comes,
Gerardus Comes de Los,
(4) Arnoldus & frater ejus Theodoricus,
(5) Gislebertus filius Comitis Ottonis,
(6) Henricus de Chini,
Reinerus Advocatus,
Guilielmus de Dolloeu,
Arnulphus de Roden,
Wigerus de Tudino,
Mainerus de Corteraes,
Adelo de Namueo,
Walterus de Baeingnet.

De Familia Imperatoris.

Fulmarus,
Trohemboldus,
Henricus.

De Familia S. Lamberti.

Theodoricus,
Warnerus,
Otbertus,
Lambertus,
Vazelinus,
Fredericus,
Udafricus,
Joannes Bascherus.

Signum Domini Henrici tertii Romanorum Imperatoris invictissimi.

Ego Hubertus Cancellarius, vice Rothardi Archicancellarii recognovi.

ANNO Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo primo, Indictione IX. anno autem Domini Henrici tertii Romanorum Imperatoris Augusti ordinationis XLVIII. Regni XLVI. Imperii XVIII. data Kalendis Julii. Actum Aquisgrani feliciter in nomine Domini. 1101.

(3) ALBERTI III, Comitis Namurcensis filii hic tres nominantur, GODEFRIDUS in Comitatu Namurcensi Successor, & Floreffiæ anno 1121 Fundator, HENRICUS, cujus anno 1089 lib. 1. Diplom Belgic. cap. 41. fit mentio, & ALBERTUS, alias Albricus, qui in Syria militavit, nisi fallor. His addatur FREDERICUS anno 1119. Leodiensis Episcopus consecratus. Vide suprà cap. 30.

(4) ARNOLDUS Comes de Los.

(5) GISLEBERTUS Comes de Duras.

(6) HENRICUS Comes de Chiny.

CAPUT XXXVI.

MATHILDIS, *Tusciæ & Lotharingiæ Ducissa, varia Tusciæ & Liguriæ Oppida S. Romanæ Ecclesiæ anno* 1077. *à se data, petente S. Gregorio Papa* VII. *iterum donat & confirmat anno* 1102.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo secundo, quinto decimo die Kalendas Decembris, Indictione decimâ, tempore Domini Gregorii VII. Papæ, in Lateranensi Palatio, in Capella S. Crucis, in præsentia Cencii Frangipane, Gratiani, Cencii Franculini, & Alberici de Petro Leone, & Benincasa Fratris ejus, Uberti de Tuscia, & aliorum plurium, 1102.

EGO (1) MATHILDIS, Dei gratiâ Comitissa, pro remedio animæ meæ & Parentum meorum dedi & obtuli Ecclesiæ S. Petri, per interventum Domini (2) GREGORII Papæ VII. omnia bona mea, jure proprietario, tam quæ tunc habueram, quàm ea quæ in antea acquisitura eram, sive jure successionis, sive alio quocumque

1 MATHILDIS vera virago, pro S. Gregorii VII. Papæ, proque Ecclesiæ Romanæ defensione semper stetit invicta, & fortissimè bella gessit: ut Lambertus Scafnaburgensis, illorum temporum Scriptor, & alii fusè narrant. Bis quidem nupta fuit, sed semper intacta: ut suprà cap. 32. narravi.

(2) S. GREGORIUS VII. Papa, Salerni quiescit, & colitur ibi peculiari Officio Ecclesiastico, Tabulis Rom. Martyrologii adscriptus 25. Maii.

cumque jure ad me pertinent, & tam ea quæ ex parte Montium habebam, quàm illa quæ in Ultramontanis partibus ad me pertinere videbantur; omnia, sicut dictum est, per manum Domini Gregorii VII. Papæ, Romanæ Ecclesiæ dedi, & tradidi, & Chartulam indè fieri rogavi.

Sed quia Chartula nusquam apparet, & timeo ne donatio & oblatio mea in dubium revocetur, ideò Ego, quæ suprà, Comitissa Mathilda iterum à præsenti die dono & offero eidem Romanæ Ecclesiæ, per manum Bernardi Cardinalis & Legati ejusdem Romanæ Ecclesiæ, sicut in illo tempore dedi, per manum Domini Gregorii, omnia bona mea, tam quæ nunc habeo, quàm quæ in posterum, Deo propitio, acquisitura sum, & tam ea quæ ex hac parte Montium, quàm in Ultramontanis partibus habeo, quàm quæ in posterum, Deo propitio, acquisitura sum alio quocumque jure, pro mercede & remedio animæ meæ, & Parentum meorum.

Quæcumque autem ista mea bona juris mei superiùs dicta, unà cum accessionibus & ingressibus, seu cum superioribus & inferioribus suorum, qualiter suprà legavi, in integrum, ab ea die, in eadem Ecclesia dono & offero, & per præsentem Chartulam offertionis ibidem habenda confirmo, insuper per cultellum, festucam nodatam, gantonem, & guvascionem terræ, atque ramum arboris. Et me exinde foras expuli, garpivi, & absentem me feci, & à parte ipsius Ecclesiæ habenda reliqui: faciendum exinde Papæ, aut cui Papa illius Ecclesiæ dederit, à præsenti die quidquid voluerit, sine omni mea, & heredum ac proheredum meorum contradictione.

Vide supra pag. 261.

Si quid verò (quod futurum esse non credo) sive Ego Comitissa Mathilda, quod absit, aut ullus de heredibus ac proheredibus meis, seu quælibet opposita persona, contrà hanc Chartulam quandoque offertionis ire agere tentaverimus, aut tam per quodvis ingenium infringere quæsierimus; tunc inferamus ad illam partem, contrà quam exindè litem intulerimus, mulctam, quod est pœna, auri optimi libras mille, argenti pondera quattuor millia. Et quod repetierimus, vindicare non valeamus; sed præsens hæc Chartula offertionis omnibus temporibus firma permaneat atque persistat, & pergamenam cum attramentario de terra levavi, paginam Guidonis Notarii tradidi, & scribere rogavi. In qua supter confirmans Testibus obtuli roborandam.

Actum Canusiæ feliciter......

Mathilda, Dei gratiâ, si quid est, in hac Charta à me facta.....

Ego Ardericus Judex interfui,

Ego Ubaldus Judex interfui.

Signum manu Attonis de Monte Barrazonis & Bonvicini de Canusia, rogati Testes.

Ego Guido Notarius Palatii, Scriptor hujus Chartulæ offertionis, post traditam complevi & dedi.

CAPUT XXXVII.

Lambertus *Patriâ Gisnensis, ex Canonico & Cantore Insulensi Episcopus Atrebatensis, dotat Insulense Canonicorum S. Petri Collegium, anno* 1111.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, unius veri ac summi Dei, amen. Ego (1) Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, pro semper reverenda mihi Ecclesiæ B. Petri Apostoli de Insula dilectione, pro renovanda quoque & confirmanda fraterna dilectione, & mutua societatis, precum & orationum instantia, pro tua etiam, dilecte in Christo Frater, Lamberte de Comines, & quorumdam Fratrum nostrorum interventione, concedo Ecclesiæ B Petri de Insula, Altare de *Moncellis*, salvo in omnibus jure Atrebatensis Episcopi, & Ecclesiasticis consuetudinibus Ministrornm ejus, liberum ab omni turpis lucri exactione.

Hac interpositâ conditione, quatenus pro Ecclesia B. Petri, vos dilecte Frater Lamberte, qui nunc Obedientarius estis de Moncellis, & futuri Successores vestri, Personatum, absque omni emptione & venalitate, gratis de manu Episcopi suscipiatis, & Synodali tempore Cathedraticos & Synodales reditus Archidiacono & Decano & Ministris Episcopi hilariter præparare & solvere studeatis, & ad Synodum venire non negligatis.

Adjicimus etiam, ut Ecclesia B. Petri per vos Presbyterum idoneum Episcopo Atrebatensi præsentet, qui ei obedientiam promittat, & de vitæ suæ honestate, sicut canonicum est, professionem faciat, ac deinde curam in populo de Moncellis gerendam gratis suscipiat. Ut ergò hujus nostræ Paginæ scriptum inconvulsum & stabile permaneat, ad hoc corroborandum fideles & idoneos Testes subnotare procuravimus.

Signum

(1) Lambertus, primus Atrebatensi Ecclesiæ Episcopus ab Urbano II. Papa anno 1093. datus, post separationem Atrebatensis Episcopatûs à Cameracensi. Urbani Diplomata extant Codice Donationum Piarum Cap. 65. & Libro II. Diplomatum Belgicorum Capite 39.

Signum Clarembaldi Atrebatensis Archidiaconi,
S. Roberti Ostrevandensis Archidiaconi,
S. Odonis Præpositi,
S. Droconis Decani,
S. Anastasii Cantoris,
S. Roberti Scholastici,
S. Canonicorum Rogerii & Arnulfi,
S. Decanorum Guarneri & Gerardi,
S. Hiluini & Arnulfi de Lens,
S. Petri & Roberti, Acolytorum.

Ego Lambertus, Dei miseratione, Atrebatensis Episcopus, hujus nostræ Paginæ scriptum relegi, subscripsi, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, propriâ manu confirmavi. Actum Atrebati anno Domini Christi millesimo centesimo undecimo, Indictione quartâ, Pontificatûs autem Domini Lamberti Atrebatensis Episcopi decimo sexto.

CAPUT XXXVIII.

Odo *Cameracensis Episcopus Bornhemiensis Abbatiæ fundationem ac dotationem, à* Wenemaro *Castellano Gandensi circa annum* 1100. *factam, approbat anno* 1112.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego (1) Odo, Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, cunctis Christo fidelibus salutem.

Volo notum fieri tam futuris quàm præsentibus, quòd (2) Wenemarus Gandensis Castellanus, prævidens sibi & consulens, ob remedium animæ suæ, & suorum omnium fidelium defunctorum, dispergit terrestria, ut metat cælestia.

Terram enim jacentem in Parochia *Bucholt*, viginti mensurarum, quæ erant Everboldi Presbyteri, & quatuordecim Admoti, & dimidiam Fredenodi, & mensuram unam & dimidiam Boltronis & tertiam partem allodii, quod vocatur *Mulnemerbolt*, in Parochia *Steenbussle*, ab omni exactione laïca liberam, Ecclesiæ (3) *Bornhem* (cujus ipse fundator est) dedit. Eo tamen tenore, ut si aliquid rei inutilis ibidem acciderit discussione dignum, ipse Wenemarus, vel suus Posterus cum Fratribus quasi Confrater suus, non cum dominio, non cum potestate ad discussionem ejusdem rei, communi & caritativo consilio sedeat, & ejus rogatu anathematizetur quicumque posterorum ultrà hæc dominium vel exactionem ullam fuerit ausus facere.

Hoc etiam Ego Odo Episcopus eidem Ecclesiæ autenticavi, & Sigilli mei impressione confirmavi. Addidi quoque ut si quis bona ejusdem Ecclesiæ diripiens, pacem & instituta Ecclesiæ infregerit, gladio anathematis feriatur. Si quis autem ejusmodi Ecclesiam intrare præsumpserit; Ecclesia à Dominico cesset officio, donec exierit. Et si tota Patria offensis aliquorum inbanniatur, remotis sæcularibus laïcis Ecclesia non cesset, sed sub silentio cantet. Hoc verò subtersignatorum testimonio corroboravi.

Signum meimet Odonis Episcopi.
S. Radulphi ejusdem Altaris Archidiaconi.
S. Anselli Archidiaconi.
S. Theoderici Archidiaconi.
S. Everardi Archidiaconi.
S. Erleboldi Præpositi.
S. Elcboldi Decani.

Signa Abbatum.

S. Gilberti de Eiham.
S. Snellardi de Geraldmont.
S. Ansboldi de Gandavo.
S. Reineri de Sancto Sepulchro.
S. Gofridi de Novo Castello.
S. Fregdonis Decani ejusdem Altaris.
S. Segardi Decani de Helles.
S. Riberti Decani.
S. Alexandri Decani de Hal.
S. Bernardi Decani de Waisch, & Fulcardi Fratris sui.
S. Cunradi Decani de Gandavo.
SS. Meinardi, Tangradi, Gommari.

Actum est hoc Cameraci in Synodo III. Idus Martii, anno Incarnati Verbi MCXII. Præsulatûs verò mei VII.

CAPUT

(1) Odo, aliàs Odardus, natione Aurelianensis, ex Abbate primo S. Martini Tornacensis creatus Episcopus Cameracensis, anno 1113. Aquicincti decessit, ibidem conditus.

(2) Wenemarus, vide Litteras fundationis à Wenemero factæ supra Lib. I. Diplom. Belgic. Cap. 45. & 46.

(3) Bornhem, Municipium Wasiæ, ubi olim erat Abbatia Canonicorum Regularium, quæ dein transmutata fuit in Monasterium Benedictinorum, sub Abbatia Affligemiensi. Vide supra Lib. I. Diplom. Belgic. Cap. 49. & 50.

CAPUT XXXIX.

Curtis de Tropbova in Nortkercka, quæ antea fuerat GUFFRIDI HOSEVOD, *à* MANASSE DE BREDENARDA, *dicti* GUFFRIDI *herede, venditur Monachis Andrensibus anno* 1116.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Notum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris fidelibus, quoniam Manasses de Bredenarda, acceptâ sex librarum caritate ab hujus Andernensis Ecclesiæ Monachis, Comitatum omnis terræ Guffridi Avunculi sui, & Comitatum omnis terræ ad eamdem terram pertinentis, unà cum Florentio filio suo, per manus Manassis Comitis & Emmæ Comitissæ, in manu Domini Rainaldi secundi præsentis Ecclesiæ Abbatis, liberè dedit. Quo dato ipse Manasses, unà cum prædicto filio suo Florentio, dejecit, & se ampliùs non habere debere judicavit; quod ipsum judicantem hic scripti Testes consecuti sunt,

Oilardus Heremita,
Robertus de Hammes,
Manasses Dapifer,
Elembertus Panitor,
Gozo cognomento Paganus,
Henricus de Marknes,
Henricus de Fraitun;
Robertus Notir,
Eustathius de Bavelingehem,
Balduinus Frater ejus,
Balduinus Seiro,
Heremarus Blouel,
Sigemarus de Millcea,
Folquinus Longus,
Huboldus Brunleg,
Godefridus filius Fulberti,
Hugo de Hervediggehem.

HOC autem factum est in Castro Gisnensi, scilicet inter Capellam S. Mariæ & terrarium domûs Eustathii de Hammes, anno videlicet 1116.
Incarnationis Domini MCXVI.

CAPUT XL.

Jura Monasterii Blandiniensis, Ordinis Sancti Benedicti juxta Gandavum, confirmantur à CAROLO BONO *Flandriæ Comite anno* 1120.

CAROLUS, Dei gratiâ Comes Flandriæ, & filius Regis Daciæ, universis Ecclesiæ filiis tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Cùm Divina Providentia, in cujus manu sunt omnium potestates & jura regnorum, post decessum inclyti Comitis BALDUINI, nepotis scilicet mei, in Principatum Flandriæ me sublimasset, Venerabilis, & ut credimus, dilectus Deo & hominibus Arnoldus Abbas S. Petri ..... Ut autem hoc ratum permaneat, præsentem Paginam ......

Signum Caroli Comitis.
S. Sigeri Castellani.
S. Balduini de Aloft.

ACTUM Gandavi, anno Domini millesimo 1120.
centesimo vicesimo, anno Principatûs nostri primo.

CAPUT

CAROLUS BONUS Patrem habuit S. Canutum Daniæ Regem, Matrem verò Adelam, Roberti Frisii Flandriæ Comitis Filiam. Uxor illi fuit MARGARITA, Rainaldi Claromontani apud Bellovacos Comitis & Adelidis Veromanduorum Comitissæ Filia; quæ Carolo anno 1127. ab impiis cæso, nupsit secundò Hugoni Campdavenæ, Comiti S. Pauli: ut Sammarthani Fratres tradunt in Historia Genealogica Regum Franciæ.

Carolo sine liberis defuncto, in Flandriæ Comitatu suffectus est GUILIELMUS NORMANNUS, Filius Roberti Nothi, Normanniæ Ducis, pòst Angliæ Regis, ex Machtilde, Balduini Insulani Filia. Cui similiter 1128. sine liberis sublato successit THEODERICUS ALSATIUS, Theoderico Strenuo, Lotharingiæ Mosellanæ & Alsatiæ Duce, & Gertrude Roberti Frisii Flandriæ Comitis Filia genitus.

Ad S. Canutum Caroli Patrem quod attinet, is pro zelo Christianæ Religionis, à Blacco familiari suo interfectus, anno 1086. Martyr occubuit. Post cujus cædem, regnum Corolo debitum Frater ejus junior Olaus occupavit. Olao post decennium alter Frater Ericus IV. successit, qui Religionis ergò Romam adiit.

CAPUT XLI.

JOANNES *Morinensis seu Teruanensis Episcopus, Prædia Monasterio Andrensi, à* BALDUINO *Comite Gisnensi, ejusque Filiis collata, suo Diplomate corroborat, anno* 1122.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Quoniam ad corroborandam servorum Dei pacem continuam, ad dilatandam rerum Ecclesiasticarum tranquillitatem perpetuam, Dei auxilio prudentique consilio elaborandum est; idcirco ego JOANNES, Dei gratiâ Teruanensium Episcopus, præsentis Chartæ Paginâ notum fieri volo, ad utilitatem tam præsentium quàm futurorum, BALDUINUM piæ memoriæ Comitem Gisnensem, uxoremque ejus ATHELAM, quoddam Cœnobium Monachorum, in loco *Andernes* dicto, in honore S. Salvatoris, sanctæque Rotrudis, pro redemptione animarum suarum, filiorum atque filiarum construxisse, annuente *Rodberto* seniore Flandrensi Comite, filiisque ejus Rodberto atque Philippo.

QUOD quia tam suâ quàm aliorum fidelium liberali munificentiâ augmentari & in melius crescere voluit, nos quoque nostram tuitionem adhibentes, piæque postulationi dilecti filii nostri *Rainaldi*, secundi Abbatis ejusdem Cœnobii, assensum præbentes, cuncta quæ eidem Cœnobio, tam à Prædecessore nostro Gerardo, quàm à nobis, vel à supradicto Comite Balduino, filiisque ejus *Manasse*, *Fulcone*, *Hugone*, *Widone*, aliisque fidelibus data vel acquisita, danda vel acquirenda sunt justis modis, ejusdem Ecclesiæ Abbatibus & Monachis perpetuò possidenda corroboramus.

ET ut ad repellendam pravorum hominum invidiam, avaritiam, contentionem, res ad idem Cœnobium pertinentes clariùs innotescant, eas in hac nostræ confirmationis Charta breviter annotari placuit:

IDEM Monasterium Andernense, quod Gerardus Antecessor noster concessit omni exactionis debito liberum, exceptis duobus solidis, quos omni anno in Cœna Domini huic Matri Ecclesiæ Fratres ibidem commorantes persolvent;

CAPELLAM S. Mariæ apud Gisnes, Altare S. Martini de Nortkereke in Bredenarda, Altare de Lullingahem, Altare de Fernes, Altare de Eilingehem, tertiam partem Altaris & decimæ de Terddingehem: de donis Comitum, terram de Attingehem cum hospitibus liberam, & Comitatum & boscum.....

ACTUM Taruennæ, Dominicæ Incarnationis anno MCXXII. regnante in Francia Ludovico Philippi Regis filio, in Flandria verò principante Karolo, his Testibus; 1122

Herberto Archidiacono,
Waltero Thesaurario,
Hugone Canonico,
Lamberto,
Balduino,
Bernardo, Canonicis Teruanensibus,
Goeelino Decano Teruanensi,
Guncelino Decano S. Audomari,
Meingero Abbate de Capella,
Ingelberto Abbate S. Joannis,
Isaac Canonico de Vormesele,
Gremboldo Clerico, multisque aliis.

CAPUT XLII.

CAROLUS BONUS, *Flandriæ Comes, Prædia & Privilegia Monasterii Loensis Canonicor. Regular. in Diœcesi Iprensi, confirmat anno* 1123.

EGO CAROLUS, nepos Rotberti Comitis, filii Rotberti Marchionis cognomento Frisonis, intuens quod ait Beatus Gregorius: Valdè peccamus, si aliorum benè gesta non diligimus; sed nihil mercedis agimus, si in quantum possumus, non imitamur. Quidquid PHILIPPUS, cum Fratre suo Rotberto Flandrensium Comite, (1) LOENSI Ecclesiæ S. Petri, Privilegio corroborans, contulit, non solùm benè gesta laudavi, verùm etiam pro posse meo ampliavi.

EGO enim renovando, quod fecit, terram Præconis, Comitatum, stallum, totiusque Villæ teloneum, expeditionem, & quod Teutonicè dicitur *Balguart*, tensuram & creditionem, atque omnem exactionem, vel quidquid sæcularis

(1) LOENSE Canonicorum Regularium Cœnobium PHILIPPUS Comes Loensis, Roberti Frisii Flandriæ Comitis Filius, cum Fratre suo *Roberto Jerosolymitano*, Flandriæ item Comite, anno 1093. fundavit ac dotavit. Dotem auxit anno 1118. Guilielmus ab Ipra, naturalis dicti Philippi Filius: ut lib. 2. Dipl. Belg. cap. 36. 42. & 43. docui.

laris juris super terram ac mansionarios S. Petri, Avunculi vel Antecessores mei habuerant, totum libenter concessi, imò novem mansuras, è regione orientali, claustro contiguas, pro remedio animæ meæ, & Patris mei, Parentumque meorum ab omni debito & exactione liberas, eidem Ecclesiæ contradidi, Canonicorum ibidem Deo servientium usibus omnimodò profuturas.

Si autem furta, duella, raptus mulierum, quod vulgò dicitur *Wifverdragan*, homicidia intrà prædictos terminos evenerint, & horum quorumlibet reus inibi capiatur, vel si, Ecclesiâ de hujusmodi clamorem mihi faciente, sententiæ capitali aut membrorum mutilationi justè damnetur, quod modum vel vires ejus excedit, hoc procul dubio ad jus meum pertinebit: eâ videlicet conditione, ut si reus per pecuniam redemptus fuerit, duas partes pecuniæ pro emunitate Ecclesia habeat, tertia verò meis usibus cedat, salvâ in omnibus S. Romanæ Ecclesiæ auctoritate.

Ad hujus ergò doni confirmationem nepotem meum Wilhelmum, Philippi filium, invito. Etiam sciant omnes, tam futuri quàm præsentes, quia ambo concedimus, & sigillorum nostrorum impressione munimus, coram subtitulatis Testibus:

Joanne Morinorum Pontifice,
Harberto Archidiacono,
Hugone Noviomensi Archidiacono,
Hiltrido Iprensi Præposito,
Adam Formosélensi Præposito,
Odgero Audomarensi Præposito,
Hugone Casletensi Decano,
Wouberto Iprensi Decano,
Baldewino Capellano Comitis,
Salomone Capellano Comitissæ,
Aloldo Furnensi,
Godeberto Clerico,
Thomâ Presbytero,
Berengario Notario de Aria,
Petro Scholastico,
Hugone, Wilhelmo, Folcardo, Clericis,
Rotberto Presbytero de Ipra,
Danièle de Tenremonde,
Wilhelmo de Boulara,
Waltero de Tornaco,
Waltero filio Alardi,
Gerardo Camerario,
Riguardo Nudo de Walnes,
Tietbaldo Iprensi Castellano,
Soero & Fromoldo Fratre ejus, de Ipra,
Isaac Formoselensi,
Waltero de Loera,
Lamberto de Rinenghelles,
Widone de Stemfort,
Albrico de Wathewa,
Goiffrido de Casleto,
Volerano de Lampernessa,
Willelmo & Giselberto Fratre ejus, filiis Gummari,
Riquardo Pal de Furnes, & Stephano filio ejus,
Waltero filio Sibaldi,
Lambekino filio Gotmari,
Erenbaldo Juvene, & Folpaldo Fratre suo,
Wailekino,
Erenbaldo.

Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo tertio, Indictione 1123.
autem primâ, temporibus Domini Calixti secundi Papæ, Domni etiam Radulfi Remensis Archiepiscopi, atque suprà nominati Domni Joannis Morinorum Pontificis, ac Fratris Gerardi, ipsius Loensis Ecclesiæ S. Petri quinti Præpositi; regnante Ludovico Francorum Rege, & procurante Flandriam Karolo Venerabili Marchione.

CAPUT XLIII.

Adalbero *Leodiensis Episcopus, anno* 1124. *approbat Fundationem Prioratûs de Bertreye Ordinis Cluniacensis in Gallo-Brabantia.*

Ego Adalbero Leodiensis Episcopus notum facio præsentibus, & futuris fidelibus nostris, quod Walterus de Trudignies liber homo tradidit S. Petro, & Fratribus Cluniacensis Monasterii, Ecclesiam de (1) Bertreys, cum omnibus usibus, decimis, &c.

Testes idonei adhibiti sunt Andreas Præpositus, &c. Ex nobilibus, atque illustribus viris Godefridus Comes Namurcensis, Gislebertus Comes de Duraschio, Lambertus de Monte-acuto, &c. Actum Leodii anno Incarnationis MCXXIV. Indictione II. 1124.

(1) Bertreye, Prioratus Monachorum Cluniacensium, propè Hannutum Gallo-Brabantiæ Oppidum, olim dicebatur *Cella B. Mariæ*. Sæculo XVI. omnimè divina illic cessabant, ædificia vetustate collapsa, unoque tantùm Religioso Cluniacensis ibidem stans bona Prioratûs recipiebat. Hinc visum fuit authoritate Apostolicâ & Regiâ eundem Prioratum extinguere, & bona unire Mensæ Episcopali Namurcensi, cujus Præsulis Diœcesis etiam per Gallo-Brabantiam extenditur.

CAPUT

CAPUT XLIV.

ARNULFUS *Comes Arschotanus, cùm* JOANNEM *Filium suum in Monasterio Affligemiensi collocasset, Vicum Buggenhoudt eidem Monasterio anno* 1125. *donavit; adsentientibus Filiis suis* GODEFRIDO *&* ARNULFO.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego GODEFRIDUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, & Marchio, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Quoniam auctore Deo, (1) Haffligemensem Ecclesiam tam à me quàm à (2) Fratre meo Comite HENRICO fundatam scio, paci & quieti in ipsa Ecclesia Deo famulantium modis omnibus providere debeo.

UNDE notum esse volo tam futuris quàm præsentibus, qualiter (3) ARNULFUS Comes de ADERSCHOT, cum duobus filiis suis, Godefrido & Arnulfo, in Curia mea Lovaniæ venit, & ad id, quod acturus erat, magnam hominum meorum multitudinem, liberorum, servorum convocavit.

PRÆFATUS igitur Comes Arnulfus quidquid apud (4) Bukenhoult habebat in terris, silvis, aquis & pascuis, cum omni decima & utilitate, quod ipse tenuerat, ad opus Haffligemensis Ecclesiæ, in qua JOANNEM filium suum jam Monachum fecerat, adsentientibus & simul dantibus filiis, mihi liberaliter in manu dedit, coram hominibus & Baronibus meis, qui præsentes erant.....

HÆC omnia Comes Arnulfus cùm legitimè fecisset, per me patriæ Dominum, & Ecclesiæ Advocatum..... Testes

Arnulfus de Grembergis,
Gerardus Frater ejus,
Filii Comitis Arnulfi, Godefridus & Arnulfus,
Worwinus de Heverle, & Reinerus filius ejus,
Sigerus de Wavera,
Henricus de Bierbais,
Henricus Loppoum,
Henricus de Asca,
Eustathius de Tiesch,
Arnulfus Dapifer,
Arnulfus de Fitorch,
Franco Castellanus,
Franco de Sclusa,
Alardus de Balterzem.

ACTA sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo viccesimo quinto, Indictione tertiâ, Epactâ XIV, regnante Lothario Romanorum Imperatore. 1125.

DIploma istud, notâ dignissimum, exstat in Archivio Monasterii Affligemiensis, cui Sigillum appendet, equitem cum hasta repræsentans, hac inscriptione additâ; *Sigillum Godefridi, gratiâ Dei Ducis Lotharingiæ.*

Additio. (1) AFFLIGEMIUM, olim HAFFLINGEM, Abbatia celebris Benedictinorum, in medio Sylvarum sita est Bruxellas inter & Alostum: de cujus Fundatione vide supra Codic. Donat. Piar. Cap. 62. & 79.

Cum dudum suos habuisset Abbates Regulares, cœpit habere Commendatarios Sæculo XVI, videlicet Carolum de Croy S. R. E. Cardinalem Episcopum Cameracensem, ac dein Archiepiscopum Toletanum, ejusque Fratrem Carolum Episcopum Tornacensem.

Anno 1560. Pius IV. Pontifex eandem Abbatiam in perpetuum univit Mensæ Archiepiscopali Mechliniensi; eoque titulo installatus fuit Abbas Antonius Perrenot Cardinalis Granvellanus, primus Mechliniensium Archiepiscopus. Viget hodièque disciplina sub Præposito Regulari, & dimidium bonorum omnium atque proventuum cedit Archiepiscopo, alterâ medietate remanente ad usum Religiosorum.

Anno 1628. sub Archiepiscopo Jacobo Boonen, Religiosi Affligemienses susceperunt Reformationem Cassinensem, jam modò inchoatam à Congregatione SS. Vitoni & Hidulphi in Lotharingia.

Hinc erecta fuit nova Congregatio S. Placidi, seu Monasteriorum S. Benedicti Reformatorum in Belgio, quæ non sunt nisi quinque, S. Huberti in Arduenna, Affligemiense in Brabantia, Gerardimontense in Flandria, & Gislenopolitanum ac San-Dionysianum in Hannoniâ.

(2) FRATRE meo Henrico, Comite Lovaniensi: cujus Diploma fundationis extat in Cod. Don. Piar. c. 62.

(3) ARNULFUS Comes de Aderschot, nunc *Arschot*, ad Demeram, in Brabantia, tertio lapide à Lovanio: quod Oppidum olim Comites habuit Dominos, pòst Marchionem & Duces ex Familia Croya, nunc Ducem ex Familia Liguesia-Arenbergica.

Additio. Hi Comites Arschotani profluxere ab Arnoldo, Viro Illustri & Marchione Limitis Antverpiani, Filio Ansgisi seu Angesili, Pipini Regis Francorum consanguinei; *Grammaye in Arschoto* & post eum *Joannes Le Carpentier in Historia Cameracensi part. 3. fol. 949.* Ubi multas enumerat Familias quæ ex hac Arschotana originem suam traxere, omnes Lilia in scutis suis, variatis tantummodo coloribus, præferentes. "Et ab his Comitibus producti, ,, inter primi nominis Nobiles semper habiti sunt," ait Grammaye *ibid.*

Ab his etiam ortum ducit Familia DE DIEVE, per Arnekinum de Aerschot, (de quo Butkens *dans ses Trophées de Brabant Tom. 1. fol. 222.*) Godefridi & Alixæ de Albret secundæ suæ Uxoris Filium, & Machtildem de Rotselaer Dominam *Ten Dieve* annno 1195: qui procrearunt Godefridum primum *De Dieve* Dominum, à quo hæc Nobilis Familia *De Dieve* emanavit Rotselariæ & Lovanii; quæ per nuptias copulata fuit Familiis de *Vuytterhellicht, Vuyttenliemingben, Wyckhuyse, Cruyninghen, Vanden Berghe, Heetvelde* & aliis, scilicet, *Van Wesemale, Van Bautershem, Van Redinghen, Vanden Calstre, Hers, Gielis, Platvoet, Zedelaer, Schoonvorst, Clutinckx, Quaderebbe, Bauw, Vander Hoffstadt, Van Dynthere, Van Boisschotte, Van Binckem, Van der Brugghen, Vuyttenhove* aliàs *Zadeleer, Van den Eynde, Van Huffle, Van Winghe, Heyme, Lievens de Caudekercke, &c.*

De hac origine Familiæ *De Dieve* vide Henricum Prevost, dictum De Leval, Regiæ suæ Cathol. Majestatis Armorum Regulum ordinarium, in suo Libro cui Titulus: *La Vie Exemplaire de plusieurs Abbesses decedées avec opinion de Sainteté, fol. 95.* ubi agit de *Catharina De Dieve* V. Matre

tre Abbatiſſa Monaſterii Sanctæ Claræ Lovanii, in opinione ſanctitatis mortua *6.* Januarii 1576. uti habent Regiſtra ibidem.

Habuit & hæc Familia *Agatham De Dieve* VIII. Parci Dominarum Abbatiſſam, quæ obiit 23. Maii 1275. ut ex ſerie Abbatiſſarum videre eſt; *Eliſabetham De Dieve* XXI. Abbatiſſam Floridæ Vallis, quæ obiit anno 1557. ex Catalogo ibidem; *Corneliam De Dieve* Matrem Abbatiſſam Sanctæ Claræ primùm Delphis, & per Geuſios inde ob fidem ejectam, Montibus Hannoniæ, ubi obiit 10. Aprilis 1598; *Eliſabetham De Dieve* Matrem Prioriſſam Inſulæ Ducis, quæ obiit 26. Auguſti 1625. omnes pietate conſpicuas.

Sago verò illuſtres numerat primò dictum *Godefridum* primum *De Dieve* Dominum, qui in Terram Sanctam profectus ibidem Eques creatus eſt anno 1220. ut habet Albericus Van Doeſt in Chronico ſuo de Expeditionibus in Terram Sanctam. Dein *Gerardum* Dominum *De Dieve* ejus Filium, qui in Bello Woeringano occubuit anno 1288. *Arnoldum* Dominum *De Dieve* Gerardi Filium Equitem circa annum 1317; *Walterum* Dominum *De Dieve* Arnoldi Filium pariter Equitem circa annum 1348; *Gerardum* Dominum *De Dieve* Walteri Filium etiam Equitem qui in Baſwilreano prælio captus fuit, Filio ejus Joanne ac Fratre Arnoldo occiſis anno 1371; & *Guilielmum De Dieve* ſimiliter Equitem circa annum 1400.

Togâ verò præclaros *Franconem de Dieve* Lovanii Conſulem, Quæſtorem &c. ibidem apud Auguſtinianos ſepultum anno 1470. ubi ante Chorum Inſignia Familiæ *De Dieve* conſpiciuntur, nimirum duo Lilia nigra in ſcuto argenteo, dexteræ ſurſum parti miniato campo ſuperimpoſito, è cujus ſcuti Galea prominet homo barbâ canâ, habitu nigro, manibuſque ſurſum levatis; *Gregorium de Dieve* circa annum 1551. Caroli Quinti Conſiliarium nec non Quæſtorem Cameræ Rationum Bruxellis, cujus Nepos *Gregorius de Dieve* Collegium Divæi Lovanii condidit 8. Junii 1571; *Franciſcum de Dieve* Vilvordiæ Quæſtorem Regium fratrem prædicti Gregorii primi; & *Petrum de Dieve* Syndicum ſeu, ut vulgus loquitur, Penſionarium Mechlinienſem, Rerum noſtratium Hiſtoricum celeberrimum, Virum ſanè de Patria noſtra optimè meritum, qui (ut ait Miræus *in Præfatione ſua ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem Albertum Archiducem Auſtriæ &c. cùm Petri Divæi Rerum Brabanticarum libros in lucem daret*) "veternum promiſcuæ ignorantiæ excuſſit, & cariſſimam Patriam priſtinæ gloriæ ac dignitati „ adſertam ab oblivionis tenebroſo carcere, ſtilo & litte„ rariis ingenii ſui armis, vindicavit." Vivere deſiit anno 1581. in cujus tam præclari Viri memoriam hæc de Familia ejus hìc fuſiùs inſerere placuit

(4) Bukenhoult, nunc Buggenhout, Vicus Archi-Diœceſis Mechlinienſis, ſub Decanatu Aloſtano, dependens à Territorio Grimbergenſi.

CAPUT XLV.

Carolus Bonus *Flandriæ Comes Prædia, Monaſterio Andrenſi à* Balduino *Giſnenſi Comite & aliis conceſſa, approbat circa annum* 1125.

AD honorem Summi Salvatoris. Quicumque rebus Eccleſiaſticis, Servorumque Dei commodis robur continuæ ſtabilitatis, & munimen adminiſtrat perpetuæ tranquillitatis, hic in mirum domum Dei in præſenti ædificat, & in futuro regnum ſibi æternum præparat.

Idcirco ego Karolus, Dei miſeratione Flandrenſium Comes, cupiens ſic tranſire per bona temporalia, ut non amittam æterna, ad conſultum ſalutis noſtræ, Eccleſiæ S. Salvatoris, ab honorabili Giſnenſium Comite *Balduino*, ejuſque conjuge *Athela*, in loco *Andernes* dicto, ad utilitatem Monachorum ædificatæ, noſtræ tuitionis munimentum adhibemus, & univerſa, quæ tam à ſupradicto Comite, quàm à Succeſſore ejus *Manaſſe*, ſeu eorum Baronibus, ſeu quibuſlibet perſonis fidelibus, ubilibet liberali munificentiâ eidem loco data vel danda ſunt, unà cum uxore mea, abſque qualibet inquietudine, libera & integra perpetuò ejuſdem Cœnobii Monachis poſſidenda concedimus: terras videlicet, Comitatus, decimas, ſilvas, aquas, molendina, prædia, hoſpites, vavaſores, ſervos & ancillas: ceteraque omnia quæ breviter ſubjecta ſunt. Terram de Ancingahem cum hoſpitibus liberam, & Comitatum & Boſcum, terram in Villa Biſſingahem......

Et quoniam annuentibus Prædeceſſoribus meis, Rodberto atque Philippo, ædificatum, & poſtea à Balduino nepote meo Monaſterium diligenter honorificatum eſt, ideo concedimus, ut qui in toto Comitatu Flandrenſi aliquid pro eleëmoſyna offerre ibidem voluerit, abſque cujuſlibet contradictione id tribuat.

Quicumque igitur in aliquo hanc Chartam infregerit, tamdiu omni honore ſuo & poſſeſſione careat, donec prædictæ Eccleſiæ per omnia ſatisfaciat.

CAPUT

QUandoquidem Carolus cognomento Bonus Flandriæ Comes, tamquam ſuperior Dominus, fundationem Monaſterii Andrenſis, à Balduino Giſnenſi Comite factam, approbarit; hinc clarè, conſtat, Giſnenſes olim Comites (ut & Bolonienſes) Comiti Flandriæ fuiſſe obnoxios ac Feudatarios.

CAPUT XLVI.

CLEMENTIA, *Roberti Hierosolymitani Flandriæ Comitis Vidua, benefacit Præposituræ B. Mariæ Cortraci, in Diœcesi Tornacensi, quæ est Monachorum S. Amandi, Ordinis S. Benedicti; circa annum* 1125.

Addit. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen. Qui Servorum Dei necessitatibus communicat,& ad relevandam indigentiam eorum in præsenti aliquid largitur, misericordem Dominum sibi conciliat, & bonis cœlestibus Deo favente communicat.

QUOCIRCA ego (1) CLEMENTIA Comitissa Flandriæ & Ducissa Lotharingiæ, nostris quibuscunque Successoribus, omnibus etiam tam præsentibus, quàm futuris fidelibus cognitum esse volumus, quod assensu venerabilis Theodorici Comitis Flandriæ, ad usus & sustentationem Fratrum de Monasterio S. Amandi in Capella Beatæ Dei Genitricis Mariæ, quæ sita videtur esse prope Curtriacum,Deo famulantium, pro remedio animæ nostræ & Comitum Flandriæ salute, tam Prædecessorum quàm Successorum, quoddam pratum de nostro jure vicinum ipsi Capellæ benignè concessimus,duo quoque Mansa terræ in illa vastitate de Espouth.

ET quoniam omni petenti danda est eleëmosyna, præcipuè tamen eis qui ut liberiùs Deo serviant, & Deum orent, nihil proprium possident in sæculo; prædictorum Fratrum usibus id addere & præstare volumus: quatenus de tribus Præbendis, quæ dantur in eleëmosynam Comitum Flandriæ in Curtriaco singulis annis, ipsi Fratres duas ex integro accipiant, videlicet in festivitate S. Dionysii, in Molendinis apud Herlebecam, unum modium frumenti ad mensuram Comitis, & unum modium avenæ de horreo Comitis: in festivitate Sancti Martini, decem fascrias siliginis & duodecim solidos, de ministerio quod modo tenet Robertus filius Vernoti.

CONCESSIMUS etiam illis comitatum de Bonarda sui allodii, & quandam terram in allodium, quam de nostro jure tenebat in feodum quidam Simon manens juxta præfatam Capellam. Quam terram postea ipse Simon à prædictis Fratribus recepit, & pro ipsa singulis annis solvit eis censum sexdecim denarios.

CONCESSIMUS etiam prædictæ Ecclesiæ Roscendam cum duobus filiis & tribus filiabus, quorum nomina hæc sunt, Gulcherus, Siherus, Richelandis, Emma, Helvidis.

UT igitur hujus nostræ dationis pia concessio firma perpetuò maneat, Sigilli nostri impressione præsens scriptum signari jussimus, testium etiam nomina, qui dationi interfuerunt, subter annotari jussimus.

Signum Rogeri Castellani,
S. Balduini de Odengem,
S. Radulphi de Rumbeca,
S. Roberti Veinoti,
S. Herimanni Clave,
S. Thomæ,
S. Gerardi de Forest,
S. Hugonis Fratris ejus,
S. Theobaldi de Vatinis,
S. Ursderi de Louva.

(1) CLEMENTIA, fuit etiam benefactrix Abbatiæ Affligemiensis in Brabantia, supra Lib. I. Dipl. Belg. c. 50.

CAPUT XLVII.

S. Medardi olim, nunc S. Nicolai de Pratis, Abbatia Canonicorum Regularium Tornaci instituitur à SIMONE *Episcopo, anno* 1126.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen. (1) SIMON, Dei gratiâ Tornacensis Ecclesiæ humilis Minister, omnibus Sanctæ Tornacensis Ecclesiæ Suffraganeis, & piæ Religionis amatoribus.

Nos, qui Pastorali Curæ, Deo auctore, præsidemus, de Ecclesiarum statu & earum Religione conservanda solliciti esse debemus. Siquidem boni Pastoris est religiosis favere desideriis, & servorum Dei providere quieti.

SANE S. Medardi Ecclesiam, sitam in suburbio Tornacensi, Canonici S. Mariæ, ex antiquo jure, de canonica possessione tenebant. Quam

(1) SIMON, Episcopus Tornacensis ac Noviomensis, Hugonis Magni Veromanduorum Comitis Filius, Henrici I. Francorum Regis Nepos, cum Theoderico Alsatio, Flandriæ Comite, in Orientem abiit; ubi & anno 1148. obiit, Seleuciæ conditus.

Quam ex eorum devota petitione, & religiosi affectûs desiderio liberam facientes, eisdem à nobis exigentibus, in ea canonicæ vitę Abbatem & regularis disciplinæ personas, ad serviendum Deo, sub Regula S. Augustini constituimus.

TE igitur, Frater Venerabilis (2) OGERE, eidem Ecclesiæ Abbatem præficientes, locum ipsum liberum, & quæcumque tuis sive Successorum tuorum temporibus, eidem loco justè atque canonicè poterunt provenire, Divinâ auctoritate & Episcopali Sanctione firmamus. Tu, sive Successores tui, debitam Episcopo Tornacensi, atque Archidiacono & Ministris nostris obedientiam atque reverentiam, quemadmodùm ceteri Abbates, per omnia exhibebitis. Curam & cœmiterium habebitis tantummodò Canonicorum vestrorum & conversorum, eorum videlicet, qui relictâ proprietate, in domibus vestris commorantes, se & sua vobis reddiderint.

DE omni agricultura vestra circa Tornacum, & de pecoribus mansionis vestræ decimas dabitis Canonicis S. Mariæ; nihil aliquatenùs vobis de ipsorum Parochiali jure vindicantes, absque illorum assensu; servatâ in omnibus institutione, quæ sacris Canonibus est definita. Obeunte verò ejusdem loci Abbate, ceteri Fratres liberam habeant eligendi alterius Abbatis de suo, sive de alieno Claustro, si necesse fuerit, potestatem; de ea videlicet persona, in qua communis Capituli vota, sive sanioris consilii Fratres assenserint.

NEMO Vos hæc instituta servantes à proposito vestro revocare, nemo quietem vestram turbare præsumat. Qui benefecerit Vobis, sit ille benedictus; quicumque malefecerit & vestris eleemosynis detraxerit, sit ille maledictus, donec resipiscat. Hæc igitur Vobis, Roberti Archidiaconi nostri consilio, & eorum, quorum interest, assensu confirmantes, sub anathemate interdicimus, ne qua in posterum persona locum vestrum à proposito vitæ canonicæ & Regula S. Augustini in alium Ordinem aliquatenùs mutare præsumat. Hoc ut firmum vobis deinceps & inconvulsum permaneat, Episcopali auctoritate, atque sigilli nostri impressione signamus.

ACTUM Tornaci in Capitulo S. Mariæ, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo sexto, Indictione quartâ, regnante Rege Lodovico, Episcopante Domino Simone, Karolo Flandrensium Marchiam tenente. 1126.

Signum Domini SIMONIS Episcopi.
S. Henrici Decani.
S. Roberti Archidiaconi.
S. Stephani.
S. Elberti,
S. Maineri, Presbyterorum.
S. Henrici,
S. Erbaldi,
S. Radulphi, Diaconorum.
S. Gerrici,
S. Guirici,
S. Galteri,
S. Movini,
S. Adam,
S. Siceri,
S. Letberti,
S. Petri,
S. Balduini, Canonicorum.
S. Goteri Decani.
S. Theodorici Præpositi.
S. Tetberti Cantoris.
S. Walteri Magistri.
S. Segardi,
S. Absolonis,
S. Aluini,
S. Joannis,
S. Franconis,
S. Gilleberti,
S. Arnulfi, Abbatum.
Ego Hugo Cancellarius scripsi.

CAPUT

Additio. (2) OGERUS, Canonicus Regularis, ex Monte S. Eligii prope Atrebatum evocatus Tornacum, primùm cœpit ædificare Cœnobium juxta Ecclesiam S. Medardi. Quem locum cùm minùs idoneum repperisset, alium elegit Scaldi vicinum, & ibi Abbatiam S. Nicolai de Pratis constituit.

In Archivis Abbatiæ Rodensis, item in *Floribus Ecclesiæ Leodiensis* Authore P. Fisen Societatis Jesu, memoratur Venerabilis AILBERTUS, natus Anthonii in Hannonia, dein Canonicus ac Scholasticus Cathedralis Tornacensis, initium dedisse Abbatiæ S. Nicolai de Pratis Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini juxta Tornacum; dein verò alteri Abbatiæ Rodensi (vulgò *Rolduc* ejusdem Ordinis in Ducatu Limburgensi) ac tandem Abbatiæ Clari-Fontis in Diœcesi Laudunensi apud Gallos (quæ dein cessit Religiosis Præmonstratensibus.) Obiit verò idem Ailbertus, insigni sanctitatis opinione relictâ, die 19. Septembris anno 1122.

Unde ut ea, quæ Miræus hic refert, cum citatis Authoribus cohæreant, verosimilius dicendum, *Ailbertum* fuisse Fundatorem Abbatiæ S. Nicolai, *Ogerum* verò primum præfuisse Abbatem.

CAPUT XLVIII.

VVarnestonensem Canonicorum S. Petri Ecclesiam, in Diœcesi olim Morinensi, nunc Iprensi sitam, ATHELIDIS *seu* ADELIDIS, *Peronæ & VVarnestonii Domina, ejusque Frater* ODO, *Majorum suorum exemplo, dotant anno* 1126.

SANCTORUM Patrum exemplis docemur, & eorum qui nobis verbum salutis annuntiant, admonitionibus exhortamur, Ecclesiis Dei benefacere, & unde servientes earum sustententur, prout facultates suppetunt, largiri, & eis modis quibus possumus proficere. Quapropter ego ATHELIDIS, Peronensium & Garnestonensium Domina, saluti animæ meæ providens, ea, quæ Prædecessores mei Ecclesiæ S. Petri de (1) GARNESTON, ad usus Canonicorum, Deo & Beato Petro ibidem servientium, contulerunt, insuper & ea, quæ ego & Frater meus ODO præfatæ Ecclesiæ largiti sumus, liberè tenenda in perpetuum concedo

DUAS partes decimæ totius Villæ de Garneston, XL. solidos de teloneo, Maheriam præfatæ Villæ, & terram *Almari*, & ceteras possessiones Ecclesiæ; familiam quoque Besceelæ, & ipsam Besceelam, quam præfatus Frater meus Odo eidem Ecclesiæ, pro salute animæ suæ, dederat; ipsam Ecclesiam ad usus Canonicorum liberam tenere, similiter in perpetuum concedo; Gerbodonem filium ipsius Besceelæ, Mathildem sororem ejus, filium ipsius Mathildis Andream, & filiam ejus Julianam, Helisabeth, Susannam, Oginam quoque filiam ipsius Besceelæ, & filios & filias ejus, Galterum, Alardum, Willelmum, Mathildem & filiam ejus Oginam, Agnetem, Anxiliam, Hellemiridem, filios quoque Gerbodonis & filias, Remigium, Melianam, Heillewidim, Immam. Hæc autem familia, & ex ea descendentes, in Passione Apostolorum Petri & Pauli, duos nummos Canonicis persolvent, & quando nuptias contrahent, duodecim nummos; similiter & in morte duodecim.

HÆC autem omnia ut rata & firma permaneant, sigilli nostri impressione signamus, & his Testibus corroboramus.

Sigerus Canonicus ejusdem loci,
Odo Sacerdos & Canonicus S. Leodegarii,
Stephanus Clericus,
Radulfus Clericus,
Hugo Clericus,
Alardus de Garneston,
Odo Cameracensis,
Galterus Schcidel,
Ansellus,
Hugo filius Richeri,
Robertus Præpositus;
Isaac,
Haimericus & filius ejus Gerardus, & complures alii; præterea tota familia Dominæ Athelidis.

ACTUM est autem anno Incarnati Verbi millesimo centesimo vicesimo sexto. 1126

(1) GARNESTON, aliàs *Guarneston*, Gallis hodie *Warneston*, Flandris *Waesten*, amplum Municipium ad Lisam fl, secundo lapide ab Ipris situm: in quo Canonicorum olim Sæcularium fuit Ecclesia, qui an. 1138. regularem disciplinam amplexi, Congregationi Aroasiensi sese adjunxerunt: ut paulò infrà suo loco docebimus.

CAPUT XLIX.

RAINOLDUS *Archiepiscopus Remensis Possessiones Abbatiæ Henniacensis enumerat ac confirmat anno* 1129.

RAINOLDUS, Divinâ dispensante gratiâ, Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus, dilecto filio Hugoni, (1) Henniacensis Ecclesiæ Abbati, & ejus Fratribus, in eadem S. Martini Ecclesia canonicam vitam professis, eorumque Successoribus, in eadem observantia permansuris salutem.

RELIGIOSIS desideriis dignum est facilem præbere consensum. Vestri itaque desiderii justis petitionibus debitâ caritate annuentes, Ecclesiam vestram Metropolitanæ Sedis auctoritate munimus. Universa namque ad Ecclesiam vestram legitimè pertinentia, tam Vobis quàm & Successoribus vestris, in perpetuum confirmamus:

ALTARE videlicet S. Martini, cum Altaribus Roevillæ, Asciovillæ, Billy, Montensni, Borceoli, & Curam animarum omnium hominum Henniaci manentium, prælationisque & prædicationis officium.

SI autem Ecclesiam ipsam S. Martini aliquando violatam esse contigerit, Tibi dilecte fili HUGO Abba, tuisque Successoribus legitimis concedimis, ut acceptâ ab Episcopo Atrebatensi

batensi aquâ reconciliationis, eadem Ecclesia tam à Te quàm & à tuis Successoribus reconcilietur.

CONFIRMAMUS etiam Ecclesiæ vestræ vivarium BALDUINI, Lethardi filii, de HENNIACO, quod eidem adjacet Villæ, & curtilionem *Radulphi de Bertricurte*, qui adjacet inter idem vivarium & viam de Cureriis,& unam mansionem inter idem vivarium & *Montempancherii*, & totam terram, quæ jacet ad caput Ecclesiæ S. Martini, à via quæ ducit ad portam de *Durgis*, usque ad mansionem *Geroldi*, fratris Theobaldi, hominis Dei; & eamdem ipsam mansionem,& duodecim bunnarios terræ, de quibus novem jacent juxta *Castellare*, & tres secus viam *Berberiensem*, & duos curtiliones & dimidium infrà Parochiam, & duas partes decimæ ejusdem Parochiæ, & apud *Cureri*as tres curtiliones, & apud *Roveroy* unum curtilionem, & sex frusta terræ, & apud *Noyellam* unum frustum terræ, & apud *Beury* duos curtiliones, & apud *Douring* alodium, quod *Alulfus Brochet*, *Alardusque* & *Robertus* sororesque eorum pro anima *Bernardi Croce*, fratris eorum, donaverunt; & decimam de campo Lamberti, quam *Odo*..... in augmentum luminaris Ecclesiæ donavit.

PRÆTEREA quidquid dignitatis, quidquid libertatis Episcopus Atrebatensis Ecclesiæ vestræ & vobis contulit, sive in futurum contulerit; quæcunque etiam Ecclesia vestra justè possidet, vel futuris temporibus, quorumlibet fidelium donatione, auctore Deo, adipisci poterit, firma vobis vestrisque Successoribus permaneant.

PRÆSENTIS autem Privilegii decreto statuimus, ut & vos & Successores vestri religiosè, & absque proprietate secundùm Regulam B. Augustini Episcopi & instituta S. Nicolai de *Aridagamantia*, Domino in perpetuum serviatis.....

DATUM Remis, anno Incarnati Verbi Dei MCXXIX, Indictione VII. 1129.

(1) HENNIACUM, vulgò *Hennin Lietard*, olim Oppidum fossis clausum, hodie Municipium Artesiæ, muris & fossis nudatum, gaudet titulo & privilegio Oppidi, ac jure fori publici seu nundinarum, quæ singulis ibi septimanis celebrantur. Distat tertio lapide à Duaco, & secundo à Lensio Oppido, gaudetque titulo Comitatûs, quem Dux Bournonvillæ possidet. Olim Familia Hennina, vulgò *De Hennin* (cujus hodie caput est Comes Bossuti in Hannonia) Municipium istud possedit, à quo & cognomentum induit. Vide Librum primum Diplomatum Belgicorum capite 52. item Chronicon Belgicum ad annum 1554.

CAPUT L.

SIMON *Tornacensis ac Noviomensis Episcopus dotat anno* 1130. *Aldenburgensem Benedictinorum Abbatiam, in Diœcesi olim Tornacensi, nunc Brugensi sitam.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. SIMON Dei gratiâ Tornacensium & Noviomensium Episcopus, fidelibus cunctis præsentibus & futuris gratiam & benedictionem sempiternæ salutis.

CÙM manifestè comperissem Monasterium Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quod situm est in Opido *Aldenborg*, rerum copiâ numquam suffultum, & proinde Monachos, ibidem Domino deservientes, angustiis plerumque teneri; paternâ, ut decuit, miseratione illis, utpote filiis nostris, compassus, sumpto consilio Archidiaconi nostri Roberti, & aliorum honestorum Clericorum, donavimus eidem Monasterio Aldenborgensi & Abbati (1) *Hariulfo*, ac Fratribus sibi commissis, Ecclesiam S. Mariæ in eodem Opido sitam, cum totius Aldenborgensis Parochiæ integritate, sub Personatu tenendam; tali videlicet conditione, ut jus Episcopale, prout anteà extitit, integrum permaneat, & Persona ibidem constituta pontificialia ac synodalia debita immobiliter persolvat.

Oudenborgh.

SANE (2) CONONI Nobili Viro (cujus benevolâ concessione & piâ petitione, hanc ipsam Ecclesiam Abbati præfato & Monachis ejus contradimus) seu Successoribus ejus, novem libras denariorum annuatim persolvat: ex quibus tamen novem libris, novem solidos quotannis retentabit: ex quibus, ut hactenus factum est, debitum Episcopale compensabit. Personâ obeunte, alia per voluntatem Fratrum & Abbatis restituenda, decem tantùm solidos dabit Episcopo Tornacensi. Persolutis denique Episcopo & Cononi antiquitùs constitutis censualibus debitis, de cetero quidquid decimarum & oblationum seu terrarum dotis Ecclesiæ superesse potuerit, illud totum ad sustentationem victûs & vestitûs Monachorum Monasterii Aldenborgensis condonando conferimus, conferendo condonamus: ut eis jure perpetuo inserviat, & ad relevandam illorum necessitatem indesinenter proficiat.

UT

(1) HARIULFUS, Abbas Aldeburgensis (non autem Lisiardus Episcopus Suessionensis) scripsit vitam S. Arnulfi Suessionensis Episcopi, ad Lambertum Tornacensem Episcopum, quam Surius edidit, sed omissâ Præfatione triplici. Exstat ea integra apud nos, & in Ursicampo prope Noviomum.

(2) CONO, Roberti Comitis Flandriæ Cubicularius. De Aldeburgensi Monasterio, ejusque circa annum 1080. conditore S. Arnulfo, jam dicto Episcopo (cujus sacrum corpus ibidem hodieque adservatur) plura qui volet, Origines nostras Benedictinas, cap. 71. & Fastos nostros Belg. 15. Aug. consulat.

Ut autem hæc nostra largitio, ad honorem Dei & SS. Apostolorum Petri & Pauli, perpetuam obtineat firmitatem, hanc inde Paginam factam sigillo nostro munivimus, & devotorum Clericorum testimonio roboravimus.

Signum D. Simonis Episcopi.
S. D. Roberti Tornacensis Archidiaconi.
S. tunc præsentis Noviomensis Archidiaconi.
S. D. Ranardi Noviomensis Abbatis Regularium Canonicorum.
S. Monini Tornacensis Canonici.
S. Bernardi Decani de Wasia.
S. Sigerii Noviomensis Canonici.
S. Hugonis Cancellarii de Rogia.
S. Reinerii Personæ Bredenensis.
S. Bolteronis Personæ Gistelensis.
S. Walterii Buticularii, qui me Brugis mœrentem & dolentem pro nece Comitis Karoli, in Ecclesia S. Salvatoris adiit, & ut hanc Ecclesiam Fratribus Ecclesiæ S. Petri condonarem, multâ prece expostulavit.
S. Cononis, Fratris ac Successoris præfati Walterii, qui iterum me Brugis in hospitio meo, quod erat domus Folperti Kinkaler, humilitùs convenit, & ut prædictam Ecclesiam cum Personatu condonarem S. Petri Abbati, rogitavit.

Actum Brugis XI. Kalendas Aprilis, anno MC. XXX. Indictione VIII. 1130.

CAPUT LI.

S. Bartholomæi Abbatia Quercetana, vulgò Eechout, quæ est Canonicorum Regularium in Urbe Brugensi, dotatur à Theoderico Alsatio, *Flandriæ Comite, anno* 1130.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego (1) Theodericus, Dei gratiâ Dux & Comes Flandriæ, ob timorem & amorem Dei, & spem æternæ vitæ, & salutem animæ meæ & Prædecessorum meorum, quidquid hereditatis vel redituum, juris vel advocationis in Echolt habeo, quod jacet Brugis in Rogia vivario meo, Ecclesiæ Dei, quæ inibi fundata est, & Dei servis, in eadem Ecclesia Deo & S. Mariæ & S. Bartholomæo Apostolo & S. Willibrordo servientibus, petente in nomine Domini Monacho ejusdem loci Fratre Folcramno, liberè possidendum in perpetuum trado.

Insuper & quattuor pisas caseorum de eleëmosynis mensæ meæ eis, ob remedium animæ meæ, concedo, & coram idoneis testibus Sigilli mei impressione corroboro, ne in posterum ab aliquo Successorum meorum, sive Principum sive Ministrorum, aut infringatur aut violetur. Testes

Rodgerus. Brugensis Præpositus,
Fromoldus Notarius,
Gervasius Castellanus,
Walterus Clomlyn,
Frooldus de Ruislem,
Heio de Tulpan,
Balduinus frater ejus, & magnus Præco,
Hancmarus de Stratan,
Walterus Clericus,
Rodolfus Magister & Brugensis Canonicus.

Data Brugis anno Incarnati Verbi millesimo 1130.
centesimo tricesimo.

(1) Theodericus, Alsatius, Dux & Comes Flandriæ (qui tituli apud Veteres sæpè confunduntur) Patrem habuit *Theodericum* II. Strenuum, Lotharingiæ Mosellanæ & Alsatiæ Ducem. Matrem verò *Gertrudem*, Roberti Frisii Flandriæ Comitis Filiam. Ex Suanahilde priore Conjuge (cujus ipse meminit lib. 1. Dipl. Belg. cap. 56) genuit *Laurentiam* Ivano Comiti Alostano nuptam, & ex posteriore Sibylla sustulit *Balduinum*, *Philippum* suum in Comitatu Flandriæ Successorem, *Mattheum* Idæ Comitissæ Boloniensis maritum, *Petrum*, *Margaritam*, *Gertrudem*, & *Elisabetham*. Terram sanctam quater adiit, & inde Cruorem D N Jesu Christi Brugas attulit, & in Basilica S. Basilii à se ædificata collocavit. Obiit 1168. sepultus Watenis, in Monasterio Canonicorum Regularium; cujus annua vectigalia Episcopatui Audomarensi sunt applicata, fundus verò Patribus Anglis Societatis Jesu est attributus à Jacobo Blasæo, Episcopo Audomarensi.

CAPUT LII.

Manasses *Comes Gisnensis, donationem Prædii, ab* Arnulfo *Ardensi factam Monachis Andrensibus, approbat anno* 1130.

Notum sit omnibus hominibus, quòd ego Manasses Comes Gisnensis voluntariè concessi donum illud, quod fecit Arnulfus de Arda Andernensi Ecclesiæ de Comitatu de *Bocretes*, de terra videlicet quæ fuit Guarini de Feldnes, & quòd idem Arnulfus datum illud, me audiente, recognovit & confirmavit; quod testantur subscripti homines, videlicet,

Ernoldus de Gant,
Eustathius de Bavelingahem,
Balduinus Frater ejus,
Radulfus de Dovera,
Arnulfus de Hammes,

Hugo Malvoisin,
Balduinus de Liskes,
Philippus de Monte Gardin,
Balduinus filius Malvoisin,
Hugo Delbroch,
Sigerus de Gant,
Eusthatius Vavasor,
Balduinus Ostiarius Comitis,
Otfridus de Gisnes, & filii ejus Manasses,
Goffridus, Alelmus,
Balduinus Avunculus ejus,
Walterus Minister Comitis,
Gunfridus Pincerna, & alii multi.

Ut autem nullus huic conventioni violentiam inferre præsumat, Chartam hanc testamentalem proprio sigillo corroborari præcepi.

CAPUT LIII.

Idem MANASSES *Comes Gisnensis, cum Uxore sua* EMMA, *& Filia* ROSA, *confirmat Possessiones Cœnobii Andrensis.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Impetrandi facultatem justis petitionibus fidelis quilibet mente devotâ debet accommodare, ut & ipse peccator veniam vitamque perpetuam à Domino valeat faciliùs impetrare.

Quod Ego (1) MANASSES, Dei gratiâ Gisnensium Comes, mente revolvens, & utilitati simul & quieti Domino famulantium in posterum prospiciens, ad petitionem Domini *Gisleberti*, primi Abbatis Andernensis Cœnobii, cuncta quæ eidem Ecclesiæ S. Salvatoris, tam à me quàm ab Antecessoribus meis, vel Baronibus, seu quibuslibet personis data, vel in futurum danda sunt, perpetuò ejusdem loci Abbatibus vel Monachis, unà cum Uxore mea *Emma*, & filia *Rosa*, absque qualibet inquietudine, concedimis possidenda; terram de *Attingahem* cum hospitibus liberam, & Comitatum & Boscum; terram in Villa Bissingahem, terram apud Altinges; apud Morlingahem terram cum comitatu.....

Et ut cuncta rata persistant, Chartam ipsam sigillo nostro & Baronum meorum testimonio signari curavimus.

(1) MANASSES Gisnensis Comes ex EMMA de Renty sustulit *Robertum*, qui ante Patrem obiit, & *Rosam* filiam: ut suprà cap. 23. docui.

Robertus Manassis filius inter Comites Gisnenses non computatur, utpote ante patrem defunctus. Filiam post se reliquit BEATRICEM, quæ Avo suo Manassi in Comitatu Gisnensi successit, bis nupta, primùm *Alberico* cognomine *Apro*, natione Anglo, posteà *Balduino* Ardæ Domino; sed ex neutro prolem genuit. Uterque tamen maritus inter Gisnenses Comites locum habet in Versibus istis, quos Libro 1. Diplom. Belgic. cap. 71. ex Ms. Codice Andrensi recitavi.

Beatrice defunctâ, Comitatum Gisnensem sibi jure sanguinis deberi contendit ROSA, alio nomine SIBILLA Manassis & Emmæ filia, Henrico Castellano Borburgensi nupta; cujus in hoc Diplomate fit mentio. Sed Rosâ similiter sine prole defunctâ, ARNOLDUS, Wenemari Castellani Gandensis & Gislæ (quæ dicti Manassis Comitis soror fuerat) filius Comitatum Gisnensem obtinuit, & ad posteros transmisit.

De rebus istis Guilielmus Abbas in Chronico suo Andrensi, in Gestis anni 1150. hæc breviter narrat: Petri Abbatis Andrensis propositum, de domo Dei circumcingenda muro lapideo, impedivit multiplex guerra, ante ejus adventum in terra Gisnensi, & pro terra Gisnensi suborta, & nondum sopita. Siquidem mortuâ jam pridem prænominati Comitis *Alberici Apri* Uxore *Beatrice* calculosâ, sed ab eo priùs separatâ, & *Balduino* Domino Ardeæ datâ, *Manassis* Comitis herede, à Nobili Viro *Henrico* Castellano de Broburg, & à *Sibylla*, quæ & *Rosa*, ipsius Comitis filia, & tam ipso Domino, ex parte Uxoris suæ, totum Comitatum calumnianta, quàm Castellano ipsum adjuvante, & multipliciter guerris, rapinis & incendiis Comitatum Gisnensem devastante, *Arnoldus*, Gandensis Castellani filius (cujus idem Comes Manasses fuerat Avunculus, quique ab ipso Comite Villam & Castellum de *Tornehem*, & omnia ejus appendicia, ipso vivente, jure feodali fuit adeptus) ei viriliter & potenter resistebat, & ne Petri Abbatis opus procederet, multis eventibus impediebat.

CAPUT LIV.

HENRICUS DE CAMPANIES, *illius Villæ Dominus, Monasterio Andrensi donat Prædium in Hottingehem: quam donationem* PETRUS *Abbas Andrensis scripto signavit anno* 1130.

NOVERINT omnes, quia HENRICUS de Campanies, post celebrationem Missarum pro anima Eustachii Sororii sui, in secundo die videlicet depositionis suæ, terram in *Hottingehem* jacentem, per singulos annos viginti laserias frumenti reddituram, unà cum MATHILDE Uxore sua, & *Henrico* filio suo, super Altare S. Salvatoris & S. Rotrudis Andernensi Ecclesiæ donavit, decem scilicet ad mensam Monachorum, quinque autem ad infirmariam, quinque verò ad Hostellariam.

Quo audito, quidam hujusmodi donum calumniati sunt. Calumniâ enim auditâ, ipse Henricus

ricus de ſuo dominio, donec terram in Hottingehem jacentem liberet, pro anima prædicti Sororii ſui, viginti raſerias frumenti ſe per ſingulos annos redditurum pollicitus eſt. Quo expleto, Dominus Petrus in Abbatem electus omnes hujuſmodi donum inquietare conantes, niſi ſatisfecerint, excommunicationis vindictæ ſubdidit. Teſtes ſunt,

Manaſſes Giſnenſium Comes,
Emma Comitiſſa,
Henricus Caſtellanus de Brochborc,
Liviidis Mater ſua,
Mathildis, Adaliza, Sorores ſuæ,
Elembertus cognomento Paganus, ſcilicet Vicecomes de Marcnes,
Goroldus S. Judoci Monachus,
Lambertus Presbyter de Andernes,
Gerardus Presbyter de Giſnes,
Balduinus Presbyter de Campaniis,
Euſtachius de Bavalingahem,
Balduinus de (1) Liskes,
Philippus de Muntgardin,
Lucas nepos ejus,
Jordanus,
Balduinus Paladig,
Bernoldus de Brudburc,
Walterus filius Fredeboldi,
Euſtachius de Greth,
Elembertus Panitor,
Folquinus Longus,
Baulfus de Douara,
Willielmus,
Ledbertus,
Cono de Funtaina, & multi alii.

(1) LISKES. Liſques, ſive ut vulgò pronnntiant *Liques*, vicus Baroniæ titulo clarus, in confinibus regni Galliæ & Arteſiæ. Eſt ibi Cœnobium Ordinis Præmonſtratenſis: de quo vide Chronicon noſtrum Præmonſtratenſe, anno 1131.

CAPUT LV.

Prædium Dudinſart nuncupatum datur Gemblacenſi Monaſterio à GODEFRIDO BARBATO, *Lotharingiæ inferioris ac Brabantiæ Duce, ejuſque Filio* GODEFRIDO, *Anno* 1131.

NOTUM ſit omnibus diligentibus veritatem, quæ eſt Deus, Ducem GODEFRIDUM ſeniorem, ejuſque filium æquivocum GODEFRIDUM juniorem, pro ſalute animarum, tradidiſſe Deo & S. Petro, quoddam prædium *Dudinſart* dictum, in Eremo juxta metas parochiales de Brania, cum dominio: & beſtiæ tranſeuntes per nemora....

DENIQUE aſtante multâ frequentiâ Nobilium ſuorum & fidelium, decrevit ut hæc traditio rata & inconvulſa duret in perpetuum.

Ergò largitoribus & adjutoribus hujus muneris oramus præmia æternæ remunerationis, prædonibus & raptoribus minas & pœnas interminamus æternæ excommunicationis. Teſtes,

(1) Godefridus Comes Namucenſis, ejuſque filius Henricus,
(2) Henricus minor Frater ipſius Ducis,
Willelmus Advocatus de Namuco, ejuſque Frater Ancelmus,
Erſelo de Calvomonte,
Gerardus de Wanga, & filius ejus Henricus,
Henricus de Bierbais,
Seeherus de Wavra,
Gothonius de Lovanio,
(3) Franco de Bruxella, & alii multi Nobiles & ſervi.

ACTUM in Gemblours, anno Domini milleſimo centeſimo triceſimo primo, Lothario regnante, Domino Alexandro Leodienſi Epiſcopo, (4) Anſelmo Abbate locum noſtrum tenente, Gregorio Papâ Sedem Romanam gubernante, Godefrido Duce Advocato noſtro, ſecundas partes ejus adjuvante Sechero Bernardi. 1131.

CAPUT

(1) GODEFRIDUS Comes Namurcenſis, Abbatiæ Floreffienſis Conditor: de quo ſuprà cap. 30. in Stemmate Caroli Ducis, primi Lotharingiæ inferioris, itemque Comitum Namorcenſium & Lovanienſium.

(2) HENRICUS Frater Godefridi Barbati Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis, poſteà Monachus Affligemienſis: de quo vide libro primo Diplomatum Belgicorum capite 58.

(3) FRANCO Caſtellanus Bruxellenſis.

(4) ANSELMUS Abbas Gemblacenſis, cujus Chronicon extat à me editum, cum Chronico Sigeberti Gemblacenſis.

CAPUT LVI.

MILO *Morinensis seu Teruanensis Episcopus anno* 1132. *confirmat donationes Andrensi Monasterio factas ab* HENRICO CAMPANIENSI.

EGO (1) MILO, Dei gratiâ Morinorum Episcopus, notum fieri volo tam futuris quàm præsentibus, Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, quòd HENRICUS DE CAMPANIES, veridicorum testimonio, tempore Domini Joannis Prædecessoris nostri, pro remissione peccatorum suorum, & Antecessorum suorum, commoditatem aquæ & paludis, molendino & Andernensis Ecclesiæ Curiæ adjacentis, in herbis, in piscibus, in volatilibus capiendis ac nutriendis, ita concesserat communem, ut & ipse Henricus & jam dicta Ecclesia in aqua & palude præfata, quod sibi commodum videret, pro velle suo acciperet, & neuter alteri contradiceret.

CONCESSERAT etiam eidem Ecclesiæ, & hominibus ad eam pertinentibus, omnem pasturam Parnchiæ Andernensis: perpetuò eadem pace possidendam, quam tempore Balduini, patris Manassis, Gisnensium Comitis, possederunt. Quas etiam concessiones præfatus Henricus primâ vice, quâ Andernes veni, coram nobis recognovit.

NOS verò paci Ecclesiæ providentes, ne concessio ampliùs ab aliquo injusta inquietatione fatigetur, scripto eam annotari, & proprio sigillo fecimus signari; interdicentes, auctoritate Dei omnipotentis & nostrâ, ne cuiquam hominum eamdem concessionem temerario ausu infringere liceat. Quod siquis, quod absit, fecerit, donec Ecclesiæ satisfecerit, & honore terreno privetur, & cœlesti animadversione mulctetur. Hujus rei Testes,

(2) Bernardus Abbas Claræ-Vallis,
Waleramus Abbas (3) Urscampi,
Hugo de Monte S. Eligii Abbas,
Petrus Abbas Andernensis,
Hebertus Archidiaconus Teruanensis,
Magister Hermannus,
Guncelinus Decanus Audomarensis,
Gerardus Presbyter Gisnensis,
Lambertus Presbyter Andernensis,
Wido Clericus de Bavelingahem,
Henricus, filius Henrici,
Guffridus de Gisnes,
Gozo frater ejus,
Balduinus Clericus, frater ejus,
Eustachius de Bavelingehem,
Balduinus frater ejus,
Balduinus nepos prædicti Henrici,
Giselbertus Miles,
Alelmus de Gisnes,
Willelmus de Funtaines,
Eustachius Vavasor,
Eustachius Galobie.

ACTUM anno Verbi Incarnati MCXXXII. 1132.

(1) MILO secundus Morinorum Episcopus Miloni I. anno 1158. aut 1159. defuncto successit, & anno 1169. obiit: Desiderius Tornacensis Archidiaconus successit: ut Andreas Marchianensis in Chron. testatur.

(2) S. BERNARDUS Abbas Claræ-Vallis in Burgundiæ Ducatu, de cujus vita consule Fastos nostros Belgicos ad diem 20. Augusti.

(3) URSICAMPUS, vulgò *Orcamp*, Religiosorum Ordinis Cisterciensis Abbatia prope Noviomum Picardiæ Urbem anno 1130. fundata.

CAPUT LVII.

LOTHARIUS *Imperator, anno* 1136. *probat divisionem Prædiorum Ecclesiæ Nivellensis in tres portiones: quarum prima Xenodochio, secunda Abbatissæ, tertia Canonicis & Canonissis (ut loquuntur) attributa fuit.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego LOTHARIUS Dei miseratione Romanorum Imperator Augustus, satisfaciens petitioni ODÆ Abbatissæ, insuper obnixo rogatui HERMANNI Præpositi, Capellani nostri, precibusque tam Clericorum quàm Sanctimonialium S. GERTRUDIS Nivellensis Ecclesiæ, ejusdemque Ecclesiæ necessitati misericorditer condescendens, quæ in confinio & in ingressu Regni mei sita, crebrâ Tyrannorum grassatione quassata, utpote Francorum Regno finitima, omnia à Prædecessoribus nostris, *Henrico III.* Imperatore, ejusdemque filio *Henrico* Rege, eidem Ecclesiæ concessa & confirmata, Regiâ auctoritate & sigilli mei impressione corroboro.

PRÆCIPIO insuper, ut divisiones possessionum ejusdem Ecclesiæ, sicut antiquitùs constitutæ sunt à prædictis Regibus, ita distinctæ & inconvulsæ permaneant, ne pars violentior in res partis infirmioris transiliat, sed unaquæque pars jus sibi determinatum irrefragabiliter obtineat. Res autem ejusdem Ecclesiæ in tres portiones sunt divisæ, in Xenodochium, in Beneficium Abbatissæ, in Præbendas Fratrum & Sanctimonialium LXXII. Quæ partes ut à

se possint certissimè distingui, placuit hîc nomina Villarum ad unamquamque pertinentium distinctè subnotari.

AD Congregationem pertinet Burgus ipse Nivellensis, cum omnibus reditibus suis, & cum ipsa Ecclesia & appendiciis suis; extrà Burgum *Lennecka* cum Ecclesia, *Wambecka* cum Ecclesia, *Tubeca* cum ipsa Ecclesia, *Goiaca*, *Rosbecca*, *Heinennires*, *Iterna* cum Ecclesia, *Basieurs* cum Ecclesia, *Bulzeis* cum Ecclesia, *Bruole* cum omni vineto, *Ara* cum vineis quæ sunt in Leia & quæ sunt in Clotina, *Forest* cum Ecclesia, *Dusta*, *Genappia*, (1) *Basiers*: quas Villas IDA Boloniensis Venerabilis Comitissa, assensu filii sui GODEFRIDI gloriosissimi Ducis, qui posteà divinâ clementiâ in Regem Ierosolymitanum est electus, sicut obtinebat, cum omnibus appendiciis, & cum omni Familia, Ecclesiæ S. Gertrudis, præ ceteris sibi dilectæ, ob remissionem peccatorum suorum tradidit in perpetuum; *Foillidhes*, *Attigeivilla*, *Viten*, & omnis Præpositura illa quæ constat ex eleëmosynis.

AD Beneficium Abbatissæ, intrà Urbem Altare S. Gertrudis cum omni familia, extrà Urbem *Sprendelenges* cum vineis quæ sunt in *Binga*, *Udechoves*, *Beverselt* cum Ecclesia, *Niel*, *Merbecca* cum Ecclesia, *Ruor*, *Corieres*, Ecclesia de *Rosbecca* & de *Hemuieres* cum ceteris beneficiis quæ tenent milites ad commune servitium Congregationis & Abbatissæ.

AD Xenodochium *Monstrouls* cum Ecclesia, & omnes dominicales decimæ tam prædiorum nostrorum, quàm beneficiorum Comitis.

NIL agat Congregatio de rebus Abbatissæ, nisi jussa; nil assumat sibi Abbatissa de rebus & jure Congregationis, nisi à Congregatione invitata. Xenodochium quoque non alienis commodis, sed providâ dispensatione unius aut quàm plurium personarum, ad honorem Dei & Ecclesiæ, communi Ecclesiæ deliberatione electarum, peregrinorum, infirmorum & pauperum famuletur refrigeriis.

QUÒD si quis hujus Decreti contemptor Constitutionem meam violare præsumpserit, sentiat Majestatis Regiæ vindictam, cujus non timuit irritare potentiam, & pro tanti commissi temeritate decem libras auri persolvat, quas & me exacturum denuntio, & Successoribus meis in perpetuum exigendas constituo. Et ut noverint omnes, Præceptum hoc nostrâ auctoritate firmatum, jussimus imprimi nostræ Majestatis signum; ne excusari possit quisquis recognitâ imagine, contrà quam hic scriptum est, facere præsumpserit.

Signum Domini Lotharii III. Romanorum Imperatoris invictissimi.

Ego Bethaldus, vice Ebkicardi Cancellarii, recognovi. Testes,

Bruno Archiepiscopus Coloniensis,
Albero Electus Leodiensis,
Andreas Episcopus Trajectensis,
Albero Metensis Episcopus,
Otto Comes Palatinus,
Albertus Marchio.

DATUM anno Incarnationis Dominicæ MCXXXVI. Indictione XIV. anno verò Regni Regis Lotharii decimo, Imperii tertio. 1136.

ACTUM Aquisgrani in Christi nomine feliciter, amen.

DIvisionis hujus anno 1136. factæ, Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 15. meminit.

(1) BASIERS, vulgò *Basiu* vel *Bassy*. Gallo-Brabantiæ vicus prope Genapiam, secundo milliari à Niveila Oppido situs, Godefridi Bullonii Regis Hierosolymitani natalibus clarus: ut in Ducum Brabantiæ Genealogia, ex veteri Ms. Codice Nivellensi desumpta, me legere memini. Idem Scriptor magni Chronici Belgici, à Pistorio Francofurti 1607. editi, pag. 132. tradit his ferè verbis: Godefridus Dux Lotharingiæ, filius Gozelonis Ducis & Frater Stephani Papæ IX. atque Odæ Uxoris Lamberti junioris Comitis Lovaniensis & Bruxellensis, genuit Godefridum Gibbosum Ducem, & Idam Matrem Godefridi, Eustachii & Balduini, Fratrum Boloniensium, qui nati sunt in Brabantia apud *Basiu* juxta Genapium Castrum.

Ceterùm anno 650. Itta (seu Iduberga) relicta Pipini, instinctu S. Amandi, se & sua Deo devovens, Monasterium Nivialense (quod nunc est Collegium sexus utriusque) fundavit, eique filiam suam Gertrudem, Deo dignam Virginem, præfecit: ut Sigebertus noster Gemblacensis in Chronico suo loquitur.

CAPUT LVIII.

INNOCENTIUS II. *Papa anno 1136. confirmat immunitatem Ecclesiæ Marsnensis, & substitutionem Monachorum, loco Canonicorum.*

INNOCENTIUS Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio ODDONI, Abbati Monasterii S. Remigii, ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

LOCORUM venerabilium cura nos admonet, de eorum quiete atque utilitate sollicitè cogitare. Nec dubium, quòd si servorum Dei petitionibus benignè concurrimus, nostris oportunitatibus clementem Dominum reperimus. Ideòque dilecte in Domino fili, ODDO Abbas, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus, atque libertatem Ecclesiæ de (1) MARSNA, ad Monasterium Beati Remigii pertinentis, ab *Alexandro* quondam Leodiensi Episcopo tibi concessam,

(1) MARSNA, sive Marsana, prope Trajectum Mosæ: de qua vide Codicem nostrum Donationum piarum cap. 37. & 97. Item Diplomatum Belgicorum cap. 64.

cessam, & ab Hermanno ejus Archidiacono & Fratribus suis laudatam atque firmatam, præsentis Scripti paginâ roboramus, & futuris temporibus inconvulsam manere decernimus; ut videlicet tam in Præpositura, quàm etiam in canoniis decedentibus Clericis, qui præfatæ Ecclesiæ beneficia possident, juxta prudentiam & dispositionem tuam & Successorum tuorum, loco eorum, Monachi substituantur.

Præpositus vero, qui ex parte tua vel Successorum tuorum, eidem loco præfuerit, Sacerdotem sub tali præbenda, qualem ipse Præpositus, consensu Abbatis & Fratrum Cœnobii Sancti Remigii, qui pro tempore fuerit, providerit, constituto Leodiensi Archidiacono præsentabit; à quo nimirum animarum sibi Cura committetur, & ipse Sacerdos de omni Episcopali & Synodali jure, secundùm Leodiensis Episcopatûs consuetudinem, respondebit.

Nulli ergò hominum liceat eamdem concessionem, Monasterio Beati Remigii factam, infringere vel mutare, aut qualibet occasione convellere; sed omnia tibi tuisque Successoribus integra conserventur; quemadmodum præsentis Scripti sanctione, præfati Alexandri quondam Episcopi concessione noscitur institutum. Si qua sane Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis Paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem hanc nostram Confirmationem servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis tit. SS. Joannis & Pauli.

Ego Theodewinus S. Rufinæ Episcopus.

Ego Guido Diaconus Cardinalis S. Adriani.

Ego Chrysogonus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu.

Datum Pisis, per manum Aimerici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Cancellarii, IX. Kalendas Decembris, Indictione XIV.
Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo tricesimo sexto, Pontificatûs verò Domni Innocentii Papæ II. anno septimo. 1136.

CAPUT LIX.

Conradus II. *Imperator, Prædium Harve ab* Henrico III. *Prædecessore suo Aquisgranensi Ecclesiæ collatum cum tribus Advocatiis confirmat*, *anno* 1138.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Conradus divinâ favente clementiâ Romanorum Rex secundus. Quoniam Divina ordinatio Romani Regni solium per electionem Principum, suâ misericordiâ nos conscendere voluit, Parentum nostrorum & Prædecessorum Catholicorum Principum munificentiam & mores imitari, pro viribus nostris, Dei auctoritate decrevimus, & quidquid salubriter ad cultum Dei ampliandum, pro remedio animæ suæ, statuerunt, & in privilegiis firmatum reliquerunt, inviolabiliter servare & renovare statuimus.

Notum igitur facimus cunctis Christi nostrisque fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, qualiter Prædium illud, quod est in Harve, quod avus noster Henricus tertius Romanorum Imperator ob interventum filii sui *Henrici*, Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Ecclesiæ Aquisgrani sub Privilegio donaverat, deinde idem filius ejus Henricus quartus Imperator suâ auctoritate & Privilegio firmaverat, eidem Ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ob remedium animæ nostræ, parentumque nostrorum, restituimus, & Regiâ auctoritate nostrâ, juxta tenorem suorum Privilegiorum, roboramus, cum omnibus appenditiis, hoc est, mancipiis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, viis & inviis, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & aquirendis, & cum omni utilitate, quæ inde quolibet modo provenire poterit.

Firmamus quoque prædictæ Aquensis Ecclesiæ tres Advocatias, videlicet super prædictum Prædium *Harve*, & super duo loca *Loncins* & *Mandrevelt*, quæ pertinent ad præfatam Sanctæ Mariæ Ecclesiam Aquensem; eâ ratione, ut quilibet ejusdem Ecclesiæ Præpositus easdem tres Advocatias liberè & absolutè teneat, & pro utilitate ipsius Ecclesiæ, & Fratrum ibidem Deo famulantium consilio, cui velint, negent, tribuant. Similiter præfatum Prædium Harve ad utilitatem suam & Fratrum quicumque ibi Præpositus fuerit, consilio Fratrum disponat. Hoc diligenter observato singulis annis, ut in exequus avi nostri Henrici III. Imperatoris ad refectionem Fratrum libra una de suprà dicta curte persolvatur.

Ut autem hoc inviolabiliter per omnem successionem temporum observetur, hanc Chartam inde conscriptam, & nostrâ manu corroboratam,

ratam, impressione Sigilli nostri signari jussimus, nec non & Testes annotari, sub quorum præsentia hæc acta & firmata sunt, fecimus: quorum nomina hæc sunt:

Gidwinus S. Rufinæ Episcopus Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legatus,
Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus,
Albero Treverensis Archiepiscopus,
Embricho Wirzeburgensis Episcopus,
Albero Leodiensis Episcopus,
Andreas Trajectensis Episcopus,
Wernerus Monasteriensis Episcopus,
Vao Osenburgensis Episcopus,
Rodulphus Halberstatensis Episcopus,
Wilhelmus Comes Palatinus,
(1) Walramus Dux, & filius ejus Heinricus,
Godefridus Namucensis Comes,
Arnoldus Comes de Cleve,
Arnoldus Comes de Los.

Data iv. Idus Aprilis, Indictione primâ, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tricesimo octavo, regnante Conrado 1138.
Romanorum Rege II. anno primo regni ejus. Actum Coloniæ in Christo feliciter, amen.

(1) Walramus, cognomento Paganus, Dux Lotharingiæ inferioris & Limburgi, filios reliquit *Henricum* in Ducatu Limburgensi Successorem & *Waleramum* Comitem de Arlon: qui uterque Diploma Cameracensi Ecclesiæ ab eodem Conrado Imperatore anno 1146. concessum, signavit; quod exstat lib. 1. Diplom. Belg. cap. 60.

CAPUT LX.

Arnoldus Aspermontius *anno* 1138. *&* Guilielmus de Lindinia, *anno* 1180. *dotant Cathedralem S. Martini Ecclesiam Ultrajectensem.*

Nos Andreas Episcopus Trajectensis, notum fieri volumus, quòd Arnoldus Aspermontius Miles, & Helena uxor ejus, dederint Ecclesiæ Cathedrali Trajectensi, quæ fundata est in honore S. Martini, tria jugera terræ, sita in præfati Domini Dominio (1) Lindinia. Hoc autem factum est anno
1138. Domini millesimo centesimo tricesimo octavo, iii. Kalendas Maii.

Nos Guilielmus de Lindinia Miles, & Agnes uxor ejus, omnibus hominibus atque fidelibus salutem. Notum vobis fieri volumus, & omnibus tam futuris quàm præsentibus, Nos concessisse & confirmasse, & per præsentes concedimus & confirmamus donationem trium jugerum terræ, quæ Pater meus Arnoldus piæ recordationis dederat Ecclesiæ Trajectensi; volentes insuper, ut ea liberè & quietè & honorificè teneat.

Data est hæc concessio seu confirmatio anno ab Incarnatione Domini millesimo cente- 1180.
simo octogesimo, sub Balduino ejusdem Ecclesiæ Episcopo, vii. Kalendas Junii.

(1) De Lindinia, vulgò *Linden*, Bataviæ vico, & Familia Nobili inde cognomen adepta, consuli poterit R. P. Christophorus Butquens in Annalibus Genealogicis ejusdem Familiæ.

CAPUT LXI.

VVarnestonensis Canonicorum sæcularium S. Petri Ecclesia in regularem convertitur anno 1138. *à* Milone *Morinensi Episcopo. Quam mutationem* Theodericus Alsatius *Flandriæ Comes, &* Adelidis *Peronæ ac VVarnestonii Domina approbant anno* 1138.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Piæ petitio voluntatis effectu debet merito prosequente compleri. Hujus rei gratiâ ego Theodoricus, sacræ religionis cultum & habitum in terra mea propagari desiderans, piæ postulationi Domini & Patris nostri Milonis, Dei gratiâ Morinorum Episcopi, de ordinanda Ecclesia Warnestonensi libens assensum præbeo, & quidquid ibidem juris aut potestatis habere visus sum, & ipsam Ecclesiam, cum reditibus suis, in manum Episcopi liberè concedo.

Ita videlicet, ut ibidem Abbas cum Fratribus constituatur, ac juxta ordinem & consuetudines Ecclesiæ Beati Nicolai de (1) *Aridagmantia*, sacræ religionis cultus & habitus in perpetuum observetur, & aliquod eorum orationibus imperfectioni nostræ subsidium comparetur. Assensum quoque Dominæ Adelidis de Perona & Clericorum sæcularium, qui præfatæ Ecclesiæ hactenus ministrârunt, ab hac nostræ Paginæ sententia non discrepantem, eâ quâ præsum potestate, jure & auctoritate ap-

probo atque confirmo; atque hoc ipsum, auctoritate Milonis Episcopi, sub anathematis districtione, confirmari volo.

ACTUM est hoc anno Incarnationis Christi
1138. M. C. XXXVIII. Adfuerunt autem,

Alvisus Atrebatensis Episcopus,

Philippus & Milo, Teruanensis Ecclesiæ Archidjaconi,

Leonius Abbas Ecclesiæ S. Bertini.

Laici verò

Gislebertus Bergensis,

Anselmus Iprensis.

(1) AROASIA celebris apud Artesios est Canonicorum Regularium Abbatia, alio nomine *Andagamannia* nuncupata, anno 1097. fundata: in lib. 1. Dipl. Belg. cap. 44. do 40. Hujus Cœnobii Abbas quondam Caput & Princeps fuit Congregationis Aroasiensis, per Belgium & Franciam celeberrimæ, & à Jacobo Vitriaco in Historia Occidentali laudatæ. Cui quidem Congregationi præter Aroasiam, adscripta erant Monasteria Belgica plùs minùs XII. videlicet, Henninum, Rivovilla, S. Nicolai de Pratis, Cisonium, Mareolum, Warnestunum, Choquense Cœnobium, Sonnebeca, Falempinum, S. Joannis in Urbe Valentianensi, Quercetum in Urbe Brugensi, & Dulcis Vallis prope Middelburgum Flandriæ Oppidum. De quibus vide, si placet, Origines nostras Canonicorum Regularium, cap. 10. & suprà cap. 42.

CAPUT LXII.

LAMBERTUS BARBATUS, *Comes Lovaniensis, Collegium* VII. *Canonicorum Lovanii in Ecclesia S. Petri circa annum* 1040. *fundavit. Præbendam octavam* GODEFRIDUS BARBATUS, *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, adjecit. Id constat ex Diplomate anno* 1140. *dato à Godefrido* II. *Brabantiæ Duce, Godefridi Barbati Filio.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen. Multa essent digna scribi suis in temporibus, quæ non scripta plerumque damno futuris cedunt hominibus; quia dum Scriptores suis curis impediti, propriis inhærent laboribus, publica & posteris profutura, si quidem scriptis mandarentur, silentio transeunt, & quasi prorsùs aliena omnino postponendo negligunt.

QUOD Nos quidem præcaventes, licet impediti pluribus, quæ Deus, & larga manus Magni Ducis GODEFRIDI, Fratris Henrici Comitis, qui Tornaci armis interiit, Ecclesiæ S. PETRI, quæ est in Lovanio, nostris contulerit temporibus, scripto commendari curavimus; tum ut caritas tanti Viri, exemplum beneficientiæ futuris esset Principibus, tum ut nostri Successores, qui filii jam dictæ futuri forent Ecclesiæ, circa publica sollicití, potiùs illa augmentanda quàm imminuenda suis relinquerent sequacibus.

HÆC autem erant, quæ Vir illustris Matri nostræ Lovaniensi adjecit Ecclesiæ, præter illa, quæ ad decorem Domûs Dei exteriùs respiciunt (de Palliis enim loquor & cortinis, de cappis & casulis, de dalmaticis & Subdiaconorum tunicis) scilicet Præbenda, de qua pendet molendinum, quod dicitur Wisseccum, & viginti solidi, quos persolvunt de *Binesse* mansuarii, & singulis diebus nummus unus de teloneo Lovanii; quam sic pius Pater etiam donabat esse liberam, ut nullus illam obtineret, nisi Sacerdos, & quem Clerus loci purissimè eligeret.

Hoc verò facto, non multo acto tempore, Vir Præclarus benedictionem super benedictionem paratus addere, Ecclesiam, quæ est in RODE, in communem refectionem universæ Congregationis destinavit: quod quo ordine sit completum, explicandum suscepimus.

FUIT quidam noster Concanonicus, possessor hujus Ecclesiæ, dictus Boso: ad quem cùm plures confluerent flagitantes, ut in illa esse ejus mererentur successores, complures etiam ad Ducem, non curantes de dicto Canonico, ut tantùm donum obtinerent ab ipso Advocato; neutra pars vel modicum valuit proficere, donec eidem Canonico in Ecclesia S. Petri, quæ est in Lovanio, complacuit. Ob cujus honorem, & animæ suæ redemptionem, Ecclesiam in manum Ducis posuit, & quod eum scivit velle, scilicet ut eam, cum universa dote sua, Altari S. Petri delegaret, simpliciter rogavit.

SIC enim, ut diximus, Ecclesia de Rode in usum Fratrum Lovaniensis Ecclesiæ pertransivit, oblato Altari S. Petri ab ipso Duce, & ab ejus filio, qui paterni honoris fuit heres, & Patri æquivocus. His adjectis, ut Bosonis perpetua haberetur memoria, & in anniversario Domini Ducis, quandocumque occurreret, Fratres simul essent in caritate: & si res aliquando ad ea concresceret, in anniversariis Uxoris ejusdem Ducis Dominæ (1) IDÆ, & matris ejus ALEIDIS, similis ageretur lætitia.

HÆC ergò sic ordinata, & sigillo Ducis consignata ne quis præsumat disturbare, vim facturus Fratribus, anathemate demum sint confirmata: adstante & sic jubente ipso Duce, ac ejus prole generosâ, cui post Patrem, cum Comitatu

DIploma istud est antiquissimum inter ea, quæ Lovanii in Archivis Ecclesiæ S. Petri adservantur.

(1) IDA Uxor prior Godefridi Barbati, Brabantiæ Ducis, quam alii *Sabinam* non rectè nuncupant. ALEIDIS, alius Adela, Mater ejusdem Godefridi Barbati.

mitatu & Ducatu, tota terra serviebat subdita.

PRÆTER supradicta autem notum sit omnibus Christi fidelibus, quòd omnes decimæ infrà allodium Lovaniense, tam minutæ quàm majores, sive proveniant ex agris sive pratis, nec non de omnibus fructibus infra curtes Lovanienses crescentibus, & etiam de pecoribus & altibus, ad septem Præbendas Ecclesiæ S. Petri in Lovanio pertinent specialiter.

QUAS septem Præbendas bonæ memoriæ LAMBERTUS Comes CUM BARBA in eadem Ecclesia constituit; & ad easdem septem præbendas spectant omnes donationes Ecclesiarum in Lovanio, & donatio majoris Parochiæ, & omnium Altarium, & omnes oblationes, exceptâ portione Parochiani: & de his prædictis decimis divisas habent decimas Custos & Parochianus.

NE autem per eleëmosynam proborum virorum accrescentes Canonici in prænominata Ecclesia S. Petri, in prædictis decimis & oblationibus atque donationibus aliquid juris possent se dicere habere, & ut supradictorum omnium controversia sopiatur, & ut falsitati malignantium contra Ecclesiam, per veritatem hujus Scripti, resistatur, hanc Paginam testimonialem Dux GODEFRIDUS, filius Godefridi Ducis cum Barba, sigillo muniri, & Testes subscribi fecit. Hi autem interfuerunt Testes,

Reinerus Archidiaconus,
Henricus Præpositus,
Thegenbaldus,
Magister Stephanus,
Magister Godefridus,
Onckinus Parochianus, Clerici.

Homines Ducis,

Walterus Bertholt,
Willelmus de Birbeka,
Retzo de Tieldonck,
Renerus de Heverle,
Arnoldus Dapifer,
Ditferdus Dilenus, Villicus Lovaniensis, & alii plures.

ACTUM est Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quadragesimo. 1140.

CAPUT LXIII.

MILO I. *Episcopus Teruanensis confirmat Possessiones Ecclesiæ Warnestonensis, anno* 1142.

EGO MILO Dei gratiâ Morinorum Episcopus dilecto filio GALTERO Abbati de Guarneston, suisque Successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Cùm in sede æquitatis residere dignoscimur, omnium utilitati & eorum perpetuæ pacis tranquillitati, maximè eorum, qui ad portum securitatis & religionis enatavcrunt, fraternâ ac debitâ caritate providere constringimur. Sicut enim injusta desiderantibus nullus est tribuendus effectus, ita recta postulantibus nullo modo negandus est assensus.

TUIS itaque, dilecte Frater Galtere, Abbas de Guarneston, ac Fratrum tuorum desideriis justè annuentes, quæcumque in præsentiarum canonicè possidetis, aut in futurum justè adipisci poteritis, vobis vestrisque Successoribus, sub Regula Beati Augustini Christo militantibus, perpetuò concedimus, & ut vobis inconvulsa permaneant, auctoritate Episcopali, quâ ceteris præsidemus, & Sigilli nostri impressione confirmamus. In quibus hæc propriis duximus notificanda vocabulis;

QUIDQUID juris Domina ADHELIDIS & Canonici seculares in Ecclesia de Guarneston possederunt, quod eadem Adhelidis & Comes Flandriæ THEODORICUS in manu nostra liberum reddiderunt, duas partes decimæ, tam minutæ quàm magnæ præfatæ Villæ; dimidietatem oblationum, & tertiam partem candelarum & XL. solidos de teloneo, & totam Maheriam; mansiones Canonicorum omninò liberas, terram ultrà Doviam, & terram de Leia, quam Folcerus tenuit, & pratum, terram in Broco, quam Giraldus ad lumen Ecclesiæ dedit; terram Tolpaldi, quam ipse & Uxor ejus, & filii & filiæ ejus dederunt; terram Almari, terram Hunonis Presbyteri, montem quem præfata Adhelidis dedit; bonnariam prati quam Alardus dedit; mansuram quam Galterus de Dovia dedit; mansuram quam filii Regeri Custodis vendiderunt; mansuram juxta atrium; tres solidos ad lampadem S. Mariæ, & duos solidos ad cereos, quos Alardus dedit; modum avenæ de decimâ prati ultra Leiam; Altare de Hardinfort; Altare de Volaringehem; liberam quoque Abbatis electionem, salvo tamen jure Taruanensis Ecclesiæ.

SI quis igitur concessionis hujus nostræ Paginam sciens ei temerè obviare præsumpserit, donec errorem suum satisfactione correxerit, anathema sit, & in extremo examine ultioni subjaceat divinæ. Cunctis autem vobis vestra jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, amen.

ACTUM est hoc anno Domini millesimo 1142. centesimo quadragesimo secundo, Indictione quintâ, coram his Testibus,

Philippo & Milone Archidiaconis,
Hermanno Decano,
Galtero Custode,
Gerbodone Cantore,
Errentbaldo Presbytero,
Nicolao, Balduino, Alelmo Teruanensis Ecclesiæ Canonicis,
Balduino de S. Vulmaro,

Gisleberto de Blangi,
Manasse Watinensi,
Isaac Formosolensi,
Henrico de Liskes, Abbatibus;
Balduino Bergensi,
Arnoldo Furnensi,
Joanne Iprensi, Decanis, aliisque multis.

CAPUT LXIV.

Excerptum ex Genealogia Comitum Habsburgensium, circa annum 1142. à Monacho Cœnobii Murensis in Helvetiis scripta, & Spirembergii 1618. edita.

(1) ISTA est Genealogia nostrorum Principum. THEODRICUS Dux Lotharingorum, & CHUONO Comes de Rinfelden, Fratres fuerunt. Horum Soror fuit ITA Comitissa de Habspurg reparatrix hujus Murensis Cœnobii.

(2) GENUIT autem Theodericus GERHARDUM Ducem.

(3) ILLE verò genuit GEHARDUM de Egishem, Patrem (4) Udalrici & Stephani.

(5) CHUONO Comes de Rinfelden genuit RUODULFUM Regem, & ille genuit Agnetem Matrem Conradi Ducis.

(1) FREDERICUS Alsatius, Lotharingiæ Mosellanæ I. Dux 958. à Brunone Archiepiscopo Coloniensi creatus 954. duxit Beatricem, Hugonis Capeti Francorum Regis Sororem. Ex ea genuit *Theodericum*, Patris in Ducatu Lotharingiæ Mosellanæ Successorem, *Adalberonem* II. Episcopum Metensem, *Itam* Radebotonis Comitis Hasburgensis Uxorem, & *Wernerum* Episcopum Argentinensem, qui 1027. Constantinopoli obiit.

(2) THEODERICUS Alsatius, Lotharingiæ Mosellanæ II. Dux circa annum 1020. obiit. Filios reliquit FREDERICUM II. & *Gerardum* Lotharingiæ Mosellanæ Duces; itemque *Odelricum* cujus in Codice Don. Piarum cap. 54. fit mentio, & *Adelam*. Fredericus II. Dux 1034. obiit, relictis duabus Filiabus, *Beatrice* Uxore Bonifacii Marchionis Tusciæ, & *Sophiâ* Conjuge Ludovici I. Comitis de Montbeliard.

(3) GERARDUS Alsatius 1048. Lotharingiæ Mosellanæ Dux, 1070. obiit. Ex Hadevida Alberti I. Comitis Namurcensis Filia genuit *Theodericum* II. Strenuum Lotharingiæ Mosellanæ & Alsatiæ Ducem, & *Gerardum* Comitem de Egisheim. Theodericus Strenuus ex Gertrude Roberti Frisii Flandriæ Comitis Filia sustulit *Simonem* I. Lotharingiæ Mosellanæ Ducem, *Theodericum* Alsatium Flandriæ Comitem, *Gerardum* Vadani Montis Comitem, *Henricum* Episcopum Tullensem & *Balduinum*. Anselmus porrò Gemblacensis in Gestis anno 1128. Theodericum Strenuum disertè vocat Alsatiæ Ducem.

(4) GERARDUS Comes de Egisheim genuit Udalricum & Stephanum, de quibus fusè agit Andreas Quercetanus in sua Burgundia.

(5) CHOONO, Theoderici Lotharingiæ Mosellanæ Ducis ordine secundi Frater Uterinus, Comes de Reinfeld, genuit *Rudolphum* Regem Romanorum contra Henricum IV. anno 1077. electum, & à Godefrido Bullonio 1080. in prælio cæsum. RODOLPHUS Rex procreavit *Agnetem*, Conradi Ducis Matrem, Humbertum, Udalricum, Arnoldum & Rudolphum.

Stemma primorum Ducum Lotharingiæ superioris seu Mosellanæ, itemque Comitum Flandriæ, ex Familia Alsatica.

- *Fredericus Dux I. Lotharingiæ Mosellanæ 958.*
  - *Theodericus Lotharingiæ & Alsatiæ Dux, obiit 1020.*
    - *Fredericus II. Dux, obiit 1034.*
      - *Beatrix Uxor Bonifacii Marchionis Tusciæ.*
        - *Mathildis Uxor Godefridi Gibbosi, obiit sine lib.*
      - *Sophia Uxor Ludovici I. Comitis Montbeliardi.*
        - *Theodericus Comes.*
          - *Rainaldus.*
          - *Stephanus Episcopus Metensis.*
          - *Theodericus.*
          - *Fredericus.*
          - *Guilielmus.*
        - *Fredericus.*
        - *Beatrix.*
    - *Gerardus Alsatius 1048. Dux, obiit 1070.*
      - *Theodericus II. Strenuus Dux.*
        - *Simon I. Dux obiit 1139.*
          - *Matthæus Dux, obiit 1176.*
        - *Theodericus Alsatius Comes Flandriæ*
          - *Philippus Comes Flandriæ.*
        - *Gerardus.*
        - *Henricus.*
        - *Balduinus.*
      - *Gerardus Comes Egisheim.*
      - *Fulco.*
      - *Valeramus.*
      - *N. Uxor Henrici Limburgensis.*
    - *Odelricus.*
    - *Adela.*
  - *Adalbero II. Episcopus Metensis.*
  - *Itta.*
  - *Wernerus Episcopus Argentinensis, obiit 1027.*
- *Cuno Comes de Reinfeld Frater uterinus superiorum.*
  - *Rudolfus Rex Romanorum 1077. obiit 1080.*
    - *Agnes.*
      - *Conradus Dux.*
    - *Humbertus.*
    - *Udalricus.*
    - *Arnoldus.*
    - *Rudolfus.*

CAPUT

CAPUT LXV.

ARNULFUS DE GANDAVO, *Comes Gisnensis, ejusque Uxor* MATHILDIS, *& Filius* BALDUINUS, *Villam Niwerlede donant Abbati & Monachis Clari-marisci Ordinis Cisterciensis, juxta Audomaropolim in Arthesia, circa annum* 1145.

EGO (1) ARNULFUS Dei gratiâ Gisnensium Comes, & MATHILDIS Comitissa, Uxor mea, & (2) BALDUINUS Filius meus, pro salute animarum nostrarum, & Prædecessorum nostrorum, Abbati Gunfrido de Claromaresch, & Fratribus ibidem Deo servientibus, & successoribus eorum in perpetuum, quidquidin villula, quæ dicitur *Niwerlede*, sive in reditibus, sive in servitiis, seu in terra, seu in aqua, denique totum Comitatum pertinentem ad Gisnense dominium, concessione & dono THEODERICI Flandriarum Comitis, liberum & perpetuò habendum concessimus.

CENTUM quoque mensuras maresci, ad virgam Comitis Flandriæ, ubi eas prædicti Fratres meliùs elegerint, tredecim quoque mensuras maresci, quas Hugo de Reche, & duodecim quas Lambertus de Elvelingehem de me tenebant, quas præfati Milites eisdem Fratribus dederunt.

HUIC autem donationi addidimus etiam posteà, in manu Willelmi Abbatis de Claremaresch, quidquid à terra Willelmi Ridemeric, & privigni ejus, inferiùs sive in terris sive in marisco vanassorum aut rusticorum, ex utraque parte de Reche, & ad Gisnensem Comitatum pertinebet, ut & ea quæ acquisierunt, & quæ deinceps acquirere potuerint, liberè possideat; totam quoque terram & marescum Walcheri, & filiorum ejus, sicut terra Willelmi Ridemeric dividit, quæ Willelmus de Seiltum, MATHILDI de S. Audomaro, uxori suæ, in vadium quadraginta marcarum, à prædictis Fratribus, Walcherus similiter, & filius ejus, accepto pretio viginti marcarum, Ecclesiæ de Claromaresch, in præsentia mea & Baronum meorum donaverunt.....

ROGATU tamen & concessione ipsorum omnium, precibusque Comitissæ Flandriæ, eamdem terram, cum maresco, absolutam & liberam à cunctis reditibus & servitiis, sive in terris sive in maresco, & cum universo Comitatu tam propriæ terræ ipsius Walcheri, quàm vanassorum & rusticorum præfatæ Ecclesiæ concessimus, & Sigilli nostri impressione signavimus, & Domino MILONI Morinensium Episcopo, ut sub anathemate confirmet, mandavimus:

Primæ Donationis Testibus,

Milone Archidiacono,
Arnulfo Watanense,
Gilleberto Teruanense,
Willelmo, Eustathio, Waltero de Arda, Canonicis;
Arnulfo Vicecomite de Markenes,
Eustathio de Bavelinghem,
Hugone Filio ejus,
Reimundo de Tolh,
Reimundo Filio ejus,
Manasse de Tournehem,
Manasse Filio ejus,
Rainero Dapifero,
Hugone de Reche Vicecomite,
Lamberto de Helvelingehem.

Secundæ autem donationis Testibus,

Alulfo Presbytero de Turnehem,
Willelmo Canonico de Arda,
Eustathio de Bavelingehem,
Balduino Fratre ejus,
Baldewino de Ermingehem,
Eustathio de Lisches,
Philippo de Montgardin,
Baldewino, Fratre Henrici de Campaignes,
Alelmo de Gisnes,
Drogone de Sperleke,
Lamberto de Helvelinghem,
Willelmo Cade.

CONVENIT inter Nos & prædictos Fratres, ut si quando pro communi utilitate terrarum superiorum & inferiorum in Ecclesiis jussum fuerit fossata renovari, & hoc ipsum Magistro grangiæ nuntiatum fuerit, ipsi etiam oportuno tempore quæ fodienda sunt, fodiant, ne per eorum incuriam aliis damnum eveniat. Quod si contigerit, & hoc tribus legitimis testibus hinc, & tribus indè (id est, ex nostra & eorum parte) comprobatum fuerit, quinque solidos pro forefacto restituent. Volumus quoque, ne publica via ab eis ullo modo obstruatur: terminus autem maresci Walcheri est sicut utraque becha ex una parte, & rivulus aquæ ex altera parte dividunt......

CAPUT

(1) ARNULFUS, Wenemari Castellani Gandensis Filius, Comes Gisnensis, Uxorem habuit Mathildem, Guilielmi Castellani Audomarensis Filiam; ut suprà cap. 23. ex Lamberto Ardensi & aliis docui.

(2) BALDUINUS, Arnulfi Filius, & in Comitatu Gisnensi Successor, cum Uxore sua Christiana Markisiensi donationem, à Patre suo factam anno 1174. in favorem memoratæ Abbatiæ Clari-marisci, approbavit, Tabulis scriptis, quæ lib. 1. Dipl. Belg. cap. 71. exstant.

CAPUT LXVI.

MILO I. *Morinensis Episcopus, anno* 1145. *approbat donationem Villæ de Niwerlede, Monasterio Clari-marisci factam ab* ARNULFO DE GANDAVO, *Gisnensi Comite.*

EGo MILO, Dei gratiâ Morinorum Episcopus, de necessitatibus pauperum Christi tamquam de propriis sollicitus, negotia eorum, quæ in præsentia nostra recognita sunt, memoriæ mandare, & sigilli mei impressione signare curavi; timens ne si temporis vetustate subrepat oblivio, parvorum adversus innocentes insurgat conspiratio, & quæ à pauperibus multo sunt labore acquisita, divitum ac potentum distrahantur versutiâ.

ARNULFUS itaque Gisnensium Comes, in præsentia nostra, & in Synodo nostra plenaria, præsentibus Archidiaconis nostris Milone & Philippo, & Hermanno Decano, Herenbaldo, Walone, & aliis pluribus Canonicis nostris, præsentibus quoque Abbatibus Leone de S. Bertino, & (1) de Bergis, & de S. Vulmaro, & (2) de Capella, & ceteris multis tam Clericis quàm Laïcis, Fratribus de *Claromaresch* in perpetuam eleëmosynam concessisse se recognovit, quidquid in Villula de *Niwerlede*, quæ est sita super Reche, sive in terris, sive in aquis, sive in reditibus, sive in servitiis habebat;

TOTUM quoque Comitatum, & quidquid ad Dominium Gisnense ibidem pertinet, præter feodum vavassorum suorum; centum quoque mensuras maresci, secundùm majorem Comitis virgam, scilicet Flandriæ, ubi prædicti Fratres eas elegerint; quattuordecim quoque mensuras, quas Hugo de Reche de ipsorum feodo tenebat; illas etiam quas Lambertus de Elvelinghehem de ipso in feodo tenebat, quæ sunt computatione & pactione Lamberti XII.

SI quis igitur hujus Decreti paginam sciens, ei temerè obviaverit, donec errorem suum correxerit, anathema sit, amen.

ACTUM Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo quinto anno. 1145.

(1) DE BERGIS S. Winnoci Abbas. Alulfus, ut conjicio: de quo Meierus in Gestis anni 1142.

(2) DE CAPELLA Abbas, Theodericus: cui Balduinus Ardæ Dominus Ecclesiam Ardensem anno 1144. dedit, in Monasterium Ordinis Præmonstratensis convertendam: ut lib. 1. Dipl. cap. 59. explicui.

CAPUT LXVII.

GODEFRIDUS III. *Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ Dux cambium inter Ecclesias S. Petri Affligemiensis & S. Jacobi Bruxellensis factum approbat, anno* 1151.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego GODEFRIDUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, tertius dignitatis hujus ac nominis heres, tam præsentibus quàm futuris. Quia filiis pacis pax præcipuè & concordia necessaria est, desidero ..... omnibus Ecclesiis, sub mea ditione constitutis, prout valeo, pacis hujus virtutem impertiri; ut in turribus quoque nostris, earum nationibus pax & abundantia, salus atque victoria possit oriri.

QUAM ob rem concambium, quod inter Ecclesias S. Petri Hassligemensis, (1) Sanctique Jacobi Bruxellensis, me præsente, me judice & auctore, factum est, litteris mandari, sigillique mei impressione testamentum hoc pacis perpetualiter firmari volui.

QUÆ videlicet Ecclesiæ duo allodia sibi invicem contigua, à Progenitoribus meis liberâ traditione in eleëmosynam susceperant; quæ propter culturæ oportunitatem, & locorum viciniam, coram me & coram Matre mea Domina (2) LUTGARDE sibi commutaverunt, inquam,

DIploma istud in Archivis Monasterii Affligemiensis exstat, cum sigillo equitem hastatum repræsentante, qui est Dux noster Godefridus III. *in Cunis* vulgò nuncupatus.

(1) S. JACOBI Bruxellensis Ecclesia in Monte frigido prope Palatium Regium, est Canonicorum Regularium, qui gestant togam nigram, & candidam fasciam lineam, ex collo pendentem. Quali veste ac fascia similiter utuntur Canonici Regulares Gertrudani in Urbe Lovaniensi, Claustro-Rodenses in agro Limburgensi seu Transmosano, Ægidiani prope Leodicum, Flonenses ad Mosam in Diœcesi Leodiensi, & Neomonasterienses juxta Huium Oppidum. Præpositus porrò Ecclesiæ S. Jacobi Bruxellensis est Capellanus hereditarius Ducis Brabantiæ; & mitrâ utitur in Sacris, ex Privilegio Sedis Apostolicæ, quod Philippi Boni Burgundiæ Brabantiæque Ducis ævo impetravit anno 1461.

(2) LUTGARDIS Berengarii Comitis Zulsbacensis Filia, Sororem habuit Gertrudem, Conrado II. Imperatori nuptam; & ex Godefrido II. Brabantiæ Duce genuit Godefridum III. Ducem, & Albertum Comitem de Moha & Dagisberg. GODEFRIDUS III. anno 1180. Hierosolymam se contulit; ut in magno Chronico Belgico legitur. Anno 1155. duxit Margaritam Henrici Lim-

inquam, quæque suum allodium, Haffligemensis scilicet Ecclesiæ Fratres *Dechlepul*, Bruxellensis autem *Molenvelt* in manus dederunt, sibique manu & festucâ alienaverunt.

Ego igitur petitioni Onulfi Bruxellensis Ecclesiæ Presbyteri, Fratrumque ipsius Geldulfi atque Hugonis, allodium quod *Molenvelt* dicitur, cum molendino, ac totius utilitatis emolumento, dono Godescalco Haffligemiensi Abbati, ejusque Fratribus perpetuâ stabilitate tradidi, & Ecclesiæ S. Jacobi aliud allodium *Dechlepul* dictum, & mansum terræ in *Roch* simili conditione donavi.

ACTUM est Brussellæ (3) supra Castrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quinquagesimo primo, Indictione decimâ 1151
quartâ, coram his Testibus,

Huseboldo Capellano.
Gerardo de Hildeberch.
Francone de Slusa.
Francone de Atrio.
Alberto Leoiart.
Hugone Bollec.
Henrico Pædagogo.

burgensis Ducis Filiam (ut in Auctario Affligemiensi legitur) & ex ea genuit *Henricum* I. Ducem, *S. Albertum* Episcopum Leodicensem, & *Aleidem* Othoni IV. Imperatori nuptam: ut ex Auctario Aquicinctino in Gestis anni 1198. colligi datur. Ex altera Conjuge Imagina seu Iviena, Ludovici Comitis Lossensis Filia, sustulit *Guilielmum*, primum Peruesii Dominum, Godefridi Patrem. Cujus Godefridi mentio fit lib. 2. Dipl. Belg. cap. 84.

(3) SUPRA CASTRUM Brussellæ. Designari puto Castrum seu Burgum veterem, in Monte frigido situm: quo loco nunc Palatium Regium visitur, cui adjacet area *Borgendael* hodie nuncupata. Nisi quis velit designari vetus Ducis Brabantiæ domicilium, in Sennæ fl. insula, juxta templum S. Gaugerici olim Bruxellæ situm.

CAPUT LXVIII.

THEODERICUS ALSATIUS, *Flandriæ Comes, ejusque Filius* PHILIPPUS, *dotant Abbatiam S. Augustini, Ordinis Præmonstratensis, in Agro Teruanensi*, 1163.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego THEODERICUS, Dei gratiâ, Flandrensium Comes, tam futuris quàm præsentibus notum facio, me videlicet, inspirante Deo, pro mea & Parentum, nec non & Antecessorum meorum salute, sed & pro delendo quodam Peccato, quod in combustione Ecclesiæ (1) S. Augustini Filius meus PHILIPPUS commisit, in perpetuum censum, per singulos annos, decem libras Flandrensis monetæ eidem Ecclesiæ beati Augustini, beneplacito videlicet & consilio ejusdem filii mei, nec non & Baronum meorum, in eleëmosynam dedisse; sed & easdem decem libras mihi ab Ecclesia S. Mariæ de (2) DUNIS hactenùs debitas, præfatæ Ecclesiæ beati Augustini per singulos annos, videlicet in festivitate S. Joannis Baptistæ, quinque verò alias in die SS. Remigii & Bavonis, in præsentia Cancellarii mei, Furnis fore persolvendas.

PRÆTEREA quoque prædictam Ecclesiam B. Augustini, cum censu, quem dedi, & omnibus suis appendititiis, sub mea meorumque Successorum protectione, fideliter atque paternè in perpetuum custodiendam suscepi; ut videlicet in ea commorantes quietè Divinis laudibus vacare, & pro mea meorumque salute & pace Dominum valeant exorare. Ut autem hæc nostra Confœderatio rata & inconvulsa in perpetuum maneat, eam placuit sigillo nostro munire & Testes idoneos annotare.

Signum Roberti Præpositi Ariensis,
Rogeri de Waverin,
Hugonis de Grengi,
Christiani de Stracele,
Boidini filii ejus,
Theobaldi de Turre,
Walteri filii ejus,
Rogeri Præpositi de Hesdin,
Bernardi Fratris ejus,
Eustachii le Camerleng.

ACTUM anno Domini MCLXIII. 1163

Additio. (1) SANCTI AUGUSTINI. Juxta Teruanam, antiquam Morinorum Urbem, anno 1553. armis Caroli V. Cæsaris deletam, duæ olim erant Abbatiæ, altera S. Joannis Ordinis S. Benedicti, quæ dein Ipras translata fuit: altera S. Augustini Ord. Premonstratensium, quæ hodieque ibidem floret, ac modò subest Episcopatui Audomarensi.

Fundavit eam circa annum 1163. Milo II. Episcopus Morinensis, qui & habitum Præmonstratensem assumpsit, & inter Sanctos illius Ordinis recolitur. Vide Fastos Belgicos ad diem 13. Novembris.

(2) DUNÆ, Abbatia Religiosorum Cisterciensium, olim sita in agro Furnensi, inter montosa & arenosa maris littora, vulgò *Dunen*, unde & nomen accepit. Seculo XVI. inter fatales Belgii tumultus combusta ac diruta, anno 1627. translata fuit in Urbem Brugensem.

CAPUT LXIX.

PETRUS DE BARGIS, *Vir Nobilis, ejusque Uxor* MARIA, *ac Liberi,* ÆGIDIUS, THEODERICUS *&* GILLA, *dotant Laudensem Abbatiam Monachorum Ordinis Cisterciensis, prope Insulas, approbante* PHILIPPO ALSATIO, *Flandriæ Comite, anno* 1171.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego PHILIPPUS, Dei gratiâ Flandriarum Comes, concedo in allodium liberum, & in possessionem perpetuam, Ecclesiæ B. Mariæ de (1) Los, & Fratribus de Clara-valle ibi commanentibus, totam terram Petri de Bargis, quam in territorio de *Anckin* & de *Bargis* de meo feodo tenebat: qui Petrus apud Insulam coram me veniens terram prænominatam, cum reditu, & quidquid de me tenebat, cum virga mihi liberam reddidit, liberis ejus *Ægidio* & *Theodorico* præsentibus, qui & manus apposuerunt, & cum Patre coram me werpiverunt.

ALIAM quoque terram suam de feodo meo, quam de Simone de Neulin Domino suo tenuerat, in territorio de Bargis, eidem Domino suo Simoni cum filiis prædictis reddidit & werpivit. Simon verò à Petro acceptam Hellino de *Wavrin* Dapifero, Domino suo, reddidit, qui à Simone receptam mihi liberam donavit, promittens coram me terram illam Ecclesiæ prænominatæ acquitaturum, contra filios Roberti Russi, vel omnes ad quorum dominium feodus ille pertinebat. Ego autem à Dapifero acceptam in manus Abbatis & Fratrum Ecclesiæ de Los liberam contradidi.

POSTEA ex meo præcepto eàdem die, cum Dapifer perrexisset apud Bargas cum hominibus meis, uxor Petri prædicti MARIA, cum Gilla filia, præsente Petro cum filiis, terras & reditus, & quidquid de meo feodo tenuerant, in manus Abbatis præfatæ Ecclesiæ donaverunt & werpiverunt. Quæ omnia Testibus subscriptis confirmari feci,

Almarico de Landast,
Hellino Dapifero,
Rogerio de Ruma,
Gerardo de Landast,
Henrico de Morseles,
Petro de Mewils,
Hugone de Ulmo,
Roberto de Siclinio,
Arnulfo de Fumesuils,
Walcherio de Leschin,
Arnoldo de Wavrin,
Rainero de Bevrecas,
Joanne Petipasy,
Henrico filio Gerardi,
Frumaldo Boca,
Et Huberto filio ejus,
.... Godino homine Dapiferi.

ET ut in Ecclesia B. Mariæ prænominatæ hereditas prædicta, meo assensu, & coram hominibus meis concessa, rata & inconcussa in perpetuum maneat, pactionis hujus obsidem me relinquo, & Sigilli mei impressione confirmo.

ACTA sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo septuagesimo primo. 1171.

(1) LAUS B. Mariæ, vulgò *Lo*, Abbatia Ordinis Cisterciensis, primo lapide ab Insulis seu Isla, Flandriæ emporio sita, habet Sacellum cultu Deiparæ ac miraculis celebre. Præter Laudensem, in Flandriæ Comitatu hodie sunt aliæ insuper duæ Monachorum ejusdem Ordinis Abbatiæ, DUNENSIS anno 1137. & BODELOENSIS circa annum 1200. institutæ. Quarta, videlicet THOSANA, *Doest*, jam desiit; magnâ parte prædiorum Episcopatui Brugensi assignatâ, & fundo, quem in Urbe Brugensi possidebat, Dunensibus, ad novum à fundamentis Monasterium excitandum, attributo.

CAPUT LXX.

GUALTERUS DE MAURITANIA, *Laudunensis Episcopus, plurimos servilis conditionis homines donat Ecclesiæ Tornacensi, anno* 1173.

GUALTERUS de Mauritania, Dei gratiâ Laudunensis Episcopus, dilectis Dominis & amicis Decano & Capitulo Tornacensi.

ALTRICIS nostræ, Sanctæ Tornacensis Ecclesiæ beneficia recolentes, damus vobis in perpetuum, quotquot habemus in partibus illis, servos & ancillas, ut S. Eleutherium habeant Advocatum. De unoquoque eorum, tam servo quàm ancilla, habebitis annuatim sex denarios censuales, & de mortua manu duos solidos, & de maritagio duos solidos...

CAPUT

EX hoc Diplomate, & aliis alibi à me productis liquet, ancillas & servos olim solitos solvere Ecclesiæ denarios censuales.

Additio. (1) GUALTERUS DE MAURITANIA erat ex Familia DD. de Mortagne, quod potens est Dominium tertio lapide à Tornaco, de quo latiùs agitur in Chronico nostro Belgico ad annum 1306. Hic ex Canonico & Decano Laudunensi electus ejusdem Ecclesiæ Episcopus anno 1155, vivere desiit anno 1174.

CAPUT LXXI.

BERTHA, MATTHÆI *Lotharingiæ Mosellanæ Ducis Vidua, benefacit Canonicis Regularibus in Monte S. Trinitatis in Lotharingia, circa annum* 1177.

EGo (1) BERTHA, Dei præscientiâ Lotharingorum Ducissa, Hugoni Abbati aunctisque Fratribus in Monte S. Trinitatis Canonicam vitam professis.

Ego & filii mei (2) *Theodericus*, *Simon* Dux & Marchio, (3) *Fredericus*, & junior eorum *Matthæus*, Soror quoque ipsorum *Aleidis*, Ducissa Burgundiæ, pro remedio animæ Viri mei, Nobilis Ducis *Matthæi*.....

HÆ tabulæ desumptæ sunt ex Monte SS. Trinitatis, aliâs Bello campo. Ordinis S. Augustini Monasterio in Diœcesi Tullensi, quod Albero de Monasteriolo, Archidiaconus Tullensis, à S. Bernardo laudatus, pòst Archiepiscopus Treverensis & Cardinalis fundavit. Suntque hæ Tabulæ post annum millesimum centesimum septuagesimum sextum scriptæ: ut R. P. Stephanus Voirinus me per litteras monuit. Miror tamen in serie Archiepiscoporum Treverensium, apud Christophorum Brouverum, in Historia Treverensi Ms. hunc Alberonem non reperiri.

(1) BERTHA Frederici Imperatoris Soror (ut in Chronico de Welfis cap. 10. tomo 1. Canisii legitur) fuit Uxor Matthæi illo nomine primi Ducis Lotharingiæ Mosellanæ. Ex qua genuit *Simonem* suum in Ducatu Successorem, *Theodericum* Præpositum S. Deodati, & Electum Metensem, *Fridericum* Comitem de Bits, *Matthæum*, & *Aleidem* Uxorem Hugonis Burgundiæ Ducis.

De Matthæo, Matthæi Ducis Filio, multi scribunt, & ipse tumulus Ducis Matthæi, quamquam satis recens, tradit ipsum fuisse Comitem Tullensem, non autem Episcopum, ut quidam narrant. Richerius certè Monachus Senoniensis in Vosago, sub annum 1260. Matthæum illum Episcopum (de quo Thomas Cantipratanus lib. 1. Apum cap. 81.) tradit fuisse Filium Friderici de Bits. De eodem, cùm esset Præpositus Ecclesiæ S. Deodati, ita Henricus VI. Imperator in Diplomate Panormi anno 1197. dato: *Gratiâ Matthæi consanguinei nostri, Præpositi S. Deodati, remisso omne servitium.* Et Philippus Cæsar à quibusdam electus: *Matthæus Episcopus Tullensis, consanguineus noster.*

(2) THEODERICUS Præpositus S. Deodati, ut dixi, & Electus Metensis, qui ut Sacerdos Fratri suo seniori Simoni in recitato Diplomate præponitur.

Additio. Porro Fanum S. Deodati, vulgò *Saint Dié*, Oppidum est Lotharingiæ, illustre habens Capitulum Canonicorum, cujus Præpositus usum habet mitræ & Pontificalium, ex concessione Leonis IX. Pontificis, qui olim ex Præposito S. Deodati creatus Episcopus Tullensis, ac dein Summus Pontifex, sanctè obiit anno 1054. Jam dudum instant Duces Lotharingiæ, ut eo in loco Sedes Episcopalis erigatur: sed illud hactenus à Sancta Sede obtinere non valuerunt.

(3) FRIDERICUS Matthæi I. Ducis & Berthæ Filius, Comes de Bits, fueritne Dux Lotharingiæ Mosel- Miræus.
lanæ ante Filium Fridericum, non ausim definire. Roserius (sed de fide suspectus) citat Diploma, in quo Fridericus, Matthæi Ducis Filius anno 1206. Dux Lotharingiæ nominatur. Huc facit ejusdem Epitaphium, apud Stourkelbrunum in Chronico Alsatico Germanico descriptum:

In medio dici debet Comitis Friderici
De Bittis, pridem Lotharorum Dux fuit idem.

Cęterùm Fridericus Comes de Bits Filios habuit, Fridericum Ducem, Philippum Dominum de Gilberviller, & Theodericum.

FRIDERICUS, seu Ferricus Dux, Theobaldi Ducis
Pater, dedit vaccariam S. Deodato, & anno millesimo 1214.
ducentesimo decimo quarto, die decimâ Octobris obiit: ut in vetere Necrologio S. Deodati legitur. Ex quo corrigendi vulgares Lotharingiæ Historici, qui mortem ejus anno 1213. falsò adscribunt. Liberos autem habuit dictus Fridericus Dux *Jacobum* Metensem Episcopum, Theobaldum & Matthæum ex ordine Duces, & Regualdum Comitem de Castres.

Theobaldo I. Duci sine liberis defuncto successit Frater *Matthæus* illo nomine secundus Dux, qui anno 1254. obiit, juxta Tabulas Ecclesiæ S. Deodati, Tabulis Belliprati vetustiores, quæ annum 1250. signant. Matthæus II. liberos reliquit, *Fridericum* in Ducatu Successorem, *Buchardum* Episcopum Metensem juxta Chronicon Australe, & *Loram*, primùm Joanni Dampetræ, posteà Guilielmo de Vergy Burgundo nuptam.

Ex his licebit ea leviter corrigere, quæ nobis in Bruxellensi Stemmate Belgicorum editione exciderunt.

CAPUT LXXII.

ROBERTUS *Betuniæ Dominus, ejusque Uxor* ADHELIS, *ac Filii* ROBERTUS, GUILIELMUS & BALDUINUS, *prædia à Majoribus suis Abbatiæ VVarnestonensi data, confirmant anno* 1177.

EGo ROBERTUS de Betunia, Atrebatensis Advocatus, notum facio omnibus tam futuris quàm præsentibus, quod Antecessores mei fundaverunt Ecclesiam de WARNESTON: qui etiam Divino instinctu statuerunt, quòd Canonici Regulares in eadem Ecclesia omni die militarent: quibus etiam dederunt in eleëmosynam tam decimas quàm terram, & reditus, & alia multimoda beneficia vitæ necessaria: de quibus longum est singula per se enumerare.

EA propter volo sciat universus fidelis, quòd Ego ROBERTUS, Summus Advocatus de Warnelton, & ADHELIS uxor mea, & filii mei,

Robertus, *Willelmus*, *Baldeuinus*, quidquid præfata Ecclesia S. Petri de Warneston in eadem Villa, sive à Nobis sive ab Antecessoribus meis, vel etiam ab hominibus nostris in eleëmosynam tenet nunc, hereditario jure teneat.

Et hoc *Gilleberto* Abbati & Successoribus suis toto caritatis affectu concedimus atque manumittimus, & ut in perpetuum liberè possideant, sigilli nostri confirmatione roboramus.

Actum est hoc anno Incarnationis Domini MCLXXVII. Indictione decimâ, Concurren- 1177.
te V. Hujus rei Testes sunt

Balduinus de Rabeca,
Joannes de Anesin,
Ibertus de Dovia.

Domini Betuniæ & Advocati Atrebatenses.

Betunia Oppidum est Artesiæ non ignobile, quod olim potentes habuit Dominos seu Toparchas, qui illustris Monasterii S. Vedasti, in Urbe Atrebatensi siti, olim Advocati fuerunt; ideòque apud medii ævi Scriptores passim Advocati Atrebatenses nuncupantur. Quod monere visum fuit, ne quis existimet ipsos Urbis Atrebatensis Dominos aut Advocatos fuisse.

Quinque aut sex ex primis Betuniæ Dominis per annos ferè ducentos, omnes ex ordine nuncupati fuerunt Roberti. De primorum Uxoribus, liberis & annis mortualibus, quia certò nihil constat, difficile sit illos distinguere. Conabor tamen pro modulo meo lucem aliquam adferre.

I. Robertus I. circa annum 999. Betuniensem S. Bartholomæi Ecclesiam condidit, & in ea ipse aut posteri ejus Canonicos collocarunt ac dotarunt: ut habet illius Ecclesiæ traditio.

II. Robertus II. circa annum 1040. Henniaci, vulgò *Hennin Lietard*, Collegium XII. Canonicorum (qui nunc sunt Regulares) fundavit: ut Baldericus in Chronico Camerac. lib. 2. cap. 23. narrat.

III. Robertus III. Diplomata anno 1063. & 1066. scripta signavit; quæ in nostro Codice Donat. Piarum cap. 50. & 56. leguntur.

IV. Robertus IV. anno 1097. Diploma Montis S. Eligii signavit, quod lib. 1. Dipl. Belg cap. 43. exstat. Idem circa annum 1098. in Syria militavit: cujus & Meierus in gestis anni 1096. meminit.

V. Robertus V. cum filio suo Guilielmo Tabulas Henniacenses anno 1123. firmavit, quas lib. 1. Dipl. Belg cap. 52. reperies.

VI. Robertus VI. Diploma Ariense anno 1169. lib. 1. Dipl. cap 65. signavit, & *Adhelidem* habuit conjugem, atque ex ea filios, *Robertum*, *Guilielmum* & *Balduinum*, in Diplomate anni 1177. jam recitato enumeratos. Quibus liberis, nisi fallor, adjungendi sunt, *Joannes* Episcopus Cameracensis, qui anno 1203. Diploma Antverpiensis Ecclesiæ lib. 2. Dipl. cap. 63. signavit, *Cono* & *Bartholomæus*, in bello Constantinopolitano anno 1203. celebres; Villarduino & Meyero testibus. Nonnulli tamen ex Conone & Bartholomæo unum faciunt.

VII. Guilielmus cognomento Rufus duxit *Mathildem* Teneramundæ Dominam & heredem, Suivecanæ Abbatiæ Fundatricem, circa annum 1224. defunctam, Wälteri & Adelisæ Filiam, nisi fallor: & ex ea genuit *Danielem*, *Robertum*, Betuniæ & Teneramundæ ex ordine Dominos, *Joannem* aliis Jacobum Abbatem Aquicinctinum, *Guilielmum* Molenbecæ Dominum, & *Machtildem*. Daniel duxit Eustatiam de Castillon, & circa annum 1128. sine prole obiit.

VIII. Robertus, aliis Focardus, primùm Teneramundæ, & post Fratris Danielis mortem, Betuniæ quoque Dominus & Advocatus Atrebatensis. Anno 1248. in Sardinia apud Calarim decessit. Ex Isabella de Moriaumez unicam reliquit Filiam Machtildem, quam sibi matrimonio junxit Guido, Guilielmi Dampetræ & Margaritæ Comitissæ Flandriæ Filius secundò genitus, pòst Flandriæ Comes: & sic Betunia Flandriæ accessit. IX.

Guilielmus Molenbecæ Dominus duxit Isabellam Pontis Rorardi Dominam: quorum liberos Lindanus in sua Teneramunda recenset. Ab isto Guilielmo Dux de *Sully* & alii Betunii in Francia stirpem suam deducunt.

Machtildis nupsit Gilleberto Sottegemio, Rassegemii Domino, & Marito suo in dotem attulit Calkenam, *Kalken*, agri Teneramundi vicum, quem hodieque possidet Comes Isegemius cum Rassegemio: ut infrà suo loco ad annum 1228. explicabitur.

CAPUT LXXIII.

Henricus I. *Brabantiæ Dux Censum, Canonicis S. Gummari Liræ (hodie sub Diœcesi Antverpiensi) ab* Arnoldo *Rotselariæ Domino datum, approbat anno* 1180.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego Henricus Dux Lotharingiæ notum facio universis, tam præsentibus quàm futuris, quòd Arnoldus de Rotselar, (1) Dapifer, pro commemoratione Filii sui Arnoldi, Canonicis in (2) Lira, singulis annis, viginti solidos Lovanienses & sex solidos ad luminaria in Festo Omnium Sanctorum, de reditu suo provenientes, persolvendos perpetuò concessit.

Quod ut ratum, stabile & inconvulsum omni tempore permaneat, Dominus Godefridus Dux, Pater meus, à quo prædictum censum idem Arnoldus in feodum habuerat, eamdem eleëmosynam prædictis Clericis, ipso Arnoldo rogante, & Patre meo Godefrido Duce libenter consentiente, propriâ manu super Altare S. Gummari liberè, absolutè, stabiliter donavit.

Ut autem hujus donationis tam rationabilis veritas in perpetuum rata permaneat, Sigilli nostri

(1) Dapifer, & Senescallus hereditarius Ducis Brabantiæ est Baro Rotselariæ; Marescallus est Baro Wesemaliæ; Camerarius est Baro Heverleæ; Vexillifer est Dominus Ascæ.

(2) Lira, Oppidum Brabantiæ ad Nethæ majoris & minoris confluentes situm est, tertio lapide ab Antverpia, olim Ledi seu Ledo nuncupatum: ut in Codice Donationum Piarum cap. 21. in Notis docui. Est ibi Canonicorum vetus Collegium, à S. Gummaro Viro illustri circa annum 760. fundatum.

nostri appensione ipsam confirmavi; Testibus idoneis, tam Clericis quàm Laïcis, subnotatis.

Signum Franconis Præpositi.
S. Lamberti Decani.
S. Godefridi.
S. Rumundi.
S. Henrici, Clericorum.
S. Benedicti.
S. Henriei de Ischa.
S. Wilhelmi de Lira.
S. Balduini de Maesvoert.
S. Gocelini de Dunc, Laïcorum.

Actum anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo octuagesimo,

CAPUT LXXIV.

Adelisa, Walteri *Teneræmondæ Domini Vidua, Monachis Blandiniensibus, concedit immunitatem à teloneo, circa annum* 1180.

In nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti, amen. Ego Adelisa, uxor Domini Walteri de (1) Tenremonda, notum fieri volo tam præsentibus quàm futuris, me pro remedio & salute animæ meæ, & Prædecessorum meorum, Fratribus S. Petri, Gandavi Deo servientibus, concessisse, ut omnia ad prædictos Fratres pertinentia liberè, sine omni exactione telonei, in terra de Tenremonde partis illius, quæ me contingit, sive terrâ, sive navigio, habeant transitum.

Ut ergo donatio mea rata permeat & inconvulsa, præsentem Paginam Sigilli mei appensione & testium subscriptione roboravi.

Sigillum Rodolphi Capellani mei.
S. Bertoldi filii mei,
S. Balduini de Ramesdonck,
S. Joannis Fratris ejus,
S. Daniëlis, filii Walteri de Tenremonde,
S. Theoderici de Tenremonde.
S. Machtildis Advocatæ.

(1) Tenræ-monda. Oppidum Flandriæ ad Teneræ & Scaldis confluentes aquas situm; cujus historiam David Lindanus accuratè descripsit. Flandricè sonat, *Os sive Ostium Tenera*, per quod ex Scaldi intratur in Teneram: *Monde* enim Flandris os & ostium significat. Sic Rupelmonda, Gerardi Mercatoris Geographi patria, ad Rupelæ & Schaldis, itemque Ruræmonda ad Ruræ & Mosæ confluentes visuntur. Sic Condatum Hannoniæ Oppidum *Condé*, ad Scaldis & Hainæ confluentes est situm. Notent autem rei geographicæ Studiosi, ut apud Germanos inferiores locorum nomina in *Monde* desinentia, sic apud Gallos & Francos loca *Condé* dicta designant situm ad aquas confluentes. In vita S. Martini Turonensis traditur, ipsum obiisse in vico Condacensi seu Condatensi: sic enim legendum, non Candacensi.

CAPUT LXXV.

Guilielmus Rufus, *Betuniæ & Teneræmondæ Dominus, ejusque Uxor* Mathildis, *dant Monasterio Blandinensi immunitatem à teloneo, anno* 1193.

In nomine Patris & filii & Spiritûs Sancti, amen. Quæ aguntur in tempore, cum tempore dilabuntur & transeunt, & humanos actus oblivio innata demolitur: sola verò negotia litteris signata, & carum mancipata custodiæ, subsistunt, & suâ stabilitate inconcussa non decedunt.

Ea propter Ego (1) Willelmus de Betunia, Dominus de Tenremonde, & Mathildis uxor mea, tam posteris quàm præsentibus notum fieri volumus, quòd pro salute & remedio animarum nostrarum, simul & Prædecessorum nostrorum, Ecclesiæ S. Petri in Gandavo concessimus, & firmiter tam à Nobis, quàm à Successoribus nostris volumus observari, ut omnia ad prænominatam Ecclesiam, vel ad usus Fratrum in ea commorantium pertinentia, qualicumque modo, sive terrâ sive navigio per terram nostram transeant, absque teloneo, & vienagio & omni exactione, liberè transire permittantur.

Ne igitur, quæ bono zelo ordinata sunt, iniquorum malignitas in posterum dissolvat, donationem nostram, prædictæ Ecclesiæ intuitu illius concessam, apud quem nullum bonum irremuneratum, nullum malum permanet impunitum,

(1) Guilielmus Betunius, Teneremondæ Dominus, anno 1213. vel 1214. obiit, relictâ Machtilde Viduâ, & quinque liberis, Daniele, Roberto, Joanne, Guilielmo & Machtilde: de quibus vide suprà cap. 72.

nitum, Sigilli nostri appensione, & Testium subscriptione roboravimus.

Signum Roberti Decani de Bella,
S. Wilhelmi Capellani,
S. Joannis & Henrici, Canonicorum,
S. Walteri de Sottinghem,
S. Rasonis de Gavera,
S. Walteri de Bella,
S. Walteri Tali,
S. Bauduini de Gandavo,
S. Simonis de Waernewyck,
S. Bauduini Advocati de S. Bavone.

Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo tertio. 1193.

CAPUT LXXVI.

Ida *Comitissa Boloniensis Monasterio Andrensi beneficia præstat, & ab aliis præstita confirmat, circa annum* 1194.

Ego (1) Ida Comitissa Boloniensis notum facio tam præsentibus quàm futuris, quod Abbas & Monachi Andrenensis Ecclesiæ impignoraverunt decimam Alulfi de Hales, quæ est in Parochia de *Calquele*, pro quadraginta marcis argenti, per manum meam, & Virorum meorum bonæ memoriæ, Comitum Boloniensium, Matthæi scilicet & Geraldi de Gelre.

Nunc autem, cogente necessitate, accepit idem Alulfus quadraginta quinque marcas, per manum meam, super eamdem decimam: quod ego concessi & confirmavi, & à Viro meo, Deo volente, confirmari faciam; ut Abbas præfatus & Monachi habeant ipsam decimam liberam & quietam, absque alicujus calumnia, donec ipse Alulfus, vel heres ejus ex integro persolvant illi & Ecclesiæ Andrenenti octoginta quinque marcas argenti.

Quod ut ratum & inconvulsum permaneat, Scriptum hoc inde fieri jussi, & Sigillo corroborari præcepi. Huic concessioni & confirmationi interfuerunt,

Ingelramnus de Fielnes,
Radulfus de Lens,
Ernulfus de Lumvileriis,
Isaac de Estru,
Batovinus de Busketh,
Balduinus de Campaniis,
Hugo del Havesolei,
Eustathius de Waben, & multi alii, tam Clerici quàm Laïci.

1216. (1) Ida Boloniæ Comitissa anno millesimo ducentesimo decimo sexto in Flandria moriens, Boloniæ sepelitur: ut in Chronico Andrensi seu Marchianensi legitur. Habuit autem Ida Maritos tres, *Matthæum* Theoderici Alsatii Flandriæ Comitis filium, *Geraldum* seu *Gerardum* Gelriæ Comitem, & *Reinaldum* Comitem de Dom-Martin.

CAPUT LXXVII.

Ejusdem Idæ *Comitissæ Boloniensis Diploma alterum in favorem Benedictinorum Andrensium, circa annum* 1194.

Ego Ida, Comitissa Boloniensis, notum facio omnibus tam præsentibus quàm futuris, quod Ingelramnus de Fielnes recognovit, ante præsentiam meam, se dedisse Deo & Beatæ Mariæ, & Ecclesiæ Andrenensi, ac Monachis ibidem servientibus, liberè & quietè totam decimam, quam acquisierat in Parochia de Landereun.

Quod ego audiens, hanc eleëmosynam bono animo & promptâ voluntate concessi & confirmavi, ut habeant eam Monachi & possideant hereditario jure in perpetuum. Hoc ne cui in dubium veniat, hanc concessionis meæ Chartulam Sigillo proprio corroborari feci: audientibus & videntibus

Radulfo de Lens,
Radulfo de Fielnes,
Isaac de Hestru,
Balduino de Campaniis,
Anselmo de la Copela,
Haket de Odinghem,
Guffrido de Dudesaker, & multis aliis.

CAPUT

CAPUT LXXVIII.

REINALDUS *Comes Boloniensis, ejusque Uxor* IDA, *Nemus Hodeneboutanum Ecclesiæ Andrensi donant, anno* 1194.

EGo (1) REINALDUS Comes Boloniensis, & IDA uxor mea, Comitissa equidem Boloniæ, notum facimus tam præsentibus quàm futuris, quòd pari voluntate dedimus & concessimus Ecclesiæ S. Salvatoris de Andres, in eleëmosynam, pro salute animarum nostrarum, & Antecessorum nostrorum, Nemus de *Hodenebout*, ut quidquid juris ibidem habuimus, Ecclesia prædicta deinceps quietè possideat.

QUÆCUMQUE ex largitione Antecessorum fidelium in eleëmosyna data sunt eidem Ecclesiæ de Andres, in Comitatu Boloniæ, de jure concedimus, & confirmamus in perpetuum possidenda. Ne autem hæc eleëmosyna vel confirmatio possit in posterum ab aliquo perturbari, præsentem chartulam ambobus sigillis nostris fecimus roborari. Hujus rei Testes sunt

Robertus de Tornella,
Willelmus de Calcuilla,
Henricus Avunculus Comitissæ,
Willelmus de Disfeke,
Stephanus de Brusnebec,
Willelmus de Espelleke,
Robertus Domni-Martini, & multi alii.

ACTUM est hoc anno Domini MCXCIIII. 1194.
apud Ardrelo.

1211. ANNO Domini millesimo ducentesimo undecimo, REINALDUS Comes Boloniæ à Philippo Rege Franciæ (qui eum primò exaltaverat, & Nobili IDÆ Comitissæ Boloniensi maritum dari permiserat) de terra sua fugatur, & pro multiplici proditione sibi imposita, quinque Comitatibus privatur. Qui de Franciæ regno exiens, & cum Othone Romanorum Imperatore & Alemanniæ Rege fœdus iniens, postmodum verò mari transito ad ipsius Imperatoris Avunculum Joannem Regem Angliæ personaliter accedens, tam prædictos Reges, quàm eorum Optimates contra regnum Francorum commovit & incitavit.

Idem Rex Anglorum *Joannes*, timens ne Rex Franciæ vel aliquis de Successoribus ejus, regnum suum iterum invadere attentaret, ipsum regnum, cum regno Hiber-
1209. niæ, Domino Papæ anno 1209. tributarium fecit, & inde à se & suis heredibus mille marcas argenti annuatim persolvi Ecclesiæ Romanæ instituit.

1214. Anno 1214. idem *Joannes* Rex Angliæ cum magno exercitu Pictaviam intravit. Rex autem Franciæ primogenitum suum *Ludovicum* ad resistendum ei transmisit, qui ipsum Regem cum omnibus suis in fugam convertit.

Post hæc paucis interpositis diebus, *Fernandus* Comes Flandriæ cum magno exercitu terram Arnulphi Comitis Gisnensis intravit. Erant autem potentiores post Comitem Flandriæ in ipso exercitu, Comes Boloniæ *Reinaldus*, & *Simon* Frater ejus (qui filiam Comitis Pontivi unicam duxerat) Comes Salesberiæ *Guilelmus*, *Walterus* Præpositus S. Audomari, & *Hugo* de Bova, de regno Francorum expulsus, qui cum thesauro Regis Anglorum totum exercitum ducebat, & larga stipendia erogabat.

Hujus autem guerræ fuit occasio, quòd præfatus Comes Arnulfus Regi Francorum & filio ejus primogenito fidelitatem fecerat, & à subjectione Comitis Flandrensis recesserat.

Tandem eodem Arnulfo Comite proditionem timente & in terra propria morari non audente, Comitissa *Beatrix Broburgensis*, de Castro Ginensi (ubi per aliquod tempus detenta fuerat) à propinquis suis Flandriæ Optimatibus extrahitur, & maritus ejus Arnulfus Comes à Burgensibus S. Audomari honorificè recipitur: & ita tota ipsius terra cum munitionibus hosti exponitur. Toto ergò exercitu per quatuor dies apud Ardeam moram faciente, *Reinaldus* Comes Boloniæ præteritarum inimicitiarum minimè oblitus, Oppidum Ginense, cum Castello & mansionibus Comitis, evertit & combussit, & ad hoc faciendum omnes Anglicos in exercitu commorantes evocavit.

Die sequenti totus exercitus inde recessit, & Comitissam Beatricem, cum omnibus liberis suis secum abduxit, quæ in Comitatu Flandrensi per annos quattuor degens, à thoro maritali separata fuit, malens in Flandria, sicut dicebatur à multis, exulando morari, quàm in Castro Ginensi contra voluntatem suam clausa detineri.

Post modicum autem temporis primogenita ejus *Beatrix*, religiosa puella, à Matre recedens, ad Patrem redijt, & infra anni spatium *Balduinus* primogenitus Filius in Patris gratiam receptus fuit.

Dum ergò prædicti Principes ad dissipandum regnum Franciæ se mutuò animarent, cum *Othone* quondam Romanorum Imperatore, sed tunc temporis ab Innocentio Papa excommunicato, fœdus ineunt, & eum secum in Flandriam pertrahunt. Rex Francorum, auditâ eorum conspiratione, & Filio suo primogenito contra Regem Angliæ viriliter agente, apud pontem de *Bovines* intrepidus eis occurrit, & vicit. Otho autem quondam Imperator cum paucis evasit.

Anno 1215. Joanne Rege Angliæ Baronibus suis debi- 1215.
tam & solitam libertatem denegante, ipsi cum *Ludovico* Regis Franciæ primogenito fœdus inierunt, & datis ei in obsides pueris suis, præmisit ipse Ludovicus apud Lundoniam *Willelmum* Castellanum S. Audomari, Castellanum Atrebatensem, Castellanum de Beaumeis, & *Hugonem* Tacun, Virum Nobilem & strenuum, & cum eis milites & servientes plurimos.

Anno 1216. Ludovicus transfretat in Angliam, cupiens 1216.
suis, quos præmiserat, personaliter subvenire, & ex promisso Baronum, regnum possidere. Innocentius III. Papa Regi Angliæ Legatum mittit in subsidium *Galam* Cardinalem, qui Ludovicum & Principes Angliæ excommunicationi supponit.

Innocentius III. Papa defungitur, cui Honorius III. substituitur. Joannes Rex Angliæ moritur. Henricus Filius ejus nondum decennis coronatur, & cruce signatur. Regnum Angliæ variâ sorte bellorum premitur.

Anno 1217. Otho brevi tempore Imperator, qui mul- 1217.
to tempore excommunicationi subjacuit, apud Brunswich moritur & sepelitur; priùs tamen ab excommunicatione absolutus: & eo mortuo Fridericus Imperator substituitur. Eodem anno pax in Anglia reformatur, parvulo Regi universitas Regni confœderatur; Ludovicus ab excommunicatione absolvitur.

Beatrix Arnulfi, Comitis Gisnensis, primogenita, de
domo paterna clàm egrediens anno 1218. sanctimonia- 1218.
lis facta est in Ecclesia Broburgensi, & posteà Abbatissa. *Hæc omnia ex Chronico Marchianensi & Andrensi desumpsimus.*

(1) REINALDUS Comes de Dom-Martin, tertius maritus Idæ Comitissæ Boloniensis fuit. De quo sic Iperius in Chron. Bertinensi: Reginaldus Comes Domni-Martini,

Marini, Nepos Elisabethæ Reginæ Franciæ, Uxorem habuit Idam, potentissimam Boloniæ Comitissam. Qui cùm fortè à Comite S. Pauli in facie percussus fuisset, irâ plenus, cum Balduino Comite Ghinarum, fugit ad Balduinum Flandræ Comitem, bellum cum Philippo Franciæ Rege tunc gerentem. Uterque verò de suo Comitatu, ille de Boloniensi, alter de Gisnensi, homagium dicto Comiti Flandriæ fecerunt: quod Rex Franciæ ægerrimè tulit. *Ita Iperius.*

CAPUT LXXIX.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux, ejusque Conjux* MACHTILDIS, *anno* 1201. *in Silva Sonia, prope Bruxellam, fundant Abbatiam Monialium Ordinis Cisterciensis, quæ vulgò Camera nuncupatur.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego HEINRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ omnibus præsentibus & futuris in perpetuum. Quoniam redemptio animæ viri propriæ divitiæ; de multis bonis, quæ præstitit mihi Deus, necessarium duxi, aliqua in opus pietatis, hoc est, Divini cultûs, pro ejus amore expendere.

INDE est, quòd pro remedio animæ meæ, & Prædecessorum meorum, assensu & voluntate dilectæ consortis meæ MACHTILDIS Ducissæ, contuli Religiosæ Sorori GISLÆ locum juxta Bruxellam, qui vocatur *Pennebeke*, ad construendum inibi Cœnobium Sanctimonialium, in honore Dei, & Beatæ semper Virginis Mariæ. Contuli etiam eidem Sorori juxtà prædictum locum tres mansos terræ incultæ & nemoris, de meo proprio, ab omni jure seculari liberrimos, & partem meam decimæ de(1) *Russebroech*, & viginti bonaria terræ, cum censu, quem prædicta Gisla emit à Waltero Kibus.

PRÆDICTUM itaque locum, & quæ cum eo in præsenti contulimus, vel quæ in posterum nostrâ aut quorumlibet fidelium liberalitate conferentur, potestate Nobis à Deo concessâ, Cœnobio construendo in perpetuum confirmamus, sub nostra & Posterorum nostrorum cura & protectione suscipimus, auxilium & defensionem in necessitate promittimus.

QUOD ut ratum & immobile apud posteros habeatur, præsentem Paginam sigilli nostri impressione signavimus, & Testium probabilium subscriptione munivimus: quorum ista sunt nomina;

Sigerus Archidiaconus,
Magister Michaël,
Arnoldus Notarius,
Godefridus Castellanus.

ACTUM anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo primo. 1201.

CAPUT

HENRICUS I. Brabantiæ Dux anno 1179. duxit Mathildem, Matthæi Comitis Boloniensis Filiam. Anno 1184. Villariense Monasterium Ordinis Cisterciensis dotavit Anno 1196. in Syriam ad bellum sacrum profectus est, ut Guilielmus Abbas Andrensis, qui illo tempore vixit, in suo Chronico narrat. Anno 1198. electioni Othonis IV. Cæsaris, Sororii sui, subscripsit. Anno 1206. S. Gertrudis Cœnobium Lovanii, & anno 1209. Herentalense Oppidum condidit. Anno 1221. Thenense, & anno 1226. Bruxellense Canonicorum Collegium secundarium fundavit. Exstantque Diplomata de his rebus ab ipso edita, quæ curiosus Lector in Codice Donationum piarum, & in nostris libris Dipl. Belg. reperiet.

De ejusdem Uxoribus ac liberis ita Dinterus lib. 4. cap. 10. in suis MSS. Chronicis Brabantiæ: HENRICUS I. Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, anno suorum Ducatuum primo, duxit MACHTILDAM Filiam Matthæi Comitis Boloniensis, de qua genuit tres Filios, *Henricum* suum in Ducatibus Successorem, *Godefridum* de Lovanio, & *Henricum* de Herstallio, & quatuor Filias. Ex quibus *Mariam* Otho IV. Imperator duxit in Uxorem. Secundam nomine *Sophiam* duxit Renaldus Comes Gelriæ, qui ex ea genuit Othonem Comitem Gelriæ, Henricum Episcopum Leodiensem, & Comitissam Juliacensem.

Tertiam verò Filiam nomine *Margaretam* duxit Comes Alverniæ superioris, qui ex ea genuit Robertum Comitem Alverniæ & Bononiæ, Widonem Archiepiscopum Viennensem, Willelmum Episcopum Leodiensem, Delphinam Comitissam Alverniæ superioris, & Mariam Uxorem Walteri Bertout, Domini Mechliniensis: de quibus Willelmus & Reinaldus, Duces Gelriæ & Juliaci, descenderunt.

Quarta verò Filia nomine *Mathildis* duxit primò Comitem Palatinum Rheni ac Ducem Bavariæ: quo sine prole defuncto, duxit Florentium Comitem Hollandiæ, Patrem Guilielmi Regis Romanorum.

Mortuâ verò Mathilde primâ Uxore, Dux Henricus duxit MARIAM, Filiam Philippi Augusti Francorum Regis (Viduam Philippi Nobilis Comitis Namurcensis) de qua genuit unam Filiam, quam duxit Comes Clivensis. Idem Dux Henricus, anno Ducatûs sui secundo, habuit guerram contra Gerardum Comitem Lossensem, occasione Advocatiæ Oppidi S. Trudonis, Castrumque Duracum demolivit, & Oppidum S. Trudonis expugnavit. *Sic ferè Dinterus.*

(1) ROSSBROECK, hodie *Ruysbroeck*, vicus inter Bruxellam & Hallas, ad Sennam fluvium.

CAPUT LXXX.

JOANNES DE BETUNIA *Episcopus Cameracensis Fundationem Abbatiæ de Camera (de qua Cap. præcedenti) confirmat, anno* 1202.

(1) JOANNES Dei gratiâ Cameracensis Episcopus dilectis in Christo Filiabus, GERTRUDI Abbatissæ & Monialibus de (2) *Pennebeke*, observantiam Ordinis Cistertiensis professis, in perpetuum.

SICUT suscepti regiminis necessitate constringimur, ad exemplum Prophetæ & imitationem SS. Patrum, de agro Dominico spinas hæresum, & tribulos vitiorum succrescentes manu prædicationis evellere, & ne iterum radicem mittant..... sarculo correctionis prorsus destruere; ita Ecclesiam Dei rectæ fidei fundamento tenemur construere, & in longitudine Spei, & Caritatis latitudine sanam Religionem plantare.

EA propter carissimæ in Christo Filiæ, devotionis vestræ precibus grato concurrentes assensu, locum ipsum, in quo secundùm Instituta Beati Benedicti, & Professionem Cistertiensis Ordinis, Divino mancipatæ estis obsequio, sub Beatissimæ Dei Genetricis Mariæ, nostrâ & Successorum nostrorum perpetuâ protectione suscipimus; Pontificali Auctoritate statuentes, ut bona quæ vobis in præsentiarum ab Illustri Viro HENRICO Duce Lotharingiæ, cum assensu & voluntate Serenissimæ Consortis suæ MACHTILDIS Ducissæ, collata sunt, sive quæcumque in perpetuum, annuente Domino, largitione Prælatorum vel Principum, seu eleëmosynis fidelium justis modis poteritis adipisci, firma vobis & posteris ibidem Domino serrituris quieta & illibata permaneant, usibus ac necessitatibus vestri Collegii profutura. Ad hæc libertatem vobis à prædicto Duce concessam, cum bonis vestris, quæ nunc pacificè possidetis, vobis præsentis Scripti patrocinio confirmamus.

UT igitur humilitatis vestræ plantatio in sanctæ meditationis otio possit quiescere ab incursu & turbine secularis tumultûs, & desuper rorem contemplationis accipiat, & in conversatione terrena abundantia bonæ actionis pinguescat, sub anathemate & interminatione judicii prohibemus, ne quis temerè quietem vestram turbare aut concutere, vel excutere possessiones vestras, & infringere libertatem præsumat.

ACTUM anno gratiæ millesimo ducentesimo secundo. 1202

Additio (1) JOANNES, dictus de Betunia, ex Præposito S. Amati Duaci, & S. Piati Seclinii electus Episcopus Cameracensis circa annum 1200, vivere desiit anno 1219.

(2) PENNEBEKE, locus prope Bruxellam, sub vico suburbano de Elsen, ubi sita est Abbatia B. M. de Camera, cujus cura spiritualis olim Abbati Villariensi commissa, nunc est penes Abbatem Camberonensem.

Requiescunt hic sacra ossa B. Bonifacii, Episcopi quondam Lausanensis, Bruxellâ oriundi, qui in Monasterio Cameræ obiit circa annum 1266. Vide plura de illo infrà in Fastis Belgicis ad diem XIX. Februarii.

CAPUT LXXXI.

Inter HENRICUM I. *Brabantiæ Ducem &* OTHONEM II. *Gelriæ Comitem varia Pacta firmantur, anno* 1203.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Felix est litterarum custodia, quæ emergentibus occurrit calumniis, & rerum seriem innumerabili loquitur veritate. Inde est, quòd negotii præsentis veritatem scripto præsenti commendare curavimus. Notum sit itaque tam futuris quàm præsentibus, quod talis intervenit forma compositionis inter HENRICUM Ducem Lotharingiæ, & OTHONEM Comitem Gelriæ, quod Comes renuntiavit omni juri, quod se dicebat habere in (1) MEGHEM.....

ADDITUM est etiam, quod Burgenses de (2) SILVA juxta Orten per totam terram Comitis Gelriæ liberi erunt à teloneo omni. Burgenses quoque de (3) TIELE gaudebunt eodem jure.

ITEM condictum est de hominibus Ducis qui (4) BOMEL intraverunt vel intrabunt: precarias & tria in anno Placita Advocati & servitium debitum habebit Dux, nisi hoc Comiti pro suo servitio Dux remittat.... Insuper Comes Gelriæ juravit, quod Duci & heredibus suis de cetero tanquam suus homo ligius fideliter serviet, & omnia superscripta bonâ fide & absque dolo firmiter observabit.....

UT autem hæc rata teneantur in posterum, sigillorum appositione tam Ducis quàm Comitis sunt roborata; Testibus & Juratis his Nobilibus.

Henricus Comes de (5) Kessele,
Rogerus de Merheim,
Engelbertus de (6) Horne,

 Theodo-

Theodoricus de Horne,
Theodoricus Advocatus de Hechte,
Theodoricus Frater suus,
Wilhelmus Molsen,
Theodoricus de Altena,
Alardus de Driele,
Walterus Spering,
Gerardus de Wilchem,
Lambertus de Monte,
Henricus de Bruele,
Egbertus de Molsen,
Arnoldus de Orthen,
Theodoricus de Alphen.

Nomina Ministerialium Juratorum.

Engelbertus de O,
Franco de Houthem,
Theodoricus de Ruremonde,
Reinerus de Tregele,
Gerardus de Straele,
Godefridus Grontvat,
Theodoricus Gruntere,
Willelhmus Roble,
Stephanus de Plunisse,
Theodoricus Hastaert,
Reinerus Castellanus de Hulcken,
Christianus & Rodolphus de Armen,
Theodoricus Frater Comitis,
Arnoldus de Arhem,
Selinuch Stelix.

ACTA sunt hæc fideliter apud Lovanium anno Domini millesimo ducentesimo tertio. 1203.

(1) MEOHEM, Oppidum seu Municipium, in Brabantiæ & Gelriæ confinibus situm est hodieque Feudum Brabantiæ, ac Comitatûs titulo clarum; olim à familia Brunevia, deio à Croya possessum.

(2) SILVA juxta Orten est hodie Silva-Ducis, seu Buscum-Ducis, Urbs Episcopalis Brabantiæ.

(3) TIELE, seu Tila Oppidum Gelriæ ad fl. Vahalim.

(4) BOMEL, seu Bommel, Bomelia Insula, cum Oppido cognomine, Mosâ & Vahali fluviis circumdata, ditionis Gelriæ; vide supra Dipl. Belg. Lib. II. Cap 28.

(5) KESSELE, olim Castellum Menapiorum, Municipium ad sinistram Mosæ ripam, inter Ruræmondam & Venlonam, olim Comites habuit, nunc Dominos ex Familia Hornana.

(6) HORNE, sive *Hornes*, arx & Municipium ad Mosam, ex opposito Ruręmondæ; à quo cognomen induit illustris Familia Hornana. Primus Hornæ Comes anno 1450. à Frederico III. Imperatore creatus fuit Jacobus de Hornes, qui posteà S. Francisci Sodalibus se adjunxit, & filios reliquit Jacobum II. Comitem, & Joannem Leodiensem Episcopum. Jacobus II. duos habuit filios, Jacobum III. & Joannem, ex ordine Comites Hornanos, sine prole defunctos. Joanni in Comitatu Hornæ & dominio de Altena successit Philippus Montmorancius, anno 1568 Bruxellis cęsus. Hodie Episcopus Leodiensis Hornam tenet, & se scribit Comitem Hornensem. Inter Ministeriales Imperii Romani, Dominus Hornæ est unus ex quattuor Venatoribus Imperii. Hornanæ Familiæ caput nunc est Comes de Hautkerke & Herlies.

CAPUT LXXXII.

THEOBALDUS *eo nomine primus, Barri & Luxeburgi Comes, Oppidi S. Theobaldi sub Bormonte incolis anno 1203. dat immunitatem à vectigalibus, & alia Privilegia.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego (1) THEOBALDUS Comes Barri & Luceburgi, omnibus manentibus & mansuris apud S. Theobaldum sub Bormonte hanc contuli libertatem:

QUOD quicumque ibidem manere voluerit, introitum quinque solidorum Pruvinensium Ministro meo persolvat, & quinque solidos de reditu annuatim; medietatem in Pascha, reliquam verò medietatem in Festo B. Remigii. Qui verò infrà octo dies post istos terminos reditum istum non persolverit, tantumdem persolvet de emendatione, quantum erit de capitali. De plana emendatione duodecim denarios persolvet; de percussione sine sanguine quinque solidos; de sanguine effuso quindecim solidos; de plana pugna quattuor denarios, & damnum illatum .....

OMNES autem præscriptas libertates in perpetuum observandas filius meus HENRICUS juravit, & homines mei pro me ipso, & à me firmiter tenendas & conservandas juraverunt, videlicet,

Josfridus de Davilleyo,
Lebaudus de Bessiemonte,
Walterus Advocatus Bormontis,
Petrus de Bormont,
Arardus de Chastenoy, & alii homines mei de Castellania Bormontis.

ACTUM anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo tertio, mense Aprili. 1203.

(1) THEOBALDUS eo nomine primus Comes Barrensis, duas habuit Conjuges, *Ermensindam* Comitatûs Luxeburgensis heredem, ex qua prolem non sustulit, & *Lauretam* Comitis Lossensis Filiam, ex qua genuit Henricum II. Comitem Barrensem & Thomascetam Frederico Lotharingiæ Mosellanæ Duci nuptam. Theobaldus porrò in Terram sanctam profectus, ibidem anno 1214. occubuit.

Stemma Comitum & Ducum Barrensium.

I. LUDOVICUS I. Comes de Montbeliard, anno 1044. vixit: de quo sic Hermannus Contractus in Chronico, quod anno 1054. desinit. Anno Domini 1044. Ludovicus Comes Reginoldum Principem, Reginæ Agnetis Avunculum, sed Regi Henrico inimicum, dum quoddam Castellum ejus, quod Monspilligardæ dicitur,

magna

magna cum manu expugnare pararet, cum parva Militum suorum copia pugnam iniens, vicit, multisque cæsis reliquos fugavit.

Uxorem habuit SOPHIAM, Frederici eo nomine secundi Lotharingiæ Mosellanæ Ducis Filiam, & ex ea genuit Theodericum, Fredericum, & Beatricem: ut ex Genealogia S. Arnulfi, anno 1261. scripta, & à Pithæo edita, & pauló infrà pro parte producenda, constat.

De Sophia, ejusque liberis Frederico & Sophia Bertoldus Presbyter Constantiensis in Chronico ad annum 1091. fusè agit.

II. THEODERICUS I. Ludovici Filius, Comes de Montbeliard anno 1074. & Comes de Monsson & Bar, anno 1093. floruit. De eo sic Franciscus Guillimannus in Historia Episcoporum Argentinensium: Anno Christi 1074. condere cœpit Theodericus Comes Montis Bellicardi Monasterium S. Walburgis in Alsatia. Hoc Programmate ante Sacrarium fixo, testati sunt memores & grati Monachi: anno Christi 1047, ætate Gregorii Papæ VII. inchoatum est à Domino Theoderico, Pernobili Comite Montis Peligardi, istud Cœnobium, Ordinis Divi Benedicti.

Theodericus Filios quinque genuit, *Ludovicum* II. Comitem de Montbeliard, Theoderici II. Patrem, *Rainaldum* I. Comitem de Monsson & Bar, *Fredericum*, *Guilielmum*, & *Stephanum* Metensem Episcopum.

Ceterùm Ludovicus II. anno 1097. obsidioni Urbis Nicææ interfuit, ut Albertus Aquensis in Chronico testatur; *Ludovicus* de Monzons, mirabilis in opere militari, Filius Comitis Dirici de Montbiliart (sic enim legendum, non Monthiliart) Dudo de Cons, rufus capite, bello doctissimus, Gozelo, &c. juxta prædictorum papiliones tabernacula collocaverunt.

Ejusdem Ludovici fit mentio apud Wasseburgium fol. 262. in Diplomate Mathildis Comitissæ anno 1096. in favorem S. Petri de Monte dato, & apud Ægidium de Roya in Annalibus Belgicis in Gestis anni 1096, ubi corruptè Vocatur Ludovicus de Morona.

III. RAINALDUS I. Comes de Monsson & Bar, Theoderici I. Filius, sustulit Rainaldum II. & Theodericum Metensem Episcopum.

IV. RAINALDUS II. Comes de Monsson & Bar anno 1134. Bulloniense Castrum occupavit, & usque ad annum 1141. tenuit. Ex Filia Comitis Campaniæ genuit Henricum I. Comitem de Bar, anno 1193. sine liberis defunctum, Theobaldum I. Rainaldum Carnotensem Episcopum, & N. Filiam, Comiti Salmensi nuptam, Matrem Henrici Comitis Salmensis: ut Scriptor Triumphi S. Lamberti apud Chapeavillium cap. 18. tradit.

V. THEOBALDUS I. Comes de Monsson & Bar ex Laureta Comitis Lossensis Filia genuit Henricum II. Comitem Barrensem & Thomasecetam Frederico Lotharingiæ Mosellanæ Duci nuptam. Obiit Theobaldus anno 1214. in Terra Sancta, qui & Comes Luxeburgi fuit ex parte Uxoris Ermensindæ; prolem tamen ex ea non sustulit.

De duobus Rainaldis, Theobaldo, & aliis sic legitur apud Pithæum in Genealogia S. Arnulfi: Beatrix, Filia Hadewindis superioris, genuit Theodericum Ducem, Theodericus Fridericum Ducem, & Adelam.

Fridericus Dux genuit Beatricem, & Sofiam.

Beatrix genuit Mathildam ex Bonifacio.

Soffia genuit Theodericum I. de Monconz, & Fridericum, Fratres.

Horum Theodericus genuit Rainaldum, Theodericum, Fridericum, Wilhelmum, & Stephanum, Fratres.

Fridericus, Frater Theoderici de Monconz, genuit Petrum de Luscelenborc.

Theodericus, Filius Theoderici de Monconz, genuit Theodericum.

Rainaldus, Frater Stephani Metensis Episcopi, genuit Rainaldum, Hugonem & Theodericum, nunc electum Metensem, & quatuor Filias.

Fridericus, Frater Episcopi Metensis, genuit Ludovicum.....

Rainaldus, Frater Theoderici electi Metensis, genuit Theobaldum, Comitem de Monceons, ex Filia Comitis Campaniæ, quæ fuit Soror Reginæ Franciæ, quæ Regina genuit Philippum de Gonesse, Regem Franciæ, ex Ludovico Rege. Philippus Rex genuit Lodowicum, qui mortuus fuit apud Monpancier in reditu de Avenione. Iste Lodowicus genuit Lodowicum, qui modò regnat, anno scilicet Domini millesimo ducentesimo sexagesimo 1261. primo.

Theobaldus Comes de Monceons habuit duos Fratres, Henricum Comitem de Bar, qui mortuus fuit sine liberis, & Rainaldum Episcopum Carnotensem.

Ipse verò Theobaldus genuit ex Loreta, Filia Comitis de Los, Thomasecetam, Uxorem Friderici Ducis Lotharingiæ: ex qua idem Dux genuit Jacobum Episcopum Metensem, & Theobaldum, & Matthæum, Duces Lotharingiæ.

Fridericus autem de Bittes genuit Fridericum Ducem Lotharingiæ, qui fuit gener Theobaldi Comitis Barrensis, & habuit ex Filia... sicut prædiximus, Jacobum Metensem Episcopum, Theobaldum & Matthæum, Duces, & Regnaldum Comitem de Castres.

HENRICUS II. Comes Barrensis, Theobaldi I. Filius VI. in prælio Bovinensi anno 1214. pro Philippo Augusto Francorum Rege contra Othonem IV. Cæsarem stetit. Anno 1239. cum Theobaldo Rege Navarræ & Comite Campaniæ, Hugone Duce Burgundiæ, Petro Comite Britanniæ, in Syriam ad bellum sacrum abiit, & eodem anno ad Gazam periit: ut Marinus Sanutus lib. 3. Secretorum Fidelium Crucis, Parte 11. cap. 15 narrat. Uxorem habuit N. Filiam secundò genitam Roberti Comitis de Dreux.

THEOBALDUS II. Henrici II. Filius, anno 1291. obiit. VII. Duas habuit Conjuges, quarum prior fuit Soror Guidonis Flandriæ Comitis, ex qua prolem non sustulit. Ex altera Joanna, quæ fuit Soror Domini de Toncy, genuit Filios quinque, & Filias tres. Ex Filiis Henricus III. in Comitatu Barrensi Successor fuit; Joannes duxit Joannam Filiam Roberti Comitis de Dreux; Theobaldus Leodiensis anno 1303. Rainaldus Metensis anno 1302. Episcopus electus fuit, & Petrus Dominus de Pierrefort, Filium habuit Hugonem, anno 1352. Virdunensem Episcopum nominatum.

HENRICUS III. Theobaldi II. Filius, Eleonoram E- VIII. duardi Angliæ Regis Filiam duxit, & ex ea sustulit Eduardum & Joannam Comitissam de Varennes.

EDUARDUS I. Henrici III. Filius anno 1312. cum IX. Abbate Belli loci in Argonna, Ordinis Cluniacensis, in Diœcesi Virdunensi, super quibusdam rebus controversis transegit, & anno 1336. obiit.

HENRICUS IV. Eduardi I. Filius, ex Jolenta Flan- X. drensi genuit Eduardum II. Comitem Barrensem, sine liberis defunctum, & Robertum I. Ducem Barrensem.

ROBERTUS, Henrici IV. Filius, ex Comite Dux pri- XI. mus Barrensis anno 1357. creatus, ex Maria Joannis Francorum Regis Filia liberos sustulit, Henricum & Philippum, qui in bello Hungarico contra Turcas perierunt, Eduardum III. Ludovicum Cardinalem, Joannem, omnes sine liberis defunctos, Jolentam Joanni I. Aragoniæ Regi, & alteram Filiam Comiti S. Pauli, nuptas.

Ceterùm Robertus anno 1411. decessit: cui in Ducatu Barrensi & Castellania Casselensi Filius Eduardus III. anno 1415. & huic Frater Ludovicus Cardinalis successit.

Ludovicus porrò suæ stirpis postremus Ducatum Barrensem & Marchionatum *du Pont à Mousson* Renato Andegavensi, Guisiæ Comiti, pòst Siciliæ Regi, dono dedit; Tabulis anno 1419. die 13. Augusti in Oppido S Michaëlis scriptis.

JOLENTA, Roberti I. Filia, ex Joanne I. Aragoniæ XII. Rege genuit Jolentam II.

JOLENTA II. nupsit Ludovico II. Siciliæ Regi, & XIII. anno 1420. decessit.

RENATUS Andegavensis, *de Anjou*, Ludovici II. & XIV. Jolentæ II. Filius, Dux Barrensis, ac demum Rex Siciliæ, genuit Jolentam III.

JOLENTA III. Ducissa Barrensis ex Frederico II. Co- XV. mite Vademontano genuit Renatum.

RENATUS II. Dux Lotharingiæ & Barri Carolum XVI. Audacem ad Nanceium 1477. vicit, & anno 1505. aut 1508. decessit.

ANTONIUS, Renati II. Filius, obiit 1544. XVII.

FRANCISCUS, Antonii Filius, obiit 1545. XVIII.

XIX. CAROLUS, Francisci Filius, Uxorem duxit anno 1559. Claudiam, Henrici II. Gallarum Regis Filiam, quæ genuit Henricum III. Lotharingiæ & Barri Ducem, Carolum S. R. E. Cardinalem, Episcopum Metensem & Argentinensem, qui obiit anno 1607; Franciscum Comitem Vademontanum, vitâ functum anno 1632; Christinam Ferdinandi Etruriæ Ducis Uxorem, Antoniam Joannis Guilielmi Cliviæ Ducis Conjugem, & Elisabetham Maximiliano Bavariæ Duci nuptam. Vivere desiit Dux Carolus anno 1608. ætatis 65.

Additio.

XX. HENRICUS, Caroli Filius. Uxores habuit, 1. Catharinam Borboniam Henrici IV. Galliæ Regis Sororem: 2, Margaretam Gonsagam, Vincentii Mantuæ Ducis Filiam. Moriens anno 1624. binas reliquit Filias, Nicoleam & Claudiam, quas binis Nepotibus, pacis studio, copulavit.

XXI. CAROLUS III. Henrici ex Fratre Francisco Vademontano Nepos, variâ suâ fortunâ fuit celeberrimus. Uxorem duxerat Nicoleam, quam dein repudiavit, eâque vivente duxit Beatricem de Cusancia Viduam Eugenii Principis du Cantecroix, ac tertiò Mariam Caroli Comitis Aspremontani Filiam & Heredem.

Ex Beatrice genitus fuit anno 1649. Carolus Henricus Comes Vademontanus, qui fuit Generalis Armorum Præfectus in Belgio, & anno 1698. Gubernator Ducatûs Mediolanensis. Hic ex Anna-Elisabetha *de Lorraine-d'Elbeuf* unicum sustulit Filium Carolum Thomam, qui anno 1704. Cæsari militans in Italia occubuit.

Ceterùm Dux Carolus, posteaquam diu moratus fuisset in Belgio, suisque ditionibus in favorem Fratris renunciasset, vivere desiit anno 1675, ætat. 71.

XXII. NICOLAUS FRANCISCUS, Caroli Frater, fuerat primò S. R. E. Cardinalis & Tullensium designatus Episcopus. Anno 1634. Uxorem duxit Cognatam suam Claudiam Lotharingieam: obiit 1670.

XXIII. CAROLUS LEOPOLDUS, Nicolai Francisci Filius, celeberrimus belli Dux, & Urbis Viennensis à Turcis obsessæ anno 1683. gloriosus liberator; uxorem habuit Eleonoram Mariam Austriacam Ferdinandi III. Cæsaris Filiam, Michaelis Wiesnowski Polonorum Regis Viduam.

Ex ea liberos sustulit, Leopoldum Josephum Successorem, Carolum Josephum Archiepiscopum Electorem Trevirensem, Episcopum Osnabrugensem, & antea etiam Olomucensem, qui anno 1715. obiit; Josephum Innocentium, qui anno 1706. Cæsari militans in Italia occubuit, & Franciscum Antonium Abbatem Stabulensem, & Canonicum Leodiensem anno 1715. vita functum. Ipse Dux Carolus Leopoldus obiit anno 1690.

XXIV. LEOPOLDUS JOSEPHUS, Lotharingiæ & Barri Dux, anno 1698. duxit Elisabetham Carolam, Neptem Ludovici XIV. Galliæ Regis è Fratre Philippo Duce Aurelianensi: ex eaque plures habet liberos, quorum senior superstes Leopoldus Clemens natus est anno 1707.

CAPUT LXXXIII.

GUILIELMUS *Dominus de Fielnes seu Fiennes*, INGELRAMNI *Filius*, *benefacit Monasterio Andrensi anno* 1203.

EGo WILLELMUS, filius *Ingelrami*, Dominus de Fielnes, notum facio omnibus præsentibus & futuris, quod cappam, quam Pater meus dudum appretiaverat ad XVI. solidos, sibi ab Andrensi Ecclesiæ Eleëmosynario annuatim in Festo S. Michaëlis solvendos, postmodùm iter Ierosolymitanum arripiens, in conspectu hominum suorum & virorum religiosorum, pro prædicto censu annuatim redimi statuit, & nihil Andrenensem Ecclesiam ampliùs, quàm hos XVI. solidos pro cappa debere recognovit. Pro quâ tamen cappa, omnia quæ Andrensem Ecclesiam contingunt, ex largitione Prædecessorum suorum, & ex dono fuimet, tam in Boloniensi Comitatu, quàm in Gisnensi, defensare deberet, & ab omni calumniante acquietare, sicut tunc coram multis recognovit, tam ipse quàm omnes heredes sui.

Ego igitur Patri succedens, primò cappam ab Andrensi Ecclesia calumniatus sum; deindè injustam deponens calumniam, pro cappa V. solidos Sterlingorum annuatim mihi dari constitui, in Natali Domini, assensu Domini Abbatis Iterii, & totius Capituli.

1203. ACTUM anno Verbi Incarnati MCCIII. apud Fielnes, Kalendis Januarii, concedente uxore meâ AGNETE, & filio meo INGELRAMNO, qui hoc per Advocatum concessit, audientibus & videntibus

Radulfo de Fielnes, Patruo meo,
Willelmo de Contes,
Arnulfo de Hesdingnol,
Joanne de Cubbingecum,
Joanne de Tingri,
Eustachio de Cotes,
Ægidio de Motiers, Militibus;
Magistro Balduino,
Willelmo Capellano,
Lamberto Pip,
Guffrido de Moykes,
Roberto Carnier,
Sadonio, & multis aliis.

Ego WILLELMUS, filius Ingelramni, Dominus de Fielnes, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd cappam, quam pravorum consilio deceptus, ab Andrensi Ecclesia calumniatus fui, ad quinque solidos Sterlingorum appretiavi, annuatim mihi reddendos in Natali Domini: pro qua pensione, omnia quæ Andrensem Ecclesiam contingunt in Boloniensi & Gisnensi Comitatu, tam ex dono meo, quàm ex eleëmosyna Prædecessorum meorum, acquietare teneor, & contra omnem calumniam eidem Ecclesiæ defensare.

CONCEDO etiam, ad usus Andrensis Ecclesiæ, decimam de Landercun, quàm Dominus INGELRAMNUS Pater meus eidem Ecclesiæ in eleëmosynam contulit, sicut adhuc testatur ejus Scriptum, & Privilegia Domini *Desiderii*, & Domini *Lamberti* Morinorum Episcopi.

CONCEDO quoque eidem Ecclesiæ quidquid in dominio meo justè & legitimè, salvo jure meo, perpetuis temporibus acquirere poterunt aut impignorare. Confirmo præterea Donationes & Eleëmosynas, seu Eleëmosynarii Andrensis libertates, quas WARINUS, vel alii antiqui de Fielnes, prædictæ Ecclesiæ contu-

contulerunt, & quas præcipuè ad usus pauperum deputaverunt, de allodiis suis, terris, silvis, stagnis, molendinis & comitatibus, servis & ancillis, quæ posita sunt inter montem de Fielnes, & paludem jacentem sub villa de *Bokerdes*, inter Castrum Gisnense & villam de *Marchnes*.

DECIMAM quoque de *Hervedinghem*, quam in meo habent dominio, eis confirmo, & ad eam, ad usus Fratrum Andrensium conservandam, semper adjutor ero. Hæc igitur omnia propria Ecclesiæ sic esse recognosco & concedo, & Sigilli mei auctoritate corroboro, testificans quod in omnibus, quæ præscripta sunt, nihil juris habere debeo.

1203. ACTUM anno Verbi Incarnati M. CC. III. apud (1) *Fielnes*, & postmodùm Domino Morinensi recitatum, & coram eo recognitum, concedente uxore meâ AGNETE, & filio meo INGELRAMNO, qui hoc totum per manum Advocati sui concessit. Super hoc testes sunt,

Radulfus de Fielnes, Patruus meus,
Willelmus de Contes,
Arnulfus de Hesdingnol,
Joannes de Gibbingetum,
Joannes de (2) Tingri,
Eustachius de Cotes,
Ægidius de Morciers, Milites.
Magister Balduinus,
Willelmus Capellanus,
Lambertus Pip,
Guffridus de Moykes,
Robertus Camier,
Sadonius, & multi alii.

(1) FIELNES. Fielna seu Fienna, hodie *Fiennes*, Vicus Diœcesis Boloniensis in Francia, olim proprios habuit Dominos, in bellis Syriacis claros, (ex qua Familia hodie superest Vicecomes de *Fruges* in Artesia;) postea ad Luxeburgicam, ac demum ad Egmondanam Familiam transiit; cùm Joannes Comes II. Egmondanus Matrimonio sibi junxit Franciscam Luxeburgicam. Jacobi Comitis primi Gaverensis, itemque Fiennæ, Sottegemii & Armentariæ Domini, sine prole defuncti, Sororem atque Heredem: ut Florentius Haræus lib. 2. de Castellanis Insulensibus cap. 5. tradit.

Nostrâ verò ætate Amoraldus, Amoraldi Comitis Egmondani, Bruxellis anno 1568. defuncti, Filius Fiennam vendidit.

(2) TINGRI. Vicus Diœcesis Boloniensis, Principatûs titulo clarus, quem Familia Luxeburgica usque ad annum 1616. possedit, quo Henricus Luxeburgicus stirpis masculæ postremus decessit, relictis duabus Filiabus.

Stemma veterum Dominorum de Fiennes.

N.
- *Ingelramnus Dominus de Fiennes, in Syria militavit.*
  - *Gailielmus Dominus de Fiennes duxit Agnetem, & vixit 1203.*
    - *Ingelramnus Dominus de Fiennes.*
  - *Thomas.*
  - *Eustachius.*
- *Radulfus duxit Adeleidem de Andernes, & vixit 1198.*

CAPUT LXXXIV.

HENRICUS *Imperator Constantinopolitanus Fratri suo Germano* PHILIPPO NOBILI, *Marchioni & Comiti Namurcensi, varias Reliquias Sacras dono mittit, anno* 1205, *quæ hodieque in Thesauro Cathedralis Ecclesiæ Namurcensis religiosè adservantur.*

CARISSIMO Fratri suo PHILIPPO Marchioni Namucensi HENRICUS, Frater suus, Imperii Romani moderator, salutem & fraternæ dilectionis affectum.

NOVERIT Fraternitas vestra mihi prædilecta, quòd vobis mitto per Magistrum Daniëlem de Scausinio, Clericum nostrum, vas aureum, pulchrum & pretiosum, in quo continetur maxima pars de ligno Domini, in modum Crucis auro circumligata & ornata.

MITTO etiam vobis de Sacrosanctis Reliquiis Imperialis Palatii Bucceleonis, videlicet de spinis Coronæ Domini, de veste purpurea Jesu Christi, de pannis infantiæ Salvatoris, de linteo quo præcinxit se in Cœna, de zona B. Mariæ Virginis, de capite B. Pauli, & B. Jacobi Minoris.

PRÆTEREA mitto vobis per eundem Daniëlem supradictum tres samiros & duos annulos, unum smaragdum & alium rubinum.

AD removendam autem omnem dubietatem sæpedictarum Reliquiarum, præsentem Paginam sigilli mei munimine vobis transmisi roboratam.

DATUM Constantinopoli anno Domini millesimo ducentesimo quinto, mense Martio. 1205.

AUtographum adservatur Namurci in Basilica Cathedrali, cum sigillo plumbeo, cum inscriptione Græca ex una parte, ERRICOS DESPOTES; & ex altera cum inscriptione Latina, ERRICUS IMPERATOR *Romanorum, Custos Imperii & Coronæ.*

Constantinopolitani Imperatores Latini.

- *Balduinus Magnanimus Flandriæ, Hannoniæ & Namurci Comes, obiit 1195.*
  - *Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes, pòst Imperator Constantinop. obiit 1206.*
    - *Joanna, obiit 1244.*
    - *Margarita Flandriæ & Hannoniæ Com. obiit 1280.*
      - *Joannes Avesnensis.*
        - *Joannes Comes Hann.*
          - *Guilielmus Comes Hannoniæ & Hollandiæ.*
        - *Beatrix Uxor Henrici Comitis Luxsburgensis.*
          - *Henricus VII. Imperator.*
      - *Balduinus.*
  - *Philippus Nobilis Comes Namurcensis, obiit sine liberis 1212.*
  - *Henricus Imperator Constantinop. obiit sine liberis.*
  - *Isabella.*
  - *Jolendis Uxor Petri Imperatoris Constantinopolitani, qui obiit 1221.*
    - *Philippus Labeo Comes Namurcensis 1216. obiit sine liberis 1226.*
    - *Robertus Imperator Constantinopo. obiit 1228.*
    - *Balduinus II. Imperator Constantinopol. obiit 1279.*
      - *Philippus Imperator Constantinopolitanus titularis.*
        - *Catharina.*
    - *Jolenta.*
    - *Margarita Uxor Henrici Comitis Viandæ.*
    - *Maria.*
    - *Elisabeth.*

Stemma Imperatorum Constantinop.

De Petri ordine tertii Imperatoris Constantinopolitani ex Regia Stirpe Capetica oriundi majoribus, uxoribus & liberis hæc habe. Ludovicus Crassus Francorum Rex Filios quatuor genuit, Philippum, Ludovicum VII. Francorum Regem, Robertum Comitem de *Dreux*, & Petrum. Ex his Petrus duxit Isabellam, Rainaldi Domini de *Courtenay* Filiam heredem, qui in Syria anno 1179. militavit, ut & ejus Majores; teste Tyrio lib. 21. cap. 30.

Petrus, Petri Filius, Dominus Curtiniaci, pòst Imperator Constantinopolitanus, duas habuit Conjuges, Agnetem & Jolendim. Ex his Agnes, Guidonis Comitis Nivernensis & Autiodorensis Filia heres, peperit Mathildem, Herveo de Donzy nuptam: ex quibus nata Agnes, Uxor Guidonis de Chastillon, Comitis S. Pauli. Jolendis Comitissa Namurcensis, altera Petri Imperatoris Constantinopolitani Conjux, fuit mulier virilis animi, & ad Imperium nata: de cujus liberis sic Albericus Monachus in Ms. suo Chronico:

Namucensis Comes Petrus, qui dicebatur Autisiodorensis, Romam profectus cum sua conjuge Hiolenz nomine, benedictus est & consecratus à Summo Pontifice Honorio in Imperatorem Constantinopolitanum. Sed mox ut Græciam attigit, captus est à Duce Durachii Theodoro nomine, Michaëlis Successore: qui de armis ejus & divitiis, & omni supellectile ejus, permittente justo judice Deo, factus est fortior, & potentior ad persequendum Catholicos. Evasit tamen, cum filiabus, uxor ejusdem Petri, quæ quamdiu vixit terram illam & Imperium gubernavit. Unam filiarum ejus Hiolenz (sive Iolentam) nomine duxit Andreas Rex Hungariæ, secundam nomine Sibyllam (aliàs Margaretam) habuit Radulphus de Essolduno in Bituria, quam posteà duxit Comes Henricus de Vienna (seu Vianda) in Ardenna. Tertiam (nomine Mariam) habuit Lascaris Græcus, qui dicebatur Imperator Nicææ; sed de ista filios non habuit. Quartam Gaufridus junior de Villa-Hardoini, filius Gaufridi Principis de Insula Moncionis. Quintam (nomine Elisabetham) Galcherus de Barro super Sequanam, Comitis Milonis filius, quam posteà duxit Odo, filius Alexandri, Fratris Ducis Burgundiæ Odonis.

Filii verò ejusdem Comitis Petri fuerunt quattuor, Philippus *ad Labra* Comes Namucensis, titulis militiæ famosissimus, Robertus Imperator Constantinopolitanus, Henricus Comes Namucensis, & juvenis Balduinus, qui modò est Imperator. Hactenus ex Chronico Alberici Monachi, qui anno 1240. vixit, quo tempore Balduinus II. apud Græcos imperabat. Errat tamen Albericus, cùm Henricum, Petri Imp. Constantinop. generum, inter ejusdem filios collocat: quod leviter indicare visum fuit, ne in texenda Comitum Namurcensium serie quis labatur.

CAPUT LXXXV.

Theodericus *Archiepiscopus Coloniensis fœdus renovat & firmat cum Brabantis, anno* 1208.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Theodoricus, Dei gratiâ, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, cunctis Christi fidelibus in perpetuum. Notum facimus præsentibus & futuris, quòd ab antiquo inter Ecclesiam Coloniensem & Archiepiscopum ex una parte, & Ducem Lotharingiæ & terram suam ex altera, confœderata est dilectio, & confirmata confœderatio, ut nulli aliorum hominum amicitia vel discordiæ possent vinculum hujus confœderationis & dilectionis dissipare.

Placuit igitur Nobis, ex consilio Priorum, Nobilium, Ministerialium, Burgensium nostrorum ex una parte, & Henrico Duci & fidelibus suis ex alia, istam dilectionis confœderationem innovare, & tam in nobis, quàm in nostris Successoribus firmitate perpetuâ roborare; unde ex utraque parte istud vinculum confœderationis indissolubile in ævum permaneat.

Henri-

Henricus Dux Lotharingiæ, fide interpositâ firmiter ac fideliter promisit, quòd Ecclesiæ Coloniensi, & Nobis specialiter omni consilio & auxilio, in juris sui conservatione, contra omnem personam, totis viribus assistet, & nullâ occasione vel suggestione à tuitione Ecclesiæ Coloniensis, & nostro adjutorio discedet. Nos autem idem & eâdem confirmatione, versâ vice, fide interpositâ, quod priùs juramento fuit confirmatum, Duci Henrico innovamus.

Ut autem hoc factum stabile & inconvulsum permaneat, præsentem Paginam indè conscribi, & nostri sigilli impressione, Priorum nec non & Nobilium civium, quorum nomina subscripta sunt, dignum duximus confirmari. Hujus rei sunt Testes,

Engelbertus Præpositus major,
Conradus major Decanus,
Tirricus Præpositus S. Gereonis,
Oliverius Scholasticus major,
Gerardus Comes Gelrensis,
Tirricus Comes de Clivio,
Wilhelmus Comes Juliacensis,
Henricus Comes de Seyna,
Comes Adolphus de Monte,
Georgius Comes de Wiede,
Henricus Comes de Kessele,
Rutgerus de Merch,
Otto de Wickerode,
Galeramus, & Henricus Fratres ministeriales,
Hermannus Advocatus,
Godefridus Camerarius,
Tirricus de Rollaer,
Franco Pincerna,
Wilhelmus Salline, Cives;
Gerardus Saphirus,
Joannes de Rintgare,
Apollonius Clenegedane,
Engebrandus de S. Columba,
Richolfus Persusus,
Hermannus Grim, & alii complures.

Acta sunt hæc anno Incarnationis Domi- 1208.
nicæ millesimo ducentesimo octavo.

CAPUT LXXXVI.

Philippus Nobilis, *Marchio Namurcensis & Comes Alostanus,* Henrico I. *Brabantiæ Duci facit homagium de ditione Alostana, anno* 1209.

Ego Philippus Marchio Namurcensis notum facio universis, præsentibus pariter & futuris, quòd cùm post mortem carissimi Avunculi mei piæ recordationis Philippi illustris Comitis Flandriæ, Comitis Hannoniensis, Balduinus Pater meus, & Mater mea Margareta, dicti Philippi Soror, ratione sanguinis, terram Flandrensem hereditario jure adepti essent, illustris Princeps Henricus Dux Lotharingiæ, ut decuit, prætaxatos, Patrem meum scilicet & Matrem meam, decenter submonuit, ut ipsi de terra Alost facerent homagium, sicut jus suum exigebat.

Prænominati verò Pater meus & Mater mea, de sua voluntate, consentiente & approbante eorum Filio primogenito Balduino, Fratre meo, Constantinopolitano Imperatore, postmodùm Flandriæ & Hannoniæ Comite, me, qui post primogenitum major natu inter filios eorum existebam, præfato Duci ad supradictum faciendum obtulerunt. Ipse verò Dux de tota terra Alost, & de ejus appendiciis omnibus & justitiis, quæ protendunt à ponte Gandavi, qui dicitur pons Brabantinus, usque ad pontem de Aldenarde, hominibus suis astantibus, me legitimè feudavit, & ego de præfata terra & appendiciis omnibus & justitiis præfato Duci feci homagium ligium.

Quod ut ratum & inconvulsum permaneat, sigilli mei appensione communivi. Datum Lovanii, die Martis ante festum S. Andreæ Apo-
stoli, anno millesimo ducentesimo nono. 1209.

CAPUT LXXXVII.

Theodericus *Dominus de Altena dotat Averbodiensem Ordinis Præmonstratensis Abbatiam in Brabantia, anno* 1212.

In nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti. Ego (1) Theodericus, Dominus de Autena, omnibus hoc Scriptum inspecturis in perpetuum. Quoniam quæ temporaliter fiunt, à nostra citiùs elabuntur memoria, nisi Litteræ permanentis adminiculo fuerint perpetuata; eapropter dignum duximus Scripto commendari quod ad posteriorum notitiam necesse est conservari.

Notum ergo facimus tam præsentibus, quàm futuris, quod nos de assensu uxoris nostræ Mariæ, & nepotum nostrorum Engelberti

gelberti & Willelmi, omnem decimam nostram, tam magnam quàm minutam, (quam alternatim in duabus villulis, quarum utraque (2) Mirta dicitur, uno videlicet anno in una, & alio in altera possidemus) partim ab Ecclesia de (3) Averbodio acceptâ quâdam summâ pecuniæ à Nobis redimi permisimus, partim etiam ob remissionem peccatorum nostrorum, nec non & Prædecessorum nostrorum, eidem Ecclesiæ, nomine eleëmosynæ, eodem modo quo eam hactenùs possidemus, liberè & quietè in perpetuum possidendam contulimus.

Omnem quoque decimam, quæ in prædictis villulis de novalibus, terris videlicet noviter excultis, quæ vulgò (4) *Utfangi* dicuntur, deinceps pervenerit, memoratæ Ecclesiæ modo suprà dicto contradidimus possidendam. Præterea terram illam incultam, quæ jacet inter (5) curiam de *Culutsrode*, & aquam illam quæ fluvius dicitur, sæpè dictæ Ecclesiæ, nomine eleëmosynæ, liberè in perpetuum contulimus possidendam.

Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, ea præsenti paginâ annotari, & sigilli nostri appensione fecimus communiri.

Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo duodecimo. 1212.

(1) Theodericus Roberti Cliviæ & Teisterbandiæ Comitis Filius (sub qua & Autena sive Altena) ut ex Joanne Gerbrando Leidano lib. 4. cap. 12. Chron. Holl. colligi datur. Altena hodie, ut puto, spectat ad Gentem Hornanam.

(2) Mirta, aliàs *Mierda*, una superior, *Hooghe Mierde*, altera inferior, *Leeghe Mierde*, duo vici in medio Campaniæ Brabanticæ, sibi mutuo vicini. Superiori à Floreffiensi, Inferiori ab Averbodiensi Abbate Parochus datur.

(3) Averbodio. Vide quæ de hac Abbatia diximus supra Codice Donat. piarum Cap. *90. 91. 92. 93.* & *94.*

(4) Utfangi sunt terræ noviter excultæ, quæ vulgò Terræ Novales vocantur, quarum decimæ dantur Averbodiensibus.

(5) Curia de Culutsrode est Villa sive curtis.

CAPUT LXXXVIII.

Aliud ejusdem Theoderici *Diploma in favorem ejusdem Abbatiæ Averbodiensis datum circa annum* 1212.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, omnibus in perpetuum. Ego Theodericus Dominus de Altena notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd Ecclesia de Averbodio mansum unum in Villa, quæ dicitur Mirda, diu legitimè possedit, & censum trium solidorum Coloniensium Ecclesiæ (1) S. Odradis in (2) *Alem* persolvit. Ab hac itaque dicta terra, tam ego quàm mei Prædecessores, prout nobis visum fuit, exactionem inde percipere soliti fuimus.

Nunc ergò ex divino nutu compuncti, & ex Dei miseratione inspirati, retroacta tempora plurimumque neglecta bonis studiis & eleëmosynis redimere volentes, prædictam exactionem jam dictæ Ecclesiæ omnino & liberè remisimus, & in redemptionem animarum Patris & Matris meæ, & meiipsius in perpetuum indulsimus. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, præsenti Scripto & sigilli nostri impressione munivimus.

(1) Sancta Odradis, seu Odrada colitur in *Alem* in Maselandia & Diœcesi Silviducensi, ubi Otho Comes Durachiensis Sacellum in ejus honorem ædificavit. Colitur item in Mierda superiore, & in *Milligen*, inter Gelam & Mol. Vitam ejus brevi cum Notis edet Augustinus Wichmannus, Canonicus Regularis Tungerloensis.

(2) Alem, Vicus Maselandiæ, quem Otho Comes Durachiensis, *de Duraz*, anno 1146. contulit Monasterio S. Trudonis in Diœcesi Leodicensi: cujus Subadvocati olim fuerunt Comites Durachienses.

CAPUT LXXXIX.

Henricus I. *Brabantiæ Dux* Godefrido *Bredæ Domino, ejusque subditis varia Privilegia indulget, anno* 1212.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Henricus Dux Lotharingiæ omnibus in perpetuum ..... Præsenti Paginâ notum volumus fieri, tam futuris quàm præsentibus, quòd hominibus qui teloneum navium per Serenam & Scaldam à nobis in feudum tenebant, propter eorum insolentiam & violentiam quam transeuntibus inferebant, sententiâ hominum nostrorum & parium ipsorum, fecimus abjudicari.

Cujus telonei medietatem nobis reservantes, aliam medietatem dilecto homini nostro ligio Godefrido de Breda in rectum feudum contulimus, eâ conditione, quòd idem Godefridus suis viribus & potestate omnibus per prædictas aquas transeuntibus pacem faciet, sine nostris laboribus & expensis......

Similiter & feudum de *Stakersloot* & de *Ossendrecht*, sicut ii qui ante hæc à nobis tenuerunt, ipsi Godefrido contulimus in feudum.....

Item quicumque homines memorati Godefridi

defridi Opida, quæ de novo feceramus, intraverint ad manendum, scilicet *Oosterwyck*, *Arendonc*, *Herentals*, *Turnhout*, *Hoochstraten*, si voluerint, ibi semper maneant......

VERùM si homines sui ad Opida nostra ab antiquo ædificata, *Buscum*, *Sichenem*, *Liram*, *Arschot*, *Antverpiam*, *Lovanium*, & his similia, causâ manendi transire voluerint, liberè hoc facere poterunt, tali jure, quali semper ab antiquo transire solebant.

HÆC omnia sicut prælibatum est & præscriptum, nos consanguineo nostro & fideli Homini nostro ligio Godefrido de Breda, & suis heredibus in rectum feudum contulimus, tenendum à nobis & nostris heredibus.

ECONTRA præfatus ligius Godefridus homagium nobis, sicut Domino suo ligio, promisit & juramento confirmavit, quòd omnibus Castris suis, totâ terrâ suâ, hominibus & ministerialibus suis, & corpore proprio ipse & heredes sui amodò nobis & heredibus nostris servient fideliter, contra omnes homines, qui mori & vivere possunt.

ET ad hujus rei confirmationem, ex mandato ipsius Godefridi, specialiter omnes terræ suæ milites, & militum filii, & (1) duodecim Villarum homines ducenti & quadraginta ad hoc electi juraverunt, & se & suos heredes ad hoc obligaverunt. Quòd si fortè idem Godefridus vel ejus heredes ea quæ prædicta sunt infregerint, vel nobis fideliter non servierint, ipsi totis viribus & bonis suis nobis vel heredibus nostris contra ipsum Godefridum vel ejus heredes servient, donec ipsum vel suos heredes ad fidele nostrum servitium revocaverint. Vice versâ, si Godefrido aliquis causâ nostrâ guerram movere attentaverit, nos illi modis omnibus assistentes erimus......

UT autem hujus Constitutionis nostræ Pagina in posterum inconvulsa servetur, eam conscribi & appositione sigilli nostri, cum subscriptione Testium, fecimus roborari, quorum nomina sunt:

Walterus Bertholt,
Gerardus de Grimbergen,
Arnoldus de Ranst,
Godefridus Castellanus Bruxellensis,
Arnoldus de Wesemale,
Arnoldus Dapifer,
Rolin de Thenis,
Wilhelmus de Ekerne,
Wilhelmus de Lira,
Waltherus de Ruman,
Arnoldus Amman Antverpiensis,
Wilhelmus de Halle, & alii complures.

ACTA sunt hæc anno millesimo ducentesi- 1212
mo duodecimo, VI. Kalendas Martii.

STEMMA
Veterum Dominorum Bredæ & Bergarum ad Zomam.

HENRICUS Bredæ Dominus anno 1268. vivebat, & Uxorem habuit Sophiam, Walteri Bertout Mechliniæ Domini & Mariæ Filiam.

ARNOLDUS de Lovanio, Dominus Bredæ, cum Elisabetha Conjuge anno 1277. & 1281. vixit. Arnoldus Fratrem habuit Henricum de Lovanio, Dominum de Herstal, qui anno 1285. vixit. RASO de Gavere, Dominus de Lidekercke & Breda anno 1291. & 1300. vixit. Uxorem habuit Aleidam.

Hæc omnia certò mihi constant ex Diplomatibus, quæ vidi in Loco S. Bernardi ad Scaldim, propè Antverpiam.

- *Godefridus Bredæ & Bergarum Dominus, 1212.*
  - *Henricus anno 1267. de quo vide lib. 2. Dipl. cap. 103.*
    - *Henricus & Godefridus obierunt sine liberis.*
    - *Isabella Bredæ & Berg. Domina, nupsit Arnoldo à Lovanio, Godefridi Filio.*
      - *Aleidis Bredæ Domina, Uxor Rasonis de Gavre, Domini Lidekercæ.*
        - *Raso Dominus de Boelaer, obiit sine liberis.*
        - *Philippus Dominus Bredæ & Lidekercæ.*
          - *Adelisa Bredæ & Lidekercæ Domina, Uxor Gerardi Rassegemii.*
      - *Maria Domina Bergensis Uxor Gerardi Wesemalii.*
        - *Arnoldus Dominus Bergensis duxit N. Bouterseniam.*
          - *Mathildis Heres, Uxor Alberti de Voern.*
          - *Margarita.*

ARNULFUS & Ingelbertus de Breda anno 1125. floruerunt: ut ex nostro Codice Donat. piarum cap. 79. constat. JOANNES Dominus de Lecke & Breda anno 1390. vixit. Vide plura de subsequentibus Dominis Bergarum Lib. I. Diplom. Belg. Cap. 95.

(1) XII. VILLARUM. Sub ditione Bredana hodie continentur XVII. partim municipia, partim vici seu pagi, videlicet Oosterhout, ubi hodieque exstat insignis Prepositura Monialium Præmonstratensium, Roosendael ubi floret mercatura, Etten, Nispen, Sprundel, Haghe, Sundert, Rysberghen, Alphen, Caem, Baerle, Ginneken, Bavel, Gilse, Ryen, Donghen, & Ter-heyden cum Teteringa.

CAPUT XC.

S. ENGELBERTUS *Archiepiscopus Coloniensis fœdus renovat cum Brabantis, anno* 1217.

ENGELBERTUS, Dei gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Electus, omnibus præsentem Chartulam intuentibus salutem in Domino. Ad omnem dubietatis scrupulum resecandum, universorum notitiæ præsenti Scripto cupimus declarari, quod nos vinculum amicitiæ indissolubilis inter Ecclesiam Coloniensem & * HENRICUM Ducem Lotharingiæ, suosque Progenitores, ab antiquo habitæ, innovare invicem & corroborare volentes, ipsi de consilio Priorum & fidelium nostrorum promisimus, juramento firmantes quod contra omnem hominem .... assistemus eidem, utpote dilecto & fideli nostro, de cujus fidei puritate certa colligimus & habemus argumenta.

* Vide supra cap. 85

IPSE quoque præsentibus, tam nostris quàm suis fidelibus, versâ vice nobis pollicitus est juramento, quod nobis ad conservanda jura & libertatem Ecclesiæ Coloniensis, erga quamlibet personam, auxilium suum efficaciter impendet. Ad hujus igitur facti robur & evidentiam, præsenti Paginæ Sigillum nostrum & Ecclesiæ Coloniensis fecimus appendi. Testes sunt,

Theodoricus Major Præpositus,
Gonrardus Major Decanus in Colonia,
Gerardus Præpositus SS. Apostolorum,
Gerardus Præpositus S. Mariæ de Gradibus,
Gerardus Comes Gelrensis,
Adolphus Comes de Altena,
Otho de Wickerode,
Gerardus de Rondenaerde,
Hermannus Advocatus Coloniensis,
Hermannus Marscalcus de Alvetre,
Theodoricus Dapifer,
Bruno Pincerna,
Franco de Rothemin, & alii quàm plures.

ACTA sunt hæc Coloniæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo decimo septimo, III. Nonas Julii. 1217.

CAPUT XCI.

MATTHÆUS II. *Dux Lotharingiæ Mosellanæ promittit se soluturum debita Fratris & Prædecessoris sui Theobaldi, anno* 1220.

EGO (1) MATTHÆUS Dux Lotharingiæ, & Marchio, notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quód cùm carissimus Dominus meus (2) THEOBALDUS Comes Campaniæ Nobilem mulierem GERTRUDEM Comitissam Dasburgensem, & Metensem, relictam claræ memoriæ Theobaldi quondam Ducis Lotharingiæ, Fratris mei, acciperet in Uxorem, carissima Domina mea *Blancha* Comitissa Trecensis, & prædictus Dominus meus Theobaldus Comes, natus ejus, ex una parte, & Ego, qui prædicto Duci Fratri meo in eodem Ducatu successeram, statuimus & concessimus alter alteri bonâ fide servandum, quòd debita omnia, quæ idem Dux Theobaldus debebat Burgensibus Metensibus, communiter per medium redderemus. Ipsi verò Comitissa & Comes redderent omnia debita, quæ prædictus Dux Theobaldus debebat in Comitatu Dasburgensi. Ego verò redderem omnia alia debita, quæ Dux Theobaldus debebat.

ET si aliquis de creditoribus Ducis Theobaldi, quibus satisfacere ego teneor, per conventionem prædictam, Dominam Comitissam vel filium ejus super aliquo debito Ducis Theobaldi impeteret vel vexaret, Ego ab impetitione & vexatione illius eos liberare tenerer. Si verò aliquis de creditoribus Ducis Theobaldi, quibus ipsi Comitissa & Comes tenentur satisfacere, me super aliquo debito Ducis Theobaldi impeteret vel vexaret, ipsi tenentur me liberare ab impetitione & vexatione illius.

IN hujus itaque rei testimonium præsentes litteras fieri volui, sigilli mei appensione munitas.

ACTUM anno ab Incarnatione Domini MCCXX, mense Augusto. 1220.

CAPUT

(1) MATTHÆUS II. Lotharingiæ Mosellanæ Dux uxorem habuit Catharinam Luxeburgicam, Walerami Comitis Luxeburgensis filiam, Henrici Blondi Sororem: quorum liberos suprà cap. 71. recensui. Obiit Matthæus anno 1254. in Monasterio Belli prati conditus, cum uxore ac filio Successore Frederico II. qui Nanceii Cœnobium Virginum Dominicanarum fundavit, Tulli Chorum sive odeum Ecclesiæ Cathedralis, Monasterium Franciscanorum & Templum Dominicanorum construxit, obiitque 1303. nonagenarius.

(2) THEOBALDUS I. Lotharingiæ Mosellanæ Dux, pro Othone IV. Imperatore pugnans, anno 1214. prælio Bovinensi inter Tornacum & Insulas interfuit. Ex Gertrude Comitissa Metensi & Dagisburgensi liberos non reliquit: & ipsa Theobaldo III. Comiti Campaniæ postea nupsit. Dagisburgensis autem Comitatus est situs inter Salmam & Tabernas, Alsatiæ Oppida, in Diœcesi Argentinensi.

CAPUT XCII.

Arnulphus de Landast, *Dominus de Eynes, sive Heynes, collationem Præbendarum Eynensium cedit VValtero Marvisio, Tornacensi Episcopo, circa annum* 1220.

Ego Walterus Divinâ miseratione Tornacensis Episcopus, & Arnulphus de Landast, Dominus de Eynes, universis præsentem Paginam inspecturis notum facimus, quòd super collatione præbendarum de *Eynes* diu habita est controversia, à tempore Prædecessoris mei, bonæ memoriæ, Gosuini quondam Tornacensis Episcopi, & quòd Deo inspirante, de conscientia & assensu Capituli Tornacensis, ad pacem & concordiam negotium est perductum.

Ego Arnulphus de Landast, Dominus de Eynes, de fidelitate dicti Walteri Episcopi plenam reportans fiduciam, in ipsius ordinatione, quidquid juris habueram in collatione dictarum Præbendarum, de consensu Filiorum meorum, qui præsentes adfuerunt, liberaliter quitum clamavi. Confirmantes fide datâ, & sacramento interposito, tam Ego, quàm Filii mei, quòd in collatione dictarum Præbendarum nihil juris de cetero exigemus, sed contrà omnes homines consilium & auxilium dicto Episcopo & ejus Successoribus largiemur.....

Stemma Familiæ Landastensis, *vulgò de* Landas.

Amalricus Dominus de Landast, Amalrici filius anno 955. vixit, & liberos reliquit Amalricum (cujus in Diplomate Cisoniensis Monasterii anno 968. fit mentio) & Juditham Abbatissam Marchianensem, Diplomatum lib. 1. cap. 21. memoratam.

Amalricus Amalrici Filius, Amalrici Nepos, Dominus de Landast, ab Amita sua Juditha Abbatissa Marchianensi Vicum *Warlaing*, haut procul à Marchianis, & alia prædia anno 976. certis conditionibus obtinuit, & filium reliquit Amalricum eo nomine quartum.

Amalricus V. Amalrici IV. filius, cognomento Senior (ut constat ex Diplomate Monasterii S. Amandi anno 1099. scripto) decimas vici de *Landast*, nunc *Landas*, haut procul à Duaco siti, anno 1105. Collegio Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis dedit, & ex Emma Conjuge filios reliquit, Amalricum VI. Fulcardum primò Monachum Hasnoniensem, pòst an. 1104. Abbatem Marchianensem, & Stephanum, qui duxit N. heredem Cisonii.

Amalricus VI. Dominus de Landast & Warlaing, cognomento Junior, duxit Ermentrudem: ut constat ex Tabulis à Waltero Abbate S. Amandi anno 1120. scriptis; & liberos reliquit Gerulfum, Amalricum VII. Gerardum cognomento Innocentem, *Stephanum* Advocatum Monasterii Marchianensis, Robertum, Rogerum Advocatum Cisoniensem ibidem sepultum, & Hugonem conditorem Familiæ de Duvelande & Botlande in Hollandia.

Amalricus VII. Dominus de Landast & Warlaing duxit Alidem (ut constat ex Diplomate Everardi Avennii, Episcopi Tornacensis) & ex ea filios reliquit Amalricum VIII. Gerardum, Gosuinum, Guilielmum & Theodericum, conditorem Familiarum de Gruerie, & de Swerts apud Bruxellenses.

Amalricus VIII. Dominus de Landas & Warlaing, Advocatus Marchianensis, Donationi dicto Monasterio per Theodericum Flandriæ Comitem factæ anno 1180. subscripsit, & ex Mathilde filios reliquit, Amalricum IX. & Alardum Dominum de Gruisons, conditorem familiarum de Lannais & Fontaine. Vide suprà Dotationem Abbatiæ Landensis. Cap. 69.

Amalricus IX. Dominus de Landas & Warlaing, Advocatus Marchianensis anno 1224. vixit, ut ex Tabulis Monasterii Tornacensis S. Martini constat; & liberos reliquit Amalricum X. Margaritam & Alardum.

Amalricus X. vixit anno 1230. & 1235. & ex Margarita Domina de Bouvegnies & Roupy reliquit Ægidium, Amalricum qui in flore ætatis periit, & Joannem Dominum de Warlaing Maritum Bouscardæ Dominæ de Sainghin in Melantesia.

Ægidius Dominus de Landas & Bouvegnies, Advocatus Marchianensis, unicam reliquit filiam & heredem Beatricem, quæ nupsit Balduino Baroni de Mortaigne. Quod Oppidum, secundo lapide à Tornaco situm, idem Balduinus, cum filio Joanne, anno 1313. Philippo Pulchro Francorum Regi vendidit. Idem Rex Landastam eodem anno 1313. Baroniæ titulo honoravit.

Joannes, Balduini & Beatricis filius, duxit Mariam de Landas, filiam & heredem Joannis Domini de Warlaing: & hi filios reliquerunt Joannem & Petrum. Ex his Petrus, Baro de Landas, cognomen & gentilicia arma inversa dictæ familiæ de Landas sibi sumpsit, & ab eo stirpem trahunt hodierni Barones de Landas.

Stirps Baronum de Eyne *seu* Heyne *prope Aldenardam, ex Familia Landastensi.*

Stephanus de Landas, Almarici VI. filius, Advocatus Marchianensis, duxit filiam & heredem Athelardi Domini de Eyne.

Gerardus Stephani filius, cum uxore sua Alborge, Eynæ Presbyterorum Collegium fundavit, ibidem tumulo elatiore conditus cum eadem: post cujus obitum Equitibus Templariis se adjunxerat.

Arnulphus Gerardi filius, Baro de Eyne (*Ber de Flandre*, ut vulgo loquuntur) anno 1242. Diploma S. Martini Tornacensis signavit, & visitur in sigillo effigies equitis armati. Ex Mathilde liberos reliquit, Gerardum, Arnulphum & Ælidem.

Stirps Baronum Cisoniensium *prope Insulas in Flandria, ex eadem Familia Landastensi.*

Stephanus de Landast Almarici V. filius, circa annum 1111. duxit heredem Cisonii; & ex ea sustulit Engelbertum & Guilielmum. Engelbertus Advocatus Cisoniensis anno 1135. floruit, in Choro ibidem conditus, relictis filiis Joanne, Guilielmo & Theoderico.

Joannes Advocatus Cisoniensis ex Ermengarde Domina

na de Petegem genuit Petrum, Joannem, & N. nuptam Henrico de Hannonia, Domino Seburgi, Henrici III. Hannoniæ Comitis filio; *Teste Guisio.*

Joannes, Joannis filius, Advocatus Cisoniensis & Dominus Petegemii, sibi junxit Peronam Walteri Avennii, Advocati Tornacensis filiam, ut constat ex Tabulis Everardi Episcopi Tornacensis, Peronæ fratris, an. 1175. datis.

Joannes, Joannis & Peronæ filius, ex Maria Domini de Bourghelles & Ermengardæ Lillanæ filia, genuit Arnulphum, Jacobum, Rogerum & Amalricum.

Arnulphi filius Hellinus de Landas sororem habuit Sybillam Henrico Grimbergio, Guilielmi Ascani filio nuptam. Ex Mathilde Lillana genuit Arnulphum, qui cum uxore sua Maria Petegemium Guidoni Flandriæ Comiti circa annum 1286. vendidit.

Hellinus de Landas, Baro Cisoniensis, unicam reliquit filiam Beatricem, quæ Joanni de Oisy, Domino de Walincourt prope Cameracum, anno 1327. nupsit. Exinde Cisonium per varia matrimonia ad Werchiniam, Barbansoniam & Meluniam Familias est devolutum: possideturque hodie à Principe de Ligne.

CAPUT XCIII.

Ordinatio Walteri *Episcopi Tornacensis anno* 1220, *super Officiis Divinis in Ecclesia Eynensi prope Aldenardam, juxta Conventionem initam cum Arnulpho de Landast, de qua Capite præcedenti.*

Additio. EGo Walterus Episcopus Tornacensis, concessi pro remedio animæ prædicti Arnulphi, Uxoris suæ, & Liberorum suorum, quòd in præfata Ecclesia constituerem Capellanum, nec non & Subdiaconum, & eis stipendia assignarem, quibus sustentati in ipsa Ecclesia Domino jugiter deservirent.

Item in eadem Ecclesia tres Missæ singulis diebus, quandò commodè potest fieri, debent celebrari; prima in summo mane, ubi operarii poterunt interesse, secunda pro defunctis, tertia solemnis, sicut fieri solet in Ecclesia Conventuali.

Præterea si dictus Vir Nobilis Arnulphus in eadem Ecclesia, vel in aliis locis nostræ Diœcesis voluerit aliquas Capellanias instituere, de assensu nostro donatio ipsarum ad ipsum & heredes suos pertinebit.

Insuper si præfatus Arnulphus aliqua negotia habuerit in Diœcesi nostra, debeo ei in his bonâ fide consilium impertiri. Omnes etiam instituendi in dicta Ecclesia stationarii debent esse, excepto Diacono, Subdiacono, Scholastico & Custode, in Ordine Sacerdotali, & in propriis personis, nisi causâ studii vel peregrinationis ab Episcopo impetrata fuerit licentia, ministrare.

Si tamen ipse vel quicumque Dominus de Eynes, aut etiam uxor ejus fuerit in Villa, debet ei, si mandaverit, Missa usque ad altam tertiam reservari.

Retinuit etiam sibi altam Justitiam in Villa de Eynes extra Ecclesiam & cœmeterium, salvo jure Ecclesiæ, sicut Antecessores sui primitùs habuerunt.

Petiit etiam, ut si retro-actis temporibus aliquid in his quæ pertinent ad Ecclesiam de Eynes deliquerit, veniam sibi concederem; quòd ipsi pœnitenti indulgeo liberaliter & benignè.

Ut autem hæc Ordinatio rata maneat & posteris innotescat, sigillum meum cum sigillo Viri Nobilis Arnulphi de Landast Domini de Eynes, litteris his appendi, eorum qui interfuerunt nominibus subnotatis.

Signum Walteri Episcopi,
Hugonis Decani,
Johannis & Radulphi Archidiaconorum,
Gontheri Cathiel, Canonicorum Tornacensium,
S. Terrici Personæ de Eynes,
Terrici Capellani nostri, Presbyterorum,
Signum Arnulphi de Landast,
Rabodonis de Ruma,
Ægidii de Sohencort, Nobilium Virorum.

Actum Tornaci in Thesauraria anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo, mense Augusto. 1220.

HOc Diploma in favorem Ecclesiæ Eynensis, hactenus ineditum, accepimus ex Chartulario Cathedralis Ecclesiæ Tornacensis.

Porrò Ecclesia de Eynes, quæ nunc est sub Diœcesi Gandavensi, habet exiguum Capitulum Canonicorum, de quo etiam egimus suprà lib. 2. Dipl. Belg. c. 107. & 108

Fundationis Eynensis etiam fit mentio in Epitaphio dicti Episcopi Walteri de Marvis, qui cum gradatim ab infimo Tornacensis Ecclesiæ ministerio ad summum ejus apicem ascendisset, è vivis excessit anno 1251. Epitaphium hoc, quod vitæ ejus brevem seriem exhibet, hodieque in Tornacensi Basilica Cathedrali legitur:

Walteri meritum commendant sobria vita,
Mens humilis, simplex oculus, devotio pura,
Larga manus, doctrina frequens, afflictio jugis,
Vota crucis, Pastoris opus, Legatio plena.
Ipse bonos pueros, Moniales, ac seniores
Fundat Presbyteros, Beguinas atque Minores;
Et Comminenses ad se vocat, ac Eynenses.

C A-

CAPUT XCIV.

MACHTILDIS *Teneræmondæ Domina cum* **JOANNA** *Flandriæ Comitissa transigit super servis & albinis, & hominibus Advocatiæ anno* 1221.

EGO(1) MACHTILDIS, Domina Tenremondæ, notum facio omnibus præsentes Litteras visuris, quod talis est conventio inter me & Dominam Comitissam Flandriæ & Hanoniæ, circa terram de Alost & Tenremonde, quod neutra potest vestigare & sequi servos, neque albinos, nec hominem Advocatiæ, nec ancillam, de uno dominio in alterum, sed in feudis potest vestigare & sequi, & earum homines sequentur, ubicumque solebant.

ET est sciendum, quoad Advocatiam S. Bavonis Gandensis, quod remanet eo modo, quo fuit eo tempore, quo Comes Balduinus servabat hanc consuetudinem erga Advocatum *Wilhelmum*: idque debebit resciri per fidam inquisitionem Domini Bernardi Morselani.

HÆC conventio debet servari, si Comes non contradicat, quando erit egressus è carcere: & ut assentiatur, debet Domina Comitissa adhibere omne consilium bonâ fide. Et si Comes moriatur antequam sit liber à carcere, conventio debet servari ut scripta est. Datum Cortraci anno Domini millesimo ducentesimo 1221
vicesimo primo.

(1) MACHTILDIS anno 1244. vivere desiit, postquàm fundasset Hospitale S. Ægidii sacrum, quòd paulò pòst in Abbatiam Monialium Cistertiensium convertit. Mortuâ Matre, *Robertus Betunius* Teneræmondæ Dominium accepit. Roberto *Machtildis* filia successit, quæ Flinis prope Duacum in Monasterio Virginum Ordinis Cistertiensis quiescit, hac additâ inscriptione:

Hic jacet sepulta piæ recordationis Domina Machtildis, dicta de Betune, Comitissa Flandriæ, Advocata Betuniæ, & Domina Teneræmondæ, Uxor Illustrissimi Principis Guidonis Flandriæ Comitis, Filii Dominæ Margaretæ, Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ, hujus Monasterii Fundatricis: quæ quidem Domina Machtildis obiit circa annum Domini M. CC. LXIV. *undecimâ mensis Novembris.* 1264.

CAPUT XCV.

HENRICUS VII. *Rex Romanorum dat varia Privilegia Henrico I. Brabantiæ Duci, anno* 1222.

CAROLUS Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus & Bohemiæ Rex, notum facimus universis, quòd pro parte illustris JOANNIS, Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ Ducis, sacrique Imperii Marchionis, Principis & Consanguinei nostri carissimi, Serenitati nostræ oblata petitio continebat, quatenus sibi quandam Litteram quondam Henrici Imperatoris sexti, Prædecessoris nostri, confirmare, approbare & ratificare, de benignitate Regia, dignaremur: cujus tenor per omnia sequitur in hæc verba:

NOVERINT universi, quod cum apud Aquisgranum HENRICUS Rex Romanorum in solenni Curia sederet pro tribunali, sub frequentia Principum, præcepit HENRICO illustri Duci Lotharingiæ & Brabantiæ, & in fidelitate præstita Imperio, injunxit eidem, quod jura Imperii firmiter observaret, & in terra sua faceret observare, & hoc fecit tam per sententiam Principum, quàm per obtentum gratiæ Imperii.

INVENTUM igitur & sententiatum est ibi, quod in jure feudali omnis ministerialis feudatarius æquè judicare possit super feudis Nobilium & Ministerialium: exceptis tamen feudis Principum.....

AD hæc ibidem per sententiam fuit Duci adjudicata tutela parvulorum, usque ad XII. annum. Probationi istarum sententiarum interfuerunt hi Principes & Testes,

Sifridus Maguntinus,
(1) Engelbertus Coloniensis,
Theodoricus Treverensis, Archiepiscopi,
Cunradus Metensis & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius,
Herbipolensis & Augustensis Episcopi,
Comes de Disth,

Comes

(1) SANCTUS ENGELBERTUS Coloniensis Archiepiscopus, Engelberti Comitis Montensis seu Bergensis ad Rhenum filius, anno 1225. pro defensione Ecclesiasticæ libertatis cæsus à Frederico Comite de Altena, inter Testes hîc nominatur. Ad hunc Engelbertum, in Fastos Martyrologii Rom. 7. Nov. relatum, scripsit Oliverius Scholasticus Coloniensis librum de Captione Damiatæ anno 1219. qui exstat in Gestis Dei per Francos

Idem S. Engelbertus duos habuit Patruos, Fredericum & Brunonem, Colonienses ex ordine Archiepiscopos: teste Cæsario Monacho Heisterbacensi.

Comes Palatinus Rheni,
Comes Ludovicus de Wertenberghe,
(2) Adolfus Comes de Marka,
(3) Fredericus Comes de Althena,
Dux de Hemesberg,
Comes Lutsel de Hofstade,
Comes de Castele,
Henricus Dapifer de Walpurch,
Pincerna de Cyp,
Wernerus de Bollendia,
Gerardus de Senceka, & alii quàm plures.

Datum apud Aquisgranum in solenni Curia, in nostra coronatione, anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo secundo, mense Maio. 1222.

Nos itaque præfatam Litteram seu Privilegium approbamus & confirmamus, inhibentes &c. Datum apud Aquisgranum anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, 1349.
Indictione secundâ, VIII. Kal. Augusti; Regnorum nostrorum, Romani anno quarto, Bohemiæ verò tertio.

(2) Adolfus Comes de Marka, Frederici frater, Everardi Nepos, Frederico Comiti de Altena, in rotam acto 1226. successit in Comitatu de Altena, & filium reliquit Engelbertum Comitem de Marck & Altena.

(3) Fredericus Comes de Althena, Arnoldi Frater, Everardi suprà nominati Nepos, ob cædem S. Engelberto Archiepiscopo Coloniensi illatam, anno 1226. in rotam actus fuit: ut Cæsarius in S. Engelberti vita apud Surium narrat. Fredericus porrò duxerat filiam Walerami Ducis Limburgensis.

Stemma Comitum veterum Montensium *seu* Bergensium, Marcanorum *& de* Altena, *ex antiquis Diplomatibus concinnatum.*

- *Everardus Comes Bergensis struxis Aldebergam, pòst Monachus in Morimundo.*
- *Adolfus Comes de Altena & Berg.*
  - *Adolfus II.*
    - *Everardus Comes de Altena.*
      - *Arnoldus Comes de Altena, anno 1208.*
        - *Fredericus actus in rotam 1226.*
        - *Theodericus Episcopus Monast.*
        - *Engelbertus electus Osnabrugens. Epis.*
        - *Philippus Canon. Coloniensis.*
        - *Bruno.*
        - *Guilielmus.*
        - *Godefridus.*
      - *Fredericus Comes de Marca.*
        - *Adolfus Comes Marc. successis Frederico in rotam acto in Comitatu de Altena, obiit 1246.*
          - *Engelbertus Comes Marc.*
            - *Everardus.*
    - *Fredericus Archiepiscopus Coloniensis.*
    - *Bruno Archiepiscopus Coloniensis.*
    - *Engelbertus Comes Montensis.*
      - *Adolfus Comes Montensis 1208.*
        - *Cunigardis Uxor Henrici IV. Ducis Limburgensis.*
          - *Waleramus Dux Limb. obiit 1284.*
            - *Ermengardis Uxor Reinoldi Comitis Gelriæ.*
          - *Adolfus Comes Montensis.*
            - *Adolfus.*
      - *S. Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis.*

Marcanorum *Comitum, itemque Ducum* Clivensium, *&* Juliacensium *Stemma continuatur.*

- *Engelbertus Everardi Pater.*
  - *Adolfus duxit Mariam, Theoderici Pii Comitis Cliv. Filiam Heredem.*
    - *Engelbertus, obiit sine masculis.*
    - *Adolfus Archiep. Colon. pòst Comes Marcanus, duxit Margaritam Juliac.*
      - *Adolfus I. Dux Clivensis 1417. & Com. Marcanus duxit Agnetem Ruperti Imp. Filiam, pòst Mariam Ducis Burg. Filiam, obiit 1443.*
        - *Joannes obiit 1481. ivit Jerosolymam 1450.*
          - *Joannes II. obiit 1521.*
            - *Joannes III. duxit Mariam Guilielmi Ducis Juliacensis & Bergensis Heredem.*
              - *Guilielmus Dux Clivensis, Juliacensis & Montensis. Comes Marcanus obiit 1592.*
                - *Joannes obiit sine prole 1609.*
          - *Engelbertus Dux Nivern.*
        - *Adolfus Dominus Ravesteni, obiit 1505.*
          - *Philippus obiit 1528.*
  - *Everhardus Comes Arenberga, à quo Arenbergii.*
  - *Engelbertus Leodiensis, pòst Archiep. Coloniensis, obiit 1367.*

* Hæc Stemmata Familiarum *Marcana, Montensis, Clivensis,* ac *Juliacensis*, latiùs ac clariùs vide deducta Lib. 1. Diplomatum Belgicarum Cap. 96.

CAPUT XCVI.

EVERARDUS RADULFUS, *Castellanus Tornacensis & Mauritaniæ seu Mortaniæ Dominus, emendat & corrigit injurias Clero Tornacensi illatas, anno* 1222.

JOANNA Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, universis ..... Cum Ecclesia Tornacensis conquereretur de Viro Nobili EVERARDO RADOUL, (1) Domino Mauritanensi, Castellano Tornacensi, fideli meo, super eo quod bannos faciebat, ne terræ Ecclesiæ Tornacensis ab ipsius .... hominibus vel aliis excolerentur, & eò quod grangias Ecclesiæ Tornacensis saisiebat, & inhibebat ne quis in eis bladum triturarct, & ne quis bona eorum per Castellaniam suam deduceret vel deferret; in mea præsentia recognovit, quod talia facere non poterat, & injuriam fecerat de prædictis, & dictas illatas injurias prædictæ Ecclesiæ emendavit.

ET cum prædictus Dominus EVRARD à venerabili Patre meo WALTERO Tornacensi Episcopo esset excommunicatus pro præmissis, fide interpositâ promisit, quod staret mandato prædicti Domini Episcopi Tornacensis de emenda.

HUIC recognitioni & fidei interpositioni interfuerunt venerabiles Patres mei,

Guilielmus Dei gratiâ Remensis Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus,
Et Godefridus Cameracensis,
Et Walterus Tornacensis, Episcopi,
Et Margareta Soror mea, & Viri Illustres
W. Blesensis, & (2) Philippus Namurcensis, Comites,
Nobiles Viri (3) R. de Bethunia, & R. de (4) Croisilles, & de Aigremont,
W. Dominus de Font,
E. Dominus de (5) Barbençon,
(6) W. & E. Fratres de Linea.

ACTUM apud Hannoniæ Quercetum anno 1222. 1222. feriâ tertiâ ante Purificationem B. Mariæ.

(1) MAURITANENSI DOMINO. Mauritania seu Mortania, *Mortaigne*, municipium amplum, secundo lapide à Tornaco situm, eo ferè loco quo Scaldis & Scarpus in unum confluunt. Hujus municipii Dominus Everardus Radulfus Castrum suum in Abbatiam Ord. Præmonstratensis circa annum 1155. convertit, quæ inde vulgò *Casteau l'Abbaye* dicitur. Visiturque ibidem ejus tumulus, cum hac inscriptione: *Evrard Radoulx, Prince de Mortagne, Chastelain de Tornay, vray Edifieur de cette Eglise, est icy ensevely, en l'an* 1180.

Ceterùm Everardus iste Radoulx fuit Pater Everardi Radoul in Diplomate jam recitato memorati, ut existimo.

(2) PHILIPPUS Namurcensis Comes illo nomine secundus: de quo vide lib. 2. Dipl. Belg. cap. 80. & 82.

(3) R. De Betunia, est Robertus Betuniæ Dominus: de quo vide suprà cap. 72.

(4) CROISILLES, olim ad Montmorenciam familiam, nunc ad Comitem Middelburgensem ex gente Merodia pertinet.

(5) BARBENÇON, sive ut vulgò pronuntiant, Barbenzon sive Barbanzon, Vicus Hannoniæ, cum arce insigni, prope Bellum-montem Oppidum, gaudet titulo Principatûs ab anno 1614. & ad Familiam *de Ligne* spectat. Barbenzonii Dominus est unus ex XII. Paribus Hannoniæ; qui hoc ordine recensentur:

Avesnes, Chimay, Rœux, Petit Quevy, Barbenchon, Silly, Baudour, Lens, Rebaix, Longueville, Walincour.

(6) W. & E. de LINEA, alias de Linia vel Lignia, vulgò *de Ligne*. Est autem *Ligne* Vicus Hannoniæ, olim Comitatus, nunc Principatûs dignitate Nobilis ab anno 1602: à quo Illustris Familia Lignesia, *De Ligne*, cognomentum induit.

Ceterùm LIGNE inter XXII. veteres Hannoniæ Baronias numeratur, quæ sunt istæ:

Enghien, Leuze, Havrech, Ligne, Antoing, Werchin, Fontaine, Hamale, Kieuvrain, Barlaimont, Ville, Gomignies, Warsin, Senzelle, Condé, Hourdain, Belloeuil, Fagneulle, Bousie, Roisin, Fresne & Harchies.

CAPUT XCVII.

MACHTILDIS, *Teneræmondæ Domina, Xenodochium seu Hospitale S. Ægidii, à se structum, in Abbatiam Swivecanam, Monialium Ordinis Cistertiensis, anno* 1223. *convertit.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen. Sciat universitas vestra, tam posterorum quàm præsentium, quòd Ego (1) MACHTILDIS, Domina de Tenremonde, in spe Divinæ clementiæ, cultum Domûs Domini ampliari desiderans, Domum (2) *S. Ægidii* in Tenremonde temporibus meis factam, cum suis appenditiis, ad struendam Abbatiam Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis, liberè contuli & approbavi. Eam verò cum suis personis & possessionibus, nec non & omnibus bonis, à me vel ab aliis collatis, vel in posterùm conferendis, sub nostra, Ego & dilectus filius meus

meus Robertus, nec non & Successorum meorum protectione suscepimus.

Ut autem ampliori dicta nostra Domus gauderet beneficio, bonis à nostris feudalibus, ad opus Abbatiæ in manus nostras resignatis, scilicet terrâ Rengoti & terrâ Heribrandi, nec non & bonis à Nobis, intuitu Divinæ remunerationis, collatis, scilicet *Peerbroeck*, & *Meerbroeck*, ad nos pertinente Brulo, molendino juxta fossatum apud Tenremonde, decimâ nostrâ in *Hamme*, decimâ de *Herdebure*, & piscatione, cum una nave in aqua, quæ vocatur *Deure*, à molendinis suprà, eam donavimus. Hæc autem supradictæ Domui, sicut justè modò possidet, vel in posterum possidebit, liberè confirmamus.

Et ne aliquis supra dictæ Domui violentiam inferre attentaverit, præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine corroboravimus. Quod si quis ausu temerario nostræ donationi contraire præsumpserit, sciat se indignationem Dei Omnipotentis & nostram incursurum. Testes,

Joannes Archidiaconus Brabantiæ,
Wilhelmus Archidiaconus in Antverpia, Cameracensis Diœcesis,
Gisselbertus Presbyter de Gandavo,
Arnulphus Presbyter de Opwyck,
Wilhelmus de Betunia,
(3) Hugo de Gandavo,
Sigerus Frater ejus,
Giselbertus de (4) Rassenghem,
Joannes de Betunia,
Ægidius de Morseka,
Margareta de Tenremonde,
Margareta de Betunia,
Machtildis Domina de Rassenghem.

Actum annno millesimo ducentesimo vice- 1223.
simo tertio, quinto Idus Octobris.

(1) De Machtilde Domina Teneræmondæ, ejusque Filio Roberto, vide suprà cap. 72.

Additio. (2) S. Ægidii, Parochia intra muros Urbis Teneramundanæ sita est, spectatque ad collationem Abbatissæ Swivecanæ. Hic primò fundata fuerat Abbatia, quæ paulò post translata fuit in vicinam Parochiam de Swiveke, ut patet es duobus sequentibus Diplomatibus.

(3) Hugo Castellanus Gandensis, ejusque Frater Sigerus: de quibus consule lib. 2. Diplomatum Belgicorum cap. 105.

(4) Rassenghem. Vide suprà pag. 396.

CAPUT XCVIII.

Godefridus de Fontanis, *Episcopus Cameracensis, Abbatiam Virginum Cisterciensium ex Hospitali S. Ægidii Teneramundæ transferri mandat in vicinam Parochiam de Swiveke, anno* 1223.

Godefridus Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, Viris Venerabilibus, Affligemensi, Ninivensi Abbatibus, &c. W. Archidiacono in Antverpia salutem in Domino.

Cum ad instantiam venerabilis Machtildis Dominæ Teneræmondensis de consensu H. Personæ de Swevcke, & Walteri Presbyteri, salvo jure suo, in commodum Religionis, & utilitatem, de loco in locum infra Parochiam de Sweveke aptiorem, in Divini servitii amplificationem, de Religione in aliam devotiorem sufficienti Congregationis ordinatâ, & confirmatâ sustentatione, Hospitale S. Ægidii extra Teneræmondam situm, localiter, nec non & spiritualiter concessimus transferendum;

Vestræ, cui majora committeremus, committimus fidelitati, quatenus ubicumque expediens fuerit infra ambitum dictæ Parochiæ de Sweveke, novæ Religioni ibidem inchoandæ, non solùm Personatus; sed etiam Presbyteratûs jure per recompensationem, sive bonam æstimationem, sive per alium competentem modum, nunc salvo & in posterum salvando, & sufficienti Congregationis provisione ordinatâ, & confirmatâ, situm convenientem, & formam Religionis devotam, ac competentem, ex nostra parte concedatis, ad nos quidquid ibidem duxeritis ordinandum, ut confirmemus referentes.

Si verò vos tres non contigerit interesse, nihilominus ea duo vestrûm exsequantur, absque præjudicio juris alieni.

Datum feriâ V. post Festum B. Lucæ Evangelistæ, apud Cameracum, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio. 1223.

CAPUT XCIX.

Godefridi de Fontanis, *Episcopi Cameracensis, Diploma alterum in favorem Abbatiæ Swivecanæ datum anno* 1228.

Godefridus Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, universis præsentes Litteras visuris salutem in Domino.

Universitati vestræ notum fieri volumus, quod cum nos specialiter dedissemus in mandatis W. Affligemensi, & R. Ninivensi Abbatibus, & W. Cameracensi Archidiacono in Antverpia, ut personaliter accederent apud Swiveke, ad considerandum locum competentem, in quo posset Claustrum Sanctimonialium Cisterciensis Ordinis infra ambitem

Parochiæ

Parochiæ de Swiveke collocari, salvo jure Personæ, & Presbyteri Parochialis;

Ipsi nobis retulerunt, quod in dicta villa, ubi priùs sita erat Ecclesia Parochialis, locus esset aptus, competens, & idoneus ad prædictum Claustrum ædificandum Ordini supradicto: locus vero Parochiæ competentior, ubi prius erat Claustrum, quàm Personæ, & Presbytero satisfactum sit; sicut nobis constat per Litteras Virorum Venerabilium Abbatum prædictorum, & W. Archidiaconi in Antverpia.

Nos huic mutationi nostrum consensum adhibuimus, & adhibemus, cum favore prædictis Monialibus Episcopali auctoritate, dictum locum, ubi scilicet erat priùs Parochialis Sedes, præsentibus Litteris confirmantes.

Inhibentes arctiùs, ne quis aliquâ temeritate præsumat huic Confirmationi contraire. Datum anno Domini millesimo ducen- 1228
tesimo vigesimo octavo, feriâ quartâ post Festum S. Barnabæ Apostoli.

Additio. Hæc duo Diplomata Godefridi Episcopi Cameracensis data Abbatiæ Swivecanæ (quæ nunc est sub Diœcesi Gandavensi) adjunximus ex Teneramunda Davidis Lindani; qui liber anno 1708. reimpressus & Operibus Joann. Bapt. Grammaye annexus fuit.

CAPUT C.

Hugo *Castellanus Gandensis, ejusque Uxor* Oda, *& Filius* Hugo, *dant leges & libertatem Mariæ-kercæ Incolis, anno* 1228.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, salutem in perpetuum. Quoniam fragilis est hominis vita & labilis memoria, & ea quæ in mundo fiunt, citiùs ab humanis sensibus evanescunt; necessarium est, ea quæ ad posterorum notitiam pervenire debent, studio solerti scripto commendare.

Eapropter ego Hugo Gandensis Castellanus, Uxorque mea (1) Oda, Filiusque meus (2) Hugo Primogenitus, notum facimus omnibus tam præsentibus quàm futuris, præsens Scriptum inspecturis, quod Villam (3) *de Baserode S. Mariæ* liberam sub hac forma constituimus:

Ut inhabitantes villam liberam, mensuras quinquaginta pedum latitudinis & centum pedum longitudinis habeant: & singulæ mensuræ, singulis annis duos solidos Flandrenses & duos capones nobis & Successoribus nostris solvant....

Ut igitur præscripta rata permaneant & inconvulsa, & ab omni exactione liberrima, Sigillorum nostrorum appensione, sub jurejurando roboravimus. Actum anno Domini millesi- 1228
mo ducentesimo vicesimo octavo, mense Martio.

(1) Oda, de Vergy: ut Andreas Quercetanus in illius Gentis Historia tradit.

(2) Hugo Filius meus primogenitus: à quo scriptum est Diploma Ecclesiæ Antverpiensis, quod lib. 2. Dipl. Belg. cap. 101. legitur. Hugo iste junior, Hugonis & Odæ Filius, Uxorem habuit Mariam Gaverensem, & illâ consentiente Bornhemium anno 1250. Margaritæ Flandrorum Comitissæ vendidit. Idem Fratres habuit Sigerum & Villanum, Dominum S. Joannis ad Lapidem, *S. Jansteen*, prope Hulstum Wasiæ Oppidum: à quo cognomentum accepit Gandavia Villanorum familia, *Villain-dit de Gant*. Quercetanum in Historia Comitum Gisnensium consule.

(3) Baseroda, varia loca ad ripam Scaldis, haut longè dissita, complectitur, videlicet *Baserode, Vlassenbroeck, S. Ursmari Baesrode, S. Amandi Baesrode, S. Mariæ sive Maria-Kercke Baesrode.*

CAPUT CI.

Robertus *Betuniæ & Teneræmondæ Dominus, anno* 1228. *in compensationem dotis, Calkenam, Laernam & Masminiam dat Sorori suæ* Machtildi, *Gilberto Sottengemio, Rassegemii Domino, nuptæ.*

Ego Robertus, Advocatus Atrebatensis, Betuniæ & Teneræmondæ Dominus, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd omnia quæ habebam in Parochia de (1) Calkene, quæ Ego tenebam, & quæ à me tenebantur, dedi in feudum Domino *Gilberto de Sottenghem*, liberè cum omnibus justitiis majoribus & minoribus: excepto manso de (2) *Ravescboot*, sicut est modo clausum, exceptis etiam quindecim bonariis wastinæ.

Et sciendum, quòd homagia, quæ Ego in dicta Villa habebam, mihi remanent. Et si homines mei ibidem manentes, exercitus meos vel equitaturas non fecerint, sicut debent, vel ad placita mea non venerint; Ego pro forefacto tali, sicut homines mei judicaverint, potero pendeare super feodum, quod mei homines tenent de me:

& nullam aliam Justitiam majorem vel minorem in dicta Villa habebo.

Dedi etiam dicto Gilberto similiter in feodum omnia, quæ habebam in Parochia de *Laerne*, & quæ Ego tenebam, & quæ à me tenebantur: exceptis servis & hominibus Advocatiæ, quos Ego habeo in dicta Villa. Bona autem omnia cum alodio, quod dictus Gilbertus habebat in Parochia de (3) *Masseme*, & quod habebit in posterum, recepit ipse à me in feodum.

Et sciendum quod dictam Donationem ei feci pro mille libris, quas ei debebam de maritagio *Machtildis* Sororis meæ, quam ipse habet in uxorem. Et quia Ego *Michael* Flandriæ Constabularius, & Ego *Walterus de Ghistelle*, de assensu Domini Roberti de Betune, & Domini Gilberti de Sottenghem, prædictæ rei fuimus ordinatores, ad ipsorum petitiones, & prædictorum testimonium, sigilla nostra præsenti Scripto duximus apponenda.

Actum anno millesimo ducentesimo vicesimo octavo, mense Martii. 1228.

(1) Calkena & Masminia, vici ditionis Teneræmondensis, hodie possidentur à Familia Villana-Gandavia, ut & Rassenghemium. Laernam tenet V. N. Carolus Schoutete, aliàs van Zuylen: ut Lindanus in Teneræmonda lib. 3. cap. 3. docet.

Additio. (2) Raveschoot est Dominium situm in Pago de Calckene, item in Wettere, hodie spectans ad Familiam Villani Gandavensem cum Wettere.

(3) Masminia, hodie vernaculè *Masseme*, ditionis Alostanæ Pagus, inter Gandavum & Alostum, est inter primarias Clientelas Curiæ Teneramundanæ; possidetur à Familia Villani à Gandavo, & erectus est in Principatum anno 1652.

CAPUT CII.

Bellum-Pratum Monialium Ordinis Cistertiensis Abbatia, ad Teneram fluvium prope Gerardi-montem, anno 1228. *ab* Alide *Domina Boulariæ conditur ac dotatur. Quod anno* 1270. Margarita Constantinopolitana, *Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, ejusque Filius* Guido *anno* 1271. *ratum esse voluerunt.*

Nos Margareta, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, notum facimus universis, quod nos Litteras (1) Alidis, quondam Dominæ de (2) Boular, vidimus in hæc verba.

Ego Alidis, Domina de Boular, notum facio per hanc Chartam præsentibus & futuris, quod felici commercio commutare affectans cœlestia pro terrenis, piâ deliberatione providi in justa possessione mea locum quemdam juxta (3) *Griemeghem*, ad Religiosum Cœnobium instaurandum, in quo sanctæ mulieres, sub regimine Abbatissæ, secundùm Cistertiensis Ordinis observantias, Domino famulentur, & tam pro me quàm pro meis heredibus assiduas Domino preces fundant.

In perpetuam itaque eleëmosynam ad hoc dedi, de assensu omnium liberorum meorum, quinque bonaria in prato & nemore, in loco prædicto, ad ipsum Monasterium construendum. Item sex bonaria nemoris ibi, prope ad aisencias ejusdem Religiosi Collegii, prout sibi viderit expedire, in omnibus faciendas.

Addidi quoque ad eleëmosynam antedictam totum Jus Patronatûs Ecclesiæ de *Griemeghem*, quod ad me hereditariè pertinebat, & omnes proventus ad Personatum & Presbyteratum ejusdem Ecclesiæ pertinentes. Ita quod Abbatissa & Collegium dicti loci, qui dicitur *Bellum-Pratum*, provideant & præsentent Presbyterum instituendum ibidem, sicut Ego & Antecessores mei facere solebamus.

Superaddidi etiam reditum sex modiorum duri bladi, & decem modiorum avenæ, ad mensuram de Gerardimonte, quem habebam in villa prædicta.

Locum autem prædictum, & omnes eleëmosynas, prout dictum est, eisdem collatas ab omni exactione, servitio & justitia sæculari volui & firmavi liberas esse in perpetuum & exemptas. Nec mihi vel Successoribus meis aliquod in iis dominium vel dangerium dereliqui, sed omnia ipsis libera & quieta omnibus decrevi temporibus permanere.

Con-

(1) Alidis, sive Aleidis, Nicolai Boulariæ Domini Filia & heres, ter nupta fuit Viris Nobilissimis, ex Familiis Illustribus de *Trasegnies*, *Gavere* & *Wavrin*. Ex Ægidio de Trasegnies peperit Ægidium Nigrum, vulgò *le Brun*, regni Galliæ Comestabilem; cujus stirpem Scriptores Genealogici hactenus ignorarunt. Ex Gavrio sustulit Philippum, qui Diploma jam recitatum, cum Fratre suo Ægidio Nigro, signavit. Tertius Aleidæ maritus *Michaël de Wavrin*, cum Gisberto Sottegemio & Arnoldo Aldenardensi, controversiam finivit, quæ inter Ferdinandum Flandriæ Comitem & Gandenses de novando Senatu fuit agitata.

(2) Boular, seu Boularia, *Boulers*, illustris ac vetus Flandriæ Baronia, XII. Vicos seu Pagos prope Gerardi-Montem sitos complectitur. Penes varias olim Familias fuit, ut Boulariensem, Gavriensem seu Lidekerquiam, Bonchautanam, & Nassaviam: ut Waesbergius lib. 3. in Gerardi-Monte c. 2. fusè narrat. Nostrâ ætate Guilielmus Philippus Nassavius, Princeps Arausionensis. Boulariam vendidit Francisco Bernardino Cassinæ, marito Robertinæ de Noyelle.

Additio. Inde Boularia transiit ad Comitem de Wonsheym, qui hodie hanc veterem Baroniam possidet.

(3) Griemeghem, hodie *Grimighem*, prope Gerardimontium ad Teneram fluvium. Hoc Dominium, cum parte Raspaliç sylvæ & terra Anghiana, anno 1606. venditum est ab Henrico IV. Gallorum Rege Carolo Arenbergiæ Principi, à quo Dominium de Grimighem anno 1652. ab eodem Principe Abbatia Bellopratensis (in quo dominio hæc Abbatia sita est) pretio comparavit.

Concessi similiter, ut aisencias communes & pascuas liberè habeant animalia dictæ Domûs, sicut habent cæteri homines terræ meæ. Specialiter tamen eis concedens, ut si forsitan bannum fiat de animalibus, quæ fuerint ad damnum inventa in silvis aut pratis, ipsæ pro suis animalibus damnum tantummodo restituant, & ad nullum aliud forefactum vel bannum propter hoc teneantur.

Desiderans insuper, ut omnimodâ, quantum ad me pertinet, gaudeat libertate, liberaliter & benignè concessi, ut per totam terram meam & filiorum meorum, propriæ vecturæ, sive quælibet res earum ab omni pedagio, teloneo, sive aliis quibuscumque angariis aut consuetudinibus sint exemptæ; ut tantò devotiùs pro me & liberis Dominum deprecentur, quantò sibi uberiùs senserint me & ipsos fuisse in pluribus beneficiis liberales.

Ut autem effectus propositi tam salubris nullâ possit malignitate dissolvi, sed ad meam & heredum meorum salutem permaneat in futurum, Chartam istam proprio signavi sigillo.

Ego verò Michael Constabularius,
Ego Philippus de Boular,
Ego Osto de Trasenies,
Ego Ægidius Niger,

Heredes præfatæ Alidis carissimæ Matris nostræ, omnia prænotata favorabiliter approbantes, ea nostro consensu firmavimus nostrorum testimonio sigillorum; ut fructum salutis & eleëmosynæ consequamur cum eadem carissima Matre nostra.

Et quia Ego Raso proprium sigillum non habeo, usus sum sigillo Abbatis Gerardimontis; prædicta omnia fideliter approbans & contestans.

Ego quoque Gosuinus de Scendelbeka, maritus filiæ prædictæ Dominæ, meum apposui sigillum, pleno favore omnia prænotata confirmans.

Actum anno Incarnationis Domini millesimo
ducentesimo vicesimo octavo. 1228.

Et Nos Margareta Comitissa prædicta præfatam eleëmosynam, & omnia alia in dictis Litteris Dominæ de Boular comprehensa, grata & rata habentes, tamquam terræ Domina confirmamus. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum.

Datum anno Domini millesimo ducente- 1270.
simo septuagesimo, in die B. Laurentii.

Nos Guido, Comes Flandriæ & Marchisus Namurcensis, notum facimus universis, quòd Nos eleëmosynam & omnia alia contenta in Litteris carissimæ Dominæ Matris nostræ Margaretæ, Flandriæ & Hainoniæ Comitissæ, quibus nostræ præsentes litteræ sunt appensæ, rata & grata habemus, & ea tamquam terræ Dominus confirmamus.

In cujus rei testimonium Sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum.

Datum anno Domini millesimo ducentesi- 1271.
mo septuagesimo primo, feriâ quintâ post Festum B. Martini hiemalis.

CAPUT CIII.

Henricus, Henrici I. *Brabantiæ Ducis Filius primogenitus & in Ducatu Successor, dotat Cameram, Monialium Cistertiensium Abbatiam, prope Bruxellam, anno* 1230.

Henricus, major filius Ducis Lotharingiæ, tam posteris quàm modernis, præsens Scriptum inspecturis, in perpetuum. Notum facimus universitati vestræ, quod Nos Conventui de Camera, titulo eleëmosynæ contulimus lxxxv. bonaria terræ, in quadam silva de *Vilvordia* jacentia, ab omni jure & exactione liberrima, in perpetuum possidenda. Huic donationi Testes interfuerunt idonei,

Leonius Castellanus Bruxellensis,
Walterus de A,
Henricus Fuscus de Isca,
Derzo de Helirde,
Robertus de Angia,
Walterus Clutinc,
Walterus de Boutersem,
Wilhelmus de Borde, & alii quàm plures.

Præterea mansum xiii. bonariorum terræ, in memorata silva jacentem, quem supradictus Derzo de Hilirde Miles à Nobis jure habebat feodali, in manibus nostris resignatum ad petitionem ipsius; prædicto Conventui liberè contulimus, ab omni jure & exactione exemptum, perpetuò possidendum. Similiter quoque mansum terræ in supra dicta silva jacentem, quem antedictus Wilhelmus de Borde à Nobis jure habebat feodali, in manibus nostris resignatum, ad petitionem ipsius sæpè dicto Conventui liberè contulimus, ab omni jure & exactione exemptum perpetuò possidendum.

Duo etiam terræ bonaria in denominatâ silva jacentia, Henrico de Bins, à nobis collata, eodem modo, ad petitionem ipsius, præfato Conventui contulimus liberrimè possidenda. Ne autem hæc collatio aliquâ occasione in posterum infirmetur, Sigilli nostri appensione fecimus præsentem Paginam roborari. Actum
anno Domini M. CC. XXX. 1230.

Aliud ejusdem HENRICI *Diploma anno* 1232.

HENRICUS major Filius Ducis Lotharingiæ fidelibus suis, Villico & Scabinis de Vilvordia salutem in Domino. Satis constat dilectioni vestræ, quod Fratres de (1) CAMERA, manentes in Curia de *Holthem*, & commorantes in Allodio de (2) FILFORDIS, usum huc usque habuerunt in fodiendis turbis, ad opus domûs suæ. Unde vobis mandamus, & districtè præcipimus, quatenus prædictum usum, quem prænominati Fratres huc usque debito jure habuerunt, qui in Allodio de Filfordis commorantur, præfatos Fratres pacificè sine omni contradictione possidere faciatis. Si qui verò contra memoratos Fratres in hâc parte egerint, contra pacem nostram se acturos, & offensam nostram se certissimè noverint incursuros. Datum anno Domini 1232. 1232.

(1) CAMERA ab Henrico I. Duce nostro fundata, suprà cap. 79. & 80.

(2) FILFORDIS, nunc *Vilvordia*, Oppidum prope Bruxellam, ubi Jus Patronatûs & decimam olim possedit Capitulum B. Mariæ Aquisgrani, dono Lotharii Cæsaris. Vide supra cap. 6. harum Donat. Belgic.

CAPUT CIV.

Mons S. Mariæ, Virginum Cœnobium, à JOANNE DE MONTE *Viro Nobili, anno* 1234. *ædificatur, quod nunc Bigardia minor dicitur, prope Bruxellam.* HENRICUS, HENRICI I. *Brabantiæ Ducis Filius ac Successor,* GREGORIUS IX. *Papa, &* GODEFRIDUS *Episcopus Cameracensis suis id Tabulis confirmant.*

HENRICUS, major Filius Ducis Lotharingiæ omnibus præsens Scriptum videntibus salutem. Noverint universi, quod Nos licentiamus G. de Bellengem, Monialem, Domum ædificare juxta loca infrà nostrum dominium, & illam ædificatam recepimus in nostra custodia.

DATUM anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense Martio, apud Lovanium. 1234.

GREGORII IX. *Papæ Diploma anno* 1235. *datum.*

GREGORIUS Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Abbati Cistertiensi salutem & Apostolicam benedictionem. Piæ mentis devotio specialem benignitatem Sedis Apostolicæ promeretur, Nosque affectui laudabili, ut ad debitum effectum perveniat, favoris nostri præsidium, quantum cum Deo possumus, impertimur.

SANE dilectus filius JOANNES Miles de MONTE Nobis humiliter supplicavit, ut in Monasterio de (1) Monte S. Mariæ, quod pro peccatorum suorum remedio in fundo suo construxit de bonis propriis, & dotavit, per te institui Conventum Monialium Cistertiensis Ordinis mandaremus.

HONESTAM itaque intentionem prædicti Militis attendentes, qui diebus nostris omnes invitare cupimus ad exercenda opera pietatis, per quæ ipsorum animæ salvæ fiant, discretioni tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus si dictum Monasterium situ loci & facultatibus est congruum, ad Conventum hujusmodi Ordinis memorati, obtento Episcopi Diœcesani consensu, satisfacias piis votis Militis supradicti. Datum Viterbii XIX. Kalendas Januarii, Pontificatûs nostri anno nono. 1235.

GODEFRIDI *Cameracensis Episcopi Diploma anno* 1236. *datum.*

GODEFRIDUS (2) Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in omnium Salvatore. Notum sit universis præsentibus & futuris, quòd O. Abbatissa, I. Præpositus, G. Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Nivellensis, per suas patentes litteras Nobis demonstrârunt, quòd cùm à JOANNE Milite dicto de MONTE, in Parochia de *Bellengien*, & filia sua Priorissa de Tenremonde, Cistertiensis Ordinis, & ab aliis probis viris rogati essent, ut ad hoc adhiberent assensum, quod in Personatu suo de *Papengien*, in terra dicti Militis, in loco qui Mons S. Mariæ nunc temporis appellatur (solebat autem *Vareberge* antiquitùs nuncupari) Abbatia Monialium Cistertiensis Ordinis fundaretur....

NE caritas tepescere videatur in hoc in quo eam valeamus accendere, precibus eorum grato concurrentes assensu, prædictam ordinationem superiùs annotatam, quantum in nobis est, ratam habemus, & impressione Episcopalis sigilli confirmamus.

DATUM anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense Octobri. 1236.

Ex

EX his & aliis ſubſequentibus liquet, in Monte S Mariæ ab initio Moniales Inſtitut Ciſtercienſis reſediſſe. In Bigardia autem minore nunc reſident Moniales Benedictinæ; quas Nigras vocant à colore veſtium.

Additio. (1) MONS S MARIÆ, nunc paſſim dicitur *Bigardia minor*, eſtque Prioratus. Alia eſt *Bigardia major*. Abbatia Nobilium Virginum Benedictinarum haud procul Bruxella; de cujus Fundatione vide Cod. Donationum Piarum cap. 88.

(2) GODEFRIDUS, de Fontaine. Domini Condatenſis in Hannonia Filius. Epiſcopus Cameracenſis anno 1237. obiit. in Abbatia Valcellenſi Ordinis Ciſtercienſis propè Cameracum conditus juxta Prædeceſſorem ſuum Joannem Betunium, anno 1218. defunctum.

CAPUT CV.

GODEFRIDUS DE LOVANIO, *Dominus de Leeuwe*, HENRICI I. *Brabantiæ Ducis Filius, cum Uxore ſua* MARIA, *benefacit dicto Monaſterio Montis S. Mariæ anno* 1238.

UNIVERSIS Chriſti fidelibus tam præſentibus quàm poſteris, ad quorum notitiam præſens Scriptum pervenerit, GODEFRIDUS de LOVANIO, Illuſtris Viri Henrici Ducis Lotharingiæ Frater, ſalutem & cognoſcere veritatem.

QUONIAM ea quæ geruntur in tempore facilè oblivioni traduntur, niſi ſcripto memoriæ commendentur; ideò univerſitati veſtræ, tam ſub notione Teſtium, quàm tenore præſentium Litterarum declaramus, quòd Joannes de Zona, in noſtra & Scabinorum noſtrorum de Lewes, nec non & aliorum proborum virorum ac hominum noſtrorum præſentia conſtitutus, omne jus hereditarium, quod contingebat ei in decem bonariis terræ jacentis apud Zonam, in dominio noſtro, & ſub judicio & ſententia dictorum Scabinorum, ſive ſit plus ſive ſit minus, quæ terra ſolvit annuatim ad Nativitatem Domini quadraginta & tres denarios Bruxellenſes, & novem tertellas avenæ, cum menſura quæ dicitur *Honteiſter*, nomine censûs, ſupra quam terram contingebant & adhuc contingunt Prioriſſæ & Conventui de MONTE S. MARIÆ, Ciſtertienſis Ordinis, centum & undecim libras Bruxellenſes, ratione aſſignamenti & collationis in eleëmoſynam factæ Sorori Machtildi de Zona, Sanctimoniali loci prædicti, à prædicto Joanne Fratre ſuo, & G. Patre, & I Matre dictæ Machtildis in manibus noſtris, merâ nec non & ſpontaneâ voluntate, ad opus dictæ Prioriſſæ & Conventûs loci memorati, liberè reſignavit & abſolutè, omni reclamatione ſeu calangiâ, quæ à dicto Joanne, vel ſuis, ad præſens vel in poſterum fieri poſſet, vel exactione quâlibet omnino remotâ.

Adſtiterunt autem, cùm hæc facta fuerunt, in teſtimonium vocati

Oliverius Miles,
Goſuinus Haac,
Goſuinus de Bruchem,
Petrus de Caſſenberge,

Scabini noſtri de Lewes, ſub quorum ſententia dicta terra ſita eſt, ut ſuperiùs eſt expreſſum,

Et Stephanus de Zirembeke, qui tunc Balivus meus erat, & alii.

CUM igitur hereditas prædictæ terræ in hunc modum in noſtris manibus ſit reſignata, Nos eamdem hereditatem terræ ſæpè dictæ cum omni commoditate ac appendicio, ſub teſtimonio dictorum Scabinorum de Lewes, Prioriſſæ & Conventui prædicto loci prædicti contulimus in eleëmoſynam, ſub teſtimonio etiam multorum Chriſti fidelium liberaliter & benignè jure hereditario & ſine difficultate habendam & perpetuò poſſidendam.

ET ut hoc firmum permaneat & ratum, præſens Scriptum contulimus dictæ Prioriſſæ & Conventui, ſigilli noſtri munimine roboratum.

ACTUM anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo octavo, menſe Martio. 1238

CAPUT CVI.

THOMAS SABAUDUS, *Flandriæ Hannoniæque Comes, & Uxor ejus* JOANNA CONSTANTINOPOLITANA, *anno* 1241. *declarant, Præpoſitum Eccleſiæ S. Donatiani Brugenſis eſſe hereditarium Flandriæ Cancellarium, & Cuſtodem Sigilli. Quod anno* 1249. *Innocentius* IV. *Papa confirmat.*

INNOCENTIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio (1) PHILIPPO Lugdunenſi Electo, Præpoſito Brugenſis Eccleſiæ, Cancellario Flandriæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cupientes tuam, quantùm cum Domino poſſumus, honorare perſonam, libenter petitionibus tuis, præſertim illis, quæ tui honoris & commodi reſpiciunt incrementum, exauditionis januam aperimus.

CUM itaque, ſicut nobis exponere curaviſti, Nobilis Vir THOMAS tunc Flandriæ & Hannoniæ Comes, ac quondam Nobilis Mulier JOANNA Comitiſſa, Uxor ejus, recognoverint,

noverint, quod ratione Cancellariæ Flandrensis ad te pertinebat portare Sigillum ipsorum per te, vel quamcumque aliam personam juramento eis astrictam, cui velles illud committere, ipsis non suspectam vel odiosam, ac habere officium sigillandi, & sigillationis emolumenta percipere, ac super hujusmodi recognitione litteras suas tibi duxerint concedendas:

Nos tuis supplicationibus inclinati, quod per eosdem Comitem & Comitissam factum est in hac parte, ratum & gratum habentes, id auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis Scripti patrocinio communimus; tenorem Litterarum ipsarum de verbo ad verbum præsentibus inseri facientes, qui talis est:

Thomas Flandriæ & Hannoniæ Comes, & Joanna Comitissa, ejusdem Uxor, universis præsentes Litteras inspecturis salutem. Noverit universitas vestra, quod nos recognoscimus, quod Præpositus Brugensis, Cancellarius noster, qui pro tempore fuerit, ratione Cancellariæ nostræ, debet habere vel per seipsum, vel per aliam quamlibet personam nobis juratam, cui committere voluerit, quæ nobis meritò non videatur suspecta, vel etiam odiosa, Sigilli nostri portationem, custodiam, & officium sigillandi, & emolumenta sigillationis ejusdem; & quod idem Cancellarius debet esse de Consilio nostro juratus.

Ut autem prædicta perpetuò maneant inconcussa, præsentem Chartam Sigillo nostro fecimus roborari. Datum Sabbato post Octavam Pentecostes, anno Domini millesimo du- 1141.
centesimo quadragesimo primo.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Lugduni, II. Nonas Decembris, Pontificatûs nostri anno septimo.

(1) Philippus de Sabaudia. Præpos. S. Donatiani. ab Innocentio IV. Papa anno 1246. constitutus Archiepiscopus Lugdunensis, illâ dignitate annis XXII. gavisus est: quam anno 1268. demùm dimisit, Comitatu Sabaudiæ ad se devoluto, jure hereditario. Uxorem duxit Alcidem Burgundicam, & obiit 1284.

De Ministerialibus Flandriæ perpetuis & hereditariis, quos vulgò Officiarios *vocant.*

Cancellarius Flandriæ & Custos sigilli à multis retrò sæculis fuit Præpositus Ecclesiæ S. Donatiani Brugensis: ut ex productis jam Tabulis & aliis, in Libris Diplom. Belg. constat. Præposituram cum Episcopatu Brugensi Pius IV. Papa univit.

Comestabilis, Comès stabuli seu Constabularius fuit olim Dominus Ninhoviæ: ut ex Tabulis infrà lib. 2. ad annum 1138. recitandis intelligi dabitur. Ea dignitas posteà ad Familiam de *Wingle* transiit; hodie à Principe de Espinoy, ex gente Melunia, possidetur.

Dapiferi munus olim hereditarium fuit Dominis de *Wavrin*. Hellinus de Wavrin Dapifer suprà pag. 394. & Lib. I. Diplom. Belgic. cap. 65. memoratur. Periit anno 1191. in Syria ad Aconem; ut in Auctario Aquicinctino ad Sigeberti Chronicon legitur.

Pincerna seu Buticularius, id est, Pocillator, fuit olim Dominus Gaveræ. Raso de Gavera, Pincerna Comitis Flandriæ, anno 1186. scripsit Diploma Ninivense seu Ninhoviense, infrà à me producendum. Idem Raso (sic enim legendum, non Roso) ut Buticularius anno 1169. Tabulas Arienses lib. I. Dipl. Belg. cap. 65. signavit. Buticularius autem formatur à *Buta*, id est, *Cuppa*, vernaculè *Couppe*. Hinc Francis *Bouteiller*, qui caveæ curam habet. A Buta Flandris & Batavis *Butte* est magnum poculum

Eustathius Camerarius Flandrensis anno 1169. & 1172. Tabulas à Philippo Alsatio scriptas signavit, lib. I. Diplom. Belg. cap. 65.

R. de Wavrin, Dominus Lilerii & Seneschallus Flandriæ, anno 1193. manumissionis formulam edidit lib. II. Diplom. Belg. cap. 62. à nobis editam.

De his quatuor Aulæ Palatinæ officiis seu muneribus sic Hincmarus epist. 3. cap. 16. Post eos verò Sacrum Palatium per hos Ministros disponebatur; per Camerarium videlicet, & Comitem Palatii, Senescalcum, Buticularium, Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium unum.

De iisdem Flandriæ Officiariis etiam egimus supra Lib. I. Diplomatum Belgicorum cap. 65.

CAPUT CVII.

Hugo *Castellanus Gandensis, ejusque Uxor* Maria, *anno* 1250. *vendunt Bornhemium Margaritæ Constantinopolitanæ, Flandrorum Comitissæ.*

Universis præsentes Litteras inspecturis, Officialis Tornacensis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quòd cùm Vir Nobilis (1) Hugo Castellanus Gandensis Villam de (2) Bornhem cum Castro, homagio, reditibus, allodio, dominio quocumque, omni justitia & omnibus pertinentiis dictorum Villæ & Castri, pro pretio quattuor millium quingentarum viginti sex librarum, duodecim solidorum, & septem denariorum Flandrensium, vendiderit Illustri Dominæ Margaretæ, Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ, & werpiverit liberè & absolutè perpetuò possidendum; Mulier Nobilis Maria, Uxor dicti Castellani, in præsentia nôstra & in jure constituta

(1) Hugo Castellanus Gandensis Hosdini Dominus, & ejus Uxor Maria Gaverensis: de quibus vide Lib. II. Diplomatum Belgicorum cap. 101.

(2) Bornhem. Vide Lib. I. Diplomatum Belgicorum cap. 45. 46. 49. 50. & Lib. II. cap. 94.

ſtituta in propria perſona, propter hoc ſpecialiter venditioni & werpitioni hujuſmodi expreſsè conſenſit, & omni juri, quod in dicto Caſtro, Villa & eorum appenditiis quibuſcumque, ut ſuperiùs dictum eſt, habet vel habere poterat, ratione dotis ſuæ, ſeu aſſignamenti ſibi facti nomine dotis, vel aliqua alia quacumque de cauſſa, ad opus dictæ Dominæ Comitiſſæ, & ejus heredum ac Succeſſorum expreſsè renuntiavit, fide & juramento voluntate ſpontaneâ & ſine aliqua ..... ſuper hoc præſtitis ab eadem in manu noſtra, promittens quòd in dicto Caſtro, Villa & eorum appenditiis, ut dictum eſt, venditis, ratione dotis ſeu aſſignamenti ſibi facti nomine dotis, nullum jus de cetero reclamabit, nec contrà venditionem prædictam & werpitionem veniet in poſterum per ſe vel per alium, recognoſcens ſibi æquivalens aſſignamentum de dote ſua ſeu eſcambium alibi factum eſſe à prædicto Caſtellano marito ſuo. Et in præmiſſis omnibus renuntiavit prædicta Maria Uxor dicti Caſtellani omni juri ſibi competenti, vel quod ſibi competere poſſet in poſterum contra præſens inſtrumentum, & ea omnia & ſingula, quæ in eodem ſunt contenta. In cujus rei teſtimonium præſentes Litteras ſigillo Sedis Tornacenſis, ad inſtantiam & poſtulationem dictæ Dominæ Mariæ, Uxoris dicti Caſtellani, fecimus ſigillari.

DATUM & actum anno Domini milleſimo 1250.
ducenteſimo quinquageſimo, feriâ ſextâ antè Exaltationem S. Crucis.

CAPUT CVIII.

GODEFRIDUS DE LOVANIO *benefacit anno 1251. Monaſterio Bigardiæ Minoris Virginum Benedictinarum propè Bruxellam.*

Vide ſuprà pag. 421.

QUONIAM humana memoria labilis eſt & caduca, ea quæ geruntur in tempore, æternari ſolent munimine Litterarum.

NOTUM ſit igitur tam præſentibus quàm futuris, quod ego (1) GODEFRIDUS de LOVANIO, Dominus de Lewe, & (2) MARIA uxor mea, pro remedio animarum noſtrarum, ſex bonaria tam terræ arabilis, quàm prati jacentis in loco qui dicitur *Op-Bigarden*, ſuper Zonam, in Parochia de Lewe, quæ noſtri fuerant juris, & in quibus habuimus juſtitiam majorem & minorem, Abbatiſſæ & Monialibus de Monte S. Mariæ in puram contulimus eleëmoſynam, ad conſtruendum & ædificandum ſibi ibidem Monaſterium Monialium Ordinis Ciſtertienſis.

ET volumus quod gaudeant in dicto loco tantâ libertate & æquali, quantâ Monaſteria ejuſdem Ordinis, ubicumque ſita ſunt, in Diœceſi Cameracenſi, uſque in hodiernum diem gaudere conſueverunt. Et in hunc modum dictam terram & pratum eis liberè & cum omni jure noſtro conferimus, & quantùm in nobis eſt confirmamus.

CONCEDIMUS etiam eiſdem poteſtatem ducendi aquam prædictam, ſcilicet Zonam, quæ noſtræ eſt juriſdictionis, ſecundùm quod ſuæ placuerit voluntati. Nos verò & noſtros Succeſſores, tamquam fundatores & conſtructores dicti Monaſterii, ad defenſionem ejuſdem volumus obligari.

UT igitur hæc noſtra Donatio perpetuæ firmitatis ſortiatur vigorem, præſentem Paginam Sigillorum noſtrorum appenſione fecimus roborari. Actum anno Domini milleſimo du- 1251.
centeſimo quinquageſimo primo, menſe Aprili.

(1) GODEFRIDUS de Lovanio Henrici I. Brabantiæ Ducis Filius, Henrici II. Ducis Frater: ut ex hoc Diplomate liquet. & ſuprà cap. 79. ex Dintero docui.

(2) MARIA Uxor Godefridi de Lovanio, putatur fuiſſe Filia Walteri Domini de Ligne in Hannonia. Nonnemo dicit, ipſam fuiſſe Dominam de Baſſiny, ſeu Bauſignies in Francia: quod feudum ab Henrico IV. Francorum Rege titulo Comitatûs ornatum nunc poſſidet Familia Hornana.

Ceterùm Godefridus de Lovanio ex Maria genuit ARNOLDUM de Lovanio, qui duxit Eliſabetham, Henrici Bredæ Domini Filiam heredem. Godefridi Neptem. Arnoldi Filia ALEIDIS, Bredæ Domina nupſit RASONI de Gavre, Domino Lidekercæ, ut ſuis infra locis docebo.

CAPUT CIX.

ARNOLDUS *Dominus de Weſemale, & Uxor ejus* ELISABETH, *dant Abbati & Conventui Tungerloënſi Jus Patronatus Eccleſiarum de Weſterlo & Oelen, conſentiente Ultrajectino Cathedrali Canonicorum S. Martini Collegio an. 1253.*

VENERABILIBUS in Chriſto Fratribus ac Dominis Reverendis, Præpoſito, Decano, totique Capitulo B. Martini in Trajecto, (1) ARNOLDUS, Primogenitus Domini Arnoldi de (2) Weſemale, Miles, & ejus Uxor ELISABETH, ſalutem in Chriſto Jeſu.

QUIA memoria hominum labilis eſt, & tractu temporis.... ideò neceſſe eſt ut ea quæ ab hominibus geruntur, ſcripto perpetuo commendentur.

EA propter diſcretioni veſtræ ſignificamus, quod Nos diligenti tractatu & deliberatione providâ habitâ inter Nos, ob remedium animæ noſtræ & noſtrorum, & intuitu Dei, jus Patronatûs

* Nunc Oelen. tronatûs Ecclesiarum de *Westerlo* & de * *Oelut*, Cameracensis Diœcesis, quod à vobis habemus ad perpetuam firmam, liberè & absolutè, & sine aliqua conditione, Viris Religiosis & honestis, Abbati & Conventui Ecclesiæ B. Mariæ in Tongerlo, Præmonstratensis Ordinis, jam dictæ Diœcesis, inter vivos & præsentes conferimus liberaliter & benignè, & ad opus ipsorum in manus vestras resignamus.

Supplicantes vestræ discretioni, quatenùs eisdem Abbati & Conventui Jus Patronatûs prædictarum Ecclesiarum conferre dignemini, promittentes in verbo, veritate, & fide interpositâ, & per stipulationem solemnem, & sub periculo animarum nostrarum, quod Nos contra hujusmodi factum nostrum nullatenùs veniemus.

In cujus rei testimonium & cautelam Vobis damus præsentes Litteras, sigillis nostris sigillatas.

Actum & datum in crastino Dominicæ, quâ cantatur, *Quasi modo geniti*, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quin- 1253.
quagesimo tertio, mense Julio, Indictione undecimâ.

(1) De Wesemalia Familia, quæ olim Comitatum de Oelen & Westerloam possedit, & de Merodiis, qui illa prædia hodie tenent, lib. 1. Dipl. Belg. cap. 109. egimus.

(2) Arnoldus Wesemaliæ Dominus, nisi fallor, ex Elisabetha Filium reliquit Gerardum Wesemalium, Bergizomensis Oppidi conditorem: cujus posteritatem Diplom. Belg. lib. 1. cap. 94. descripsi.

CAPUT CX.

Joannes *Abbas & Conventus Tongerloënsis, Ordinis Præmonstratensis, promittunt Cathedrali Capitulo Ultrajectensi annuum censum seu canonem solvere, anno 1253. pro bonis acquisitis in Westerloo & Oelen.*

Universis præsentia visuris N. Dei patientiâ dictus Abbas in Tongerlo, totusque ejusdem loci Conventus, salutem in Domino sempiternam.

Quoniam memoria hominum labilis est, ideò rationabile est, ut ea quæ geruntur in tempore, ne cum tempore transeant, ad conservandam memoriam, scripto perpetuo commendentur. Quapropter universitati omnium tenore præsentium notum facimus, quòd cùm Nos bene & legitimè ab Arnoldo Milite juniore de (2) Wesemale, & ejus Uxore Elisabeth, duas partes majoris decimæ in *Westerlo*, cum jure Patronatûs Ecclesiarum de *Westerlo* & *Oelne*, (quæ omnia dictus Arnoldus & ejus Uxor ab Ecclesia & Capitulo B. Martini Trajectensis ad perpetuam firmam habebant & possidebant) de consensu & voluntate dicti Capituli, acquisierimus;

Nos dicto Capitulo, à quo prædicta bona descendunt & moventur, tenemur annuatim solvere in Trajecto duas marcas Colonienses, triginta solidos Lovanienses pro marca, in Festo B. Martini hiemalis, nostris periculis & expensis, nomine firmæ, sive censûs, sive canonis annui.....

Si verò expensas facerent, ob malam solutionem dictarum marcarum, ipsis eas restitueremus & simplici verbo ipsorum crederemus ex condicto.

Insuper Rectores dictarum Ecclesiarum, qui pro tempore ibidem instituendi existent, ipsis præsentabimus & ostendemus: quos præsentatos admittent & non recusabunt ex condicto: secundùm quod in instrumentis super hoc confectis pleniùs continetur.

In cujus rei testimonium & cautelam, dicto Capitulo præsentes Litteras dedimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas.

Datum & actum anno Domini ducente- 1253.
simo quinquagesimo tertio, crastino B. Michaëlis Archangeli.

CAPUT CXI.

Gerardus de Steynhuis *Miles dotat Campense Monasterium, Ordinis Cisterciensis, prope Rhenobercam Diœcesis Coloniensis Oppidum, an. 1254.*

In nomine Domini, amen. Omnibus in perpetuum nos Grardus de Steynhuis Miles recognoscimus, & præsentibus notum esse cupimus ac futuris universis, quod cum dilectus filius noster Joannes ad frugem melioris vitæ se contulerit in Monasterio de (1) *Campen*, Ordinis Cisterciensis, nos ad sustentationem Filii nostri & ad usum ipsius Monasterii, de unanimi consensu, pronâque voluntate heredum nostrorum, ac omnium quorum intererat, assignavimus & donavimus, assignamus & donamus in his Scriptis, Abbati & Fratribus dicti Monasterii de Campen, decimam nostram sitam in *Walecken*, quam

quam tenemus à Nobili Viro Domino nostro THEODORICO Comite de Cleve, & quondam accepimus à Nobili Viro THEODORICO Milite de *Hensberge*, dilecto Avunculo nostro, necnon quinque jugera terræ in *Meselaere*, quæ quondam nobis assignata fuerunt eum uxore nostra WALBURGA, forore Joannis Militis de Loo, vel pretium redemptionis illorum bonorum, si forsan ea redimi contigerit à quopiam.

QUÆ omnia ipse Abbas dicti Monasterii & Fratres, ad sustentationem Filii nostri, ut supradictum est, quietè & pacificè possidebunt, & fruentur ad tempora vitæ dilecti Filii nostri sæpedicti. Ipso autem mortuo, prædicta omnia, videlicet tam decima, quàm bona alia, cum Filio nostro ipsis Fratribus assignata, donata & tradita, ad nos vel heredes nostros quietè & liberè revertentur.

QUATTUOR prætcrea libras ad usum perpetuum prædicti Monasterii assignavimus & tradidimus, annuè à nobis vel heredibus nostris percipiendas. Quos tamen reditus quattuor librarum nos vel heredes nostri, sine contradictione cujuscumque, redimere poterimus omni tempore. Quod si modo, quo dictum est, nos vel heredes nostri solutionem prædictorum redituum neglexerimus, percipient Abbas & Fratres prædicti Monasterii de Campen de decimis & ceteris bonis in *Messelaere* reditus quatuor librarum, quos nos Gerardus vel heredes nostri, sub nostro damno, periculo & expensis, præsentabimus vel præsentari faciemus singulis annis in Festo B. Martini in ipso Monasterio de Campen.

ETIAM in his Scriptis promittimus Litteras ratihabitionis super præmissa Nobilis Viri Godefridi de Hensberge, consanguinei nostri, necnon Arnoldi de Alpen, consanguinei nostri, & aliorum quorum interesse poterit.

ACTUM in prædicto Monasterio de Campen, præsentibus Walburgâ Uxore nostrâ, Godefrido, Gerardo, Arnoldo, Guilielmo, Filiis nostris, Lisbetâ, Walburgâ, Agnete, Aleyde, Filiabus nostris, & de consanguineis nostris Arnoldo de Nesselraid, Joanne de Vittinckhove, Theoderico de Pallant, Militibus, aliisque fide dignis: & datum anno Redemptionis M.CC.LIV. quintâ feriâ post Pentecosten, sub 1254
Sigillo nostro, & consanguineorum nostrorum, quæ in præmissorum testimonium præsentibus sunt appensa.

(1) CAMPENSE Monasterium à Frederico Archiepiscopo Coloniensi anno 1122. fundatum est: ut ex ejusdem Tabulis libro 2. Diplomatum Belgicorum cap. 44 constat.

CAPUT CXII.

INNOCENTIUS IV. *Papa, anno 1254. in Hollandiam mittit Petrum Caputium, Cardinalem & Legatum suum, ad Guilielmum illius Provinciæ Comitem, nuper electum Regem Romanorum, ipsumque invitat & evocat in Italiam, ad suscipiendam Imperii coronam.*

INNOCENTIUS Episcopus, Servus Servorum Dei, Excellentissimo Filio (3) WILIELMO Romanorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem. Postquam Divina Potentia, suam Ecclesiam pacificare disponens, Celsitudini tuæ manifesta signa prætendat de via, per quam prosperè procedes & regnes, ita quòd (2) CONRADO, Filio quondam (1) FREDERICI olim Imperatoris, de medio sublato, alius superstes jam non sit, qui Deo Tibi propitio tuis valeat progressibus adversari: rogamus & obsecramus, & requirimus Magnitudinem tuam, paternis monitis suadentes, ut dilecti Filii nostri (4) Petri, S. Georgii *ad velum aureum* Diaconi Cardinalis & Apostolicæ Sedis Legati, communicato consilio, à ceteris difficultatibus Te explicans, ad veniendum in Italiam apparatu Regio succingaris, & festinanter ad Apostolorum limina, Deo Duce, Te transferas, ibidem circa festum Nativitatis Domini proximè venturum, recepturus solenniter de manibus nostris Imperii Diadema.....

CA-

(1) FREDERICUS II. Imperator anno 1239. à Gregorio IX Papa excommunicatur, & anno 1245. ab Innocentio IV. abdicatur Imperioque privatur. Anno 1246. jussu ejusdem Pontificis HENRICUS Lantgravius Thuringiæ creatur Cæsar, & Aquisgrani coronatur. Quo anno 1247. die 16. Februarii defuncto, Guilielmus Hollandiæ Comes anno eodem die 30. Sept. Rex Romanorum eligitur, & anno sequenti Kalendis Novembris Aquisgrani coronatur. Idem FREDERICUS II. quondam Imperator anno 1250. die 16. Decembris moritur:

(2) CONRADUS ejus Filius anno 1254. mense Junio decedit, relicto Filio Conradino sub tutela Manfredi Fratris sui illegitimi.

(3) GUILIELMUS Rex Romanorum à Frisiis anno 1256. die 25. Januarii cæsus occumbit, & Middelburgi in Abbatia Præmonstratensi sepelitur. Anni sequentis initio RICHARDUS Cornubiæ Comes, Anglorum Regis Frater, in Regem Romanum eligitur, & 17. Maii in Festo Ascensionis Domini Aquisgrani coronatur.

(4) PETRUS CAPUCIUS Romanus S. R. E. Cardinalis, Archipresbyter Basilicæ B. M. Majoris Romæ, variis Legationibus celeberrimus, migravit è vita anno 1259.

CAPUT CXIII.

HENRICUS III. *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, anno* 1258. & ALEIDIS *ejus Vidua, anno* 1263. *dotant Lovanienſe Dominicanorum Cœnobium, à ſe fundatum.*

HENRICUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, præſentes Litteras viſuris ſalutem in Domino. Noveritis quòd nos liberè contulimus, propter Deum, Fratribus Ordinis (1) Prędicatorum, in Lovanio Domino famulantibus, aream totam, quæ dicitur *Oſſenens velt*, ſitam inter Diliam & AA. retrò poſt hortum ipſorum Fratrum, pacificè & quietè ab eiſdem perpetuò poſſidendam. Hoc ſalvo, quòd Rectores molendinorum noſtrorum, quando neceſſe fuerit, pro molendinis terram vel ceſpites in area memorata recipere valeant, ſine qualibet contradictione.

IN cujus teſtimonium, & firmitatis perpetuæ fulcimentum, ſæpedictis Fratribus dedimus præſens Scriptum, ſigilli noſtri munimine roboratum.

DATUM anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octavo. 1258.

Additio. (1) PRÆDICATORES ab officio. *Dominicani* à Fundatore nuncupati, varia habent in Belgio noſtro Cœnobia, quorum ſeriem contexuimus ſupra Diplom. Belgic. Lib. 2. Cap. 95.

ALEIDIS *Duciſſæ Diploma datum anno* 1263.

(a) ALEIDIS, Dei gratiâ Lotharingiæ & Brabantiæ Duciſſa, univerſis Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quod cum claræ memoriæ Dominus HENRICUS, Dei gratiâ tunc illuſtris Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, Maritus noſter cariſſimus, in extremis agens, apud Eccleſiam dilectorum in Chriſto Prioris & Fratrum Ordinis Prædicatorum in Lovanio, ſuam elegerit ſepulturam.

NOS ob reverentiam & amorem corporis ſui, nec non & devotionem dictorum Prioris & Fratrum, quos propter ſanctam converſationem ſuam, ſincerâ amplectimur in Domino caritate, domum unam, in fundo & proprietate memoratorum Prioris & Fratrum, ex conceſſione & licentia eorumdem, conſtrui fecimus. In qua pro tempore vacaremus nobis, & abſconderemus nos à tumultuoſis curis & occupationibus mundi hujus; viſitaremus quoque interdum tumbam illius & ſepulcrum, quem ſicut viventem ſuper omnem in Deo dileximus creaturam, ſic eum in noſtra memoria jugiter bajulamus mortuum & defunctum.

SANE cum à principio Fundationis ejuſdem domûs, noſtræ fuerit voluntatis, quod præfatus Prior & Fratres illam, cum omnibus attinentiis ſuis, poſt obitum noſtrum propriis ſuis uſibus debeant applicare; illam cum attinentiis ſuis, ipſis Priori & Fratribus, ſub teſtimonio Petri & Ægidii Scabinorum Lovanienſium, noſtrorum fidelium, propter hoc ſpecialiter advocatorum, in eleemoſynam liberè & abſolutè contulimus, ob remedium animæ prænominati Ducis & Mariti noſtri cariſſimi; nihil juris in illa ac attinentiis ſuis nobis ac noſtris heredibus reſervantes: quam ad vitam noſtram pro denario uno conduximus, ſecundùm legem & conſuetudinem Opidi Lovanienſis à Priore & Fratribus antedictis.

ROGAMUS autem dictos heredes noſtros, & conteſtamur eos, per aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti, ut ipſum Priorem & Fratres ſæpiùs memoratos pacificâ poſſeſſione domûs ipſius gaudere permittant, nec eos in aliqua occaſione debeant moleſtare.

IN hujus itaque Donationis noſtræ teſtimonium eiſdem Priori & Fratribus, ſub dictorum teſtimonio Scabinorum, præſentes Litteras dedimus, Sigilli noſtri munimine roboratas. Actum & datum Lovanii, in Eccleſia prædictorum Prioris & Fratrum, coram Altari, in craſtino Paſchæ, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio. 1263.

CAPUT

JOANNES II. Brabantiæ Dux, Henrici III. Nepos, Lovanienſi Dominicanorum Monaſterio inſuper contulit planitiem jacentem juxta Cœmiterium dicti Monaſterii, ab angulo Cœmiterii præfati uſque ad molendinum in longitudine, & à Cœmiterio uſque ad aquam in latitudine: ut ex Litteris anno milleſimo trecenteſimo
1305. quinto Furæ datis didici.

Ceterùm HENRICUS III. Brabantiæ Dux, qui anno 1260. deceſſit, & Uxor ejus ALEIDIS, Monaſterii Dominicanorum in Urbe Lovanienſi Fundatores, in dicto Monaſterio quieſcunt, ſub veteri tumulo marmoreo. Henrici III. Teſtamentum, ejuſque uti & Conjugis Epitaphium ſupra lib. 1. Dipl. Belg cap. 90. leguntur.

(2) ALEIDIS, Filia Hugonis IV. Burgundiæ Ducis, Audergemum ſive Vallem Duciſſæ, Moniabum Dominicanarum Cœnobium, prope Bruxellam, ad caput Silvæ Soniæ, ædificavit. Ad Aleidem S. Thomas Aquinas ſcripſit librum De Regimine Principum & alia.

CAPUT CXIV.

GUILIELMUS GRIMBERGIUS, *Ascæ Dominus*, GUILIELMI *Filius*, GERARDI *Grimbergæ & Ninoviæ Domini Frater*, *à* GUIDONE *Flandriæ Comite donatur dominio Opdorpii*, *anno* 1258.

GUIDO Comes Flandriæ universis præsentes Litteras inspecturis salutem. Noverit universitas vestra, quod nos dilecto & fideli nostro (1) WILHELMO de GRIMBERGES, Domino de (2) Aske, & heredibus suis post ipsum, pro fideli suo servitio, quod nobis multoties impendit, dedimus in augmentum feudi sui, quod de nobis tenet, quidquid habemus apud (3) *Hupdorpe*, tam in hominibus, quàm hospitibus, reditibus, decimis, sive aliis quibuscumque rebus, cum omni justitia alta & bassa, liberè à nobis & nostris heredibus Comitibus Flandriæ tenendum in perpetuum & habendum.

IN cujus rei testimonium præsentes Litteras nostro Sigillo fecimus corroborari. Datum apud Warneston, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, die Jovis post 1258.
diem Pentecostes, mense Maio.

(1) GUILIELMUS iste heredem habuit *Robertum de Grimbergis*, Ascæ Dominum, cui Conjux fuit *Maria de Bergis*: ut patet ex Tabulis, quas Lindanusin Teneræmonda lib. 1. cap. 6. recitat. Robertus de Grimbergis, Dominus de Asca, cum Maria Uxore, dederunt ob remedium animarum suarum, & animarum Patris & Matris, Prædecessorumque ac amicorum suorum, totalem decimam suam quam habebant, vel quocumque modo postmodùm habere poterant apud *Opdorp*, cum omni jure, quod illis in eam competiit, Viris Religiosis Abbati & conventui Monasterii Loci S. Bernardi, Cistertiensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis, in veram & puram eleemosynam, donatione inter vivos: & vendiderunt iisdem quintum manipulum in eodem Pago, nihil rennentes, excepto alto dominio justitiæ suæ. Actum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo.

Mariâ mortuâ, Robertus duxit Isabellam Beloensem, eâque defunctâ tertiam adscivit Mariam Barbanzoniam. Ex quarum postrema natus Robertus, & ex Roberto Joannes, qui Ascæ Dominus fuit, anno 1372.

(2) ASCA, municipium amplum est tertio lapide à Bruxella, in via Alostana situm, Patria Judoci Badii, Typographi Parisiensis doctrinâ & libris scriptis clari, qui inde Ascensius est dictus. Henricus & Godefridus de Asca anno 1096. cum God. Bullonio in Syria ad bellum sacrum se contulerunt, teste Tyrio. Ascæ Dominus est hereditarius Vexillifer Ducis Brabantiæ, vulgò *Guidon*. Ascam hodie possidet Baro de Jauche ex familia de Cottreau. Ascam à Romanis inhabitatam fuisse, testantur Numismata Romana, quæ in campo vicino non rarò inveniuntur, & vallum Romanum in vicinia, itemque via Militaris, vulgò *Kasseye*, quæ inde Bavacum ducit.

(3) HUPDORPE, vulgò *Opdorp*, vicus est ditionis Bornhemiensis, qui in sacris subest Parochiæ de Maldere, sub Præfectura Merchtemensi ac Diœcesi Mechliniensi. Hinc de Incolis in Proverbium abiit, *Quod vivi sint Flandri & mortui Brabanti.*

CAPUT CXV.

HENRICUS ASCANUS, *aliàs* GRIMBERGIUS, *& Uxor ejus* JOANNA, *dotant Monasterium S. Bernardi ad Scaldim, prope Antverpiam, an.* 1259.

HENRICUS (1) de Hascha Miles, & JOANNA Uxor ejus, Domina * de Spineto, in spe æternæ retributionis à Domino, Viris Religiosis, Abbati & Conventui (2) Loci S. Bernardi, Cistertiensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis, qui in palude de *Moerseke*, tam pro se quàm pro Nobis, quàm etiam pro suis simul in dicta palude coheredibus, fideliter laborantes perseverant, arenam, quæ sita est in Parochia de Moerseke, in loco qui dicitur Gastella, prædictæ paludi contiguam, quam ad præsens fossatis & sepibus incluserunt, pro suis ædificiis, & aliis usibus inibi conservandis & habendis, in eleemosynam liberè concessimus, & ab omni calumnia penitùs liberatam....

* Epinoy

DATUM anno Domini millesimo ducente- 1259.
simo quinquagesimo nono, mense Junio.

(1) HENRICUS de Hascha, vulgò Asca, sive de Grimbergis, Uxorem habuit Joannam Spineti Dominam. Huic successit Gerardus de Asca, Berlegemi & Morsecæ Dominus, qui anno 1352. obiit, relictâ Filiâ Mariâ Grimbergiâ, quæ Philippo Maldeghemio Morsecam in dotem attulit: ut Lindanus in Teneræmonda lib. 3. cap. 3. fusè disserit.

(2) LOCUS S. BERNARDI ad Scaldim, Abbatia illustris Monachorum Ordinis Cistertiensis, ab Ægidio Bertholdo, Domino in Berlar, Ægidii & Catharinæ Filio, eo loco anno 1235 fundata; juxta Tabulas in Codice Donationum Piarum cap. 103 à me editas. Is Uxorem habuit Heluigem, Fratres verò Ludovicum & Godefridum. Fundationem ab Ægidio Fratre suo factam Ludovicus, in Dominio de Berlar, nunc *Ballar*, Successor, anno 1245. confirmavit, juxta Tabulas ab eo scriptas, quæ in dicto Codice cap. 103. recitantur.

Ceterùm ad dictum S. Bernardi Monasterium excitandum, primam dotem, hoc est, prœdia in *Westmal*, *Millegem*, *Broechem* & *Oudem*, cum silva *Hoidonck*, anno 1233. Guilielmo Bruxellano, Abbati XI. Villariensi, Henricus II. Brabantiæ Dux, dono dedit; quæ prœdia hodieque Monachi S. Bernardi ad Scaldim possident. Ut meritò idem Henricus Dux, primus illius Cœnobii Fundator nuncupandus esse videatur: qui & Vallem Ducis in agro Lovaniensi constituit; itemque Villare in Gallo-Brabantia, & Bancum prope Lovanium dotavit; in Villari anno 1247. conditus.

CAPUT CXVI.

JOANNES *de Arſchot dotat Gertrudanum Cœnobium Canonicorum Regularium in Urbe Lovanienſi, anno* 1260.

UNIVERSIS præſentes Litteras inſpecturis ARNOLDUS Dominus de Weſemale ſalutem & cognoſcere veritatem. Noverint univerſi, quod JOANNES DE ARSCHOT, in præſentia noſtra conſtitutus, tradidit pariter & legavit, quidquid juris habuit in jure Patronatus de *Herde* & de *Langdorpe*, Eccleſiæ & Præpoſito (1) S. Geitrudis in Lovanio, & Conventui loci ejuſdem, tenendum in perpetuum & regendum. Huic Collationi interfuerunt,

Dominus Walterus de Winghe,
Dominus Reinerus de Overdile,
Inveſtitus de Buſchele,
Fr. Hauwelcoet,
Et Godefridus de Hudienkem,
Joannes de Rethie,
Wilhelmus de Winde,
Franco de Rillar .... ejuſdem Domini de Weſemale,
Arnoldus & Adam Fratres de Thune, & quàm plures alii.

IN cujus rei teſtimonium præſentem Paginam prædictis Præpoſito & Conventui munimine Sigilli noſtri duximus roborandam. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexa- 1260.
geſimo, in die S. Thomæ Apoſtoli.

(1) SANCTÆ GERTRUDIS Cœnobium Lovanienſe, Canonicorum Regularium nobili genere ortorum, Henricus I. Brabantiæ Dux fundavit ac dotavit: cujus Tabulæ in Codice Donat. Piarum cap. 102. exſtant.

LANGDORP & WEERDA S. Gregorii, ſunt vici prope Arſchotum.

CAPUT CXVII.

Inter Cives Antverpienſes & Turnhautanos confœderatio ſtabilitur anno 1261.

UNIVERSIS tam præſentibus quàm poſteris, ad quorum notitiam præſens Scriptum pervenerit, Scabini, Jurati, & Communitates Urbium de ANTVERPIA & de TURNHOUT, ſalutem, & eorum, quæ ſubſcripta ſunt, ſententiam ſanè conſiderare.

CUM olim inter nos, ſtultorum temeritate movente, lites, odia & diſcordiæ nòn ſemel, ſed pluries habitæ fuiſſent, nos quaſi providi de futuris, conſiderantes nullum nobis hinc indè honorem, nec profectum poſſe generari; ne in poſterum his ſimilia tam facilè, ſicut hactenùs, queant accidere, ad omnem præhabitum rancorem ſopiendum, & pacem diu inſtabilem (quæ tamen bonos ſingulos & maximè Compatriotas decet) perpetualiter reformandam, præcipuè quoque propter honorem & profectum Domini noſtri; atque etiam totius terræ noſtræ amplificandum & cuſtodiendum, multiplici conſilio, quomodò id ſtabiliter fieri poſſit, utrimque requiſito, ſufficienti deliberatione peractâ;

TANDEM Omnipotentis Dei inſpirante gratiâ, in hoc conſenſimus, quòd primò & principaliter ante omnia, quidquid odii vel diſſenſionis intrà nos huc uſque habitum fuit, quomodocumque evenerit, puro corde invicem remiſimus, numquam deinceps recordandum.

QUO facto omnes pariter & ſinguli, tamquam Fratres, unanimi voluntate conjuravimus, & confœderationem mutuæ pacis atque amicitiæ fecimus inviolabiliter obſervandam.

QUOD ſi in poſterum inter homines Urbium noſtrarum contigerit aliquam diſcordiam haberi (quod abſit) Nos utriuſque rei geſtæ veritatem de plano inveſtigabimus; & à cujuſque Urbis homine inventa fuerit lis exordium acce piſſe, Scabini & Jurati illius loci hominem ſuum, cujus culpa extiterit, talem habebunt, quòd ei in quem fuit commiſſum, penes ordinationem & conſilium Scabinorum & Juratorum utriuſque Urbis, condignam pro modo culpæ faciat emendam.

CETERUM promiſimus invicem ubicumque opus habuerimus, alter alteri, ad jus ſuum conſervandum, fideliter aſſiſtere, contra unumquemque hominem, ſalvo ſemper jure Domini noſtri, ac veri heredis terræ noſtræ.

PRÆTEREA ſi alicubi terminos terræ noſtræ abbreviari perceperimus, vel jura Domini noſtri occupari, ſeu in aliquo debilitari (quod Deus avertat) hoc Dominæ vel Domino ipſius terræ, qui tunc eſſet, quanto citiùs poſſemus, intimare deberemus; ut ſi talis animi foret, quod ad hoc emendandum, atque ad debitum ſtatum reformandum inſtare vellet, ad aſſiſtendum ei, ſicut teneremur, rebus & corporibus nos ſemper paratos & benevolos exhiberemus.

SIN autem omni tempore, tamquam de propriis damnis dolentes, hujus rei deberemus eſſe monitores & conqueſtores, quouſque modo debito fieret correcta.

QUIA

Quia igitur omnia præmissa juravimus unanimiter, & volumus observare sine fine, ne à nobis ipsis vel à Successoribus nostris per negligentiam oblivioni tradantur, duobus Scriptis similibus ea commendari, & utriusque Urbis nostræ Sigillis æqualiter fecimus roborari.

Actum Lovanii Sabbato ante Purificationem B. Mariæ Virginis, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo. 1261

Sigillum Marchiæ Antwerpiensis.

Sigillum Opidi & Scabinorum de Turnout.

Similis Confœderatio hoc ipso anno 1261. facta fuit inter incolas Lovaniensis, Bruxellensis, Lirensis & Turnhautani, Oppidorum.

Ceterùm Henricus I. Brabantiæ Dux circa annum 1212, Turnhautum Oppidi jure ac privilegio donavit: ut Dioterus lib. 4. cap. 12. testatur.

Joannes Merhoutanus in Chronico Monasterii Corsendoncani (quod est Canonicorum Regularium primo lapide à Turnhautio) scribit, temporibus Antonii Brabantiæ Ducis, ob venationes in silva vicina, aliasque delicias, *Turnhautum* fuisse appellatum Bruxellam *minorem*. Arcem habet exstructam à Maria, Gelriç Ducissa, Joannis III. Ducis nostri Filia, quæ & Canonicorum Turnhauti Collegium curavit instituendum, uti & Prioratum Canonicorum Regularium in loco vicino de Corsendonc. Idem Oppidum in deliciis habuit Maria, Caroli V. Imp. Soror.

CAPUT CXVIII.

Urbanus IV. *Papa Collegia Begginarum & Reclusarum Diœcesis Leodiensis in suam protectionem suscipit, anno* 1261. *aut* 1262.

Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, universis Collegiis (1) Beghinarum & Reclusarum Leodiensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Sedes Apostolica devotas & humiles filias ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit; & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eas tamquam pia Mater suæ protectionis munimine confovere.

Eapropter, dilectæ in Christo Filiæ, vestris postulationibus annuentes, personas vestras & loca, in quibus sub communi vita degitis, cum omnibus bonis, quæ inpræsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, Domino dante, poteritis adipisci, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum hanc Paginam nostræ protectionis liceat infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Viterbii, Nonis Julii, Pontificatûs nostri anno primo.

CAPUT

(1) Beghinas seu Begginas Virgines (quarum apud Brabantos, Flandros & alios Germaniæ inferioris populos plurimæ sunt congregationes) à S. Begga, Pipini Landensis filia, S. Gertrudis Nivellensis Sorore, nomen & Institutum accepisse, vetus est traditio, à majoribus velut per manus accepta: ut ex variorum locorum manuscriptis Codicibus, & vetustis Templorum Tabellis pictis mihi constat. Habuit autem Begga conjugem Ansigisum, Majorem Domûs Regiæ: quo defuncto, Romam religionis ergò se contulit. Inde reversa, se & sua Deo mancipans, *Andennæ* ad Mosam fluvium in agro Namurcensi, anno *686*. Virginum Cœnobium excitavit ac dotavit, quod Nobilium hodie Domicellarum, ut vocant, Canonicarum est Collegium; quibus, ut & Begginis, ad nuptias transire licet.

Vide supra pag. 416.

Vide supra pag. 368.

Andennæ insuper, in memoriam septem Basilicarum Romanarum, Begga septem Ecclesias seu Capellas exstruxit, quarum hodie ista sunt nomina: B. Mariæ, S. Joannis Baptistæ, S. Petri, S. Lamberti, S. Stephani, S. Salvatoris, & S. Michaelis. Quæ quidèm Oratoria bis quotannis cum solenni supplicatione visitantur à toto Collegio Andennensi, quod xxx. Virgines Canonicas, & x Canonicos in sacris subservientes complectitur.

Ceterùm præter Urbanum IV. multi alii Pontifices Romani pios Begginarum cœtus favoribus atque indulgentiis auxerunt. Innocentius IV. Mechliniensi & Diestensi Begginagiis anno 1245. Bruxellensi anno 1247. beneficia plurima impertivit. Joannes etiam XXI. Antverpienses Begginas anno 1298. Joannes XXII. universas id genus Virgines Belgicas sibi tuendas sumpsit. Posterioris Joannis Diploma lib. 1. Diplom. Belg. cap. 100. exstat. Quæ quidem Indulta ac beneficia, novis adjectis, Apostolici Internuntii per Galliam Belgicam plurimi, suo quisque ordine, cumularunt. In his quidem Petrus Capuctius Cardinalis Bruxellensem Societatem anno 1254. suâ auctoritate coram stabilivit, & Antverpiensem Hugo Barcinonensis anno 1252. amplis indulgentiis ornavit.

Nec Pontificibus eorumque Legatis Principes hac in re fuerunt inferiores. Narrat Thomas Cantipratanus, S. Ludovicum Galliæ Regem, ut erat virginitatis amantissimus, maximam Lutetiæ Parisiorum Begginarum multitudinem collegisse: Philippum insuper Montmirallium, Virum Nobilem, & Monasteriorum VIII. Ordinis Cisterciensis conditorem, Begginarum quinque ampliùs millia, diversis in locis, Christi jugo mancipasse. Joannes certè I. Brabantiæ Dux Liranas Virgines anno 1274. Bruxellenses anno 1293. opibus juvit, & patrocinio suo complexus est. Idem Joannes II. aliique ex ordine Duces nostri præstiterunt.

Joanna Constantinopolitana Flandriæ Comitissa anno circiter 1234. Begginagia duo, Gandavi unum, Brugis alterum excitavit. Nec illi Sophia Mechliniæ Domina pietate cessit, quæ Begginagiò ad Urbis muros amplificando latifundium, ædesque suas liberaliter contulit; quod mox in Oppidi penè magnitudinem excrevit.

CAPUT CXIX.

URBANI IV. *Pontificis alterum Diploma in favorem Beghinarum Leodiensium, datum anno* 1261, *aut* 1262.

URBANUS Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio, Decano Leodiensi salutem & Apostolicam benedictionem. Pium esse dignoscitur, ut gloriantibus in malitia per Nos taliter obsistatur, quòd repressis eorum insultibus vacantes Divino cultui liberiùs possint in observantia Mandatorum Domini delectari. Cùm itaque dilectæ filiæ (1) Beghinæ & Reclusæ Leodiensis Diœcesis à nonnullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, prout accepimus, diversis affligantur molestiis & pressuris, Nos carum providere quieti, & malignorum malitiis obviare volentes, discretioni tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenùs præfatis Beghinis adversus raptorum, prædonum & invasorum audaciam efficaci præsidio defensionis assistens; non permittas ipsas in personis & bonis suis ac litibus molestari; molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo, præsentibus post triennium minimè valituris.

DATUM Viterbii, V. Idus Julii, Pontificatûs nostri anno primo.

Additio. (1) BEGHINÆ, habent Leodii antiquissimum totius Belgii Beghinagium in Parochia S. Christophori fundatum à Lamberto Beghio Presbytero Leodiensi anno 1179. Sunt eędem Regulæ, uti in aliis Begginagiis; diebus autem Dominicis & Festivis frequentant jam dictam Parochiam. Plura fuerunt minora Beghinagia (circiter 15). in plerisque Parochiis Urbis Leodiensis: sed vel ob defectum inhabitantium, vel ob tenuitatem fundationum modo desierunt, vel in alios usus conversa sunt. *Vide Abbatem Ryckelium in Vita S. Beggæ.*

CAPUT CXX.

AVEZOETA *Vidua* VILLANI *Militis (qui fuit Frater* HUGONIS *Castellani Gandensis) cum Filio suo* ALEXANDRO VILLAIN, *benefacit Monasterio Baudeloënsi, Ordinis Cisterciensis, anno* 1262.

UNIVERSIS præsentes Litteras visuris (1) HUGO Castellanus Gandensis & Dominus de Hosdino salutem. Universitati vestræ volumus esse notum, quòd bonæ memoriæ Balduinus Inghelosenberge, Miles, contulit in eleëmosynam Viris Religiosis, Abbati & Conventui Ecclesiæ B. Mariæ de BAUDELOO, de consensu Uxoris suæ, decimam, quam ibidem Balduinus habuit, jacentem in Parochia S. Joannis de Steene; quàm ibidem Balduinus tenuit ab Adeliza de Overmeer, & dicta Adeliza à Domino (2) VILLANO Milite, Fratre nostro, & idem Villanus à nobis in feudum.

NOS verò dictam collationem ratam habentes, concessimus plenariam potestatem Dominæ AVEZOETÆ, relictæ prædicti Domini Villani, & ALEXANDRO primogenito ejus, quitandi & quitum clamandi, ad opus dictæ Ecclesiæ, quandocumque voluerint, omne jus quod ipsi habent in dicta decima, quocumque modo eis competere posset....

ACTUM & datum anno Domini millesio ducentesimo sexagesimo secundo, feriâ secundâ post Trinitatem. 1262.

CAPUT

(1) HUGO Castellanus Gandensis. Idem Hugò Bornhemium Margaritę Flandrorum Comitissę vendidit: ut suprà cap. 107. docui. Idem cum Uxore sua Maria anno 1243. ad usum Ecclesiæ Antverpiensis suos servilis conditionis in Wasia homines manumisit, sub annuo censu capitali: ut patet ex ejusdem Tabulis, quas lib. 2 Dipl. Belg. cap. 101. produxi Ibidem posteros ejusdem Hugonis recensui, & ostendi quâ ratione Castellania Gandensis ad Familiam Meluniam sit devoluta.

(2) VILLANUS, Hugonis Castellani Frater, Uxorem habuit Avezoetam, & ex ea filium primogenitum Alexandrum. Fuit Dominus non Bornhemii, sed arcis S. Joannis ad lapidem, vulgò *S. Jans steen*, prope Hulstum Wasiæ Oppidum: quam arcem hodieque possidet Gandavia Villanorum familia, à dicto Villano cognomen & stirpem trahens; *Villain dict de Gant*, aut *De Gant dict Villain.*

CAPUT CXXI.

Alexandri Villain, *Militis (de quo Cap. superiori) Diploma in favorem prædictæ Abbatiæ Baudeloënsis Ordinis Cisterciensis, nunc Gandavi, datum anno* 1279.

Universis præsentes Litteras visuris Ego Alexander dictus Villain, Miles & Dominus de Steene, & Uxor mea salutem in Domino. Noveritis, quòd nos Ordinationem factam, inter Viros Religiosos Abbatem & Conventum B. Mariæ de (1) Baudeloo ex una parte, & bonæ memoriæ Dominam Avezoetam Matrem meam, & me, ex altera, bene & competenter sigillatam, diligenter inspeximus, in hæc verba:

Universis præsentes visuris Avezoeta relicta quondam Domini Villani de Gandavo, Militis, & Alexander primogenitus ejus, salutem in Domino sempiternam. Universitati vestræ tenore præsentium significamus, quòd nos decimam sitam in Parochia de Steene..... *ut suprà.*

Nos verò super Ordinatione præmissa calumniâ subortâ, attendentes & cognoscentes dictam Ordinationem legitimè & modo debito fuisse completam, Ecclesiam de Baudeloo prædictam, pro nobis & nostris heredibus, ab omni calumnia quitamus, & quitam clamamus; promittentes bonâ fide, & sub pœna in dicta Ordinatione apposita, quòd contra dictam Ordinationem per nos vel per alios nihil attentabimus in futurum. In cujus rei testimonium & munimen, præsentibus Litteris sigilla nostra duximus apponenda.

Datum anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono, mense Augusto. 1279.

Additio. (1) Baudeloo Abbatia, quæ ab anno 1585. subsistit Gandavi, primitùs cœpit fundari in Wasiæ pago *Sinay*, non procul Hulsto, à quodam Balduino de Bocla, Monacho Benedictino Bladiniensi. Hic adjutus à Balduino Flandriæ Comite, aliisque Nobilibus, dictum locum anno 1199 ædificare & incolere cœpit, indito nomine, *Baudeloo*, quasi dicas *Balduini Laus*; vel *Balduini Sylva*; hoc enim Flandricè sonat *Baudeloo*.

Socios novem sanctæ conversationis habuit Balduinus, qui primò gessère habitum S. Benedicti, usque ad annum 1235. quo ad Cisterciensem Regulam transière. Superfuit Balduinus de Bocla usque ad annum 1200, post quem, Prioris titulo præfuit Gulielmus; ac dein Abbates ab anno 1235.

CAPUT CXXII.

Godefridus de Cruningen, *ejusque Uxor* Oda, *& Filii* Hugo *&* Walterus *benefaciunt Cœnobio Tungerloënsi, anno* 1263.

Universis præsentes Litteras visuris Godefridus de Cruningen, Miles, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quòd cùm inter Nos & Nobilem Mulierem Odam Uxorem nostram ex parte una, & viros Religiosos Abbatem & Conventum de Tongerloo, Præmonstratensis Ordinis, ex altera, super quadam parte decimæ Ecclesiæ de *West-Tilborch*, & Juris Patronatûs ejusdem, in quibus ratione Uxoris prædictæ nos habere jus asserebamus, orta esset materia quæstiónis; tandem precibus & exhortationibus proborum, Nos, Uxor nostra prædicta, ac Liberi nostri (1) Hugo Miles & Walterus, dictæ quæstioni seu liti cessimus, nostrâ sponte; omne jus nostrum, si quod habebamus,

(1) Hugo & Walterus de Cruninghen, Diploma ab Arnoldo de Lovanio, Bredæ Domino anno 1277. & 1280. scriptum signaverunt, cum Henrico de Assche & Henrico de Duffel.

Additio. Familia de Cruyninghen originem suam trahit ex Familia de Berthout per stirpem Dominorum de Assche. Nam Godefridus Dominus de Assche anno 1181. duos habuit filios Henricum & Walterum, quorum secundus ductâ ultimâ Familiæ Cruyninganæ herede primus nomen de Cruyninghen assumpsit, per quem deinceps hæc Nobilis Dominorum de Cruyninghen Familia continuavit, ut habet M. Smallegange in *Cronico suo Zelandiæ parte 1. libro 5. fol. 713.*

Hæc Familia de Cruyninghen per nuptias copulata fuit præclarissimis Belgii Familiis. Smallegange *ibidem*, ad quem brevitatis causâ remitto.

Habuit Sago illustres *Godefridum* anno 1258. Equitem (de quo Butkens *in libro 4. de Trophæis Brabant.* & Boxhorn *parte 2. pag. 607.*) hujus Diplomatis authorem. *Hugonem* ejus filium pariter Equitem anno 1289, item 1294. *Joannem* filium Hugonis etiam Equitem anno 1308. *Arnoldum* filium Joannis similiter Equitem anno 1338. qui in prælio juxta Staveren cum Comite Willelmo contra Frisios occubuit anno 1345. *Joannem* item filium Arnoldi Equitem anno 1368. & denique *Joannem Adriani* Burgravii Zelandiæ filium, Maximiliani Imperatoris Consiliarium & Cubicularium, qui anno 1491. per Philippum Archiducem Austriæ creatus est Eques Aurei Velleris. Ita Chiffletius *in suis Insigniis Equitum Aurei Velleris fol. 65.* Hujus filius *Judocus* de Cruyninghen Paulum Loenkens Lanionem (qui Lovanii seditionem excitaverat) fugâ in Zelandiam delatum, prodentibus Ludovici Pinnocci celeberrimi illius Pretoris Lovaniensis litteris, capite mulctavit. *Ita* Petrus Divæus *Rerum Lovaniensium lib. 4. de sedit. prædicta.*

Superest hæc Nobilis Stirps de Cruyninghen Lovanii

bamus, vel habere poteramus in præmissis, ob remedium animarum nostrarum, dictis Abbati & Conventui liberè conferentes, tam eidem juri, quàm proventibus seu fructibus exindè perceptis, nihil penitùs Nobis in eis retento, renuntiantes in perpetuum, & effestucantes.

Huic facto interfuerunt Nobiles Viri,
Jacobus de Pubeto,
Petrus de Berfele, &
Henricus Frater suus, Milites,
Balduinus de Stevenisse,
Andreas Decanus Lovaniensis,
Thomas Decanus Bekensis,
Joannes Crabort,
Ingelbertus de Antverpia, & alii quâm plures Clerici & laïci.

In cujus rei testimonium præsens Scriptum dictis Abbati & Conventui sigillo nostro dedimus communitum.

Actum & datum anno Domini millesimo 1263.
ducentesimo sexagesimo tertio, mense Maio.

per *Joannem* de Cruyninghen qui ductâ Gertrude de Dieve filia Jacobi & Gertrudis de Wyckhuyse, uti patet ex Registris dictæ Urbis de data 19. Martii 1556. in 2. rerum suarum summam ibidem collocaverat. Hujus Filius Theodorus de Cruyninghen Sepulturam suam apud Augustinianos ibidem elegit, ubi etiamnum Insignia in Choro conspiciuntur: scilicet Scutum aureum palo tergemino nigro impressum: Apex auream gestans Coronam, è qua aureum prominet Tripleroma, in cujus medio Herma virilis Æthiopica, diademate argenteo, vestibus scutario symbolo pictis: Plumarius ornatus auro & nigro tinctus.

CAPUT CXXIII.

Mathildis, *Artesiæ & S. Pauli Comitissa, Roberti I. Artesiæ Comitis Vidua, consentiente secundo suo marito Guidone de Castellione, anno* 1266. *fundat dotatque Capellaniam in Castri Lensensis Capella, à dicto Comite Roberto ædificata.*

Universis præsentes Litteras inspecturis (1) Mathildis, Atrebatensis & S. Pauli Comitissa, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quòd talis est continentia Chartæ, quam nobis venerabiles & discreti viri, Capitulum Ecclesiæ B. Mariæ Lensensis, & Curati Parochiæ, ad petitionem & supplicationem nostram devotam, super fundatione Capellaniæ Castri Lensensis, concesserunt sigillis suis communiri.

Nos Mathildis, Atrebatensis & S. Pauli Comitissa, notum facimus universis, tam præsentibus quàm futuris, quòd nos de consensu & voluntate carissimi Domini & mariti nostri Guidonis de Castellione, Comitis S. Pauli, & Venerabilium Virorum Capituli B. Mariæ Lensensis: qui infra metas Parochiæ Lensensis jus Patronatûs habere noscuntur, nec non ex voluntate & consensu Curati Parochiæ supradictæ; ob remedium animæ nostræ, & animæ bonæ recordationis Roberti Comitis Atrebatensis, quondam Domini nostri & mariti, & pro cunctis fidelibus defunctis, Capellaniam unam instituimus & fundavimus in Capella Castri Lensii, quam in eodem Castro idem Comes Robertus ædificavit & construxit:

Dotantes ipsam, ad perpetuæ stabilitatis fundamentum, de septem viginti (2) R. avenæ, ad mensuram de Merc, Morinensis Diœcesis, capiendis & percipiendis singulis annis & in perpetuum à Capellano, qui in ea pro tempore deserviet, super decimam nostram de Merc, quæ vocatur de Hekeleberge, ad terminum in solutione dictæ decimæ consuetum; Nos & heredes nostros dicto Capellano & ejus Successoribus, ad solutionem dictæ avenæ, in perpetuum obligantes.

Dictus autem Capellanus residere in loco, Horas canonicas dicere, & quâlibet die celebrare tenebitur, nisi legitimum habuerit impedimentum. Tenetur insuper Capitulo prædicto præstare juramentum, quòd juri Parochiali in aliquo non detrahet, & quòd omnes oblationes, obventiones & legata, & alia sibi ratione Capellaniæ obvenientia dictis Capitulo & Curato fideliter reservabit, nihil inde sibi appropriando seu etiam retinendo,

Item quòd nullum Parochianum seu alium ad Ecclesiasticum Sacramentum recipiet, nisi de Capituli & Curati licentia, aut ipsorum expressa voluntate. Nobis verò & heredibus nostris collationem dictæ Capellaniæ in perpetuum retinemus; salvo in omnibus dicto Capitulo jure Patronatûs in aliis Ecclesiis Capellaniis ædificandis seu etiam fundandis.

Nec est prætermittendum, quòd propter hujusmodi Capellaniæ institutionem, juri Curati Parochiæ S. Joannis in Ecclesia Lensensi, qui in Capella prædicta ad submonitionem Domini celebrare tenetur, quando Dominus est in Villa, non intendimus in aliquo detrahi, quin annuatim sex (3) mencaldos frumenti, in horreo Domini à Ballivo Lensensi, sicut solitum est, percipiat, & liberationem panis, vini, cibariorum avenæ & candelæ habeat, sicut antea habuit

(1) Mathildis Henrici II. Brabantiæ Ducis filia, primùm Roberto I. Artesiæ Comiti, S. Ludovici Francorum Regis Fratri, post Guidoni Castellionæo (quem Sperius Galterum nuncupat) Comiti S. Pauli nupta anno 1288. decessit, in Caricampensi Monasterio Ordinis Cisterciensis, juxta Guidonem condita.

(2) R. avenæ. Id est, Rasenis. *Rasieres:* est genus mensuræ apud Gallo-Flandros & Francos.

(3) Mencaldus, alia mensura frumentaria apud Atrebatenses.

buit qualibet die, quando Dominus Lensensis est apud Lens aut moratur. In cujus rei testimonium & munimen præsentes Litteras sigillo nostro duximus sigillandas.

Nos autem tam Guido Comes, quàm nos Capitulum & Curati prædicti, ad petitionem & supplicationem prædictæ Comitissæ, fundationem dictæ Capellaniæ, sub forma & articulis prænotatis approbantes, eisdem Litteris & sigilla nostra, unà cum sigillo Comitissæ prædictæ, duximus apponenda.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, mense Aprili. 1266.

Ut autem omnia prædicta, sub forma & articulis expressis, maneant inconcussa, & ne supradictis Capitulo & Curatis aliquod præjudicium in posterum propter fundationem Capellaniæ hujusmodi, generetur, nos eis præsentes Litteras sigilli nostri munimine dedimus roboratas.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, mense Aprili. 1266.

CAPUT CXXIV.

Henricus, Henrici III. *Brabantiæ Ducis Filius primogenitus, eò quòd esset ad regimen inidoneus,* Joanni *Fratri suo secundò genito cedit & donat jus omne quod habebat ad Ducatum Brabantiæ, anno* 1267.

Nicolaus Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, Henricus Haffliginensis, Bernardus Villariensis, Alardus de Parco, S. Benedicti, Cistertiensis & Præmonstratensis Ordinum Abbates, Isabella Abbatissa sæcularis Ecclesiæ Nivellensis, Balduinus de Avesnes Dominus de Bellomonte, Walterus Dominus de Enghien, Walterus Bertout Dominus Mechliniensis, Arnoldus Dominus de Wesemale, Arnoldus Dominus de Waelhem, Boigaldus Dominus de Falais, universis præsentes Litteras visuris salutem.

Noverit universitas vestra, quòd Henricus primogenitus Filius Henrici quondam Ducis Brabantiæ, magnæ memoriæ, in nostra propter hoc & plurium Militum & Burgensium & aliorum hominum terræ Brabantiæ constitutus præsentia, jus quod habebat, vel quod sibi competebat in Ducatu Brabantiæ, & ejus attinentiis sive pertinentiis, in homagiis, hominibus, Opidis, Villis, Castris, censibus, reditibus, teloneis sive pedagiis, & aliis juribus, quocumque nomine censeantur, Joanni Fratri suo secundò post ipsum genito liberè & spontaneè donavit, donatione inter vivos, nihil juris sibi reservans in iisdem, præmissa guerpivit & effestucavit ad opus Joannis prædicti.

Juravit etiam Henricus supradictus, tactis Sacrosanctis Evangeliis, quòd contra donationem hujusmodi in posterum non veniret, & homines terræ prædictæ præsentes & absentes à fidelitate & homagio, quæ sibi præstiterunt seu fecerunt, etiam absolvit; rogans & monens homines dictæ terræ Brabantiæ feudales & alios, in donatione prædictâ præsentes, etiam & absentes, mandansque eisdem, ut dictum Joannem Fratrem pro Duce Brabantiæ tenerent & haberent, & eidem tamquam Duci obedirent & servirent, sibique homagium præstarent & fidelitatem exhiberent.

Joannes etiam antedictus homines dictæ terræ Brabantiæ feudales, Nobiles & alios præsentes in ejusmodi donatione, quosdam specialiter & nominatim, alios verò in generali rogavit & monuit, ut sibi tamquam Duci Brabantiæ homagium præstarent & fidelitatem.

Nos igitur ad petitionem instantem dictorum Henrici & Joannis Donationem prædictam & factum hujusmodi insinuamus universis: & in prædictarum rerum testimonium, ad petitionem ipsorum Henrici & Joannis, sigilla nostra Litteris præsentibus sunt appensa.

Actum & datum apud Cameracum, anno millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, feriâ tertiâ antè Ascensionem Domini. 1267.

CAPUT CXXV.

Richardus *Rex Romanorum Cessionem seu Donationem superiore Capite productam approbat, anno* 1267.

Richardus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, Venerabili Cameracensi Episcopo, Principi & Cancellario suo carissimo, ac Nobili Viro Balduino de Avesnis, dilecto Consanguineo & Fideli suo, gratiam suam & omne bonum.

Ex fide dignorum relatione didicimus, quòd Illustris sive spectabilis Henricus, tunc Dux Brabantiæ appellatus, naturâ sit usque adeò destitutus, utpote corpore imbecillis existens, virtutibus, animi solertiâ, providentiâ quoque deficiens, quòd nequaquam sit aptus aut habilis, ut existat in tanto Culmine dignitatis, quòd velut Princeps Imperii Ducatûs honore refulgeat,

nec servitium nostræ Majestati debitum Nobis & Imperio valeat exhibere.

Ac idem Henricus ab omni emancipatus tutela, totaliter & secundùm consuetudinem terræ Brabantiæ, tam provectæ existens ætatis, ut suam hereditatem gerere, ac in ea ministrare potuerit, absque tutoris sive mamburditoris auxilio, si defectus ipsius & impedimenta hujusmodi non obstarent; ductus consilio saniore, JOANNI Fratri suo minori natu, secundò genito, qui bonæ indolis dicitur, probitatis eximiæ virtuositate præpollens, ob caussas prædictas, coram Nobis ac aliis pluribus Nominis & Imperii Romani fidelibus, liberè donavit inter vivos omne jus, quod habuit in Ducatu Brabantiæ & Lotharingiæ, quocumque nomine censeantur, videlicet homagiis, terris, villis, castris, pedagiis, fortalitiis, & breviter cum omnibus annexis eidem Ducatui Brabantiæ & Lotharingiæ, quocumque nomine censeantur.

SUPER quibus utique Illustris Vir HUGO Dux Burgundiæ, Avus maternus prædicti Henrici, & inclyta ALEIDIS Ducissa Brabantiæ, Genitrix memorati Henrici, carissima Princeps nostra, Nobis humiliter supplicârunt, ut Donationem eamdem, quam dictus Henricus eidem Joanni Fratri suo sic fecit, acceptam haberemus & gratam, ipsamque Donationem nostris Sacris Apicibus muniremus.

Nos igitur eorumdem benignis precibus benigniùs annuentes, Sinceritati vestræ præsentium tenore committimus & mandamus, quatenùs finibus Brabantiæ vestram præsentiam vicinantes, si preces veritate nituntur, & de consensu benevolo & voluntate communi Aleidis Ducissæ Brabantiæ, Baronum, Magnatum, & communium Opidorum Ducatûs ejusdem, vel majoris & sanioris partis, eò processerit, vice nostrâ Donationem hujusmodi factam inter vivos eidem Joanni ab eodem Henrico, seu resignationem, aut cessionem hujusmodi de prædicto Ducatu Brabantiæ & Lotharingiæ, cum omnibus pertinentiis, prout superiùs est expressum, solenniter acceptare & approbare curetis:

ET de dicta Donatione, per vestras patentes Litteras, insinuationem universis & singulis faciatis, & ab eodem Joanne, loco nostri, cum solennitate quâ decet, recipiatis homagium, & fidelitatis debitæ juramentum: tali conditione adjectâ pariter & expressâ, videlicet quòd quàm citò infrà fines Regni Alemanniæ nobis adesse contigerit, dictus JOANNES, tanquam Princeps Imperii, homagium & fidelitatis hujusmodi juramentum nobis præstare teneatur, ad primam requisitionem nostram.

QUIBUS peractis legitimè prænotatum Joannem de prædicto Ducatu, loco nostro, curetis solenniter investire. Et quia majus sigillum nostrum, propter guerrarum discrimina, penes Nos non habemus, ad præsens minori sigillo nostro præsentes Litteras jussimus communiri.

DATUM in Castris Straffordiæ propè Londinium, III. die Junii, Indictione x. anno Domini MCCLXVII. Regni verò nostri anno x. 1267.

RICHARDUS Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, universis Sacri Romani Imperii fidelibus, præsentes Litteras inspecturis, gratiam suam & omne bonum. Ad universorum notitiam cupimus pervenire, quòd constitutus nuper in nostra præsentia Illustris JOANNES Dux Brabantiæ & Lotharingiæ, dilectus Princeps noster, Ducatum Brabantiæ & Lotharingiæ, quem à Nobis ratione Imperii tenere debet in feudum, à Nobis tamquam à Romano Rege, cum solennitate consueta & debita, recepit in feudum, & exinde Nobis homagium præstitit, & fidelitatis debitæ juramentum, dotalitio sive doario aut dote Nobilis Ducissæ ALEIDIS, Matris suæ, semper salvis.

QUI quidem Dux in eadem receptione sui Ducatûs, coram Nobis, & præsentibus plurimis inferiùs adnotatis, confessus fuit publicè, quòd recognovit prædictam Ducissam Matrem suam dotatam fuisse ab HENRICO, inclytæ recordationis quondam Duce Brabantiæ, Patre suo, in Villa GELDONIENSI, & ejus pertinentiis, ac in locis circumadjacentibus & vicinis, reditibus trium millium librarum Lovaniensium, & in Villa de *Genapia*, & ejus appendiitiis quingentarum librarum ejusdem monetæ, annis singulis jure dotalitii possidendis. Quam quidem dotem sive dotalitium, aut duwarium, Matri suæ prædictæ in manus nostras humiliter reportavit.

NOS itaque, qui debemus & tenemur quibuslibet fidelibus nostris inveniri & in justitia faciles, & in gratia liberales, dotem hujusmodi seu dotalitium, sive duwarium, in manus prædictæ Ducissæ reddidimus, & ea eidem Ducissæ Regali Auctoritate concessimus ab ipsa jure dotalitii liberè possidenda. Testes qui interfuerunt sunt hi:

Venerabilis NICOLAUS Cameracensis Episcopus, dilectus Princeps & Cancellarius noster;

Nobiles Viri.

Walterus Dominus de Ainghien,
Walterus dictus Berthout, Dominus de Mechlinia,
Henricus dictus Berthout, Frater ejus,
Arnoldus Dominus de Diest,
Arnoldus Dominus de Wesemale,
Henricus de Ascha,
Henricus Dominus de Duffele,
Ægidius dictus Bertbout, Magnates Brabantiæ,
Guilielmus de Lira, & Robertus dictus Briseteste, Milites, & alii quàm plures homines prædictæ terræ.

ACTUM apud Cameracum, XX. die Sept. Indictione XI. MCCLXVIII. Regni nostri anno XII. 1268.

Avesnensium *seu* Avennensium *Dominorum Stemma.*

AVESNÆ, sive ut vulgò pronuntiant, AVENNÆ plurali numero. *Avesnes*, Oppidum est Hannoniæ, quod olim Dux Arschotanus ex gente Croya, dein Princeps Chimacensis ex Familia Lignæa Arembergia possedit, cum Bellomonte Oppido vicino. Comitatûs dignitate clarò.

Anno 1098. vixit FASTRADUS de *Oisy* Advocatus Eccle- I. siæ

ſiæ Tornacenſis, cui Uxor fuit Ada, Wederici Domini Aveſnenſis Filia. Ea ea nati ſunt, Goſuinus ſine prole defunctus, & Faſtradus.

II. Fastradus Advocatus Tornacenſis & Dominus Aveſnenſis Uxorem habuit *Richildem*, & ex eâ Gualterum Filium.

III. Gualterus cognomento Pulcher, Advocatus Tornacenſis, Dominus de Aveſnes, Leuſe & Walcourt in Agro Namurcenſi, duxit Idam Everardi Caſtellani Tornacenſis ac Mortaniæ Domini Filiam heredem Ea ea progeniti *Theodericus* Caſtellanus Tornacenſis ac Mortaniæ Dominus, *Nicolaus* Dominus de Aveſnes & Leuſe, *Goſuinus* Advocatus Tornacenſis, *Everardus* Epiſcopus Tornacenſis, & *Perona* Uxor Joannis de Landaſt Advocati Ciſonienſis. Quorum omnium fit mentio in Diplomate Ciſonienſis Monaſterii

Theodericus Mortaniæ Dominus duxit Sororem Balduini III. Hannoniæ Comitis; & ab ipſo ſtirpem deducit Familia Baronum Mortaniæ, quæ hodie in Flandria ſupereſt, etſi cognomentum *de Landas* aſſumpſerit, herede illius Familiæ ductâ.

De Mortania vide ſupra pag. 415. & de Familia Landaſtenſi pag. 411.

IV. Nicolaus Dominus de Aveſnes & Leuſe Matrimonio ſibi junxit Machtildem Filiam Henrici Namurcenſis, Comitis Rupenſis: ea qua nati, *Jacobus* de Aveſnis, qui in Syria anno 1191. obiit, & *Ida* Uxor Guilielmi Caſtellani de S. Audomaro.

V. Jacobus, Dominus de Aveſnes, Leuſe & Condé, cum Brabantis, Flandris & Hannoniis ad bellum ſacrum profectus, Silvenſem Urbem in Algarbia Luſitanorum Provincia ſitam, anno 1188. Mauris eripuit, teſte Vaſconcello in Hiſtoria Luſitaniæ.

Anno 1191. apud Aſſur Turcorum ſtrages tanta fuit, quantam ab annis retrò quadraginta Saladinus expertus non fuerat. De noſtris verò occubuit Jacobus de Avennis, vir planè optimus, & meritis præcellentibus, univerſo exercitui Chriſtiano cariſſimus, qui ejuſdem exercitûs præclara per annos aliquot columna extiterat, atque in propoſito piè ſuſcepto ſincerè ac ſtrenuè perſeverans, nec levem unquam maculam dederat in gloriam ſuam. Cujus profectò laudabili devotioni divino munere retributum eſt, ut in omnipotentis Dei obſequio glorioſè occumberet, & mediante diſcrimine brevi, temporalem felicitatem, ut pium eſt credere, æternâ mutaret. Denique luxit vehementer, cum omni exercitu, Richardus Rex Anglorum, aſſumptum tamquam emeritum à Rege Angelorum. Ita Guilielmus Neubrigenſis lib. 4. cap. 21. Rerum Anglicarum. Ejuſdem Jacobi Avennii laudes celebrant Jacobus Vitriacus cap. 98 & 99. Lipſius Centuria 4. epiſt. 36. Meyerus, Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii 7. Sept. & alii.

Ceterùm Jacobus Aveſnenſis duas habuit Conjuges; quarum prior *Jacoba*, aliis Sibylla, Luxeburgica prolem non dedit. Ex altera *Adelina*, Buchardi Guiſiæ Domini Filia, nati ſunt Walterus, Buchardus, Guido anno 1219. ſine prole defunctus, & Mahaldis Uxor Domini de Rumigny.

Walterus Dominus de Aveſnes, Leuſe, Condé, Guiſe, Landrechies & Treſlon, duxit Margaritam Comitiſſam Bleſenſem: ex quo matrimonio prodierunt *Theobaldus* Comes Bleſenſis ſine liberis defunctus, & *Maria*. VI.

Maria, poſt Fratris obitum, Comitiſſa Bleſenſis ac Carnotenſis, Domina de Aveſnes, Leuſe, Condé, Guiſe, Landrechies & Treſlon, nupſit Hugoni de Chaſtillon Comiti S. Pauli.

Buchardus, Walteri frater, ex Margarita Conſtantinopolitana Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa genuit Joannem Comitem Oſtrovandiæ, & Balduinum de Aveſnis Dominum Bellimontis in Hannonia; cujus poſterioris ſuprà in Nicolai Cameracenſis Epiſcopi, & Richardi Romanorum Regis Diplomatibus fit mentio. De Joannis & Balduini natalibus olim magna fuit quæſtio: ſed anno 1249. Petrus Epiſcopus Catalaunenſis & Hugo Abbas Lętienſis, Commiſſarii Apoſtolici, ipſos legitimè natos declararunt: quam ſententiam pòſt Innocentius IV. Papa confirmavit, ut lib. 1. Dipl. Belg. cap. 87. & 88. docui. VII.

Joannes Avennius, Oſtrovandiæ Comes, ex Aleide Guilielmi Hollandiæ Comitis, pòſt Romanorum Regis, filia, tulit Joannem Hollandiæ Comitem, ex Philippa Luxeburgica decem liberorum Patrem, quos Dinterus enumerat. VIII.

Balduinus Avennius, Dominus Bellimontis, duxit Felicitatem de Coucy, & ex ea ſuſtulit Beatricem. Quod nota contra Joannem Bertelium Rerum Luxeburgenſium Scriptorem, Meyerum & alios, qui illam Joannis Avennii jam dicti filiam faciunt non rectè. IX.

Beatrix nupſit Henrico Comiti Luxeburgenſi, Henrici Blondi & Margaritæ Barrenſis filio, pòſt in Woringano prælio anno 1288. cum tribus fratribus cæſo; peperitque ex eo *Henricum* III. Comitem Luxeburgenſem, pòſt Imperatorem illo nomine ſeptimum, *Walramum* Veronæ in Italia anno 1311. ſepultum, *Balduinum* Archiepiſcopum Treverenſem, *Margaritam* Prioriſſam Monaſterii Bellomontani in Urbe Valentianenſi (*Valenciennes*) & *Felicitatem* in eodem loco Monialem. X.

Bellomontanum porrò Monaſterium, quod eſt Monialium Ordinis S. Dominici, Beatrix, Balduini Avennii filia, fundavit, petente filio Henrico VII. Cæſare, eo loco nato Obiitque Beatrix anno 1320. in ſuo Bellomontano Cœnobio condita.

- *Gualterus Dominus de Aveſnis, Faſtradi Filius & N duxit Idam de Mortania.*
  - *Theodericus Dominus Mortaniæ.*
  - *Nicolaus Dominus Aveſnenſis duxit Machtildem*
    - *Jacobus Dominus Aveſnenſis 1191. obiit in Syria*
      - *Walterus, duxit Margaritam Comitiſſam Bleſenſem.*
        - *Theobaldus obiit ſine liberis.*
        - *Maria Uxor Hugonis Comitis S. Pauli.*
      - *Buchardus cui ex Margarita Comitiſſa Flandriæ nati.*
        - *Joannes Comes Oſtrovandiæ, obiit 1255.*
          - *Joannes Avennius Comes Hannoniæ.*
        - *Balduinus Dominus Bellimontis.*
          - *Beatrix Uxor Henrici Comitis Luxeburgenſis Mater Henrici VII. Imperatoris.*
      - *Guido.*
      - *Mahaldis.*
    - *Ida Uxor Guilielmi Caſtellani Audomarenſis.*
  - *Goſuinus Advocatus Tornacenſis.*
  - *Everardus Epiſcopus Tornacenſis 1172.*
  - *Perona.*

CAPUT CXXVI.

Conventio inter ARNOLDUM *Dominum de VVesemale & Capitulum Cathedrale Ultrajectinum, anno* 1269.

UNIVERSIS & singulis præsentes Litteras visuris seu audituris Ego ARNOLDUS Dominus de Wesemale, (1) Marscalcus Brabantiæ, Miles, notum facio, quòd teneor Venerabilibus Viris & honestis Decano & Capitulo majoris Ecclesiæ Trajectensis..... in centum marcas.... Coloniensium denariorum legalium, occasione (2) pactûs detenti, & etiam expensarum pro ipso ab eis factarum, quas ipsis sine suis laboribus & expensis persolvi faciam in Trajecto per Fratres Domûs (3) Templi, in Festo Nativitatis proximè nunc futuro:

ET dabo ipsis Decano & Capitulo litteram Fratrum obligatoriam pro dictis denariis infià festum omnium Sanctorum proximè nunc futurum; cum dicto, quòd si fortè aliquo casu contingente dicti Fratres ipsos denarios præfatis Decano & Capitulo non persolverent, extunc ego sum eis sub fide.....astrictus, & eidem Ecclesiæ obligatus pro pecunia memorata.

IN cujus rei testimonium præsentes Litteras sigillo meo & sigillis Commendatoris Domûs (4) Teutonicæ Trajectensis, & Henrici Domini (5) de Lecka Militis, contuli roboratas Decano & Capitulo memoratis.

DATUM anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, in die Beati Sixti. 1269.

(1) MARSCALCUS Brabantiæ. Hinc liquet Barones Wesemaliæ ab aliquot retrò sæculis fuisse hereditarios Marescalcos Ducis Brabantiæ, hoc est, Præfectos militiæ Brabantinæ.

(2) PACTUS detentus, hoc est, census non solutus. Hinc Flandris *Pacht*.

(3) TEMPLI. Templarii Milites olim in variis Belgicæ locis suas Domos habuerunt, ut Ultrajecti, Bruxellis ubi nunc est Templum S Mariæ Magdalenæ, Gandavi, Duaci & alibi. De iis vide Origines nostras Ordinum Equestrium.

(4) TEUTONICÆ Domus. Equites Mariani Teutonici hodieque Domus suas habent Ultrajecti seu Trajecti ad Rhenum, item Trajecti ad Mosam, Mechliniæ, Gemertiæ in Campania Brabantiæ, in Juncis prope Trajectum Mosæ, & alibi in Belgio. Vide de his etiam nostras Origines Ord. Equestr.

(5) DE LECKA Fuit ea olim nobilis ac potens apud Batavos ac Brabantos familia, cujus heredem Joannam Polanam, Bredæ & Leckæ Dominam, matrimonio sibi junxit anno 1404. Engelbertus Comes Nassavius: de quo vide lib. 1. Dipl. Belg. cap. 103.

CAPUT CXXVII.

HENRICUS, HENRICI III. *Brabantiæ Ducis Filius, anno probationis expleto apud Canonicos Regulares Cœnobii S. Stephani, in Urbe Divionensi & Ducatu Burgundiæ, solennem professionem emittit, anno* 1269.

NOS (1) S. Benigni Divionensis, & Nos S. Petri Besvenensis Abbates, Nos Frater Jacobus Prior S. Benigni Divionensis, Nos Petrus dictus de Barro Decanus Capellæ Ducis, & Magister Albericus Decanus Christianitatis Divionensis, Nos Robertus Cantor prædictæ Capellæ, & Magister Theobaldus de Divione Canonicus Lingonensis, notum facimus universis præsentes Litteras inspecturis, quòd Frater (2) HENRICUS, Filius inclytæ recordationis quondam Ducis Brabantiæ, anno suæ probationis in Monasterio (3) S. Stephani Divionensis, Ordinis S. Augustini, Lingonensis Diœcesis (sicut ab ipso Henrico, & à pluribus fide dignis cognovimus) elapso & ampliùs, Nobis in Festo Beatorum Remigii & Germani in jam dicto Monasterio S. Stephani præsentibus, videntibus & audientibus, fecit Professionem solemnem secundùm Regulam S. Augustini, & eamdem scriptam, & ore suo proprio lectam obtulit super Altare S. Stephani memorati. Promisit etiam ibidem in præsentia nostra Viro Religioso Fratri Amedeo, Abbati ejusdem Monasterii, obedientiam usque ad mortem.

IN cujus rei testimonium nos omnes prædicti, ad hoc ibidem specialiter evocati, præsentibus Litteris sigilla nostra duximus apponenda.

Et nos Frater Amedeus, Abbas memorati Monasterii S. Stephani, unà cum sigillis omnium prædictorum, præsentibus Litteris sigillum nostrum apposuimus, in testimonium prædictorum. Datum & actum in festo Beatorum Remigii & Germani, in capite Octobris, anno M. CC. LXIX. 1269.

CAPUT

(1) SANCTI BENIGNI. De hac Abbatia supra egimus cap. 20. harum Donat. Belgic.

Additio. (2) HENRICUS, idem quem propter incapacitatem Ducatui Brabantiæ in favorem Joannis Fratris sui cessisse diximus Cap. 124. & 125. hujus Libri.

(3) S. STEPHANI, Abbatia quondam Canonicorum Regularium Divione, quæ anno 1613. sæcularisata & in Capitulum Canonicorum redacta fuit; retentâ tamen dignitate Abbatiali.

CAPUT CXXVIII.

FLORENTIUS *Hollandiæ & Zelandiæ Comes anno* 1269. *declarat, quota precariarum pars cedat* ALBERTO *Domino de Vorne.*

UNIVERSIS præsentes Litteras visuris vel legi audituris, Joannes Bertoldus de Hoyen, Dei gratiâ Abbas Egmondensis, Nicolaus Dominus de Putte, Joannes Dominus de Arckel, Theodoricus Dominus de Bredenrode, Gerardus de Heemskercke, Milites, Wilhelmus de Haerlem, & Wilhelmus de Egmunde, famuli, salutem & noscere veritatem.

NOVERITIS, nos Litteras Nobilis Viri FLORENTII Comitis Hollandiæ, bonæ memoriæ, non cancellatas, non abolitas, neque in aliqua sui parte vitiatas, sigillo ipsius Florentii sigillatas, de verbo ad verbum vidisse in hæc verba:

FLORENTIUS Comes Hollandiæ universis præsentes visuris salutem. Tenore præsentium, pro nobis & Successoribus nostris recognoscimus, quòd dilectus & fidelis noster Dominus (1) ALBERTUS de VORNE, & sui Successores, Domini de *Vorne*, recipere possint & debeant pro jure ipsos contingente, octavam partem ex Occidentali parte (2) Scaldiæ & quintam partem ex Orientali parte ejusdem Scaldiæ in Zelandia, omnium precariarum quæ nobis & heredibus nostris prædictis, Comitibus Hollandiæ, aut eorum uxoribus, (3) ratione nuptiarum seu matrimonii contrahendi in dicta terra Zelandiæ, pro tempore futuro, à data Litterarum deinceps conferentur.

IN cujus rei testimonium præsens Scriptum sigillo nostro duximus muniendum. Datum apud Delft, anno Domini millesimo ducente- 1269.
simo sexagesimo nono, feriâ quintâ post festum Beatorum Petri & Pauli.

IN cujus rei testimonium nostra sigilla præsentibus duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, Do- 1311.
minicâ in qua cantatur *Gemini*.

(1) ALBERTUS de VORNE, Dominus Insulæ Vornensis in Zelandia; est is nisi fallor, cui nupsit Mathildis Domina Berg zomensis; suprà pag. 409.

(2) SCALDIA. Schaldis fluvius. præter Antverpiam & Lilloam lapsus, atque Oceani undis immixtus, varias efficit insulas, quæ uno vocabulo ZELANDIA nuncupantur. Omnium Nobilissima est Walachria, *Walcheren*, habens Oppida & portus, *Middelburgum* Episcopali Cathedrâ clarum. *Vlissingam*, *Veriam* titulo Marchionatûs illustrem. & *Armudam*.

SCALDIA. sive *Schouwen*, à præterlabente Scalde fl. sic dicta. In Diplomate quod Otho III. Imperator anno 1002. scripsit, fit & mentio Pagi Scaldis, itemque Villæ Bergensis, ad Zomam fluvium sitæ: In Pago Scaldis Villa Bergis. cum tribus insulis *Sprange*, *Waterange*, *Steeninge* cum Ecclesia & teloneo. In Pago Strya in Patrimonio ipsius (S. Gertrudis) electæ Virginis. Mons cum appenditiis. Tremella (nunc *Drimmelen*) *Stuinahem*, & omni piscatura ad Mosam &c.

(3) RATIONE NUPTIARUM. An hæc probanda sint, aliis discutiendum relinquo.

CAPUT CXXIX.

PHILIPPUS AUGUSTUS *Francorum Rex Privilegium immunitatis dat Rotnacensibus in Flandria, anno* 1273.

FREDERICUS, (1) dictus Civitatis Taruanæ Episcopus, omnibus præsens Scriptum visuris salutem. Notum facimus, quòd cùm bonæ memoriæ Rex PHILIPPUS, propter servitia in castris apud Insulam præstita, hominibus de (2) Rotnaco, Villa S. Hermetis, dedisset eamdem francisiam & Privilegium, quæ habet Taruana, ut sit Regalis Franca, sine resorto aut comitatu, nihil in eam juris prætendat Advocatus, qui in feodum ligium sumet de manu Regis maimburnium, absque placito, datia, exactione aut precario, nisi quod ipsi Burgenses spontè obtulerint.

ET quia dicti Privilegii Charta incendio Villæ periit, nos ejus recordationem fecimus tenore præsentium, & in veritatis signum sigillum nostrum appendi fecimus.

DATUM Castello Lano .... Martii, anno millesimo ducentesimo septuagesimo. 1270.

CAPUT

SImiles immunitatis Litteras Rotnacensibus anno 1533. Carolus Gelriæ & Juliaci Dux. Florentius Hollandiæ Comes, Fredericus an... & Georgius anno 1551. Episcopi Ultrajectenses dederunt.

Additio. (1) FREDERICUS. In Historia Morinensi P. Malbranc aliisque Chronicis Episcoporum Morinensium, legitur anno 1270. & seqq. Episcopus Teruanæ sedisse *Henricus de Muris*, qui & anno 1274. interfuit Concilio Lugnensi. Nullus verò legitur circa hæc tempora Fredericus Episcopus; unde puto esse mendum, & pro *Frederico* legendum *Henricus*.

(2) ROTNACUM Flandriæ Municipium, *Roncen*. Gallis *Renay*. cùm Villis seu Pagis adjunctis, Elsele, Woudeca, Akerne, Horenbeca S. Cornelii, Russignies, Amogies, Michelbeke, Kaim, Escornay & Etichove. GUIDO, Flandriæ & Namurci Comes à Reinardo Monasterii S. Cornelii Indensis prope Aquisgrani Abbate, anno millesimo ducentesimo octogesimo emit, & GUIDONI Filio suo tertiò genito dedit anno millesimo ducentesimo octogesimo nono, Litteris publicis Gallicè editis, quas vidimus.

CAPUT CXXX.

JOANNES I. *Brabantiæ Dux simile Privilegium Rotnacensibus concedit, & Indense S. Cornelii Monasterium dotat, anno* 1263. *aut* 1264.

JOANNES, Dei gratiâ Lotharingiæ & Brabantiæ & Limburgiæ Dux, universis, ad quos præsentes devenerint, salutem. Evangelicæ veritatis nos admonet doctrina, ut de bonis divinâ largitate nobis concessis in hac vita faciamus eleëmosynam, & Ecclesiæ filios congruis favoribus prosequamur.

QUAPROPTER SIGERO Abbati & Fratribus ejus, sub Regula S. Benedicti militantibus in Monasterio (1) S. Cornelii apud Indam, obtuli sex jugera terræ arabilis apud (2) Kerckem, perpetuis temporibus possidenda.

ET hoc superaddidi, quòd amodò omnes mansionarii fideles & Burgenses, qui incolunt terras & Villas S. Cornelii, liberi erunt per totam terram nostram; & Pannarii de *Ronsen* habebunt stallagium in (3) Halla de Lovanio, & in omnibus mercatibus terræ nostræ erunt sine censu & onere, in persona, bonis & mercibus.

DATUM apud Genapiam in crastina Apostolorum Petri & Pauli, anno tertio. 1263.

(1) SANCTI CORNELII AD INDAM, vulgò *Cornelis-Munster*, antiqua, nobilis ac potens Abbatia Benedictinorum prope Aquisgranum, de qua aliàs egimus in Diplom. Belg. lib. 1. cap. 84. & lib. 2. cap. 86.

(2) KERCKEM, Vicus inter Lovanium & Thenas, ubi Jus Patronatûs habet Abbas S. Cornelii Indensis: qui & fundum illic concessit Abbatiæ Virginum Cisterciensium, quæ nunc est in Rameia prope Geldoniam. Extant hodieque veteris Cœnobii ac murorum rudera.

(3) HALLA Pannariorum Lovanii est nunc Gymnasium seu Schola publica, in qua Theologia, Jurisprudentia & Medicina explicantur. Lipsium in Lovanio consule.

CAPUT CXXXI.

Victorinarum Monialium, vulgò Nonnarum Cœnobium, ad muros Urbis Antverpiensis ædificatur, & Cœmeterium consecratur, anno 1280.

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis (1) PETRUS, Dei gratiâ Sudensis Episcopus, salutem in Domino. Noveritis nos Litteras Domini Cameracensis Episcopi vidisse in hæc verba:

INGERANNUS, Dei gratiâ Episcopus Cameracensis, universis præsentes Litteras inspecturis salutem in Domino. Placet nobis, & ad hoc propter Dominum expressè nostrum adhibemus assensum, quòd religiosæ mulieres, Priorissa, & quæ cum ea sunt Moniales de (2) BISELINGHEN, Ordinis (3) S. Victoris, in Monasterio, quod infra limites Parochiæ Antwerpiensis construunt, seu construere intendunt, cœmeterium, in quo corpora personarum religiosarum sui Monasterii prædicti sepeliri possint, habeant: & quod idem cœmeterium à quocumque Episcopo, ad prædictum locum accedente, benedicatur, dum tamen Patroni & Plebani ipsius loci consensus adfuerint & assensus.

IN cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus apponendum. Datum in crastino Epi-
1280. phaniæ Domini, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo.

NOS ergo, auctoritate Litterarum Domini Cameracensis Episcopi præmissarum, ad Monasterium seu locum, in quo prædictæ Priorissa & Moniales commorantur, accedentes, Decano & Capitulo Ecclesiæ B. Mariæ Antwerpiensis, & Plebano ejusdem Ecclesiæ præsentibus, coram nobis & dictis Monialibus, nec non Theobaldo, filio Theoderici, Provisore seu Procuratore earumdem in manu nostra, sub sacramento suo corporaliter præstito promittentibus, quod super jure Parochiali, & ipsorum jus contingentibus seu spectantibus ad Matricem Ecclesiam prædictam, infra cujus Ecclesiæ limites dictum Monasterium est constructum, stabunt ordinationi Decani & Capituli prædictorum, in omnibus & per omnia.

ET sic Cœmeterium dicti Monasterii, cum suis appendiciis, dedicavimus & consecravimus, accedentibus ad hoc voluntate & consensu Decani & Capituli ac Plebani præmissorum. In cujus rei testimonium Sigillum nostrum præsentibus Litteris duximus apponendum.

ACTUM & datum anno Domini millesimo 1280.
ducentesimo octogesimo, in die B. Vincentii Martyris.

CAPUT

(1) PETRUS Episcopus Sudensis erat eo tempore Suffraganeus Episcopi Cameracensis.

(2) BISELINGHEN, Cœnobium Monialium in Zelandia nunc destructum.

(3) S. VICTORIS. A Monasterio S. Victoris, ad muros Urbis Parisiensis sito (quod est Canonicorum Regularium, à Ludovico Crasso Rege fundatum) nomen habuit Congregatio S. VICTORIS, à Jacobo Vitriaco in Historia Occidentali egregiè laudata.

Sub hac Congregatione Victorina lego olim tredecim Abbatias virorum fuisse comprehensas; in his Parisiensem S. Victoris, Ambianensem S. Martini de Gemellis,

Silvanectensem Sanctæ Mariæ de Victoria, & alias alibi.

Victorina apud Belgas Cœnobia Virginum sunt ista:

S. Margaritæ Monasterium, olim extra, nunc intra muros Antverpienses, vulgò *Ter Nonnen*.

Mons Sion, *Blydenberch*, olim extra, nunc intra Mechliniam, eo loco quem olim Bogardi possederunt.

Gronenbrila, *Groenen-Briel*, Gandavi.

S. Trudonis, in Urbe Brugensi. Annales nostros Belg. ad annum 689. consule.

Pontis Rohardi, Gallis *Pontrouart*, Flandris *Roesbrugghe*; olim extra, nunc in Urbe Iprensi.

Novum Monasterium, *Nieuclooster*, olim extra, nunc intra Bergas S. Winnoci.

Waesmonasterium, in Wasiæ meditullio, *Waesmunster*.

Bellus locus, *Beaulieu-lez-Sin*, olim extra Duacum prope Vicum *Sin*, nunc intra Duacum. Fuerunt primùm Hospitalariæ, quæ posteà se Victorinis adjunxerunt, Honorio III. anno 1224. & Gregorio IX. anno 1227. Pontificibus Romanis approbantibus.

CAPUT CXXXII.

HENRICUS I. *Dux Brabantiæ Canonicis Ordinis Præmonstratensis, tunc in Cornelio-monte extra Leodicum, nunc intra muros Urbis in Bello Reditu commorantibus, anno* 1211. *immunitatis beneficium confert: quod ejus Nepos Henricus à Lovanio, Dominus Herstallii, anno* 1248. *confirmavit.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen. Nos HENRICUS DE LOVANIO, Dominus de Herstallio, Leodiensis Diœcesis, tam præsentibus quàm futuris, volumus esse notum, nos Litteras infra scriptas, Sigillo Illustris Principis, Domini (1) HENRICI, Dei gratiâ Ducis Lotharingiæ Marchionisque Antverpiæ, dilectissimi Avi nostri, sigillatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas, tenuisse & vidisse, quarum de verbo ad verbum tenor subsequitur.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen. Ego HENRICUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Marchio Antverpiæ, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Quoniam facta hominum, successione temporis, à memoria hominum facilè elabuntur, nisi per scripturam ad memoriam revocentur; ideò prudens auctoritas Antiquorum instituit, benefacta, quæ digna sunt memoriâ, vivaci Litterarum testimonio commendare, & ad stabile munimen sigillo & testimoniis probabilium Virorum approbare.

NOS igitur eorum exempla sequentes, notum esse volumus, tam apud futuros quàm ad præsentes, quòd Fratribus (2) CORNELII MONTIS remisimus, & à Successoribus nostris in perpetuum remissum esse volumus, in Curte de (3) ARSICH, quam tenent, tallias, & omnes iniquas exactiones; concessimusque in perpetuum, ut sine investitura & requisitione & placitis sint terræ eorum. Censum tantummodò, quem justè debent, de terris exsolvent, quas in eadem curte tenent; qui si suo tempore solutus non fuerit, licebit ut pro ipso censu pannus in curte eorum accipiatur; sed nihil nisi census proindè ab eis requiretur.

Hoc autem contulimus eis in eleëmosynam, ob remedium & salutem animæ nostræ, & piæ memoriæ Venerabilis Uxoris nostræ MATHILDIS, & Patris & Matris nostræ, & omnium Antecessorum nostrorum. Prædicti verò Fratres hanc eleëmosynam cum gratiarum actione recipientes, ne ingrati videantur, fecerunt Ecclesiam in eodem loco de *Arsich*, in honorem Dei & S. Mariæ, Sanctique Nicolai & omnium Sanctorum; in qua constituerunt unum Presbyterum de Fratribus suis, qui ibidem quotidie divina celebrabit, & pro nobis & pro Antecessoribus nostris indesinenter orabit.

UT autem sæpedicti Fratres in pace gaudeant in perpetuum hâc Donatione, & ut nullus Successorum nostrorum attentet eos indè sinistro alicujus consilio infringere, necessarium duximus hujus rei veritatem scripto commendare, & sigillo nostro confirmare. Hujus rei Testes sunt,

Godefridus Abbas de Everbodio,
Everardus Abbas de Hellicinis,
Engelbertus Decanus Lovaniensis,
Magister Balduinus & Magister Renerus, Clerici nostri.

ACTA sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ MCCXI. 1211.

Nos autem Litteris prædictis dilectissimi Avi nostri præscripti, veritatem continentibus, adhærentes, concessionesque in eisdem conscriptas approbantes, per præsentes Litteras Sigilli nostri munimine roboratas confirmamus, & esse volumus Fratribus prænominatis confirmatas, nec ab aliquo, seu aliquibus Successorum nostrorum quoquo casu in futurum infringendas.

ACTA sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo octogesimo quarto, mense Martio. 1284.

(1) HENRICI AVI NOSTRI. Hinc certò constat, Henrico de Lovanio, Herstalli Domino, avum fuisse Henricum I. Brabantiæ Ducem, suprà pag. 400. à nobis laudatum. Pater verò ejusdem Henrici de Lovanio fuit aut *Godefridus* de Lovanio juxta communem scriptorum sententiam, aut *Henricus* de Lovanio, juxta Dinterum suprà pag. 400. productum.

Additio. (2) CORNELII-MONS, locus est ad portam Leodiensis Urbis Transmosanam: in cujus vertice Monasterium Religiosorum Præmonstratensium olim fuit, quod hodie Carthusianorum est; Præmonstratensibus in Urbem translatis anno 1288. ad locum cui nomen *Belli Reditûs*; vulgò *Beaurepaire*. Abbas anno 1648 usum mitræ & Pontificalium obtinuit. Porrò in ejusdem montis vertice templum est cum nosocomio: ubi vixit olim S. Juliana, de quâ vide plura inferiùs, in Fastis SS. Belgii die 5. Aprilis.

(3) ARSICH, hodie *Archis*, Curia ad Abbatem Cornelii montis pertinens cum suis terris, subest jurisdictioni Herstallensi.

- *Henricus* I. *Brabantiæ Dux, obiit* 1235. *duxit Machildem.*
  - *Henricus* II. *Dux, obiit* 1247.
    - *Henricus* III. *Dux, obiit* 1260.
      - *Joannes* I. *Dux, obiit* 1294.
        - *Joannes* II. *Dux, obiit* 1312.
  - *Godefridus de Lovanio Dominus de Lewe*, 1238. 1251. *duxit Mariam.*
    - *Arnoldus de Lovanio, duxit Elisabetham, Henrici Bredæ & Bergarum Domini Filiam heredem*, 1277. 1280.
      - *Alidis Domina Bredæ, Uxor Rasonis de Gavre*, 1291.
        - *Raso, obiit sine liberis.*
        - *Philippus Dominus Bredæ, supra pag.* 409.
          - *Adelisa Uxor Gerardi Rassegemii.*
      - *Maria Domina Bergarum Uxor Gerardi Wesemalii.*
        - *Arnoldus Wesemalius, Dominus Bergarum.*
          - *Mathildis Uxor Alberti Vornensis.*
          - *Margarita Uxor Richardi Merodii.*
        - *Gerardus Dominus de Merxem.*
    - *Henricus de Lovanio Dominus Herstalli*, 1278. 1284.
      - *Joannes de Lovanio Dominus Herstalli & Gasbecæ obiit* 1324. *sine liberis.*
      - *Beatrix Domina Herstalli, Gasbecæ & Moncornet*, 1334.
    - *Joanna Uxor Guilielmi de Hornes*, 1339.

Raso de Gavere, Dominus de Lidekercke inter Alostum & Ninoviam, circa annum 1285. aut 1290. duxit Aleidem, aliàs Aelidem seu Aliciam, Henrici Bredæ & Bergarum Domini Filiam, Bredæ Heredem. Aliciæ Soror Maria, Bergarum ad Zomam heres, nupsit Gerardo de Wesemale; & ex eo genuit Arnoldum de Wesemale Dominum Bergarum ad Zomam, & Gerardum Dominum de Mercklein prope Autverpiam: ut constat ex Tabulis anno 1291 scriptis, quæ in Loco S. Bernardi ad Scaldim exstant. Machtildis, Arnoldi filia & heres, nupsit Arnoldo Vornensis Insulæ apud Zelandos Domino, & anno 1350. vivebat. Altera ejusdem Arnoldi Filia nupsit Richardo Domino de Merode.

Joannes de Lovanio, Herstalli & Gasbecæ Dominus, in Bigardiæ minoris Monasterio conditus jacet, Teutonicâ istâ inscriptione additâ:

Hier legt Jan van Lovene, wylen was Heere van Lovene, van Haerstal ende van Gaesbeke. Die sterf den sesten dagh van Oohst, in't Jaer MCCC. *ende* XXIV.

Beatrix de Louvain, Domina de Harstal, Gasebeque & Moncornet, Bigardiam minorem, à majoribus suis fundatam, majore dote auxit, Litteris anno 1334 Gallicè scriptis, quarum Autographum vidi. In quibus Fratrem suum Joannem de Lovanio nominat, & in Bigardia minore sepultum narrat. Est autem Moncornetum Oppidum Campaniæ, cujus Domino Beatricem de Lovanio nupsisse, & sine liberis circa annum 1337. obiisse suspicor. Nam anno 1339. Gasbecæ Dominus fuit Theodericus, Dominus de Hornes: ut patet ex Tabulis illo anno scriptis, quas lib. II. Diplom. Belgic. cap. 112. recitavi. Theoderico Uxorem attribuunt nonnulli Joannam de Lovanio, Godefridi de Lovanio Filiam, & ex ea natos dicunt Arnoldum Episcopum Ultrajectensem pòst Leodiensem, & Gulielmum Dominum de Hornes, maritum Isabellæ Clivensis. Alii aliter.

CAPUT CXXXIII.

Godefridus *Comes Viandensis, Grimbergæ & Ninoviæ Dominus, ejusque Uxor* Aalis, *benefaciunt Abbatiæ SS. Cornelii & Cipriani, Religiosorum Præmonstratensium Ninoviæ anno* 1285.

Godefridus, Comes de Viane, omnibus præsentes Litteras visuris & audituris salutem. Quandoquidem Abbas & Conventus (1) Ninivensis à nobis & à nostris Prædecessoribus, & ab aliis in dominio Ninivensi multa acquisiverint, nos illa dicto Abbati & Conventui Ninivensi confirmamus, quocumque modo illa acquisiverint, sive per emptionem, sive per eleëmosynam, sive per simplicem donationem, in terris, silvis, pratis, aquis & reditibus.

Et ut hæc Confirmatio maneat firma & stabilis, cum assensu Dominæ Aalis meæ Uxoris, dedi dicto Abbati & Conventui has Litteras meo Sigillo sigillatas. Et ego Domina Aalis approbo istam Confirmationem.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, mense Maio. 1285.

Stemma

(1) Ninive, vernaculè *Niewenhoven*, seu *Ninoven*, Oppidum Flandriæ, in Comitatu Alostano, Diœcesi Mechliniensi ac Decanatu Gerardimontensi situm. Est illic Abbatia Religiosorum Præmonstratensium SS. Cornelio & Cypriano sacra, fundata anno 1137. à Gerardo hujus Oppidi Advocato, juxta Tabulas infrà Lib. II. Donat. Belgic. producendas.

Porrò Autographum hujus Diplomatis, Gallico sermone conscripti, hodieque exstat in Monasterio Ninoviensi seu Ninhoviensi, cum sigillo Godefridi Comitis Viandensis; quem & Ninoviæ Dominum fuisse, hinc colligi datur. Est autem Vianda, nonnullis Viana & Vienna, Oppidum im Ducatu Luxeburgensi situm, quod Familia Nassavia hodie possidet, cum vicino Oppido S. Viti.

Stemma Comitum Viandæ, *itemque Dominorum* Grimbergæ *&* Ninoviæ.

- *Gerardus Dominus Ninoviæ. Amalrisii Filius & Nepos fundavit Abbatiam Ninivensem 1137 duxit Aliciam.*
  - *Mathildis, Uxor Gerardi Domini, Grimbergæ 1167.*
    - *Gerardus Grimbergæ & Ninoviæ Dominus, duxit Agnetem, 1225.*
      - *Oda Uxor Leonis van A.*
        - *Gerardus de A. 1312. Cortebergæ.*
          - *Joannes de A Dominus Gruthusæ, 1350.*
            - *Joanna Uxor Henrici Domini Bergizomensis.*
              - *Joanna Uxor Joannis de Brabantia. alias Glimes.*
      - *Maria Uxor Philippi Comitis Viandæ, 1270.*
        - *Godefridus, duxit Aalidem 1285.*
          - *Philippus, 1312. Cortebergæ, obiit sine liberis.*
          - *Godefridus, obiit in Cypro 1337.*
            - *Adelheidis Uxor Othonis Nassavii, obiit 1369.*
              - *Joannes.*
    - *Guilielmus Asca Dominus.*
      - *Guilielmus tui Guido Flandriæ Comes dat Opdorp, 1258. suprà pag. 427.*
        - *Robertus duxit Mariam Barbanzoniam 1292. pag. 427.*
          - *Robertus, 1312. Cortebergæ.*
            - *Joannes, 1372.*
    - *Arnulphus, duxit Sophiam Castellanam Bruxellensem*
    - *Ægidius.*

Henricus Viandæ Comes duxit Margaritam Comitissam Namurcensem: sed hęc anno 1237. dictum Comitatum Namurcensem Fratri suo Balduino II. Imperatori Constantinopolitano cedere coacta fuit: ut lib. 2. Dipl. Belg. cap. 96. docui. Vide & suprà pag. 406.

Philippi & Margaritæ Namurcensis, nisi fallor, filius fuit Philippus Viandæ Comes, qui Mariam Bertholdam, Gerardi Grimbergæ & Ninoviæ filiam heredem, sibi matrimonio junxit. In Monasterio S. Bernardi ad Scaldim exstat Diploma, ab ipsa anno 1274. scriptum, in quo sic legitur: Maria Comitissa Vianensis, Domina de Grimbergis & de Peruweis, & Godefridus ejus primogenitus. Ibidem exstat alterum Diploma, à Philippo Comite Vianensi & uxore ejus Maria an. 1270. datum. Obiit autem Maria Bertolda anno 1289. filio Godefrido Comiti Vianensi Grimbergam relinquens, ut Divæus tradit.

Videtur tamen hic errasse Miræus: nam *Viana* non est *Vianda* aut *Vienna* Oppidum in Ducatu Luxemburgensi, quod hodie possidet Familia Nassovia; sed *Viana* Municipium primo lapide à Gerardimonte, hodie Egmondanæ Familiæ, Comitatûs titulo insigne, teste Espinoio in suis de Nobilitate Flandrica Gallicis Commentariis pag. 110. & Antonio Sandero Flandriæ Illustratæ tom. 2. pag. 516. Additio.

CAPUT CXXXIV.

Ordo Equitum S. Jacobi, in Hollandia anno 1290. celebris.

1290. ANNO Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, Florentius, Comes Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ, in publico atrio sui Palatii Hagensis, dedit Insignia sui Ordinis Equestris, S. Jacobo sacri, duodecim primariis Proceribus: quorum hæc sunt nomina:

Theodericus Comes Clivensis.
Lancelottus Dominus de Hameltong, Legatus Henrici Regis Scotiæ.
Godefridus Dominus de Boicholt, Legatus Westphaliæ.
Dominus Henricus Comes de Henneberch, Legatus Coloniensis.
Theodericus Dominus de Brederode.
Joannes Dominus de Heusden.
Joannes Dominus de Arckel.
Theodericus Dominus de Linden.
Otto Dominus de Asperen.
Jacobus Dominus de Wassenaer.
Gisbertus Dominus de Amstel.
Hugo Dominus de (1) Vianen, Equites.

Qui omnes juramentum præstiterunt super Sacris Evangeliis, in manibus Domini Joannis Episcopi Ultrajectensis, & pro pignore sua Scuta atque Insignia reliquerunt. Singuli autem acceperunt Torquem seu Balteum argenteum inauratum, cum sex Cochleis, & imagine S. Jacobi appensa, ponderis unius marcæ cum media argenti. Dictorum autem Equitum Scuta seu Insignia Joannes Paypaert, Scutifer & Heraldus Hollandiæ, penes se recepit, suntque ea suspensa in magno atrio Palatii Hagæ Comitis, in testimonium rei gestæ.

CAPUT

Sunt hæc extracta ex veteri Codice Teutonico, quem vocant Registrum Equestre, *Register der Ridderschap*, in Haga Comitis, & Latinè per nos fideliter reddita. Ex quibus datur intelligi, quæ Familiæ Nobiles ante annos CCC. & quod excurrit, in Hollandia floruerint.

(1) Viana, *Vianen*, Oppidum Hollandiæ, quod ad Familiam Brederodiam, ex Hollandiæ Comitibus prognatam, hodie pertinet. Porrò alia est Vianda, Ducatûs Luxemburgensis Oppidum, Gentis Nassaviæ; alia, verò Viana, Toparchia Gentis Egmundanæ prope Ninoviam, ut monui cap. superiori in Notis.

Alius Ordo Equestris in Belgio institutus fuit in honorem S. Antonii anno 1382. authore Alberto Bavaro Hannoniæ atque Hollandiæ Comite. Alius verò longè celeberrimus Ordo Aurei Velleris anno 1431. authore Philippo Bono Burgundiæ ac Brabantiæ Duce, cujus Diplomata vide Lib. 1. Dipl. Belg. Cap. 110. 114. 116. 117. Vide etiam inferiùs Libellum *de Origine Ordinum Equestrium*.

CAPUT CXXXV.

RAZO DE GAVERE, *Lidekercæ & Bredæ Dominus, ejusque Conjux* ALICIA *seu* ALIDIS, *dotant Ninivense Monasterium, anno* 1292.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego RAZO DE GAVERE, Dominus de Liedekercke & de Breda, & ALICIA, uxor mea, omnibus hoc præsens Scriptum visuris salutem in Domino.

NOTUM sit tam modernis quàm posteris, quod ob æternam, quæ in Christo est, salutem feliciter consequendam, contulimus Religiosis Viris Abbati & Conventui Monasterii Ninivensis, in puram & perpetuam eleëmosynam, viginti & octo bonaria nemoris aut circiter, cum omnibus pertinentiis suis, quod nemus dicitur *Rephout*, & contiguum jacet nemori Monasterii prædicti juxta viam, quæ se extendit de *Liedekercke* versus *Ledeberge*. In quo nemore dictos Religiosos inhereditavimus legitimè, coram Scabinis nostris inferiùs nominandis, adhibitis solennitatibus, quæ in hujusmodi inhereditatione solent adhiberi, mediantibus duodecim denariis, Flandrensium novorum, nobis & nostris Successoribus solvendorum, ad Natale Domini, censualiter annuatim.

QUAM eleëmosynam & collationem petimus & supplicamus, nos præd ĉti Razo & Alicia, à vobis, Nobilis Princeps Flandriæ & Marchio Namurcensis, roborari, ratificari, & per vestras patentes Litteras confirmari, in robur & evidentiam perpetuæ firmitatis. In cujus rei memoriam prædictis Religiosis præsens Scriptum contulimus, sigillis nostris roboratum.

ACTUM apud Liedekereke, coram Scabinis nostris, videlicet,

Sophino de Lewes,
Ivano de Lewes,
Thomâ de Landut,
Jacobo Fabro,
Ingelberto Carnifice,
Et Arnoldo dicto Lokebout.

ANNO Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, mense Junio. 1292.

Stemma Rasonis de Gavere, Lidekercæ & Bredæ *Domini, de quo suprà pag.* 409.

Raso de Gavre, Dominus Lidekercæ, duxit Aliciam alias Alidem Bredæ Dominam, 2. Adevinam de Stryen.	*Ex Alicia, Raso Dominus de Boulair, obiit sine liberis.*	
	Philippus Dominus Bredæ & Lidekercæ.	*Adeliva, aliàs Adelisa, Bredæ & Lidekercæ Domina. Uxor Gerardi Rassegemii.*
	Ex Adevina, Raso de Lidekerke, Dominus in Rosendalo, Nispen & Wonde.	
Joannes de Lidekercke, Dominus vander Eyghene.		
	N. Filia.	

SUnt hæc fideliter desumpta ex Tabulis à Rasone Gaverensi Flandrico sermone anno 1300. scriptis, quibus Adevinæ, Filiæ Guilielmi Domini de Streyne seu Stryen, suæ Conjugi posteriori, dotem assignat. Harum Tabularum exemplar exstat apud Collegam nostrum V. N. ac D. Adrianum Rockox, Canonicum Antverpiensem & J. U. Licentiatum.

CAPUT CXXXVI.

Diestemii, quod est Brabantiæ Oppidum in Diœcesi Mechliniensi, Ecclesia Parochialis S. Joannis Baptistæ in Collegiatam Canonicorum anno 1297. *ab* HUGONE *Episcopo Leodicensi convertitur, petente Gerardo Domino de Diest.*

HUGO, Dei gratiâ Episcopus Leodiensis, universis præsentes Litteras visuris, salutem in Domino sinceram, cum notitia veritatis.

DEUS, qui Ecclesiam suam Sponsam vocare dignatus est, ipsam Ministris discretis & honestis fulciri, in eadem devotè psallentibus gloriatur, & quantò solenniùs & devotiùs in Ecclesia Dei Divina Officia celebrantur, ad ipsius gloriam & honorem, tantò acceptius Deo est, & gloriosiùs nomen Majestatis suæ honoratur.

QUARE Nos totis viribus & mentibus Ecclesias in nostris Civitatibus & Diœcesi cupimus

mus & volumus, ad reverentiam & honorem Dei, in Divinis Officiis ampliare, & ipsas cum omni reverentia venerari.

SANE dilectus in Christo Filius, Nobilis Vir, (1) GERARDUS Dominus de DIEST, Miles nostræ Diœcesis, considerato, quòd Villa sua de Diest est magna & diffusa, & in eadem regnat multitudo populorum, cupiens dignè Domino famulari, cum in Villa nulla hactenùs existeret Ecclesia Collegiata, supplicavit Nobis humiliter, ut Ecclesiam Parochialem *Beati Joannis Baptistæ*, sitam in dicta Villa, cujus jus Patronatûs ad ipsum pertinet, Collegiatam Ecclesiam, & in eadem duodecim Canonicos vel circiter, Decanum, Scholasticum, Cantorem & Custodem constitui & ordinari faceremus, cùm ex largitione sua & aliorum fidelium, ipsius Parochialis Ecclesiæ ad hoc sufficiant facultates.

NOS de tam devoto proposito dicti Nobilis congaudentes, reperto per inquisitionem auctoritate nostrâ factam, quòd Ecclesia Parochialis S. Joannis Baptistæ prædicta, & ejus locus honesti sint & bene dispositi, quòdque in eadem Ecclesia est Rector Ecclesiæ, & decem Capellani, habentes competentiam in reditibus annuatim, de quibus in Collegio tamquam Canonici vivere possunt;

DE Consilio Jurisperitorum, Auctoritate Dei Omnipotentis, B. Mariæ Virginis, S. Lamberti & nostrâ ordinariâ, volumus, ordinamus & statuimus, quantum in Nobis est, & salvo jure aliorum, quòd dicta Ecclesia S. Joannis Parochialis sit ulteriùs Collegiata, & quòd in eadem Ecclesia dicti Capellani, & alii usque ad duodecim, sint Canonici, quorum unus sit Decanus, unus Scholasticus, unus Cantor, & unus Custos, à dicto Collegio eligendi.

ET nos Rectoriam dictæ Ecclesiæ Parochialis dicto Decanatui, quantùm ad nos pertinet, adunivimus. Ita quod ipse Decanus habebit curam Decanatûs, Canonicorum, & etiam Parochialis Ecclesiæ prædictæ; & ad ipsam Parochialem Ecclesiam admittetur per illum, qui aliàs præsentatos consuevit admittere ad eamdem. Decanus verò confirmationem à nobis & nostris Successoribus recipiet, & Decanus, Scholasticus, Cantor, & Custos nobis facient homagium & fidelitatem, prout Decani, Scholastici, Cantores & Custodes aliarum Ecclesiarum Civitatis ac Diœcesis Leodiensis, facere consueverunt.

ET volumus quod dicta Ecclesia Collegiata gaudeat Privilegio & jure, quibus aliæ Ecclesiæ Collegiatæ Civitatis & Diœcesis Leodiensis gaudent: scilicet Decanus, ratione Rectoriæ prædictæ, suberit nobis, Archidiacono loci, & Decano Christianitatis, & aliis Prælatis nobis subditis, prout Rectores dictæ Ecclesiæ subesse consueverunt.

ET de dictis Canonicis octo erunt Presbyteri, duo Diaconi, & duo Subdiaconi, & quotidie Missam animarum, & de die, cum Diacono & Subdiacono, & Horas Canonicas solenniter celebrabunt: & si aliqua alia emerserint ordinanda aut statuenda, quæ ad cultum Divinum pertinent, & quæ per dictum Decanum & Capitulum dictæ Ecclesiæ non poterunt commodè expediri, ea nostræ Ordinationi reservamus.

VOLUMUS & eis injungimus, quòd in die obitûs nostri commemorationem facient Canonici memorati, & ex tunc anniversarium nostrum faciant in futurum. In cujus rei testimonium Sigillum nostrum præsentibus Litteris duximus apponendum.

DATUM anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, Sabbato post Assumptionem B. Mariæ Virginis. 1297.

CAPUT

Domini Diestenses.

(1) GERARDUS, Dominus Oppidi Distensis seu Distemiensis, vulgò *Diest*, Arnoldi Filius, Collegii Canonicorum S. Joannis in dicto Oppido, & Cartusiæ in Zelem, primo inde milliari sitæ, Fundator, anno 1333. aut sequenti obiit, in eadem Cartusia sepultus.

Gerardi Pater fuit ARNOLDUS, qui Elisabetham Britanniæ Comitis Filiam habuit Conjugem, Distemii in Monasterio Franciscanorum, quod condidit, anno 1369. sepultus.

Gerardi Frater fuit JOANNES de Diest, Episcopus primùm Cameracensis, pòst Ultrajectinus anno 1324. à Joanne XXII. Papa creatus, qui Pactum concordiæ inter Joannem III. Brabantiæ Ducem & Ludovicum Nivernensem, Flandriæ Comitem, anno 1336. initum, ut Dominus de Diest, cum aliis Brabantiæ Proceribus signavit: quod exstat Bruxellis in Curia Senatûs ac Populi. Idem Episcopus fuit insuper Burgravius Antverpiensis, & Amersfurti XII. Canonicatus instituit, obiitque anno 1340. aut 1341.

Henricus Dominus de Diest anno 1372. Tabulas Cortebergenses, Thomas Dominus de Diest & Sicheneæ, idemque Burgravius Antverpiensis, & Joannes ejus Filius Pactum Limburgense signarunt. Librum 2. Diplom. Belg. cap. 113. & 114. consule.

JOANNA, Thomæ ex Joanne Filio neptis & heres, Distemii ac Sichenarum Domina, & Vicecomitissa Antverpiensis, nupsit Joanni Lossensi, Heinsbergæ Domino.

Ut ad altiora transeamus, Arnoldus & Gerardus Fratres de Diest, anno 1202. Diploma Ecclesiæ Antverpiensis firmarunt, quod lib. 2. Diplom. Belg. cap. 73. legitur. In Diplomate Averbodiensi anni 1200. nuncupatur *Arnoldus Dei gratiâ Princeps de Diest.*

Consule etiam Stemma veterum Dominorum Diestensium, supra editum lib. 2. Diplomatum Belgicorum cap. 73. & Stemma sequentium Dominorum ex Familia Nassovio-Orangia lib. 1. Diplomatum Belgicorum cap. 103.

Stemma Dominorum Distensium *&* *Castellanorum* Antverpiensium.

- *Arnoldus Dominus Distensis duxit Elisabetham de Britannia, obiit 1296.*
  - *Gerardus Dominus Distensis, obiit 1333. sine liberis.*
  - *Joannes Episcopus Cameracensis pòst Ultrajectensis, obiit 1340.*
  - *Arnoldus Dominus de Rumme.*
    - *Isabella Uxor Hugonis de Ailly.*
      - *Gerardus de Ailly.*
  - *Thomas Dominus Distensis, obiit 1349.*
    - *Henricus Dominus Distensis, obiit 1386.*
      - *Thomas Dominus Distensis.*
        - *Joannes, obiit ante Patrem.*
          - *Joanna Domina Distensis Uxor Joannis Lossensis, Domini Heinsbergensis.*
            - *Joanna Domina Distensis Uxor Joannis Comitis Nassavii.*
              - *Isabella Domina Distensis Uxor Guilielmi Domini Juliacensis, obiit sine liberis.*
              - *Joanna Uxor Joannis Comitis Palatini.*
      - *Guilielmus Ep. Argentinens. ob. 1439*
      - *Joannes.*
      - *Maria.*
      - *Alidis.*
    - *Arnoldus, obiit sine liberis.*

Distense porrò Oppidum, cum Sichenis & Vicecomitatu Antverpiensi, Engelbertus Comes Nassavius, Bredæ Dominus, circa annum 1490. à Guilielmo Duce Juliacensi emit, seu potiùs titulo permutationis accepit; cedens dicto Duci pro iis Millam, Vuchtam & Ganglam; Engelbertus anno 1504. sine liberis moriens, Fratrem suum Joannem, anno 1516. Dillenburgi defunctum, scripsit heredem; cujus Stemma lib. 1. Dipl. Belg. c. 103. exstat.

CAPUT CXXXVII.

Collegium Canonicorum B. Mariæ in Oppido Bredano, Diœcesis Antverpiensis, anno 1303. *fundatur*, RASONE *Bredæ Domino favente.*

IN nomine Domini amen. Quoniam nihil morte certius, nihilque incertius horâ mortis, Ego JACOBUS Presbyter, Investitus de *Ghilse*, Decanus Concilii Bekensis, Leodiensis Diœcesis, compos mei & sanæ mentis, sciens quòd vita hominis brevis est, per modum Testamenti mei seu ultimæ voluntis meæ, de bonis meis disponens, ordino sub hac forma, quòd cùm in terra de (1) Breda, ex qua pro parte oriundus sum, & in qua bona mea pro majori parte consistunt, cultum divinum cupio ampliare, & propterea, prout sæpiùs cum Domino (2) RASONE, Domino de Breda, aliisque probis tractavi, affectavi, & affecto, desiderans quòd Ecclesia de Breda fiat Ecclesia Conventualis & Collegiata, & quòd in eadem sint octo præbendæ, ad quas præbendas habendas mea bona confero & assigno......

QUORUM quidem bonorum meorum assignatione factâ, ordino & dispono sic de eisdem, videlicet quòd quilibet Canonicus de septem Canonicis antedictis, viginti libras Turonensium nigrorum habebit perpetuò & annuatim de bonis meis & reditibus supradictis: & octavus Canonicus, videlicet Dominus *Hugo de Merterssem*, decem libras. Nam totidem libras idem Dominus Hugo ad suam præbendam de bonis suis propriis assignavit, & sic dicta octava præbenda cuilibet aliarum septem præbendarum est in omnibus adæquata. Et de illis octo Canonicis unus erit Decanus dictæ Ecclesiæ, qui ultra portionem præbendæ, ratione sui Decanatûs, habebit decem libras Turonensium nigrorum.

PRÆTEREA volo & ordino, quòd dicti Canonici semper resideant personaliter in ipsa Ecclesia, & qui ex ipsis non resederit, non habebit de præbenda sua nisi viginti solidos Turonensium

Additio. (1) BREDA, Civitas Brabantiæ pulchra admodum ac munita, in Diœcesi Antverpiensi versùs fines Hollandiæ sita est. Baronatus est perantiquus, qui septemdecim Vicos continet: vide supra pag. 409. Civitas hæc anno 1637. post acrem obsidionem à Fœderatis Belgii Ordinibus fuit occupata; atque ex eo tempore publicum Catholicæ Religionis exercitium ibidem fuit interdictum.

Stemma veterum Dominorum Bredæ exhibui supra pag. 409. Postmodum per Joannam Polanam, è Wallenariis oriundam, anno 1404. transiit Breda in Familiam Engelberti Comitis Nassavii, cujus Stemma recensui supra pag. 219.

Porrò Capitulum B. Mariæ Bredanum (cujus Fundatio hîc exhibetur) olim tredecim habuit Canonicos cum Decano. Hoc munere postremus gavisus fuit David à Mauden Antverpiensis, vir scriptis clarus, qui obiit anno 1641. Pastor B. M. V. ad Capellum Bruxellis. Series horum Decanorum exhibetur in *Historia Episcopatûs Antverpiensis* Bruxellæ editâ anno 1717.

(2) RASO de Gavere, Dominus Lidekercæ, duxit Alidem sive Aliciam Bredæ Dominam: ut suprà cap. 89. explicatum est.

nensium nigrorum: & quòd constituetur semper Vicarius loco absentis, & non residentis, qualis debuit esse absens: cui Vicario dabuntur duodecim libræ Turonenses de præbenda absentis.

Si contingat Vicarium esse Presbyterum loco Presbyteri Canonici absentis, iste Presbyter Vicarius habebit quindecim libras Turonenses de præbenda Presbyteri Canonici absentis, pro anno quo deservierit pro absente. Cætera verò pars fructuum præbendarum Canonicorum absentium cedet Capitulo Ecclesiæ supradictæ; nec poterit nec debebit Capitulum ipsum alicui non residenti Canonico gratiam facere ultra dictos viginti solidos, propter preces vel minas alicujus, aut aliquas alias rationes.

Item ordino disponens, quòd de dictis octo Canonicis tres erunt Presbyteri, tres Diaconi, & duo Subdiaconi, & tenebunt sigillatim in officiando in Divinis & Horis Canonicis suas septimanas, videlicet Presbyter in Presbyteratu, Diaconus in Diaconatu, & Subdiaconus in Subdiaconatu, Officiis. Et qualibet die cantabunt Missam cum Diacono & Subdiacono, vestiti in habitibus decentibus & consecratis. Et aliquo vel aliquibus ipsorum Canonicorum absentium, eorum Vicarii faciant sua Officia in ordinibus antè dictis. Si autem eorum aliquis negligens fuerit in præmissis adimplendis, Canonicus careat quotidianis distributionibus illius diei, & Vicarius restituet de salario suo duodecim denarios Turonensium nigrorum; & nihilominus punietur ad arbitrium Decani & Capituli prædictorum; nisi forte legitimo impedimento detenti per alium idoneum illâ die Officia sua fecerint ministrari.

Prætereà ordinatum est, quòd cùm in ipsa Ecclesia sint duæ Capellaniæ, quarum cujuslibet proventus valent quadraginta libras Turonenses vel circiter annuatim, post decessum Capellanorum eorumdem, vel alterius eorum decedentis vel cedentis, portio ipsius decedentis vel cedentis Capellani dividetur, & fient de illa portione duæ præbendæ Canonicorum; ita quòd numerus dictorum octo Canonicorum augmentetur. Sic quod cùm essent primò octo Canonici, uno Capellano decedente fiant decem, vel alio cedente fiant duodecim præbendæ. Quorum quidem Canonicorum, qui fient, Præbendæ debent adæquari aliis octo, & debent omnia bona ipsorum, prima videlicet & alia..... in communi; quia non erunt Præbendæ eorum aliquatenus distinctæ.

Insuper ordinatum & conceptum est etiam, quòd vacante Ecclesiâ parochiali prædictâ de Breda, quæ quarta est Ecclesia, in ea ponetur Rector, qui Curam recipiet à Decano dicti Concilii, prout moris est, & erit de gremio dictæ Ecclesiæ Collegiatæ, & de jurisdictione Decani & Capituli; & frequentabit omnes Horas Canonicas, prout alii Canonici & Vicarii facere tenebuntur, & habebit de reditibus dictæ Ecclesiæ usque ad valorem quadraginta librarum Turonensium, de quibus solvet jura Episcopi, Archidiaconi & suorum Superiorum, debita à Rectore Ecclesiæ memoratæ. Cetera verò pars fructuum dictæ Rectoriæ cedet Capitulo dictæ Ecclesiæ; ita quòd de ipsis augmentatus erit numerus Canonicorum dictæ Ecclesiæ; & erit Canonicus ejusdem decimustertius, vel undecimus, qui habebit unam præbendam, æqualem aliis in reditibus dictæ Ecclesiæ.

Decanus idem etiam habebit de reditibus dictæ Rectoriæ in augmentationem sui Decanatûs decem libras redituum annuatim, & superexcrescentia cedent tunc in communes usus Canonicorum residentium ibidem.

Oblationes siquidem Altaris dictæ Ecclesiæ taxabuntur rationabiliter dicto Rectori, pro certa summa deducenda de dictis quadraginta libris. Et si ipsi Decanus & Capitulum ex una parte, & dictus Rector ex altera in dicta taxatione non possunt concordare, dictus Rector habebit de aliis ipsorum Canonicorum reditibus suas quadraginta libras: & tunc illæ oblationes cedent Capitulo supradicto. Et debet fieri illa taxatio prædicta per Decanum Concilii Bekensis, & alios duos probos Investitos dicti Concilii, viciniores dictæ Villæ de Breda, vel alios, in quas partes ipsi voluerint concordari.

Si autem Rector prædictus velit esse contentus oblationibus prædictis, habeat ipsas pro quadraginta dictis libris. Legata verò facta specialiter dictæ Ecclesiæ cedent eidem, & alia legata facta dicto Rectori cedent sibi; legata insuper generaliter facta dictæ Ecclesiæ, cedent Capitulo antedicto. Capellani attamen dictæ Ecclesiæ qui sunt & erunt de jurisdictione dictorum Decani & Capituli, erunt & intererunt horis Canonicis cum Decano & Capitulo prædictis, & si non intersint, debent puniri per Decanum & Capitulum prædictos.

Collatio verò præbendarum prædictarum omnium spectabit ad Dominum de Breda, Patronum dictæ Ecclesiæ; collatio Capellaniarum ad dictos Decanum & Capitulum. Decanus verò eligetur à Capitulo dicto, & præsentabitur Domino Leodiensi, confirmandus. Regimen autem scholarum, Matriculariæ, & aliorum officiorum dictæ Ecclesiæ, conferent idem Decanus & Capitulum conjunctim.

Item ordino, quòd nullus poterit inibi esse Decanus, quin sit Canonicus ipsius Ecclesiæ. Canoniam habebit à Domino de Breda; Decaniam verò per electionem canonicam sui Capituli obtinebit. Insuper ordinans dispono & volo, quòd si Dominus de Breda præmissis nollet consentire, aut sustinere præmissa adimpleri, ita quòd effectum non haberent, vel si per Episcopum Leodiensem, aut alios, ad quos hoc pertinet, præmissa non fuerint confirmata, ita quod effectum debitum non haberent, vel ordinatio mea in præmissis esset impedita, tunc volo quòd præsens ordinatio nulla sit, & quòd Executores mei in præmissis, quos eligo (videlicet vir venerabilis & discretus Magister Macarius de Buscho, Canonicus Leodiensis, & venerabilis Domina Abbatissa Monasterii de Thoren, & Frater Joannes dictus de Rutselaer, quondam Abbas Monasterii Averbodiensis, nec non Dominus Henricus

cus Ecclesiæ de Gilse Plebanus) habeant potestatem plenariam dicta bona mea assignandi aliis piis locis, construendi Hospitalia, Ecclesias Collegiatas, Altaria & alia ordinandi in piis locis, prout saluti animæ meæ visum fuerit expedire.

Volo tamen quòd præmissa fiant tunc in aliqua Ecclesia spectante ad collationem seu præsentationem dictæ Abbatissæ, si voluerit consentire. Omnia etiam alia bona mea mobilia & immobilia, de quibus non ordinavi, aut non ordinabo expresse, volo quòd ad augmentationem cedant dictarum Præbendarum, si eas contingat ad effectum perduci. Sin autem..... sint in dispositione meorum Executorum, prout superiùs est expressum: protestans quòd prædictam meam ordinationem volo valere loco Testamenti seu ultimæ voluntatis meæ vel alterius, quæ de jure poterit meliùs valere, volens quòd dicti Executores mei omnia mea bona apprehendant ad faciendum præmissa, prout eis saluti animæ meæ visum fuerit expedire.

Et si dicti Executores mei omnes non potuerint aut noluerint interesse, tres vel duo ex eis nihilominus exequantur, volens ut ubicumque duo ex eis posuerint diem ad aliquid exequendum, & alii vocati ad hoc non venerint aut noluerint, vel non potuerint interesse, reliqui duo procedant & faciant quod incumbit, aliorum duorum absentiâ non obstante. Nomina verò illorum qui nominati sunt ad illas præbendas, sunt hæc, videlicet,

D. Henricus Grusere, Decanus,
D. Henricus dictus Grusere, ejus Frater,
D. Winricus de Eyke,
D. Hugo prædictus, Presbyteri,
Walterus & Jacobus, filii Joannis de Byen,
Et Joannes filius Wiconis de Camera:

Supplicans Venerabili in Christo Patri ac Domino Theobaldo Dei gratiâ Leodiensi Episcopo & ejus Officiali, ac aliis omnibus, quorum interest, ut præmissis tam piè conceptis consentiant, laudent, approbent, & suâ auctoritate confirment. In cujus rei testimonium sigillum meum, unà cum sigillis virorum discretorum, Domini Danekini Scholastici Ecclesiæ Bekensis, & Domini Henrici Executoris mei prædicti, quæ his apponi petivi, appono. Et nos Danckinus & Henricus prædicti, qui præmissis interfuimus, cum aliis multis probis, sigilla nostra, ad suam petitionem dicti Domini Jacobi, præsentibus duximus appendenda. Datum anno Domini millesimo trecentesimo 1303.
tertio, in Vigilia Dionysii.

Litteræ Officialis Leodiensis.

Universis præsentes Litteras inspecturis Officialis Leodiensis salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quòd factâ nobis fide, per viros discretos, Dominum Dankinum Scholasticum Ecclesiæ Bekensis, & Dominum Henricum Plebanum Ecclesiæ de Ghilsen, de Testamento seu ultima voluntate Domini Jacobi Decani Concilii Bekensis, unà cum sigillis eorumdem præsentibus appensis, ipsum Testamentum seu ultimam voluntatem, quantum in nobis est, per omnia laudamus, approbamus & confirmamus. In cujus rei testimodium sigillum Officialatûs Leodiensis duximus apponendum.

Datum anno Domioi millesimo trecente- 1303.
simo tertio, in octavis B. Andreæ Apostoli.

CAPUT CXXXVIII.

Tabulæ Cortebergenses, anno 1312. in fine mensis Septembris, à Joanne III. *Brabantiæ Duce publicatæ & signatæ; quas infrà-scripti Proceres suis etiam sigillis firmarunt.*

GErardus (1) Comes Juliacensis.
(2) Arnoldus Comes Lossensis.
(3) Rainoldus Dominus Falcoburgensis & de Monjoie.
(4) Florentius Bertout, Dominus Mechliniæ.
(5) Gerardus Dominus de Diest, Burgravius Antverpiensis.
(6) Raso Dominus de Liedekercke & Breda. *pag.* 409.
(7) Gerardus Dominus de Hornes.
(8) Arnoldus Dominus de Wesemale, Marescallus Brabantiæ, *pag.* 413.
(9) Arnoldus de Wesemale, Dominus Bergarum ad Zomam. *pag.* 409.
Henricus de Lovanio. *suprà pag.* 440.
Philippus Comes de Vianen, Dominus Grimbergæ. *pag.* 441.
Philippus de Vianen, Dominus de Rumste.
(10) Walterus Dominus de Edinghem, *aliàs Enghien.*
Henricus Bertout, Dominus de Duffele & Gele.
Gosuinus de Goetsenhove.
Philippus de Liedekercke, Dominus de Hevorhout.
Joannes Bertout, dictus Berlaer, Dominus de Keerberghe, *pag.* 427.
Guillielmus Dominus de Cranendonck.
Henricus Camerarius, Dominus de Heverle.
Joannes, Dominus de Sombreffe.
Gerardus de Quaetbeke, aliàs Quakenbeke, *ex Wesemaliis.*
Eduardus ejus Frater, Eques.
Daniël de Bouchout, Eques.
Gerardus Dominus de Herlaer.

Raso

Raſo Van Graven, Eques.

(11) Joannes Mewe, Frater noſter, Dominus de Wavere & Dongelberghe.

Arnoldus de Hellebeke, Eques.

Arnoldus Lombart de Iſche.

Willelmus de Bouleer, Eques, *in Gallo-Brabantia.*

Robertus van Goere, Eques.

Nicolaus van Dorne.

Gerlacus vanden Boſſche.

Henricus de Meldert.

Joannes de Raetſenhove Senior.

Joannes de Raetſenhove Junior.

Carolus de Rivieres.

Joannes de Ophem.

Jacobus de Gentines, *aut Gemptines*, Eques.

Joannes Dominus de Agimont & Walhain, *libro* 2. *Dipl. Belg. cap.* 112.

Gerardus Dominus de Marbais, Burgravius Bruxellenſis.

Gerardus Dominus de Geete, *aliàs Jauche.*

Ludovicus de Lummen, Advocatus Hasbaniæ, Dominus de Chamont.

Guillielmus Dominus de Rotſelare.

Alardus Dominus de Revez.

Robertus de Aſche.

(12) Gerardus van Aa.

Reinerus Bordon de Halen.

Henricus van Wanghe, Eques.

(13) Joannes Dominus de Cuyck.

Arnoldus Dominus de Crayenhem.

Joannes van Hueſene, aliàs Hoeſdume.

Godefridus vanden Boſſche, Eques.

Reinerus de Bourlamont, Dominus de Bruyere.

Otto de Cuyck.

Arnoldus de Dieſt.

Thomas Frater ejus.

Arnoldus de Leefdale, Eques.

Walterus de Berchem.

CORTENBERGA. *Cortenberch*, Vicus medio fere itinere inter Bruxellam & Lovanium, cum vetuſto Monialium Benedictinarum Cœnobio. In eo ampliſſimum viſitur atrium, in quo olim Comitia Procerum Brabantiæ celebrari ſolent. Alias Tabulas Comitiorum anni 1372. exhibuimus Lib. II. Diplom. Belg. Cap. 113.

I. (1) GERARDUS Comes Juliacenſis, illo nomine tertius, Pater Guilielmi, qui ex Comite primùm Marchio anno 1329. à Ludovico IV. Bavaro, poſteà Dux Juliacenſis anno 1356. à Carolo IV. Imperatore creatus fuit.

II. (2) ARNOLDUS Comes Loſſenſis: idem, niſi fallor, qui cum Gerardo Comite Juliacenſi, Diploma à Joanne III. Brabantiæ Duce anno 1333. ſcriptum ſignavit, lib. 1. Dipl. cap. 103.

(3) RAINOLDUS Dominus de Valkenburg & Monjoie, Walerami Filius, poſt annum 1322. obiit ſine prole; ut & Fratres ejus *Theodericus* ac *Joannes*. His tribus Fratribus tres fuere Sorores, *Philippa*, *Beatrix* Theoderici Brederodæ Domini Uxor, & *Maria* Abbatiſſa Melbodienſis in Hannonia. Philippa nupſit primùm Joanni Comiti Salmenſi, pôſt Henrico à Flandria, Domino Ninovienſi: cum quo poſteriore jus ſuum, quod habebat ad Ditionem Falcoburgenſem, ceſſit ſeu vendidit Wenceſlao Brabantiæ Duci. III.

Falcoburgi *Dominorum Stemma.*

- *Henricus Dominus Falcoburgi. Henrici III. Ducis Limburgenſis Filius, 1214.*
  - *Theodericus Dominus Falcoburgi 1269. obiit in bello Colonienſi.*
    - *Waleramus Dominus Falcoburgi, 1288. Woringæ captus, duxit Philippam Filiam Rainaldi I. Comitis Gelriæ.*
      - *Rainoldus Dominus Falcoburgi, obiit ſine liberis.*
      - *Theodericus Dominus Falcoburgi obiit ſine liberis 1347. in bello Leodienſi.*
      - *Joannes Dominus Falcoburgi, obiit ſine liberis.*
      - *Philippa vendidit Falcoburgum Wenceſlao Brabantiæ Duci.*
      - *Beatrix Uxor Theoderici Brederodis.*
      - *Maria Abbatiſſa.*
  - *Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis, obiit 1274.*
  - *Winandus.*

FALCOBURGUM eſt Oppidum nobis Brabantis Tranſmoſanum, cum arce vetuſta, & ampla ditione, olim ſub Leodicenſi, nunc Rurçmundenſi Diœceſi. Eſt una ex Provinciolis Tranſmoſanis (quæ nunc ſubeſt Hollandis) & vulgò Ducatui Limburgenſi accenſetur.

IV. (4) FLORENTIUS Bertout, Mechliniæ Dominus, Patrem habuit Walterum, ejuſdem Urbis Dominum, in prælio Woeringano anno 1288. cæſum; Matrem verò Mariam, Guilielmi Comitis Arverniæ & Alcidis Brabantinæ Filiam. Uxor ipſi fuit N. Guidonis de Chaſtillon Comitis S. Pauli, & Mathildis Brabantinæ filia. Unicam reliquit filiam heredem *Sophiam*, Rainaldo I. Gelriæ Duci nuptam, qui Mechliniam Ludovico Malano, Flandriæ Comiti vendidit, & anno 1343. deceſſit.

Pars

Pars Stemmatis Bertoldorum, Mechliniæ *Dominorum.*

- *Walterus IV Bertout Dominus Mechliniæ duxit Margaritam Cononis Britanniæ Comitis Filiam, 1231 fundavit Minores Mechliniæ, obiit 1243.*
  - *Walterus V. Dominus Mechliniæ duxit Mariam Arvernam, obiit 1285.*
    - *Walterus VI. Dominus Mechliniæ duxit Alidem de Coucy, obiit Woringæ 1288.*
      - *Joannes 1293. Dominus Mechliniæ, obiit sine liberis 1304.*
        - *Joannes 1293. Dominus de Neckerspoel.*
      - *Ægidius Dominus Mechliniæ, obiit sine liberis 1310.*
    - *Sophia Uxor Henrici Domini Bredæ, obiit 1299.*
    - *Mathildis.*
    - *Florentius Dominus Mechliniæ, 1312. in Corteberga, obiit 1331.*
      - *Sophia Uxor Rainoldi I. Duci Gelriæ vendidit Mechliniam, 1333.*
        - *Maria Uxor Guilielmi I. Ducis Juliacensis.*
  - *Henricus Dominus Dufflæ, Gelæ.*
    - *Henricus 1312. ibidem, duxit Margaritam de Bouchout.*
      - *Henricus Dominus Dufflæ & Gelæ duxit Catharinam Wesemaliam.*
        - *Catharina Uxor Theoderici Hornani, Domini de Perues.*
      - *Raso.*
        - *Walterus de Duffle.*
          - *Jacobus.*
          - *Florentius de Mechelen.*
      - *Gerardus Dominus de Rethi.*
        - *Beatrix Uxor Godefridi Immerselii*
          - *Arnoldus Dominus de Wommelgem.*
  - *Ægidius.*

V. (5) GERARDUS Dominus de Diest Burgravius seu Castellanus Antverpiensis, de quo vide supra pag 444.

VI. (6) RASO de Gavere. Dominus de Liedekercke, duxit Alidem sive Aliciam Bredæ Dominam. Vide suprà pag 409.

VII. (7) GERARDUS Dominus de Hornes, qui Tabulas istas Cortebergenses anno 1312 signavit filium; nisi fallor, reliquit *Guilelmum* Dominum de Hornes & Gasebeke, qui Pactum concordiæ inter Joannem III. Brabantiæ Ducem, & Ludovicum Nivernensem Flandriæ Comitem, anno 1339. lib. 2 Diplom. cap 112. firmavit.

VIII. (8) ARNOLDUS Dominus de Wesemale, Mareschallus Brabantiæ. Ut in Familia Bertaunia & Angiana multi olim Walteri, in Bethuniensi multi Roberti, in Gaverensi & Heverlea multi Rasones; in Clivensi multi Theoderici; in Juliacensi multi Guilielmi; sic in Wesemalia Familia multi olim Arnoldi extiterunt.

Domini Wesemalii. Anno 1212. Arnoldus de Wesemale floruit. de quo suprà pag. 409. egimus. Anno 1253. Arnoldus Wesemaliæ Dominus, & Uxor ejus Elisabetha, suprà pag. 423. Tungerloense Monasterium dotarunt. Horum filius aut Nepos fuit ARNOLDUS, qui Tabulas istas Cortebergenses 1312. signavit. Cæterum JOANNES Joannis filius, Wesemaliæ Dominus, sine prole legitima moriens, heredem scripsit Carolum Audacem, Burgundiæ Brabantiæque Ducem; qui posteà Joanni de Croy, Domino de Reux, Wesemalium dono dedit. A Joanne Croyo anno 1472. illam emit Guido de Brimeu, Dominus de Humbercourt, Eques Velleris Aurei, à Gandensibus 1477. capite plexus. Anno 1562. Gaspar Schets, Grobbendonci Dominus, à Carolo de Brimeu, Guidonis Nepote, Wesemaliam emit; eamque dein possedit ejus filius Antonius Baro de Grobbendonc, & Dominus de Durbuy.

IX. (9) ARNOLDUS de Wesemale, Dominus Bergarum ad Zomam, Gerardi filius ex N. Bautersemia reliquit *Machtildem* Alberto Vornæ Domino nuptam, suprà pag. 409. & Margaritam Richardi Merodii Conjugem. Dipl. Belg. lib. 1. cap 95. consule.

X. (10) WALTERUS Dominus Angiæ. Angia Oppidum Hannoniæ. Gallis *Enghien*, Flandris *Edinghem*, multos sub se Pagos seu vicos parochiales comprehendit; ex quibus nonnulli sunt juris Brabantini, alii juris Hannoniensis. Brabantiæ feuda sunt novem, videlicet Senesse, Ronkiers, Hemertes, Tubise, Rebecque, Bierges, Bongardes, Laerbeke, & Beringen: ut ex libris Curiæ feudalis Brabantinæ didici. De primis Angiæ Dominis hæc comperi.

EUSTACHIUS Angiæ Dominus arcem Angianam ædificavit, teste Jacobo Guisio in Hannoniæ Chronicis. Domini Angiæ. Hujus filius HUGO ex Joanna Luxeburgica genuit *Engelbertum* Angiæ Dominum, *Sohierum* seu Segerum, & *Mariam* Arnoldi Villain Castellani Gandensis Conjugem. Segerus duxit Idam de Mons, Castellani Montensis filiam heredem, Dominam de Havrech. Segeri posteritas nonnullos habet tumulos Montibus Hannoniæ in Monasterio Vallis Scholarium.

ENGELBERTUS Angiæ Dominus ex Adelina, Jacobi Avesnensis filia, genuit Segerum.

SEGERUS ex Maria Walteri Sotteghemii filia Walterum, & Idam Uxorem Ægidii Domini de Trasignies.

WALTERUS Angiæ Dominus illo nomine primus anno 1266. duxit Mariam, Manassis Comitis Retelensis filiam, & ex ea tulit *Walterum* II. & *Sophiam* Uxorem Rasonis de Gavere, Domini de Liedekercke, qui anno 1240. vixit: ut ex Genealogia Familiæ Gaverensis, à J. le Boucq concinnata didici.

WALTERUS II. ex Jolenta Roberti Betunii Flandriæ Comitis filia, (teste Oudegerstio) genuit Walterum III. Jolentam Radulpho Domino de Canny, & Joannam Joanni Domino de Bossu, nuptas.

WALTERUS III. Angiæ Dominus duxit Jolentam, aliis Catharinam, filiam Gualterii Ducis Athenarum ac Comitis de Brienne & Lisches. Ex ea genuit WALTERUM IV. Angiæ Dominum, qui cœlebs obiit, & Angiæ sepultus jacet; *Segerum* fratris in dominiis Successorem; *Jacobum* Comitem de Lisches; *Joannem* primò Tornacensem, pòst Leodiensem anno 1274. Episcopum, *Ludovicum* Conversani Comitem, *Guidonem* Dominum de Argues & Audrenopoli. & *Engelbertum* Dominum de Rameru, Folie & Tubise, Camberonæ sepultum cum Conjuge Maria de Lalain, Joannis Domini de Quievrain filia.

SEGERUS Angiæ Dominus à Guilielmo aut Alberto Bavaro, Hannoniæ & Hollandiæ Comite, capite plexus 1366. fuit; & ex N. Moriamæa filium reliquit WALTERUM V. Angiæ Dominum, qui Tabulas Cottebergenses an. 1372. lib. 2 Dipl. cap. 113. signavit, & pro Ludovico Malano contra Gandenses militans anno 1380, occubuit, non relictâ sobole.

Nota, quod Albertus Bavarus in expiationem cędis Segeri Angiæ Domini decollati Querceti in Hannonia Additio. anno 1366. erexit & fundavit Hagense S. Mariæ Collegium XII. Canonicorum in Hollandia anno 1371.

LUDOVICUS, Walteri IV. Frater, duxit Joannam de

de S. Severino Neopolitanam, & ratione illius matrimonii Comes Conversani fuit. Filiam reliquit Isabellam, Angiæ Dominam, post Walteri V. sine liberis obitum.

Isabella (sic enim nuncupanda est, si fidem adhibemus libris Curiæ feudalis Brabantinæ, non autem Margarita aut Maria) nupsit Joanni Luxeburgico, Fratri B. Petri Luxeburgici, Avenionensium Patroni, an. 1387. defuncti: sicque Angia, Conversanum & Brienna ad Familiam Luxeburgicam transierunt. De Joannis Luxeburgici posteritate fusè tractat Florentius Haræus lib. 2. de Cast. Insulensibus cap. 5. & 6.

Stemma Dominorum Angiæ, d'Enghien.

- *Walterus I. Segeri Filius, Engelberti Nepos Dominus Angiæ, duxit Mariam Retelensem, 1266.*
  - *Walterus II. Dominus Angiæ duxit Jolentam Betuniam.*
    - *Walterus III. Dominus Angiæ duxit Walteri Ducis Athenarum Filiam.*
      - *Walterus IV. Dominus Angiæ, obiit cælebs.*
        - *Walterus V. Dominus Angiæ, obiit sine liberis 1380.*
      - *Segerus Dominus Angiæ, capite plexus.*
      - *Jacobus Comes de Lisches.*
      - *Joannes Episcopus Tornacensis & 1274. Leodiensis.*
      - *Ludovicus Dominus Angiæ, & Comes Conversani.*
        - *Isabella Domina Angiæ, Uxor Joannis Luxeburgici.*
      - *Guido*
      - *Engelbertus Dominus de Rameru.*
        - *Engelbertus.*
    - *Jolenta.*
    - *Joanna.*
  - *Sophia Uxor Rasonis de Gavre. 1240.*

Joanni Luxeburgico in Dominio Angiæ successit Filius Petrus, huic Ludovicus Filius, Ludovico Petrus Filius. Quorum postremus Filias reliquit. *Franciscam* & *Mariam* Luxeburgicas, Angiæ Dominas ex ordine. Francisca nupsit Philippo Clivio, Ravestenii Domino, sed nullam ex eo prolem genuit. Itaque Sorori suæ Franciscæ successit Maria Luxeburgica, Uxor Francisci Borbonii Comitis Vindocinensis: sicque Angia ad Familiam Borboniam pervenit, quam Henricus IV. Borbonius, Francorum Rex, anno 1607. Carolo de Ligne Comiti Areubergio vendidit.

XI. (11) Joannes Mewe, seu Meeuwe, Dominus de Wavere & Dongelberghe, Joannis II. Brabantiæ Ducis Filius naturalis: à quo Dongelbergii originem trahunt.

XII. (12) Gerardus van A, Leonii & Odæ Bertautiæ seu Grimberganæ Filius, genuit Joannem van A, Gruthusæ Dominum. Joannis Filia & heres Joanna circa annum 1374. nupsit Henrico Bautersemio, Bergarum ad Zomam Domino, & genuit Filiam sibi cognominem Joannam.

Joanna Bautersemia, Bergizomii, Walhemi & Grimbergæ prò parte Domina, anno 1418. nupsit Joanni de Brabantia, aliàs de Glimes, qui Patrem habuit Joannem, Joannis III. Brabantiæ Ducis Filium naturalem: ut ex libris Curiæ feudalis Brabantinæ datur intelligi, quos secuti sunt Dinterus & Heuterus.

Joanni de Glimes & Joannæ Bautersemiæ liberi fuerunt Joannes Labeo, Bergizomii & VValhemi Dominus (cujus posteritatem lib. 1. Diplom. Belg. cap. 95. descripsi) & Philippus Grimbergæ Dominus, qui anno 1440. & 1456. floruit, & Filios duos reliquit, Philippum in Prælio Nanceiano cæsum, Uxore nondum ductâ, & Jacobum. Hujus Filius Georgius ex Philippa Serclasia genuit Ferricum Bergium, Ferricus Georgium, Gerardum, Guilielmum primò Antverpiensem, pòst Cameracensem Antistitem, Jacobum & Ferricum. Domini de Glimes ac Bergani

Gerardi Filius Godefridus de Berges, primus Comes Grimberganus anno 1625. à Philippo IV. Rege Catholico est creatus; septem Filiorum continuo ordine natorum Pater, ex N. Hornana, Gerardi primi Comitis de Bassegnies Filia.

(13) Joannes Dominus de Cuyck, Filium reliquit Ottonem, qui Pactum concordiæ Flandrensis anno 1339. lib. 2. Diplomatum Belgicorum cap. 132. signavit. XIII.

CAPUT CXXXIX.

Sigerus de Liedekercke, *Dominus de Boulario, suos servos & servas manumittit, & offert Abbatiæ S. Adriani in Geraldi-monte, anno* 1314.

Universis præsentes Litteras inspecturis Sigerus de Liedekercke, Dominus de (1) Boulario, salutem in Domino salutari. Sicut sacra testatur Pagina, promeretur à summo Judice sua sibi relaxari debita, qui relaxat servum à debito servitutis.

Sciant ergò præsentes ac posteri, quòd Ego Segerus prædictus Petrum Hexuart & Margaretam Hexuart..... servos & servas meas, cum heredibus suis, de ipsis, Deo volente, nascituris, pro amore Dei, & pro remissione peccatorum meorum, in perpetuam constitui libertatem, & ipsos cum heredibus suis ab omni debito servitutis relaxavi, & eosdem obtuli sub schola

Ex hoc Diplomate liquet, servos & servas anno 1314. in Flandria adhuc exstitisse, & servitutem ex toto non fuisse sublatam à Margarita Constantinopolitana, Flandria Comitissa, ut vulgò traditur.

(1) Boularium seu Boularia, arx & vetus Baronia prope Geraldimontem: de qua suprà diximus.

la Beato Adriano de Geraldimonte, servituros Ecclesiæ de duobus denariis, nomine censûs capitalis annuatim, ad matrimonium de sex denariis, & ad mortem de duodecim, monetæ Flandriæ, & mihi vel heredi meo, mediante meliori catallo, ab ipsis conferendo in morte ipsorum.

UNDE ne possit in posterum calumnia suboriri, libertatis hujus requirens titulum, eam feci mandari Litteris, & tam appensione sigilli mei, quàm Testibus, quorum nomina subscripta sunt, in præsenti Chartula confirmari.

ASTITERUNT autem præsentes, dum fieret hæc manumissio, viri venerabiles & discreti, Dominus Henricus Abbas, cujus sigillum, unà cum meo, præsentibus est appensum; Petrus Prior.....

ACTUM publicè in Ecclesia S. Adriani, coram Altari, anno Domini millesimo trecentesimo quartodecimo, in die crastino Circumcisionis Domini, qui tunc quintâ feriâ habebatur. 1314.

CAPUT CXL.

LUDOVICUS IV. *Bavarus, Imperator,* REINOLDUM *illo nomine secundum ex Comite Gelriæ creat Ducem, anno* 1339.

LUDOVICUS IV..... omnibus has Litteras visuris salutem. Quandoquidem REINOLDUS, Comes (1) Gelriæ, regio genere ortus, multa servitia..... Imperio præstiterit, & adhuc præstare poterit, Henrico Moguntino & Balduino Treverensi, Archiepiscopis, Joanne Rege Bohemiæ, Rudolpho Comite Palatino Rheni & Duce Bavariæ, Rudolpho Duce Saxoniæ, & Ludovico Marchione Brandenburgensi, filio nostro primogenito, præsentibus, dictum Reinoldum ex Comite Ducem Gelriæ creamus, ut & posteros ejus legitimos. Cum hoc Privilegio, quando nos aut Successores nostri publicabunt Parlamenta, vel quando novi aliqui Principes creabuntur, vel similes actus publici celebrabuntur, quòd tunc ipse vestibus Cæsareis nos induet.

ITEM quando Successores nostri, Romanorum Reges, Aquisgrani, Mediolani & Romæ coronabuntur, quòd tunc ipse aut ejus heredes coronam regiam dictis Regibus super caput imponent, deponent, portabunt & in manibus gestabunt.

INSUPER ad majorem dicti Ducatûs & Principatûs splendorem, assignamus ipsi, juxta morem Imperii, (2) quattuor Officiarios infra nominandos, & eorumdum heredes, videlicet,

Jacobum van Myrlaer, OEconomum,

Everardum van Wylp, Marescalcum,

Theodoricum van Lienden, Buticularium seu Pocillatorem, &

Guilielmum van Brouchuysen, Camerarium.

ITEM concedimus ipsi jus cudendi monetam auream, juxta valorem monetæ Archiepiscopi Coloniensis, Ducis Brabantiæ, & Comitum Hannoniæ atque Hollandiæ. In Testimonium veritatis has Litteras scribi, & sigillo nostro firmari jussimus. Datum Francofurti, die 19. Martii anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo nono. 1339.

(1) GELRIÆ. Vide Notas nostras sup. pag. 305.

(2) QUATTUOR OFFICIARIOS. *Amptluyden*, in Germanico Ludovici IV. Diplomate, quod Latinè reddidimus & nonnihil contraximus.

Huc facit, quod de Officiariis Palatii Cæsarei seu Regii narrat Hincmarus Archiepiscopus Remensis, Epistola 3. sub annum 884. scripta cap. 16.

Apocrisiarius autem, quem nostrates Capellanum vel Palatii Custodem appellant, omnem Clerum Palatii sub cura & dispositione sua regebat. Cui sociebatur summus Cancellarius, qui à Secretis olim appellabatur, erantque illi subjecti prudentes & intelligentes ac fideles viri; qui præcepta Regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, & secreta illis fideliter custodirent. Post eos verò, sacrum Palatium per hos Ministros disponebatur, per Camerarium videlicet, & Comitem Palatii, Senescalcum, Buticularium, Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium unum.

CAPUT CXLI.

GUILIELMUS DUVENVORDIUS, *Eques, Dominus de Dongbene, Bruxellense Monasterium Clarissarum ditatum, à Patre suo* GUILIELMO *fundatum, dotat anno* 1345.

IN nomine Domini amen. Per hoc publicum Instrumentum cunctis pateat, quòd anno 1345. Vir strenuus Willelmus de Duvenvoirde junior, Dominus de Donghene, Miles, dedit in puram eleëmosynam *D. Ægidio de Bake* Presbytero, Provisori Monasterii in honore B. Claræ Virginis, Bruxellæ per (1) Guilielmum de Duvenvoirde seniorem, Dominum de Oisterhout, Militem, Patrem prædicti Willelmi junioris, de novo constructi & fundati, omnes reditus & census acquisitos erga Joannem de Bouchout Dominum de Loenhout, Militem, in Wavera S. Mariæ, Putte, Beerfele, Icteghem, Riemenam & Zellaer.

ACTA sunt hæc Machliniæ, anno ut suprà. 1345.

CAPUT

IDem Guilielmus Duvenvordius dedit eidem Monasterio & alios census in Urbe Mechliniensi, Litteris hoc ipso anno Mechliniæ scriptis. Testes adfuerunt,

Gerardus de Duffle, Dominus de Retie,
Henricus de Waelcourt, Dominus de Faverchenis,
Joannes de Immersele,
Arnoldus de Heelbeke,
Florentius de Stalle, Milites:
Walterus de Ponte,
Walterus Pipenpoy,
Willelmus Pipenpoy,
Willelmus Kereman,
Ægidius dictus vanden Wingaert, Armigeri.

Fundationem dicti Monasterii Clemens Papa Tabulis Avenione datis XV. Kal. Februarii, anno sui Pontificatûs secundo, confirmavit, hoc est, anno Christi 1342.

Fuit autem istud Clarissarum Bruxellense Monasterium in muris Urbis ad portam Opbruxellensem olim situm; sed post cladem seu potiùs excidium à Calvinianis illatum. Monialibus attributa est Domus Fratrum vitæ communis, à Gerardo Magno institutorum, haud procul à Basilica parochiali S. Gaugerici. 1589.

(1) Guilielmus de Dunenvoirde senior, Dominus de Oisterhout, Pactum Flandrense anno 1339. lib. 2. Dipl. Belg. cap. 94. signavit; ut & Joannes de Immersele, & alii in hoc capite memorati.

Aliud à præfato Guilielmo de Duvenvoirde juniori testimonium pietatis ac munificentiæ prodiit in Fundatione Carthusiæ B. Mariæ apud Montem Sanctæ Gertrudis, quam vide ampliùs descriptam in *Historia Episcopatûs Sylvaducensis*, Bruxellæ excusa anno 1721. Additio.

CAPUT CXLII.

JOANNES DE CHASTILLON, *Dux Gelriæ & Comes Blesensis, ejusque Uxor* MACHTILDIS, *anno* 1376. *testantur sibi plenè satisfactum, post obitum Eduardi Gelriæ Ducis.*

NOs JOANNES de Chastillon, Dei gratiâ Dux Gelriæ, Comes de Blois & Zutphen, & MACHTILDIS eâdem Dei gratiâ Ducissa Gelriæ, Comitissa de Blois & Zutphen, & ARNOLDUS de Hornes, Dei miseratione Episcopus Ultrajectensis, notum facimus, nobis esse plenè satisfactum, ex quo obiit Eduardus Dux Gelriæ & Comes Zutphaniæ, eujus Deus misereatur.....

IN signum veritatis sigilla nostra his Litteris appendi jussimus, & insuper,

Reinoldus de Brederode, Dominus de Genepe,
Joannes Dominus de Lienden,
Arnoldus de Heerlaer, Dominus de Amerzoeyen,
Gerardus de Heerlaer, Dominus de Poyeroeyen,
Gosuinus de Rossem.... Equites.

DATUM anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, ipso die Animarum. 1376.

DIploma istud. & alterum ejusdem Ducis Gelriæ, anno 1377 in festo Epiphaniæ datum, Christophorus Butkens in Genealogia Familiæ Lindanæ recitat. Ex quibus Diplomatibus discere licet, JOANNEM CHASTILLONIUM, Machtildis Gelriæ Maritum, inter Duces Gelriæ, post Rainaldum III. Nassavium, ejusque Fratrem Eduardum, sine liberis defunctos, collocandum esse: qui tamen in serie dictorum Ducum vulgò omitti solet.

Machtildi porrò sine liberis defunctæ successit GUILIELMUS Juliacensis, Guilielmi primi Ducis Juliacensis, & Mariæ Gelriæ (quæ fuit Soror Machtildæ) Filius.

CAPUT CXLIII.

JOANNES XXIII. *Pontifex benefacit anno* 1413. *Ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ Sylvæducensis, tunc Collegiatæ, dein erectæ in Cathedralem anno* 1559.

JOANNES Episcopus, Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Divini cultûs diligentes augmentum, super eo volumus haberi propitii, per quod illud liberè valeat obtineri. Sed illud in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, in quibus Domino famulantium est multitudo, fieri nequit ac commodè, nisi ipsarum reditus pro ipsis famulantibus convenienter sint adaucti.

SANE petitio dilectorum Filiorum, Decani & Capituli Parochialis & Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ, Opidi de (1) BUSCODUCIS, Leodiensis Diœcesis (quæ & Parochialis Ecclesia Villæ de ORTEN, dictæ Diœcesis invicem canonicè sunt unitæ) nobis nuper exhibita continebat, quod Canonicalium Præbendarum ejusdem Ecclesiæ S. Joannis, quæ Principalis ejusdem Opidi inter alia Opida Ducatûs Brabantiæ insignis existit, & cujus quidem S. Joannis Rectoriæ & de Orten Ecclesiarum Collatio & Provisio ad dilectas in Christo Filias, Priorissam & Conventum Monasterii VALLIS DUCISSÆ in *Oudreghem*, per Priorissam soliti gubernari, Ordinis S. Augustini, vulgo Auderghem. sub cura & juxta Instituta Regularia Ordinis Fratrum Prædicatorum viventes communiter pertinet, facultates sive fructus, reditus & proventus adeò tenues & exiles sunt, quòd exindè Canonici ejusdem Ecclesiæ S. Joannis, qui *tri-*

ginta sunt numero, decenter statum suum tenere, nec non incumbentia eis onera commodè supportare non possunt, quodque si Rectoria ipsius Ecclesiæ S. Joannis, (quæ Dignitas vel Personatus non est: ad cujus quidem Ecclesiæ S. Joannis Rectorem existentem pro tempore exercitium curæ animarum dilectorum filiorum Parochianorum ipsarum Parochialium Ecclesiarum, nec non omnium & singulorum Canonicatuum & Præbendarum ipsius Ecclesiæ S. Joannis Collatio & Provisio, ex speciali Privilegio Sedis Apostolicæ, cui non est in aliquo derogatum, dumtaxat pertinet) & Ecclesia de *Orten* prædictæ Capitulari mensæ ipsius Ecclesiæ S. Joannis unirentur, ex hoc cultus ipse in eadem Ecclesia S. Joannis augmentari, dictique Canonici decentiùs statum eorum tenere, nec non commodiùs onera hujusmodi supportare valerent.

Quare prædicti Decanus & Capitulum nobis humiliter supplicârunt, ut pro augmento quotidianarum distributionum, quæ fient in ipsa Ecclesia S. Joannis inter Canonicos illius, qui pro tempore apud ipsam Ecclesiam residentiam facient personalem, atque Horis canonicis, diurnis & nocturnis, in ipsa Ecclesia S. Joannis personaliter interfuerint, Ecclesiam de *Orten* & Rectoriam prædictas mensæ præfatæ in perpetuum incorporare, annectere & unire, & aliàs in præmissis oportunè ipsis Decano & Capitulo providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui cultum prædictum nostris temporibus intensis desideriis augeri affectamus, volentes eisdem Decano & Capitulo atque Canonicis de alicujus subventionis auxilio providere, hujusmodi supplicationibus inclinati, Ecclesiam de *Orten* & Rectoriam prædictas (quarum octoginta, cum omnibus juribus & pertinentiis suis mensæ prædictæ, cujus ducentarum marcharum argenti fructus, reditus & proventus, secundùm communem æstimationem, valorem annuum, ut ipsi Decanus & Capitulum asserunt, non excedunt) Auctoritate Apostolicâ in perpetuum incorporamus, annectimus & unimus.....

Datum Romæ apud S. Petrum xv. Kal. Julii, Pontificatûs nostri anno tertio. 1430

Notatio de Capitulis Canonicorum in Campinia ejusque vicinia.

(1) Buscoducense, seu Silviducense Canonicorum xxx Collegium anno 1366 à Joanne Arkelensi, Episcopo Leodicensi, est institutum: quod Cathedrâ Episcopali Paulus IV. anno 1559 decoravit.

Eindoviense S. Catharinæ Collegium anno 1355. Henricus Bavarus, electus Leodicensis;

Boxtellense S. Petri anno 1493, Ioannes Hornanus itidem Leodicensis Episcopus, Henrico Ranstio Domino de Boxtel & Kessel dotante;

Gheelense S. Dimpnæ anno 1562. Maximilianus Bergins, Cameracensis Episcopus, Henrico Merodio, Westerloæ, Petersemii ac Gelæ Domino, condiderunt.

Turnhoutanum S. Petri anno 1397. à Bonifacio VIII.

Hochstratanum S. Catharinæ anno 1531. à Clemente VII.

Arschotanum S. Mariæ Collegium anno 1462. à Ludovico Borbonio, Leodicensi Episcopo, sunt erecta.

CAPUT CXLIV.

Arnoldus de Crayenhem, *Dominus in Grobbendonc, & ejus Uxor* Joanna de Steyvoirt, *anno 1414. fundant Thronum B. Mariæ, Canonicorum Regularium Cænobium, propè Herentaliam, Campaniæ Brabantinæ Oppidum.*

Nos (1) Arnoldus (2) de Crayenhem, Dominus de (3) Grobbendonc, Eques, & Joanna de Steyvoirt, ejus legitima Conjux, notum facimus omnibus, quòd nos, pro salute animarum nostrarum, & parentum nostrorum, dedimus & per præsentes Litteras damus, in puram eleëmosynam, Priori seu Præfecto generali & Capitulo Windesimensi Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini (quod Capitulum solet quotannis celebrari in Cœnobio Windesimensi, in Diœcesi Ultrajectensi sito) bona infrà nominanda, ad extruendum Monasterium, quod per modum Cartusianorum claudetur, in honorem Dei ejusque Genitricis Mariæ, in nostro fundo propè *Grobbendonc*, qui nunc vocatur *Nuwer-Molen*, & in posterum vocabitur (4) Thronus B. Mariæ, in Diœcesi Cameracensi, pro sex Religiosis Presbyteris ejusdem Ordinis S. Augustini, ad Missas & alia servitia divina, in dicto loco perpetuis temporibus celebranda.

Qui quidem numerus Presbyterorum poterit

(1) Arnoldus de Crayenhem, Grobbendonci Dominus, Tabulas Cortebergenses anno 1372. & Fœdus Limburgense an. 1415. lib 2. Dipl. Belg. cap. 113. & 114. signavit. Idem anno 1411. cum Uxore sua Elisabetha Steivortia Hortum conclusum, Monialium Ordinis Præmonstratensis Cœnobium in Oppido Herentalensi, & triennio pòst Thronum B. Mariæ fundavit.

(2) Crayenhem, vulgò Crainhem, amplus Pagus seu Vicus primò lapide à Bruxella, in via Lovaniensi: à quo N[illegible]lem olim apud Brabantos Familiam Crayenhemianam cognomen traxisse existimo.

(3) Grobbendoncanum municipium & arcem ad Netham fl. altero lapide ab Herentalia sitam, hodie possidet *Antonius* primus Baro de Grobbendonc anno 1602. ab Alberto Pio Belgarum Principe creatus.

(4) Throniaṅum Monasterium, injuriâ bellorum, in cineres nostrâ ætate versum, jacet in ruinis: annuis vectigalibus in usum Collegii Theologici, pro alumnis Canonicorum Regularium Capituli Windesimensis, Lovanii à Superioribus constituti, versis.

rit augeri usque ad quindecim, in memoriam xv. Gaudiorum Deiparæ Virginis: quibus Presbyteris adjungi poterunt tot Conversi & Donati, quot ipsis videbuntur assumendi. Eâ tamen conditione, quòd nemo adsumetur, nisi cum consilio & consensu Prioris Windesimensis, & Priorum Cartusiæ Zelemensis & Antverpiensis....

In primis itaque damus dictum fundum *Nuwer-Molen* nuncupatum, ad Netham fluvium, qui est septem bonariorum, item pratum vicinium quod *Vloet* nuncupatur, cum mirica & appendicibus, item Villam de *Cauwenberghe*, in vico Pulle sitam, item triginta modios siliginis annuè reicipiendos ex Wygate prope Goieke....

In quorum fidem sigilla nostra his Litteris appendimus, & rogavimus ut ad majorem securitatem idem faciant Arnoldus de Immersele, noster Nepos, Guilielmus vanden Broecke, Walterus Wellens, & Laurentius vanden Broecke, homines feudales in Curia Santhoviensi. Actum postridie Natalis Dominici anno millesimo quadringentesimo decimoquarto, juxta 1414.
stilum Curiæ Cameracensis.

CAPUT CXLV.

Joannes IV. *Brabantiæ Dux, anno 1416. declarat Abbatem Parcensem Ordinis Præmonstratensis juxta Lovanium, esse perpetuum & hereditarium Capellanum Ducis Brabantiæ.*

Joannes Dei gratiâ Brabantiæ & Limburgi Dux, Sacrique Imperii Marchio, universis & singulis, ad quos præsentes Litteræ nostræ pervenerint, salutem & dilectionem. Cùm Venerabilis in Christo Pater Dominus Gerardus, (1) Abbas Monasterii B. Mariæ Parcensis propè Lovanium, Præmonstratensis Ordinis, Leodiensis Diœcesis, Capellanus noster fidelis & in Christo dilectus, Nobis exposuerit, quòd Prædecessores sui Parcenses Abbates, de jure & antiqua consuetudine, fuerint Archicapellani & Confessores perpetui Prædecessorum nostrorum Brabantiæ Ducum, ipsisque etiam jus competierit, ratione prædictæ Parcensis Ecclesiæ, in Summis Festivitatibus, coram præfatis Ducibus, & in ipsorum Capella, Mystica Servitia & alia Officia celebrare Divina; Nobis humiliter supplicando, quatenùs ipsum, prædictæ suæ Ecclesiæ ac suorum Successorum nomine, in omni eo jure, quod sibi in præmissis quomodolibet competere poterit, conservare dignaremur, Litterasque sibi desuper concedere oportunas.

Hinc est, quòd Nos attendentes, quòd justa petentibus non est denegandus assensus, communicato priùs super hoc Consilio cum nonnullis Consiliariis nostris, ac maturâ deliberatione præhabitâ, declaravimus, ac tenore præsentium declaramus, volentes prælibatum Abbatem ac Successores ipsius, tanquam nostros Archicapellanos & Confessores perpetuos, in nostra & Successorum nostrorum Brabantiæ Ducum præsentia, in summis festivitatibus Divina servitia & Officia celebrare, omnia alia & singula facere debere, ratione dictæ suæ Ecclesiæ sibi incumbentia quomodolibet, de consuetudine vel de jure. Quodque ipsi ac Successores sui memorati universis & singulis prærogativis, Privilegiis, gratiis, libertatibus & immunitatibus potiri debeant & gaudere, quibus Prædecessores sui freti fuerint & gavisi, ac ceteri Capellani nostri potiuntur & gaudent. Nec non ad Nos pro suis promovendis negotiis recursum habeant cum fiducia speciali, nostro vel cujuslibet alterius jure in præmissis semper salvo, harum testimonio Litterarum sigilli nostri appensione communitarum.

Datum in Opido nostro Bruxellensi, mensis Aprilis die vigesimâ secundâ, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto. 1416.

Per Dominum Ducem, Domino Henrico de Bergis Domino Grimbergensi, & Domino de Melino, & Henrico Domino de Heverle, Militibus, ac Rasone de Graven Domino de Maleve, Reinero Moers, & Henrico de Werthusen, nonnullisque aliis de Consilio præsentibus. (2) De Dinter.

(1) Abbas Parcensis Ordinis Præmonstratensis, hodie est Archi-Capellanus Ducis Brabantiæ. Præpositus Canonicorum Regularium S. Jacobi in Monte frigido, juxta Bruxellense Ducis Palatium, est Capellanus hereditarius, & gaudet mitrâ ex beneficio Pontificis Romani, procurante Philippo Bono anno 1461.

Abbas porrò Parcensis, temporibus Alberti & Isabellæ, Principum nostrorum, suum quoque inter Capellanos Oratorii Palatini locum habuit.

(2) De Dinter. Fuit is Emundus sive Edmundus Dinterus, quatuor Brabantiæ Ducum Secretarius, & Chronicorum Brabantiæ Scriptor, quæ apud me exstant calamo exarata. Obiit anno 1448. conditus Bruxellis in Sacello laterali Basilicæ S. Jacobi, in Monte frigido, prope Palatium Regium.

Ceterùm Joannes IV. Brabantiæ Dux, Lovaniensis Academiæ anno 1425. conditor, anno 1426. vivere desiit, Furæ secundo lapide à Bruxella (ubi vetus est Ducum Brabantiæ Palatium) in templo parochiali conditus, cum Parentibus & Fratre, hoc elogio addito:

 DEO

DEO OPTIMO MAXIMO.

ANTONIUS, JOANNES, PHILIPPUS, *Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Duces, ille Pater, hi Filii, cum* JOANNA *Simpolia Matre, commune hoc Monumentum habent, parvum magni, sed vel ideo magnum.*

ANTONIUS *justus, acer ac militaris, pugnâ Azincuriensi cæsus, VIII. Kalendas Novembris,*
1415. *MCCCCXV. cadaveribusque hostium obrutus, triduum, & pulcherrimâ morte, velut sepultus jacuit, ut majorem huic gloriam tumulo inferret.*

JOANNA *Antonii Uxor, Valerani Comitis Simpolii Filia, pulcherrimâ formâ, castissimis moribus, sed ante Maritum exstincta, pridie Eidus Augusti*
1407. *MCCCCVII.*

JOANNES *Filius natu major, pietatis ac doctrinæ amans, XIII. ætatis anno Dux, XVI. Maritus, at infausto mox conjugio, XXIII. Academiæ Lovaniensis conditor, diem haut multò post obiit, XV. Kalendas Maias, MCCCCXXVI.* 1426.

PHILIPPUS *natu minor, tribus annis rerum potitus, cùm sponsam è Sicilia Ludovici Regis Filiam exspectaret, Lovanii in arce fatis concessit, pridie Nonas Augusti MCCCCXXX.* 1430.

Sic Pater, Mater, Filii, quem vivi amarunt locum, mortui illustrant. Sed Serenissimi Albertus & Isabella Clara Eugenia, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ & Brabantiæ &c. mutum hactenus Monumentum non passi sine scriptura esse, Patris, Matris, Filiorumque nomina inscribi voluerunt, pridie Kalendas Novembris MDCXVI. 1616.

CAPUT CXLVI.

Lites inter Abbatem Egmondanum ex una, & Dominum Egmondæ ex altera parte motas componit anno 1437. PHILIPPUS BONUS, *Burgundiæ Dux & Hollandiæ Comes, ex commissione* EUGENII IV. *Papæ.*

EUGENIUS Episcopus Servus Servorum Dei.... Sanè pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conventûs Monasterii S. ADALBERTI, loci ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti, ac Nobilis Viri (1) JOANNIS DE EGMONDA, Militis Trajectensis Diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd olim ipsi frequenti libramine recensentes, quòd inter Abbatem & Conventum prædictos, ac suos inibi Prædecessores ex una, nec non Militem præfatum & ejus progenitores ex altera partibus, super dominio temporali ac territorio dicti loci, nec non quibusdam aliis terris, bonis, libertatibus, superioritatibus, subjectionibus, servitutibus, juribus atque rebus, & illorum occasione, multis annorum curriculis, gravissimæ dissensiones & discordiæ viguerunt: & propterea partes ipsæ, dictumque Monasterium (quod à dilecti filii Nobilis Viri PHILIPPI Ducis Burgundiæ Progenitoribus, Hollandiæ Comitibus, solenniter dotatum fuerat) damna plurima pertulerant, & nisi desuper celeris acceptaretur via provisionis, ipsum Monasterium magnæ desolationis periculo subjaceret.

AC cupientes Abbas & Conventus, nec non Miles, prædicti, dissensionibus & discordiis ejusmodi finem quantotiùs imponi, super præmissis omnibus in eumdem Ducem, sub certa forma compromittere curarunt, ei per se vel alium desuper, ubicumque locorum, de alto & basso, nec non in toto & parte stando vel sedendo, etiam juris ordine prætermisso, sententiandi, arbitrandi, & laudandi concedentes potestatem...

POSTMODUM verò prædictus Dux, ipso compromisso in se sponte suscepto, arbitralem super his, in earumdem tunc præsentia partium, sententiam promulgavit. Quam Abbas, Conventûs & Miles, prædicti, suis hinc inde sigillis appensis, efficaciter approbarunt, ut in utilitatem dicti Monasterii cedere dignoscitur evidentem.

QUARE pro parte Abbatis & Conventûs ac Militis eorumdem nobis fuit humiliter supplicatum, ut ejusmodi Sententiæ, pro illius subsistentia firmiore, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, & aliàs super his oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur.....

DATUM Ferrariæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo 1437.
septimo, xv. Kalendas Aprilis, Pontificatûs nostri anno octavo.

PHILIPPI BONI *Burgundiæ Ducis sententia.*

PHILIPPUS Dei gratiâ Dux Burgundiæ... Notum facimus universis, quòd multis annis discordiæ & inimicitiæ fuerunt inter R. in Christo Patrem Abbatem, & Conventum Egmondensem ex una parte, & Dominum Egmondensem, & suos vicinos Egmondenses ex altera parte. Tandem ad hoc deductum est, quòd dictæ partes venerunt Hagam Comitis, in Cameram Concilii, in præsentia fidelis nostri Domini de Santes, & aliorum Consiliariorum Hollandiæ, & integraliter submiserunt se nobis & Consiliariis nostris, seu in absentia nostra, fideli nostro Domino de Santes, cum prædictis nostris Consiliariis.....

DE qua compromissione confectæ sunt Litteræ sigillatæ ex utraque parte: & per dictum Dominum de Santes, & alios nostros Consiliarios, omnes causæ benè fuerunt perspectæ & visitatæ

visitatæ, & partes ad longum auditæ: & eorum arbitratio est talis.

In primis quòd Dominus Egmondensis bona sua & dominium suum de Egmonda in feudum accipiet à Monasterio Egmondensi in omni forma sua, sicut à Comitatu nostro Hollandiensi obtinuit, secundùm tenorem suarum Litterarum, cum (2) Advocatia ejusdem Monasterii; scilicet quòd ipse defensor & protector erit, secundùm suam possibilitatem, in omnibus, in quibus requisitus fuerit, & non aliter. Et idcirco pro augmentatione sui feudi tenebit & habebit à jam dicto Monasterio in feudum ministeria Curtuum in *Rynegom*, & omnia alia ministeria, quæ villani de Rynegom Monasterio sæpè dicto exhibere consueverunt...... & in recompensam Dominus Egmondensis resignabit Monasterio decimas in Hillegom.... In Ecclesia Parochiali Abbas & Conventus de nullis rebus habebunt se intromittere, exceptâ collatione....

Et quia volumus hoc nostrum arbitrium in omnibus articulis observari, ideo in hujus rei testimonium sigillum nostrum appendimus. Et Nos Wilhelmus de Mathenes Dei gratiâ Abbas, Prior & omnes Conventuales Monasterii Egmondensis ex una parte, & Nos Joannes Dominus de Egmonda, pro me & vicinis nostris de Egmonda ex altera parte, volentes illud arbitrium in omnibus suis articulis, pro nobis & nostris Successoribus, in perpetuum observari, ideo in hujus rei testimonium, sigilla nostra appendimus, die 24. Septembris, anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo. 1437.

Per Dominum & Ducem nostrum, in præsentia Guidonis Domini de Anthinie, Cancellarii Episcopi Ultrajectensis, Magistri Joannis Bont, Cancellarii Brabantiæ, Magistri Philippi de Morviller, Domini de Santes, Præsidis Hollandiæ, Domini de Trieneeux, Magistri Wilhelmi Bont, Magistri Petri de Renes, Doctorum, Magistri Henrici Utenhout, Magistri Bartholomæi Alatruye, & aliorum plurimorum de Consilio.

Additio. (1) Egmonda, celebre, amplum ac potens Hollandiæ municipium, in Diœcesi olim Harlemensi, quod ab anno 913. à Carolo Simplice Francorum Rege donatum fuit Theoderico I. Hollandiæ Comiti, uti patet ex Diplomate supra edito in Cod. Donat. Piarum cap. 26.

Hinc nomen suum accepit Illustrissima Familia, è Ducibus Gelriæ oriunda, quam Comitatûs titulo honoravit anno 1486. Maximilianus Imperator, juxta Tabulas paulò infrà, unà cum Stemmate Genealogico, producendas.

Fuit illic quoque splendidâ ac opulenta Abbatia Benedictinorum S. Adalberto sacra, fundata anno 1083. per Theodericum V Hollandiæ Comitem, juxta Tabulas supra productas Cod. Donat. Piar. Cap. 61, ubi plura in Notis.

Collegium quoque sex Canonicorum ibidem fundatum fuit anno 1451. in honorem S. Catharinæ à Joanne Egmondæ Domino.

(2) Advocatia. A multis retrò sæculis magna atque eximia dignitas censetur, esse Advocatum vel Subadvocatum, hoc est, Protectorem alicujus Ecclesiæ. Sic olim Comites Lovanienses Ecclesiæ Nivellensis. Comites Alostani Ecclesiæ Cameracensis, Toparchæ Betunienses Monasterii S. Vedasti Atrebatensis, Domini Ardenses Abbatiæ Bertinianæ, Bertoldi Ecclesiæ Mechliniensis, & Egmondani Proceres Abbatiæ Egmondanæ Advocati exstiterunt. Sic hodieque Rex Catholicus, tamquam Dux Luxeburgensis, est Advocatus Abbatiarum S. Maximini, ad muros Urbis Treverensis, & S Huberti in Arduenna; tamquam Dux Limburgensis est Advocatus Monasterii Trudonensis, & Præpositurę Marsanensis. De Advocatis & Sub-Advocatis Ecclesiarum.

Præter Advocatos seu Protectores supremos, multæ Ecclesiæ olim & Subadvocatos, hoc est, Protectores inferiores habuerunt, qui & Advocati interdum nuncupantur Sic Comites olim Durachienses Monasterii Trudonensis Sub Advocati fuerunt.

Sic Dux Arschotanus, tamquam Dominus de Mirovart, etiamnum est Advocatus dictæ Abbatiæ S. Huberti in Arduenna.

CAPUT CXLVII.

In Oppido Distensi, Diœcesis Mechliniensis, ex Parochiali S. Sulpitii Ecclesia fit Collegiata Canonicorum anno 1457. *per* Ludovicum Borbonium, *Episcopum Leodiensem, petente* Henrico de Voren, *Abbate Tungerloensi.*

Ludovicus (1) de Borbon, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ electus & confirmatus Leodiensis, universis & singulis præsentia visuris seu audituris salutem, quam Jesus ex Virgine natus generi profudit humano. In Domino exultantes iis præsertim Christi fidelium oraminibus, quibus Ecclesiæ militantis status crescere perspicitur, libenter congaudemus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Henricus de Voren XXVI. Abbas Tongerloënsis. Sane exhibita nobis pro parte Religiosi in Christo Henrici, Abbatis Monasterii B. Mariæ de (2) Tongerloe, Ordinis Præmonstratensis, Cameracensis, ac pro tempore Mamburnorum seu Provisorum fabricæ Ecclesiæ Parochialis S. Sulpitii, in Opido (3) Diestensi, nostræ nostræ, Diœcesium, petitio continebat;

Quòd Ecclesia S. Sulpitii prædicta Insignis quidem & quoad Parochiam bene populosa, in qua præter Rectorem Ecclesiæ, communiter Investitum vocitatum, quique de Conventu antefati Monasterii Tongerloensis, ad præsentationem Abbatis Monasterii ejusdem, à tempore & per tempus, cujus initii non exstat memoria, ad Ecclesiam ipsam Parochialem assumi, & per dilectum in Christo Archidiaconum Brabantiæ in Ecclesia nostra Leodiensi admitti, in ipsaque Ecclesia cum suis juribus & pertinentiis Rectoriæ seu Investituræ ex usu competentibus,

bus, institui consuevit, fuerunt hactenùs & de præsenti existunt, quemadmodùm & infrà limites Parochiæ quàm plura Altaria, similiter ad præsentationem Abbatis suprà dicti;

QUODQUE mediantibus aliquibus ex Altaribus in ipsa Ecclesia consistentibus, potissimè summo Altari & principali subscripto, ac Altari Sanctarum Mariæ dolorosæ & Gudilæ Virginis, similiter Altari trium Regum ante Chorum, per dictos Provisores, cum decem florenis censualibus hereditarii census Opidi Diestensis, ex testamento quondam Joannis de Halen proventis dotato, item Altari S. Spiritûs, nec non Altari S. Andreæ, item Altari S. Jacobi, similiter Altari S. Bartholomæi, & Altari S. Nicolai, ac Altari S. Theobaldi, item Altari S. Judoci, & Altari S. Agathæ, nec non Altari S. Genofevæ primæ fundationis, similiter Altari S. Genofevæ secundæ fundationis, in Collegiatam Ecclesiam, ut in ea Divinum Officium, nocturnum & diurnum, dietim conventualiter de cetero per Præpositum, Decanum & Canonicos inibi creandos, aliaque Ecclesiæ supposita devotiùs celebretur, congruè erigi posset & institui, juxta per ipsos exponentes desuper habitum conceptum.

IN primis, quòd Investitus Ecclesiæ, Religiosus siquidem de Monasterio Tongerloënsi antedicto, censeatur & sit Præpositus Ecclesiæ; ita quòd in Choro & Capitulo sit dexter, habeatque primam vocem nomine Investituræ. Factis autem votis singulorum Canonicorum, etiam Decani, habeat adhuc ultimam vocem veluti Præpositus; ut sic occasione primi voti rem tractandam aperiat, & postquàm alios audiverit, in ultimo voto suo se resolvat, sicque Decanus concludat secundùm saniorem & majorem partem votorum.

IDEMQUE Investitus seu Præpositus, ut disparitas habitûs, quatenùs possibile fuerit, evitetur, in Choro & Capitulo, ad instar Decani & Canonicorum, debet esse indutus superpellicio, similiter uti Almutio vario Canonicali. Insuper quotidianæ Missæ, per ipsum Investitum, Vicariosque suos ex more celebrandæ, de cetero dicentur in dicto Altari trium Regum ante Chorum, ad onera Curæ & illius exercitium appropriando.

CÆTERUM quod in Decanum Collegii, cui personalis residentia incumbet, quique in Choro sinister erit, pro prima vice crearetur Magister Petrus de Cortys, qui similiter ad titulum hujus secundæ fundationis summi seu majoris Altaris Chori, pro parte ipsorum Provisorum, sub vocabulo SS. Mariæ ac Dionysii originalis, & Sulpitii secundarii, Patronorum Ecclesiæ, cum duodecim florenis censualibus hereditarii reditûs seu censûs dicti opidi Diestensis, ad & supra domum & illius pertinentias Magistri Alexandri de Vossem, opidani ibidem, ex testamento quondam Henrici de Veele descendentis dotati, Canonicatum in ipsa Ecclesia obtineret.

QUODQUE postquam cesserit Decanatui, vel in eo transiverit, Præpositus & Capitulum infra tempus juris procederent ad electionem novi Decani, unum ex Canonicis receptus & præbendatis eligendo. Et ad finem, ut jura Abbatis in ipsa Ecclesia conserventur, factâ electione, eamdem Præpositus & duo Canonici dicto Abbati præsentarent, ipseque Abbas per suas Litteras hujusmodi electionem, una cum Præposito & Capitulo, ulteriùs nobis seu nostris in Ecclesia Leodiensi Successoribus Episcopis vel electis præsentare teneretur, solito more confirmandam.

QUI siquidem Decanus verbum Capituli gerere debet per se seu alium, donec aliquem in Scholasticum Ecclesiæ hujusmodi contingat deputari. Ipsique Præpositus & Decanus prædicti alternatis vicibus, seu aliàs, prout inter se concordaverint, in Festis Nativitatis Christi, Circumcisionis &c. ad Officium Divinum erunt adstricti. Insuper conceperunt, quod in ipso Collegio erigendo unus Canonicorum deputaretur in Cantorem, & unus in Thesaurarium....

NOS igitur Ecclesiam ipsam S. Sulpitii in Collegiatam Ecclesiam, ad instar Ecclesiarum nostrarum secundariarum Leodiensium, nec non Investitum qui pro tempore existit, & in futurum erit, in Præpositum, dictumque Magistrum Petrum in Decanum, ac Arnoldum Scorreken in Cantorem, similiter Libertum Meeus in Thesaurarium, & prænominata Altaria, videlicet summum Altare, singulaque tredecim Altaria superiùs specificata, cum fructibus, reditibus & proventibus eorumdem, adæquandis tamen, in tredecim Canonias Præbendales & Sacerdotales, ipsorumque Rectores præsentes & futuros in Canonicos Præbendatos.... creamus, instituimus & erigimus: ipsorumque Canonicatuum & Præbendarum collationem liberam, salvis dispositionibus Apostolicis & Legatorum ejus, religioso Abbati pro tempore dicti Monasterii attribuimus in perpetuum & reservamus.

UT autem præmissa omnia & singula perpetui roboris obtineant firmitatem, præsentibus Sigillum nostrum ad Caussas apponi mandavimus.

Additio. (1) LUDOVICUS DE BOURBON, filius tertio-genitus Caroli Ducis Borbonii ex Agnete filia Joannis Intrepidi Ducis Burgundiæ & Flandriæ Comitis, Nepos erat Philippi Boni Burgundiæ Ducis ac Belgarum Principis, à quo donatus fuit utrâque Præpositurâ S. Petri Insulis & S. Donatiani Brugis.

Anno 1456. Joanni Heinsbergio, Episcopatum Leodiensem resignanti successit, ac post varios casus, anno 1482. Leodii in seditione populari occisus fuit. Plura vide in *Chapeauville* & *Fisen* Historicis Leodiensibus.

(2) TONGERLOA, celebris Abbatia Ordinis Præmonstratensis in Campinia, de qua plura vide in Cod. Donat. Piar. cap. 87. & alibi.

(3) DIESTA, Oppidum ad Demeram fluvium, de quo supra pag. 296. ubi & Stemma antiquorum Dominorum Distensium exhibui.

Est illic duplex Ecclesia Collegiata, altera S. Joanni Baptistæ Sacra, erecta anno 1297. per Hugonem Episcopum Leodiensem, juxta Tabulas supra exhibitas cap. 136. Altera S. Sulpicii, fundata per Abbatem Tongerloensem, qui & ibidem hodieque constituit Præpositum & Pastorem loci, & Præbendas confert.

davimus. Datum Leodii sub anno à Nativitate
1457. Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, Indictione quintâ, die verò Jovis, duodecimâ mensis Jannuarii, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Calixti Divinâ providentiâ Papæ tertii anno suo secundo.

CAPUT CXLVIII.

ISABELLA, JOANNIS *Lusitaniæ Regis Filia*, PHILIPPI BONI *Burgundiæ Brabantiæque Ducis Conjux*, *anno* 1459. *à* CALISTO III. *Papa facultatem impetrat construendi Monasterium Dominicanorum in Urbe Bruxellensi.*

CALISTUS Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Bruxellensi, Cameracensis, & S. Panciatii Leidensis, ac S. Pharaildis Gandensis, Trajectensis & Tornacensis Diœcesis, Præpositis Ecclesiarum, salutem & Apostolicam benedictionem.

PIIS Christi fidelium desideriis gratum Nos decet præstare consensum, & ea quæ Religionis propagationem, cultûsque Divini augmentum respiciunt, ut votivum consequantur effectum, favore prosequi gratioso.

SANE pro parte dilectæ in Christo filiæ, Nobilis Mulieris, ISABELLÆ Ducissæ Burgundiæ, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cùm in Opido BRUXELLENSI, Cameracensis Diœcesis, quod admodùm insigne & populosum existit, nulla Domus pro inhabitatione Fratrum Ordinis Prædicatorum existat, ipsaque Ducissa, ob singularem devotionem, quam erga Ordinem ipsum & S. VINCENTIUM Confessorem gerit, desiderat in ipso Opido, in loco ad hoc congruo & honesto, unam Domum sive Conventum, pro usu & inhabitatione dictorum Fratrum, regularem vitam inibi ducentium, unà cum Ecclesia, campanili, campanis, cœmiterio, refectorio, hortis, hortaliciis, aliisque officinis necessariis, in honore & sub titulo dicti S. Vincentii, de novo fundare, erigere, ac construi facere ferventer exoptat, dummodò ei ad id Apostolicæ Sedis suffragetur auctoritas.

QUARE pro parte ejusdem Ducissæ nobis fuit humiliter supplicatum, ut suo pio proposito favorabiliter annuentes, ei Domum sive Conventum hujusmodi cum Ecclesia, campanili, campanis, cœmiterio, refectorio, hortis, hortaliciis aliisque officinis prædictis, in dicto Opido, in loco ad hoc congruo & honesto, fundandi & erigendi ac construi faciendi, ipsisque Fratribus, postquam constructum fuerit, illum sive illam recipiendi, & pro usu & habitatione prædictis perpetuò retinendi, licentiam concedere, ac aliàs super his oportunè providere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

NOS igitur qui cultum Divinum nostris potissimè temporibus ubique adaugeri intensis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica Scripta mandamus;

QUATENUS vos, vel aliquis vestrum, dictæ Ducissæ Domum sive Conventum ipsum, juxta Instituta & regularem observantiam dicti Ordinis in Opido præfato, in loco ad hoc congruo & honesto, per ipsam Ducissam eligendum, cum Ecclesia, campanili, campanis, cœmiterio, refectorio, hortis, hortaliciis aliisque officinis prædictis, de novo fundandi, erigendi seu construi faciendi, ac illam seu illum pro eorum usu & habitatione recipiendi, & perpetuò retinendi, plenam & liberam, auctoritate nostrâ, licentiam largiamini; Diœcesani loci, aut cujuscumque alterius licentiâ minimè requisitâ.

NOS enim, si Domum sive Conventum ipsum fundari, erigi seu construi contingat, ut præfertur, universis & singulis Fratribus, in ipsa Domo seu Conventu pro tempore commorantibus, ut omnibus & singulis prærogativis, indultis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, aliisque gratiis & concessionibus, quibus cæteræ ipsius Ordinis personæ & Domus, nbilibet potiuntur & gaudent, etiam uti & gaudere possint & debeant, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus.

NON obstantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, illâ præsertim, quâ prohibetur, ne Fratres Ordinis Mendicantium ad inhabitandum de novo loca recipere, seu hactenus recepta mutare præsumant, absque dictæ Sedis licentia speciali, faciente plenam & expressam de prohibitione hujusmodi mentionem, & aliis Apostolicis constitutionibus & ordinationibus, nec non statutis & consuetudinibus Ordinis hujusmodi, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque; jure tamen Parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo.

DATUM Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringen- 1457.
tesimo quinquagesimo septimo, Nonis Novembris, Pontificatûs nostri anno tertio.

CA-

BRUXELLENSE Dominicanorum Monasterium initia sua debet ISABELLÆ, Philippi Boni, Burgundiæ Brabantiæque Ducis Conjugi, Joannis Portugalliæ Regis Filiæ. Hæc ab eodem Calixto III. Papa anno 1455. facultatem quoque impetravit condendi novum à fundamentis Monasterium Clarissarum pauperum in Urbe Antverpiensi,

Templum & reliqua ædificia Dominicanorum Bruxellis postea auxerunt Adolphus Clivius Ravesteynii Dominus, ejusque Filius Philippus, ibidem magnificis Mausoleis conditi; quæ cum anno 1695. in fatali Urbis illius per militiles Gallorum ignes combustione (vulgò *Bombardatione*) fuerint diruta, juvat saltem Epitaphia in memoriam revocare.

Sub hac lamina jacet corpus nobilis memoriæ Adolphi Ducis in Clivia, Comitis in Marca, Toparchæ de Raveftyn, & secundogeniti Filii Adolphi Cliviæ Ducis, & Mariæ de Burgundia, Sororis Germanæ Boni Ducis Philippi, Ducis Burgundiæ, qui postquam nutriverat hunc suum Nepotem, Matrimonio conjunxit Illustrissimæ D. Beatrici Filiæ D. Petri Ducis Conimbricensis, Filii, Fratris, & Patrui Regum Portugalliæ, ex quibus duobus natus est Philippus Dux, Comes in dictis ditionibus, & Dominus de Raveftyn, eorum hæres. Post mortem dictæ Dominæ (cujus corpus Querceti sepultum est) hic defunctus junctus est Matrimonio Nobili & potenti Dominæ Annæ Filiæ dicti Boni Ducis Philippi, qui duo, postquam convixerunt per 22. annos, elegerunt sepeliri in hoc loco, cujus sunt Fundatores. Dictus D. Adolphus relinquens dictam Annam Viduam, obiit 18 Septembris 1492, & hæc Domina Anna, quæ hic jacet, sequitur illum Dominum, & obiit 18. Januarii 1508.

CAPUT CXLIX.

Joannes, *Wesemaliæ, Falesiæ & Terræ Mechliniensis Dominus, prole legitimâ carens,* Carolum Audacem, *Burgundiæ Brabantiæque Ducem, scribit heredem, anno* 1462.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen. Noverint universi, hoc præsens publicum instrumentum inspecturi, quòd anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, Indictione decimâ, die verò sextâ mensis Septembris, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pii Divinâ Providentiâ Papæ secundi anno quinto, personaliter constitutus nobilis & potens Joannes, Dominus temporalis de *Wesemale* de *Phaleis*, & Terræ Mechliniensis &c. Marescalcus hereditarius in Patria Brabantiæ, convocatis etiam secum venerabilibus & providis viris, testibus infrà scriptis, tam spiritualibus quàm sæcularibus personis, suis vasallis & aliis, sanus ex mente & intellectu, stans & ambulans, ut primâ facie apparebat, considerans tamen & attendens fragilem humanæ naturæ qualitatem, necessariò morituram, nihil itemque certius morte, horâ tamen nihil incertius; quam quidem mortem hac infrascriptâ suâ ordinatione testamentariâ & seu vel codicillari affectabat prævenire.

Sanctæ igitur & gloriosæ Trinitatis nomen invocans, suum testamentum seu ultimam suam voluntatem, & seu vel codicillum & ordinationem fecit, condidit, disposuit, ordinavit & declaravit, modis & formis hîc sequentibus. Et primò idem testator dixit & exposuit, se aliàs suum testamentum seu suam ultimam voluntatem condidisse & fecisse in Opido Mechliniensi, præsentibus ibidem, venerabili Viro Domino Joanne Muyls, Notario publico, & testibus adstantibus, anno videlicet Domini millesimo
1458. quadringentesimo quinquagesimo octavo, Indictione sextâ, die quintâ mensis Junii: in quo testamento seu ultimâ voluntate idem testator voluit & ordinavit, nonnullas fundationes Capellaniarum fundari debere in Ecclesia Parochiali de Westerle, in qua etiam Ecclesia ipse elegerat sepulturam suam, dum ab hac luce decederet, & plura alia circa hæc consueta ordinavit.

Quæ quidem sic per eum tunc legata, ordinata & facta, nunc revocat, cassat & annullat; & vult quòd Domicella Joanna Uxor Petri de Huldenberghe, ejus filia naturalis, de Sepultura sua & expensis funeralium suorum, cum omnibus & singulis hanc materiam concernentibus, dependentibus circumstantiis & connexis habeat Ordinationem & dispositionem omnimodam.....

Præterea præfatus testator asseruit in eodem Testamento prætacto fore unam aliam clausulam, in qua modo, jure, formâ & titulo præmissis, certis ex caussis, ibi expressis, Nobili *Joanni de Croy*, Filio secundò genito Nobili & Strenui Militis Domini Antonii de Croy legitimo, dedit, reliquit atque donavit dominium & Patriam dicti loci de Wesemale, cum molendino inibi, pratis, pascuis, silvis, & aliis appendiciis & pertinentiis, prout in dicta clausula Testamenti expressiùs continetur. Quam clausulam etiam, & ejus effectum, ex toto & in omni ejus parte revocavit, cassavit & annullavit, & pro cassis, irritis & revocatis haberi voluit; ceteris in dicto Testamento descriptis in suo robore permanentibus, prout ea remanere voluit.

Deinde testator prædictus asseruit, se velle aliàs de suis aliis bonis disponere, & præcipuè quia ipse habet hoc pro jure & debitis sibi, quòd ipse potest testari & relinquere per testamentum ad placitum suum de quingentis florenis Rhenensibus hereditariè, post mortem suam, super terris dictis Patriæ Mechliniensis recipiendis.

Ipse igitur idem testator attendens favores, amicitias, gratias, gratuitates & benevolentias sibi jam pluribus vicibus impensas & præstitas per Illustrissimum Dominum, Dominum Carolum de Burgundia, Unigenitum Filium Illustrissimi Domini nostri, Domini Ducis

cis Burgundiæ & Brabantiæ, Comitem de Charlois, eidem Domino Carolo ex nunc prædictos quingentos florenos Rhenenses hereditariè reliquit, & legavit purè, simpliciter & liberè, absque eo quòd unicuique vult indè disponere.

ET similiter, quia Dominus Willelmus de Egmont est dicto testatori obligatus ex judicato in fructibus per eum indebitè perceptis de dicto dominio Mechliniensis terræ, de quibus fructibus ipse testator, ex nunc prout ex tunc legat & relinquit dicto Domino Carolo duas partes dicti judicati, per eum assequendas & habendas.

SIMILITER idem testator ex caussis prædictis nostris reliquit & legavit eidem Illustri Carolo dominium & terram de WESEMALE prædictam, cum singulis suis dependentiis & pertinentiis, videlicet in domibus, terris arabilibus, pratis, pascuis, nemoribus, censibus, molendinis, & aliis quibuscumque juribus, obvenientibus & provenientibus ad caussam dicti dominii de Wesemale, sibi spectantis & pertinentis.

SIMILITER legavit eidem Illustri Carolo curtem & nemora, cum singulis suis depententibus & pertinentiis, dictam *Fleron*, sitam juxta Hoium, prout ipse testator ea tenuit tempore suo. Item dedit, donavit & legavit prædictus testator præfato Illustri Carolo, ex caussis præmissis, Advocatiam de *Duffle*, cum molendino de Wesemale, cum omnibus suis dependentiis, pertinentiis & connexis, nec non actionem & jus sibi in eisdem competens. Deinde prædictus testator dedit & reliquit præfato Illustri Carolo omnes reditus, proventus, jura, debita & arreragia, eidem testatori spectantia & debita in & super Comitatum Juliacensem; prout in Litteris desuper confectis pleniùs continetur.

INSUPER asseruit idem testator, quandam caussam seu quæstionem pendere Parisiis in Parlamento Regio, inter eum & Comitem S. Pauli, super quibus idem testator jam habet primam sententiam pro se. Quam quidem caussam, actionem & jus in ea parte sibi competentia, cum singulis suis pertinentiis, connexis & dependentiis dedit & legavit eidem Illustri Carolo, ex caussis præmissis.

ET insuper ipse testator ipsum Illustrem Dominum de Charlois universalem heredem in omnibus & singulis suis bonis præmissis & aliis quibuscumque instituit, cum conditionibus & adjectionibus infrascriptis: videlicet primò quòd idem Illustris Carolus debet solvere, in promptis denariis, Venerabilibus Viris Magistro Henrico de Ghestel & Waltero Heyen, Canonicis Mechliniensibus, summam mille florenorum Rhenensium semel, per eosdem, juxta mandatum dicti testatoris, convertendorum.

ITEM idem testator, ut asseruit, in suo testamento prætacto, providit suis prolibus naturalibus, & filiis & filiabus, certo modo, in prætacto testamento pleniùs expresso, & ipse assignavit provisionem dictorum filiorum, fiendam per Dominum de Auxi, ad castrum dominii de Phaleys, & suarum filiarum voluit & assignavit fieri per prædictum Dominum Antonium de Croy: quæ omnia vult suum plenum effectum assequi.

IDEM præfatus testator donavit, reliquit & legavit JOANNÆ filiæ suæ naturali supradictæ omnia & singula mobilia bona sua, in quibuscumque rebus consistentia, sive in auro, sive in argento, utensibilibus, vaccis, equis, bobus, porcis, bladis & aliis, quomodocumque nuncupentur, existentibus tam in Castris de *Phaleys*, *Westerle*, *Anderstat*, & eorumdem Castrorum circumferentiis, attinentiis, & dependentiis reperiendis...

ACTA fuerunt hæc Lovanii in domo habitationis Petri van Wyc, dicti Nuelans, sita in vico dicto de Hoelstrate, Parochiæ S. Michaëlis, sub anno, Indictione, mense, die & Pontificatu, quibus suprà; præsentibus ibidem venerabilibus & scientificis Viris, Dominis & Ma- 1461.
gistris, Joanne de la Costecirie, in Decretis Licentiato, Decano Ecclesiæ Collegiatæ S. Jacobi Lovaniensis, Joanne de Bouchem, Decretorum Doctore eximio, & Joanne Tabulrier Decano Consilii Woenselensis, Leodiensis Diœcesis, in Artibus Magistro, ac Balduino Borch Opidano Lirensi, & Rigaldo van Borset, unà cum pluribus aliis testibus fide dignis, ad præmissa testificanda vocatis specialiter & rogatis.

CAPUT

CAROLUS Audax, Burgundiæ Brabantiæque Dux Wesemaliam ad se devolutam dedit Joanni de Croy, Rodiensis in Hannonia Oppidi Domino, qui ipsam Guidoni de Brimeu Comiti Megano anno 1472. vendidit: ùt suprà narravimus. Wesemalia porrò est una ex antiquis Brabantiæ Baroniis: de quibus ita Divæus in sua Brabantia, sub finem lib. 7.

Barones (ita vocari solent Proceres, qui vexillum in bellum efferunt) Brabantiæ censentur in Lovaniensibus, *Disthemii*, *Arschoti*, *Birbachi*, *Sichenarum*, *Rodii S. Agathæ*, *Rhoeslaria*, ac *Wesemalia*; in Bruxellensibus, *Grimberga*, *Gasebeca*, *Duffla*, *Lesdalia*, in Marchia Antverpiæ, *Bergarum*, *Breda*, in Gallo Brabantia, *Gemblaci*, *Angia*, *Parwisii*, *Ravisii*, *Sombreffa*, *Jachea*: in Boscensi jurisdictione, de *Cuyck*, *Boxtella*, de *Cranendunco*: in Thenensibus, *Boutershemii*.

In vetustis Brabantiæ Chronicis Teutonicis istæ Baroniæ recensentur: *Arschot*, *Grimbergen*, *Gaesbeke*, *Cuyck*, *Bierbeke*, *Diest*, *Perweys*, *Wesemale*, *Rotselare*, *Duffle*, *Ghele*, *Raivez*, *Lefdale*, *Cranendonck*, *Breda*, *Boxtel*, *Boutersem*, *Sombref*.

In Hortulo Insignium gentiliciorum Brabantiæ omittitur Arschotum, & in ordine XVIII. nominatur Heverlea.

Ex his Arschotum, Birbecam, Rotselariam & Heverleam possidet Dux Arschotanus olim ex Familia Croya, nunc Lignæa Arenbergia: Grimbergam indivisim habet Comes Nassovius & Comes Grimberganus ex Familia Bergia. Bredam, Distemium, Cudicam vulgò *Cuyck*, & Cranenduncum idem Comes Nassovius; Peruesium & Lefdaliam Merodii, Sombreffiam Comes de Beaurepair ex Familia de Ongnyes; Jaucheam Dominus Ascæ ex Familia de Cottreau; Bautersemium Henricus Bergensis apud Zutphanios Comes, Gasbecam & Ravisium, *Revez*, Comes Warfusæus ex Familia Renessia, tenent.

CAPUT CL.

LUDOVICUS BORBONIUS, *Episcopus Leodicensis*, *Collegium Canonicorum Arschoti anno* 1462. *instituit*, *petente* ANTONIO DE CROY, *Comite Portiani & Domino Arschoti.*

LUDOVICUS (1) de Bourbon, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ electus & confirmatus Leodiensis, ad futuram & perpetuam omnium & singulorum memoriam....

SANE exhibita nobis pro parte Illustris Domini (2) ANTONII de Croy, Comitis de Porchien, ac Domini temporalis de (3) *Arschot*, suæque devotæ ac generosæ conthoralis MARGARETÆ, ac Villici, Burgimagistrorum, Scabinorum & Consulum, & singulorum incolarum dicti Opidi de Arschot, nostræ Leodiensis Diœcesis, petitio continebat, quod in eodem Opido unica duntaxat Ecclesia Parochialis existit, sub titulo B. Mariæ Virginis dedicata: quam præfati Exponentes, bono zelo ducti, in Collegiatam erigi ferventer cupiunt & desiderant, ad divinum Officium nocturnum & diurnum collegialiter ibidem deinceps devotè celebrandum.......

NOS igitur Ecclesiam ipsam congruis honoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de consensu venerabilis Capituli nostri Leodiensis, dilectorumque Archidiaconi Brabantiæ in Ecclesia nostra Leodiensi, & Decani Concilii, itemque Abbatis & Conventûs S. Gertrudis Lovanii, ipsam Ecclesiam B. Virginis Mariæ Parochialem in Collegiatam Ecclesiam, adinstar aliarum Ecclesiarum nostrarum secundariarum Leodiensium, erigimus....

DATUM in Opido Trajectensi, sub anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo 1462. sexagesimo secundo, Indictione decimâ, die verò penultimo mensis Octobris, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Pii divinâ providentiâ Papæ secundi anno suo quinto.

CAPUT

(1) LUDOVICUS DE BOURBON, vide supra pag. 455.

(2) ANTONII DE CROY. Quam Illustris atque antiqua sit Familia Croiaca, ex his collige. ANDREAS II. anno 1250. Rex Hungariæ fuit, & Uxorem habuit *Gertrudem*, Ducis Meraniæ, Carinthiæ Histriæque Filiam: cujus Soror S. Hedwigis Henrico Barbaro, Silesiæ ac Poloniæ Principi, nupta, anno 1243. in cœlos migravit. Andreas ex Conjuge illa sua liberos quatuor, *Belam*, *Colomannum*, *Andream*, & *S. Elisabetham* tulit.

Duo priores in *Hungaria* manlere: *Andreas* Venetias abiit, & Filium *Marcum* ex Uxore prædivite reliquit, qui inde, ut tradunt, in Galliam migravit, atque ibi inclytam CROYORUM Familiam, nunc apud Belgas florentissimam fundavit.

Elisabetha nupsit Ludovico Thuringiæ & Hassiæ Lantgravio, & Hermannum unicum Filium, ac Filias duas, Sophiam Henrici II. Brabantiæ Ducis Conjugem, & Gertrudem peperit. Sic ferè Lipsius in Historia D. Virginis Hallensis, & alii passim.

Marcus, ex Filia & herede Domini de Araines & Croy in Picardia, duos reliquit Filios, Joannem sine liberis defunctum & Guilielmum. Guilielmus ex Anna Grinensi Jacobum genuit. Jacobus Mariam de Picquigny anno 1313. duxit: ut constat ex Tabulis publicis, quas Joannes Scoherius, in Genealogia gentis Croyæ, se vidisse dicit.

Guilielmus Jacobi Filius, Dominus de Croy & Araines, duxit Isabellam, Filiam heredem Andreæ Baronis de Renty, & Domini de Senighem in Artesia, ea conditione, ut insignia gentilicia Familiæ de Renty suis adjungeret.

JOANNES de Croy Guilielmi Filius, Dominus de Renty, Senighem & Araines, Caroli VI. Francorum Regis Oeconomus, Philippi Audacis & Joannis Intrepidi, Burgundiæ Ducum, Cubicularius, anno 1384. Matrimonio sibi junxit Margaritam de Craon, Dominam de Arschot, Sichene & Thou sur Marne.

Periit Joannes de Croy, anno 1415. cum Filio suo primogenito Arcembaldo in prælio Azincurtiano seu Rivovillano, Audomaropoli in Monasterio S. Bertini cum Uxore conditus, his versibus additis:

Croy, Renty, Picquigny & Brimeux,
Priez pour l'ame du Chevalier preux.
Craon, Flandre, Chastillon & Coucy,
Donnez obseque à la Dame qui gist cy.

Joannes inter alios reliquit filios, ANTONIUM cognomento Magnum, vulgo *Le Grand Croy*, Comitem Portiani, & JOANNEM primum Chimaci Comitem.

ANTONIUS Comitatum Portiani (*Porcean*) anno 1439. à Duce Aurelianensi, & Heverlæam anno 1446. à Nicolao Rolino Burgundiæ Cancellario emit.

Idem Comitatum Bellimontis, Cerviam & Rodium, (*Reux*) Hannoniæ Oppida, & Montcornetum in Tirascia sibi ac suis acquisivit: ut idem Scoherius tradit. Joannes tamen Molinetus, in Historia sui temporis manuscripta, narrat anno demum 1478. Avesnas, Bellummontem, Limoges & Landrecy Familiæ Croyæ accessisse per connubium Albretæ Sororis Regis Navarræ.

Obiit autem Antonius anno 1475. in Sacello arcis Portianæ conditus, cum Conjuge sua Margarita Lotharinga; ex qua filios reliquit, *Philippum* Portiani Comitem, & Joannem *Reuxy* Dominum.

JOANNES, Antonii Magni Frater, anno 1473 ineunte, primus Chimaci Comes à Carolo Audace creatus, ex Maria Lalaina, Domina de Quievram, genuit Philippum, Philippus Carolum primum Chimaci Principem 1486. designatum, & Antonium Dominum Fani S. Piati, vulgò *Sempy*. Plura de hac Illustrissima Familia ejusque Stemmatibus reservantur in Chronico nostro Belgico ad annum 1521.

(3) ARSCHOTI, sunt Canonici duodecim, quos inter recensentur Præpositus, Decanus qui simul est Pastor, & Cantor, qui sunt Religiosi Abbatiæ S. Gertrudis Lovanii.

CAPUT CLI.

Claudius de Montagu, *Dominus de Couches, Eques Velleris Aurei, ejusque Uxor* Ludovica Turriana, *Colchense Canonicorum Collegium in Burgundia fundant, anno* 1469.

Nos (1) Claudius de Montecacuto, Miles, Dominus de (2) Colchis & de Longo-vico, & Ludovica de Turre, Uxor & Conthoralis nostra, ad laudem & gloriam Sanctæ & Individuę Trinitatis, gloriosæ Virginis Mariæ, ac SS. Ruffi & Sabini Martyrum, nec non Claudii Confessoris, Capellam in Castro seu fortalitio de Colchis ab antiquo fundatam, quam in Ecclesiam construi & reædificari fecimus, in Collegiatam Ecclesiam, pro uno Præposito & quinque Canonicis, actu Sacerdotibus, erigi summis desideriis affectamus; humiliter supplicantes Reverendissimo in Christo Patri & Domino, Domino Joanni Rolin, Cardinali & Episcopo Heduensi, ut prædictam Ecclesiam, sic per Nos ædificatam, in Collegiatam, pro uno Præposito & quinque Canonicis erigere & sublimare dignetur.....

Actum Colchis xxiv. die Januarii, anno Domini MCCCCLXIX. 1469.

(1) Claudius de Montagu, ex vetusta Ducum Burgundiæ stirpe, anno 1468. à Carolo Audace, Burgundiæ Brabantiæque Duce, creatus est Eques Ordinis Velleris aurei. Occisus fuit anno 1470. in pugnâ de Bussy.

(2) Colchæ, Oppidum Burgundiæ, vulgò *Couches*, sub Episcopatu Æduensi (Autun) & Ducatu Carolesii seu Cadralesii (*Charolois*) qui olim ad Principes Belgii nostri è Familia Burgundica pertinuit.

CAPUT CLII.

Fredericus III. *Imperator anno 1573. declarat Arnoldum, Joannem, Guilielmum, & Rickaldum de Meroda fuisse Barones à multis retrò annis.*

Nos Fredericus, Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Dominus, Marchio Sclavoniæ, Portûs Naonis, Comes Habsburgi, Tirolis, Ferretis, Marchio Bourgoviæ, Lantgravius Elsatiæ &c. cognoscimus & per has Litteras patentes certificamus, universis illas visuris, aut audituris.

Etsi nos ex sublimi Imperiali dignitate, quâ Dei Omnipotentis ordinatione ad S. R. Imperium laudabiliter coronati, hinc Imperii Augustus nuncupamur, atque singulariter affecti sumus eorum, quorum Proavi, & qui ipsimet erga nos atque sacrum Imperium diligentissimis officiis se & strenuos & utiles exhibuerunt atque præstant, in recompensationem talis servitii, eorum inquam, honores & dignitates amplificare, eosdemque tam ipsos, quàm eorum Progeniem Nobilitatis decore, per nostræ Cæsareæ Majestatis dispensationem, sublevare atque honestare.

Quia verò ab honorabili nobisque dilecto ac devoto Arnoldo de Meroda, Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonico, informati sumus, quod tum ipse, tum etiam Nobiles nostri, atque Imperii fideles & devoti, *Joannes*, *Rickaldus*, *Wilhelmus* & *Margareta*, Fratres sui, & Soror, ex quarta ipsorum Avorum & Abavorum successione & progenie, de Meroda Barones & Baronissæ essent, ejusque dignitatis usum & possessionem non solùm huc usque continuassent; sed nunc etiam ab omnibus & singulis pro talibus habeantur; Nobis idem prædictus Arnoldus simul explicavit, quod Litteræ sigillatæ & certificationes super talibus eorum libertatibus & concessis Privilegiis erectæ, per tumultus bellicos ereptæ & deperditæ essent; qua de caussâ timerent, ut hic casus ipsis subsequenter in diminutionem & abstractionem Libertatis & Privilegiorum sui Stemmatis cedere possit.

Idcirco nos tamquam Romanum Imperatorem imploravit, & supplex petiit, ut nos sibi, præfatis *Joanni*, *Rickaldo*, *Wilhelmo* de Meroda, suis Fratribus, eorumque heredibus & successoribus masculini & feminini sexûs, nec non prædictæ *Margaretæ* de Meroda, ipsorum Sorori, has Libertates, Dignitates & Privilegiatas successiones Baronum & Baronissarum confirmare & approbare, ipsosque à novo in nostros & sacri Imperii veros Barones & Baronissas honestare, creare, ordinare atque evehere gratiosè dignaremur.

Hoc casu, nos considerantes jam prædicti Arnoldi de Meroda humilem atque æquam petitionem, antiquam etiam eorum progeniem, & præsertim fidelia & utilia servitia, quæ tum præfatorum de Meroda Fratrum Prædecessores, nostris in Imperio Prædecessoribus, Ro-

manorum Cæsaribus & Regibus, tum etiam illi ipsi nobis in sacro Imperio sæpissimè, & nominatim prædictus *Arnoldus*, indefesso studio præstiterunt atque exhibuerunt, neque minùs in posterum præstare atque exhibere & possunt & debent.

QUOCIRCA plenè deliberato animo atque maturo, tum nostro, tum Imperii Electorum Principum, Ducum, Comitum, Nobilium & fidelium, in magno & notabili numero nobiscum hâc vice congregatorum consilio, & certâ scientiâ, prædicto *Arnoldo* de Meroda, simul etiam *Joanni*, *Rickaldo*, *Wilhelmo*, suis Fratribus, ipsorumque heredibus, atque tam masculini quàm feminini sexûs Successoribus, etiam præfatæ ipsorum Sorori, antè nominatas eorum libertates, Dignitates, & Familiæ Privilegia Baronum & Baronissarum, tamquam Romanus Imperator, gratiosè confirmavimus, approbavimus, eosdemque de novo in nostros & Sacri Imperii veros Barones & Baronissas honestavimus, creavimus, ordinavimus & sublevavimus, confirmamus, approbamus, honestamus, creamus, ordinamus & sublevamus; hoc modo ipsos de novo in nostros & Sacri Imperii veros Barones & Baronissas omnimodè, ex Romani Cæsaris plenissima potestate & scientia; idque his Litteris attestantibus; ita ut ex nunc in perpetuum Barones & Baronissas de Meroda ipsi, & singulariter prædictus JOANNES de (1) Meroda & (2) Petershem, nec non præfatus RICKALDUS DE MERODA & (3) HOFFALIS, suis titulis & nominibus scipsos scribere, nominare, atque ab omnibus & singulis taliter nominari, & pro talibus agnosci, eaque de caussa Nobis & Sacro Imperio, servitiis aliisque modis obedientes, atque obsequentes esse debent.

INSUPER etiam omnes ac singulos honores, dignitates, prærogativas, libertates, gratias, jus & justitiam, judicialiter seu extrajudicialiter, in spiritualibus & civilibus statibus & caussis, omnibus in locis percipere, atque eorum usu & participatione se recreare possint & debeant, quorum usum & participationem eorum Prædecessores de Meroda, cæterique nostri & sacri Imperii verè progeniti Barones & Baronissæ, ex quarta ipsorum Avorum & Abavorum progenie, de jure, consuetudine, atque nemine obstante, quietè percipiunt.

OMNIBUS itaque & singulis Principibus, Electoribus, Ducibus, Comitibus, liberis Baronibus, Equitibus & Militibus, Capitaneis, Vicedominis, Satrapis, Præfectis, Administratoribus, Vicetenentibus, Scholtetis, Scabinis, Consulibus, Judicibus, juratis, civibus & communitatibus, atque omnibus præterea aliis nostris & Imperii subditis & fidelibus, cujuscumque statûs aut conditionis fuerint, ex prænominata Romani Cæsaris potestate, per præsentes Litteras severè atque rigorosè mandamus, ut hi omnes ac singuli præfatos *Arnoldum*, *Joannem*, *Rickhaldum*, *Wilhelmum*, Fratres de Meroda, eorum heredes, & masculini seu feminini sexûs Successores, insuper etiam prædictam ipsorum Sororem *Margaretam*, ex nunc in perpetuum Barones & Baronissas de Meroda, & singulariter sæpè nominatum JOANNEM de Meroda & Petershem, atque prætactum RICKALDUM DE MERODA & HOFFALIS nominent, scribant atque agnoscant: ipsos etiam in hoc, atque in prædictis aliis nostris gratiis, juribus, honoribus, dignitatibus, libertatibus, confirmationibus, approbationibus, atque novis donationibus & concessionibus, neque impediant, neque ullâ ratione molestent; sed eorum usu & fructu, prædicto modo, quietè perfrui sinant: quatenus vobis omnibus & singulis unicuique cordi & respectui est nostra & Imperii gravis indignatio: idque sub expressa pœna centum marcarum auri puri, quam quisque contra istud mandatum petulanter delinquens, pro una dimidietate in nostram atque Imperii Cameram, & pro altera dimidietate prædictis Fratribus de Meroda, eorum heredibus & Successoribus, atque præfatæ ipsorum Sorori irremissibiliter persolvere obligatus erit: idque per attestationem harum Litterarum, quæ appenso nostræ Cæsareæ Majestatis sigillo sigillatæ sunt.

DATUM Treviris post S. Michaëlis Archangeli diem, anno à Nativitate Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, nostri 1473.
Imperii Romani tricesimo quarto, Cæsarei Imperii vicesimo secundo, & Huangariæ decimo quinto.

CAPUT

Additio.

(1) MERODA. Arx, vicus, & Baronià antiqua in Ducatu Juliacensi, nomen dedit Illustrissimæ huic Familiæ.

(2) PETERSHEM, vicus & Baronia Domûs Merodiæ, in Comitatu Lossensi, haut procul Trajecto ad Mosam.

(3) HOFFALIS, vulgo *Houfalize*, Oppidulum inter Sylvas Arduennæ situm, in limitibus Episcopatûs Leodiensis & Ducatûs Luxemburgici. Est illic Prioratus, *Vallis Scholarium* dictus, fundatus circa annum 1200. à Theoderico Hoffalisiæ Domino.

De MERODIA Familia lib. 1. Diplomatum Belgicorum cap. 109. & lib. 2. cap. ultimo fusè egimus. Ad majorem tamen lucem lubet Stemma genealogicum subnectere.

Stemma Familiæ de Merode.

- *Richardus Dominus de Merode & Frentz, duxit Margaritam de Wesemale.*
  - *Richardus Dominus Westerloa, duxit Beatricem Dominam de Petersem, Lesdale, Hilvernbeke, Oirschot.*
    - *Joannes duxit Aleidem Dominam Duffle, & Peruesii.*
      - *Joannes* II. *Dominus Westerloa, Gela, duxit Margaritam Meluniam.*
        - *Joannes* III. *Capellanos Gela fundavit* 1532. *duxit Annam Gistel. obiit sine liberis.*
      - *Richardus Dominus Petersemii duxit Margaritam Hernanam.*
        - *Henricus Canonicos Gela fundavit* 1562. *duxit Franciscam Brederodiam.*
          - *Joannes* IV.
            - *Philippus obiit* 1627.
              - *Philippus Marchio* I. *Westerloa*, 1627.
          - *Walravus Dominus Oirschot, Lesdalia.*
            - N. *Uxor* N. *Merodii.*
          - *Joannes.*
            - *Helena.*
          - *Ludovicus duxit Ludovicam Dominam de Treslon.*
            - *Philippus.*
              - *Hermanus Philippus Marchio* I. *de Treslon*, 1626. *duxit Alexandrinam Arenberg.*
        - *Franciscus.*
    - *Richardus duxit Housalisa Dominam Elisabeth.*
      - *Richardus Dominus Housalisa.*
      - *Richardus Dominus Frentzii.*
        - *Richardus duxit Franciscam Boechout.*
          - *Richardus duxit Margaritam Dominam d'Ongnyes, Middelburg.*
            - *Philippus Comes* I. *Middelburg. obiit* 1625.
              - *Philippus Comes* II. *lib.* 1. *Dipl. c.* 109.
            - *Richardus Dominus d'Ongnyes, obiit* 1625.
              - *Franciscus.*
              - *Richardus.*
    - *Guilielmus à quo Warouxii, Duffelii & alii, pag.* 277.
    - *Arnoldus Canonicus Leodiensis.* 1473.
    - *Margarita.*

CAPUT CLIII.

JOANNES *Egmondæ Dominus à* MAXIMILIANO I. *Imperatore creatur primus Comes Egmondanus, anno* 1486.

MAXIMILIANUS Divinâ favente clementiâ Romanorum Rex semper Augustus...spectabili JOANNI Comiti de Egmont, nostro & Imperii sacri fideli dilecto, gratiam Regiam & omne bonum.

SPECTABILIS, fidelis, dilecte, etsi Regiæ dignitatis gloriosa sublimitas, necnon ejus circumspecta benignitas, universorum exaltationi studiosè consuevit intendere, & adeò quæ Reipublicæ grata compendia adferunt, amplâ consideratione perpendere; ad illorum tamen sublimationem procurandam proniore & singulariore quodam fervore inclinatur uberiùs, quos intemeratæ devotionis firma constantia, & veritata fidei diuturnitas, evidentibus testimoniis, in conspectu Regiæ Majestatis, non mediocriter recomendarit.

SANE consideratis multiplicibus & studiosis tuis obsequiis, & nobilium tuarum virtutum industriis, quibus tu & Progenitores tui, solidâ & integrâ probitate, curâ pervigili, & sacro Romano Imperio irrefragabiliter claruisse & complacuisse dignoscimini, & in antea equidem ferventiùs & sedulius clarere & complacere poteris ac debebis, quantò majoribus honoribus & prærogativis largâ nostrâ manu Regali senties frugaliùs te refectum atque consolatum.

IDEOQUE nostræ Majestatis oculos & internæ meditationis aciem, singulari quâdam ferventiâ, in te gratiosiùs dirigentes, te JOANNEM, tuosque heredes legitimos, qui de lumbis tuis descenderunt, Illustrium Principum, Comitum, Baronum & Procerum Sacri Imperii ad hoc accedente consilio, animo deliberato, & ex certa nostra scientia, auctoritate nostrâ Regiâ, & Regalis potestatis plenitudine, hodie in nomine Domini Salvatoris nostri, à quo omnis honor prodire agnoscitur, in veros dicti Comitatûs Egmondensis Comites elevavimus, ereximus, sublimavimus, creavimus atque nobilitavimus; prout elevamus, erigimus, creamus & sublimamus, auctoritate & potestate prædictis, per præsentes.

DECERNENTES & hoc Regali statuentes edicto, quatenus tu & heredes tui legitimi, singuli nati & nasciturí; ut veri Comites dicti Comitatûs, perpetuò omnium dignitate, nobilitate, jure, potestate, libertate & honore gaudere possitis & frui, quibus Sacri Romani Imperii Comites hactenus freti sunt & quotidie potiuntur, consuetudine vel de jure.

TERRAS quoque vestras, necnon villas, districtus, montes, colles, plana cum omnibus silvis, rubetis, pratis, aquis aquarumque discursibus, pascuis, piscinis, piscaturis, judiciis, bannis, venationibus, aucupationibus, & pœnis, feudis, vasallis vasallagiis, plebeis, rusticis, agriolis, pauperibus & divitibus, & cum omnibus eorum pertinentiis, tibi per paternas hereditates succedentibus, sicut dictus Comitatus Egmondensis & ejus latitudo comprehendit, unà cum dominio, Opido & Castro de *Purmereynde* & Villagiis

Villagiis dictis *Neck*, *Purmerlant* & *Ilpendamme*, cum omnibus suis pertinentiis, Comitatui tuo Egmondensi, ex certa nostra scientia, pro te & tuis Successoribus, inseparabiliter adjunximus, & per præsentes annectimus, in verum Comitatum ereximus & erigimus, insignivimus & insignimus, & prædictâ Regalis potestatis plenitudine decoramus.

At vero omnes Comitatûs tui subditos à quocumque onere liberos reddimus, absolvimus adque relevamus. Et eumdem Comitatum in feodum nobile, ex Sacri Romani Imperii potestatis plenitudine, Tibi & heredibus tuis prædictis conferimus & donamus præsentium per tenorem: ita & taliter, quòd Tu & heredes tui prædicti ex nunc in antea perpetuis temporibus, quandocumque & quotiescumque casus se obtulerit, eumdem Comitatum cum omnibus & singulis pertinentiis suis à Nobis & Successoribus nostris Romanorum Imperatoribus & Regibus, ac ab ipso immediatè subjectum Romano Imperio in nobile feodum, prout moris est, recognoscatis & recipiatis, dolo & fraude procul motis.

STATUIMUS insuper & hâc edictali Constitutione sancimus, quòd Tu & heredes tui prædicti perpetuò Comites dicti Comitatûs Egmondensis nominari & appellari, & ex nunc in antea, tamquam Sacri Romani Imperii Comites teneri, honorari & ubique ab omnibus reputari, atque Jure, Jurisdictione, Privilegio, honore, gratiâ, dignitate, immunitate, ac mero & mixto Imperio perfrui possitis & debeatis, quibus alii Sacri Romani Imperii Comites in dandis & recipiendis Juribus, & in conferendis seu suscipiendis feodis, & in omnibus aliis spectabilem conditionem & statum Comitum concernentibus, freti sunt hactenùs seu quomodolibet potiuntur, impedimentis cessantibus quibuscumque.

MANDANTES igitur omnibus & singulis Principibus, Comitibus, Baronibus, Proceribus, & generaliter toti universitati Sacri Romani Imperii, quatenùs sub pœna indignationis nostræ gravissimæ, Te & heredes tuos legitimos, *Spectabiles Comites*, & dicti Comitatûs Egmondensis nomine intitulent, revereantur & honorent, Vosque dignis semper prosequantur honoribus, cunctis temporibus præsentibus & futuris, jure Comitis Hollandiæ semper salvo, præsentium sub nostri Regalis Sigilli appensione testimonio Litterarum.

DATUM in Opido nostro Bruxellensi die duodecimâ mensis Novembris, anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto, Regni verò nostri anno primo. 1486.

Stemma Genealogicum Dominorum ac Comitum Egmondæ, *Ducum* Gelriæ, *ac Toparcharum* Iselsteynii, Leerdami, Buræ &c. *ex Familia* Egmondana.

- *Joannes Egmonda Dominus, Arnoldi Filius, Joannis Nepos duxit Mariam de Arkel, obiit 1451.*
  - *Arnoldus Gelriæ Dux, obiit 1468.*
    - *Adolfus Gelriæ Dux duxit Catharinam Borboniam, obiit 1477.*
      - *Carolus Gelriæ Dux, obiit 1538. sine liberis.*
      - *Philippa Uxor Renati II. Ducis Lotharingiæ, obiit 1519.*
  - *Guilielmus Egmondæ, Iselsteynii, Buræ, Lerdami Dominus, 1478. Eques Velleris Aurei obiit 1483.*
    - *Joannes Egmondæ I. Comes 1486. Eques Velleris Aurei duxit Magdalenam Werdenburgicam, obiit 1516.*
      - *Joannes Egmondæ II. Comes, 1516. Eques Velleris Aurei, duxit Franciscam Luxeburgicam Comitissam Gaveræ, obiit 1528.*
        - *Carolus Comes III. obiit cælebs 1541.*
        - *Amoralus Comes IV. Princeps Gaveræ duxit Sabinam Bavaram, obiit 1568.*
          - *Philippus Comes V. obiit sine liberis 1590.*
          - *Amoralus, obiit sine liberis 1617.*
          - *Carolus Come VI. Eques Velleris Aurei obiit 1623.*
            - *Ludovicus Comes VII. Egmondæ, Princeps Gaveræ, duxit Mariam Margaretam Berlaimontiam.*
            - *Magdalena.*
            - *Albertina.*
          - *Leonora.*
          - *Maria.*
          - *Francisca.*
          - *Magdalena.*
          - *Christina.*
          - *Anna.*
          - *Sabina.*
          - *Joanna.*
          - *Philippa.*
        - *Margarita Uxor Nicolai Comitis Vaudemontani.*
      - *Georgius Episcopus Ultrajectinus obiit 1559.*
      - *Philippus.*
      - *Filiæ V.*
    - *Fredericus Comes I. Buræ, Dominus Lerdami & Iselstenii, duxit Aleidem Culenburgicam, obiit 1500.*
      - *Florentius Comes II. Buræ. 1505. Eques Velleris Aurei duxit Margaritam Berganam.*
        - *Maximilianus Comes III. Eques Velleris Aurei, 1531. obiit 1548.*
          - *Anna Uxor Guilielmi Nassavii, Principis Arausion.*
            - *Philippus.*
            - *Mauritius.*
            - *Henricus.*

Additio. ORigo Familiæ Egmondanæ diversa à Scriptoribus traditur, qui sæpe solent Illustrium Familiarum initia fabulis involvere. Sunt qui tradant, ab antiquis Frisiæ Regibus Egmondanos descendere.

Alii seriem illam Frisiæ Regum (quam Joachimus Hamconius Friso pulchrè in Libello contexuit) fictam asserunt, cum nullius recepti Scriptoris authoritate nitatur; ortosque Egmondanos tradunt, à Curatoribus sive Advocatis Abbatiæ Egmondanæ Ord. S. Bened. quam vetustissimæ originis esse certis constat testimoniis; illiusque cognomen *Egmondanum* non ex certæ originis continua descensione, sed ex officio ac munere publico,

quod in dicta obibant Abbatia, tandem adhæsisse. *Hactenus Pontus Heuterus Lib. VI. Rerum Burgund. qui Genealogiam Egmondanæ Familiæ contexuit, quam ibidem pag. 238. latiùs deductam consule.*

JOANNES Egmondæ Dominus, filius Arnoldi, Joannis Nepos, fundavit Collegium sex Canonicorum Egmondæ, ubi sepultus fuit anno 1451. Uxorem habuit Mariam de Arckel, è qua filios sustulit *Arnoldum* & *Guilielmum*.

Duces Gelriæ Egmondani.

I. ARNOLDUS, titulo maternæ successionis renunciatur anno 1423. Dux Gelriæ sextus, post obitum Reinaldi IV. sine liberis defuncti. Concessit Fratri suo juniori *Guilielmo* ditionem Egmondanam ac Ifselsteinensem. Uxorem habuit Catharinam Cliviensem, ex eaque filium sustulit *Adolphum*. Obiit Arnoldus anno 1468, ob variam fortunam plurimùm celebratus à sui ævi Scriptoribus.

II. ADOLPHUS, Gelriæ Dux, Uxorem duxit Catharinam Borboniam; post varios casus, anno 1477. ante Tornacum in obsidione occubuit.

III. CAROLUS, Adolphi filius & heres, famosus belli Dux, diuturnas cum Carolo V. Cæsare gessit inimicitias. Vitâ functus est anno 1538, nullis ex Elisabetha Luxemburgica Uxore relictis liberis.

Domini ac Comites Egmondani.

I. GUILIELMUS Egmondæ Dominus, Joannis filius, Arnoldi Gelriæ Ducis Frater, fuit Dominus Isselsteynii, Buræ ac Leerdami. Inter Equites Aurei Velleris adlectus, Uxorem habuit Walburgam de Meurs, obiitque anno 1483, relictis filiis *Joanne* & *Frederico*.

II. JOANNES, Guilielmi filius, is est qui hoc Diplomate memoratur primus Egmondæ Comes, duxit *Magdalenam Wardenburgicam*, & emit Purmerendam Hollandiæ Oppidum. Obiit anno 1516, relictis filiis *Joanne*, & *Georgio*, qui dein fuit Episcopus Ultrajectinus, Abbas S. Amandi, Decanus S. Lamberti Leodii &c. obiitque anno 1559.

III. JOANNES, secundus Egmondæ Comes, anno 1516, creatus Eques Aurei Velleris, duxit Franciscam Luxemburgicam Sororem & heredem Jacobi Comitis I. Gaverensis, Domini de Fiennes, Hamaide, Sotteghem, Armentieres & Auxi. Obiit anno 1528.

IV. CAROLUS, Joannis filius, cœlebs obiit 1541.

V. LAMORALDUS seu *Amoraldus*, Caroli Frater, Eques Aurei Velleris, & primus Gaveræ Princeps à Carolo V. Cæsare creatus, is quem die 5. Junii 1568. Albanus Dux Bruxellis capite plecti mandavit. Extant in Historia Belgica P. Famiani Stradæ binæ ejus Epistolæ notatu ac commiseratione dignæ, altera ad Philippum II. Hispaniæ Regem, altera ad suam Conjugem Sabinam, è Ducum Bavariæ sanguine oriundam, quæ undecim ei liberos genuit.

VI. PHILIPPUS Egmondæ Comes, Lamoraldi filius, Eques Aurei Velleris, anno 1590. in Gallia occubuit in prælio Iuriacensi contra Calvinistas, nullis è Conjuge Maria Hornana relictis liberis.

LAMORALDUS, Philippi Frater, Uxorem habuit Mariam de Pierre-vive, & sine prole obiit anno 1617. VII.

CAROLUS, Frater præcedentium, Eques Aurei Velleris, decessit anno 1620. relictâ posteritate ab Uxore sua Maria de Lens. VIII.

LUDOVICUS Caroli filius, Aurei Velleris Eques, inter Magnates Hispaniæ (primæ Classis, ut vocant, pro se posterisque adlectus) Conjugem habuit Mariam Margaretam Berlaimontiam. Obiit anno 1654. IX.

PHILIPPUS, Ludovici Filius, Aurei Velleris Eques &c. duxit Mariam Ferdinandam de Croy. Anno 1682. vivere desiit in Sardinia, ejusdem Regni Pro-Rex. X.

LUDOVICUS ERNESTUS, Philippi filius, Eques Aurei Velleris &c. Uxorem habuit Mariam Theresiam Arembergicam, è qua nullos sustulit liberos. Obiit Bruxellæ anno 1693. XI.

PROCOPIUS FRANCISCUS, Ludovici Ernesti Frater, Eques Aurei Velleris &c. Mariam Angelicam de Cosnac Uxorem habuit. Decessit in Hispania anno 1707. nullâ sobole relictâ. XII.

MARIA-CLARA-ANGELA, Egmondana, Soror præcedentium, nupsit Nicolao Pignatello, Duci de Bisacia Neopolitano, qui Innocentium XII. Pontificem Maximum Patruum habuit. Ipsa Comitatûs Egmondani, Principatûs Gaverensis, aliarumque hujus Familiæ ditionum heres effecta easdem filio suo transscripsit, mortua Bruxellis anno 1714. XIII.

PROCOPIUS-MARIA, Egmondæ-Pignatellus, filius Nicolai & Mariæ, natus Bruxellæ anno 1703, duxit anno 1717. Henricam Julianam de Durfort de Duras, Jacobi Henrici Franciæ Polemarchi è filio Jacobo Henrico Neptem; ex ea jam plures proles prodierunt. XIV.

Comites Buræ Egmondani.

FREDERICUS Egmondanus, Guilielmi supra memorati filius secundo-genitus, ac Joannis primi Egmondæ Comitis Frater, anno 1492. à Maximiliano Cæsare creatus fuit primus Comes Buræ. Uxor illi fuit Aleidis Culemburgica, quæ in dotem attulit ditionem Buranam cum Oppido dicto Sint-Mertensdyck in Zelandia. Mortuus est anno 1500. I.

FLORENTIUS Frederici filius, anno 1505, creatus Eques Aurei Velleris, duxit Margaretam Berganam filiam Cornelii Domini Sevenbergii: vitâ functus est anno 1539. II.

MAXIMILIANUS, Florentii filius, anno 1531. creatus Eques Aurei Velleris, Uxorem habuit Franciscam Lannoiam. Obiit anno 1548. III.

ANNA EGMONDANA, Maximiliani filia unica & heres, Domina Isselstenii, Leerdami, Sint-Mattendicæ, Comes Buræ &c. hæc dominia in dotem attulit Guilielmo Nassavio Orangiæ Principi: peperitque filium, Philippum, & Mariam filiam. Hoc Stemma continuatum vide Lib. I. Diplom. Belg. cap. 103. IV.

Notitia Familiarum Belgicarum dignitatibus seu titulis hodie Illustrium.

UT apud Francos & alias plerasque Nationes, sic etiam apud Belgas Familiæ Illustres seu Nobiles ferè omnes cognomina sua habent à feudis ac dominiis, quæ aut possident, aut olim possederunt. Familiæ porrò titulares, ut vulgò nuncupant, hoc est, quæ titulis Ducatûs, Principatûs, Marchionatûs aut Comitatûs hodie apud Belgas seu Germanos inferiores florent, sunt istæ, juxta Alphabeti seriem, ne cui præjudicium fiat.

S. Aldegonde, Arenberge, Berges en Brabant, Berges au Comté de Zutphen, Bourgoigne, Bournonville, Bronchorst, Crequy, Croy, Egmont, Gand dict Villain, Gavre, Hamale, Hennin, Hornes, Jauche, Isenburg, Lalain, Lannoy, Ligne, Linden, Longueval, Melun, Merode, Montmorency, Nassau, Oiselay, Ougnyes, Pallant, Renesse, Richardot, Riviere dict Arschot, Robles, Rubempré, t'Serclaes, aliàs Tilly, Tassis, Trasignies.

Familiæ Illustres Belgicæ, quarum aut stirps mascula defecit, aut splendor desiit.

Avesnes, Bailleul, Barbanson, Bautersem, Berlaimont, Bertout, Borsele, Boular, Breda, Brimeu, Culembourg, Cuyck, Diest, Enghien, Limbourg, Luxembourg, Meghem, Naelwyck, Namur, Ninove, S. Omer, Renty, Stavele, Wassenare, Wesemale, Withem &c.

CAPUT CLIV.

HENRICUS DE RANST, *Dominus de Boxtel, &* HENRICA DE HAEFTEN *Conjuges, anno* 1493. *fundant ac dotant Capitulum VII. Canonicorum in Ecclesia S. Petri de Boxtel, in Majoria Sylvæducensi.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter, amen. Quoniam mortalium vita inter sæculi turbines constituta, ad ea mentis intuitu aciem considerationis dirigit, ut terrena in cælestia, & transitoria in æterna, felici valeat commercio commutare:

HUJUS rei consideratione, Nobilis Vir Dominus Henricus de Ranst, Miles, Dominus temporalis de (1) Bucstel, Kessel, &c. ac Domina Henrica de Haesten ejus Conthoralis, Leodiensis Diœcesis, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei & Gloriosissimæ Mariæ Virginis ejusdem Genitricis, in suarum & procreatorum suorum salutem, Dominicum Cultum in Ecclesia Parochiali Villæ de Bucstel suis temporibus adaugeri summoperè cupientes, eandem Ecclesiam Parochialem in honore Sancti Petri Apostolorum Principis insignitam, de licentia & consensu Reverendissimi Domini nostri D. Joannis de Huerne, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopi Leodiensis, egregiique ac circonspecti Viri Domini Archidiaconi Campiniæ in Ecclesia Leodiensi, in Collegiatam, in qua Divinum Officium nocturnum & diurnum in voce, chordis & organo, decantari de cetero possit & valeat, intensis desideriis affectantes, nonnulla puncta tenorum infrascripti, unà cum Investito, ceterisque personis dictæ Ecclesiæ de Bucstel fecerunt, conceperunt & ordinaverunt.

QUÆ quidem puncta, per Venerandissimum Dominum Episcopum, & Archidiaconum prædictos approbari & confirmari, eorumque tam Episcopalem quàm Archidiaconalem Autoritatem interponi humiliter petierunt & desideraverunt; quæ quidem puncta sequuntur successivè hujusmodi sub tenore.

PRIMÒ est ordinandum in Erectione Capituli Ecclesiæ Bucxtellensis, fienda, quòd in eadem Ecclesia Parochiali de Buckstel, illâ in Collegiatam erectâ, ad statim Dominus Henricus de Lotthum in Canonicum & Decanum, & sex Altaristæ & Beneficiarii in eadem Ecclesia, videlicet Domini Leonardus de Boisschot, Rector Altaris Sancti Laurentii, Theodoricus Brant Pastor Ecclesiæ Parochialis de Gemonden, & Altaris Sancti Nicolai eidem Ecclesiæ annexi Rector, Joannes Liberti Rector Altaris Sancti Joannis Evangelistæ, Walterus de Tuyl Rector Altaris Sanctæ Crucis & Anthonii pro prima fundatione, Walterus Dessel Rector ejusdem Altaris pro secunda Fundatione.

ET adhuc tres alii, quorum duorum, videlicet Dominus & Magister Joannes de Vinckenrode, & alter Dominus Thomas de Oeyen, occasione Regalis Altaris Beatæ Mariæ Virginis in prædicta Ecclesia de Bucstel situati, ad Nobilis Domini de Bocstel; & tertius, videlicet Hermannus Filius Gerardi de Kessel Clericus, ad Domini Henrici de Lotthum, Investiti prædicti (*hâc vice dumtaxat*) nominationes spectabunt, & in Canonicos creati constituent unum Collegium.

IN quo quidem Collegio, Divina Officia singulis diebus & Horas Canonicas decantabunt, atque fructus suorum Canonicatuum & Præbendarum percipient; sub his scilicet conditionibus.

QUOD præfatus Dominus Henricus pro nunc Rector antedictæ Ecclesiæ Parochialis de Bucstel, quamdiu vixerit in humanis, pro quota & dote sibi ex fructibus suorum Decanatûs, Canonicatûs, & Præbendæ competente, & solvenda, omnes & singulos fructus, census, canones & redditus, qui ad dictam Ecclesiam de Bucstel, & illius pro tempore Rectorem, ante erectionem illius in Collegiatam spectare consueverunt, & ultià hoc adhuc quotidianas distributiones & anniversaria, in Missis & aliis Divinis Officiis, lucrum illis interessendo, ut unus Canonicus percipiet, assequetur & tenebit, salvis tamen & exceptis quadraginta florenis Renensibus annuatim vitâ suâ durante ex fructibus & redditibus dictæ Ecclesiæ de Bucstel, ac obligationibus & emolumentis ipsius Ecclesiæ de Bucstel, accidentalibus nuncupatis, quos & quas Mensæ Capitulari dictæ Ecclesiæ Collegiatæ erigendæ applicari & appropriari consentiit, & consentit ex nunc & in antea.

QUODQUE eodem Domino Henrico Canonico & primo Decano vitâ functo, omnes & singuli fructus, census, redditus, emolumenta, obventiones, oblationes, & proventus ejusdem Ecclesiæ de Bocstel applicabuntur & appropriabuntur, eruntque applicati communi Mensæ Capitulari dictæ Ecclesiæ Collegiatæ de Bocstel, ac cura ejusdem Ecclesiæ remanebit unà cum prædictis suis fructibus, juribus & emolumentis universis, apud eosdem Dominum Decanum, & Capitulum sic creandos.

QUI quidem Domini Decanus & Capitulum eidem Curæ unum, seu plures ex ipsis Canonicis, vel alios habiles ad hoc, & idoneos disponent & ordinabunt deserviturum, seu deservituros, & onera illi incumbentia exercere facient, & poterunt per se ipsos.

ATQUE post obitum præfati Domini Henrici

rici primi Decani, quicumque futurus Decanus fuerit pro tempore ejusdem Ecclesiæ de Boestel, in Collegiatam erectæ, babebit duplicem quotam, seu portionem in omnibus & singulis fructibus, redditibus, censibus, emolumentis, anniversariis, & distributionibus quotidianis, ad Mensam Capitularem dictæ Ecclesiæ spectantibus & spectaturis, ac illi appropriatis & appropriandis, tantumque habebit de dictis fructibus & emolumentis, sicut duo Canonici Præbendati ejusdem Ecclesiæ; hoc est fructus duarum Præbendarum.

PRÆTEREA prælibati Domini, Theodericus Brant, prætactorum Ecclesiæ & Altaris, & Johannes Liberti, antetacti sui Altaris omnes & singulos fructus, redditus, proventus, census, & emolumenta, hinc indè respectivè loco fructuum suorum, Canonicatuum & Præbendarum levabunt, assequentur, & percipient, quoad vixerint, & prout perceperunt ante erectionem dictæ Ecclesiæ de Boxtel in Collegiatam, & cum eisdem fructibus suorum Altarium contenti erunt, quoad fructus suorum Canonicatuum & Præbendarum, nihilque ampliùs de fructibus eorumdem suorum Canonicatûs & Præbendæ exigere poterunt; salvis tamen distributionibus quotidianis & anniversariis, in quibus distributiones assequentur, prout habuerunt antequam eadem Ecclesia de Boxtel fuit in Ecclesiam Collegiatam erecta.

QUODQUE eisdem Dominis Theoderico Brant & Johanne Liberti, Rectoribus dictorum Altarium Sanctorum Nicolai & Joannis, defunctis, seu aliquo eorundem defuncto, fructus eorundem, tam Ecclesiæ quàm Altarium, erunt Mensæ Capitulari dictæ Ecclesiæ de Boxtel applicati, & ad illam devolventur, atque Canonici in locum ipsorum instituendi, seu instituti habebunt ex tunc & in antea, ac habebit eorum quilibet, æqualem portionem & quotam in singulis fructibus, redditibus, emolumentis, & bonis universis Mensæ Capitularis dictæ Ecclesiæ, cum cæteris Canonicis ejusdem Ecclesiæ, & similem Præbendam assequentur.

ITEM omnes & singuli census, redditus & bona, per diversos Christi fideles ad opus celebrationis Missarum, tam ad & super Altaria Sanctarum Catharinæ & Barbaræ in Ecclesia de Boxtel prætacta sita & materialiter constructa, nondum tamen consecrata, nec in titulos beneficiorum Ecclesiasticorum erecta, quam in quocumque alio Altari, in dicta Ecclesia jam constructo, aut in futurum construendo, dati, legati, piè & donati, datave, donata & legata, seu dandi, legandi, aut donandi, dictæ Mensæ Capitulari applicentur.

ITA TAMEN quod præfati Domini Decanus & Capitulum creandi, Missas per eosdem Christi fideles legatas & ordinatas, ac legendas, ordinandas & instruendas, juxta eorum testamentarias ordinationes, seu ultimas voluntates, legant & celebrent, seu celebrari faciant, ad & super ipsa Altaria, super lapides portatiles consecrata ad ipsarumque Missarum celebrationem tenebuntur.

PARIFORMITER anniversaria, ac fructus & redditus anniversariorum in eadem Ecclesia de Boxtel in præsentiarum præsentium, & præsentia, ac futuros & futura prætactæ Mensæ Capitulari erunt applicata & applicati.

QUORUM prætextu, ipsi Domini Decanus & Capitulum divina officia, orationes, & alia exinde fieri debita & consueta, perficere & adimplere tenebuntur.

PRÆTEREA omnes Canonici antedictæ Ecclesiæ de Boxtel in Collegiatam erigendi creandi & futuri, (excepto dumtaxat dicto Domino Henrico de Lotthum) ac Decani post obitum dicti Domini Henrici eligendi, pro tempore adstricti erunt, & tenebuntur residere personaliter in hujusmodi suis Canonicatibus & Præbendis dictæ Ecclesiæ, & singulis annis ad residentiam in festo Nativitatis Beati Joannis Baptistæ se præsentare capitulariter per se, aut alios eorum nominibus, seque residentes declarare, residentiasque suas tunc incipere & continuare, dempto Domino Henrico primo Decano prædicto, quoad vixerit.

ALIOQUIN si in præsentatione & declaratione hujusmodi suarum residentiarum, & continuatione illarum, defectuosi inveniantur, pro primo anno eisdem defectibus seu negligentiis & rebellionibus ducantur mediis; & pro secundo anno, & toties quoties absentes fuerint, omnibus & singulis redditibus, fructibus & emolumentis hujusmodi suorum Canonicatuum & Præbendarum ex integro sint privati, & cedant illi aliis Canonicis residentibus.

SALVO, quòd ex dictis fructibus, Decanus & Capitulum prædicti facient Præbendæ illius, qui diu absens fuerit, debitè & diligenter deserviri.

ITEM singuli Canonici ejusdem Ecclesiæ futuri, si non Sacerdotes extiterint, infrà annum post Provisionem & Collationem eis factas de prædictis suis Præbendis & Canonicatibus, tenebuntur se in Sacerdotes promoveri facere, nisi legitimè impediti fuerint, & de quo impedimento ritè constiterit.

ALIOQUIN anno elapso, iidem Canonici rebelles suis Canonicatibus & Præbendis sint privati, ac eosdem Canonicatus & Præbendas, præfatus Dominus temporalis de Buxtel aliis Personis idoneis conferre poterit.

ITEM nullus Canonicus ejusdem Ecclesiæ, nec Decanus, poterunt esse publici & notorii fornicarii, seu adulteri, in domibus suis focarias, seu adulteras publicas palam tenentes; alioquin fructibus suis privabuntur in parte & in toto, quamdiu sic manserint, omni exceptione semotâ.

ITEM Rectores pro tempore Capellæ de Lyemde in Parochia de Boxtel sitæ, insuper & Altarium Sanctorum trium Regum, & Servatii, invicem unitorum, & etiam Beatorum Martini & Magdalenæ, in dicta Ecclesia prædictæ Villæ de Boxtel sitorum, atque aliorum Altarium & beneficiorum forsan in Ecclesia & etiam in Parochia prætactæ Villæ de Boxtel fundandorum, poterunt interesse divinis officiis in

in eadem Ecclesia, cum habitu Ecclesiastico, videlicet superpellicio & almucio, more Capellanorum Ecclesiarum Collegiatarum Diœcesis Leodiensis, hujusmodique habitum deferre, necnon quotidianas distributiones & anniversaria, quoad præterita & hactenùs largita lucrabuntur & percipient, prout illas & illa lucrari & percipere consueverunt ante Erectionem ejusdem Ecclesiæ in Collegiatam.

Ac erunt dicti Rectores eorumdem beneficiorum sub protectione & jurisdictione dictorum Dominorum Decani & Capituli, atque gaudebunt & utentur tantis & similibus privilegiis & exemptionibus, quantas & quales, quantave & qualia præfati Domini Decanus & Capitulum habebunt & obtinebunt.

Item officia divina in eadem Ecclesia celebrabuntur hoc modo; primo in eadem Ecclesia de Boxtel in Collegiatam erecta, singulis diebus tam feriatis quàm non feriatis cantabuntur Horæ Canonicæ nocturnæ & diurnæ, prout in secundariis Ecclesiis decantantur, per Dominos Decanum & Capitulum, Capellanosve. Domini Decanus & Capitulum debebunt decantare & celebrare in cantu singulis diebus in summo Altari dictæ Ecclesiæ unam Missam majorem; & ultrà eandem summam Missam, singulis diebus cujuslibet hebdomadæ duas Missas legere absque cantu; & quâlibet die Sabbati præter summam Missam prætactam, adhuc unam Missam in cantu, ad & supra Altare Beatæ Mariæ Virginis, ibidem situm, celebrare & facere.

Quo verò ad singula alia divina officia, in eadem Ecclesia de Boxtel facienda & celebranda atque decantanda, ac ceremonias & ritus ipsius Ecclesiæ de Boxtel, celebrabuntur, decantabuntur & observabuntur ad instar aliarum secundariarum Ecclesiarum, ac quemadmodum tenentur ibidem & observantur, & vestigia earundem Ecclesiarum imitabuntur in dicta Ecclesia de Boxtel (secundùm tamen facultates dictæ Ecclesiæ de Boxtel, ad quas habebitur respectus) & iisdem libertatibus & privilegiis semper gaudebunt & fruentur in eorum Personis, Suppositis, rebus & bonis.

Præterea Collationes dictorum Canonicatuum & Præbendarum, Altariumve prætactorum, reservabuntur his modis. Primò Dominus temporalis de Boxtel pro tempore, dictos Canonicatus & Præbendas, toties quoties vacaverint, Jure Patronatûs Laïcalis habebit conferre, & Collationes illorum apud eundem Dominum temporalem de Boxtel remanebunt.

Habebitque, & tenebitur antedictus Dominus temporalis ad hujusmodi Canonicatus seu Præbendas præsentare Decano & Capitulo prædictis personam idoneam, quam ipsi Decanus & Capitulum, si idonea fuerit, admittere tenebuntur, cum sôlemnitate consueta; quique præstabit flexis genibus Juramentum consuetum, juxtà modum & formam antetactam.

Nihilominùs permanebit Dominus Henricus primus Decanus antedictus Collator, donec adjunxerit Præbendæ Domini Leonardi prædicti, casu quo vacaverit.

Item electio Decani ipsius Ecclesiæ prætactæ, Decanatu hujusmodi vacante, ad ipsos Dominum Vice-Decanum & Capitulum dictæ Ecclesiæ spectabit, quam semper faciet, de bono & utili Decano providendo, prout Jura constituunt, & quemadmodùm observatur in prætactis Ecclesiis Collegiatis Secundariis dictæ Diœcesis Leodiensis, quodque sic electus pro tempore obtinebit illius confirmationem more Secundariarum Ecclesiarum prædictarum Diœcesis Leodiensis, sine quocumque interesse.

Item dictus Dominus temporalis de Boxtel pro tempore, tamquam Patronus Laïcalis, perpetuis futuris temporibus habebit conferre Altaria Sancti Gregorii *op Stapelen*, Sanctorum trium Regum & Servatii pariter unitorum in Ecclesia Parochiali prædicta sita, illis vacantibus.

Atque ad dictos Dominos Decanum & Capitulum de Boxtel, post obitum præfati Domini Henrici primi Decani Ecclesiæ præfatæ, Collationem Altarium Sanctorum Martini & Magdalenæ, in sæpedicta Ecclesia fundatorum & situatorum; quorum siquidem Altarium Collationes permanebunt, & pertinebunt, & spectabunt ad prælibatum Dominum Henricum primum Decanum, donec & quousque supervixerit in humanis.

Similiter verò Collatio seu Rectoris præsentatio Vicariæ de Liemde ad ipsum Dominum temporalem de Boxtel pro tempore, & ad ipsos Dominos Decanum & Capitulum alternatis vicibus, perpetuis futuris temporibus, illâ vacante, permanebit.

Habebitque in electione hujus Altaris prætactorum Rectorum Decanus Capituli duplicem vocem, & permanebit (sicut priùs dictum est) Dominus primus Decanus, eo vivente, Collator prædictæ Vicariæ.

Domini Decanus & Capitulum post Erectionem dictæ Ecclesiæ de Boxtel in Collegiatam, habebunt nominare & præsentare perpetuè Rectorem Matriculariæ dictæ Ecclesiæ, quæ erit manualis & admovibilis ac officium.

Quiquidem Custos seu Matricularius sic præsentatus & nominatus, post Erectionem dicti Collegii, habebit officium in Ecclesia hujusmodi, & choro illius ad instar Custodis, sive Matricularii dictæ Ecclesiæ Buscíducensis, quodque eidem Custodi sive Matriculario, pro officio, oneribus, & laboribus suis aggravatis de sallario competente, ex parte eorundem Dominorum Decani & Capituli providebitur, juxta taxam rationabilem.

Item prætacto Collegio de Boxtel erecto, ipsi Domini Decanus & Capitulum dictæ Ecclesiæ, Capellani, Altaristæ, Beneficiati, Custos, Officiati, & supposita dictorum Dominorum Decani, Capituli, habebunt easdem & similes exemptiones, libertates, & privilegia, quas & quales habent aliæ Secundariæ Collegiatæ Ecclesiæ Civitatis & Diœcesis Leodiensis, ac eo modo erunt exempti, liberi & privilegiati.

Item præfati Domini Decanus & Capitulum habebunt facultatem & auctoritatem condendi

dendi nova Statuta, illaque tollendi & reformandi, laudabilia tamen in laudem Omnipotentis Dei, suorum & ipsorum suppositorum animarum salutem & profectum; sive tamen præjudicio alicujus;

Superioribus tamen ordinationibus, conditionibus & Statutis præexpressis, in omnibus, & per omnia, in toto vel in qualibet parte, salvis manentibus, & perpetuò duraturis. Contra quæ in illorum præjudicium, detrimentum, & derogationem nunquam imposterùm per se, aliumve, seu alios eorum nominibus directè, vel indirectè, occultè, seu apertè quovis ingenio, vel quæsito colore, poterunt quidquam attentare, impetrare seu obtinere; prout ipsi Decanus & Capitulum, & quilibet eorum, dum ad hujusmodi Decanatum, Canonicatum & Præbendam admissi fuerint & recepti, perpetuò eosdem conceptus, conditiones, tractatus, ordinationes, & Statuta observare, & illis nullatenùs contravenire, jurare habebunt solemniter in eorum Capitulo, & jurabunt.

Insuper Capitulum providebit aliquem de suis deputare ad legendam Missam in Castro de Stapelen, dum Domino aut ejus Conthorali necesse fuerit; & hæc postquam omnes fructus ad nominatum Capitulum nunc deputati, ad idem Capitulum pervenerint, & non ante.

Item iidem Domini Decanus & Capitulum in suis causis legitimis poterunt se absentare à dicta Ecclesia de Boxtel, sexaginta diebus in anno, continuis vel successivis: nec computabuntur dies exitûs & reditûs. Item prædicti Domini Decanus & Capitulum nunquam habebunt se intromittere de oblationibus, quas Fabrica usque modo recipere consuevit, & quas eadem Fabrica ex nunc in antea perpetuò, & in solidum recipiet, & levabit: ratione cujus ipsa Fabrica tenebitur deliberare Capitulo Ornamenta, libros, & luminaria, prout ante Erectionem deliberare consuevit.

Similiter neque de oblatione B. Mariæ Virginis ibidem.

De, & super quibus omnibus & singulis, supradicti memorati Dominus & Domina de Boxtel, præmissa omnia & singula, sub spe approbationis fiendæ, ut præmittitur, eis à me Notario Publico subscripto, unum & plura fieri & confici petierunt instrumentum, seu instrumenta, tam ad opus eorum, quàm suorum in Dominio de Boxtel Successorum.

Et in majus robur & munimen præmissorum, antedictus Dominus de Boxtel, Sigillum suum majus, quo in & ad causas utitur, huic præsenti Instrumento duxit apponendum.

Acta fuerunt hæc, & ordinata, in mansione ejusdem Domini de Boxtel sitâ in vico de Postula in prædicto Opido de Buscoducis, anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, Indictione undecimâ, mensis Decembris die vicesimâ sextâ, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini, Domini Alexandri Divinâ providentiâ Papæ Sexti anno primo. Præsentibus ibidem Nobilibus, Generosis, ac honestissimis Viris, Domino Joanne de Hoerne Milite, Domino de Baucignies, Domino Leonardo de Boisschot Presbytero, in Ecclesia de Boxtel perpetuo Beneficiato, Joanne de A Armigero, & Arnoldo de Mombeeck Imperiali auctoritate & Venerabilis Curiæ Leodiensis Notario Jurato, Testibus fide dignis, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. 1493.

Et ego Joannes Amelrici de Buscoducis, Clericus Leodiensis Diœcesis, Publicus Imperiali auctoritate & Venerabilis Curiæ Leodiensis Notarius Juratus, quia ordinationibus ac omnibus & singulis aliis præmissis, dum sic ut præmittitur fierent & agerentur, unà cum prænominatis Testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, idcirco hoc præsens publicum Instrumentum, manu alterius, me aliundè occupato, fideliter scriptum, de mandato Domini & Dominæ de Boxtel ordinantium prætactorum, exinde confeci, & in hanc formam publicam redegi, signo quoque ac nomine meis solitis & consuetis, unà cum prælibati Domini de Boxtel Sigilli prætacti appensione signavi & subscripsi, in testimonium præmissorum requisitus & rogatus.

(1) Bucstel, hodie *Boxtel*, insigne Majoriæ Sylvæducensis Municipium, arce munitum, hodie ad Familiam Hornanam, titulo Baronatûs pertinet. Occupatâ per Batavos Majoriâ, publicus Catholicæ Religionis cultus hìc desiit. Verumtamen Præbendæ hodiedum conferuntur per Familiam Hornanam, sed Acatholicis tantùm.

Boxtella, Baronatus antiquus à pluribus retrò sæculis potentes habuit Dynastas, fuitque Gentilium de Merheym, Bertholdici, ut apparet, sanguinis peculium.

Wilhelmus Dominus de Boxtel anno 1335. vocatur Cognatus Joannis III. Brabantiæ Ducis. Sub annum 1430. Filia *Theodorici Merhemii* nupta Henrico de Ranst, Boxtellam in dotem attulit.

Henricus de Ranst, Henrici Filius vel Nepos, Dominus de Boxtel & Kessel, anno 1493. Capitulum Canonicorum Boxtellæ fundavit (juxta Diploma hìc productum ex Archivis Familiæ Hornanæ, & ante-hac ineditum) Clarissas verò Boxtellæ ab anno 1472. constituit. Uxor illi fuit Henrica de Haeften.

Anna de Ranst Domina de Boxtel, Canticrode & Kessel, Joanni de Horne Marito suo hanc Dynastiam Boxtellensem dotalem attulit: in qua Familia hodieque perseverat. Hinc visum est Familiæ Hornanæ Stemmata paulò altiùs indagare.

Horna vicus est & arx in Comitatu Lossensi, ad Mosam ex opposito Ruræmondæ; quem hodie tenet Episcopus Leodicensis, qui & Comitem Hornensem se scribit.

Sæpiùs quidem Hornani Comites litem in Camera Imperiali Spirensi & alibi contra Leodienses Episcopos pro vindicando sibi hoc Comitatu instituerunt: sed hactenùs nulla secuta fuit caussæ hujus decisio.

 Stemma

Stemma Comitum & aliorum Procerum ex Familia Hornana, *vulgò* de Hornes.

- *Gerardus Dominus de Hornes, 1312.*
  - *Guilielmus Horna Dominus, 1339. duxit Isabellam aut Joannam.*
    - *Guilielmus II. Horna Dominus duxit Isabellam de Arkel.*
      - *Guilielmus III. Horna Dominus duxit Dorotheam Losensem.*
        - *Guilielmus IV. Horna Dominus duxit Joannam Dominam de Mentigny.*
          - *Jacobus Comes I. Horna, 1450.*
            - *Jacobus Comes II.*
            - *Joannes Episcopus Leodiensis, obiit 1505.*
    - *Arnoldus Episcopus Ultrajectensis & Leodiensis.*
    - *Theodericus Dominus de Peruez. 1372 duxit Catharinam Dominam Duffle & Gela.*
      - *Henricus Dominus Peruesii.*
        - *Joannes Dominus Peruesii, Duffle & Gela, 1415.*
          - *Aleidis Uxor Joannis Domini de Merode, Petersem.*
            - *Richardus lib. 1. Dipl. cap. 109.*
        - *Theodericus Episcopus Leodiensis.*
    - *Theodericus Loufius Dominus de Bassignies duxit Isabellam de Montigny.*
      - *Arnoldus duxit Joannam Filiam Theoderici Domini de Honscoten, Houtkerke, Vicecomitis Bergensis.*
        - *Joannes Dominus de Bassigny, Honscoten, Houtkercke, 1434. emit Gasbecam; obiit 1436.*
          - *Philippus, obiit 1488. duxit Joannam Lannoiam.*
            - *Arnoldus Dominus Gasbecæ, Honschoti, Houtkercke, obiit 1504.*
            - *Joannes Dominus de Bassigny, Boxtel, Kessel.*

I. GERARDUS primus Dominus de Hornes, signavit anno 1312 Tabulas Cortebergenses, quas vide suprà p. 448 Primo duxit *Joannam de Lovanio*, & *Gaesbeka*, quæ genuit *Guilielmum* & *Otthonem*, qui regnante Philippo Valesio fertur fuisse *Magnus Franciæ Amiralis* (quod ab aliis negatur.) Secunda uxor fuit *Emmengardis* filia Alberti Cæsaris. Obiit Gerardus anno 1330.

II. GUILIELMUS I. Pactum concordiæ inter Joannem III. Brabantiæ Ducem & Ludovicum Flandriæ Comitem anno 1339. Lib. II. Dipl. cap. 112. firmavit. Ex Isabella Theodorici IX Comitis Clivensis filia genuit *Guilielmum* II. Successorem, *Theodericum* Dominum de Peruwez in Gallo-Brabantia, *Arnoldum* Episcopum Ultrajectensem, post Leodiensem, qui obiit anno 1380, & alterum *Theodericum*, cognomento *Louffium*, Dominum de Bassignies.

III. GUILIELMUS II. Hornæ Dominus. ex Isabella de Arckel genuit *Guilielmum* III. Dominum de Hornes, Altena & Weert. Obiit anno 1358. relictis liberis, Guilielmo III. Theodorico Episcopo Osnabrugensi, & Margareta Abbatissa Thorensi.

IV. GUILIELMUS III ex Joanna (aliis Dorothea) Losensi seu Heinsbergensi sustulit *Guilielmum* IV. Occidit anno 1415. in prælio Azincurtensi.

V. GUILIELMUS IV. Uxorem habuit Joannam Dominam de Montigny in Ostrovandia; obiit anno 1433. sepultus Aquisgrani apud Dominicanos, quos fundaverat.

VI. JACOBUS, Gulielmi filius, primus Comes Hornanus à Frederico III. Cæsare creatur anno 1450; vide Diploma in Notitia Eccles. Belg. E Conjuge Beatrice de Meurs filios reliquit *Jacobum* II & Joannem Episcopum Leodiensem. Fundatorem Minoritarum in Lichtenbergh, apud quos sepultus fuit anno 1505. *Jacobus* I. dein Franciscanis Monachis adscribi voluit, & obiit anno 1488. sepultus Weerthæ apud Minoritas, quos fundaverat.

VII. JACOBUS II. Uxorem primam habuit Philippinam Wirtenbergicam, quæ non relictâ prole decessit. 2. Joannam de Grutusa, è qua prodierunt sequentes.

VIII. JACOBUS III, Eques Aurei Velleris, primò duxit Mariam Croiacam, 2 Claudiam Sabaudiæ Ducis filiam. 3. Annam Burgundicam. Sed nullis relictis liberis obiit anno 1531.

IX. JOANNES Jacobi Frater, & heres, antea Præpositus & Canonicus Cath S Lamberti Leodii, factus est Comes Hornanus, Dominus Werthæ, Altenæ, Gaesbecæ, Montcorneti, Corteshem, Bassigni &c. Uxorem duxit Annam Egmondanam, Viduam Josephi de Montmorenci: è qua cùm nullos liberos suscepisset, filium ejus è priori thoro Philippum Montmorancium, Comitem Hornanum & heredem constituit. Obiit anno 1540.

Porrò PHILIPPUS MONTMORANCIUS nomen & insignia Hornanæ Familiæ assumpsit, fuitque Eques Aurei Velleris, & rerum Maritimarum Præfectus (*Amiral de la Mer.*) Uxorem habuit Walburgam de Nieuwenaer, & die 5. Junii 1568. Bruxellis unà cum Comite Egmondano, jussu Ducis Albani capite plexus fuit, nullâ prole relictâ. X.

Pars altera Genealogiæ Hornanæ.

THEODORICUS Dominus de Peruwez filius Guilielmi I. suprà memorati, anno 1372. Tabulas Cortebergenses signavit. Ex Catharina Bertholdia, Henrici Domini de Duffele & Ghele filiâ herede, sustulit *Henricum* Dominum de Peruwez, Guilielmum Dufflæ Dominum sine liberis defunctum, & Mariam. I.

HENRICUS, ex Margareta de Rochefort, *Joannem* Dominum de Peruwez, Ghele, ac Duffle, & *Theodoricum*, electum Episcopum Leodiensem anno 1408. occisum procreavit. II.

JOANNES de Hornes, Dominus de Peruwez, Ghele, ac Duffle, anno 1415. Fœdus unionis inter Brabantos & Limburgenses (de quo Lib. II. Dipl. Belg Cap. 114.) signavit, & ex Mathilde de Reifferscheit protulit *Aleidem* heredem, quæ *Joanni* Domino de Merode & Petersem nupta, ditiones suas ei in dotem attulit. Vide hoc Stemma continuatum supra Lib. I. Diplom. Belg. Cap. 109. III.

Pars tertia Genealogiæ Hornanæ.

THEODORICUS LOEFFIUS, Guilielmi I. supra memorati filius, Dominus de Bassignies, Herstal, Heze, Leendt &c. Uxorem habuit Isabellam de Montigny in Ostrovandia. I.

ARNOLDUS Theodorici filius, Dominus de Bassignies. Hese, & Montcornet, duxit Joannam filiam heredem Theodorici Domini de Hondscote, Houtkercke, & Vice-Comitis Winoci-Bergensis. II.

JONNES Arnoldi filius anno 1434 Gaesbecam à Jacobo de Abcoude Suederi filio emit: ut ex Libris Curiæ Feudalis Brabantinæ constat. Uxorem habuit Margaretam de la Trimouille, & anno 1436. in prælio prope Ostendam occisus fuit. III.

PHILIPPUS

IV. Philippus, Joannis filius, Dominus de Baſſignies, Heſe, Lokeren, Hanſcote, Houtkercke, Gaesbeke, Vice-Comes Bergenſis, ex Joanna de Lannoi genuit *Arnoldum* Gaesbecæ, Honſcoti & Houtkercæ Dominum & *Joannem* Dominum de Baſſignies & Boxtel, infra memorandum.

V. Arnoldus, ex Margareta Montmorancia liberos reliquit *Henricum* ſine prole defunctum, & *Maximilianum*. Obiit anno 1504. ſepultus in Choro Anderlechtenſi.

VI. Maximilianus Eques Aurei Velleris, primus Comes de Houtkercke creatus, fuit Carolo V. Cæſari à Cubiculis. Ex Barbara Montfortia reliquit *Martinum*, &c.

VII. Martinus, duxit primò Margaretam Luxemburgicam; 2. Annam Croiacam Dominam & heredem de Stavele, Leeuwerghem, Vice Comitem Furnenſem &c. è qua proles ſuſcepit. Obiit anno 1570.

VIII. Georgius, duxit Eleonoram. Filiam Lamoraldi Comitis Egmondani, & obiit anno 1608.

IX. Lamoraldus Comes Hornanus & Houtkercæ, Georgii Filius.

X. Philippus Lamoraldi Filius, anno 1628. duxit Dorotheam de Ligne-d'Arembergh.

XI. Philippus Eugenius, Uxorem habuit Julianam Merodiam.

XII. Philippus Maximilianus Comes Houtkercæ, Ludovico XIV. Galliæ Regi militavit, & anno 1709. Cameraci improlis obiit.

Pars quarta Genealogiæ Hornanæ.

I. Joannes, Filius ſecundò-genitus Philippi ſupra parte III. memorati, Dominus de Baſſignies, Uxorem duxit Annam de Ranſt Dominam & Heredem de Boxtel, Cauticrode, Keſſel &c. cujus parentes ſupra memoratum Capitulum Boxtellanum fundavère, Obiit ille anno 1521, illa anno 1538.

II. Philippus, Joannis Filius, duxit Claram Reneſſiam, & obiit anno 1541.

III. Jean de Hornes, Gubernator Sylvæ-ducenſis, primam Uxorem habuit Mariam de Sancta Aldegunde ſive Noircarmiam. Secundò Annam de Hodorp. Tertiò Annam Brederodiam. Ab Henrico quarto Galliarum Rege creatus fuit primus Comes de Baſſignies; obiit Vianæ in Hollandia anno 1606, relictis è priori thoro liberis.

IV. Gerardus, Gubernator Mechlinienſis, Philippi II. Hiſpaniarum Regis Legatus in Galliam, duxit Honoriam de Witthem, obiitque anno 1612.

V. Ambrosius, Gerardi Filius, fuit Gubernator Artheſiæ, ac rei tormentariæ Præfectus; Uxorem habuit Mariam Margaretam de Bellœuil.

VI. Eugenius Maximilianus, primus Princeps Hornanus creatur à Carolo II. Hiſpaniarum Rege die 19. Octobris 1677, titulo tranſlato ſupra Dominium Iſcanum in Brabantia, vulgo *Over Iſſche*. Uxorem habuit Mariam Joannam de Croi.

VII. Philippus Emanuel, Eugenii Filius unicus, fuit Gubernator Ducatûs Gelriæ: duxit Mariam-Annam-Antoniam de Ligne, & obiit anno 1718.

VIII. Maximilianus Emanuel, natus Bruxellæ anno 1695.

CAPUT CLV.

Guilielmus Encfortius, *ex Canonico Antverpienſi S. R. E. Cardinalis, item Dertuſanus in Hiſpania & Ultrajectenſis in Batavia Epiſcopus; Domum Hoſpitalariam cum Capella anno 1531. inſtituit in Mierle, Vico Campaniæ Brabantinæ, Diœceſis olim Leodicenſis, nunc Silviducenſis.*

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto Filio (1) Wilhelmo, Tituli SS. Joannis & Pauli Presbytero Cardinali; ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Præclara tua de Sancta Romana Eccleſia bene merita, ac fidei conſtantia, & devotio ſincera, quibus in noſtro & Apoſtolicæ Sedis conſpectu fulgere dignoſceris, non indignè merentur, ut piis petitionibus tuis, per quas pauperum & egenorum, eorum præſertim quos impotentia corporalis deprimit, neceſſitatibus & indigentiis ſalubriter conſulatur, & caritatis opera peramplius propagentur, ac Divini cultûs ſuccedat incrementum, ...

Cum itaque, ſicut Nobis expoſuiſti, Tu qui *Dertuſenſi* Ordinis S. Auguſtini, & *Trajectenſi* Eccleſiis, ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica, præeſſe dignoſceris, de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici cum merito commutare, ſummoperè deſideres in bonis Tibi à Deo creditis, in ſolo certæ Domûs, ſeu in certa poſſeſſione in Villa de (2) Mierle, Leodienſis Diœceſis, conſiſtentis ſive conſiſtente, & ad te legitimè pertinentis, ſive pertinente unum *Hoſpitale* pro duodecim pauperibus ſenio confectis, ſaltem quinquageſimum ſuæ ætatis annum attingentibus, viribus ſuorum corporum deſtitutis, inibi recipiendis & confovendis, & in eodem Hoſpitali unam Capellam conſtrui & ædificari facere, nec non Hoſpitale, pro victu & veſtitu dictorum pauperum, & Capellam hujuſmodi pro ſuſtentatione unius Presbyteri idonei, in illa ſingulis diebus Miſſam celebraturi, dotare.

Nos Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti actione inſtructi, pauperum & indigentium neceſſitatibus ſubveniri exoptantes, ac hujuſmodi pium & laudabile deſiderium tuum plurimùm in Domino commendantes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuæ, in ſolo domûs ſeu poſſeſſione hujuſmodi unum Hoſpitale pro duodecim pauperibus ſenibus, ſaltem quinquageſimum ſuarum ætatum annum attingentibus, & in eo unam Capellam pro uno Presbytero, qui ſingulis diebus in ipſa Capella Miſſam celebrare teneatur, ſine alicujus præjudicio, conſtrui & ædificari faciendi, nec non pro ipſius Hoſpitalis felici ſtatu & directione, ac hoſpitalitatis obſervantia, & in dicta Capella Divini cultûs augmento, quæcumque Statuta, ſacris Canonibus non contraria, edendi, ac pro tempore edita mutandi & reformandi plenam & liberam, Auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus, ac quæcumque mobilia & immobilia bona, per te pro præmiſſis aſſignanda, ex nunc pro ex tunc, & econtrà, cùm aſſignata fuerint, eidem

eidem Hospitali, auctoritate & tenore prædictis perpetuò applicamus & appropriamus.

Et insuper quòd dictum Hospitale per te, vitâ tibi comite, seu à te deputandum, & post tui decessum, per dilectam in Christo Filiam (3) Elisabeth de *Enckenvoirt*, tuam, ut asseris, Sororem germanam, ac dilectum Filium ejus virum, ac post illorum obitus, per eorum heredes, filios masculos, si fuerint, & illis deficientibus, filias fœminas (ita quòd seniores præcedant juniores) regi & gubernari, pauperesque & Capellanum ad eorum nutum poni & amoveri, ac loco amotorum, aut cedentium vel decedentium, alii substitui & surrogari possint, eisdem auctoritate & tenore etiam perpetuò statuimus & ordinamus; non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Paginam nostræ applicationis, appropriationis, concessionis, Statuti & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tricesimo primo, VIII. Kalendas Septembris, Pontificatûs nostri anno octavo. 1531.

Additio. (1) Guilielmus Enckenvoirt, S. R. E. Cardinalis, Episcopus Derthusensis & Ultrajectensis, Adriani VI. Pont. Datarius ac familiaris, ejusque Successor in Præpositura S. Salvatoris Ultrajecti, fuit quoque Præpositus S. Rumoldi Mechliniæ, Decanus Sylvæducensis, Canonicus Antverpiensis &c. Obiit Romæ 18 Julii 1534.

Testamenti ejus executor fuit Petrus Vorstius Belga, Aquensis, in Italia Episcopus & Nuntius Apostolicus apud Carolum V. Cæsarem anno 1537 Bruxellis agentem: qui Cæsar eodem ipso anno dictæ Hospitalariæ Domus fundationem confirmavit.

(2) Mierle, vel Mirlo, Municipium Brabantiæ in territorio Silvæducensi, fuit patria ac locus natalis ejusdem Cardinalis Encfortii; ut ex Tabulis Caroli V. Imperatoris confirmatoriis mihi constat.

(3) Isabella Soror & unica heres dicti Cardinalis Enckenvordii, nupsit N. Lombaerts, qui nomen Enckevoirt assumpsit. Filium habuit, qui postmodum in Germania sedem fixit, ex quo prodierunt hodierni S. R. I. Comites Enckevordii. Alter filius ejus fuit Michaël Lombaerts, qui Avunculo suo in Præpositura S. Salvatoris, in Decanatu Sylvæduc. aliisque dignitatibus successit.

CAPUT CLVI.

Paulus IV. *Papa in Germania inferiore seu Gallia Belgica anno* 1559. *tres Archiepiscopatus, Mechliniensem, Cameracensem & Ultrajectensem instituit: & Mechliniensi Antverpiensem, Brugensem, Gandensem, Iprensem, Ruræmondensem, Buscoducensem; Cameracensi Atrebatensem, Tornacensem, Audomarensem, Namurcensem; Ultrajectensi Daventriensem, Groningensem, Harlemensem, Leovardiensem, & Middelburgensem, Episcopos voluit esse Suffraganeos.*

Paulus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super universas orbis Ecclesias, eo disponente qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quamquam sine nostris meritis constituti, levamus in circuitu agri Dominici oculos mentis nostræ, more pervigilis Pastoris inspecturi, quid Provinciarum & locorum quorumlibet statui & decori, quidve illorum incolarum animarum saluti congruat; ac desuper, hoc præsertim tempore, quo humani generis hostis omni conatu ad ipsarum animarum perniciem & fidei Catholicæ eversionem incumbit, disponi debeat.

Et Divino fulti præsidio, dignum, quin potiùs debitum arbitramur, in irriguo militantis Ecclesiæ agro novas Archiepiscopales & Episcopales Sedes & Ecclesias plantare; ut per hujusmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, Divinus cultus efflorescat, & animarum ipsarum salus subsequatur; ac loca insignia, ea præsertim, quorum incolæ, benedicente Domino, multiplicati noscuntur, dignioribus titulis & condignis favoribus illustrentur, ut propagatione novarum Sedium, Venerabiliumque Præsulum assistentiâ, regimine & doctrinâ suffulti, cum Apostolicæ auctoritatis amplitudine, & orthodoxæ Fidei augmento, populi ipsi proficiant semper in Domino; & quæ in temporalibus sunt adepti, non careant in spiritualibus incremento, præsertim cùm id Catholicorum Regum & Principum exposcat devotio.

Cùm itaque mentis nostræ aciem convertissemus in eam Inferioris Germaniæ partem, quæ carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Ditioni hereditario jure subjecta est, scientes messem quidem ibi multam esse, operarios autem paucos; propter quod cùm ea regio antiquitus, erectionis Cathedralium Ecclesiarum suarum tempore, sparsim & infrequenter admodum habitaretur, à tot jam tantisque populis & gentibus incolitur, ut pro Opidorum celeberrimorum, quibus ubique referta est, frequentia, & Castellorum pagorumque multitudine, paucæ ibi sint Ecclesiæ Cathedrales: quo fit ut tam pauci Episcopi non eâ, quâ opus esset, diligentiâ tantam animarum multitudinem regere possint.

Quod quibusdam eorum hoc etiam est difficilius, quòd ipsorum Diœcesani linguæ idiomate institutisque differant, & quidam eorum etiam

etiam ejusmodi privilegia habeant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem non liceat evocare; ita ut nec fidei doctrinâ & piè vivendi præceptis commodè instrui, nec si quid deliquerint, facilè corrigi ab Episcopis suis possint.

Ad ipsos verò Episcopos visitandos, admonendos & in officio continendos, ne una quidem in tota illa tam celebri & tam longè latèque patente regione Ecclesia est Metropolitana: sed illæ quibus subjectæ sunt, extra fines ipsius Regis Philippi sunt, earumque Archiepiscopi, propter multa & varia impedimenta, nulli Suffraganeis suis usui jam pridem fuerunt.

Ad quæ tanta incommoda cùm hoc quoque accedat, quòd cùm ea Regio omni ferè ex parte cincta sit & obsessa à populis Hæreticis atque Schismaticis, propter assiduas Hæreticorum insidias, dolos & fraudes, pestiferasque doctrinas, Catholica illic fides & animarum salus in maximo discrimine & periculo versantur.

His caussis aliisque, quæ animum nostrum impulerunt, adducti, precibus etiam annuere volentes, tamque pio desiderio satisfacere ipsius *Philippi* Regis, qui pro sua pietate & Catholicæ fidei studio hac de re nobiscum & sæpè ac perquàm diligenter per litteras & nuntios egit; habitâ, sicuti rei magnitudo postulabat, cum Venerabilibus Fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus deliberatione maturâ, tam graviter periclitanti in illis partibus fidei orthodoxæ & animarum saluti aptissimum remedium esse duximus, si veterum Ecclesiarum, in illa Regione positarum, Diœceses, commodioris regiminis causâ, divideremus, novisque erectis Cathedralibus Ecclesiis ejusmodi præficerentur Episcopi, qui tum exemplo tum verbo commissas sibi oves pascant, & proborum eorumdemque doctorum Virorum copiâ muniti, idoneorumque operâ ministrorum adjuti, illas adversus insidiantium luporum rabiem tueantur atque custodiant, & Metropolitanæ aliquot Ecclesiæ oportunis ejus Regionis locis erigantur, ad quas commodè adiri possit, quibus qui præfuturi sunt, Suffraganeos suos in officio contineant.

Ex certa igitur nostra scientia, de eorumdem Fratrum nostrorum consilio, ac de Apostolicæ plenitudine potestatis, ad Dei Omnipotentis honorem & Sanctæ ipsius Ecclesiæ utilitatem, *Cameracensem*, *Trajectensem*, *Atrebatensem* & *Tornacensem* Ecclesias, Civitates atque Diœceses à Remensi Coloniensique Provinciis, quibus sunt Metropolitico jure subjectæ, ac *Mechliniense*, *Antverpiense*, *Harlemense*, *Daventriense*, *Leovardiense*, *Gruningense*, *Middelburgense*, *Buscoducense*, *Ruremundense*, *Namurcense*, *Audomarense*, *Iprense*, *Gandavense* & *Brugense*, celeberrima Cameracensis, Trajectensis, Leodiensis, Morinensis & Tornacensis Diœcesium Opida à sua quodque eorum Diœcesi & Provincia;

Præterea ab Ecclesia *Cameracensi* (quam nuper ab omni potestate & jurisdictione Remensis Archiepiscopi, cui suffraganea erat, liberavimus) eam ipsius Diœcesis Cameracensis partem, quæ in Brabantiæ Ducatu & Flandriæ Comitatu existit, itemque ab Ecclesia Diœcesique *Leodiensi* eam ipsius Diœcesis Leodiensis partem, quæ est in Namurcensi & Hornensi Comitatibus, ac Brabantiæ & Geldriæ Ducatibus, ditionis ipsius Philippi Regis; itemque ab Ecclesia & Diœcesi *Tornacensi* eam partem ipsius Tornacensis Diœcesis, quæ à *Roesbeke* Pago & *Aldenardo* Opido ad Oceanum vergit, ipsis Pago & Opido inclusis, itemque ab Ecclesia & Diœcesi *Trajectensi* eam partem ipsius Diœcesis Trajectensis, quæ in Flandriæ Comitatu existit, & insulas Zelandiæ ac totam Hollandiam aquaticam, & partem illam Hollandiæ, quæ firmior appellatur, usque ad Opida Leidense exclusive & Amstelrodamense inclusivè, ac insulas *Vlielant* & *Texel* ac *Wieringen*, & totam Regionem Transisulanam, ac Groningam & Frisiam, cum magna parte Ducatûs Geldriæ, quæ Inferior appellatur, usque ad Hardevicum & Sherenberge Opida, inclusivè, & usque ad Arnhem & Wageninge Opida, ipsis tamen exclusis, nec non partes quas habet ultra Wahalim fluvium, ad ipsum Geldriæ Ducatum pertinentes, & magnam aquam Dordracensem versus Brabantiam;

A dilectis autem Filiis ipsius Capituli Ecclesiæ Trajectensis, seu illius mensa Capitulari omnem jurisdictionem, omniaque jura Episcopalia ipsius Capituli, quæ habet in Regione, *Westfrisia* vocata, ab Osnaburgensi & Monasteriensi ac Coloniensi & Paderbornensi Ecclesiis ac Diœcesibus, & à Coloniensi Provincia eas partes Osnaburgensis & Monasteriensis ac Coloniensis & Paderbornensis Diœcesium, quæ intra fines Regis Philippi existunt, cum omnibus & singulis earum terminis & territoriis, ac cleris, populis & personis, Monasteriis, Ecclesiis ac piis locis, ac beneficiis Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, sæcularibus, & Ordinum quorumcumque regularibus; ab ipsa autem Ecclesia *Morinensi*, per obitum bonæ memoriæ *Francisci de Crequy*, olim Episcopi Morinensis, ab hinc circiter septennium defuncti, Pastoris solatio destituta, eam partem ipsius Diœcesis Morinensis, quæ in Artesiæ existit & Flandriæ Comitatibus, ditionis ipsius Philippi Regis, cum ipsius terminis, territorio, castellis, pagis & locis, Clero ac populo & personis, Monasteriis, Ecclesiasticis ac piis locis ac beneficiis Ecclesiasticis, cum cura & sine cura, sæcularibus, aut Ordinum quorumcumque regularibus, fructusque, reditus, proventus, decimas, jura & emolumenta, quæ Episcopus Morinensis, jura quoque quæ Archiepiscopus Remensis in parte Diœcesis Morinensis ac terminis, territorio, castellis, pagis & locis prædictis, seu ratione visitationis, aut quovis alio jure & causâ percipere consueverunt, à Mensa Archiepiscopali Remensi, & Episcopali Morinensi, Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, perpetuò eximimus, segregamus, dividimus & separamus ab omni jurisdictione, potestate & subjectione Remensis & Coloniensis Archiepiscoporum, ac Cameracensis, Tornacensis, Leodiensis, Morinensis, Trajectensis, Osnaburgensis, Monasteriensis & Paderbornen-

 sis

fis Episcoporum pro tempore existentium, ac dilectorum Filiorum, Capitulorum Remensis, Coloniensis, Cameracensis, Trajectensis, Leodiensis, Morinensis, Tornacensis, Osnaburgensis, Monasteriensis & Paderbornensis Ecclesiarum, atque à solutione decimarum & quorumvis aliorum jurium, eisdem Archiepiscopis, Episcopis & Capitulis, ac Cleris & aliis prædictis, ratione Jurisdictionis, subjectionis, ac Legis Diœcesanæ & Metropoliticæ debitorum;

Ita ut posthac Episcopus Morinensis Jurisdictionem aliquam in partem à Diœcesi separatam, & illius territorium, Castella, Pagos, & loca ac Clerum, populum & personas ac Monasteria, Ecclesias & pia loca ac beneficia exercere, & beneficia sub hac separatione ac divisione comprehensa, quæcumque, quotcumque & qualiacumque sint, quæ ad ejus collationem antea pertinebant, conferre, seu fructus, reditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta ab eo in parte à Diœcesi separata, terminis, territorio, Castellis, Pagis & locis prædictis, subventionis causâ, aut quâlibet aliâ occasione & ratione percipi solita, & Episcopus Morinensis atque Archiepiscopus Remensis prædicti in parte Diœcesis ipsius adempta, ac terminis, territorio, Castellis, Pagis, ac locis præfatis de iis quæ ad eos ratione visitationis ipsorum, & Legis Diœcesanæ ac Metropoliticæ pertinebant, intromittere se nullo pacto possint, eximimus & omninò liberamus.

CAMERACENSEM verò & Collegiatam S. Rumoldi Opidi MECHLINIENSIS & TRAJECTENSEM Ecclesias in Metropolitanas, ac Cameracenses & Trajectenses Sedes Episcopales in Archiepiscopales, easque & ipsam Ecclesiam S. Rumoldi, Metropolitanorum Præsulum Sedes ac Provinciarum Capita, scientiâ, consilio & potestatis plenitudine similibus, auctoritate & tenore præmissis, etiam erigimus & instituimus.

Ex quibus Archiepiscopis nuncupandis, Cameracensis quidem pro sua Diœcesi habeat viginti octo Opida, cum Castellis, Pagis & Monasteriis interjacentibus intra spatium septuaginta duorum millium passuum Italicorum in longitudinem, sexaginta verò in latitudinem, per Nuntium nostrum, propediem à nobis illuc mittendum, limitanda.

TRAJECTENSIS autem pro sua Diœcesi obtineat territorium Trajectense, & majoris partis Hollandiæ, magnæque partis Gelriæ, cum Dominiis de *Buren*, de *Culenburg*, de *Vianen*, *Armuyden*, *Iselsteyn*, triginta Opidorum, præter Pagos, in longitudinem nonaginta, in latitudinem quadraginta millium passuum, similiter terminandorum, ut dictum est.

EISDEM autem duobus, & tertio Mechliniensi, nuncupandis Archiepiscopis, *Pallium* & *Crucem*, sicut mos est, deferendi, reliquisque omnibus insigniis, honoribus, ornamentis, privilegiis & prærogativis Ecclesiarum ac Sedium Metropolitanarum, utendi jus & potestatem concedimus.

MECHLINIENSE autem, *Antverpiense*, *Harlemense*, *Daventriense*, *Leovardiense*, *Gruningense*, *Buscoducense*, *Ruremundense*, *Namurcense*, *Audomarense*, *Iprense*, *Gandavense*, *Middelburgense* & *Brugense*, Opida in Civitates erigimus; ac in eis sic erectis Ecclesias S. Albani Namurcensem, S. Audomari ejusdem Civitatis, B. Virginis Antverpiensem, S. Joannis Gandavensem, S. Donatiani Brugensem, S. Lebvini Daventriensem, S. Joannis Evangelistæ Buscoducensem, & S. Spiritûs Ruremundensem, Collegiatas, ac S. Bavonis Harlemensem, S. Viti Leovardiensem, S. Martini Gruningensem, Parochiales, nec non B. Mariæ Præmonstratensis Middelburgensem, Monasterii S. Martini, S. Augustini Canonicorum Regularium, Ordinum, Iprensem, sub iisdem invocationibus in Cathedrales, scientiâ, consilio, potestate & auctoritate & tenore præmissis, erigimus, pro cujusque earum Civitatum creandis Episcopis, qui suæ quisque præsint, earumque ædificia augeant, & in Cathedralium Ecclesiarum formam redigant, ac jurisdictionem Episcopalem, aliaque omnia & singula, quæ ad ordinem & jurisdictionem ac munus Episcopale pertinent, in Civitatibus, Opidis, terminis, territoriis, insulis, finibus & partibus Diœcesium divisarum, postquam terminata fuerint, respectivè exerceant;

Atque iis iisdem Metropolitanis Archiepiscopales, in Cathedralibus verò sic erectis Ecclesiis Episcopales dignitates, cum Sedibus & Mensis Archiepiscopalibus & Episcopalibus, aliisque Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum insigniis, mensis, arcis, sigillis, aliisque Capitularibus insigniis honoribusque & privilegiis, quibus ceteræ Metropolitanæ, & Cathedrales Ecclesiæ de jure vel consuetudine utuntur, vel uti poterunt, similiter erigimus & instituimus.

ECCLESIIS verò suprà commemoratis, sic in Cathedrales erectis, eisdemque Civitatibus in perpetuum concedimus & assignamus pro suis Diœcesibus,

NAMURCENSI Comitatum Namurcensem & Galliæ Brabantiæ partem, longitudinis quadraginta, & latitudinis triginta millium passuum Italicorum;

AUDOMARENSI districtum decem Opida continentem, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta novem millium passuum similium;

MECHLINIENSI districtum decem & septem Opidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis sexaginta novem, latitudinis triginta millium passuum similium;

ANTVERPIENSI territorium septem Opidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis tringinta millium passuum similium;

GANDAVENSI territorium quattuor Opidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis quadraginta sex, latitudinis viginti quatuor millium passuum similium;

BRUGENSI territorium novem Opidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta quattuor, latitudinis viginti quinque millium passuum similium;

IPRENSI

Iprensi territorium decem Opidorum cum interjacentibus Pagis, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta trium millium passuum similium;

Buscoducensi territorium decem Opidorum, cum interjacentibus Pagis, longitudinis sexaginta, latitudinis triginta millium passuum similium;

Ruremondensi territorium decem Opidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta, latitudinis triginta millium passuum similium, Comitatu *Hornensi* in eis comprehenso;

Harlemensi territorium duodecim Opidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis nonaginta (al. sexaginta) latitudinis triginta millium passuum similium;

Daventriensi territorium viginti quinque Opidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis sexaginta duorum, latitudinis quadraginta sex millium passuum similium;

Leovardiensi territorium decem Opidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis septuaginta duorum, latitudinis quadraginta millium passuum similium;

Gruningensi territorium Patriæ Gruningensis, & Drentiæ, ac Insularum Rollinghe & Borchum;

Middelburgensi territorium decem Opidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis triginta millium passuum similium, pro sua cujusque eorum Episcoporum Diœcesi, sicut dictum est, assignanda.

Personas verò Ecclesiasticas pro Cleris, & Laïcos in illis habitantes pro populis eorumdem; præterea *Cameracensi Atrebatensem*, *Tornacensem*, *Audomarensem & Namurtensem*; *Mechliniensi* verò *Antverpiensem*, *Gandavensem*, *Brugensem*, *Iprensem*, *Buscoducensem & Ruremundensem*; *Trajectensi* autem, Ecclesiis prædictis, *Harlemensem*, *Daventriensem*, *Leovardiensem*, *Gruningensem & Middelburgensem* Civitates, Diœcesesque prædictas, eisdem scientiâ, consilio, & potestatis plenitudine & auctoritate Apostolicâ & tenore attribuimus, & pro cujusque ipsarum Metropolitanis Provinciis esse statuimus.

Ipsasque sic erectas Cathedrales Ecclesias, eosque qui pro tempore fuerint Cameraci, Mechliniæ & Trajecti Archiepiscopi, qui Suffraganei ut membra capiti, sic eisdem Archiepiscopis Metropolitico jure subjecti sint, & Cameracensis, Mechliniensis & Trajectensis Provinciarum Cleros & populos universos, pro suis cujusque Ecclesiarum Provincialibus, quorum singulorum caussæ ad suum cujusque eorum Archiepiscopum, secundùm Sacros Canones deferantur, perpetuò similiter concedimus & assignamus.

Et quod ad Archiepiscopalia Metropolitica & Provincialia jura pertinet, Civitates, Diœceses, Cleros & populos sæpiùs commemoratos eisdem Præsulibus, qui pro tempore fuerint, subjicimus, sicut easdem Civitates, Diœceses, Cleros & populos, quod ad ordinariam Episcopalem jurisdictionem & potestatem attinet, suis quoque ipsorum, qui pro tempore fuerint, Episcopis subjectos esse decernimus.

Archiepiscopali verò Mechliniensi quinque millium, & cuilibet ex Episcopalibus Mensis hujusmodi trium millium Ducatorum auri de Camera annuos reditus ex certis decimis & bonis ac fructibus, reditibus & proventibus Ecclesiasticis, per dictum Nuntium specificandis & repartiendis, ex nunc, prout ex tunc, & è contrà postquam specificati & repartiti fuerint, ac interim donec specificatio & repartitio hujusmodi factæ & effectum sortitæ sint, & non ultrà, Mechliniensi trium millium ac cuilibet ex Episcopalibus Mensis prædictis mille & quingentorum Ducatorum similium annuos reditus per ipsum Philippum Regem ex reditibus & proventibus, quos ex dicta regione percipit, assignandos, & Archiepiscopo Mechliniensi, ac singulis Episcopis præfatis pro tempore existentibus singulis annis, quo usque specificatio & repartitio prædictæ, ac pro ea tantùm parte, quæ plenarium suum effectum minùs sortita fuerit, & non ultrà, integrè & proportionaliter persolvendos, pro earum dote, de pari consilio, eâdem auctoritate etiam perpetuò applicamus & appropriamus.

Eidem autem Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini extiterint, *jus nominandi* personas idoneas, in Theologia Magistros, aut in Decretis Doctores seu Licentiatos, Nobilium Universitatum more, diligenti examine præcedente, promotos, ad Mechliniensem, Antverpiensem, Trajectensem, Atrebatensem, Tornacensem, Harlemensem, Ruremundensem, Namurcensem, Gandavensem ac Brugensem, Daventriensem, Buscoducensem, Leovardiensem, Gruningensem, Middelburgensem, Ecclesias prædictas, tam in hac prima vice, quàm quotiescumque illas pro tempore vacare contigerit, nobis & Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, per nos & eumdem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos earum, ad nominationem ejusmodi instituendos, de eodem consilio & scientia ac auctoritate præmissis, in perpetuum reservamus atque concedimus, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac prædictarum & quarumvis aliarum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum & Ordinum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis & Litteris Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis & aliis præfatis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia ac consistorialiter concessis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis & innovatis.

QUIBUS omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hæc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat harum serie specialiter & expressè derogamus, illaque adversus præmissa suffragari nullo modo posse seu debere decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

NULLI ergo omninò hominum liceat hanc Paginam nostrarum exemptionum, segregationis, divisionis, separationis, liberationis, erectionum, institutionum, concessionum, assignationum, attributionis, statuti, subjectionis, decretorum, applicationis, appropriationis, reservationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

DATUM Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, IV. Idus Maii, Pontificatûs nostri anno quarto. 1559.

CAPUT CLVII.

PIUS IV. *Papa Dotem, Opida, Municipia, Pagos, Vicos & alios limites Diœcesis seu Episcopatûs Antverpiensis nuper instituti describit*, anno 1560.

PIUS Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum, decori ac venustati, ac illis præsidentium & aliarum personarum statui & opportunæ subventioni, cum Divini cultûs augmento, & animarum Christi fidelium salute, valeat salubriter provideri.

Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerint, ex saniori consilio, immutando disponimus; prout locorum & temporis qualitas exigit, & ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

CÙM itaque, sicut accepimus, aliàs, postquam felicis recordationis PAULUS Papa IV. Prædecessor noster providè considerans, eam partem Inferioris Germaniæ, quæ carissimo in Christo filio nostro PHILIPPO Hispaniarum Regi Catholico hereditario jure subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent; uti illius amplitudo & frequentissimorum Opidorum celebritas ac longè latèque dissitorum Castrorum & Pagorum suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabant: iisque & aliis gravibus caussis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei Catholicæ succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habitâ, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione maturâ, de eorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine,

Cameracensem, *Trajectensem*, *Atrebatensem*, & *Tornacensem* Ecclesias, Civitates & Diœceses à Remensi & Coloniensi Provinciis, ac *Mechliniensem* & *Antverpiense*, ac diversa alia tunc expressa Opida insignia dictæ Regionis à sua quoque Diœcesi & Provincia perpetuò segregaverat ac diviserat. Nec non *Mechliniense*, *Antverpiense* & reliqua Opida prædicta sic divisa in Civitates, *Cameracensem* verò & *Trajectensem* tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam Ecclesiam S. Rumoldi *Mechliniensem* in Metropolitanam, & Beatæ Mariæ *Antverpiensem*, ceterasque aliorum Opidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias in Cathedrales Ecclesias, pro totidem Archiepiscopis & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent. Nec non Mechliniensi & Antverpiensi Ecclesiis Civitatibusque prædictis certos tunc expressos Districtus, per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum, limitandos, pro sua cujusque Diœcesi perpetuò concesserat. Nec non Ecclesiæ Mechliniensi prædictæ Ecclesiam, Civitatem & Diœcesim Antverpiensem hujusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat;

PRÆFATO quoque Philippo Regi, ejusque Successoribus qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, Jus Nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac aliis certis tunc expressis modo & formâ, qualificatas ad Antverpiensem & alias Ecclesias erectas prædictas, tam à primæva Erectione ejusmodi, quàm ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eumdem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos, ad nominationem hujusmodi, ordinandos in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis, Litteras, Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusinensi, suo & Apostolicæ Sedis Nuntio in partibus illis, dederat in mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas Provincias & Diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis & Præposituris, sub illis consistentibus, dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria

necessaria faciendi vice suâ, deputaret; dilectus Filius noster ANTONIUS S. R. E. Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quattuor alii scientiâ & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus & Nuntius, dicto Prædecessore intereà de medio sublato, vigore seu prætextu Mandati & posteriorum Litterarum hujusmodi, substituerat, licet forsitan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant, factâ nihilominùs diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes quòd per dismembrationes bonorum à Monasteriis & Præposituris præfatis, si fierent, cultus Monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria & Præposituras mensis prædictis, pro dote Ecclesiarum suarum ad hoc, ut Episcopi etiam illorum curam perindè atque suam propriam perpetuò gererent, potiùs esse unienda, ac designationes & limitationes Provinciarum & Diœcesium, divisionesque & distributiones Opidorum & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium, commodiores illis, quæ per primò dictas Litteras statuuntur: nec non constitutiones & assignationes dotium, & denique numerum personarum ac dignitatum, Præbendarum, beneficiorum & officiorum, statum quoque & formam in præfatis Ecclesiis, etiam per dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones & alias in universum accommodas rationes habendas censuerint, ac super majori illorum parte processus & scripturas seriò, digestis rebus omnibus, formandos curaverint; prout in illis ac singulis Litteris prædictis pleniùs continetur;

NOS qui dudum inter alia voluimus, quòd semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique nuper Monasterium S. Bernardi, Cisterciensis Ordinis, Antverpiensis Diœcesis, certo tunc expresso modo vacans, Mensæ Episcopali Antverpiensi, pro dotis nomine, perpetuò univimus, annexuimus & incorporavimus, attendentes quòd si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus optimisque Præsulibus oportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciosa hæresum dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur atque affligitur, haud ita violenter invasissent.

NUNC autem cùm ad illa arcenda & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia magis oportuna remedia potuerit adhibere, quàm suprà dicta, ut illa, juxta cordis sui atque nostri desiderium, promptos ac felices sortiantur effectus, nostri ministerii partes præmissis adjicere, illaque omnibus, quibus possumus, rationibus juvare & promovere volentes, ac Mensæ Episcopalis Antverpiensis & Canonicatûs & Præbendæ illi uniendorum infrascriptorum veros annuos valores, ac Litterarum, processuum & aliarum scripturarum hujusmodi veriores tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti *Philippi* Regis, & pro salute dictorum populorum enixè prosequentis excitati, motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus & distributionibus dictorum Subdelegatorum in dictis processibus specificatis, tamquam in melius reformatis, inhærendo, ac concessionem & assignationem per priores Litteras Prædecessoris hujusmodi factas, quoad infrascripta immutando, omnia & singula Opida, Castra, Villas, Pagos & loca infra scripta, videlicet

Antverpiam; Liram, Herentals, Bergen op Zoom, Steenbergen, Bredam, Turnhout, Hoochstraten, S. Willebrord, Duern, Wynegem, Womelghem, Immerseel, Ranst, Oeleghem, Massenhoven, Viersel, Voorschooten, Berchem, Borsbeke, Millegem, Broechem, Luythagen, Hoboken, Morsele, Vremde, Emmelen, Wylryck, S. Bernard, Heymsem, Eyghem, Hove, Boehout, Schelle, Nazareth, Artzelare, Contick, Nyle, Reedt, Waerloos, Rumst, Duffele, Hoyck, Heyst, Berzelen, Hulshout, Boyschot, Meerbeke, Herselt, Anderstadt, Gestel, Itenghem, Ballaer, Hallaer, Reyel, Werlem, Vorst, Eynhout, Meerhout, Olmen, Welden, Eel, Raveis, Kessel, Tenhout, Soerle, Oisterhout, Morckhoven, Herenthout, Dongen prope Bredam, Nielen, Noorderwyck, Bauwel, Oelen, Ten Ryen, Gilse, Alphen, Eiche, Barle, Lichtaert, Castel, Tielen, Santhoven, Grobbendonck, Voerseler, Poederle, Halle, Pulderbosch, Pulden, s'Graven-Wesel, Lille, Schilden, Int-Goor, Soersel, Gierle, Westmal, Oistmal, Vlimmeren, Berse, Vosselare, Brecht, S Lenaerts, Ryckevorsel, Osterhout, Merexem, Oosterweel, Wilmerdonck, Oerdam, Ekeren, Schooten, Orderen, Brexscaten, Lillo, Hove, Berentrecht, Capelle, Stabroeck, Santvliet, Putten, Ossendrecht, Brecht, Calmthout, Achterbroeck, West-Wesel, Loenhout, Woensdrecht, Meerl, Ginneken, Huybergen, Nieumoer, Hoogerheyde, Emaus, Sundert, Hildernis, Borchvliet, Nispen, Rosendael, Wouda, Haerle, Polder, Halsteren, Cruystandt, Gastel, Oudenbosch, Cahem, Intkaem, Sprundel, Hoeven, Cleyn Sundert, Etten, Terboden, Rysbergen, Galder, Haghe, Ter Heyden, Tenhout, Minderhout, Mera, Mersel, Tergingen, Marxblas, Wortel, Bavel;

IN posteriori designatione Subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis Parochialibus, Monasteriis, Collegiis etiam Canonicorum, Capellis, Hospitalibus & Beneficiis, locis & personis ac officiis Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus, ac populis & quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfatæ Ecclesiæ Antverpiensi, pro sua Diœcesi, juxta designationem illi per prædictos Subdelegatos factam hujusmodi, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, perpetuò concedimus & assignamus.

ET ut Episcopus Antverpiensis pro tempore existens statum suum, juxta Pontificalis dignitatis exigentiam, decentiùs tenere, ac onera, præsertim in ea amplissima Civitate, in qua propter frequentiam populi, & continuas negotiationes magno vivitur, commodiùs perferre, & quam Episcopum decet hospitalitatem exercere valeat, à S. Mariæ VILLARIENSIS, olim Leodiensis, nunc verò Namurcensis Diœcesis,

cesis, Antverpiæ vicinioribus & Sedi Episcopali Antverpiensi commodioribus, usque ad quingentorum, & à S. MICHAELIS Antverpiensis Monasteriis, seu eorum Mensis Abbatialibus, proprietates & bona etiam in Decimis consistentia, usque ad aliorum quingentorum ducatorum auri de Camera, proventus annui, summas, cum primùm Monasteria ipsa per cessum vel decessum illorum modernorum Abbatum seu Commendatariorum, aut aliis quibusvis modis, & ex quorumcumque personis vacaverint, ex nunc prout ex tunc, & è contrà, perpetuò segregamus & dividimus, illaque sic segregata & divisa præfatæ mensæ Antverpiensi etiam perpetuò applicamus & appropriamus.

NEC non ARCHIDIACONATUM Antverpiensem in dicta Ecclesia Cameracensi, qui inibi Dignitas, non tamen major, post Pontificalem existit, similiter cùm per primum cessum vel decessum moderni Archidiaconi Antverpiensis in dicta Ecclesia Cameracensi etiam apud Sedem eamdem vel aliàs vacaverit, etiamsi actu nunc quovis modo vacet, ac specialiter vel generaliter reservatus existat, & ad illum consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, super eo quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus juribus, jurisdictionibus & pertinentiis suis ad præfatam Ecclesiam Antverpiensem similiter ex nunc prout ex tunc, & è contrà (ita quòd Archidiaconus Antverpiensis pro tempore existens, post cessum vel decessum dicti moderni Archidiaconi, in eadem Ecclesia Antverpiensi, prout olim in dicta Ecclesia Cameracensi, residere ac jurisdictionem per universam Diœcesim Antverpiensem præfatam, ad instar aliorum, qui nunc sunt in ulla parte ejusdem Diœcesis Antverpiensis, omninò habere, eamque perpetuò exercere debeat) transferimus.

AC in eadem Ecclesia Antverpiensi unum ARCHIPRESBYTERATUM Civitatensem, pro uno Archipresbytero Civitatensi, qui curam Rectorum Parochialium Ecclesiarum & ..... verbi Dei per Civitatem.

AC unam POENITENTIARIAM Diœcesanam, nuncupandas Dignitates inibi, non tamen post pontificalem majores, pro uno Pœnitentiario Diœcesano, nuncupandis, qui curam conscientiarum populi per universam Diœcesim Antverpiensem hujusmodi habeant, perpetuò erigimus & instituimus.

ET ut idem Episcopus Antverpiensis pro tempore existens Ecclesiam suam personis eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, ceteraque munera Ecclesiastica obeunda idoneis, debitè instructam jugiterque decoratam habeat perpetuò, statuimus & ordinamus, quòd ex omnibus Canonicatibus & Præbendis dictæ Ecclesiæ Antverpiensis, qui multi & pingues existunt, *decem*, quos primò per cessum & ex caussa permutationis, vel decessum, aut quavis aliâ dimissione vel amissione modernorum ipsius Ecclesiæ Canonicorum, vel aliis quibusvis modis, & ex aliorum quorumcumque personis, etiam apud Sedem prædictam, aut etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum dispositio nobis aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas vel Curiæ Apostolicæ Regulas; seu litteras alternativarum, aut alia privilegia & indulta reservata extitit seu fuerit, simul vel successivè vacare contigerit, etiam si actu nunc vacent, & tanto tempore vacaverint, quòd eorum collatio, juxta Lateranensis Statuta Concilii, ad Sedem Apostolicam prædictam legitimè devoluta, ipsique dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati & sacerdotales existant, ac super his inter aliquos lis, cuius statum in præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa; sic perpetuò affecti remaneant, quòd idem Episcopus unum vel unam, omnium primò vacaturos, tamquam mensæ Episcopali perpetuò unitos (& quos nos similiter ex nunc prout ex tunc, & è contrà ipsi Mensæ perpetuò unimus, annectimus & incorporamus) obtinere, illorumque ratione persona Capitularis esse, vocemque & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum & Canonicos habere.

RELIQUI vero novem Canonicatus & Præbendæ prædicti tribus *Magistris* aut *Licentiatis in Theologia*, & tribus aliis *Doctoribus Decretorum* seu in eis *Licentiatis*, ac tribus aliis *Nobilibus* ejus Diœcesis, etiam in Jure vel Theologia saltem gradu Licentiaturæ in famosa quapiam Universitate Studii generalis, secundùm tenorem primo-dictarum Litterarum promotis, ordine in dicta designatione expresso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant;

QUODQUE ad sex Priores tam Nobiles quàm alii non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres Canonicatus & tres Præbendas ex reliquis novem Cannnicatibus & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possunt. Ac omnes & singuli, ratione suarum hujusmodi Præbendarum, consilium & operam in negotio Ecclesiæ & Religionis, ceterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo suo requisiti fuerint, tam conjunctim quàm divisim, præstare teneantur.

AC unus Archidiaconus ad Archidiaconnatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquus ex dictis Graduatis Pœnitentiarius ad Pœnitentiariam hujusmodi, ad nominationem Episcopi dicti assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus & Præbendas prædictos simili ordine consequi debeant.

UT autem de viris spectatæ doctrinæ & probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus & novem Præbendæ hac prima vice per præfatum Episcopum dumtaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi & aliorum Graduatorum præfatorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris sive momenti, quàm cujuslibet

jusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Episcopi suffragium paritatem dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus & novem Præbendæ, sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non exspectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando & aliàs disponendo, primariis precibus nuncupatis, vel aliis gratiis præventivis, per Nos aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam prædictam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum & aliorum Principum, aut ejusdem S. R. E. Cardinalium, & ex quacumque caussa, quantumlibet urgenti pro tempore factis & concessis comprehendantur. Nec etiam tamquam vacantes apud Sedem eamdem, aut ullâ aliâ ratione generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex caussa permutationis, apud Sedem eamdem pro tempore occurrentem, per Romanum Pontificem aut Sedem hujusmodi, de illis provideri, aut aliàs quoquo modo disponi possit; sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullâque caussâ infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis præfatis, Magister vel Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor seu etiam Licentiatus, seniores ratione suarum Præbendarum, facultatem habeant visitandi per universam Diœcesim Antverpiensem prædictam ab Episcopo, inquirendi. Ceteri verò Canonici Graduati prædicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur.

Ac ex reliquis senioribus Canonicis præfatis duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, unà cum prædicto Archidiacono, curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum, medio juramento, promittentem admittentes.

Et quoniam impia hæreticorum studia temporisque malitia Viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patiuntur; quòd si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo seu Capitulo missi, per *duos menses* abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ in duas partes æquales dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui divinis officiis in choro deservierint & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis caussâ, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ullâ dispensatione vel alio privilegio Apostolico quâcumque caussâ imperato vel concesso sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Ceteræ Ecclesiæ Civitatis sub cura dicti Archipresbyteri Civitatensis, extra verò eam & in Diœcesi Antverpiensi existentes vel sub suis Decanatibus aliisve jurisdictionibus, prout hactenus, remaneant, vel meliore modo, arbitrio Episcopi, distribui, ipsorumque Decanatuum Decani, salvo dicti Episcopi moderamine, emolumenta hactenus percipi solita percipere possint.

Districtiùs inhibentes Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, ceterisque locorum Ordinariis, nec non Conventuum Superioribus & Personis, illique vel illis, ad quem vel ad quos Archidiaconatus, ac decem Canonicatuum & Præbendarum affectorum prædictorum collatio, provisio, & quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, & quibuscumque aliis cujuscumque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris & pœnis, nec non privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum & Officiorum Ecclesiasticorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ne de Archidiaconatu ac decem Canonicatibus & Præbendis præfatis, si vacant, aut vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus & executionem in aliquo quocumque modo impedire, aut molestiam vel injuriam quampiam irrogare quoquo modo præsumant;

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omninò acquisitum esse, & super his beneficio regularum de non tollendo jure quæsito ac annali & triennali possessione, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, plenariè uti, potiri & gaudere, ac decem Canonicatus & decem Præbendæ affecti prædicti, per quoscumque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum & Indultorum, etiam juxta Concordata Nationis Germanicæ, exspectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum quoquo modo acceptari non posse, & nihilominùs quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones & incorporationes, & alias dispositiones de eisdem aut eorum aliquo, etiam per nos & Sedem præfatam quomodolibet factas & faciendas, nullius prorsus roboris vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse, ac concessiones, assignationes, divisiones, segregationes, applicationes, appropriationem, translationem, erectionem, institutionem, statutum, ordinationem, unionem, annexionem & incorporationem, ac cetera præmissa, ac præsentes Litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse & censeri, ac sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus vel limitationibus etiam unionum, annexionum & incorporationum, suppressionum, extinctionum etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per nos vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet ad Summi Apostolatûs apicem, quàm aliàs quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis &

& decretis, quocumque tempore fient, minimè includi;

Sed illis non obstantibus in suis vigore, robore & efficacia persistere, ac quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, ac de novo concessa existere, sicque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse, esse & fore, ac easdem præsentes Litteras nullo umquam tempore de surreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus vel controversiam, quacumque ratione vel caussâ, vocari posse, sicque per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam caussarum Palatii Apostolici Auditores, & præfatos Cardinales, in quavis caussa & instantia, sublatâ eis vel eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & finiri debere; irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris, Archiepiscopo Mechliniensi & Episcopo Namurcensi, ac dilecto filio Decano Ecclesiæ Lirensis, Antverpiensis Diœcesis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes Litteras, & in his contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit ac quoties, pro parte moderni & pro tempore existentis Episcopi Antverpiensis, & aliorum quorum interest, aut quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solenniter publicantes eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ Episcopum Antverpiensem & alios præfatis concessionibus, assignationibus, segregationibus, divisione, applicatione, appropriatione, translatione, erectione, institutione, statuto, ordinatione, unione, annexione & incorporatione, & Litteris, ac aliis in eis contentis prædictis pacificè gaudere, ac Litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari. Non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, nec non legitimis super his habitis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, etiam invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstante nostrâ voluntate priori, ac Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis, fieri prohibentis, ac piæ memoriæ *Bonifacii* Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus Dietis, aliisque Apostolicis Constitutionibus & Ordinationibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non dictæ Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam revocatoriis, & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum & aliàs in contrarium quomodolibet editis & edendis, nec non Monasteriorum & Ordinum, & Ecclesiarum & Collegiorum & locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis & consuetudinibus, nec non quibusvis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, exspectativis & aliis gratiis, etiam in Canonicorum creationibus, aliis unionibus & perpetuis, absque consensu coadjutorum, deputationibus, nominationibus citra accessus & regressus, facultatibus, mandatis, Litteris & concessionibus quibuscumque, personis, cujuscumque dignitatis, statûs, gradûs, & conditionis existentibus, etiam Cardinalatûs honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis & descriptis familiaribus, continuis Commensalibus ac Prælatis domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi caussa, consideratione, intuitu vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum & aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis, & decretis etiam irritantibus, & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu & scientiâ similibus & aliis quomodocumque concessis. Quas & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum, quoad præmissa omnia, omninò suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Nec non Privilegiis, Indultis & Litteris Apostolicis illis, & aliis quibusvis, per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, & Sedem præfatam, etiam per viam generalis legis & statuti perpetui, nec non initi & stipulati contractûs, seu quasi etiam aliàs sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis irritantibus, & aliis decretis; etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientiâ & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter ac aliàs quomodocumque, qualitercumque & quotiescumque concessis, confirmatis & etiam iteratis vicibus innovatis & concedendis & innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisitâ forma ad hoc servenda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis latè extendenda in suprà apposita non intelligantur, aut aliàs comprehendantur, nihilominus in genere & in specie, ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in suo robore permansuris

ſuris, hâc vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus contrariis quibuſcumque;

Aut ſi aliquâ Apoſtolicâ præfatâ vel aliâ quâvis auctoritate, in dicta Eccleſia in Canonicos ſint recepti, vel ut recipiantur, inſiſtant; ſeu ſi ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Canonicatibus & Præbendis Antverpienſis ac dignitatibus Cameracenſis Eccleſiarum hujuſmodi, ſpeciales, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem Litteras & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quæcumque, ad Archidiaconatum & decem Canonicatus & Præbendas hujusmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem Canonicatuum & Præbendarum, ac Dignitatum vel beneficiorum aliorum, præjudicium generari; aut ſi pro tempore exiſtentibus Epiſcopis & dilectis filiis Capituli Cameracenſis & Antverpienſis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, aut in futurum indulgeri contingat; quodque interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis Privilegiis, Indulgentiis & Litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, aſſignationis, ſegregationis, diviſionis, applicationis, appropriationis, tranſlationis, erectionis, inſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, mandati, ſuſpenſionis, decreti, derogationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum an-
no Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſi- 1560.
mo, V. Idus Martii, Pontificatûs noſtri anno
ſecundo.

EPISCOPI ANTVERPIENSES.

Additio. PHILIPPUS NIGRIUS, Bononienſis, J. U. D. primus à Philippo II. Hiſpaniarum Rege Antverpienſium Epiſcopus nominatus eſt anno 1559. Fuerat Cancellarius Aurei Velleris, Sanctioris Conſilii Senator, S. Salvatoris Harlebaci & S. Pharaildis Gandavi Præpoſitus, Bruxellæ ad S. Gudulam, Mechliniæ ad S. Rumoldum Decanus &c. ſed priuſquam inauguraretur obiit 4. Januarii 1562.

I. FRANCISCUS SONNIUS, Sylvæducenſis S.T.D. ac Profeſſor in Academia Lovanienſi, olim Canonicus Ultrajectinus, Inquiſitor Hæreticæ Pravitatis, & pro Erectione novorum Epiſcopatuum Belgii Romam deputatus, è primo Buſcoducenſium Epiſcopo factus eſt primus Antverpienſium Præſul 1570. Scriptis clarus obiit 29. Junii 1576.

II. LÆVINUS TORRENTIUS, vulgò *Vander Beecken*, Gandenſis, Canonicus, Archidiaconus, & Vicarius Generalis Epiſcopatûs Leodienſis, conſecratus fuit 10. Septembris 1587. Inde nominatus Archiepiſcopus Mechlinienſis, ante confirmationem obiit 25. Aprilis 1595.

III. GUILLIELMUS DE BERGES Cathedralis Leodienſis Canonicus & Decanus, conſecratus fuit 29 Martii 1598, & anno 1601. tranſiit ad Archiepiſcopatum Cameracenſem, ubi obiit 25. Aprilis 1609.

IV. JOANNES MIRÆUS, Bruxellenſis S. T. L. olim Paſtor Eccleſiæ S. Jacobi in Monte Frigido Bruxellis, inde Canonicus ad D Gudulam, conſecratus fuit 30. Maii 1604. Synodum Diœceſanam habuit anno 1610, & vivere deſiit 12 Januarii 1611.

V. Nepos ejus ex Fratre fuit AUBERTUS MIRÆUS S. T. L. Cathedralis Antverpienſis Decanus, hujus Operis Author; qui obiit anno 1640.

JOANNES MALDERUS, Leeuwenſis S. Petri. S T. D. & Profeſſor Lovanii, ibique Præſes Seminarii Regii, conſecratus 7. Auguſti 1611. Lovanii Theologorum Collegium erexit, & libris editis clarus obiit 21. Octobris 1633.

GASPAR NEMIUS, Sylvæducenſis, S.T.D. & Profeſſor Duaci, ibique Præſes Seminarii Regii, conſecratus 22. Julii 1635, inde tranſlatus ad Archiepiſcopatum Cameracenſem anno 1652, vitâ functus eſt 22. Novembris 1676. VI.

MARIUS AMBROSIUS CAPELLO, Antverpienſis, ex Ordine FF. Prædicatorum, S. T. D. in Univerſitate Lovanienſi, antea nominatus ad Epiſcopatum Iprenſem, conſecratus Epiſcopus Antverpienſis 13. Septembris 1654. Inſtituit Seminarium Paſtorum Antverpiæ. Obiit 4. Octobris 1667. VII.

AUBERTUS VANDEN EEDE, Bruxellenſis, J. U. L. Canonicus, Archidiaconus & Vicarius Generalis Antverpienſis, conſecratus 31. Octobris 1677, ſequenti anno peſtilenti morbo abreptus eſt die 6. Novembris. VIII.

JOANNES FERDINANDUS VAN BEUGHEM Bruxellenſis, J U. L. Decanus S. Gudulæ Bruxellis, conſecratus 12. Novembris 1679. obiit 19. Martii 1699. IX.

REGINALDUS COOLS Antverpienſis, ex Ordine FF. Prædicatorum, S. Theologiæ Magiſter, primò Epiſcopus Ruremundenſis, dein Antverpienſis, obiit 2. Decemb. 1706. X.

PETRUS JOSEPHUS FRANCKEN-SIERSTORPFF Bonnenſis, J.U. D. Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis, nec non Collegiatæ Beatæ Mariæ Virginis in Capitolio Canoni-cus Presbyter ac Capitularis, conſecratus eſt 25. Octobris 1711. hodieque ſummâ cum laude præeſt. XI.

Plura de Epiſcopis Antverpienſibus, de Decanis Eccleſiæ Cathedralis, aliiſque ad hanc Diœceſim pertinentibus, vide in *Hiſtoria Epiſcopatus Antverpienſis* Bruxellis edita anno 1617.

CAPUT CLVIII.

PIUS IV. *Pontifex Episcopatum Ruræmundensem in Gelria, Archiepiscopatûs Mechliniensis Suffraganeum, erigit anno 1561; eidem assignans limites, & pro dote Præposituram Marsanensem prope Mosæ-Trajectum, Præposituram Ecclesf. S. Spiritûs Ruræmundæ, & alia quædam Gelriæ Monasteria.*

PIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

REGIMINI universalis Ecclesiæ disponente Domino Præsidentes, pro Ecclesiarum quarumlibet, præsertim noviter erectarum, illisque præsidentium statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti Pastoralis officii tenemur, sollicitæ considerationis aciem extendimus, & ad ea per quæ Ecclesiarum impositarum dotationi, decori, venustati, suorumque Præsulum, Capitulorum, & aliarum Personarum Divinis ibi laudibus insistentium, opportunæ subventioni, cum Divini cultûs augmento, & animarum Christi fidelium salute, consulitur, nostræ sollicitudinis partes libenter adhibemus, ac aliàs super his etiam nonnulla quæ à Prædecessoribus nostris, licet consultè gesta fuerint, ex saniori tamen consilio prudenter immutando disponimus, prout locorum, temporum, personarumque qualitate pensatâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

CùM itaque aliàs postquam felicis recordationis Paulus PP. IV. Prædecessor noster, ut providi Pastoris debitum exigebat, in ea Inferioris Germaniæ parte, quæ charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hereditario jure subjecta est, pro tanta celeberrimorum; quæ illic exstant, Oppidorum frequentia, populorumque multitudine, adeò paucas Ecclesias Cathedrales inesse consideremus, ut illarum Episcopi eâ quâ opus erat diligentiâ tantam animarum multitudinem regere non possent;

IDQUE quibusdam cò difficilius esse, quod homines sui Diœcesani vulgari idiomate institutisque differebant, & quidam eorum, etiam ejusmodi Privilegia habebant, ut ipsos ad Episcopalem Sedem evocare non liceret; unde præfati Episcopi nec Fidei Catholicæ doctrinam, ac rectam vivendi rationem populos suos docere, nec in delinquentes animadvertere commodè quibant, fidesque & animarum salus ibidem ob multiplices hæreticorum & schismaticorum, quibus ipsa regio undique ferè circumdata erat, insidias, pestiferasque doctrinas maximo in discrimine versabatur,

His aliisque gravibus causis impulsus, volens etiam prædicti Philippi Regis hoc illi humiliter supplicantis precibus, pioque desiderio in eâ parte satisfacere, habitâ sicut tanta res postulabat cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, maturâ deliberatione, de eorum consilio, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Mechliniense, & quod in Ducatu Geldriæ, & Diœcesi Leodiensi consistebat, Ruræmundense, ac diversa alia tunc expressa Oppida insignia dictæ Regionis cum omnibus & singulis conterminis Territoriis, Cleris, Populis, Personis, Monasteriis, & Beneficiis Ecclesiasticis cum cura & sine cura sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, aliisque piis locis à suis quodque Diœcesi & Provincia perpetuò segregaverat, diviserat, & separaverat;

AC Mechliniense, Ruræmundense, reliquaque Oppida prædicta sic divisa in Civitates, Sedem verò Mechliniensem in Metropolitanam, ac Collegiatam S. Spiritûs Ruræmundensem certasque alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum hujusmodi Ecclesias in Cathedrales pro totidem Episcopis erectas, qui suis quique præessent Ecclesiis, ac Ruræmundensi, aliisque Ecclesiis & Civitatibus præfatis certos Districtus per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Diœcesi perpetuò concesserat:

NEC NON Ruræmundensem, & certas alias tunc expressas Ecclesias, Civitates, & Diœceses dictæ Ecclesiæ Mechliniensi pro sua Provincia subjecerat; singulisque Ruræmundensis & aliarum noviter erectarum Cathedralium Ecclesiarum Mensis Episcopalibus annuum redditum trium millium ducatorum auri de Camera ex certis Decimis & bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis per dictum Nuntium specificandis, & repartiendis ex tunc, prout ex ea die, & è contra, postquam specificati & repartiti, ac interim donec specificatio, & repartitio hujusmodi factæ, ac effectum sortitæ forent, & non ultra;

CUILIBET ex prædictis Mensis pro earum dote alium annuum redditum mille & quingentorum ducatorum similium per ipsum Philippum Regem ex redditibus & proventibus, quos ex dicta Regione percipiebat, cuilibet ex Ruræmundensi aliisque noviter institutis Episcopis pro tempore existentibus, annis singulis, quousque specificatio & repartitio prædictæ, ac pro ea tantùm parte, quæ plenarium suum effectum minùs sortita foret; nec ultra, integrè & proportionaliter persolvendum, perpetuò applicaverat, & appropriaverat;

AC eidem Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, Jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas ac alias certis tunc expressis modo & formâ qualificatas, ad Ruræmundensem, & alias Cathedrales Eccle-

fias

ſias ſic erectas, tam à primæva illarum erectione hujuſmodi, quam quoticſcumque illas pro tempore vacare contingeret, Romano Pontifici, qui pro tempore foret, per eum in Epiſcopos ad nominationem hujuſmodi ordinandos, in perpetuum reſervaverat, per quaſdam ſub plumbo, & deinde per alias ſuas in forma Brevis Litteras, Venerabili Fratri noſtro, tunc ſuo, Salvatori Epiſcopo Cluſino, ſuo & Apoſtolicæ Sedis in partibus illis Nuntio, dederat in mandatis, ut perſonas idoneas quæ dictas Provincias & Diœceſes diſtinguerent & limitarent, ac dotem dictarum Eccleſiarum à Monaſteriis, Prioratibus, & Præpoſituris ſub illis conſiſtentibus diſmembrarent, cum poteſtate omnia in his neceſſaria faciendi, vice ſuâ deputaret.

Dilectus filius noſter Antonius titulo Sancti Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis, de Granvella nuncupatus, tunc Epiſcopus Atrebatenſis, ac quatuor alii ſcientiâ & probitate inſignes Viri, quos ipſe Salvator Epiſcopus & Nuntius, dicto Prædeceſſore interim de medio ſublato, vigore, ſeu prætextu mandati, & poſteriorum Litterarum hujuſmodi ſubſtituerat; licèt forſan eorum aliqui de illis perſonis non eſſent, quæ ad id canonicè ſubdelegari poſſent, factâ nihilominus per eos quam diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè penſatis,

Animadvertentes, quòd ſi paſſim de dotibus Eccleſiarum hujuſmodi per diſmembrationes bonorum à Monaſteriis & Præpoſituris præfatis provideretur, cultus monaſticus non mediocriter læderetur; quin potiùs præſtare nonnullos ex Præpoſituris ac Prioratibus hujuſmodi ſupprimi, illorumque fructus, redditus & proventus Ruræmundenſi, aliiſque tam Epiſcopalibus, quàm Capitularibus Menſis Eccleſiarum earundem applicari, ac deſignationes, & limitationes Provinciarum & Diœceſium, diviſioneſque & diſtributiones Oppidorum, & juriſdictionum in nonnullis partibus ipſarum Diœceſium commodiores illis, quæ per primò dictas Litteras ſtatuebantur, fore prævidentes,

Idcircò aſſignationes dotium, numerum quoque perſonarum ac Dignitatum, præbendarum, officiorum, & beneficiorum in iiſdem Eccleſiis, ſtatum, & formam etiam per hujuſmodi ſuppreſſiones & applicationes, aliaſque in univerſum accommodas rationes habendas, ac ipſam Ruræmundenſem Diœceſim ita partiendam, ut totum Geldriæ Tractum à flumine Wael uſque ad Echt, Roeſteren, & Opbicht, Nieſtadt, Erkelens incluſivè, qui dividitur in duas quartas dicti Ducatûs Ruræmundenſis & Nimmagenſis, cum Comitatu de Horn & Dominiis ſeu Territoriis de Beckte, Thorela, Fantrenbergh, Civeta, & Roſſel, cum Oppidis, Terris, Caſtris, Pagis, & locis ſub eis conſiſtentibus.

In quarta Ruræmundenſi. *Ruræmunda*, *Venloo*, *Gelre*, *Stralen*, *Wachtendonck*, *Erckelens*, *Elſen*, *Nieuſtadt*, *Opbycht*, *Roeſteren*, *Echt*, *S. Jooſt*, *Poſterholdt*, *Maesbracht*, *Montfort*, *Vlodorp*, *Linne*, *Delenburgh*, *Harten*, *Dalenbrouck*, *Niell*, *Herckenbois*, *Hellenrayd*, *Aſſelt*, *Keuckhoven*, *Swanenbergh*, *Tuſſenbroeck*, *Geckbergh*, *Avermucht*, *Neder-Cruchten*, *Swalmen*, *Aldenborck*, *Eelmpt*, *Bieſſelen*, *Belſelt*, *Loedt*, *Pauwels*, *Vierſſen*, *Rayd*, *Zuchtelen*, *Lobbrecht*, *Ingenbockholdt*, *Hynsbeeck*, *Krieckenbeeck*, *Greefrayd*, *Holtmeulen*, *Tegelen*, *Herringes*, *Lingendonck*, *Sint Niclaes*, *Langenfeldt*, *Ude*, *Velden*, *Bergh*, *Sint Anthonis*, *Schaephuyſen*, *Wanckum*, *Intraedt*, *Intbrouck*, *Batterwerdt*, *Aldekerck*, *Vlaſraedt*, *Walbeeck*, *Ray*, *Nieukerck*, *Averdt*, *Zevelaer*, *Pont*, *Dieſſendonck*, *Arſſen*, *Twiſtede*, *Veerdt*, *Ingenbaegh*, *Geysbergh*, *Geſtelen*, *Opgenwinckel*, *Wetten*, *Kevelaer*.

In Dominio de Keſſel. *Keſſel*, *Meyell*, *Helden*, *Barlo*, *Brey*, *Blerick*, *Grebben*, *Zevenum*, *Vorſt*, *Lottum*, *Zeveren*, *Kaſtenray*, *Broeckhuyſen*, *Blitterſwyck*, *Mareſſel*, *Oirlo*, *Mierlo*, *Venrayd*, *Wanſſum*, *Huis*, *Hoghe*, *Gheeſteren*, *Leghebus*, *Well*, *die Bylden*, *Aeyen*, *Bergen*, *Afferden*, *Blyenbeeck*.

In quarta Noviomagenſi. *Noviomagum*, *Op-Millingare*, *Oey*, *Opburgh*, *Beeck*, *Groesbeeck*, *Hoemen*, *Malden*, *Overaſſelt*, *Hatert*, *Hees*, *Vurd*, *Neeraſſelt*, *Balgoyen*, *Wycken*, *Nyſterick*, *Luer*, *Batenburgh*, *Hernen*, *Appelteren*, *Burgharen*, *Houmeer*, *Maesbomell*, *Oyen*, *Alfen*, *Drumel*, *Puſelick*, *Wammel*, *Leuwen*, *Offerden*, *Druten*, *Midlaer*, *Deſt*, *Winſſen*, *Venetgen*, *Eewyck*, *Oelenburgh*, *Dodedael*, *Boninghe*, *Blanckenborgh*.

In Dominio Kuyckenſi. *Gravia*, *Cuyck*, *Lynden*, *Graſſell*, *Eſcren*, *Catwyck*, *Beers*, *S. Agatha*, *Oſſel*, *Haeps*, *Mill*, *S. Hubert*, *Wanray*, *Boxmeer*, *Bueghem*, *Meer*, *Opleecke*, *Sambeeck*, *S. Antonis*, *Groeningen*, *Oploo*, *Mullem*, *Vierlinxbeeck*, *Mackom*, *Loon*, *Maesbees*.

In Comitatu Hornenſi. *Weerdt*, *Weſſem*, *Nederweerdt*, *Keyſerboſch*, *Roggel*, *Ghoor*, *Nuenhem*, *S. Eliſabeth*, *Heythuyſen*, *Haelen*, *Oell*, *Leveroy*, *Baxen*, *Buggenum*, *Swardtbroeck*, *Heel*, *Gratem*, *Beeghdem*, *Humſel*, *Stampray*, *Ittervoldt*, *Thoren*, *Amroo*, *Neer-Ittel*, *Keſſingen*, *Ophoven*, *S. Stevenſweerdt*.

In Dominio de Falckenbergh. *Voerendale*, *Wynandtſrode*, *Merckelbeeck*, *Spaubeeck*, *Goele*, *Nuts*, *Merſſen*, *Audt-Valckenbergh*, *Nersbecke*, *Climmen*, *Herle*, *Falckenbergh*, *Hoensbroek*, *Bingenrode*, *Jabeke*, *Huysberge*, *Opgeleen*, *Haeren*, *Caſtro*, *Itteren*, *S. Gertrude*, *Beraelen*, *Eyſden*, *Brunshem*, *Schinnen*, *Beecke*, *Houtem*,

Eisdem Eccleſiæ & Epiſcopo Ruræmundenſi pro ſua Diœceſi aſſignanda eſſe cenſuerint ac ſuper majore illarum parte proceſſus rebus omnibus ſeriò digeſtis formandos curaverint, prout in illis ac ſingulis Litteris prædictis, ac forſan aliis ſcripturis deſuper confectis pleniùs continetur.

Nos igitur, qui modum inter alia voluimus, quod ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, quique partitionem & ordinationem per eoſdem Subdelegatos quantum ad Eccleſiam, Civitatem & Diœceſim Ruræmundenſem attinet, accuratè perſpectas, prudenter examinatas, & in ſcriptis concorditer digeſtas fuiſſe attendentes, ac partitionis & ordinationis omnimodè Subdelegatorum hujuſmodi, ſcripturarumque deſuper confectarum, &

& inde secutorum tenores, nec non fructuum, redituum, & proventuum Mensæ Episcopalis, ac Decanatûs, & Scholasteriæ, singulorumque Canonicatuum & Præbendarum olim Sancti Spiritûs Ecclesiæ hujusmodi veros annuos valores præsentibus pro expressis, ac partitionem & divisionem aliaque præmissa quo ad Ecclesiam, Civitatem & Diœcesim Ruræmundensem, sicut præmittitur, gesta, rata & grata habentes, ac eis Apostolicæ confirmationis robur adjicientes, omnesque juris & facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplentes ac illis in hac parte inhærentes, Litterasque dicti Prædecessoris quo ad illa, cæteraque infrascripta ab eisdem Litteris discrepantia dumtaxat immutantes, & nihilominùs laudabile ejusdem Prædecessoris institutum prosequi, & ad hunc effectum tam Episcopali Mensæ, quam etiam infrascriptis novem affectis Præbendis Ecclesiæ Ruræmundensis prædictæ de congrua dote providere volentes,

Motu proprio & ex certa scientia nostris ac Apostolicæ potestatis plenitudine Monasterium Sancti Hieronimi Ruræmundensis, Ordinis S. Augustini, nuper combustum, & nondum plenè reparatum, & dictæ Ecclesiæ Sancti Spiritûs in Cathedralem Ruremundensem erectæ Dignitatem inibi principalem, ac etiam forsan Conventualem Sancti Remigii Remensis in Merssen, Ordinis Sancti Benedicti, antea Leodiensis, necnon Sanctæ Ursulæ & undecim millium Virginum in Kessel, antea Coloniensis, & Sancti Nicolai in Alevois, antea Trajectensis; nunc verò Ruræmundensis Diœcesis, Præmonstratensis Ordinis, Conventu carentes Præposituras, ac qui Conventualis non est, cuique, ut asseritur, aliud onus quam unius Missæ in anno non incumbit, Prioratum Sancti Walrici Cisterciensis Ordinis ejusdem Diœcesis:

Quorum in simul & illis forsan respectivè annexorum fructus, redditus, & proventus trium millium ducatorum auri de Camera secundùm communem æstimationem valorem annuum, uti etiam accepimus, non excedunt, cum primùm illos per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamlibet aliam dimissionem, vel amissionem, dilectorum Filiorum moderni Abbatis Monasterii, ac Præposituras & Prioratum hujusmodi quovis modo obtinentium, aut aliàs quomodolibet, & apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, etiam si actu nunc, ut præfertur, vel aliàs vacent, & tanto tempore vacaverint quod Monasterii provisio ac Prioratûs & Præpositurarum hujusmodi collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem præfatam legitimè devoluta, ac Prioratûs & Præpositurae præfati dispositioni Apostolicæ specialiter, vel ex quavis causa etiam dispositione exprimendâ, generaliter reservati existant, & ad illos consueverint aliqui per electionem assumi, eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, ac super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, & de dicto Monasterio consistorialiter disponi consueverit, seu debeat:

Necnon in eisdem Monasterio, Præposituris Regularibus, & Prioratu, dignitatem Abbatialem, ac Ordines, omnemque statum, & dependentias Regulares ex nunc, prout ex tunc, & è contra, dictâ authoritate tenore præsentium perpetuò supprimimus & extinguimus.

Et quoniam in Civitate Ruræmunda propè dictam ejus Ecclesiam Cathedralem nullus est locus Episcopali habitationi commodior quàm fundus Monasterii præfati, fundum ipsum cum ædificiis in eo instauratis Episcopo Ruræmundensi pro Domo Episcopali & habitatione sua assignamus. Ac Sancti Remigii & Ecclesiæ S. Spiritûs Præpositurarum & Prioratûs Mensæ Episcopali, Monasterii verò, ac in Kessel, & Sancti Nicolai Præpositurarum prædictorum, illisque annexorum fructus, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta, ac alia bona quæcumque quovis nomine nuncupata, Quadraginta V^{ri} Decanatui, ac tantumdem vel tot ducatorum auri similium, quot ad constituendam infrascriptarum affectarum Præbendarum æquivalentiam necesse erit, portiones annuas exinde primitus assumendas Scholasteriæ dictæ Ecclesiæ Ruræmundensis,

Reliqua verò novem Canonicatibus, & totidem præbendis ejusdem Ecclesiæ qui Canonicis Graduatis affecti erunt, ita quod ad Missarum & memoriarum defunctorum celebrationem & manutentionem, ac eleemosynarum in Monasterio, ac in Kessel, & Sancti Nicolai Præposituris prædictis fundatarum & institutarum præstationem teneantur, illorumque & annexorum eorundem fructus, redditus & proventus, ac jura, obventiones & emolumenta, & bona quæcumque quovis nomine nuncupata, unà cum eorum præeminentiis, prærogativis, superioritatibus, jurisdictionibus & administrationibus universis;

Ita quod hujusmodi vacatione occurrente liceat Episcopo Ruræmundensi, ac Decano, Scholastico & novem Graduatis Canonicis supradictis pro tempore existentibus per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem, seu quasi, jurium & pertinentiarum ac fructuum, redditeuum, proventuum, obventionum, emolumentorum & aliorum bonorum Monasterii, Præpositurarum & Prioratûs prædictorum propriâ authoritate, liberè apprehendere & retinere, illaque percipere, exigere & levare, ac in suos & Episcopalis Mensæ, nec non Decanatûs, Scholastriæ, ac novem Canonicatuum & Præbendarum prædictorum usus, & utilitates convertere: necnon omnia & singula beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, sæcularia, etiam quorumvis Ordinum regularia, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem pro tempore existentium Præpositurarum Præpositorum, & Prioratûs Priorum Monasterii prædictorum, Abbatis, communiter vel divisim quomodolibet spectantia, personis idoneis respectivè conferre, & de illis etiam providere, similesque personas ad illa præsentare vel eligere ac præ-

præsentatas & electas instituere ac confirmare & aliàs de illis liberè disponere, cæteraque in præmissis & circa ea necessaria, & opportuna, & quæ eorumdem Monasterii Abbates, Præpositurarumque & Prioratûs Præpositi & Prior hactenus facere & exequi, & debuerunt facere & exequi, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, dictâ Authoritate etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

Statuentes quod dilecti filii Canonici Regulares, & alii Religiosi Monasterii, & qui sint Præposituræ S. Remigii prædictorum, cum honesta & sufficienti recompensa vitalis & annuæ pensionis ad alia sui Ordinis partium illarum Monasteria, quarum plurima Religiosis indigere noscuntur, aut Virginum Conventus ut inibi Missas & alia Divina Officia celebrent; vel etiam, si ad id sufficientes reperti fuerint, ad Curas Pastorales exercendas, juxta providam ipsius Episcopi ordinationem transferantur, ac illos transferri debere, præsentesque Litteras sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, vel derogationibus similium vel dissimilium suppressionum, applicationum, & appropriationum per Nos, & Sedem præfatam, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis pro tempore factis minimè comprehendi:

Sed ab illis semper exceptas, & quoties illas suspendi, revocari aut illis derogari contigerit, toties eas de novo concessas, & in pristinum statum restitutas, & ad hoc ut sub revocationibus, suspensionibus, & derogationibus hujusmodi minimè comprehendantur, ex nunc verè & non fictè suum plenarium, & integrum effectum sortitas, applicationesque, & appropriationes de non vacatutorum:

Sed de vacantium Monasterii, Præpositurarum & Prioratûs fructibus, redditibus & proventibus hujusmodi factas, & per illas ex nunc Mensæ Episcopali, ac Episcopo Ruræmundensi; necnon Decano, Scholastico, & novem Graduatis Canonicis prædictis pro tempore existentibus jus in re quæsitum existere, ac earumdem Litterarum suspensiones, revocationes, derogationes, & alias contrarias dispositiones pro novis illarum concessionibus, & restitutionibus haberi, & censeri decernimus:

Dilectis Filiis Capitulo Ecclesiæ olim Sancti Spiritûs, & Monasterii, ac Præposituræ S. Remigii prædictorum Conventibus, aliisque quibusvis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, necnon privationis omnium Dignitatum, Officiorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa, & alia imposterum obtinenda pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne ad electionem seu postulationem in Monasterii Abbatem, aut Præpositos Ecclesiæ Ruræmundensis, & S. Remigii Præpositurarum hujusmodi, dum illa vacabunt, etiam si nunc vacent, ut præfertur, procedere vel aliud in præmissis, seu eorum aliquo quoquomodo attentare aut illis refragari præsumant, districtiùs inhibentes, ac decernentes quascumque electiones seu postulationes hujusmodi, earumque confirmationes vel admissiones: nec non provisiones, prælationes, commendas, aliasque dispositiones, quas de cætero etiam per Sedem prædictam de dictis Monasterio, Præposituris & Prioratu, quomodocumque fieri contigerit, nullas & invalidas, nulliusque fore valoris vel momenti.

Ut autem idem Episcopus Ruræmundensis suam Ecclesiam personis, ut insignem decet Cathedralem, circumspectis & eruditis, ac ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munera Ecclesiastica obeunda idoneis debitè instructam habeat; quod ex omnibus Canonicatibus & Præbendis ipsius Ecclesiæ olim Sancti Spiritûs, quorum numerum ac singulorum illorum fructuum, redditūum & proventuum veros annuos valores haberi volumus pro expressis, decem Canonicatus & totidem Præbendæ, quorum primo loco postquam eidem Ecclesiæ de Episcopo canonicè provisum fuerit, per cessum, etiam ex causâ permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel etiam privationis viâ amissionem, quorumlibet decem Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, aut aliàs vacare contigerit, unus, & una Episcopo præfato, qui illorum ratione sit Capitularis, ac locum & vocem super Decanum ac reliquos Canonicos ejusdem Ecclesiæ etiam in Capitulo habeat; ac alii & aliæ tres tribus in Theologia; necnon alii & aliæ tres aliis tribus Decretorum Doctoribus, seu in eis Licentiatis; ac reliqui & reliquæ tres Canonicatus & totidem Præbendæ, reliquis tribus Nobilibus etiam in Theologia vel Decretis, vel saltem ad gradum Licentiaturæ hujusmodi in famosâ quapiam Universitate Studii generalis cum rigore examinis promotis, ordine servato, in perpetuum concedi & assignari debeant.

Quodque ad sex, post Episcopi, priores tam nobiles quàm ignobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus & Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Præterea quod in eadem Ecclesia sit unus Archidiaconus, ex Graduatis ipsis juxta Episcopi designationem, post tamen dilecti, seu dilectorum filiorum moderni, seu modernorum Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconorum cessum vel decessum, qui eam plenariam jurisdictionem Archidiaconalem in universa Diœcesi Ruræmundensi habeat, quam Metropolitanæ prædictæ cæterique Cathedralium Ecclesiarum partium illarum Archidiaconi de jure vel consuetudine habent, & habere debent;

Alius verò sit Archipresbyter Civitatensis nuncupandus, qui specialem curam Pastorum seu Rectorum Parochianorum & Concionatorum in eadem Civitate habeat;

Alius autem ex tribus prioribus Canonicis Doctoribus Pœnitentiarius Diœcesanus existat, qui conscientiarum populi per universam Diœcesim Ruræmundensem curam specialiter habeat:

In ipsa Ecclesia Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Scholastriam & Pœnitentia-

riam

riam in Dignitates inibi, non tamen post Pontificalem majores, quatenus hactenus erecti non sint, eisdem Authoritate & tenore erigentes, instituentes, & insuper quod apud alios duos Doctores, vel Licentiatos seniores, unum verò Theologiæ Professorem, alterum verò Jurisperitum potestas totam Diœcesim Rursemundensem ipsius Episcopi loco, & quoties ipse id eis mandaverit visitandi, quibus etiam reliqui Graduati, quotiescumque similiter requisiti fuerint, assistere debeant.

Apud tres verò ex præfatis Graduatis Viris duos Theologos & unum Jurisperitum cum Archidiacono potestas Clericos ad Ordines Sacros provendos, & Rectores Parochianos quacumque etiam Apostolicâ authoritate provisos ad Curæ Pastoralis exercitium admittendi sit, & permaneat,

Ita quod ipsi nullos prorsus nisi idoneos, & quantum ad animarum curam pertinet, quod personalem facient residentiam expressè juratos admittere valeant, ac tam Archidiaconus quàm Archipresbyter & Pœnitentiarius quàm Scholasticus & Canonici ratione Præbendarum suarum hujusmodi consilium & operam in negotiis Ecclesiæ & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, eidem Episcopo, quando & quoties ad id ab eo requisiti fuerint, tam conjunctim quàm divisim fideliter præstare teneantur.

Et ut de Viris spectatæ doctrinæ, & probitatis ad ædificationem ejusdem Ecclesiæ accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus & Præbendæ Graduatis affecti pro prima vice per ipsum Episcopum Viris Nobilibus & Graduatis, alternatis vicibus, pleno jure; etiam deinceps quoties illos futuris temporibus vacare contigerit, ut præfertur, ad electionem Episcopi & aliorum Graduatorum superstitum, per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus ponderis sive momenti quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, quo casu iteratum Episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque post hac decem Canonicatus & decem Præbendæ Episcopo & Graduatis affecti hujusmodi sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in corpore juris clausis; necnon exspectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo, primariis precibus aut aliis gratiis præventivis per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, ad dictam Sedem, vel ejus Legatos, etiam consideratione vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque causa quantumlibet urgente pro tempore factis, & concessis comprehendantur:

Nec etiam tamquam vacantes apud Sedem præfatam, aut ullâ aliâ ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione, etiam per resignationem, etiam ex causa permutationis, etiam apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanos Pontifices aut Sedem præfatam de illis provideri, aut aliàs quoquomodo disponi possit.

Et quoniam impia hæreticorum studia, ac hujusce temporis malitia Viros doctos ab Ecclesiis suis diutius abesse non patitur, quod si Canonici Graduati prædicti ab eadem Ecclesia, nisi ab Episcopo, vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, illique Capitulo cedant;

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solùm, qui Divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat; nec quisquam ullâ dispensatione, vel Privilegio Apostolico, quacumque causâ impetrato, vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit, eisdem Authoritate, & tenore perpetuò statuimus & ordinamus.

Jus omne decem Canonicatus & decem Præbendas affectos præfatos conferendi & de illis disponendi, vel ad illos eligendi, seu nominandi, à Præposito & Capitulo Ecclesiæ Ruræmundensis hujusmodi; nec non Civitatem & Diœcesim Ruræmundensem prædictas, omniaque & singula, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Præposituras, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, & alia pia loca in illis consistentia, visitandi, & jus illa conferendi & de illis providendi, ac aliàs quomodolibet disponendi, nec non personas corrigendi, aliaque jura, fructus, redditus, proventus, res, & bona quæcumque per quosvis Archiepiscopos & Episcopos in eisdem Civitate & Diœcesi Ruræmundensi ordinario jure haberi & percipi solita, ab illis eorumque Diœcesibus & Mensis Archiepiscopalibus ac Episcopalibus, & quibusvis aliis; ita quod ipsi se deinceps in illis aliquatenus intromittere, ullamque actionem prætendere nequeant, post promotionem primi Episcopi Ruræmundensis hujusmodi perpetuò abdicantes, & amoventes, illudque in præmissum electionis modum immutantes, ac ad Episcopum & ejus Mensam & novem Canonicos præfatos respectivè transferentes, & abdicata, amota, immutata & translata esse; sicque per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa & instantia, sublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere; ac quicquid secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, ac Atrebatensi & Antverpiensi Episcopis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes Litteras & in eis contenta quæcumque, ubi

ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Episcopi ac Capituli Ruræmundensis, necnon Archidiaconi, Archipresbyteri, Pœnitentiarii, Scholastici, singulorumque Canonicorum prædictorum, & aliorum quorum interest & intererit quomodolibet in futurum, requisiti solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Authoritate nostrâ illos omnes & singulos confirmatione, approbatione, suppletione, suppressione, extinctione, applicatione, appropriatione, erectione, institutione, statuto, ordinatione, separatione, aliisque omnibus & singulis præmissis pacificè frui & gaudere, ac hujusmodi Litteras & in eis contenta firmiter observari;

Contradictores quoslibet, & rebelles ac præsentibus non parentes, etiam per Excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum quorumcumque sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, & inhabilitatis ad illa aliaque imposterum obtinenda, ita quod beneficia & officia per contradictores obtenta tamquam per privationem legitimè & canonicè factam vacent, ac ab aliis impetrari, & per Ordinarios Collatores liberè conferri possint: necnon pecuniarias pœnas arbitrio suo imponendas, moderandas, & applicandas, eo ipso incurrendas, eâdem Authoritate nostrâ, appellatione postpositâ, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando;

Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis: non obstantibus voluntate nostrâ priori, & aliis præmissis, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis, fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri, quâ cavetur, ne quis extra suam Civitatem vel Diœcesim, nisi in certis tunc exceptis casibus, & in illis ultra unam Dietam à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, neve Judices à Sede præfata Deputati extra Civitatem vel Diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus Dietis in Concilio Generali editâ, dummodò non ultra tres Dietas aliquis tenore præsentium ad judicium non trahatur, & nostrâ de non tollendo jus quæsitum, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac Ecclesiæ, Monasterii, Præposituræ, & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ, roboratis statutis & consuetudinibus, ac fundationibus si quæ sint, nec non Concordatis dudum inter Sedem præfatam & Nationem Germanicam desuper initis, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis Ecclesiæ, Monasterio, Præposituris, & Ordinibus prædictis, eorumque Superioribus & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque & aliis Decretis, etiam super electionibus faciendis, ac aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis; necnon quibusvis specialibus vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, unionibus & annexionibus, & incorporationibus, etiam similibus suppressionibus, & extinctionibus, facultatibus, mandatis, indultis, & aliis gratiis quibusvis personis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, etiam motu simili, seu consistorialiter ac aliàs quomodolibet concessis, & imposterum concedendis, quas & quæ, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum quoad præmissa omninò suspendimus & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vendicare nòn posse decernimus, ac tam eis quam statutis, consuetudinibus, concordatis, fundationibus, Privilegiis, Indultis, & Litteris prædictis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, & sufficienter suspensa, illisque derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque,

Aut si aliquis super provisionibus sibi faciendis de Præposituris & Prioratibus hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetrarit, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcumque, ad Præposituras & Prioratum suppressos præfatos volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem Præpositurarum aut Prioratuum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Aut si dilectis filiis, Conventui & Vasallis dicti Monasterii, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Paginam nostræ suppressionis, extinctionis, appli-

plicationis, appropriationis, assignationis, statuti, decreti, inhibitionis, erectionis, institutionis, ordinationis, abdicationis, amotionis, immutationis, translationis, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

DATUM Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, septimo Idus Augu- 1561.
sti, Pontificatûs nostri anno secundo. Erat signatum FED. Car.lis Cesius, &c. Glorierius. Adhuc inferiùs erat signatum, A. M. DE ALEXIIS.

EPISCOPI RURÆMUNDENSES.

I. Additio. WILHELMUS DAMASI LINDANUS, Dordracenus Batavus, S. T. D. & Professor Lovanii, Collegiatæ Ecclesiæ B. M. V. Hagæ Comitis Decanus, ibique Consiliarius Ecclesiasticus, nec non Episcopi Ultrajectini per Bataviam & Frisiam Vicarius, consecratus primus Ruræmundensium Episcopus 4. Aprilis 1562. Libris variis contra Hæreticos editis præclarus, variisque calamitatibus per Hæreticos agitatus, obtinuit anno 1588 Episcopatum Gandavensem, ubi 2. Novembris ejusdem anni defunctus est.

II. HENRICUS CUYCKIUS, Culemburgensis Gelder, S.T. D. & Professor Lovanii, Ecclesiæ S. Petri ibidem Decanus, & Vicarius Generalis Archiepiscopi Mechliniensis, consecratur 30. Julii 1596. Variis libris editis celebrem mors rapuit 7. Octobris 1609.

III. JACOBUS BOSIUS à CASTRO, Amstelodamensis, S. T. D. & Professor Lovanii, ibique Præses Majoris Collegii Theologorum, consecratus 12. Aprilis, vivere desiit 24. Februarii 1639.

HENRICUS CALENUS, Beringus, S. T. L. ex Pastore Ascano & S. Catharinæ Bruxellis, electus Canonicus Graduatus & Archidiaconus Mechliniæ, nominatus ad Episcopatum Ruræmundensem anno 1644, renunciavit anno 1648. & obiit 1. Februarii 1651.

GUILIELMUS AB ANGELIS, Sylvæducensis, S. T. D. & Professor Lovanii, ibique Præses Collegii Adriani VI. Pontificis, nominatus ad eundem Episcopatum anno 1648, præmaturè obiit 3. Februarii 1649.

PEREGRINUS VOGELIUS, Ruræmundensis, S. T. L. anteà successivè Pastor in Neder-Weert, Archi-Presbyter Aquisgrani, ibique Regalis Ecclesiæ B M. Canonicus, dein Cathedralis Ruræmundensis Decanus, ad hasce Infulas nominatus anno 1649. è vivis ereptus est die 4. Octobris ejusdem anni, priusquam Literas confirmationis suæ Româ accepisset.

IV. ANDREAS CREUSEN, Mosæ-Trajectinus, primum Vicarius Generalis Exercituum Regiorum in Germania, dein Canonicus, Archidiaconus ac Vicarius Generalis Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis, consecratus 23. Julii 1651, evectus fuit ad Archiepiscopatum Mechliniensem anno 1657, obiitque 8. Novembris 1666.

EUGENIUS ALBERTUS D'ALLAMONT, Cathedralis Ec- V.
clesiæ Leodiensis Canonicus, consecratus 22. Junii 1659; Fuit quoque Vicarius Generalis & Apostolicus Episcopatûs Sylvæducensis. Transtulit Cathedram suam ex Ecclesia S. Spiritûs ad Parochialem S. Christophori, & domum Episcopalem in tristissimo totius fermè Urbis incendio deformatam restauravit. Anno 1666. transiit ad Episcopatum Gandavensem. Obiit 6. Aprilis 1670.

LANCELOTTUS DE GOTTIGNIES Bruxellensis, J. U. L. VI.
Ecclesiæ Collegiatæ S. Gudulæ Canonicus, Vicarius ad Exercitus Regios in Belgio, consecratus 16. Octobris 1672, obiit 25. Augusti anni sequentis.

REGINALDUS COOLS, Antverpiensis, ex Ordine FF. VII.
Prædicatorum, S. Th. Magister, consecratus 16 Januarii 1677; transiit anno 1700. ad Episcopatum Antverpiensem, ibique obiit 2. Decembris 1706.

ANGELUS D'ONGNYES, ex Comitibus d'Estrées, Bru- VIII.
xellensis, ex Ordine FF. Minorum Capucinorum, Concionator Regius, consecratus Kalendis Januarii 1702. hodieque regit feliciter.

FRANCISCUS SANGUESSA, Mechliniensis, ex Ordine FF. Minorum Recollectorum, designatus est Coadjutor Ruræmundensis à Carolo VI. Cæsare ac Belgii nostri Principe, anno 1720.

Historiam Ecclesiasticam Ducatûs Geldriæ stylo elegantissimo edidit Bruxellis anno 1717. R. D. Knippenberg Pastor in Helden; ubi plura de gestis Episcoporum Ruræmundensium, de Ecclesia Cathedrali, ejusque Decanis, aliisque Ecclesiis ac Cœnobiis dictæ Diœceseos curiosus Lector reperiet.

FINIS LIBRI PRIMI.

AUBERTI MIRÆI DONATIONUM BELGICARUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

DAGOBERTUS *Francorum & Austrasiorum Rex, anno 640. donat S. Landelino Prædium VVallare seu VVaslare in Silva Fania, ad exstruendum ibi Monasterium; quod posmodum interiit.*

Auctum & correctum ex Diplom. Lubbiensi.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen. Regiæ Majestatis excellentiam latère non convenit, quod unus est solus & sempiternus Rex Regum, & Dominus dominantium, à quo etiam omnis potestas est, & fuit, & erit in ævum, cujus & est totum quod sumus, & esse possumus, vivimus, & movemur, cui, pro viribus ab eo nobis præstitis, astare debemus, & unicæ Sponsæ suæ Sacrosanctæ Ecclesiæ cultum, & decorem speciali devotione (quò magis efferimur quantum in nobis est) munificentiâ Regali semper ampliare.

QUARE Ego (1) DAGOBERTUS Rex Austrasiorum, pro anima Lotharii piissimi Regis Patris mei, qui quadraginta quinque annis regnavit in Francia, persuasione & monitis salutaribus Viri Venerabilis AUTHBERTI, Cameracensis Episcopi, inductus, concedo & dono (2) LANDELINO MAUROSO, ex prædone converso, Prædium meum in Fania, (3) *Wallare* dictum, cum villis, terris, sylvis, pratis, aquis, aquarumque decursibus subnotatis, & certis limitibus assignatis: ut ibi Monasterium construat in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli, & personas instituat in perpetuum Domino Deo servituras.

VILLAM Baviam, cum omni Territorio suo: aquam ipsam, & ipsius decursum, sicut defluit per Territorium ipsum, incipiens à loco qui vocatur *Railbiez*, usque dum descendit in aquam dictam Elpram: Silvam, quæ dicitur *Ætimundi* totam, cum omni territorio, decima, pasnagio, justitia & banno, à silva de Baileporis, usque ad aquam prædictam inter Baviam & Wallare; & ab eadem aqua, totam silvam, quæ dicitur Brolium, &

(1) DAGOBERTUS à Clotario Patre, anno 623. Austrasiis Septemtrionalibus Rex datus, anno 626. Gomatrudem duxit, & anno 628. Patre defuncto regnum quoque Francorum obtinuit, obiitque anno 644.

(2) S LANDELINUS, cognomento Maurosus (Sigeberto in Chronico ad annum 650 Morosus) quatuor Monasteria construxit, Laubiense. Alnense. Crispiniense & Waslariense: ut in Fastis Belgicis ex Balderici Chronico Cameracensi docui. Quiescit autem Crispinii inter Montes Hannoniæ & Valentianas.

(3) WALLARE, aliàs Waslare seu Waslerum, vulgò *Walers*. Fuit olim Monasterium in Silva Fania, versus Theorasciam, à Waslero Fluvio prætetfluente sic dictum, sed dirutum nunc jacet in ruinis. Corpus S. Dodonis, quod ibi adservari solet, inde translatum est ad Cellam seu Prioratum Abbatiæ Laubiensis, qui vulgò dicitur Monasterium in Fania, *Monstier en Faigne*. De Waslero ita Baldericus in Chronico Cameracensi lib. 2. cap. 33. In Villa Waslero Beatus Landelinus Monasterium ad paucos Fratres condidit, cui S. Dodonem bonæ memoriæ virum præfecit. Hic nimirùm sacris moribus cluens, vitæ innocentiam duxit, ibique, deposito onere fragilitatis, feliciter in pace quiescit.

& Fania, & Mansilium, & Clarus Voionus, & Wiellamanus; silvam prope Wilheis, à monte Gomundi, & Merdoso Voiono, usque in Villam de Wilheis; silvam Ducionis, in dotem Ecclesiæ in prædicto Prædio meo fabricandæ. Quidquid infra terminos silvarum prædictarum commodum vel utilitatem importare poterit, qualicumque modo, prædicto Landelino munificentiâ meâ dono in perpetuum possidendum, approbantibus Palatii mei Principibus & Senioribus (4) Arnulpho & Pipino.

Ut autem hæc nostra Concessio Regalis firmitatis perpetuæ robur obtineat, prædictam Paginam manu meâ confirmo, & appositione Sigilli mei communiri decerno.

Signum Domini Dagoberti Regis Austrasiorum.

S. (4) Arnulphi. Metensis,

S. Pipini Neustriensis, Seniorum Palatii.

Anso Cancellarius, vice Cuniberti Archicancellarii, recognovi.

Data Cameraci XVI. Kalendas Maii. Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo, Indictione Decimâ tertiâ.

(4) S. Arnulphi. Designatur S. Arnulphus, posteà Metensis Episcopus: de quo, itemque de Pipino Neustriensi seu Landensi sic Sigebertus in Chronico: Anno 625. Pipinus, Filius Karlomanni, Major Domus Regis Lotharii, principabatur. Pipino in disponenda Republica cooperabatur S. Arnulfus. Filius Arnoldi. Filii Ansberti, ex Blithilde Filia primi Lotharii Regis. Vide infrà cap. 6.

CAPUT II.

S. Autbertus *Cameracensis Episcopus Prædium VVallare seu VVastare, Monasterio exstruendo destinatum, in suam protectionem suscipit circa annum* 642.

Auctum & correctum ex Diplom Lobbiensi.

Uthbertus (1) Dei gratiâ Cameracensis Episcopus universis Christi fidelibus salutem æternam. Ad nostram curam & sollicitudinem pertinere non dubitamus, ut quòd Ecclesiæ Sanctæ fideles Christi piâ largitione conferunt & dedicant, Episcopali debeamus auctoritate consecrare & confirmare.

Inde est quòd prædium dictum *Wallare*, piissimi Regis nostri Dagoberti, cum omnibus appendiciis suis, quod idem Rex servo Dei Landelino Mauroso donavit in eleëmosynam, pro anima Patris sui Lotharii inclyti Regis, ad construendum ibidem Monasterium, in nostra suscepimus tutela & defensione, cum omnibus villis, terris, silvis, pratis, agris, aquis, aquarumque decursibus ibidem assignatis, in nostra Diœcesi constitutis: decimas omnes earumdem possessionum prædicto Landelino, & suis, Deo donante, Successoribus in perpetuum concedentes, & potestatem eidem & gratiam indulgentes construendi Monasterium & Ecclesiam fabricandi, & personas instituendi, quæ secundùm quod Angelus Testamenti sibi donarit, de facultatibus assignatis poterunt sustentari.

Qualemcumque fecerit ibidem Ordinationem, ipsam ratam habemus & inconvulsam, inhibentes auctoritate nostrâ, ne super omnibus illis possessionibus, quas supradictus Rex loco memorato Wallari donavit, ibidem Deo militantibus molestiam aliquis inferat aut gravamen. Quod si qua sæcularis Ecclesiasticave persona contra hoc venire præsumpserit, & easdem possessiones occupaverit, ipsam anathematis æterni gladio ferimus, nisi resipiscat & occupata curaverit restaurare.

Ut autem ista præfati Regis illustris eleëmosyna duret in perpetuum, & Ecclesisticâ libertate potiatur, Paginæ præsenti sigillum nostrum fecimus apponi.

Actum (2) Castriloco, anno Dominicæ Incarnationis DC. XLII. Indictione XV. Regni Domini Dagoberti incyti Regis tertio decimo, Sigiberti filii ejusdem Regis quarto.

CAPUT

Duo ista Diplomata, videlicet Dagoberti Regis & Autberti Cameracensis Episcopi, etsi posterioris ævi manu videantur esse scripta, aut saltem immutata, nolui tamen omittere; ne quis hac in parte diligentiam nostram desideraret aut requireret.

(1) Authbertus, Autbertus, Audebertus sive Aubertus, cujus nomen indignus gero, fuit Cameracensis & Atrebatensis Episcopus. De quo ejusque Discipulo S. Landelino ita Sigebertus in Chronico: Anno 650. Autbertus Cameracensis Episcopus claret. His diebus multi utriusque sexûs in Galliis claruerunt, qui ad testimonium sanctitatis suæ, in ædificandis Deo Monasteriis operam suam navaverunt. Ex his in nostra vicinia tunc florebant Landelinus qui & Morosus, ab Autberto Episcopo ex prædone ad Christum retractus, Fundator Cœnobii Lobiensis; Gislenus Cellensis. Madelgarius Dux, qui & Vincentius Altimontensis & Sonegiensis, ejusque Conjux Waldetrudis Castrilocensis, Sororque Waldetrudis, Aldegundis Melbodiensis. Hactenus ex Sigeberto.

Ceterùm S. Autbertus (cujus nomen Martyrologio Romano 13. Decemb. est adscriptum) anno XV. Clodovæi Regis, hoc est, anno Christi 658. Conventui Episcoporum Clipiaci ad Sequanam in Agro Parisiensi. *Clichy*, habito interfuit, & S. Landerici Episcopi Parisiensis Privilegio San-Dionysiano, itemque anno 662. Bertefridi Episcopi Ambianensis Privilegio Corbeiensi subscripsit: ut in Annalibus Belgicis docui. Quiescit Cameraci in sui nominis Abbatia, Canonicorum Regularium.

(2) Castri. Loco; idem est locus qui nunc *Montes*, Hannoniç Metropolis, vocatur. Additio.

Hîc olim Quintus Cicero, Marci Tullii Oratoris frater, & Legionis Romanæ Præfectus, acerrimam contrà Belgas sustinuit obsidionem: donec Atrebato accurrens Julius Cæsar, eum à periculo liberarit. Hîc etiam Waldetrudis Cellam sibi construxit, variasque Puellas nobiles in Sacrum Cœtum congregavit.

CAPUT III.

CAROLUS MARTELLUS, *Major Domûs Regiæ sub* THEODERICO *Francorum Rege, dotat Ecclesiam Cathedralem Ultrajectensem, anno 721. aut 722.*

Correctum ex Historia Ultraject. Wilhelmi Hedæ.

EGo in Dei nomine Illuster Vir (1) CAROLUS, Major Domûs, filius Pippini quondam, cogitans casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata possim abluere, & donante Deo ad æterna gaudia pervenire. Idcircò donamus à die præsenti, per hanc Paginam Testamenti, & donatum in perpetuum esse volumus, hoc est, ad Monasterium, quod est intra muros in TRAJECTO Castro situm & constructum (ubi & Apostolicus Vir Dominus & in Christo Pater noster (2) WILLEBRORDUS Archiepiscopus, sub sanctæ conversationis Cœnobitali Ordine, Custos præesse videtur) omnem rem in Fisci ditionibus, quidquid in ipso Trajecto Castro, tam infra muros, quàm à foris, cum omnibus adjacentiis vel appenditiis, cum illo pascuo Graveningo, vel quicquid ibi Fisci ad præsens esse videtur, omnia & ex omnibus totum & ad integrum cum omni re quæsita & inquæsita; & similiter villam vel Castrum nuncupatum (3) FETHNA, situm in Pago Inlserlaco, cum omni jure & soliditate suâ, omnes adjacentias vel appendentias, quod tam ad ipsam Villam Fethnam Castrum, vel etiam ad jam dictum Trajectum Castrum, ut diximus, aspicere vel pertinere videtur, quantumcumque ad partem Fisci, vel ad nostram præsens esse videtur, cum omni integritate eorum, quicquid dici vel nominari potest, hoc est, unà cum mansis, terris, casis, domibus, ædificiis, accolabus, lutis, mancipiis, campis, pratis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus: greges cum Pastoribus utriusque generis & sexûs, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum, ut diximus, à die præsenti ad ipsum Monasterium, vel ad ipsam Casam Dei tradimus atque delegamus perpetualiter in Dei nomine ad possidendum, ita ut ibidem omni tempore pro nostra mercede proficiat in augmentis.

ET quicquid exinde Patres ante jam dicti Monasterii, vel Rectores pro eorum opportunitate facere decreverint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem.

SI quis verò, quod futurum esse non credimus, sive nos ipsi, vel aliquis de heredibus vel proheredibus, seu quælibet opposita vel extranea persona, qui contra hanc donationem, quam Nos pro Divino intuitu & animæ nostræ remedio ad instar Testamenti fieri & affirmari decrevimus, venire aut agere, vel eam infringere conaverit, in primis iram Dei cælestis incurrat, à liminibus Sanctorum vel consortio Christianorum efficiatur extraneus; insuper inferat unà cum socio Fisco nostro auri libras quinque, argenti etiam pondera decem coactus exolvat, & quod repetit evindicare non valeat, sed præsens Donatio ad instar Testamenti à me facta, omni tempore firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnixa.

ACTUM (4) Herestallio Villâ publicâ, ipso die Kalend. Januarii, anno secundo regnante glorioso Domino Theoderico Rege.

SIGNUM Illustris Viri KAROLI, Majoris Domûs, qui hanc Donationem fieri & affirmari rogavit.

S. Karolomanni filii ejus.
S. Gariaonis.
S. Odonis.
S. Baldrici.
S. Abbonis.
S. Engilbaldi.
S. Adalhardi.
S. Thiedoldi nepotis ejus.
S. Bosonis.
S. Widonis.
S. Guntfridi.
Ego Rothbertus subscripsi,
Hariradus subscripsi.
Audoinus Presbyter subscripsi.
Chelmoinus subscripsi.
Chaldo Cancellarius, rogatus à Karolo suprà dicto, scripsi & subscripsi.

CAPUT

(1) KAROLUS Martellus ex Suanichilde, Odilonis Baioariorum Ducis Filia aut Nepte, tres filios genuit, *Karolomannum* Austrasiæ, Allemanniæ & Turingiæ Principem, pòst anno 747. Monachum Cassinensem cujus hic nomen inter testes habetur, *Pipinum* Franciæ Regem, & *Grifonem* Ducem XII. Comitatuum inter Sequanam, & Isaram.

Præter quos idem Martellus & alios quinque liberos (sed nescio an ex Suanichilde) habuit, *Bernardum*, *Remigium* Archiepiscopum Rotomagensem, *Hieronymum*, *Hiltrudem*, seu Altrudem, Odilonis Bavariæ Ducis conjugem, & *Landradam*, Sigiramno seu Sigramno, potenti in Hasbania viro, nuptam.

Bernardus genuit S. *Adalardum* & *Walam*, Corbeienses ex Ordine Abbates, *Theodradam* Abbatissam Suessionensem, de quibus suprà pag. 338. & 340. egimus, *Bernerium* seu Bernarium, & *Gundradam* Monialem Pictavii ad S. Radegundem.

Meyerus & alii falluntur, qui Landradam Martelli filiam putant fuisse Abatissam & Fundatricem Belisiensem. Fuit enim hæc Virgo, non autem nupta: ut ex Ms. Chronico Gandensi docui in Fastis Belg. 8. Julii.

(2) S. WILLIBRORDUS à S. Sergio Papa an. 696. ordinatus Frisiorum Archiepiscopus, Sedem Episcopalem Ultrajecti anno 697. statuit, teste Beda; & an. 737. Epternaci in Ducatu Luxeburgensi obiit, ubi & quiescit.

(3) FETHNA, hodie *Fechten*, vel *Fechten*, vicus supra Ultraiectum prope vetus Wiltaburgum

(4) HERESTALLIO. Vide supra pag. 256. in Notis.

STEMMA CAROLI MARTELLI.

Carolus Martellus obiit 741.	*Karolomannus Monachus Cassinensis.*	
	Pipinus Franciæ Rex.	*Carolus Magnus Imperator.*
		Carolomannus.
	Grifo.	
	Bernardus.	*S. Adalardus.*
		Wala.
		Theodrada.
		Bernarius.
		Gundrada.
	Remigius Archiepiscopus Rotomagensis.	
	Hieronymus.	*Fulradus Abbas.*
	Hiltrudis Uxor Odilonis.	*Tassilo Dux Bavariæ.*
	Landrada Uxor Sigiramni.	*S. Godegrandus Episcopus Metensis.*

CAPUT IV.

Idem CAROLUS MARTELLUS *Elistam, sui juris Villam, in qua dein erectum fuit Canonicorum Capitulum, anno 725. aut 726. donat Ecclesiæ S. Salvatoris Ultrajectensi, quæ tunc erat Cathedralis.*

Auctum & correctum ex Historia Ultraject. Wilhelmi Hedæ.

EGo in Dei nomine Inluster Vir Karolus, Major Domûs, filius Pipini quondam, cogitans casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata abluere possim, & donante Deo ad æterna gaudia pervenire;

IDCIRCO trado à die præsenti per hanc Paginam Testamenti, pro redemptione animæ meæ, donatumque in perpetuum esse volo, in loco nuncupante *Marithaime*, ubi Castrum fuit, ad Basilicam, quæ est constructa in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, & Beatæ Mariæ Genitricis Dei, sed & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumque Apostolorum, Sanctique Joannis Baptistæ, vel cæterorum Sanctorum noscitur esse ædificata, quæ est sita in Pago Bathuâ, Villam Juris nostri nuncupatam (1) ELISTE, in ipso loco Marithaime, quantumcunque ibi habuit vel possedit Everardus, dum ipse infidelis Regi apparuit, & in Regis Francorum infidelitate, foris patriâ, ad infideles se sociavit, & propter hoc omnes res suæ in Fisco Regali fuerunt redactæ, quas gloriosus Rex Hildebertus Genitori nostro Pippino de suo Fisco, & ex largitatis suæ munere concessit, mihique Genitor meus Pippinus jure hereditario in proprietatem concessit supra nominatam villam Eliste, quæ alio nomine Marithaime vocata: quicquid supra dictus Everhardus ibi possedit, unà cum mansis, terris, casis, domibus, sylvis, campis, mancipiis utriusque sexûs, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum:

HÆc omnia tradimus ad præfatam Ecclesiam, & quicquid Everhardus habuit in Bathua, vel possedit; eâ ratione, ut Dominus Willebrordus Episcopus præfatas res in jus & dominium suum recipiat, suorumque Successorum, in Dei nomine ad possidendum: ita ut ibidem omni tempore proficiat in augmentum pro remedio animæ meæ.

SI quis verò, quod futurum esse non credo, contra hanc Traditionis Chartam aliquam injustam interpellationem facere voluerit, in primis iram Dei Omnipotentis incurrat, & à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ efficiatur extraneus, & sit anathematizatus, sitque maledictus eâdem maledictione, quæ descendit super Dathan & Abyron, quos terra vivos absorbuit; & quod repetit, evindicare non valeat: sed præsens Traditio ad instar Testamenti à nobis facta omni tempore firma & stabilis permaneat stipulatione subnixâ.

ACTUM (2) Tulpiaco Castro publico, mense Julio, nonâ die, anno sexto regnante glorioso Rege Francorum Theodorico.

Signum Karoli Illustris Viri, qui hanc Traditionem fecit, & affirmari rogavit.
Signum Salleconis Comitis.
Signum Folcarii Comitis.
Signum Bergetesionis Comitis.
Signum Maginharii Comitis.
Signum Luidolphi.
Signum Odonis. Signum Agilonis.
Signum Herigeri Comitis.
Signum Erkenfridi Comitis, qui Advocatus fuit Episcopi, & hanc Traditionem manu suâ cum Domino suo suscepit.

Aldo Clericus, jussus à Domino meo Karolo, scripsi & subscripsi hanc Testamenti Chartam, in Dei nomine feliciter, Amen.

CAPUT

(1) ELISTA, aliàs Heliſte, hodie *Elſt* vicus, medio itinere inter Arnhemum & Noviomagum: ubi, re Catholicâ ſtante, reſedit Collegium Canonicorum, Reliquias S WERENFRIDI Presbyteri adſervans, qui fuit unus è Cominbus S. Willibrordi: ut in Faſtis Belgicis 14. Aug. docui.

(2) TULPIACUM, aliàs Tolpiacum vel Tolbiacum, nunc *Zulch*, Oppidum inter Coloniam & Marcodurum: ubi Clodovæus Francorum Rex hoſtes ſuos anno 496. vicit, facto voto de Baptiſmo ſuſcipiendo.

CAPUT V.

ROBERTUS *Hasbaniæ Comes*, *Lamberti Filius*, *quinque Villas*, *Donck*, *Halen*, *Schaffen*, *Velpen & Meerhout*, *donat Monaſterio Benedictino S. Trudonis in Hasbania*, *circa annum* 746.

HIc bene poſſidet res in ſæculo, qui ſibi de caducis comparat prœmia ſempiterna. Quod ego (1) ROBERTUS Comes, Filius quondam Lamberti, ſedulo animo pertractans, ſtatui aliquid de poſſeſſione mea hereditaria conferre ad Corpora Sanctorum, ut eorum meritis veniam merear de peccatis meis ante conſpectum Dei.

IGITUR in Dei nomine notum facio præſentibus & futuris, quod ego ROBERTUS, anno quinto poſt obitum Theoderici Regis, die ſeptimo poſt Kalendas Aprilis, legitimâ Traditione dedi ac deputavi quidnam de allodio meo ad Baſilicam S. Trudonis, quæ eſt conſtructa in Villa nomine SARCINIO, ubi ipſe Sanctus Dei, ſecundùm fidem omnium, in corpore requieſcit: cui etiam Eccleſiæ Venerabilis Abba (2) Grimo nomine regulariter præeſſe videtur.

TRADIDI ergò ſupradicto in Pago Hasbanienſi locum quendam qui dicitur (3) *Dongo*, cum Baſilica inibi conſtructa, quam ego proprio labore ædificavi in honore Beatæ Mariæ & S. Petri, S. Joannis, & S. Servatii, & S. Lamberti, tam ipſum locum, quàm reliquas Villas vel loca ad ſuprà dictum locum, de mea poſſeſſione prætitulata, ſcilicet (4) *Halen*, (5) *Schafnis*, (6) *Felepa* & (7) *Marholt*. Iſta loca ſuprà dicta ſunt in pago Hasbanienſi & Manſuarinſi: quæ omnia tradidi cum caſis & curtibus ibidem jacentibus, cum pratis, campis, ſilvis....

CAPUT

HUjus Donationis Tabulas ſuâ ætate adhuc integras ſuperfuiſſe tradit in Trudoniani apud Brugenſes Monaſterii Hiſtoria Joannes Latomus Bergizomius, qui Pauli Jovii Elogia Epigrammatibus illuſtravit.

(1) ROBERTUS. Hic Comes cum Uxore ſua, intra ſanctuarium, non longè à ſepulchro S. Trudonis, ad lævam ſepultus fuit. Cujus corpus anno 1169 à Wirico Abbate Trudonenſi inventum ſunt, & in ſarcophago lapideo depoſitum: quo tempore & corpora S. Trudonis, Eucherii Aurelianenſis Epiſcopi, & S. Liberti Martyris ab eodem Abbate ſunt inventa: ut in Manuſcripto Chronico Trudonenſi Lib. 2. cap. 7. & Lib. 4. cap. 12. legitur.

Idem Robertus Comes S. Eucherium, à Carolo Martello in exilium huc ablegatum, benignè admodum & humanè ſuſcepit & fovit: ut in eodem Ms. Chronico narratur.

(2) GRIMO Fuit hic primus Abbas Trudonenſis, qui ſcilicet Abbatis nomen circa annum 727. gerere cœpit. Antea ſiquidem Præpoſiti aut Paſtores dicebantur qui illi loco præerant: ut in citato Chronico Lib. 2. cap. 1. datur intelligi.

(3) DONGO, vulgò *Donck*, vicus Ditionis Leodienſis, haut procul à Diſtemio, ad Abbatem Trudonenſem hodieque pertinet. Extat ibi Sacellum D. Virgini ſacrum, quod olim atque etiamnum, impetrandæ fœcunditati & proli obtinendæ, mulieres ſteriles ac novæ nuptæ religioſo ſolent voto frequentare. Putatur is locus, à nongentis plus minùs annis, cultu Deiparæ ac miraculorum gloria celebris extitiſſe: ut in ſuo Sabbatiſmo Mariano tradit Wichmannus Abbas Tungerloënſis.

(4) HALEN. Exiguum Brabantiæ opidulum, quod Getâ fluvio alluitur, & Patronum habet S. Lambertum. Decimas & Jus Patronatûs illic hodieque obtinet Cathedrale Capitulum Leodienſe.

(5) SCHAFNIS, vulgò *Schaffen*, vicus Diœceſis Mechlinienſis, haut procul à Diſtemio: cujus Eccleſiæ Patronatus ad Abbatem Trudonenſem hodieque pertinet. Decimas in Schaffen Joannes à Sichenis Abbas Tungerloënſis anno 1403. Monaſterio ſuo emit, ideoque templum ipſum curatur & regitur à Tungerloënſibus.

(6) FELEPA, vulgò *Velpen*. Duo ſunt ejuſdem nominis vici, ſibi contermini, non procul à Thenis Hasbaniæ Brabantinæ Oppidò, & à fluvio Velpa, qui ibi oritur, nomen habent; Velpa ſuperior, *Op-Velpe*, & Velpa inferior, *Neder Velpe*. Jus Patronatûs prioris loci nunc ſpectat ad Abbatiſſam Lintrenſem, poſterioris verò, quod olim dependebat à Prioratu Benedictinorum in Birbaco, nunc per incorporationem, ab anno 1565 authoritate Pontificiâ ac Regiâ factam, pertinet ad Sacram Facultatem Theologicam Lovanienſem.

(7) MARHOLT, vulgò *Meerhout*, vicus territorii Sichenenſis, ad gentem Naſſaviam pertinet. Jus Patronatûs ad Abbatiſſam Lintrenſem, Ordinis Ciſtercienſis, in Valle Virginum ſpectat, quæ multa ibidem prædia tenet. Templum S. Trudoni dicatum eſt. Adjacet loco ſtagnum ſeu lacus ingens, vulgò *Meer*: unde loco nomen adhæſiſſe putant.

CAPUT VI.

PIPINUS *Francorum Rex prædia Ecclesiæ Cathedrali S. Martini Ultrajectensi à Pipino, Carolo Martello & Carolomanno donata, an. 753. confirmat, petente S. Bonifacio Archiepiscopo Ultrajectensi & Moguntino.*

Auctum & correctum ex Hist. Ultraject. Wilhelmi Hedæ.

PIPINUS Rex Francorum, Vir Illuster. Si petitionibus Sacerdotum in omnibus non negamus, Dominum exinde retributorem habere confidimus: Ideoque Venerabilis Vir Bonifacius Archiepiscopus nobis expetiit, ut Confirmationem de rebus Ecclesiæ suæ S. Martini, quæ est exstructa in Vico, qui dicitur *Trajecto*, super fluvium Rheni, ea quæ Pipinus donavit S. Martino, seu Karolus vel Karolomannus, renovare vellemus.

IDEOQUE quicquid Pipinus Rex Francorum ad Casam Dei concessit, vel ad illum Episcopatum, ut omnem decimam de terris seu de mancipiis, aut de teloneis, vel de negotiis, aut undecunque à partibus Fisci census spectare videbatur, sicut diximus, omnem decimam partem ad ipsam Casam Dei S. Martini, in qua D. Bonifacium Archiepiscopum custodem præesse concessimus & confirmamus, in luminaribus seu in stipendiis Monachorum vel Canonicorum, qui ibidem Gentiles ad Christianitatem convertunt, & Domini misericordiâ ipsos, quos habent conversos, docent, juxta quod alii Christiani eorum Christianitatem conservant, & eorum præceptionibus contineri videtur, quæ Antecessores nostri sæpe dicti Pipinus, Karolus & Karolomannus ad ipsam Casam Dei per eorum instrumenta condonaverunt, juste & rationabiliter Nos per nostram Confirmationem, ei gratanti animo concessimus vel confirmavimus.

COGNOSCITE; & ut hæc authoritas Confirmationis nostræ firmior habeatur, & per tempora meliùs conservetur, manûs nostræ signaculis subter eam decrevimus roborare.


SIGNUM Pippini gloriosi Regis Francorum. Widmarus jussus recognovi & subscripsi.

DATUM quod fecit mense Maio, die XXIII. anno secundo Regni ipsius gloriosi Regis.

ACTUM Virmeria Palatio publico in Dei nomine feliciter.

PIPINUS ex Majore Domus Regiæ an. 752. Francorum Rex creatus, & à S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino consecratus, ex BERTA Conjuge (quæ an. 783. obiit, juxta ms. Chronicon Ultrajectinum) Liberos sustulit *Pipinum* qui puer obiit, *Carolum Magnum* Imperatorem, *Carolomannum* Regem Burgundiæ & Provinciæ, qui Anno 771. Salmontiaci decessit, Remis ad Sanctum Remigium Sepultus, *Ægidium* Monachum in Monte Soracte in Italia, & *Gislam* Abbatissam.

Stemma Pipinorum *Majorum Domus Regiæ.*



S. AMELBERGA, Pipini I. Landensis Soror, quiescit Binchii in Hannonia. Ex Witgero Liberos quinque, sanctitatis opinione claros, sustulit, *S. Ablebertum* seu Emebertum Cameracensem Episcopum, Melbodii sepultum, *S. Reinildem*, seu Raineldem, in Vico Sanctensi prope Hallas in Hannonia quiescentem, *S. Pharaildem* Gandavi celebrem, S. *Ermelindem*, Meldariæ in Gallo-Brabantia quiescentem, & *S. Gudulam* Bruxellensium Patronam. De his ita Baldericus in Chronico Cameracensi Lib. 1. cap. 16. Ablebertus ex Bracbatensi pago oriundus, Parentibus & vitæ & generis claritate clarissimis. Patre videlicet Witgero Comite, Sancto Viro, atque Amelbergâ Matre editus est. Cujus etiam quatuor Sorores fuerunt hæ, Reinildis, Sarachildis, (seu Pharaildis) Ermelindis, Beatissima quoque Gudila, junior ætate, sed non minùs præstantior sanctitate. Hactenus ex Balderico. De singulis nos fusiùs egimus in Fastis Sanctorum Belgii.

ANST-

Ansigisus seu Anchises, S. Arnulfi Comitis Palatini (post Metensis Episcopi) filius, Arnoldi sive Arnualdi Nepos, S. Beggæ Maritus, Palatium suum habuit & vixit in Capræmonte Oppido, per Notgerum Episcopum Leodicensem an. 980. exciso; in venatione demum impiè cęsus à Gonduino, quem primis ab annis enutriverat: ut ex Ms. Vita S. Beggæ didici.

Pipinus Herstallius Andamense S. Huberti Monasterium in Arduenna fundavit, & Ecclesiam Aquisgranensem dotavit: ut Carolus Magnus in suo Diplomate infrà cap. 8. testatur. Anno 694. Alpaidem pellicem, sororem Dodonis (qui S. Lambertum occidit) Plectrudi legitimæ Conjugi superinduxit, & ex ea Carolum Martellum, Pipini Francorum Regis Patrem, genuit. Vide infrà cap. 8.

Stemma Ansberti, Arnoldi, *&* S. Arnulfi, *Majorum Domûs Regiæ.*

Ansbertus duxit Blitildem Clotarii Regis Filiam.	*Arnoldus, aliàs Arnualdus, duxit Odam.*	*S. Arnulfus duxit Dodam; pòst Episcopus Metensis obiit. 640.*	*Ansigisus duxit S. Beggam Filiam Pipini I.*	*Pipinus II. Herstallius obiit 714.*	*Carolus Martellus.*
			S. Clodulfus Episcopus Metensis.		
			Walgisus.	*S Waldregisilus Abbas Fontanellensis.*	

De SS. Arnulfo, Clodulfo, Wandregisilo, & Begga egimus in Fastis Belgicis.

CAPUT VII.

Carolus Magnus, *Francorum & Longobardorum Rex, dein Imperator, benefacit Anno 771. Abbatiæ de Sithiu, quæ nunc S. Bertini dicitur, Ordinis S. Benedicti, in Arthesia.*

KAROLUS gratiâ Dei Rex Francorum Vir Illuster. Si facta Antecessorum nostrorum Regum, quod ad loca Sanctorum pręstiterunt vel concesserunt, per nostris oraculis confirmamus, Regiâ consuetudine exercemus, & nobis ad laudem vel stabilitatem Regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus.

Igitur Venerabilis Vir (1) Hardradus Abba de Monasterio (2) *Sithiu*, qui est in Pago Teruaninse, in honore Sanctæ Mariæ Genitricis Domini nostri Jesu Christi, necnon & Sancti Petri & Pauli Apostolorum vel ceterorum Domnorum Sanctorum constructus, ad nostram accedens præsentiam clementiæ Regni nostri suggessit, eo quòd Antecessores Regni nostri Reges de omnes curtes vel Villas ipsius Monasterii, quicquid eodem tempore possidebant, aut adhuc inantea ex munere Regum, vel collata populi, seu de comparato, aut de quolibet attracto in quibuslibet pagis atque territoriis inibi erat additum vel collatum, integrâ emunitate Antecessoribus suis, vel ad Monasterium Sithiu concessisset, ut nullus judex publicus ibidem ad causas audiendas, aut freta exactanda, vel fidejussores tollendos, vel mansiones aut paratas faciendas, nec homines ipsius Monasterii tam ingenuos, quàm & servientes, qui super terras suas commanent, distringendos, nec ullas redhibitiones requirendas, nec exactandas, judiciaria potestas ibidem ingredere non præsumat quoquam tempore: nisi quod sub emunitatis munere omni tempore cum omnes fretos vel bannos concessos pars ipsius Monasterii perenniter debeat possidere.

Unde Præceptionem Antecessorum nostrorum se ex hoc præ manibus habere affirmat, & quod ipsa Beneficia concessa ab eo tempore usque nunc videantur esse conservata: sed pro integra firmitate petiit Celsitudini nostræ supra memoratus Abba, ut hoc circa ipsum locum pro nostra auctoritate pleniùs confirmare deberemus:

Cujus petitioni pro mercedis nostræ augmentum, vel reverentia ipsius sancti loci ita præstitisse & in omnibus confirmasse cognoscite.

Præcipientes enim ut quicquid constat de ipsa emunitate, sicut superius est comprehensum, Antecessores nostri justè & rationabiliter concesserunt vel confirmaverunt, & de eo tempore usque nunc recto tramite fuit conservatum: ita & inantea per nostrum Præceptum pleniùs in Dei nomine sit conservatum, inspectas ipsas Præceptiones suprascribtorum Principum, sicut per easdem declaratur, circa ipsum Abbatem Ardradum, vel Successores ad ipsum Monasterium *Sithiu* omni tempore ipsa Beneficia concessa in omnibus valeant esse conservata; & nullam refragationem, nec nullum impedimentum à Judicibus publicis exinde quoquam tempore habere non pertimescant: undè ipsa Congregatio pro stabilitate Regni nostri vel salute Patriæ Domini misericordiam jugiter debeant exorare.

Et ut hæc Auctoritas firmior habeatur, & in omnibus conservetur, manûs nostræ subscribtionibus eam decrevimus roborare.

Signum Karoli Gloriosissimi Regis.

Data mense Julio, anno primo Regni nostri. Actum (3) Andiaco.

Hardra-

(1) HARDRADUS, in ferie Abbatum Bertinenfium octavus.

(2) SITHIU. Vide Notas noftras pag. 7. & 79.

Additio. (3) ANDIACUM, antiquum Regum Francorum Palatium in Pago Engolifmenfi in Gallia. Alii tamen legunt *Audriaco*, non procul à Monafterio Sithienfi in Arthefia, ubi etiam fuiffe dicitur Regum Francorum Palatium. Ita *P. Mabillon Benedictinus Lib. VI. de Re Diplomaticâ*, è quo hoc Diploma defumptum fubftituimus, in locum illius quod Miræus hoc loco fecundâ jam vice pofuerat.

CAPUT VIII.

CAROLUS MAGNUS, *Rex Francorum & Longobardorum, pòft Romanorum Imperator, Harimalam, Budiliam, Filfurdum, & alias Villas, à Proavo fuo Pipino Herftallio, aliifque collatas Ecclefiæ Aquifgranenfi confirmat, anno 779.*

CAROLUS Dei gratiâ Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Ad mercedis cumulum augere credimus, quidquid pro amore Dei & reverentia Sanctorum locis venerabilibus confirmamus.

Igitur noverit omnium fidelium noftrorum magnitudo, eò quod inclytæ memoriæ Proavus nofter (1) PIPPINUS, quondam Major Domus, Ecclefiæ S. Mariæ, (2) NOVO CASTELLO conftructæ, diverfas res, pro mercedis augmento dedit. Unde fervientes ejufdem loci confolationem fubftantiæ ufque nunc vifi funt habere, perpetuoque tempore ipfas res quieto ordine poffidere videntur. Sed afferit Venerabilis Vir (3) Erinhardus Abbas, quod de ipfis rebus nulla munimina aut ftrumenta Chartarum penes fe habeant, per quæ ipfas res fine noftra auctoritate legibus defendi poffint.

IDCIRCO petiit à Celfitudine noftra, ut per noftram Præceptionem quantumcumque infra Regna, Deo propitiò, noftra, tamque Proavus nofter ibidem in ejus eleëmofyna vifus eft condonaffe, quàm & ceteri Dominum timentes homines poftmodùm addiderunt, quæ poffidere videntur, denuò confirmare deberemus. Cujus petitionem noluimus denegare, fed ita conceffiffe atque confirmaffe, cognofci. Præcipientes enim, ut quicquid juftè & rationabiliter in denominandis villis, ut funt Harimalla in pago Hasbanienfe, Budilio in Texandira, (4) FILFURDO in Bragbando, in pago Haginao Hrinio, Huniolo, Kiunegas, & illa Ecclefia in Walderiego, fimulque Achiniagas & al Porto, quas in concambio pro avancali receperunt, & aliquos manfos in Angelgiagas in pagello Leuhio, quem fimiliter in concambio proprietatis de Ecclefia S. Servatii commutaverunt, nec non in pago Luminfe (5) Fraxino.

HÆC omnia denominata, ut fuprà diximus, id eft, unà cum ceteris domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, filvis, campis, pratis, pafcuis, aquis aquarumque decurfibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum cum omnibus appendiciis vel adiacentiis eorum, qualiter præfenti tempore ipfa Ecclefia ejufque Rectores poffiderunt, quantumcumque Avus nofter prænominatus ibidem condonavit, aut cæteri Dominum timentes homines in poftmodum addiderunt, unde veftiti effe videntur, deinceps in antea, abfque nullius inquietudine, omni tempore teneant & poffideant.

Et nullus quilibet de fidelibus noftris, aut de Judiciaria poteftate præfatum Erinhardum Abbatem fuofque Succeffores de memoratis rebus inquietare, aut contra rationis ordinem facere præfumat, fed liceat eos, cum Dei & noftra gratia, noftris & futuris temporibus, per hanc noftram auctoritatem, jure firmiffimo poffidere, quatenus meliùs delectet ibidem Deo fervientes, pro nobis atque prolibus noftris & uxore, & pro animabus Parentum quondam noftrorum, Domini mifericordiam deprecari.

Et ut hæc Auctoritas firmior habeatur, vel diuturnis temporibus fervetur, manu propriâ fubtus eam decrevimus roborare, & de annulo noftro juffimus figillari.

Signum KAROLI gloriofiffimi Regis.

Wichbaldus, ad vicem Radoni, recognovi.

Data V. Nonas Maii, an. (6) XI. & V. Regni noftri.

Actum Hariftallio Palatio, in Dei nomine feliciter, amen.

(1) PIPPINUS feu Pipinus, cognomento Herftallius feu Hariftallius. Anfigifi & S. Beggæ filius. Major Domûs Regiæ in Auftrafia fub Childerico Rege. & in Francia fub Theoderiço Rege, Caroli Magni Imperatoris Proavus, anno 714. Jupiliæ ad Mofam. haud procul à Leodico obiit. Cum conjuge fua *Plectrude*, Andanienfe Monafterium in filva Arduenna, S. Beregifo Abbate cooperante, fundavit, quod poftea *S. Huberti*, eò tranflati, nomen induit. Idem Aquifgranenfem B. Mariæ Ecclefiam liberaliter dotavit; ut ex productis hic Caroli Magni Tabulis liquet.

(2) NOVUM CASTELLUM. Defignatur Urbs Aquifgranenfis; quam notet Lector, Pipino Herftallio, aliifque Principibus fuiffe in deliciis, diu ante Caroli Magni ævum.

(3) ERINHARDUS: fortaffe legendum, Einhardus. Vide pag. 13. in Notis.

(4) FILFURDUM, nunc Filfordia feu Vilfordia, *Vilvorde*, Oppidum ad Sennæ & Volvulæ confluentes, altero lapide à Bruxella. Decimas agri Vilfordienfis Moniales Cameræ, Ordinis Ciftertienfis prope Bruxellam poffident, fub onere annui cenfûs, quem Canonicis S. Mariæ Aquifgranenfis folvunt.

(5) FRAXINO. Vide fupra pag. 337. in Notis.

(6) ANNO XI. Regni Francorum, & V. Regni Longobardorum. Ceterum Carolus Magnus habuit legitimas conjuges quatuor, videlicet N. Defiderii Longobardorum Regis Filiam, *Hildegardem* N. Ducis Sueviæ Filiam, Geroldi Boiorum Prætoris, fanctitatis opinione clari, Sororem, *Faftradum* Rudolphi Comitis Franci Sororem

rorem, & *Luitgardem* Frederici filiam. Ex prima & quarta nullas habuit proles.

Ex HILDEGARDE nati sunt ei decem liberi. *Carolus* Rex Alemanniæ & partis Burgundiæ, *Pipinus* Rex Italiæ, *Ludovicus Pius* Imperator, *Lotharius* qui infans obiit, *Rotrudis* seu Rotarudis (Hermanno Contracto Riddrudis) sponsa Constantini Imp. Constantinopolitani, *Berta* uxor Angilberti, *Gisla* baptizata Mediolani per Thomam Archiepiscopum, *Gertrudis*, *Hildegardis*, & *Adelhaidis*: quarum duæ postremæ infantes obierunt, sepultæ Metis ad S. Arnulfum.

Ex FASTRADA, quam anno 783. duxit, notæ sunt *Theodrada* & *Hiltrudis*.

SEX aut septem insuper proles naturales habuit, videlicet *Pipinum Gibbosum*, Monachum Prumiensem, *Rothaidem*, *Rothildem*, *Adaltrudem*, *Drogonem*, *Hugonem*, & *Theodericum*. Ex Mathalgarda Rothildem, ex Gersuinda Saxonica Adaltrudem, ex quadam nomine Regina Drogonem Metensem Episcopum, & Hugonem magnum, cognomento Abbatem Ducem Burgundiæ; ex Adaluda seu Adalinde Theodericum procreavit. Sed hæc juvenilis ac militaris ætatis delicta factus provectior optimus Imperator, vitâ inter Clericos ac Monachos sanctissimè transactâ egregiè expiavit; plurimis item Ecclesiis per Germaniam ac Galliam ædificatis, & Christianâ Religione apud Saxones, Danos, Hunnos, Sclavos, aliosque populos latissimè propagatâ. Obiit autem anno Christi 814. ætatis 72. Aquisgrani conditus.

Carolus Magnus Imperator obiit Anno 814.
- *Carolus.*
- *Pipinus Rex Italiæ obiit anno 810.*
  - *Bernardus Rex Italiæ obiit anno 818.*
    - *Pipinus Comes Veromandiæ.*
      - *Bernardus.*
      - *Heribertus Comes Veromandiæ obiit anno 902.*
        - *Heribertus II. Comes Veromandiæ obiit 943.*
        - *Berta.*
      - *Pipinus.*
- *Ludovicus Pius.*
  - *Lotharius Imperator.*
    - *Lotharius Rex Lotharingiæ.*
  - *Carolus Calvus.*
  - *Ludovicus.*
- *Lotharius.*
- *Rotrudis.*
- *Berta Uxor Angilberti.*
  - *Harnidus.*
  - *Nithardus Scriptor.*
- *Gisla.*
- *Gertrudis.*
- *Hildegardis.*
- *Adelhaidis.*
- *Theodrada.*
- *Hiltrudis.*
- *Pipinus Gibbosus Monachus.*
- *Rothaidis.*
- *Rothildis.*
- *Adaltrudis.*
- *Drogo Episcopus Metensis.*
- *Hugo Magnus Dux Burgundiæ.*
- *Theodericus.*

DE Comitibus Veromandorum gravis est quæstio, à quo stirpem traxerint, an à CAROLO Rege Alemanniæ, Caroli Magni filio primogenito, an à PIPINO Rege Italiæ, ejusdem secundo-genito. Priorem sententiam sequitur Scriptor Genealogiæ S. Arnulfi, à Pithæo editę; posteriorem Regino Abbas Prumiensis: cui ut vetustissimo Chronographo potiùs fidem adhibendam censemus. Ceterum Bernardus Pipini Regis Italiæ filius naturalis fuit.

ANGILBERTUS, Bertæ Maritus, Centulense S. Richardi Monasterium construxit, & anno 817. ibidem obiit: ut filius ejus Nithardus testatur in libris, quos de dissensionibus filiorum Ludovici Pii usque ad annum 843. scripsit, quosque Pithæus edidit.

CAPUT IX.

CAROLUS MAGNUS, *Rex & Imperator, iterum benefacit Abbatiæ Bertinianæ Ord. S. Benedicti in Arthesia, Anno 791.*

Ex Mabillonio de Re Diplomatica.

Vide supra pag. 495.

KAROLUS Dei gratiâ Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum. Quidquid enim ad loca Sanctorum venerabilium pro oportunitate servorum Dei concedimus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem pertinere confidimus.

Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, præsentium scilicet & futurorum, qualiter concessimus AUTLANDO Abbati & Monachis ex Monasterio Sithiu, quod est constructum in honore Dei omnipotentis & Sancti Petri Principis Apostolorum vel ceterorum Sanctorum, ubi Sancti AUDOMARUS atque BERTINUS Christi Confessores corpore requiescunt, ut ex nostra indulgentia in eorum proprias silvas licentiam haberent eorum homines venationem exercere, unde Fratres consolationem habere possint, tam ad volumina librorum tegenda, quamque & manicas & ad zonas faciendas,

falvas foreftes noftras, quas ad opus noftrum conftitutas habemus. Propterea præfentem auctoritatem fieri juffimus, per quam omninò præcipimus atque mandamus, ut neque vos, neque juniores veftri feu fucceffores, memorato viro venerabili Audlando Abbati, aut fucceffоribus fuis, feu hominibus eorum, pro hac causâ inquietare, aut calumniam generare: aut aliquid pro hoc requirere ab eis, aut exactare, nec omnino contradicere præfumatis: nifi liceat eorum hominibus ut fupra diximus ex noftra indulgentia in eorum proprias filvas venationem exercere. Et ut hæc Auctoritas firmior babeatur, & per tempora meliùs confervetur, de annulo noftro fubterfigillari juffimus.

Signum Domni Karoli gloriofiffimi Regis.

Data VII. Kal. Aprilis, anno XX. Regni noftri.

Actum in fupradicto loco Sithiu, in Atrio Sancti Bertini in Dei nomine feliciter. Amen.

CAPUT X.

Ludovicus Pius *Imperator confirmat circa annum* 814. *Poffeffiones Ecclefiæ Ultrajectinæ, Rixfrido Epifcopo poftulante.*

Auctum & correctum ex Hiftoria Ultraject. Wilhelmi Hedæ.

In nomine Domini Dei, & Salvatoris noftri Jefu Chrifti. Ludovicus, Divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguftus. Imperialem Celfitudinem decet Prædecefforum fuorum pia facta non folùm inviolabiliter confervare, fed etiam cenfuræ fuæ authoritate confirmare.

Unde noverit induftria feu fagacitas omnium fidelium noftrorum, tam præfentium, quàm & futurorum, quia (1) Rixfridus Venerabilis Vir, veteris Trajecti Ecclefiæ Epifcopus, quæ eft conftructa in honore S. Martini Confefforis, vel ceterorum Sanctorum, detulit Manfuetudini noftræ quafdam autboritates conftitutionum, qualiter Dominus & Genitor nofter Carolus, bonæ memoriæ, piiffimus Imperator Auguftus, & Avus nofter Pipinus, & Antecesfores eorum ad ipfam Ecclefiam conceffiffent omnem decimam, de mancipiis, terris, ac teloniis, vel de negocio, vel de omni re, undecunque ad partem Regiam Fifcus telonium exigere aut accipere videbatur,

Et ut homines ejufdem Ecclefiæ fub (2) Mundiburdo & tuitione ipfius Ecclefiæ exiftentes, nec non & in ripis in Doreftado, ut (3) nec bannum (4) aut fredum, aut conjectum, quod ab ipfis *Verfchat* vocatur, contingere aut exactare præfumeret, & quifquis ex negotiatoribus in eorum ripas intrare voluiffet, nullam contentionem ex hoc feciffet eis, nec manfiones in eorum domibus, fine permiffu eorum accipere auderent, nec eorum res dum vixerint, auferre, aut poft mortem eorum contingere, nec ullo modo eis in aliqua re calumniam generare quis præfumeret, qui in illa decima parte, vel fub Mundiburdo Ecclefiæ S. Martini confiftunt;

Videlicet ut ficut illi de illis novem partibus aliquid accipere vel ufurpare nec velint, nec poffint; ita & Procuratores Refp. de eadem decimâ parte accipere aut ufurpare ad Fifcum non præfumant, qualiter Præful ipfius Ecclefiæ, cum omni Clero & populo fibi fubjecto alimoniam miniftrare, & luminaria in eadem Sede continuare, atque gentiles qui ad Chriftianitatem convertuntur alere & docere poffit.

Ob firmitatem tamen hujus rei poftulavit à nobis prædictus Epifcopus, ut Paternum five Prædeceffнrum noftrorum Regum morem fequentes, ejufmodi noftræ authoritatis Præceptum, ob amorem Dei & reverentiam S. Martini circa ipfam Ecclefiam fieri cenfeiemus.

Cujus petitioni libenti animo aurem accommodare placuit, & per hanc noftram Authoritatem confirmare, ut omnem decimam, tam de mancipiis, quàm de terris, aut de telonio, aut de negotio, vel undecunque ad partem Regiam jus Fifci cenfum exigere debet, vel de omnibus quæ fuprà fcripta funt præfata Ecclefia libero in perpetuum jure poffideat.

Et ne quis contingere aut injuftam interpellationem facere præfumat, fed ficut à Domino Imperatore, & Avo noftro, & Antecefforibus Regibus & à nobis per hanc Authoritatem conftitutum eft, atque confirmatum, ita omni tempore inviolabiliter confervetur atque cuftodiatur, quatenus ipfos fervos Dei, qui ibidem confiftunt cum eorum Pontifice, & illos quos à gentili ritu ad Chrifti veram converterunt fidem, pro nobis, conjuge, proleque noftrâ, & omni populo Chriftiano jugiter mifericordiam Dei exorare delectet. Et ut hæc Authoritas meliùs ab omnibus credatur, & diligentiùs confervetur, manu propriâ fubfcripfimus, & annuli noftri impreffione fignari fecimus.

Signum Ludovici Sereniffimi Imperatoris.

Data XVII. Kalendas Aprilis, anno XI. Chrifto propitio, Imperii Domini Ludovici piiffimi Augufti, Indictione fecundâ.

Actum Aquifgrani Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, amen.

Helifachar recognovit.

CAPUT

(1) Rixfridus, feptimus in ordine Trajectenfis Epifcopus, natione Frifius, vixiffe legitur ad annum 815.

(2) Sub Mundiburdo, id eft tuitione vel defenfione; hinc Tutores Mamburni (Belgicè *Memboers*) appellantur.

(3) Nec Bannum: eft mulcta judicialis.

(4) Aut fredum: eft compofitio Fifco debita.

CAPUT XI.

HOTBERTUS *Vir potens dotat Abbatiam Sarcinienfem* (*quæ nunc dicitur Sancti Trudonis*) *Ordinis Sancti Benedicti in Diœcesi Leodiensi, anno* 838.

CUM lux ista festinanter discurrit, & dies nostri sicut umbra transeunt, ideoque oportet, ut dum in sæculo consistimus, de futuro judicio tractare debeamus, ut quando venerit dies subitanea, non inveniat ullum, quoque imparatum.

IGICRCO in Dei nomine, Ego (1) HOTBERTUS cogitans de Dei misericordia, pro animæ meæ remedio, & æternorum retributione bonorum, ut & piissimus Deus me de peccatis meis relaxare dignetur, & æternam beatitudinem possidendam donare, dono per hanc Epistolam donationis, donatumque in perpetuum esse volo ad Basilicam (2) S. Trudonis, ubi ipse pretiosus in corpore requiescit, & Dominus (3) DROGO Archiepiscopus præesse videtur, hoc est, quod dono rem proprietatis meæ in loco nuncupante *Hasnoch* super fluvio *Merbate*, in pago Hasbaniensi sive Diestensi, Curtem cum casa in dominicato, & cetera ædificia in ipsa Curte constructa, & mansas vetustas sex ad ipsam Curtem conspicientes vel pertinentes, cum perviis legitimis, warescapiis, pratis, pascuis, egressum vel ingressum, mobile vel immobile, & de silva *Schara* ad porcos, quantum inveniri potest, & propria voluntas intus decreverit mittere, & quidquid ibidem mea possessio vel dominatio esse videtur, totum & ad integrum, cum devotissimo mentis affectu, ad ipsum sanctum locum suprà dictum tradidi, & coram testibus confirmavi perpetualiter ad possidendum inter confines S. Trudonis & Cataleti; & mancipia XXIV.

Actum in (4) Sarcinio Monasterio S. Trudonis, publicè sub die XIII. Kalendas Augusti, anno XXIV. regnante Domino nostro Ludovico Serenissimo & Orthodoxo Imperatore.

(1) HOTBERTUS, forte Rotbertus.

(2) S. TRUDO, Confessor, colitur in Martyrologio Romano die 23. Novembris. Vide Fastos nostros Belgicos, & Origines Benedictinas.

(3) DROGO, Archiepiscopus Metensis. Anno 823. Gundulpho Metensi Episcopo successit Drogo, Ludovici Pii Imperatoris Frater: ut in Annalibus Pithæanis legitur. Fuit Caroli Magni Filius ex Regina concubina: ut suprà cap. 8. retuli. Vocatur Archiepiscopus Metensis, eò quòd usus fuerit pallio Archiepiscopali, ex Privilegio Pontificis Romani Quo Privilegio tres alii Episcopi Metenses ante ipsum gavisi sunt, & unus post ipsum: ut in Ms. Trudonensi legitur.

(4) SARCHINIUM, hodie Trudonopolis dicitur à S. Trudone, qui ibidem Monasterium Benedictinorum, & Brugis in Flandria Monasterium Sanctimonialium condidit, quæ hodie Sancti Augustini Regulam sequuntur.

Plura sunt in Belgio nostro, vicinisque partibus Oppida, quæ vetus nomen suum, assumpto Sanctorum Tutelarium seu illorum à quibus Abbatiæ in ipso loco constructæ fuerant, nomine, commutarunt. Sic imprimis *Trudonopolis*, quæ olim *Sarchinium* dicta, à *S. Trudone* nomen accepit. Sic *Audomaropolis*, antea *Sithiou*, à S. Audomaro Abbate & Episcopo nomen accepit. *Andainum* post translatas S. Huberti reliquias, structumque Cœnobium, vocari cœpit *Fanum S. Huberti*. Sic locus qui est ad Elnonem fluvium, ab Abbatia *S. Amandi* dictus fuit *Amandopolis* Similiter *Gertrudis Berga* à S. Gertrude illius loci incola, cum antea *Mons Lictoris* appellaretur; *Gislenopolis* à *S. Gislено* Abbate; *Winnocibergа*, olim *Mons Viridis*, à *S. Winnoco* Abbate dici cœperunt. Additio.

CAPUT XII.

LOTHARIUS *Lotharingiæ* I. *Rex*, *Lotharii Imperatoris Filius*, *Bergense Monasterium, prope Ruræmondam Gelriæ urbem, à S. VVirone Episcopo ejusque sociis* (*Pipino Herstallio fundum donante*) *constructum, Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Ultrajectensis anno* 858. *attribuit incolendum*; *Normannis Frisiam & Bataviam vastantibus.*

Correctum & auctum ex Hist. Ultraj. Wilh. Hedæ.

IN nomine Omnipotentis Dei & Domini nostri Jesu Christi (1) LOTHARIUS divinâ præveniente gratiâ Rex. Si locis divino cultui mancipatis quicquam muneris confirmamus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem nanciscendam adfuturum esse confidimus.

IGITUR comperiatur omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostrorum præsentium scilicet & futurorum industriæ: quia ex relatu (2) GUNTHARII, sacri Palatii nostri summi Capellani, & (3) HUNGARII Venerabilium Episcoporum didicimus, quòd Trajectensis Ecclesia, quæ in honore Christi Confessoris Martini constructa esse dignoscitur, barbaricâ imminente nequitiâ penè destructa & ad nihilum redacta sit, Canonicique olim in ea militantes passim per diversa loca quidam dispersi, quidam etiam interempti sunt:

HAC denique incumbente maximâ necessitate deprecati sunt Celsitudinem nostram, ut memo-

memoratæ Sanctæ Sedi infra Regnum nostrum quietum & pacificum locum ad consolationem & refugium Canonicorum tribueremus.

QUORUM saluberrimis & sincerissimis suggestionibus pro amore Domini nostri, ob emolumentum etiam ac remedium animæ Avi nostri & piæ memoriæ Genitoris nostri Lotharii quondam Augustorum, nec non Genitricis nostræ Hermingardæ, seu pro salute nostra, Regni stabilitate, libentissimum præbentes assensum, hos Clementiæ nostræ apices fieri jussimus, per quos (4) in pago Maso super fluvium Ruræ Monasterium in honore S. Petri constructum, quod (5) *Bergh* nuncupatur, ad præfatam Sedem Trajectensem sub omni integritate tradimus, per omnia tempora ad consolationem & tutamentum Rectorum ejusdem Sedis vel Cleri famulaturum concedimus; quatenus præsignati servi Dei, nostrâ perceptâ liberali munificentiâ, eos Domini misericordiam pro nostra ac Prædecessorum nostrorum salute liberiùs exorare delectet.

Et ut hæc nostræ traditionis seu pietatis largitio per futura tempora inviolabilis perseveret, manu propriâ eam subter firmavimus & annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Lotharii gloriosi Regis.

Daniel Notarius recognovi, scripsi & subscripsi.

Data IV. Nonas Januarii, anno, Christo propitio, Regni D. Lotharii gloriosissimi Regis tertio, indictione sextâ.

Actum (6) Prumiâ Monasterio in Dei nomine feliciter. Amen.

(1) LOTHARIUS Rex I. Lotharingiæ, Uxorem habuit *Theutbergam*, Bosonis in Burgundia Comitis Filiam. Theutbergæ porrò repudium meditante Lothario, cum divortii caussa quæreretur, sparsa est fama, Theutbergam flagitium olim ab Hucberto Fratre passam fuisse; atque hoc illa crimen, vi ac dolo, ut posteà patuit, fateri, vestemque sibi ut mutare liceret, petere compulsa est, tum aliàs deinceps, tum anno 860. primùm, in duplici Episcoporum conventu, quorum alter mense Januario, alter Februario habitus est Aquisgrani. Lotharius itaque, reclamante Nicolao Papa, *Waldradam*, Gunteri Archiepiscopi Coloniensis Sororem aut cognatam, superinduxit, & ex ea genuit *Hugonem*, *Bertam* & *Gislam*. Hugonem Lotharingiæ Regnum ambientem Carolus Crassus Imperator anno 885. oculis privavit, & tonsum Monasterio Prumiensi apud Treveros inclusit, ubi & obiit. Berta, procurante Hugone jam dicto, nupsit Theobaldo Comiti, & ex eo genuit Hugonem Italiæ Regem, Lotharii itidem Regis Patrem. Gisla nupsit Godefrido Normannorum Regi, qui anno 885. in Batavia est interemptus, cùm pacem antè factam, incitante eodem Hugone, rumpere moliretur.

Additio. (2) GUNTHARIUS, ex Archi-Capellano Lotharii Imperatoris electus Archiepiscopus Coloniensis anno 851. Frequens fit illius mentio in Historiis Sæculi IX; fuit enim excommunicatus & è Sede sua relegatus anno 863. à Nicolao I. Pontifice, eò quòd ejusdem Lotharii divortium, qui relictâ Theutbergâ Waldradam duxerat, approbasset. Obiit anno 870.

(3) HUNGARIUS, sive Hungerus Episcopus Ultrajectensis, à Normannis Frisiam, Ultrajectum, vicinasque regiones latè depopulantibus, è Sede sua pulsus, à Lothario Rege Prumiæ tunc agente, Monasterium Montis S. Petri ad Ruram fluvium, ceu locum refugii, obtinuit. Mansit porrò hoc Monasterium diu sub jurisdictione spirituali ac ordinaria Episcoporum Ultrajectensium. Obiit Hungerus anno 866. Addicio.

(4) IN PAGO MASO, vulgò *Marslandt*.

(5) BERGH, Vicus ad Ruram prope Ruræmundam. Fuit illic primò Monasterium Monachorum, ubi Viri Sanctissimi Wiro, Plechelmus & Otgerus sepulti fuêrunt. Postmodum vocatus fuit *Mons S. Odiliæ*, & ex Monasterio factum fuit Collegium Canonicorum cum Præposito; quod anno 1361. translatum fuit Ruræmundam ad Ecclesiam S. Spiritûs, petente Reinaldo Duce Gelriæ, & authoritatem facientibus Ultrajectensi ac Leodiensi Episcopis. Additio.

Porrò hæc Ecclesia S. Spiritûs Ruræmundæ anno 1559. facta fuit Cathedralis: sed anno 1659. visum fuit in novam Cathedralem deligere Ecclesiam S. Christophori, eòque transferre memoratum Capitulum. Diplomata desuper confecta inferiùs alleganda reservamus.

(6) PRUMIA. Monasterium vetus & opulentum Benedictinorum in Electoratu Trevirensi, quod ab anno 1581. unitum fuit Mensæ Archiepiscopi Electoris Trevirensis. Plura de eo vide inter *Origines Benedictinorum*.

STEMMA LUDOVICI PII IMPERATORIS.

- *Ludovicus Pius Imperator, obiit 840.*
  - *Lotharius Imperator, obiit Monachus 855.*
    - *Ludovicus Imperator & Rex Italiæ, obiit 875.*
    - *Lotharius Rex Lotharingiæ, obiit 809.*
      - *Hugo, obiit Monachus.*
      - *Gisala Uxor Godefridi Normanniæ Regis.*
    - *Carolus Rex Provinciæ.*
  - *Carolus Calvus Imperator, Rex Franciæ & Italiæ, obiit 877.*
    - *Ludovicus Balbus Imperator & Rex Franciæ, obiit 879.*
      - *Carolus Simplex Rex Franciæ, obiit 929.*
        - *Ludovicus Transmarinus, duxit Gethergam, obiit 954.*
          - *Lotharius Rex Franciæ, obiit 986.*
            - *Ludovicus Rex Franciæ, obiit 987.*
          - *Carolus Dux Lotharingiæ, obiit 991.*
            - *Otho Dux Lotharingiæ, obiit 1005.*
      - *Carolomannus.*
      - *Ludovicus.*
  - *Ludovicus Rex Germaniæ, duxit Emmam, obiit 876.*
    - *Ludovicus Rex Lotharingiæ, obiit 879.*
    - *Carolomannus.*
      - *Arnulfus Imperator, obiit 900. duxit Utam*
        - *Ludovicus Imperator, duxit Emmam, obiit 912.*
        - *Suendiboldus Rex Lotharingiæ, obiit 900.*
    - *Carolus Crassus Imperator, obiit 888.*

Ex Caroli Magni Stirpe masculâ apud Germanos postremus Imperator fuit Ludovicus, Arnulfi Imperatoris Filius, anno 912. defunctus. Apud Francos postremus ex ejusdem Stirpe Rex fuit Ludovicus, anno 987. mortuus. Apud Lotharingos inferiores ex ejusdem Stirpe ultimus Dux fuit Otho, Caroli Filius, anno 1005. defunctus; in quo Stirps mascula ejusdem Caroli Magni defecit. Vide suprà pag. 363.

STEMMA LOTHARII IMPERATORIS.

- *Lotharius Imperator duxit Ermentrudem, obiit 855*
  - *Ludovicus II Imperator, Rex Italiæ, duxit Angelbergam, obiit 875.*
    - *Hermengardis Uxor Bosonis Regis Provinciæ, 876.*
      - *Ludovicus Cæcus Rex Provinciæ, 889. Imperator 900.*
        - *Carolus-Constantinus Princeps Viennæ.*
      - *N. sponsa Carolomanni Regis.*
  - *Lotharius Rex Lotharingiæ, obiit 869. cui ex Waldrada nati,*
    - *Hugo, obiit Monachus.*
    - *Berta Uxor Theobaldi Comitis.*
      - *Hugo Rex Italiæ, 926.*
        - *Lotharius Rex Italiæ 949.*
          - *Emma Uxor Lotharii Franciæ Regis.*
        - *Alda.*
        - *Hubertus.*
        - *Boso Episcopus Placentiæ*
        - *Eudoxia.*
        - *Theobaldus.*
      - *Boso Marchio Tusciæ ex N. natus.*
        - *Willa Uxor Berengarii II. Regis Italiæ.*
          - *Albertus.*
          - *Guido.*
          - *Gisla.*
          - *Gerberta.*
        - *Berta.*
        - *Gisla.*
        - *Richildis.*
    - *Gisla Uxor Godefridi Regis Normanniæ.*
  - *Carolus Rex Provinciæ, obiit sine liberis.*
  - *Hermengardis Uxor Gisleberti Comitis.*

Boso, Bovonis seu Buvini Comitis Filius, Sororem habuit Richildim, Carolo Calvo Imperatori nuptam: à quo idem Boso anno 876. Dux Italiæ ac demùm Rex Provinciæ est creatus. Idem Ludovico Balbo defuncto, anno 879. Regnum Arelatense seu Burgundicum ambivit; obiitque anno 887. conditus Viennæ in Basilica S. Mauritii.

Boso, Marchio Tusciæ, Theobaldi Comitis Arelatensis & N. anonymæ Filius, genuit Filias quattuor: ex quibus Willa nupsit Berengario Italiæ Regi; de qua vide inferiùs Stemma Berengariorum in Notitia Eccles. Belg.

CAPUT XIII.

Ludovicus *Germaniæ seu Franciæ Orientalis Rex, Ludovici Pii Imperatoris filius, anno 876. benefacit Ecclesiæ Ultrajectensi, petente Hungero Episcopo.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) Ludovicus Divinâ favente clementiâ Rex. Cum petitionibus Sacerdotum Dei justis & rationabilibus Divini cultûs amore favemus, supernâ nos muniri gratiâ non diffidimus. Noverit interea industria seu utilitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium, quàm & futurorum, quia Hungerus veteris Trajecti Ecclesiæ Episcopus, quæ est constructa in honorem S. Martini Confessoris, & aliorum Sanctorum, obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis Domini & Genitoris nostri, bonæ memoriæ, Ludovici piissimi Augusti, in qua erat insertum, quod non solùm idem Dominus & Genitor noster, verùm etiam Prædecessores ejus Reges Francorum, eidem Ecclesiæ, cui Hungerus ipse, authore Deo, præesset, sub tuitione & defensione eorum, cum omnibus sibi subjectis, & rebus vel hominibus ad se pertinentibus, vel aspicientibus, consistere fecerunt, & eorum Immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine judiciariæ potestatis eadem munita atque defensa fuisset Ecclesia;

Sed pro rei firmitate postulavit à nobis prædictus Episcopus, ut Paternum seu Prædecessorum nostrorum Regum morem sequentes, hujusmodi nostræ Immunitatis præceptum erga ipsam Ecclesiam, Immunitatis atque tuitionis gratiâ, ob amorem Dei & reverentiam ipsius loci, circa ipsam Ecclesiam fieri censeremus.

Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ authoritati Præceptum fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, aut nullus ex fidelibus nostris in Ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones,

(1) Ludovicus cognomento Germanicus, Rex Germaniæ & partis Lotharingiæ. anno 876. vivere desiit. Ex Emma Conjuge filios reliquit, Ludovicum Lotharingiæ Regem, Carolomannum, & Carolum Crassum Imperatorem.

sessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem Regni nostri juste & rationabiliter memorata tenet vel possidet Ecclesia, & ea quæ deinceps jure ipsius sancti loci Divina pietas augere dignabitur, ad caussas audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quàm servos super terram ipsius commanentes injustè distringendos, neque ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ superiùs memorata sunt exigere præsumat.

Sed liceat memorato Præsuli, suisque successoribus res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus sibi subjectis sub tuitionis ac Immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & nostrò fideliter parere Imperio : atque pro incolumitate nostrâ, Conjugis ac Prolis, seu etiam totius Regni à Deo nobis collati, & ejus clementissimâ miseratione, per immensum conservandi, unà cum Clero & populo sibi subjecto, Domini immensam clementiam exorare. Et quicquid de præfatis rebus Ecclesiæ jus Fisci exigere poterat, integrum eidem concessimus Ecclesiæ, scilicet, ut in perpetuo tempore ei ad peragendum Dei servitium augmentum & supplementum fiat.

HANC itaque Authoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris diligentiùs conservetur, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari fecimus.

Signum Domini Ludovici piissimi Regis.

Hadibertus ad vicem Ratlerii recognovi.

DATUM XV. Kal. Junii anno XXIX. Domini & Serenissimi Regis Lodovici in Orientali Francia regnante, Indictione secundâ.

ACTUM Franconefurd Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

CAPUT XIV.

CAROLUS CALVUS *Imperator ejusque Conjux* RICHILDIS *varias Possessiones concedunt Ecclesiæ S. Gertrudis Nivellis, anno* 877.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, CAROLUS, ejusdem Dei Omnipotentis misericordiâ, Imperator Augustus. Si sacris locis & Divinis cultibus mancipatis emolumentum Imperialis Celsitudinis exhibemus, servorumque Dei necessitatibus opem ferendo consulimus, profuturum nobis hoc ad æternæ beatitudinis præmium faciliùs obtinendum, & ad præsentem vitam feliciùs transigendam fore, nullatenùs dubitamus.

QUAPROPTER noverit omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque præsentium & futurorum industria, quoniam nos ob amorem Dei, ac deprecationem RICHILDIS Imperatricis Augustæ, dulcissimæ Conjugis nostræ, concedimus ad usus Fratrum seu Sororum, Sanctimonialium videlicet & Canonicorum Nivellæ Cœnobii, quod conditum est in honore S. Mariæ, in quo etiam S. GERTRUDIS corpore quiescit, res quasdam ejusdem Cœnobii, id est, infra ipsum Monasterium mansos duos, molendinum unum, cambas duas, Villam Gaugiaco in Comitatu Brachbantinse, Liniacum in eodem Comitatu, & Wambacem, Tobacem, Iturnam, Rosbacem, Hanuariam, Bolarium, Villam Sprendelingam cum vineis in Comitatu Wormacensi, Villulam Bisinacum cum vineis in Comitatu Laudunensi, Villulam Forest in Taxandro, in Frisia terram & mancipia ad salem, piscariam in Meremuda.

Vide infrà Notas ad Cap XV.

EXTRA has Villas superaddidimus Liniacum in Brabantinse, Villam Broele trans Rhenum cum vineis. Concedimus prætereà ad Ecclesiæ luminaria procuranda, & ad reliquas necessitates supplendas mansos tres infrà Monasterium; ad Hospitale verò ejusdem Monasterii domûs Villulam Monasteriolum cum integritate sua, & omnem decimam totius Abbatiæ, tam de indominicatu, quàm de Sororum seu Fratrum caussa, & de beneficiatis (exceptis his Villis, quæ ad matriculam decimas dant) & unam vineam in Comitatu Suessionico in Bersiaco.

HÆC autem omnia prædicti Monasterii Sororum seu Fratrum usibus concedimus, & concedendo perpetualiter delegamus, ob dulcissimæ Conjugis nostræ RICHILDIS Imperatricis Augustæ gratissimam deprecationem; eo videlicet modo ut prædictæ res à nobis suprà taxatæ usibus Sororum seu Fratrum deserviant, & à nullo deinceps seniore aliter quàm à nobis deputatæ sunt, per futura tempora valeant immutari.

UT autem hujus nostræ Auctoritatis præceptum pleniorem in Dei nomine firmitatis obtineat vigorem, manu illud firmavimus, & annuli nostri impressione subter jussimus assignari.

Signum Caroli gloriosissimi Imperatoris Augusti.

Domina RICHILDIS Imperatrix ambasciavit.

Andeser Notarius, ad vicem Gauzlini, recognovit.

DATA VII. Idus Julii, Indictione X. anno XXXVIII. Regni Caroli gloriosissimi Imperatoris Augusti in Francia, & Imperii secundo, & in successione Lotharii Regis anno VIII. 877.

ACTUM Pontione feliciter in Dei nomine, amen.

CArolus Calvus Francorum Rex anno 875. nuntio de Ludovici II. Imperatoris (qui Fratris sui Lotharii itidem Imperatoris Filius fuit) obitu accepto, Septembri mense Alpes transgressus, Italiæ Regnum occupavit;

Ludovico

Ludovico interim Fratre Germaniæ Rege ac Proceribus, qui à Carolo defecerant, ipsius Regnum depopulantibus. At Carolus Romam, Joanne VIII. Papâ invitante, profectus, die Natalis Domini, unctus & coronatus atque Imperator Augustus est appellatus. Exinde Nonis Januarii anni sequentis Româ digressus, Papiæ in Insubria Conventum habuit, & Bosona (cujus Sororem Richildim duxerat, quemque Regem Provinciæ demum creavit) Duce Italiæ constituto, ibique relicto, in Galliam rediit; Ludovico jam antè in Germaniam reverso. Paschæ solemnibus in S. Dionysii Monasterio prope Parisios peractis, ex Legatorum Apostolicorum consilio, Synodum Pontigone celebrandam in proximum Julium indixit: ut pluribus Aimoinus lib. 5. cap. 32. narrat.

- *Carolus Calvus duxit Ermentrudim, 2. Richildim, obiit 877.*
  - *Carolomannus Diaconus.*
  - *Carolus Rex Guienna, obiit 867.*
  - *Lotharius Abbas, obiit 867.*
  - *Ludovicus Balbus Rex Francia duxit Ansgardem 2. Adelaidem, obiit 879.*
    - *Ex 1. Ludovicus, 884. obiit sine liberis.*
    - *Carolomannus Rex Burgundia, obiit sine liberis.*
    - *Ex 2. Carolus Simplex duxit Fredrunam, 2. Otgivam, obiit 929.*
      - *Ex 1. Gisla Uxor Rollonis Ducis Normannia*
      - *Ex. 2 Ludovicus IV Transmarinus Rex Francia duxit Gerbergam Othonis I. Imperatoris Sororem, obiit 954.*
        - *Lotharius Rex Francia, obiit 986.*
      - *Hugo nothus.*
    - *Hugo nothus.*
  - *Judith Uxor Balduini Ferrei Comitis Flandria.*
  - *Ermentrudis Abbatissa Hasnoniensis 877.*
  - *Rothildis.*

Inter eruditos gravis est quæstio, an Ludovicus Balbus Patri suo, ut in Regno Francico, sic in Romano seu Germanico Imperio quoque successerit. Qua de re R.P Jacobum Sirmondum, cùm sacræ tum profanę antiquitatis peritissimum, libet audire disserentem: Ludovicum Balbum anno 877. Regem Francorum coronarat Hincmarus Archiepiscopus Remensis, ut videre est in Actis illius coronationis post Capitula Caroli Calvi editis. Anno 878. iterum à Joanne VIII. Papa in Gallia agente, coronam expetiit, exemplo Pippini Abavi sui, quem à Bonifacio primùm Archiepiscopo Moguntino, deinde iterum à Stephano Papa Regem coronatum meminerat. Sunt autem, qui Ludovicum ab Joanne coronam hoc loco non Regni, sed Imperii, suscepisse putent. Inde enim Ludovicum Balbum inter Imperatores plerique numerant, tum exteri, tum Francici etiam scriptores. Quod mirum certè, imò falsum videtur, cùm Joannes ipse Papa in Epistola 47. & in aliis, quas ad Ludovicum posteà scripsit, ipsum Regem, non Imperatorem vocet; in Epistola 71. ad Ludovicum & Carolomannum, Ludovici Balbi Filios, Caroli Calvi Nepotes, Carolo eorum Avo Imperatoris nomen tribuat, Ludovico Patri nomen Regis; Imperatorem haud dubiè appellaturus, si Imperator fuisset.

Eodem modo Hincmarus in Epistolis, quarum meminit Flodoardus lib. 3. cap 19. Fratres istos Reges Ludovici Regis, non Imperatoris, Filios nominet. Quid quòd Ludovici ipsius Balbi, ut alia omittam, Diploma exstat pro Ecclesia Nivernensi, IV. Idus Septembris, hoc est, triduo post coronationem istam Trecis datum, in quo non alium se quàm Regem vocat his verbis, *Ludovicus misericordiâ Dei Rex*; Rex ergò fuit, non Imperator. Imperatoris verò titulum, antiquis ignotum, alii posteà temere adfixerunt. Sic ferè Sirmondus in Notis ad tomum 3. Conciliorum Galliæ.

CAPUT XV.

SUENTIBOLDI *Lotharingiæ Regis Diploma in favorem Ecclesiæ Nivellensis in Brabantia, anno 897. datum.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) ZUENCHEBOLDUS supernâ annuente clementiâ Rex. Quidquid Deo dicatis locis, & in utroque sexu contemplationi cælestium laudum assiduè collegiis invigilantibus spontaneè conferimus, in ultimo tremendi examinis die, ante summi Arbitri sedile, æternis præmiis auctum nobis repræsentari procul dubio confidimus, nostrumque in hoc labenti sæculo Regnum dilatari & undique corroborari proinde certissimè scimus.

Idcirco omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium præsentium & futurorum industria noverit, quia nos dilectissimæ Neptis nostræ interventu GISLÆ, quasdam res Nivellensis Abbatiæ sibi concessæ, unanimitati Fratrum seu Sororum inibi commoranti, & Sanctissimæ GERTRUDIS Virginis, cujus veneranda membra in ipso memorato Nivialensi Monasterio condita sunt, condignis laudibus ineffabiliter excubanti, in proprios usus delegavimus.

Ipsæ autem res hæ sunt infra scriptæ; ipsius Monasterii mansi duo, molendinum unum; Cambæ duæ, Villa (2) *Gaugiaca* in Comitatu Brachbatinse, Villa quoque (3) *Liniaca* in eodem Comitatu, & (4) *Wambach* & (5) & *Tobacio*, & (6) *Turna*, & (7) *Rosebache*, & (8) *Hanuaria* & (9) *Ballaria*, Villa etiam (10) *Sprendelinga* cum universis vineis ad illam accedentibus in Pago Wormacensi, & Capella in prædicta Villa Thobace, Villula (11) *Visinaca* in Comitatu Laudunensi, Villula (12) *Forest* in Pago Taxandriæ; in Frisia terra ad sal acquirendum, piscatio in Mere-

Meremuda, in Villa prædicta Liniaca Capella, Villa (13) *Broele* circa Rhenum cum vineis.

Insuper vero ad Ecclesiæ luminaria procuranda & ad ceteras necessitates explendas, has subnominatas Villas concessimus, atque ad Hospitale providendum, in ipso Monasterio mansos tres, Villulam (14) *Monasterioul* cum integritate sua, & omnem decimam totius Abbatiæ, tam de indominicatu, quàm de Fratrum seu Sororum caussis & beneficiis omnibus; (segregatis his Villis, quæ ad matriculam decimas dant & vineam unam in Villa *Berciaca* in Comitatu Suessioniaco. Decima autem, quæ in districtu illius Monasterii datur, ad opus specialiter ipsius Congregationis, nemine inquietante, pertineat.

Si quis autem, quod nolumus, hæc omnia quæ his scriptis promulgavimus destruere conatus fuerit, Dei Omnipotentis iram, & ultrices æterni incendii flammas minimè evadat, nec non & Regiis Celsitudinibus reus in perpetuum habeatur. Et ut hoc firmum sit, & à fidelibus nostris meliùs eredatur, diligentiùsque observetur, hoc nostræ Auctoritatis præceptum, manu nostrâ subtus roborantes, annulo nostro insigniri jussimus.

Signum Domini Suenchebolchi gloriosissimi Regis.

Egilbertus Cancellarius, ad vicem Hermanni Archi-Capellani, recognovit.

DATA VII. Kalendas Augusti, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo nonagesimo septimo, Indictione XV. anno verò tertio Zuenchebolchi Regis. 897.

ACTUM in ipso Nivialensi Monasterio feliciter, amen.

Additio. (1) SUENCHEBOLDUS, de quo vide supra pag. 253. in Notis.

(2) GAUGIACA, vulgò *Goyck*. Vicus prope Hallas, sub Diœcesi Mechliniensi, erectus in Baronatum anno 1651. in gratiam Engelberti Taye. Hodie possidetur à Gulielmo Alberto de Grysperc Brabantiæ Cancellario. Jus Patronatûs, quod olim erat Ecclesiæ Nivellensis, hodie est penes Pœnitentiarium Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis, Decimatorem loci.

(3) LINIACA, vulgò *Lennick*, in Ditione Gaesbecana. Ab anno 1514. duplex est Parochia, alia quæ vulgo dicitur *Sinte-Quintens-Lennick*, hodieque est Juris Patronatûs Abbatissæ Nivellensis. Alia, dicta *Sinte Mertens-Lennick*. Pastorem recipit ex Abbatia Montis Frigidi Canonicorum Regularium Bruxellis.

(4) WAMBACB, vulgò *Wambeke*; ubi Decimas hodieque percipit Capitulum Nivellense, unà cum Parocho, & Capitulo Metropolitano Mechliniensi, ad quod hodie spectat Jus Patronatûs.

(5) TOBACIO, vulgò *Tubeke*, Gallis *Tubise*, Vicus notabilis sub Diœcesi Mechliniensi, inter Hallas & Braniam-Comitis, gaudet jure *Terræ Francæ*. Patronatum hodieque gerit Abbatissa Nivellensis.

(6) ITURNA, vulgò *Itre*. Vicus prope Nivellas, divisus in superiorem & inferiorem Ittram; quarum prior subest Comitatui Hannoniæ, posterior Ducatui Brabantiæ. Ittram in Baronatum erexit anno 1654. Philippus IV. Hispaniæ Rex in favorem Florentii de Rifflart: qui titulus anno 1703. in Marchionatum fuit commutatus

(7) ROSEBACUS, vulgo *Rebecque* sive *Roosbeke*, antiquus Principatus sub Diœcesi Mechliniensi undique Comitatu Hannoniæ cinctus, ad Ducem Arembergicum quà Dominum Angiæ pertinens. Jus Patronatûs cum decimis possidet Abbatissa Nivellensis.

(8) HANUARIA, vulgò *Hennuieres*. Vicus Gallo-Brabantiæ sub Diœcesi Namurcensi prope Nivellas, ubi Pastoratum confert dicta Abbatissa.

(9) BALLARIA, vulgò *Baulers* sive *Braulez*. Vicus prope Nivellas, cujus decimatrix est Abbatissa memorata.

(10) SPRENDELINGA, in Germania.

(11) VISINACA, in Gallia.

(12) FOREST, vulgò *Vorst*, prope Meerhaut in Campania Brabantiæ, ac Diœcesi Antverpiensi. Jus Patronatûs illic hodie obtinet Abbas Averbodiensis, Ordinis Præmonstratensis.

(13) BROELE, vulgò *Breul* ad Rhenum prope Andernacum Oppidum, ubi Collegium Nivellense vineas hodieque possidet.

(14) MONASTERIOUL, vulgò *Monsteeul*.

CAPUT XVI.

OTHO I. *Imperator, dotat Ecclesiam Canonicorum in Capræmonte, Diœcesis olim Leodiensis Oppido, sitam anno* 947.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. OTTO Divinâ auxiliante clementiâ Rex. Noverint omnes fideles nostri, præsentes atque futuri, quòd nos pro remedio animæ nostræ, vel etiam dilectissimæ Conjugis nostræ beatæ memoriæ (1) ÆTGIGIS, quasdam res proprietatis nostræ, ad stipendia Fratrum, in loco (2) *Kevermunt*, Deo dignè militantium, in proprium concessimus.

Id est, Hob. II. in Villa *Haimala* sitas, & Ecclesiam unam cum omnibus appenditiis suis illuc aspicientibus. Præterea dedimus eis Ecclesiam unam in *Villaren* constructam in Pago *Heinigowe*, alteram verò in Villa *Fillefort* constructam, iterum in Villa *Budil*, cum omni decimatione, omnibusque commoditatibus, ad suprà dictas Ecclesias justè legitiméque pertinentibus.

Jussimus quoque hoc inde præsens Præceptum conscribi, per quod volumus firmiterque jubemus, ut sine ullius contradictionis obstaculo hanc nostræ traditionis condonationem firmiter ac securiter obtineant, manu propriâ nostrâ firmatam & annulo nostro roboratam.

Signum Domini OTTONIS invictissimi Regis.

(3) Brun Cancellarius, ad vicem Rodberti Archi-Capellani, recognovi.

Data XIV. Kalendas Maii, anno Dominicæ Incarnationis CM.XLVII. Indictione sextâ, 947.
regnante pio Rege Ottone anno XI.

Actum Aquis in Domino feliciter, amen.

CAPUT

(1) ÆTAIGIS, aliàs Eggida vel Eduha, Othonis I. Imperatoris Conjux prior: de qua vide suprà lib. I Donat. Belg cap. 13. pag. 343.

(2) KSVERMONT, aliàs *Chevremont*, Latinè Capræmons, Oppidum olim Diœcesis Leodicensis, quod Notgerus Episcopus Leodicensis anno 980. funditus excidit. Vide plura superiùs Lib. II. Diplom. Belg. cap. 17.

(3) BRUN, seu Bruno, tunc Fratris sui Othonis I. Imperatoris Cancellarius; pôst Archiepiscopus Colomensis: de quo vide supra pag. 343.

CAPUT XVII.

GOUDARDA *Mulier se ipsam offert in servam seu famulam Deo & Sancto Trudoni, in Monasterio Benedictinorum Trudonensium in Hasbania, anno 956. aut 957.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, quòd quædam Fœmina nomine GOUDARDA, veniens ad Monasterium S. Trudonis, ubi ipse Sanctus in corpore requiescit, & Dominus Adelbero Episcopus & Abbas præesse videtur, ibi suæ genuitatis libertatem amittens, se sub jugo servitutis Deo & S. Trudoni tradidit famulaturam.....

ACTUM in Monasterio Sareiniensi sub die VI. Idus Januarii, anno XXI. regnante Domi- 957.
no Othone glorioso Rege Germanorum.

Ego Einardus Cancellarius scripsi.

CAPUT XVIII.

OTHO I. *Imperator; Prædia Monasterio Cellensi seu Gisleniano à* DAGOBERTO *Francorum Rege, itemque à S. Aldegunde & aliis donata confirmat, anno 965.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. OTTO Romanorum, Divinâ favente elementiâ, Imperator Augustus. Pro remuneratione perpetua, & vitæ præsentis Regnique nostri stabilitate, cum inquireremus eos, qui ad nostrum pertinent Imperium, locorum status, qui dicati sunt Deo Sanctisque ipsius; pervenit ad notitiam nostram quidam venerabilis locus, olim ab incolis *Ursidongus*, nunc CELLA vocatus: ad quem, sicut relatione fidelium nostrorum didicimus, de Athenis Civitate Græcorum commeavit Sanctus Confessor Christi (1) GISLANUS, Sacerdos & Monachus.

HUNC locum Rex (2) DAGOBERTUS, cum B. Gislano, ad unguem perduxit, & ut in Gestis ejusdem sancti legitur, Regiâ munificentiâ ampliavit. Sanctus verò (3) OTBERTUS, cum B. Amando, in honore Apostolorum Petri & Pauli eumdem locum dedicaverunt.

NOVERINT ergò Duces & Marchiones, Comites etiam nostri & Principes, & totius Regni nostri Procerum multitudo, locum hunc Regiâ tuitione semper & ubique protegi & defendi. Itaque præcepimus subtitulare rerum ad eumdem locum pertinentium Possessiones; quatenus Regiâ corroboratione confirmatæ semper ad usus Fratrum, in eodem loco Deo servientum, famulentur. *Hornud* cum præcinctu ipsius in giro & districtu toto, à flumine videlicet *Wamy* usque ad viam, ubi magna Crux statuta est. Et inde ad alium fluviolum, qui *Haneton* appellatur, quousque ad flumen magnum *Hagna* perveniatur. In *Durno* Ecclesiam unam, in *Lismonte* Ecclesiam unam, in *Resin* mansos duos & unum curtile, in *Basiaco* mansos duos, quos dedit (4) S. ALDEGUNDIS, in *Mosterolcurt*, quæ est in Pago Cameracensi, quattuor curtilia, in *Villare* super Tenram bonnaria XII. & unum pratum, in *Alemannis*, Villa quæ sita est in Pago Suessionensi, hospites, vineas, & terras cultas & incultas.

HÆC omnia eidem loco, præsenti Auctoritate, per hanc nostram Imperialem Paginam concedimus, confirmamus, & confirmando Sigilli

(1) SANCTI GISLANI, seu Gisleni, Oppidum & Abbatia nunc Benedictinorum, inter Hannonienses prima & antiquissima, medio ferè itinere inter Montes Hannoniæ & Valentianas. De qua sic lib. 2. cap. 40. Baldericus in Chronico Cameracensi. Non procul à Castriloco, videlicet in loco quem dicunt *Cellam*, Monasterium est Monachorum S. Gislani. Iste nimirum, Angelicâ visione monitus, ab Athenis digressus, cursum suæ peregrinationis in istam partem direxit, illudque Monasterium, auctoritate S. Auberti, sed & S. Waldetrude, cui tunc temporis familiari dilectione inhæserat, opitulante, fundavit.

(2) DAGOBERTUS Francorum Rex, Fundator Monasterii Cellensis seu Gisleniani, quod S. Otbertus Cameracensis, & S. Amandus Tungrensis, Episcopi Sancto Gisleno familiares, Deo consecrarunt.

(3) OTBERTUS, aliàs S. Aubertus, Episcopus Cameracensis. Vide pag. 490.

(4) S. ALDEGUNDIS, Virgo, Soror S. Waldetrudis, Monasterium Melbodiense in Hannonia fundavit, quod nunc est Collegium Nobilium Virginum Canonicarum.

gilli noſtri impreſſione corroboramus. Atque ipſum locum, omniaque ſibi pertinentia, more Anteceſſorum noſtrorum, in noſtram tuitionem accipimus, & præcipiendo præcipimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, ſive aliqua major minorve judiciaria Perſona ipſum Monaſterium inquietare, aut aliquid de rebus ſibi pertinentibus auferre præſumat.

Et ut hæc noſtræ ingenuitatis Auctoritas ſtabilis & inconvulſa permaneat, hoc Præceptum propriâ firmamus manu.

Signum Domini Ottonis Magni Imperatoris & inviĉtiſſimi Auguſti.

Adalgerus Cancellarius Sedis, vice Bardonis Archi-Cancellarii, recognovi.

Acta Kalendis Maii, anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſexageſimo quinto, Indictione XII. anno autem Domini Ottonis trigeſimo, Imperii ſcilicet quarto. 965.

Actum Noviomago in Dei nomine feliciter, amen.

CAPUT XIX.

Otho I. *Imperator Abbatiam ſive Eccleſiam Canonicorum Capræmontenſium donat & ſubmittit Eccleſiæ Canonicorum Beatæ Mariæ Aquiſgranenſis, anno* 972.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) Otto Divini nutûs providentiâ Imperator Auguſtus. Cùm noſtræ exigat ſublimitatis officium, omnigenâ nos conſiliorum ſolertiâ, ob Regnorum ſtatus ſecuros, gentiumque leges moderatim ſtabiliendas, pervigilique ſagacitatis conſultu, maximè Eccleſiaſticas, Divino cultui per orbem dilatando, ſtructuras piè ſalubriterque providendas, evigilare; fidelium noſtrorum tam præſentium quàm futurorum pateſieri volumus induſtriæ, qualiter memoriæ Beatiſſimæ Karolus Imperator Auguſtus, æternæ recompenſationis propoſito, locum quendam Aquisgrani, ſcilicet vulgari vocabulo (2) Ehha nuncupatum, quaſi ab exordio erigere, latâque facultate adeò aggreſſus eſt ſublimare, ut Capellam ibidem miri decore artificii, in honore S. Mariæ Matris Domini noſtri Jeſu Chriſti, conſtrui feciſſet, plurimiſque locorum Regalium Prædiis, ejuſdem honores, nec non Clericorum hanc obſervantium catervæ uſus commodos perpetim ſubminiſtraturis, honeſtè ditaſſet, Sedibuſque Imperatoriis locum eumdem dignum extuliſſet, ibi ipſe quoque in tumulo pauſat:

Quam etiam nos, non minùs Dei timore perſpecto..... locupletari noſtro quoque fulcimine cupientes, Abbatiam (3) *Kivermunt* univerſaliter vocatam, noſtrâ Imperiali potentiâ, ad ejuſdem Eccleſiæ Fratrumque ibidem Domino famulantium uſus accumulatos, cum omnibus appertinentiis legalibus, ritèque adhærentibus..... in perpetuò manſuram proprietatem donavimus, ſcilicet cum utriuſque ſexûs mancipiis, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſilvis, vineis, aquis aquarumve decurſibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & acquirendis, ac cum omnibus juſtè legaliterque illò pertinentibus.

Insuper etiam juris noſtri legibus..... decernimus, decretumque firmamus, ut deinceps de Regum vel Imperatorum Capella Abbas eidem loco præficiendus eligatur. Idemque, quicumque erit, nullas Eccleſiæ res ſibi providendas forinſecus aliquo uſu deducere præſumat, ſed intrà communiter ad Fratrum ceterorumque ibidem ſervientium commoda neceſſaria retineat.

Proponimus autem ad hæc, ut nullus per æternas temporum ſucceſſiones Rex vel Imperator jam dictum locum cuiquam omnium in beneficium præſtet, ſed per ſe, ut ab exordio, in Regum vel Imperatorum manibus integerrimus perſeveret. Et ut hæc donativi Auctoritas Præcepti noſtri firmior ſtabiliorque cunctis ſæculis dictæ Eccleſiæ Filiis perpetuò credatur, hujus Chartæ inſcriptionem fieri, manuque propriâ ſubtus roboratam annuli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Signum Domni Ottonis Magni & invictiſſimi Imperatoris Auguſti.

Wicilliſus Notarius, vice Rodberti Archi-Cancellarii, ſubſcripſi.

Data Kalendis Auguſti, anno Incarnationis Dominicæ nongenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Indictione decimâ quintâ, anno Regni 972. Domni Ottonis XXXIII. Imperii autem XIII.

Actum Papiæ.

CAPUT

(1) Ottho I. Imperator: ejus Stemma Genealogicum productum vide ſuprà pag. 343.

(2) Ehha, puto legendum *Achen*, Urbs Germaniæ inferioris, de qua vide plura ſuperius pag. 14. & 149.

(3) Kivermunt, aliàs *Chievremont*, Capræmons: de quo Oppido, Notgeri Epiſcopi Leodicenſis juſſu, anno 980. funditus exciſo, & Canonicorum Præbendis ac Prædiis ad Aquiſgranenſem B. Mariæ Eccleſiam tranſlatis, ſupra egimus, Diplom. Belgic. Lib. 2. cap. 17. & harum Donat. Belg. cap. 16.

CAPUT XX.

BENEDICTUS VII. *Pontifex Abbatiæ Gemblacensi Ordinis S. Benedicti in Gallo-Brabantia dat Privilegium immunitatis, anno* 984.

Ex Historia Ms. Edmundi Dintheri.

BENEDICTUS Episcopus, Servus Servorum Dei. ERLUINO Religioso Abbati Generali Monasterii S. Salvatoris Domini nostri JESU Christi & S. Petri, noviter ibi constituti, suisque Successoribus in perpetuum.

CUM magna nobis sollicitudine insistit cura pro universis Dei Ecclesiis & piis locis invigilandi, ne aliquâ necessitate jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur. Ideò convenit, nos totâ Pastoralis mentis integritate eorundem venerabilium locorum maximè integritatem & stabilitatem procurare, & sedulò eorum utilitatibus subsidia illic conferre, ut Deo nostro Omnipotenti, id quod pro sancti nominis ejus honore, etiam ad laudem atque gloriam ejus Divinæ Majestatis cum venerabilibus nos certum est contulisse locis, sit acceptabile, nobisque ab ejus locupletissima misericordia digna hujusmodi pii operis in sidereis conferatur arcibus remuratio.

IGITUR, quod postulastis à nobis, quatenus pro Dei Omnipotentis amore ac Domini OTHONIS præcellentissimi Imperatoris nostrique dilecti Filii, concederemus atque confirmaremus vobis prædictum Monasterium in honore S. Salvatoris ac S. Petri constructum, cum omnibus rebus mobilibus atque immobilibus quæ sub eodem Monasterio adjacere & pertinere videntur, tam mansis quàm Castris, Villis atque casalibus, tam quæ præsentes sunt, quam quæ etiam usque in finem esse debebunt, posito in loco, qui vocatur *Gemblacus*, concedimus atque confirmamus Apostolicâ Authoritate, ut de alio Monasterio Abbas ibi non constituatur, sed ipsi servi Dei secundùm Regulam S. Benedicti viventes, ex sua propria Congregatione potestatem eligendi Abbatem habeant. Abbas Privilegiis Sedis Apostolicæ infusis decoretur, ut sub jurisdictione nostræ Sanctæ, cui Deo authore servivimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur.

ET ideo cujuslibet Ecclesiæ Episcopum in præfato Monasterio, ditionis quamlibet habere authoritatem prohibemus, nisi tantùm benedicendi habeat licentiam. Statuentes Apostolicâ censurâ atque authoritate B. Petri Apostolorum Principis, sub Divini Judicii obtestatione, ac validis & atrocioribus anathematis interdictionibus, ùt nullus umquam nostrorum Successorum Pontificum, vel alia parva vel magna persona aliquid de rebus vel Possessionibus ad idem pertinentibus Monasterium auferre vel alienare præsumat.

Si quis autem, quod non credimus, nefario ausu non parva magnaque persona, contra hoc hoc nostrum Apostolicum Privilegium agere tentaverit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, ac à Regno Dei alienatum, & cum omnibus impiis æterno incendii supplicio condemnatum.

At verò qui observator extiterit Præcepti, gratiam & misericordiam vitamque æternam à misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur.

Scriptum per manum Bonifacii Notarii Regionarii ac Secretarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Martio, Indictione XI. Bene valete.

Datum octavo Kalend. Aprilis per manus Stephani Episcopi & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ, anno Pontificatûs Domini nostri Benedicti septimi Sanctissimi Papæ nono, imperante Domino nostro Ottone à Deo coronato magno & pacifico Imperatore, anno XVI. in mense suprascripto, ac Indictione XI.

CAPUT XXI.

S. HENRICUS II. *Imperator benefacit Thorensi Virginum Nobilium Canonicarum Collegio ad Mosam, petente Notgero Leodicensi Episcopo, anno* 1007.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS Divinâ favente clementiâ Rex. Nobis profuturum & ad vitam præsentem transigendam, & ad futuram feliciter obtinendam credimus & scimus, si secundùm fidelium nostrorum justas petitiones, Ecclesiasticas facultates augmentatas, veriùs & augmentandas, Regalis Præcepti munimine tuendas esse firmaverimus.

QUAPROPTER notum esse volumus omnibus nostris fidelibus, tam futuris quàm præsentibus; quòd per intercessionem Venerabilis Viri NOTGERI, Tungrensis seu Leodicensis Episcopi, THORNENSI Monasterio, ejusdem Episcopi Episcopatui subjecto, mercatum ejusdem loci,

loci, telonium & districtum concessimus.

INSUPER Ecclesias de *Britte* & *Chamaritte* & *Avesate*, quasque idem Episcopus in amplificationem Ecclesiasticæ facultatis, & aggerationem remunerationis supernæ, eidem Monasterio concessit, per interventum ejusdem Venerabilis Episcopi, ad pertinentiam dicti Monasterii, Auctoritate nostri consensûs assignavimus: & hujus præcepti auctoritatem, ut in nomine ipsius, qui nobis præcipiendi concessit potestatem, pleniorem obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris conservetur, more Antecessorum nostrorum, & manu propriâ firmavimus, & Sigilli nostri impressione signari jussimus.

Signum Domini HENRICI Regis invictissimi.

Heribertus Cancellarius, vice Willigisi Archi-Capellani, recognovi.

DATA XI. Nonas Junii, Indictione V. anno Dominicæ Incarnationis millesimo septimo, anno verò Domini Henrici II. Regnorum quinto.

ACTUM Moguntiæ feliciter, amen.

EX characteribus anni hujus Diplomatis videtur colligi posse, Notgerum Episcopum Leodicensem anno demum 1008. obiisse; non autem 1007. ut Buchærius & alii supputant.

CAPUT XXII.

Idem S. HENRICUS *Imperator Possessiones Abbatiæ S. Gisleni in Hannonia anno* 1018. *confirmat*, GERARDO I. *Cameracensi Episcopo*, & RAGINERO IV. *Hannoniæ Comite*, *postulantibus*.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) HENRICUS, Divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus. Ubicumque locorum Ecclesias, à Christi fidelibus constitutas, si vel aliquid addendo vel addita juvamus confirmando, nobis id Regnique nostri stabilitati prodesse non dubitamus.

QUAPROPTER noverit omnium fidelium nostrorum universitas, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, Seniorisque & Nepotis nostri, tertii videlicet *Ottonis* Imperatoris Augusti, qui ipsum venerabilem locum, ad Dei servitium ibi confirmandum, in tuitionem suæ Imperatoriæ Auctoritatis suscepit: interventu etiam REINHARII Comitis, ac petitione *Gerardi* Cameracensis Ecclesiæ Venerandi Præsulis, pauperi Monasterio, in honore S. Petri Apostolorum Principis constructo, ubi pretiosus Confessor Christi GISLENUS corporaliter jacere videtur, Prædia à Christi fidelibus concessa, vel adhuc concedenda, præcinctum etiam loci ipsius in giro, à flumine videlicet *Wamy* usque ad viam, ubi magna Crux statuta est, & inde ad alterum fluviolum qui *Aneton* appellatur, & ut ipsum præcinctum in circuitu loci totum cum districto & Comitatu teneat, quo usque ad flumen magnum *Hagnam* perveniat.

IN Villa *Hornud*, quæ infra præcinctum eumdem esse dignoscitur, quam largitione DAGOBERTI Regis Beatus Gislenus perpetuò possidet, omni quartâ feriâ mercatum esse, per hanc nostram Imperialem Paginam confirmamus; nec non etiam Villæ *Alemannis* duas partes, quæ sita est in Territorio Suessionico..... Hanc *Alemannis*, ex donatione Elephantis ejusdem loci Abbatis, qui fuit propinquus Karoli Regis, ab antiquo possidet hereditario jure idem Sanctus. In *Durno* Ecclesiam unam, in *Lismonte* Ecclesiam unam......

HÆC ergò omnia, more Antecessorum nostrorum, in nostram tuitionem accipimus. Præcipiendo itaque præcipimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, sive aliqua major minorve Judiciaria persona ipsum Monasterium inquietare, aut aliquid de rebus sibi pertinentibus auferre præsumat. Et ut nostra ingenuitatis auctoritas stabilis & inconvulsa omni pòst hinc permaneat tempore, hoc Præceptum inde conscriptum manu propriâ confirmavimus, & Sigilli nostri impressione præcepimus insigniri.

Signum Domini Henrici Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.

Guntherus Cancellarius, vice Ercanbaldi Archi-Capellani, recognovi.

DATA Indictione primâ, anno Dominicæ Incarnationis millesimo decimo octavo, anno 1018.
Domini Henrici secundi regnantis XVI. Imperii autem V.

ACTUM Noviomago feliciter, amen, amen, amen.

(1) HENRICUS, re & cognomento Sanctus, anno 972. Abudiaci (qui Vicus est & Castrum suprà Ratisponam millia passuum decem, ad ripam Danubii) natus est, Patre Henrico Rixoso Bavariæ Duce, Matre Gisela Conradi Burgundiæ Regis Filia, Avo Henrico Bavariæ itidem Duce, Othonis I. Imperatoris Fratre: ut Hermannus Contractus illorum temporum Scriptor, itemque Genealogiæ S. Arnulfi Concinnator disertè tradunt. Quod hic notandum duxi contra Raderum in sua Bavaria Sancta aliter sentientem. Henricus porrò, Othonis I. Imperatoris Frater, duxit Jutam seu Juditham, Arnoldi Mali Bavariæ Ducis Filiam: ex qua natus Henricus Rixosus, qui ex Gisala jam nominata genuit S. Henricum, Brunonem Episcopum Augustanum, Gisalam S. Stephani Regis Hungariæ Uxorem, & Brigittam Abbatissam.

Duces

Duces Bavariæ & Sueviæ seu Alemanniæ, ex Stirpe HENRICI AUCUPIS.

- *Henricus Aucepi ex Duce Saxoniæ Rex Germaniæ, obiit 936*
  - *Otho I. Imperator, obiit 973.*
    - *Luitolfus Dux Sueviæ. obiit 957.*
      - *Otho Dux Sueviæ, obiit 982.*
        - *Cono seu Conradus Dux Carinthiæ, obiit. 1012.*
          - *Conradus Dux Carinthiæ.*
        - *Gregorius V. Papa.*
        - *Guilielmus Episcopus Argentinensis.*
        - *Henricus Dux Franconiæ.*
          - *Conradus Salicus Imperator, obiit 1039*
        - *Echardus.*
    - *Otho II. Imperator, obiit 983.*
      - *Otho III. Imperator, obiit 1002.*
  - *Bruno Archiepiscopus Coloniensis.*
  - *Henricus Superbus Dux Lotharingiæ 940. pòst Bavariæ, obiit 955.*
    - *Henricus Rixosus Dux Bavariæ, obiit 995.*
      - *S Henricus Dux Bavariæ, pòst Imperator, obiit 1024.*
      - *Bruno Episcopus Augustanus.*
      - *Gisala.*
      - *Brigitta.*

Ceterùm S. Henricus pueritiæ suæ formatores habuit, Bernardum Hildesheimensem, Burchardum Herbipolensem, & Wolfgangum Ratisponensem, Episcopos Othone III. Imperatore defuncto Rex Germaniæ est salutatus, & anno 1002. VIII. Idus Junii S. Oleo ab Heriberto Archiepiscopo Moguntiæ est unctus: ut Adelboldus Episcopus Ultrajectinus, vitæ ejusdem Scriptor tradit. Augustus Romæ festâ ceremoniâ anno 1014. acclamatus, & à Benedicto VIII. Papa coronatus, Troiam Græcorum Coloniam, quarto obsidionis mense à se expugnatam, funditus evertit, totamque Apuliam in ditionem Imperii recepit. Babenbergæ Episcopalem Sedem à fundamentis excitavit, omnique suo Patrimonio, quod ab Othone III Imperatore acceperat, impertito locupletavit. Idem & alios Episcopatus, per barbarorum incursiones gravissimè afflictos, instauravit; inter quos fuerunt Martiburgianus & Hildesheimensis in Saxonia. Misnensis apud Eudosios in Misnia, Argentinensis in Alsatia, & Magdeburgensis in Marchia. In Italia Cœnobium Beneventanum condidit; & multa Regiæ munificentiæ erga S. Petrum Romæ, & erga S. Benedictum in Cassino Monte documenta reliquit, quorum syllabum Leo Ostiensis texuit. Vixit annos 52. & anno salutis 1024. vivere desiit, conditus Babenbergæ, & ab Eugenio III. in Catalogo Sanctorum anno 1152. collocatus.

S. CUNEGUNDIS, Sifridi seu Sigifridi Comitis Lutziliburgensis (quod hactenus paucis notum fuit) Filia, in consortem Regni ut Conjux à S. Henrico admissa, mox de tuenda virginitate, usuque tori abstinendo, ad exemplum Virginis Matris cum Josepho, & Pulcheriæ Augustæ cum Marciano, in omnem vitam convenit. Post obitum mariti, vittâ sacrâ loco coronæ sumptâ, solenni ceremoniâ, sese rebus humanis omnibus abdicavit, & in Cœnobio Virginum Benedictinarum, Bambergæ à se constructo, totam se Deo mancipavit, ac demùm anno 1040. sanctissimè in Domino obdormivit. Stemma porrò S. Cunegundis, ex fide Hermanni Contracti, aliorumque veterum Scriptorum ac Diplomatum à me concinnatum, hîc libet attexere.

Ceterùm an unus, an duo ex ordine fuerint Sigifridi Comites Lutzeburgenses, non ausim certò affirmare. Vide suprà pag. 142 & 345.

Ex Gerberti ad Theophaniam Epistola (suprà pag. 345. relatâ) colligi videtur, Sigifridum Comitem Lutzeburgensem fuisse Patruum Godefridi Captivi Comitis Virdunensis, suprà Lib. I. Diplom. Belg. cap. 23. laudati

- *Sigifridus I. Comes Lutzeburgensis.*
  - *Henricus Comes pòst Dux Bavariæ.*
  - *Theodericus Episcopus Metensis.*
  - *Adelbero III Episcopus Metensis.*
  - *Fridericus Comes Lutzeburgensis & 1046. Dux Lotharingiæ inferioris, obiit 1064.*
    - *Juta seu Muta Uxor N. Comitis Limburgensis.*
      - *Henricus ex Comite Limburgensi Dux Lotharingiæ inferioris 1101.*
  - *S. Cunegundis.*
  - *Juitha Uxor Welfi I.*

CAPUT

CAPUT XXIII.

CONRADUS II. SALICUS *Imperator Monasterium S. Gisleni anno* 1034. *in protectionem suscipit*; GISALA *Uxore suâ*, HENRICO *Filio suo*, PILIGRIMO *Archiepiscopo Coloniensi*, *& aliis petentibus.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. CHUONRADUS, Divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus. Ubicumque locorum Ecclesias, à Christi fidelibus constructas, vel aliquid addendo, vel addita confirmando juvamus, nobis id Regnique nostri stabilitati prodesse non dubitamus.

QUAPROPTER noverit omnium Dei fidelium nostrorumque universitas, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, Nepotisque nostri tertii OTTONIS, & HEINRICI Antecessoris nostri videlicet Imperatoris, qui illum locum, ad Dei servitium ibi confirmandum, in tuitionem suæ Imperatoriæ Auctoritatis susceperunt; interventu ac petitione dilectæ Conjugis nostræ GISALÆ videlicet Imperatricis Augustæ, & (1) nostræ Prolis HENRICI Regis, (2) Piligrimique Archiepiscopi Coloniensis, nec non & GERHARDI Cameracensis Ecclesiæ Præsulis, atque (3) GOSILONIS Ducis, nec non Abbatis (4) POPONIS Stabulensis, pauperi Monasterio in honore S. Mariæ Sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli constructo, ubi pretiosus Confessor Christi GISLENUS corporaliter jacere videtur, Prædia à Christi fidelibus concessa, vel adhuc concedenda, præcinctum etiam loci ipsius in giro, à flumine videlicet *Wamy* usque ad viam, ubi magna Crux statuta est, & inde ad alterum fluviolum, qui *Aneton* appellatur, & ut ipsum præcinctum in circuitu loci totum teneat, quousque ad flumen magnum *Hagnam* perveniat.

SIMILITER quoque infra ipsum præcinctum in Villa *Hornutum* omni quartâ feriâ mercatum esse, per hanc nostrum Imperialem paginam confirmamus; atque ipsum locum omniaque ipsi pertinentia, more Antecessorum nostrorum, in nostram tuitionem accipimus, & præcipiendo præcipimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, sive aliqua major minorve judiciaria persona ipsum Monasterium inquietare, aut aliquid de rebus sibi pertinentibus auferre præsumat. Et ut hæc nostræ ingenuitatis Auctoritas stabilis & inconvulsa omni post hinc permaneat tempore, hoc Præceptum inde conscriptum manu propriâ confirmantes, Sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domini CHUONRADI invictissimi Imperatoris Augusti.

Burcardus Cancellarius, vice Pardonis Archi-Capellani, recognovi.

DATA V. Nonas Maii, anno Dominicæ In-
carnationis millesimo tricesimo quarto, Indi- 1034
ctione II, anno autem Domini Chuonradi secundi regnantis X, Imperii verò VIII.

ACTUM Ratisponæ feliciter, amen.

(1) NOSTRÆ prolis Heinrici. Fuit is HENRICUS III. cognomento NIGER, anno 1056. defunctus. Ejus Uxor GUNILDA anno 1042. Brugis in Flandria decessit, sepulta ibidem ad S. Donatianum, hoc addito elogio:

Nobilissimæ Augustæ Dominæ GUNILDÆ, *Canuti Angliæ, Danemarciæ, Noruegiæ & Sueciæ Regis Filiæ, Imperatoris Henrici Nigri laudatissimæ Conjugi, post acceptam gravissimam à marito injuriam, hoc in Castello religiosè viventi, & anno Domini M. XLII. XII. Kalendas Septembris defunctæ, hoc monumentum Ecclesia (cui perquam erat munifica) erexit.*

(2) PILIGRIMUS, Archiepiscopus Coloniensis, anno 1037. obiit.

(3) GOSILO, seu Gothilo Magnus Dux Lotharingiæ superioris seu Mosellanæ & inferioris, anno 1044. obiit: ut suprà pag. 354. dixi.

(4) POPO, seu Poppo, Abbas Stabulensis in Diœcesi Leodicensi, obiit Atrebati die 25. Januarii, anno 1049. juxta stilum Romanum, quo annus à Kalendis Januarii incohatur. Reformavit plurima sui Ordinis Benedictini Cœnobia, in his Vedastinum, Gisleniamum, Altimontense, Amandinum, Marchianense, Walciodorense, Paulinum apud Ultrajectinos, Stabulense & Malmundariense. Conditus jacet Stabuleti, è terra nondum elevatus: fit tamen ejus mentio in Martyrologio Romano 25. Januarii.

CAPUT XXIV.

HENRICUS IV. *Imperator anno* 1059. *Prædia Ecclesiæ Nivellensis in tres portiones dividit: quarum prima Xenodochio, secunda Abbatissæ, tertia Canonicis & Canonissis (ut loquuntur) attributa fuit.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. HENRICUS Divinâ favente clementiâ Rex. Quicumque regendo populo Dei præsidet, ad obtinendum Evangelicæ laudis preconium, summâ ope niti debet, ut per suscepti regiminis devotam administrationem mereatur vocem illam gloriosam: *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam.*

HUJUS verissimæ laudis desiderio bonisque omnibus appetendæ Ego HENRICUS humilis Romanorum Rex permotus, cupio omni Regno meo, quantùm pietas Divina huic fideli proposito aspiraverit, justitiæ legibus & tran-

quillitate pacis consulere, maximèque Ecclesiis Dei tutissimam quietem procurare, ut Divinæ Religionis cultus bellicis oneribus liber existat: & quomodo Ecclesias sanctas potestas Regia legibus vel armis defenderit, sic vicissim ipsæ potestatem Regiam piis orationibus tueantur.

Sed cùm has quæ interiùs in Regno sitæ, & quasi in ipsis Regni visceribus conditæ sunt, ordinatior status obtineat, impendenda est aliqua illis compassio, quæ in confiniis positæ, vel domesticis suæ gentis tumultibus, vel extraneis alieni Regni incursibus laborant. E quarum numero Nivialensis Ecclesia, Francorum Regno finitima, permaximas sæpè calamitates sustinuit.

Quod Pater meus Henricus tertius Imperator animo indoluit; adeò ut in consecratione, quam ad adventum suum reservari jusserat, præsentem se exhibens, felicia pignora Sacratissimæ Virginis Gertrudis propriis humeris sanctuario importaret, locumque donis Imperialibus exornans, de rebus ejusdem Ecclesiæ Præceptum faceret; quodque specialis dilectionis indicium est, non communi illud Sigillo, sed secreto suo signaret.

Cùm ergò me Divina gratia Paterni Regni fecit Successorem, volo erga eumdem locum me præstare Paternæ pietatis heredem, & de rebus ejusdem Ecclesiæ nostræ quoque Auctoritatis Præceptum innovare; ut Congregatio ista, quæ in egressu posita, primâ Regni mei facie honestissimè condecoratur, nostris Decretis perpetuam rerum suarum firmitatem obtineat.

Res ipsæ in tres portiones divisæ existunt, in Xenodochium, in Beneficium Abbatissæ, in Prebendas Fratrum seu Sanctimonialium LXXII. Quæ partes ut à se possint certissimè distingui, placuit hæc nomina Villarum, ad unamquamque pertinentium, distinctè subnotari.

Ad Congregationem pertinent, *Burgus* ipse *Nivialensis*, cum omnibus reditibus suis & cum ipsa Ecclesia, *Lennecha* cum Ecclesia, *Wambecca* cum Ecclesia, *Tubecca* cum Ecclesia, *Goiaca*, *Rosbecca*, *Heinuires*, *Iturna* cum Ecclesia, *Basteis* cum Ecclesia, *Bulecis* cum Ecclesia, *Brole* cum omni vineto, *Ara* cum vineis quæ sunt in *Leia*, & quæ sunt in *Clotina*, *Forst* cum Ecclesia, *Dufsla*, *Foillidbes*, *Migeivilla*, *Vilcirs*, & omnis Præpositura illa quæ constat ex eleëmosynis.

Ad Beneficium Abbatissæ, Altare S. Gertrudis cum omni Familia, *Sprendelenges* cum vineis quæ sunt in *Binga*, *Udechoves*, *Benerfeti* cum Ecclesia, *Niefs*, *Meerbecca* cum Ecclesia, *Ruoz*, *Gotirez* cum Ecclesia, *Rosbecca* & de *Hemuires*, cum ceteris beneficiis quæ tenent Milites ad commune servitium Abbatissæ & Congregationis.

Ad Xenodochium *Mosterols* cum Ecclesia, & omnes Dominicales decimæ, tam Prædiorum nostrorum quàm beneficiorum Comitis.

Jubeo ergò & ratum esse volo, ut divisiones istæ, sicut antiquitus sunt constitutæ, ita distinctæ permaneant; ne pars violentior in res partis inferioris transiliat. Nil agat Congregatio de rebus Abbatissæ, nisi jussa; nil assumat sibi Abbatissa de rebus Congregationis, nisi invitata. Xenodochium quoque non alienis commodis, sed peregrinorum & pauperum famuletur refrigeriis.

Quod si quis hujus Decreti contemptor Constitutiones meas violare præsumpserit, sentiat Majestatis Regiæ vindictam, cujus irritavit potentiam; & pro tanti commissi temeritate X. libras auri persolvat, quas & me exacturum denuntio, & Successoribus meis in perpetuum exigendas sancio. Et ut noverint omnes Præceptum hoc nostrâ Auctoritate firmatum, jussimus imprimi nostræ Majestatis signum; ne excusari possit, quisquis, recognitâ imagine, contrà quàm hoc scriptum est, facere præsumpserit.

Signum Henrici IV. Regis.

Hebesardus Cancellarius, vice Luitpoldi Archi-Capellani, recognovit.

Datum est VI. Kalendas Martii, anno Dominicæ Incarnationis M. LIX. Indictione XII. 1059.
anno autem ordinationis Henrici IV. Regis V. Regni verò III.

Actum Aquisgrani, in Domini nomine feliciter, amen.

CAPUT XXV.

Balduinus V. *cognomento* Insulanus *&* Pius, *Flandriæ Comes, VVinnocibergensis Ecclesiæ (quæ primò Canonicorum, nunc est Monachorum Benedictinorum) originem, mutationem & Possessiones recenset, anno* 1067.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ne noverca memoriæ & oblivionis mater antiquitas gestis nostris invideat permanentiam, fideli gestorum conservatrici Paginæ gesta nostra commendamus.

Ego igitur Balduinus, Dei gratiâ Flandrensis Comes, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd (1) Balduinus Calvus Flandrensis Comes, in inferioribus partibus Burgi Bergensis, in honore Sanctorum Confessorum (2) *Martini* & (3) *Winnoci* Ecclesiam fundavit, & Canonicos, qui diu noctuque Deo servirent, ibidem instituit. Ecclesiam quoque cum rerum affluentiâ, tum privilegiorum munificentiâ, magnificè ditavit, & sacrum Corpus B. Win-

B. Winnoci, quod præ timore hostium, multis antè temporibus, à (4) *Wormbout* in *Sithiu* erat translatum, reportavit, & in præfata Ecclesia Bergis collocavit.

Evoluto igitur multorum annorum circulo, Pater meus (5) Balduinus Barbatus, suscepto Flandrorum Principatu, ampliare volens cultum Domini, Ecclesiam amplioris magnificentiæ, in superiori parte Bergensis Burgi, construxit: ubi sacrum Corpus B. Winnoci, cum omnium Canonicorum constitutione, reportavit & transportavit.

Sed quoniam rerum affluentiam delitiæ, delitias autem comitatur Dei mandatorum oblivio, præfati Canonici, propriis voluptatibus inescati, circa ea, quæ Dei sunt, non nimis devoti, imò penitus ignavi reperti sunt.

Quod ubi inclyto Comiti Balduino Patri meo innotuit, venientibus vitiis prudentiâ occurrit, & radicem vitiorum, ne ampliùs pullularet, funditus exstirpavit. Nam præfatos Canonicos ab Ecclesia amovit, quos dulcibus illecebris semel imbutos sciebat de facili non posse ad simplicis vitæ normam revocari; juxta illud,

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Sed quia de nobili erant prosapia, præfatus Comes ita dispensavit, quòd partem possessionis jam dictæ Ecclesiæ eis reliquit. Illis igitur amotis, locum Venerabili Roderico, tunc temporis Abbati S. Bertini, regendum commisit. Canonici verò omnia Ecclesiæ privilegia ablata secum asportarunt. Postea verò memoratus Comes præfatæ Ecclesiæ Monachos induxit, quibus Rumoldum, virum per omnia laudabilem, tam moribus quàm scientiâ præcellentem, Abbatem præfecit.

Interim præfato Comite Balduino defuncto, Ego Balduinus, ejusdem Filius, Dei gratiâ Flandrorum Principatum suscepi. Ego igitur de remedio animæ meæ cogitans, & indigentiam Monachorum ibidem Deo famulantium considerans, suggerente etiam & concedente Adela Comitissa, unà cum Filiis meis Balduino atque Roberto, hoc pro salute mea & Successorum meorum, per manus Rumoldi Abbatis, Deo Sanctoque Winnoco in perpetuum condonavi:

Videlicet totam decimam de *Wormbout*, totam de *Ipra*, totam de *Warbeem*, totam de *Hoymilla*, totam de (a) *Ghinelda*, totam de (b) *Oxhem*, totam de *Dunkercka*, totam de *Coudekercka*, totam de *Sintonis*, totam de (c) *Spicois*, totam de (d) *Capella Erembaldi*, & duas partes totius decimæ de (e) *Chocas*, duas de (f) *Brieten*, duas de *Bissingesela*, duas de *Crochtem*, duas de (g) *Sternis*, duas de (h) *Tetingeem*, duas de *Kilbeem*, duas de *Oudengesela*, duas de *Houtkercka*, duas de *Snellegerikerca*, & quingentas mensuras terræ in *Wormbout*, quæ terra *Heremani* vocatur, cum integro Comitatu, & salinas in *Sintonis*, quas *Grenas* vocant, si redactæ in terram cultibilem ex beneficio maris accreverint, liberas eis cum omni incremento tradidi, & centum mensuras terræ extra ambitum Monasterii S. Winoci ad Orientem, & antiquum Burgum cum Comitatu, qui Bergis esse dignoscitur; & terram illam quæ *Groenebercb* dicitur, ad usus peregrinorum S. Winnoci, & vaccatiam de *Ghinelda*.

(a) Ghieveide.
(b) Uxhem.
(c) Spiekere
(d) Arnouts-Capelle
(e) Zoutkote
(f) Berne.
(g) Steene
(h) Tetteghem.
Vici Castellaniæ Bergensis

Et si solitudo vel quæcumque terra incultibilis juxta terram prædicti Monasterii jacuerit, eam liceat eidem Monasterio, sine omni contradictione, usui proprio mancipare, & quidquid in supradictis Villis ex beneficio maris vel paludis accreverit, ut quale vel cujusmodi jus habet interiùs, habeat & exteriùs, & teloneum de *Wormbout*, à sexta hora Vigiliæ Pentecostes usque ad sextam horam feriæ secundæ. Fluviolum quoque *Penam* cum piscaria, ubicumque terram præfatæ Ecclesiæ præterfluit, & molendinum aquaticum, ita ut nulli liceat habere molendinum aquaticum in *Wormbout*, nisi cui & quamdiu Abbas permiserit.

Submanentibus autem super terram libertatis prædicti Monasterii tantam liberatem concessi,

Diplomatis hujus autographum in Archivis Cathedralis Ecclesiæ S. Donatiani Brugis adservatur, itemque alia non pauca huc facientia: ut à cive nostro R. D. Henrico de Gaule, Canonico & Officiali Brugensi, accepimus.

(1) Balduinus Calvus, Balduini Ferrei Filius, Flandriæ Comes, duxit Elstrudem, Elfredi Anglorum Regis Filiam, & ex ea sustulit Arnulfum Magnum in dicto Comitatu Successorem, & Adolphum seu Adololphum Boloniæ Comitem. Obiit 918. in Blandinio conditus.

(2) S. Martini, Templum apud Winnocibergenses hodie est Parochiale, prima Canonicorum Sedes, in decliviore Oppidi parte.

(3) S. Winnoci, Abbatia in colle sita est, & intra muros Oppidi: in qua etiamnum sacra ejusdem ossa religiosè adservantur. Fuit S. Bertini in Sithiu Discipulus. De utroque sic Joannes Iperius Abbas in suo Ms. Chronico Bertinensi: Heremarus Vir Nobilis Villam suam, *Wormhoult* dictam in Flandria, supra fluvium Pena, B. Bertino tradidit. Bertinus verò considerans Viros Dei, Winocum & tres Fratres ejus, in Dei servitio plùs ceteris profecisse, eos illò misit Monasteriolum construere, Conventum congregare, Christique pauperibus hospitia præparare. Quibus Heremarus Villam suam Wormhoult, cum appenditiis, privilegio suo firmavit: quod sic incipit: *Omnibus præsentibus & futuris, qui Christiana censentur &c. Actum in Sithiu Monasterio, Kalendis Novembris, anno primo Hildeberti Regis.* Illi Conventiculo B. Bertinus concessit præesse S. Winocum, ubi miraculis concomitantibus Domino finetenus inservivit.

Sic Iperius in citato Chronico; qui de S. Winoco, ejusque tribus Fratribus hæc iisdem commemorat: Circa annum 661. B. Winocus, Judicalis Britonum Regis Filius, & S. Judoci Frater, spreto mundo, sub B. Bertino in Sithin Monasterio Monachus efficitur, cum tribus Fratribus suis, Kadanoco scilicet, Ingenoco & Modoco. Præerat tunc B. Bertinus turbæ CL. Monachorum, inter quos Winocus, quasi stella matutina, præ ceteris clarescebat. Obiit autem S. Winocus anno 717. hoc ipso in Cœnobio Wormholtano conditus, indeque postea Bergas translatus.

Anno 910. Balduinus Calvus, Flandriæ Comes, Bergas vallo munivit: Balduinus verò Barbatus anno 1029. Cœnobium Bergense construxit, Monachos ex Bertinensi Abbatia evocavit, eisque Prædia Canonicorum Bergensium, quos Calvus fundarat, census item Wormholtanos adsignavit.

(4) Wormhout, Municipium amplum, antiquum & celebre inter Castetum & Bergas S. Winnoci; cujus Comitem se nuncupat Abbas Winnoci-Bergensis.

(5) Balduinus Barbatus, Balduini Insulani Pater, an. 1036. decessit, sepultus Gandavi in Abbatia Blandin.

cessi, ut solius Abbatis justitiæ de omnibus forisfactis & emendis subjaceant, & neque in expeditionem, neque in exercitum vadant, nisi ab Abbate commoniti; & à talliis ac exactionibus & edicto & servitio Comitis eos absolvo.

STATUI etiam, ut si quis super terram, quam prædictâ libertate donavi, pro aliquo foris-facto, quod ibidem commiserit, fuit comprehensus, solius Abbatis justitiæ subjaceat. Quòd si evaserit, Comes vel ejus Potestas eum comprehendet, & ad justitiam Abbatis reducet. Si autem Abbas rigorem justitiæ adimplere non potuerit, & Comitem vocaverit, Majestas Comitis eam adimplebit; emendam tamen Abbas habebit.

RELIQUOS tamen hospites S. Winnoci, præsentes & futuros, hospitibus meis omnibus pares feci; ut sicut hospites mei respondent Brugensi Præposito & Scabinis & Rationatoribus, ita & hospites illi soli Abbati & hominibus & Scabinis ipsius respondeant.

CONCESSI etiam Abbati liberam potestatem constituendi vel amovendi, quos voluerit, Scabinos vel Judices super hospites suos, quemadmodum Brugensis Præpositus super hospites meos Scabinos & Judices constituit vel deponit.

UNDE & præfatus Abbas RUMOLDUS mihi & successoribus meis à singulis hospitibus istis sex denarios, singulis annis in Festivitate S. Martini, dari constituit, ad esum scilicet carnium, quæ in Villa mea Bergensi servitio meo præparantur: pro quo censu Comes eos, tamquam proprios hospites, contra omnem inquietudinem & molestiam debeat defendere. Quòd si in posterum infringeretur, & Comes subsidium non conferret, prædicti hospites à statuto censu liberi essent & absoluti.

PRÆTEREA si Fratres dicti Monasterii aliquid ad usus proprios in terra Comitis emerint, teloneum & transversum eis condonavi. Servientes quoque, qui per diversas officinas Monasterii deserviunt, à talliis & exactionibus, edicto & servitio alio eos absolvo. Si quis aliquam causam suscitavit pro hereditario jure alicujus officinæ prædicti Monasterii, judicio Capituli debet terminari. Si quis de servientibus negligens, aut in aliquo reprehensibilis fuit repertus, Capituli judicio subjacebit. Si qua autem persona contra Præbendam Fratrum ejusdem Monasterii causam moverit, in posterum in eorum Capitulo tantùm tractandam statui & terminandam.

SI verò homines Abbatis contra ipsum Abbatem, vel ipse Abbas contra homines suos caussam suscitavit, in ejus quoque Monachorum Capitulo terminabitur. Mortuo autem aliquo hominum vel hospitum Abbatis, heres illius feodum vel terram suam ab Abbate requiret; Abbas autem usum fructuarium unius anni, soluto censu & debito, pro relevatione habebit.

STATUI etiam ut infra ambitum prædicti Monasterii seu curtium, quæ ad idem Monasterium pertinent, nulla Comitis seu cujuslibet potestatis violentia irrogetur. Concessi etiam omnibus, quicumque terram suam vel quæcumque bona Deo Sanctoque Winnoco dare voluerint, liberam facultatem.

HÆC Ego BALDUINUS Flandrensium Comes, pro salute animæ meæ & Successorum meorum, Deo Sanctoque Winnoco in perpetuum condonavi; & ne quis in posterum impedire præsumat, vel conetur infringere; Sigilli mei auctoritate munivi.

ACTUM est hoc BERGIS in solenni Curia Pentecostes, anno Dominicæ Incarnationis mille- 1067.
simo sexagesimo septimo, Indictione quintâ, adstante DROGONE Teruanensi Episcopo; qui jussu Comitis, ne quis hanc pactionem infringeret, excommunicatione firmavit, in præsentia sacri Corporis S. Winnoci, scilicet in Suburbio ipsius Castri, omnibus assentientibus & respondentibus, fiat, fiat, amen.

Signum Balduini gloriosi Comitis.
S. Adelæ Comitissæ.
S. Balduini atque Roberti, Filiorum ejus.
S. Eustachii Comitis Boloniæ.
S. Rogerii de S. Paulo.
S. Anselmi de Husden.
S. Joannis Atrebatensis.
S. Hugonis Anet.
S. Getbodonis Advocati de S. Bertino.
S. Raingoti de Gant.
S. Balduini de Gant.
S. Alardi Emes.
S. Cononis Filii ejus.
S. Erembaldi Castellani de Brugis.
S. Erkenberti Præpositi, & aliorum multorum tam Clericorum quàm Laïcorum, quos longum esset numerare.

CAPUT XXVI.

GERARDUS II. *Cameracensis Episcopus Abbatiam S. Petri Declivinienſem ad Oppidum Gerardimontense transfert*, & *anno* 1081. *dotat*; *quæ nunc S. Adriani dicitur*, & *est Benedictinorum reformatorum.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ego GERARDUS secundus humilis Cameracensium Episcopus, cunctis fidelibus utriusque vitæ. Officii nostri dictatione, & Prædecessorum nostrorum monemur Auctoritate, Ecclesiarum incrementis Pastorali curâ invigilare.

EAPROPTER Abbatiæ de (1) DECLIVINIO, in Geroldimontem translatæ, propter indigentiam loci, Altare de *Huneghem* cum appenditiis suis, eodem scilicet Geroldimonte & Boulario, liberum

liberum sine persona & obsoniis, petitionibus ROBERTI junioris, Comitis Flandriæ, & (2) STEPHANI de Boular acquiescentes tradidimus: ita sanè ut Abbatia in præfato Geroldimonte sita omnimodam libertatem cuilibet Abbatiæ congruentem habeat, ibique quidquid juris Parochialis est, tam in sepultura quàm in baptisterio & reconciliationibus, à Parochiali Sacerdote celebretur.

UT hæc autem nostra Donatio inconvulsa & rata in perpetuum permaneat, Sigilli nostri impressione, anathematis percussione, & fidelium attestatione confirmamus;

Gualteri Bracbatensis Archidiaconi,
Theoderici Archidiaconi,
Derleboldi Præpositi,
Gualteri,
Adam, Abbatum,
Roberti Comitis,
Balduini,
Gerbodi,
Stephani de Boular.

ACTUM in eodem Opido, anno Verbi Incarnati millesimo octogesimo primo, Indictione quartâ, Præsulatûs verò nostri anno tertio. 1081.

(1) DECLIVINIUM, aliàs Declivinna. GAROLDI-MONS, aliàs Geraldi seu Gerardi-Mons. Vide Lib. 1. Diplom. Belg. cap. 42.

(2) STEPHANUS, Dominus Boularii prope Gerardi-Montem, anno 1096. Robertum Hierosolymitanum, Flandriæ Comitem, in Syriam ad bellum sacrum euntem est comitatus: de quo aliisque Boularii Dominis fusè egit Waesbergius in suo Gerardi-Monte.

CAPUT XXVII.

BALDUINUS *cognomento* JEROSOLYMITANUS, *Comes Hannoniæ, ejusque Mater* RICHILDIS, *ædificant Basilicam S. Mariæ Majoris in Urbe Valentianensi; quam* GERARDUS II. *Episcopus Cameracensis anno* 1086. *consecravit.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego GERARDUS, Sanctæ Cameracensis Ecclesiæ Episcopus, notum volo fieri tam futuris quàm præsentibus; quia Comes (1) BALDUINUS, & Mater sua RICHILDIS, pro salute animarum suarum, quoddam Oratorium in honore Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, nec non & Sanctæ Fidis Virginis, juxta Opidum Valentianarum, quæ Possessio eorum erat, cœperint ædificare.

QUOD ex proprio sumptu dotantes, ut haberent ibidem Domino servientes unde sustentarentur, & caussâ servitii æterna sperarent, *Bruilium* cum terra usque *Gogioli*, pratum liberum eis dederunt, & tertiam partem redituum omnium cambarum in novo Burgo, ad Comitem pertinentem, præter cambam Aquicinensium, & Lamberti, Augustini & Gualberti de Mathen, & Burchardi & Godeberti; medietatem etiam Villæ *Alnetum* vocatæ liberam: super quo Filius cum Matre me adierunt, expostulantes ut ea autenticarem & Sigilli mei impressione corroborarem.

Ego igitur LOTBERTI, Abbatis Hasnoniensis Ecclesiæ, cujus sub regimine ea construebantur, & eorum adquiescens petitionibus, duo Altaria, unum in honore S. Joannis Baptistæ, alterum verò in honore Sanctæ Fidis Virginis, cum atrio consecravi. Illam quoque Ecclesiam ab omni Episcopali censu, & ab omni Parochiali reditu liberam, tam pro salute animarum Successorum meorum quàm meæ feci. Ut autem hæc rata & firma manerent, Sigilli mei impressione signavi, & subsignatorum tam Clericorum quàm Laïcorum testimonio corroborare existimavi.

Signum mei ipsius Gerardi.
S. Guidonis Præpositi & Archidiaconi.
S. Mazelini Archidiaconi.
S. Gerardi Archidiaconi.
S. Alardi Archidiaconi.
S. Guidrici Archidiaconi.
S. Ansfridi Archidiaconi.
S. Hugonis Decani
S. Guerinbaldi Scholastici.
S. Guidonis Cantoris.
(2) S. Anselmi de Ribodimonte.
S. Joannis Casati.
S. Oilardi.
S. Fulconis Vice-Domini.

SI quis autem institutionis nostræ Paginam infringere tentaverit, fiat anathema maranatha, donec resipuerit & satisfecerit.

ACTUM anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo sexto, Indictione IX. concurrente III. Præsulatûs verò mei anno VIII. 1086.

CAPUT

(1) BALDUINI, Fundatoris Diploma, anno 1081. aut 1086. scriptum; Lib. 2 Diplomatum Belgicorum cap. 34. exstat à nobis editum.

(2) S. ANSELMI de Ribodimonte. De eo vide suprà Libro primo Donationum Belgicarum, capite 24.

CAPUT XXVIII.

BALDUINUS JEROSOLYMITANUS, *Hannoniæ & Valentianarum Comes*, *anno* 1087. *benefacit Monasterio Hasnoniensi, Ordinis S. Benedicti, ad Scarpam fluvium, juxta Valencenas.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego (1) BALDUINUS Valentianarum Comes, Filius Balduini junioris, qui Philippum Francorum Regem regalis insignivit militiæ armis, per hujus assertionem Paginæ, præsentis Ecclesiæ fidelibus insinuo, & posteritati futuræ, quomodo condescenderim Venerabilis LOTBERTI, Abbatis Cœnobii (2) HASNONIENSIS, petitioni non injustæ.

ABBAS præfatus emerat ab Odone Villico de duobus molendinis unum, ad ampliandam Ecclesiæ suæ Possessionem; & ut ratum foret in posterum, potestatis expetiit nostræ Auctoritatem. Illud autem molendinum ita cedebat Odoni in hereditario jure, ut sine ulla controversia posset vendere.

EGO verò Balduinus, tam pro anima mea quàm Patris mei BALDUINI, & Matris meæ RICHILDIS animabus, quorum ibi corpora requiescunt, tali adquiescens negotio, libenter concessi; & ne qua in posterum parva vel magna persona irritaret concessum, vel obstrueret fossatum.... aquæ decurrentis ab alveo Scaldis, quo molendina volvuntur, petitioni Abbatis & Monachorum......

HIS actis cum Abbate præfato, ad usus Fratrum Cœnobii Hasnoniensis, molendinum in manu mea ab Odone recepi; tali interpositâ & determinatâ conditione, quòd usufructus utrorumque molendinorum communis foret tam Ecclesiæ Hasnoniensi quàm Odoni, vel cuicumque proveniret Possessio juris alterius molendini: excepto quòd Abbas vel Successor suus pro molendino suo unoquoque anno solvat militibus, quibus contingit beneficium, quod vulgò dicitur feodum, quinque modios annonæ, medietatem frumenti & medietatem siliginis, & tres partes unius modii frumenti, & XII. denarios & duos capones, pro curtili, molendino & appenditiis. Quod negotium ut maneat inviolabile, Sigilli mei auctorizavi impressione, & fidelium meorum fideli attestatione.

Signum Hugonis Monachi de Maroilles.
S. Segardi de Joches.
S. Walteri Duacensis.
S. Arnulfi.
S. Willermi Dansain.
S. Arnulphi de Joches.
S. Walteri de Sart.
S. Manassæ de Bethune.
S. Walteri, Fratris Onulphi.

ACTUM Valentianis in Claustro S. Mariæ, anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo septimo, X. Indictione. 1087.

(1) BALDUINUS, Jerosolymitanus, Hannoniæ Comes: de quo suprà pag. 364. & cujus hoc est Stemma.

- *Arnulfus Magnus Flandriæ Comes, Balduini Calvi Filius, Ferrei Nepos, obiit 964.*
  - *Balduinus III. obiit 961.*
    - *Arnulfus II obiit 989.*
      - *Balduinus Barbatus, obiit 1036.*
        - *Balduinus Insulanus, obiit 1067. duxit Adelam.*
          - *Balduinus VI. Hasnoniensis. duxit Richildem, obiit 1070. Comes Flandriæ & Hannoniæ.*
            - *Arnulfus Infelix Flandriæ Comes, obiit 1072.*
            - *Balduinus Jerosolymitanus Comes Hannoniæ.*
          - *Robertus Frisius Comes Flandriæ*
            - *Robertus Jerosolymitanus, Comes Flandriæ, obiit 1111.*
            - *Philippus Locensis.*
            - *Guilielmus.*
            - *Adela.*
            - *Gertrudis.*
            - *Ogina.*
          - *Mathildis.*

(2) HASNONIENSE Cœnobium S. Petro Sacrum, tertio à Valencenis lapide in Ostrovandia ac Diœcesi Atrebatensi situm est. De illo in Codice Donat. Piarum c. 22. & 63. item infra in Originibus Benedictinis egimus.

Comites

STEMMA
Comitum Valentianarum, *vulgò* de Valenciennes.

I. GARNERUS sive Guarnerus Valentianus, Valentiana-
rum Comes, Raginero seu Regnero II. Longicollo,
Montium Comite, cum liberis anno 959. à Brunone Ar-
chiepiscopo Coloniensi, Othonis I. Imperatoris Fratre,
in exilium ejecto, Hannoniæ ipsius Principatum ab Im-
peratore obtinuit.

II. GARNERUS, Garneri Filius Valentianarum Comes, di-
tionem suam circa annum 973. vendidit Regnero III.
Montium, & Lamberto Lovaniensium Comitibus, Reg-
neri II. Longicolli Filiis.

III. REGNERUS seu Raginerus III. Regneri Longicolli Fi-
lius. Montium & Valentianarum Comes.

IV. GODEFRIDUS Valentianus, Comes Valentianarum,
Garneri propinqui sui venditionem impugnat, ac Prin-
cipatum invadit.

V. ARNOLDUS seu Arnulfus Valentianus, Comes Valen-
tianarum, anno 1002. inde pellitur à Balduino Barbato,
quarto ejus nominis Flandriæ Comite.

VI. BALDUINUS IV Barbatus Flandriæ, sed & Valentiana-
rum, armorum priùs, inde Henrici II. Imperatoris, be-
neficio, Comes.

VII. REGNERUS, Regneri Filius. Regneri Nepos Montium
sive Hannoniæ Comes. Valentianam ditionem à Balduino
Barbato pacto sive pretio consequitur.

VIII. HERMANNUS Valentianus, Comitum Valentianarum
ex ea Gente postremus, Regnero & Richilde Comitissâ
obsistentibus, Imperium Valentianis vix obtinet.

IX. RICHILDIS Hannoniæ Comitissa, cum Hermanno
Turingo, pòst cum Balduino Montano, Balduini Barbati
Filio Flandriæ Comite, ab Hannonia dotali sic appella-
to, maritis, Valentianarum Principatum, post Hermanni
demùm Valentiani mortem, Transactione facta cum ip-
sius heredibus, tranquillum ad liberos posterosque trans-
misit.

X. BALDUINUS I. Hierosolymitanus. Balduini Montani
Flandriæ Comitis & Richildis Filius secundo-genitus,
Hannoniæ, Valentianarum & Dnacensium Comes.

XI. BALDUINUS II. Magnanimus, Balduini I. Filius ex Ida
Imperatoris Henrici IV. filia, Hannoniæ & Valentia-
narum Comes.

XII. BALDUINUS III. Ædificator, Balduini II. Filius ex Jo-
lenta Vassenburgia, Hannoniæ & Valentianarum Co-
mes. Valentianarum Castellanatum, ut & Arcis ipsius
dominium, à Godefredo Valentiano Castellano, Fratre
uterino emit.

XIII. BALDUINUS IV. Balduini III. Filius ex Ermesende aliàs
Aleida Namurcensi, Hannoniæ & Valentianarum Co-
mes.

XIV. BALDUINUS V. Balduini IV. Filius ex Margarita Alsa-
tia, Philippi Alsatii Flandriæ Comitis Sorore & herede,
Imperator Constantinopolitanus, Flandriæ, Hannoniæ
& Valentianarum Comes & Dominus.

XV. JOANNA, Balduini V. Constantinopolitani Filia ex Ma-
ria Henrici Campaniæ Comitis Filia, Flandriæ, Hanno-
niæ & Valentianarum Comitissa & Domina, obiit sine
liberis.

XVI. MARGARITA, Joannæ Soror & heres, Flandriæ, Han-
noniæ & Valentianarum Comitissa & Domina.

XVII. JOANNES Avesnensis II. Joannis Avesnensis I. ex Alei-
da Imperatoris Guilielmi. Hollandiæ & Zelandiæ Comi-
tis Filia & herede, Filius. Margaritæ ex Buchardo Aves-
nensi Nepos, Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes &
Dominus.

GUILIELMUS I. Bonus, Joannis Avesnensis II. Filius ex XVII.
Philippa Lucemburgica, Hannoniæ, Valentianarum &c.
Comes & Dominus.

GUILIELMUS II. Guilielmi I. Boni Filius ex Joanna, XIX.
Caroli Comitis Valesii Filia, Philippi Regis Franciæ So-
rore, Valentianarum &c. Comes & Dominus.

MARGARITA, Ludovici Bavari Uxor, Guilielmi II. So- XX.
ror & heres, Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes &
Dominus.

GUILIELMUS III. Bavarus, Ludovici & Margaritæ Fi- XXI.
lius, Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes & Dominus.

ALBERTUS Bavarus, Guilielmi III. Frater & heres, XXII.
Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes & Dominus.

GUILIELMUS IV. Bavarus, Alberti Filius ex Margarita XXIII.
Ducis Brigani in Polonia Filia, Hannoniæ, Valentiana-
rum &c. Comes & Dominus.

JACOBA Bavara, Guilielmi IV. Filia ex Margarita Bur- XXIV.
gundia, Philippi Audacis Burgundiæ Ducis Filia, Hanno-
niæ, Valentianarum &c. Comes & Domina.

PHILIPPUS Bonus, Joannis Burgundiæ Ducis Filius ex XXV.
Margarita Bavara, Alberti Bavari Filia, Philippi Auda-
cis ex Margarita Flandra Nepos, Burgundiæ Dux, Flan-
driæ, Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes & Domi-
nus.

CAROLUS Audax, Philippi Boni Filius ex Isabella, XXVI.
Joannis Portugalliæ Regis Filia, Burgundiæ Dux, Valen-
tianarum &c. Comes & Dominus.

MARIA Burgunda, Caroli Audacis Filia ex Isabella XXVII.
Caroli Borbonii Filia, & MAXIMILIANUS I. pòst Impera-
tor, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Valentia-
narum &c Comites & Domini.

PHILIPPUS Pulcher, Cæsaris Maximiliani I. & Mariæ XXVIII.
Burgundæ Filius, Rex Hispaniarum, Archidux Austriæ,
Dux Burgundiæ, Valentianarum & reliquarum Belgii
Provinciarum Princeps.

CAROLUS V. Imperator Augustus, Philippi I. Regis XXIX.
Hispaniarum Filius ex Joanna Ferdinandi Hispaniæ Regis
Filia, Rex Hispaniæ, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ,
Valentianarum cæterarumque Belgii Provinciarum Prin-
ceps.

PHILIPPUS II. Caroli V. Imperatoris Filius ex Isabella XXX.
Emanuelis Portugalliæ Regis Filia, Rex Hispaniarum,
Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Valentianarum &
reliquarum Belgii Provinciarum Princeps.

ISABELLA CLARA EUGENIA, Philippi II. Regis Hi- XXXI.
spaniarum Filia, ex Isabella Henrici II. Franciæ Regis
Filia, & ALBERTUS, Maximiliani II. Imperatoris Filius
ex Maria Caroli V. Filia, Archiduces Austriæ, Duces
Burgundiæ, Valentianarum & cæterarum Belgii Provin-
ciarum Principes. Hactenus ex Henrici Doultremanni
Triumpho Albertino, typis Plantinianis anno 1602.
edito.

Sed quæ Doultremannus de venditione Valentianarum per Garnerum juniorem facta narrat, videntur discrepare ab iis quæ Sigebertus in Chronico narrat, his verbis: Anno 973. Raginerus & Lambertus, Filii Ragineri Longicolli, paulatim resumptis viribus, à Francia redeunt, & cum Guarnero & Rainaldo, qui Comitatum Patris eorum occupaverant, bello apud Peronam Hanno-niæ vicum confligunt, eosque cum multis perimunt, & super Haguam fluvium Castello Binaude munito, Lotharingiam infestant. Ita Sigebertus.

CAPUT

CAPUT XXIX.

THEODORICUS *Vir Illustris dotat Marchianense Benedictinorum Monasterium, quod* BALDUINUS HIEROSOLYMITANUS *Hannoniæ Comes comprobat, anno* 1089.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen. Ego BALDUINUS, Balduini junioris Comitis ac Richildis Comitissæ Filius, Hainaucensium & Valentianensium, nec non & Duacensium & Austrovantensium Comes, volo ut omnes undique longè latèque veraciter agnoscant, tam ii qui impræsentiarum sunt, quàm qui post nos futuri sunt; quòd quidam Miles nomine THEODORICUS, Divino instinctu permotus, proprium juris sui alodium, *Vesinum* nuncupatum, Ecclesiæ (1) MARCHIENENSI, in qua Beatarum Rictrudis & Eusebiæ corpora, cum aliorum plurimorum Sanctorum pignoribus, venerabiliter requiescunt, pro salute animæ suæ conferre disponens, venit ad me, consulens & expetens, ut per meum consilium & meam corroborationem illud solenniter perficere valeat.

EGO verò & Ecclesiæ Dei profectum & Illustris Viri intuens affectum, & suum salutiferum collaudavi votum, & ratum duxi me acquiescere ipsius consultui, & satisfacere petitioni. Igitur coram me, in præsentia Principum meorum, ceterorumque scilicet Equestris Ordinis fidelium & Curialium, ac multorum civium, idem Vir bonus prædictum *Vesini* alodium, cum omnium integritate, manu suâ, cum impositione manûs meæ, liberum ab omni exactione contulit Religioso ejusdem Cœnobii, nomine ADELARDO, ad opus prænominatæ Ecclesiæ, Abbati.

SUNT autem ipsius Prædii XXVII. curtilia, situsque Dominicæ curtis, infrà quam privata ædificia & arboretum, situs etiam duarum cambarum duorumque furnorum, terra arabilis quantum plenè sufficit quinque quarrucis, quamque coloni illius loci ad medietatem per omnes sationes faciunt & excolunt, tria quoque prata cum palustribus locis.

PLACUIT ergò mihi, quatenùs hanc subscriptionis Chartam juberem componi; ne ullus in perpetuum audeat resistere vel contradicere, seu aliquam violentiam præsignatis Ecclesiæ bonis inferre, quæ tantâ subjuratâ constant auctoritate, veraciumque Testium astipulatione.

Quòd si fortè quispiam malignus istud meæ confirmationis Decretum aliquando temerare præsumpserit, Principatûs nostri judicii severitatem sentiat & experiatur, in detrimentum centum librarum, si liber homo fuerit, non liber autem oculorum amissionem.

Hæc sunt nomina Testium, qui traditioni prædicti alodii, vel hujus Chartæ confirmationi interfuerunt.

Signum Comitis BALDUINI, qui hoc fieri præcepit.
S. Walcheri de (2) Chervia.
S. Huberti de Lothes.
S. Fastredi de Fossato.
S. Hugonis de Foro.
S. Balduini de Rosigni.
(3) S. Hugonis de S. Albino.
S. Hugonis de Valencenis.
S. Hugonis de Ramalle.
S. Hugonis de Hum.
S. Alberti de Curcellis.
S. Waltheri de Caurem.
S. Bernardi, Berneri Filii.
S. Almanni Pueri.
S. Walteri Villici.
S. Godefridi Castellani.
S. Alberti Villici.
S. Gerardi, Arnulphi Filii.
S. Diberti Villici.
S. Willeloti Castellani.
S. Hulumi Villici.
S. Goberti de Anseng.
S. Walberti Villici.
S. Wallandi.
S. Raineri Villici.

1089. ACTUM anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo nono, Indictione XII.... Concurrente, VII. Epactâ, regnante Philippo Francorum Rege, Ecclesiæ Cameracensi Pontificante Gerardo II.

Signum Hugonis Cancellarii.
S. Bertuini, Notarii.

(1) MARCHIENENSI, seu Marchianense Monasterium: de quo vide Lib. I. Dipl. Belg. cap. 17. & 21.

Additio. (2) CHERVIA, seu Cervia. *Chievre.* Oppidum Hannoniæ, Sacello ac miraculis Deiparæ clarum. Ab anno 1626. rem sacram illic administrant Presbyteri Oratorii Neriani.

(3) S. HUGONIS de S. Albino. Is Vicus Urbi Duacensi nunc est inclusus. Illius Dominus olim fuit Castellanus Duacensis.

Stemma Raginerorum, *primorum Hannoniæ Comitum, ex quibus orti Comites Lovanienses, Duces Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ, itemque Lantgravii Hassiæ.*

- *Raginerus I. Comes Hannoniæ, duxit Albradam, obiit 914*
  - *Gisilbertus Dux I. Lotharingiæ, duxit Gerbergam, obiit 939.*
    - *N. Uxor Bertaldi Ducis Bavariæ.*
  - *Raginerus II. Longicollus duxit Adelam, obiit 970.*
    - *Raginerus III. duxit Hatuidam, obiit 1029.*
      - *Raginerus IV. duxit Mathildem.*
        - *Richildis Uxor Balduini Comitis Flandriæ.*
    - *Lambertus Barbatus II. Comes Lovaniensis duxit Gerbergam, obiit 1015.*
      - *Henricus I. obiit 1038.*
      - *Baldricus duxit Odam, obiit 1054.*
        - *Henricus II. duxit Aleidem, obiit 1068.*
          - *Henricus III. obiit 1096.*
          - *Godefridus Barbatus Dux Brabantiæ, obiit 1140.*
  - *Lambertus I. Comes Lovaniensis & Advocatus Gemblacensis, 948.*
    - *Ausfridus duxit Hilsundem, obiit Episcopus Ultrajectensis, 1009.*
      - *Benedicta Abbatissa Thorensis.*
  - *N. Uxor Berengarii Comitis Namurcensis, 908. 932. 958.*
    - *Rotbodus seu Rotbertus Comes Namurcensis, obiit 962.*
      - *Rotbodus II. Comes Namurcensis, 1013. obiit sine liberis.*
      - *Albertus I. Comes Namurcensis, obiit 1034. duxit Ermengardem Lotharingicam, obiit 998.*
        - *Albertus II. duxit Regelindem.*
          - *Albertus III duxit Idam.*
            - *Godefridus.*

RAGINARUS I. Hannoniæ Comes, duxit Albradam. Vide suprà Lib. 2. Diplom. Belg. cap. 15, in Notis, ubi varia ejus fortuna enarratur.

GISILBERTUS, seu Gislebertus, Ragineri I. Hannoniæ Comitis & Albradæ Filius, primùm Carolo Simplici Francorum Regi, pòst Henrico Aucupi Germaniæ Regi adhæsit, ab eodem Henrico Dux primus Lotharingiæ creatus, & anno 929. in Generum assumptus. Periit anno 939. Rheno flumine absorptus, & ex Gerberga, Aucupis Filia, unicam reliquit Filiam, Bertaldo Duci Baioariorum nuptam.

RAGINERUS II. cognomento Longicollus, Hannoniæ Comes, à Brunone Archiepiscopo Coloniensi & Duce Lotharingiæ, Othonis I. Imperatoris Fratre, anno 959. in exilium pulsus fuit, & circa annum 970. exul obiit.

RAGINERUS III. duxit Hatuidam seu Hadevidam Hugonis Capeti Francorum Regis Filiam. Comitatum Hainoënsem, Patri à Brunone ablatum, anno 973. recuperavit, Guarnero Comite Valentianensi & Rainoldo, qui illum tenebant, Peronæ prope Binchium cæsis. Obiit anno 1029.

RAGINERUS IV. duxit Mathildem, Herimanni seu Henzilonis Comitis Dagisburgensis & Domini Eihamensis Filiam; ex qua unicam reliquit Filiam RICHILDEM, Comitatûs Hainoënsis heredem, quæ primis nuptiis Hermanno in Thuringia Comiti, secundis autem Balduino VI. Hasnonio seu Montano, Flandriæ Comiti, conjuncta fuit.

Raginerorum porrò Stirps mascula, longâ seriè per Comites Lovanienses & Duces Brabantiæ continuata, hodieque superest in Lantgraviis Hassiæ: ut infrà docebimus cùm de Henrico II. Brabantiæ Duce agemus. Is ex posteriore sua Conjuge Sophia, Ludovici Thuringiæ Hassiæque Lantgravii & S. Elizabethæ Filia, genuit Henricum cognomento Brabantinum, qui Hermanno, Sophiæ Fratre, sine liberis mortuo, Hassiæ Principatum obtinuit, & ad Posteros transmisit.

Stemma alterum, Comitum Hannoniæ *&* Valencianarum, *de quibus capite præcedenti.*

- *Balduinus Jerosolymitanus Comes Hannoniæ duxit Idam, obiit 1102. in Syria.*
  - *Balduinus Comes Hannoniæ duxit Jolentam.*
    - *Balduinus Ædificator duxit Aelidem Namurcensem.*
      - *Balduinus, Magnanimus Comes Hannoniæ & Namurcensis obiit 1195. duxit Margaretam Flandriæ heredem.*
        - *Balduinus Comes Flandriæ & Hannoniæ, Imperator Constantinop. ob. 1206.*
          - *Joanna.*
          - *Margarita, suprà pag. 406.*
        - *Philippus Nobilis Comes Namurcensis obiit sine lib. 1212.*
        - *Henricus Imperator Constantinopolitanus, obiit sine liberis.*
        - *Isabella.*
        - *Jolendis, suprà pag. 406.*
  - *Arnulfus Dominus Reuxii.*
  - *Ludovicus.*
  - *Henricus.*

BALDUINUS Imperator Constantinopolitanus, ex Stirpe mascula Balduini postremus fuit Comes Flandriæ & Hannoniæ; & ea eadem Stirpe ultimus Namurci Comes fuit Philippus Nobilis.

CAPUT XXX.

GUALCHERUS *Cameracensis Episcopus, Abbatiam Cortenbergensem, Monialium Benedictinarum in Brabantia, recens fundatam, libertate donat anno* 1095.

AD destruendam iniquorum infidelitatem, fidemque fidelium confirmandam, hoc quod subjicimus veritatis defensoribus pro scuto imposterum transmittimus.

1095. Dominicæ Incarnationis M. XCV, primo autem Pontificatûs sui anno, Domnus GUALCHERUS Cameracensis Ecclesiæ Episcopus Bruxellam advenit, ibique Ecclesiam in monte qui dicitur (1) *Curtenbergh* sitam, rogante Comite *Godefrido*, annuentibus Advocatis (2) *Arnulpho* & *Waltero*, multisque Nobilibus faventibus, tam Clericis quàm Laïcis qui affuerunt acclamantibus, ac Personâ ejusdem Ecclesiæ intercedente, ab omni Episcopali jure absolvit, atque ad usus inibi Deo ac Sanctæ Dei Genitrici Mariæ Sanctoque Amando famulari volentium, omnino liberam constituit: ita tamen ut talem Parochiæ Pastorem providcant, qui pro Cura animarum Episcopo suo rationem reddat.

Hoc cuncti vidistis, nam præsentes fuistis, qui subsignati estis.

Signum Radulphi Archidiaconi.
S. Rothardi Archidiaconi.
S. Lamberti Præpositi.
S. Tiedonis Decani.
S. Hildulfi Decani.
S. Elgeri.
S. Alberti Scholastici.
S. Godefridi Capellani.
S. Anselmi.
S. Gerardi.
S. Tiedonis.
S. Tegenradi pinguis.
S. Waltelmi.
S. Godefridi Comitis.
S. Advocatorum Arnulphi & Walteri.
S. Walteri Nepotis ejus.
S. Stepponis.
S. Walteri Fratris ejus.
S. Balduini de Obbecca.
S. Emelini & Walteri Fratris ejus.
S. Lamberti de Crainham.
S. Snellardi & Godezonis Fratris ejus.
S. Walteri Cameracensis.
S. Ingelberti de Atrio.
S. Goduini Filii ejus.
S. Franconis.

Quod ne quis veritatis Religionisque sanctæ inimicus eidem Ecclesiæ vim facere, ac quidquam de bonis ejus abstrahere, atque hoc Statutum ejus factum legitime præsumat infringere, omnino interdicendo interdixit, interdictionisque suæ contemptores Pontificali auctoritate excommunicavit, atque sub confirmatione eorumdem Testium fixit, ut in quantumcumque hæc res augeatur, numquam doni ejus potentia à Præsule Sedis Cameracensis transferatur.

Signum mei GUALCHERI Cameracensis Episcopi.

Additio. (1) CURTENBERGH. Vulgò *Cortenberghe*, Vicus est medio circiter itinere inter Bruxellam & Lovanium. Celebris olim fuit ob Comitia Procerum Brabantiæ illic sæpius habita; qualia superiùs exhibuimus pag 324. & 446.

Est illic Abbatia Virginum Benedictinarum, cujus antiquissimum Diploma hic exhibemus, alia allegaturi inferiùs, quæ nobis benignè ex Archivis Capituli Anderlectensis fuêre communicata.

(2) ARNULPHO & WALTERO verosimiliter fratribus de Rotselar qui (ut aliunde constat) circa ea tempora simul vixerunt. Eos suspicor in vicino Cortenbergæ territorio habuisse amplas possessiones, easque vel partem earum Gerardum & Joannem eorum Successores postea annis 1274. & 1278. vendidisse Cortenbergensi Monasterio, ut palam fit ex Diplomatibus venditionis Vel (quod potiùs crederem) dicendum, Arnulphum fuisse ex Rotselaria Domo, Walterum verò ex Crainhemiensi.

CAPUT XXXI.

PASCHALIS II. *Papa Borubemiensem Canonicorum Regularium Abbatiam, à* WENEMARO *Castellano Gandensi fundatam, suâ auctoritate firmat, anno* 1105.

PASCHALIS Episcopus, servus servorum Dei, dilectis Filiis Canonicis B Mariæ apud (1) BORNHEM salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ petitiones benignè audivimus, & Monasterium Beatæ Mariæ apud Bornhem, in quo vitam regularem ducitis, juxta postulationem MANASSIS Cameracensis Episcopi, Apostolicæ Sedis munimine confovendum suscepimus.

STATUIMUS enim, ut quæcumque bona vel à WENEMARO Gandensi, ejusdem loci Fundatore

(1) BORNHEM. Vide Lib. 1. Diplom. Belg. cap. 45. 46. 49. 50. item Lib. 2. Dipl. Belg. Mantissam capitis 94.

Fundatore, vel à quibuſcumque fidelibus in eadem Eccleſia oblata ſunt, vel in poſterum fuerint, quæcumque etiam Venerabilis Fratris noſtri Manaſſis Cameracenſis Epiſcopi conceſſione conceſſa ſunt, quieta & integra confirmentur.

QUIDQUID præterea munitionis & libertatis idem Confrater noſter Manaſſes loco veſtro Collegioque largitus eſt, nos Decreti præſentis auctoritate firmamus: prohibentes ne quis eamdem Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus bona diripere, vel modis quibuſlibet alienare præſumat; quatenùs Omnipotenti Deo liberioribus animis debitæ ſervitutis officia per ejuſdem Dei gratiam perſolvatis. Si quis autem præſentis Decreti tenorem agnoſcens, contra id temerè venire tentaverit, Apoſtolorum Principis Petri & noſtræ animadverſionis diſtrictione mulctetur.

DATUM Laterani, per manum Joannis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi, V. Idus... Indictione XIII. anno Pontificatûs Domini Paſchalis II. Papæ VI.

CAPUT XXXII.

Diviſio Jurium inter Monachos Trudonenſes habitantes in Dunck, & Parochum dicti loci, facta per RODULPHUM *Abbatem Trudonenſem Ordinis S. Benedicti, anno* 1119.

EGo (1) RODULPHUS, gratiâ Dei, Cœnobii S. Trudonis Abbas, do Fratri JOANNI Eccleſiam (2) de DUNCK, in omnibus tertiam partem, tam magnæ decimæ quàm minutæ: dotem totam, tria bonaria terræ in (3) ROCHEEM, totidem pratorum juxta Dunck, capite cenſum familiarum; quidquid eſt in Parochianis ſuis tam vivis quàm defunctis, totum per omnia: ex eleëmoſyna, quæ ponitur ſuper altare, tam in feſtis quàm in profeſtis diebus, nullo excepto, tertiam partem. Si quid deinceps allodii, à MCXIX. anno Incarnationis Domini, ab aliquo nobili vel extraneo parochiano datum fuerit Eccleſiæ, in mea poteſtate retineo cui voluero ſtabilire: niſi Presbytero ſua pars denominata fuerit à dante. Si aliquis nobilis ibidem vel extraneus Parochianus ſepelitur, primam Miſſam Perſona Eccleſiæ cantet: quidquid ibi offertur, habeat majorem partem Abbas vel Monachus; in oblatione Perſona nihil quærat......

Frater JOANNES Concilium, Synodum, obſonium & cetera, quæ alii compares ſui, debet procurare. Sub hoc eodem diviſo poſt Joannem BRUNONI dedi.

(1) RODULPHUS, aliis Radulphus, Abbas Monaſterii S. Trudonis in Diœceſi Leodienſi, vir doctus, ſcripſit ſui Monaſterii Chronicon, quod apud me & alios Ms. exſtat. Ibidem Prior exiſtens ſub Theoderico Abbate Reformationem Cluniacenſium introduxit. Propter perſecutionem Comitis Durachienſis (qui Trudonienſis Monaſterii Subadvocatus erat.) exulans Coloniæ, electus ibidem fuit Abbas S. Pantaleonis. Scripſitque eo tempore, ad ſuos Fratres Trudonenſes, Hiſtoriam inventi Corporis S. GERBONIS à S. Norberto, Ordinis Præmonſtratenſis Conditore, anno 1121, quam & Surius 24. Novembris recitat. Obiit autem Rodulphus anno 1138. pridie Nonas Martii, poſtquam annis 30. præfuiſſet. De eodem Cœnobio vide noſtrum Codicem Donationum Piarum cap. 52.

(2) DUNCK. Locus in quo Eccleſia de *Dunck* ſita eſt (inquit ipſe Rodulphus lib. 9. cap. 8.) ſolitarius eſt & amœnus, circumfluente eum aquâ navigiferâ. In quo loco, præter Eccleſiam, domum conſtruxi Dominicalem & horreum, Clauſtrulumque ſatis aptum compoſui juxta Eccleſiam. Conſtitui ibi duos Fratres, qui Deo & B. Mariæ ſerviant. Vide ſupra pag. 493.

(3) ROCHEEM, nunc *Rotthem* prope Diſtemium, Abbatia Monialium Ordinis Ciſtercienſis.

CAPUT XXXIII.

THEODERICUS RUFUS, *Folpoldi Filius, Vir potens, Furnenſe S. Nicolai Monaſterium Ordin. Præmonſtratenſis anno* 1120. *fundat, approbante Carolo Bono Flandriæ Comite.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Quamquam temporalium ad æterna condigna prorſus non ſit comparatio, tamen quia munus quodcumque humilitatis ac pietatis obtulerit devotio, eò fit in conſpectu Divinæ Majeſtatis acceptabile, quò de bonæ voluntatis radice hoc invenitur proceſſiſſe.

EGO igitur KAROLUS, Dei gratiâ Flandrenſium Comes, ſexaginta menſuras terræ, quas à me THEODERICUS RUFUS, Filius Folpoldi, jure feodi tenuerat, coram Optimatibus & Principibus meis, publicè mihi ab ipſo redditas, Eccleſiæ (1) FURNENSI S. Nicolai, pro remedio animarum, videlicet mei meorumque, ab omni cujuſlibet exactione ſolutas & liberas, perpetuoque jure poſſidendas conceſſi, conceſſaſque manu propriâ donavi.

UT autem hoc noſtræ conceſſionis donum ratum atque illibatum permaneat, hoc in poſteritatis memoriam placuit Litteris annotari, noſtrique

ftrique Sigilli impreffione fignari; nomina quoque tam Clericorum, quàm & Primatum terræ noftræ, in teftimonium & confirmationem ejus fubfcribi. Sunt autem hæc:

Arnoldus Præpofitus Watinienfis,
Gerardus Canonicus ejus,
Domnus Fromoldus Præpofitus Furnenfis,
Hugo & Vulfricus Canonici illius,
Froulfus Caftellanus Brugenfis,
Balduinus de Colona,
Walterus de Locra,
Simon Rufus,
Landbertus de Rinigellis,
Bernoldus Sprit,
Arnoldus de Henis,
Riquardus de * Sintinis,
Bovo & Wicman de Crochten,
Hugo Albus de Biran,
Reinlofus de Tetighem,
Walterus de Wambeca,
Florentius Caftellanus Furnenfis,
Euftachius Filius Badelogæ,
Riquardus Pal,
Arlabaldus ex Vulpis,
Riquardus Filius Folcgif,
Lettro Filius Alolfi,
Lettro Filius Badchildis,
Everoldus de Lincele,
Hacher de Babampol,
Arnoldus de Stafla,
Reinerus de Stafla,
Herrardus Kuib,
Abba Filius Erembalch,
Eggefridus Foravot,
Reingerus Grava ex Ipra.

* Fortè Singenis.

Additio. (1) FURNENSI. *Furna*, vulgò *Veurne*, Flandriæ Oppidum Diœcefis Iprenfis elegans & egregiè munitum, fitum eft verfus mare Oftendam inter & Dunkerkam. Caftellaniæ titulo gaudet, & præter Pagos circiter 42. Oppidum & Abbatiam de Loo complectitur.

Furnæ in Ecclefia S. Walburgis infigne & antiquum eft Canonicorum Collegium, cujus medietas circa annum 1559. tranflata Ipras, inftituendo ibidem Capitulo Cathedrali infervit.

Eft & præclara Præmonftratenfium Abbatia, S. Nicolao facra, quæ Fundatorem primarium agnovit anno 1120 B. Joannem de Cominio Epifcopum Morinenfem, de quo plura ad Notas cap fequentis.

Primi Religiofi Furnenfes advocati fuère ex Abbatia Grimbergana juxta Bruxellam. Poftmodum ex Oppido in campeftrem locum tranflatum fuit hoc Cœnobium anno 1170; inde verò fub initio Sæculi XVII. Furnam reductum, cum per Geufios & Iconoclaftas ad ipfa ufque fundamenta fuiffet everfum anno 1578.

Ex hac Abbatia prodiit altera S Auguftini juxta Teruanam, anno 1164: de qua egimus fupra Donat. Belgic. Lib. 1. cap. 68.

CAPUT XXXIV.

JOANNES *Morinenfis feu Teruanenfis Epifcopus Poffeffiones Abbatiæ S. Nicolai Furnenfis confirmat anno* 1120.

JOANNES (1), Dei gratiâ Morinorum Epifcopus, dilecto Filio fuo Nicolao, quem Ecclefiæ S. Nicolai de BUTTENBURCH Abbatem Canonicorum ordinavimus, ceterifque Fratribus ejufdem Ecclefiæ, eorumque Succefforibus in perpetuum.

CUM Ecclefiam de Buttenburch in manibus noftris liberè teneremus, ad laudem & gloriam Creatoris noftri, & falutem fidelium fuorum, eamdem Ecclefiam, cum tertio manipulo, & cum duabus appendiciis, Capellis Sancti videlicet Dionyfii & *Parvife*, cum omnibus earum pertinentiis, ad opus Canonicorum, fecundùm Regulam B. Auguftini ibidem Deo famulantium, pro falute animæ meæ & Succefforum meorum, perpetuò liberam & ab omni exactione, præter duos folidos in Synodo Pentecoftes, fingulis annis, Teruanenfi Sedi perfolvendos, immunem manere conceffimus.

STATUIMUS etiam, ut nullus Canonicorum ipfius Ecclefiæ proprium quid habere, vel alicujus levitatis inftinctu, aut arctioris vitæ obtentu, ex eodem Clauftro, fine communi Abbatis ac Fratrum licentia difcedere præfumat. Obeunte autem nunc ejufdem loci Abbate, nullus ibi quâlibet furreptionis aftutiâ præponatur, fed quem Fratres communi confenfu, vel Fratrum pars confilii fanioris de fuo vel alieno, fi oportuerit, ejufdem Ordinis Collegio, fecùndùm Deum fibi præeffe elegerint, abfque omni venalitatis interventione liberè confecretur.

POSSESSIONES etiam, quas in præfentiarum poffidere videtur, eidem Ecclefiæ confirmamus, fcilicet LX. menfuras terræ, quas THEODERICUS, Filius Folpoldi, jure feodi tenuerat, quafque coram Optimatibus & Principibus Flandriæ publicè Comiti videlicet CAROLO ab ipfo redditas, ipfe quoque Comes præfatæ Ecclefiæ ab omni cujuflibet exactione folutas & liberas, perpetuoque jure poffidendas manu propriâ donavit. *Vide cap. præced.*

VIGINTI quoque & quinque menfuras, quas Hadaloga & Euftachius Filius ejus S. Nicolao dederunt, & quinque menfuras, quas Præpofitus Arnoldus & ceteri Fratres WATINIENSIS Ecclefiæ

(1) JOANNES Warneftuni ad Lifam in Flandria natus, cùm effet Canonicus S. Petri Infulenfis, tædio tactus humanarum affectus, in Monte S. Eligii prope Atrebatum Monafticen amplexus eft. Exinde Archidiaconus à Lamberto Epifcopo Atrebatenfi; ac demùm Epifcopus Teruanenfis creatus, Ipris, Furnis & alibi Canonicorum Regularium Cœnobia conftituit, ac demùm annò 1130. vivere defiit; Faftis SS Belgii adfcriptus ad diem 27 Januarii. Vitam ejus fcripfit Joannes de Collemedio ejus Archidiaconus.

Ecclesiæ, X. etiam mensuras terræ, quas Rodulphus Hecra, & quattuor mensuras, quas Agatha & Simon Filius ejus dederunt. Duas etiam mensuras quas Isaac, & tres mensuras quas Riguardus & Frater ejus, & duas mensuras quas Werenbaldus Wintin, & Idesbaldus Nepos ejus, & duas mensuras quas Ravian & Sidhert Uxor ejus, & tres mensuras quas Filii Warburgis, & .... mensuras quas Lambinus, & unam mensuram quam Herradus, & unam mensuram quam Idesbaldus Presbyter, & unam mensuram quam Balduinus Recabout, & unam mensuram quam Præcô, & unam mensuram quam Lettro Hardahila dederunt. Præterea quartam partem unius mensuræ, & VI. mensuras terræ, quæ antiquitus præfatæ Ecclesiæ datæ sunt, & quæcumque deinceps eidem Ecclesiæ justè & canonicè collata fuerint, præsentis privilegii auctoritate corroboramus.

Si qua igitur Ecclesiastica persona sive sæcularis hanc nostræ constitutionis Paginam sciens & temerè obviaverit, si secundò tertiòve commonita satisfactione congruâ non emendaverit, excommunicationi subjaceat.

Actum est hoc Furnis anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo, Indictione decimâ tertiâ, XII. Kalendas Julii, sub testimonio idoneorum Testium & Venerabilium Virorum, 1120.

Helberti videlicet & Walteri Archidiaconorum,
Arnuldi Watinicensis,
Wilhelmi Iprensis,
Hugonis Eversamensis,
Gerardi Locnsis, Præpositorum,
Alani Furnensis,
Hugonis Casletensis, Decanorum.

CAPUT XXXV.

Carolus Bonus, *Flandriæ Comes*, *Prædia Abbatiæ S. Winnoci Bergensis confirmat*, *anno* 1121.

IN nomine Domini, amen. (1) Carolus, Dei gratiâ, Flandrensium Comes, præsentibus & futuris in perpetuum. Ne ulla pravorum hominum præsumptio, per subdoli malitiam ingenii, Ecclesiam B. Winnoci inquietare conetur in posterum, Ego Carolus Flandrensis Comes illam libertatem, quam Balduinus Comes quondam eidem Ecclesiæ donavit, & quidquid ego postmodum, de futuræ beatitudinis retributione cogitans, eidem Ecclesiæ contuli, precibus Hermetis Abbatis, & Fratrum id ipsum honestè postulantium annuens, iteratò concedo, & præsentis privilegii munimine confirmo.

In quibus hoc dignum duxi vocabulum exprimere, videlicet vaccariam de *Ghinelde*, de *Tetingem*, & de *Bieren*, & *Salinas in Sintonis*, quas incolæ *Grenas* vocant, si redactæ in terram cultibilem ex beneficio maris accreverint, & quingentas mensuras terræ in *Wormhout*, & centum mensuras in *Hochtingesele*, & centum mensuras Simonis Rufi in *Stenis*, & centum mensuras juxta dictam Ecclesiam ad Orientem, & terram, quæ dicitur *Groeneberch*, ad usus peregrinorum S. Winnoci, & antiquum Burgum Bergis, & habitantes in his locis, qui ita liberi sunt, ut soli Abbati de omni forisfacto respondeant; exceptis, raptu mulierum, adustione domorum, & latrocinio, si tamen testimonio Scabinorum fuerit comprobatum.

In terra autem prædictæ libertatis si quem comprehendi contigerit, ex aliquo forisfacto ibidem commisso, caussa ejus ante Abbatem tractabitur; si evaserit, Comes vel ejus Potestas eum comprehendet, & in Curiam Abbatis adducet: & si Abbas justitiam plenam exercere non sufficit, ipse Comes illam supplebit, & emenda erit Abbatis.

Hospitum etiam in prædicta terra manentium, si quis in terra Comitis pro qualibet re comprehensus fuerit, unde eum oporteat sisti loci judicio, emenda per omnia spectat ad Abbatem; & si tale fuerit unde damnaretur ad mortem, omnia quæ habuit damnatus super terram Abbatis, in ipsius erunt potestate. Ceteri hospites S. Winnoci hospitibus Comitis in omni lege & consuetudine pares sint; ut sicut hospites Comitis respondent Brugensi Præposito & Scabinis ejus & Rationatoribus, sic isti soli Abbati & Scabinis ejus & hominibus. Unde sex denarii à singulis hospitibus istis annuatim Comiti persolvuntur: pro quo censu Comes ipsos tanquam suos hospites contra omnem inquietudinem protegere debet & tueri.

Quod si aliquando Comes patercetur infringi, prædicta donatio sex denariorum revocaretur in irritum; & sicut Brugensis Præpositus arbitrio suo, quos vult, constituit & amovet Scabinos & Judices super hospites Comitis, ita & Abbas, quos voluerit super hospites suos Scabinos & Judices statuere, potest & deponere.

Concedo præterea dictæ Ecclesiæ totam decimam de *Ghinelda*, totam de *Soutcota*, totam de *Oxhem*, totam de *Coudekerca*, totam de Dunkerca, totam de *Sintonis*, totam de (2) Mardic,

(1) Carolus Bonus, suprà pag. 372 nobis laudatus.

(2) Mardic, Vicus & portus Flandri occiduæ inter Dunckercam & Gravelingam, olim sub Romanis & nunc celebris: ut in Annalibus Belg. ad annum 433. docui. Joannes Jacobus Chiffletius, amicus noster, peculiari libro typis Plantinianis anno 1627 edito, contendit Mardiccium fuisse olim Portum Iccium, ex quo Julius Cæsar cum classe octingentarum navium in Britanniam solvit.

DIC, totam de *Spicris*, totam de *Erembaldi Capella*, totam de *Warbeem*, totam de *Ipra*, totam de *Wormbout*, & duas partes totius decimæ de *Oudingesela*, duas partes de *Vobtingesele*, duas de *Vissingesele*, duas de *Schocas*, duas de *Crochten*, duas de *Stenis*, duas de *Bieren*, duas de *Tetingeem*, duas de *Kilbeem*, duas de HOUTKERCA, duas de *Snellegenkercke*, & quidquid in dictis Villis ex beneficio maris vel paludis accreverit: ut quale vel cujusmodi jus habet interiùs, habeat & exteriùs: & si solitudo vel quæcumque terra incultibilis juxta terram prædictæ Ecclesiæ jacuerit, liceat eam Fratribus ejusdem Ecclesiæ, sine omnium contradictione, propriis usibus mancipare.

CONCEDO etiam teloneum de *Wormbout* à sexta hora Vigiliæ Pentecostes usque ad sextam horam secundæ feriæ; fluviolum quoque *Penam* cum piscaria, ubicumque terram eorum præterfluit, & molendinum aquaticum: ita quòd nullus habeat molendinum aquaticum in *Wormbout*, nisi cui & quamdiu Abbas permiserit.

SERVIENTES autem, qui Fratribus ejusdem Ecclesiæ deserviunt, secundùm tenorem donationis præfati Balduini Comitis, ab omni edicto & servitio & aliis inquietationibus Comitis absolvo: quorum si quis in aliquo reprehensibilis repertus fuerit, Capituli sententiam subibit.

SI quis aliquam caussam moverit pro hereditario jure alicujus officinæ, vel contra Præbendam Fratrum, vel si homines Abbatis contra Abbatem, vel ipse Abbas contra homines suscitavit suos, caussa judicio Capituli terminabitur. Mortuo autem aliquo hominum seu hospitum Abbatis, heres illius æstimationem ususfructuarii unius anni, qui post solutionem census debiti & officii residuus est, in relevio Abbati dare tenetur.

SI verò Cellarius vel alii quilibet Nuntii dicti Monasterii, ad usus Fratrum, in terra Comitis aliquid emerint, vel navim in mari ad piscandum direxerint, à teloneo & traverso & omnium exactione absolvo. Præterea noverit unusquisque, si opus fuerit jam dictæ Ecclesiæ, ISAAC DE FORMISELLIS, vel heres illius, cum sumptu proprio (3) pro ea pugnabit, vel pugiles providebit, quos de suo nihilominùs faciet pugnare: & hoc debet de feodo, quem Joannes de Schotetha de eadem tenuit Ecclesia.

QUOD verò præfatus Comes Balduinus instituit, scilicet ut infra septa seu ambitum prædictæ Ecclesiæ vel curtium, quæ ad eamdem Ecclesiam pertinent, nulla Comitis vel Castellani vel cujuslibet potestatis violentia irrogetur, ego quoque iteratò confirmo.

CONCEDO etiam, ut quicumque terram suam vel quæcumque bona sua S. Winnoco dare voluerit, liberam inde habeat facultatem, nec aliquis aliquâ occasione contradicat vel impediat. Præterea terram Isaac Houtheem partim feudalem, partim hereditariam, quam in manu mea ad opus S. Winnoci tradidit, & sibi adjudicari fecit (septuaginta scilicet jugera terræ præfatæ) perpetuò possidendam donavi.

PARTEM verò aliam terræ ejusdem Isaac Sororibus ejus Heilewif & Godildæ, quæ eis non contingebat, quia ex parte feodalis erat, ipso petente, tenendam concessi: eo manifestæ conditionis tenore, ut si quando ipsæ, vel heredes ipsarum jam dictam Ecclesiam de præfata terra placito vel molestia..... niterentur, pars illa, quam eis concesseram, in hereditatem Comitis redigeretur. Comes verò pacem Ecclesiæ de sua parte faceret, aut aliam non minùs valentem in Castellania Bergensi restituet.

HÆC igitur acta sunt apud CASLETUM, anno ab Incarnato Domino millesimo centesi- 1121
mo vicesimo primo. Huic donationi Testes interfuerunt;

Thomardus Castellanus de Brochburgh,
Walterus Filius ejus,
Froulfus Castellanus Bergensis,
Walterus de Locris,
Isaac de Formisela,
Florentius Castellanus,
Simon Rufus.

(3) PRO EA PUGNABIT, vel pugiles providebit. Hæc verba, & alia similia, infrà in Diplomate Philippi Alsatii, anno 1183. scripto, producenda, nescio an spectent ad Purgationem per pugiles olim fieri solitam, quam alii Purgationem monomachiæ nuncupant: de qua Martinus Delrius Disq. Magicarum lib. 4. cap. 4. quæst. 4. sect. 2. fusè tractat. Fuit ea maximè in usu, post barbarorum in Italiam irruptionem, apud Longobardos, Germanos, Francos, Belgas, Hispanos & alias Nationes. Sed ut juri naturali ac divino contraria, per Romanos Pontifices ac Sacros Canones meritò est sublata ac prohibita.

An verò per pugiles hic intelligendi sint simpliciter Milites, Propugnatores seu Defensores, aliis discutiendum relinquo.

CAPUT XXXVI.

BURCHARDUS *Cameracensis Episcopus benefacit Canonicis Aquisgranensibus Ecclesiæ B. Mariæ, anno* 1122.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. BURCHARDUS Dei gratiâ Cameracensis Episcopus. Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, qualiter interventu Domini mei HENRICI quarti Romanorum Imperatoris, Altaria in Parochia Cameracensi sita, in Villis *Filfurt*, (1) *Renck* & *Kuevei*, ad Præbendam Canonicorum Aquensium pertinentia, in perpetuum libera à Persona permanere concessi, bonâ voluntate & consilio Archidiaconorum nostrorum; salvis tamen reditibus, qui inde justè persolvendi sunt, tam nostris quàm

quàm Ministrorum. Et ut hæc Concessio mea in perpetuum firma & inconvulsa permaneat, subtus signatorum testimonio corroboravi, & Sigilli mei impressione signavi.

Signum Radolphi Archidiaconi.
S. Anselmi Archidiaconi.
S. Joannis Archidiaconi.
S. Theodorici Archidiaconi.
S. Everhardi Archidiaconi.
S. Erreboldi Præpositi.
S: Oilardi Decani.
S. Gerardi, Widonis, Roberti, Canonicorum.

Si quis autem contra hanc institutionis meæ Paginam venire tentaverit, anathema fiat, quoad usque resipuerit; & servantibus sit perpetua benedictio.

Actum anno Incarnati Verbi M.C.XXII. Indi- 1122.
ctione XV. Præsulatûs verò mei anno VII.

Ego Werembaldus Cancellarius scripsi & subscripsi.

(1) Rench & Kuivei, vel *Chivenis*, sunt vici Hannoniæ: quorum Altaria seu Prædia Canonici B. Mariæ Aquisgranensis Monachis Altimontensibus, prope Melbodium Hanoniæ oppidum, concesserunt; ut & Filfurdiensia Prædia Monialibus Cameræ prope Bruxellam sub annuo censu.

CAPUT XXXVII.

Calixtus II. *Papa Possessiones Abbatiæ S. Nicolai Furnensis in tutelam suscipit, anno* 1124.

Calixtus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Nicolao Abbati & Fratribus Ecclesiæ S. Nicolai de Buttenburch, tam præsentibus quàm futuris, in perpetuum. Ad hoc universalis Ecclesiæ cura nobis à provisore omnium bonorum Deo commissa est, ut Religiosas diligamus personas, & beneplacentem Deo Religionem studeamus modis omnibus propagare.

Ea propter dilecti in Christo Filii, intervenientibus quoque Venerabilis Fratris nostri Joannis Morinensis Episcopi precibus, petitiones vestras clementer admittimus, & vitæ Canonicæ Ordinem, quem secundùm B. Augustini Regulam, in vestra Ecclesia professi estis, auctoritate Sedis Apostolicæ confirmantes, Monasterium vestrum, cum omnibus appenditiis suis, in patrocinium B. Petri nostramque protectionem suscipimus:

Statuentes ut quæcumque bona, quascumque possessiones in præsentiarum legitimè possidet, sive in futurum, largiente Deo, justè poterit adipisci, firma & illibata ei permaneant.

In quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda; duas Capellas, primam in honore S. Dionysii, alteram in honore B. Nicolai consecratam; sexaginta mensuras terræ, quas Theodericus Rufus, Filius Folpoldi, jure feodi tenuerat, quasque coram Optimatibus & Principibus Flandriæ publicè Comiti Carolo ab ipso redditas, ipse quoque Comes præfatæ Ecclesiæ, ab omni cujuslibet exactione solutas & liberas, perpetuoque jure possidendas manu propriâ donavit; XXV. mensuras quas Hadaloga & Eustachius Filius ejus; decem etiam mensuras quas Rodulphus Hecra dederunt præfato Monasterio.

Obeunte nunc ejus loci Abbate, nullus ibi, qualibet surreptionis astutiâ, præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem & B. Augustini Regulam, de suo vel de alieno Collegio providerint eligendum. Nullus Canonicus ejusdem Ecclesiæ proprium quid habere, vel alicujus levitatis instinctu, aut arctioris vitæ obtentu, ex eodem Claustro, sine communi Abbatis & Fratrum licentia, discedere præsumat. Præterea si quis fidelium sepulturam ibi habere voluerit, libera ei & sine contradictione aliqua concedatur.

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis Paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundò tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen.

Datum Laterani, per manum Aimerici, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, VIII. Kalendas Decembris, Indictione III. anno Dominicæ Incarnationis mil- 1124.
lesimo centesimo vicesimo quarto, Pontificatûs autem Domni Calixti II. Papæ anno VI.

CAPUT

CAPUT XXXVIII.

Milo Morinensis Episcopus, exemplo Prædecessoris sui Joannis, eidem Cœnobio S. Nicolai Furnensis concedit immunitatis Privilegium, anno 1135.

EGo Milo, Dei miseratione, Morinorum Episcopus, dilectis in Christo Filiis Fratribus universis, in Monasterio S. Nicolai de Butenburch, Canonicam vitam professis, eorumque Successoribus in perpetuum. Quia tam ex caritatis affectione, quàm ex officii nostri conditione, utilitati Ecclesiarum modis omnibus deservire compellimur, necessitatibus vestris communicandum, vobisque, in quantum rationabiliter possumus, subveniendum esse intelligimus.

Hujus rei gratiâ, dilecti in Domino Filii, paupertati vestræ paterno affectu condescendentes, vobis ac Successoribus vestris Ecclesiam B. Nicolai, cum tertio manipulo, & cum duabus appenditiis, Capellis Sancti videlicet Dionysii & *Parnise*, cum omnibus earum pertinentiis, ad exemplar Patris & Prædecessoris nostri piæ memoriæ Joannis Morinorum Episcopi, perpetuò liberamus, & ab omni exactione (præter duos solidos, in Synodo Pentecostes, singulis annis Teruanensi Sedi persolvendos) immunem manere concessimus. Altare etiam de *Wulpen*, & de *Dunkerka*, & de *Ramscapple*, cum eorum pertinentiis & minutis decimis, similiter vobis concedimus.

Statuimus etiam, ut nulli omninò fas sit de jure, quod Parochianis vestris provenerit, sibi quidquam vendicare, vel decimas exigere. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona inpræsentiarum justè & canonicè possidetis, præsentis Privilegii auctoritate vobis confirmamus. Si qua igitur Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis Paginam sciens & temerè contraire præsumpserit, si secundò tertiòve commonita, satisfactione congruâ non emendaverit, excommunicationi subjaceat. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo tricesimo 1135.
quinto, Indictione XIII. coram his Testibus,

Philippo Archidiacono,
Henrico Abbate de Lisches,
Gozelino Decano,
Gerbodone Cantore,
Roberto de Abbatis Villa, & aliis quàm pluribus.

CAPUT XXXIX.

Godefridus Barbatus, Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, Littam alodium Monasterio S. Remigii Remensis restituit.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego Godefridus Dux Lotharingiæ, & Filii mei Godefridus atque Henricus, notum facimus universis Sanctæ Matris Ecclesiæ Filiis, tam futuris quàm præsentibus; nos..... alodium Beati *Remigii*, Francorum Apostoli, quod (1) Litta dicitur, diu tenuisse.

Tandem verò compuncti & pœnitentiâ ducti.... jam dictum alodium, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, Deo & Beato Remigio, atque Abbati promptâ devotione reddidimus, nec non fidei sacramento & jurejurando firmavimus.

Insuper in præsentia Domini Conradi Imperatoris illud abdicavimus; statuentes & confirmantes, quòd amodò nunquam per nos, nec per aliquem nostrorum sæpè dictum Monasterium de ipsius alodii rebus aliquod damnum patietur, sed ex integro eidem maneant sua omnia, sicut dedit & confirmavit Gerberga Venerabilis Francorum Regina.

Quod nostræ Confirmationis decretum ut per succedentia tempora inconvulsum servetur & maneat, auctoritate Sigilli nostri firmavimus, & Testes idoneos subnotavimus.

Hujus rei, ex parte Ecclesiæ, Testes fuerunt,
Dominus Odo Abbas,
Dominus Walterus Abbas S. Martini,
Simon Abbas de Parco,
Jocelinus Prior;
Rainaldus Præpositus,
Gervasius,
Lambertus Monachus,
Theobaldus Canonicus,
Heszelo Canonicus.

Ex parte Ducis,

Sigerus de Wavera.
Arnulphus Dapifer, & Walterus Frater ejus.
Rainerus,
Gosuinus,
Franco de Sclusa,
Alardus de Bautersem,
Arnoldus de Filforth,
Reniso & Filius ejus.

DIploma istud, etiamsi in multis convenire videatur cum altero Diplomate dato in favorem ejusdem Abbatiæ S. Remigii Remis, quod supra allegavimus Lib. 1. Diplomatum Belgicorum capite 64. tamen in pluribus differt; atque imprimis quoad Testes diversos.

(1) De Litta & aliis Prædiis Monasterio S. Remigii Remensis à Gerberga Francorum Regina datis vide suprà Cod. Donat. Piar. cap. 37.

CAPUT XL.

CONRADUS III. *Imperator Oostergoam & VVestergoam donat Ecclesiæ Cathedrali Ultrajectensi, anno* 1138.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, CONRADUS divinâ largiente clementiâ Rex Romanorum III.

SCIMUS & verè credimus, quod qui copiosus est in misericordia, per quem & Reges regnant, propter hoc suos constituit Rectores in hujus peregrinationis & sæculi via, ut bene se regentes, & alios, postmodum secum regnent in Patria cœlesti. Quod nobis utique justè & misericorditer eventurum speramus, si unicuique suam justitiam pro viribus nostris conservemus.

IN ipsam itaque justitiam pro Dei amore fideliter intendentes, notum esse volumus tam futuris, quàm præsentibus, cunctis Christi nostrisque fidelibus, qualiter Comitatum quendam Frisiæ, nomine (1) *Oostergouwe* & (2) *Westergouwe* S. Martino ad Ecclesiam Trajectensem, monitu & petitione Venerabilis ac fidelis nostri ANDREÆ, ejus Sedis Episcopi, justè resignavimus, quem injustè eidem Ecclesiæ ablatum pro certo comperimus.

DEDERAT sanè prædictum Comitatum Trajectensi Ecclesiæ Divæ recordationis HENRICUS IV. Imperator Augustus, tum pro remedio animæ suæ, tum propter amorem & servitium Venerabilis Viri, & fidelis sui CONRADI, ejusdem Sedis Episcopi. Cujus donum Filius ejus *Henricus* bonæ memoriæ V. Rex, IV. verò Imperator Augustus, iterando renovavit, & renovando authoritate & privilegio suo confirmavit.

NUNC igitur quia aliquamdiu sub Prædecessore nostro Lothario Imperatore prædicta Ecclesia suo jure & prædicto Comitatu caruit, ulteriùs eam suo jure carere nolumus, sed secundùm mnnitionem fidelium nostrorum, in debitum statum ei reddendo Comitatum, eam reformamus secundùm hoc, quod in privilegiis Ecclesiæ veritatem invenimus.

UT igitur antiquæ donationes, & nostræ resignationis authoritas immobilis & inconvulsa per succedentia tempora permaneat, hujus attestationis Paginam conscribi, & Sigilli nostri impressione insigniri jussimus, Testes quoque subnotari præcepimus, quorum nomina hæc sunt,

Thitwinus S. Rufinæ Cardinalis Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus,
Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus,
Albero Treverensis Archiepiscopus,
Embrico Wirzeburgensis Episcopus,
Albero Leodiensis Episcopus,
Wernerus Monasteriensis,
Udo Osnaburgensis,
Stephanus Metensis,
Nicolaus Cameracensis Episcopi.
(3) Walravus Dux,
Wilhelmus Comes Palatinus,
Godefridus Comes Namureensis,
Henricus Comes de Zutphen,
Arnoldus Comes de Clivo,
Adolphus Comes de Saffenberch,
Adolphus Comes de Monte,
Conradus (4) Comes de Loen,
Conradus de Haghen,
Henricus de Hirstelhusen,
Theodor. & Frater ejus Rothgerus de Duria, & alii quàm plures.

DATA V. Idus Aprilis, Indictione I. anno Dominicæ Incarnationis M.C.XXXVIII. regnante Conrado Rege Romanorum III. primo anno Regni ejus. 1138.

ACTUM Coloniæ, in Christo feliciter, amen.

Signum Conradi Romanorum Regis III.

Ego Arnoldus Cancellarius recognovi, & recensui vice Archicancellarii Moguntini.

CAPUT

Additio. (1) OOSTERGOUWE, vulgò *Oostergo*, pars Provinciæ Frisiæ, cujus primaria Oppida sunt Doccumum (celebris locus Martyrio S. Bonifacii, quem Moguntini & Ultrajectenses suum Archiepiscopum venerantur, & LI. Sociorum ejus, circa annum 755.) item Leowardia, quæ Sede Episcopali decorata fuit anno 1559.

(2) WESTERGOUWE, vulgò *Westergo*, pars altera Provinciæ seu Dominii Frisiæ; ejus loca primaria sunt, *Stavera* antiquitate, *Franekera* Universitate celebris, & *Harlinga*.

(3) WALRAVUS, seu Waleramus Dux Lotharingiæ & Limburgi.

(4) COMES DE LOEN, Comes Lossensis, de *Loen* Flandricè, Gallicè *Los*.

CAPUT XLI.

Ninivensem SS. Cornelii & Cypriani Abbatiam, Ordinis Præmonstratensis, à GERARDO Ninivensium Domino, AMULRICI Flandriæ Constabularii Filio, fundatam, NICOLAUS Cameracensis Episcopus confirmat anno 1138.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego NICOLAUS Dei gratiâ Ecclesiæ Cameracensis Episcopus. Quia propitiante Domino Pontificali Cathedrâ licet indigni præsidemus, etsi omnibus in communi nostræ Diœcesos fidelibus generalem curam debemus, illis tamen, qui felici naufragio, abjectâ sæculari sarcinâ, de mundi hujus fluctuante pelago ad tranquillum & placidum contemplationis portum innataverunt, speciali dilectionis & solicitudinis necessitudine obligamur: ut ex nostris eis prodesse, & alienum ergaeos liberalitatem approbare & firmare studeamus, quatenùs piâ vicissitudine de orationibus eorum aliquod imperfectioni nostræ subsidium comparemus.

IGITUR tam præsentibus quàm futuris notum facimus, quòd Ecclesiæ de NINIVE, quam cum Altari & atrio, atque omnibus appenditiis suis, piæ memoriæ Prædecessor noster BURCHARDUS, AMULRICI Constabularii Flandriensis, cæterorumque participantium devotissimâ petitione, liberam & ab omnimoda exactione quietam effecerat, quidquid in futurum concessione Principum, oblatione fidelium, seu aliis quibuscumque justis modis canonicè poterit adipisci, possidere gratanter annuimus.

PORRÒ quoniam jacula prævisa minùs lædunt, præfatæ Fratres Ecclesiæ, secundùm Apostolicam institutionem atque tenorem Præmonstrati Ordinis degentes, ne deinceps posterorum infestatione, sive quorumcumque sacrilegâ cavillatione inquietati, requietionisque amœnitate priventur, non inconsultè decernimus quædam beneficia privilegii commendari, quæ nullatenus ab Ecclesiastico jure convenit alienari.

SIQUIDEM GERARDUS, liberalis vir, suprà memorati Amulrici Filius, in omnibus aquis, quas ipse liberè possidet, exceptis solummodò vivariis suis, gratâ largitate Fratribus piscationem perpetualiter concessit. Prætereà ex beneficiis ejusdem Gerardi, piscatorias tendiculas quattuor, quas vulgò vicria nominamus, in flumine Teneræ hereditario jure possidebunt.

ADDIDIT etiam ideò Gerardus territorium de *Windresdala*, & adjacentia ejus; pratum videlicet & nemus, & aliud pratum secus Teneram, & allodium de *Roslaer*, & septem libras annuatim istis diebus determinatis in Villa *Testerep* persolvendas, B. Joannis Baptistæ, Sanctique Remigii, in Purificatione B. Mariæ & in media Quadragesima.

NOS verò de statu Religionis & Ordinis integritate quàm plurimùm gratulantes, ne Claustralium pacem turbare potiùs quàm nutrire videamur, Domino GISLEBERTO Abbati Ninivensi, & decessoribus ejus, quidquid obsequii nostræ dignitatis ad honorem attinet, omninò dimittimus; excepto quòd semel in anno, si tamen præmonitus fuerit, ad Synodum venire curabit. Item Ecclesiæ Beatorum Martyrum Christi Cornelii & Cypriani hujusmodi libertatem concedimus, quatenùs Abbas electus, ad consecrandum iturus, Baculum Pastorale super Altari propriâ manu accipiat.

CONTIGIT aliquoties, ut alicui infirmitate detento, & volenti converti, prohibitio Presbyteri sui obviaret. Quod quia contrarium B. Augustini Regulæ videtur, dicentis: *Suscipite infirmos*, omnibus infrà nostri Episcopatûs terminos simile quærentibus benignè concedimus, ut ad Ecclesiam Ninivensem, salvo tamen Presbyterorum, quorum Parochiani sunt, Offertorii proficuo... Si autem aliquo forefacto Principis Provinciæ sive aliorum quorumcumque terra in banno teneatur, remotis excommunicatis, foribus clausis, divinum in Ecclesia celebretur officium.

Nos quidem ex injuncto nobis officio, quidquid Reverendissimi Patres nostri Honorius atque Innocentius religiosè sanxerunt, vivâ voce prædicare debemus. Interdicimus itaque Apostolicâ auctoritate, ne in Ecclesia Ninivensi, in qua Fratres vitam Canonicam professi degunt, nulli omninò hominum liceat, secundùm B. Augustini Regulam, ibidem constitutum commutare. Nullus etiam Episcoporum futuris temporibus audeat inde Fratrem abducere, nec professus quispiam ex eadem Ecclesia aut Claustro præsumat sine communi Congregationis permissione discedere; discedentem verò nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum, sine communi Litterarum cautione, suscipere.

STATUIMUS etiam, ut nulli liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus Possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integrè conserventur Regularium Fratrum & pauperum usibus profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona alienare ab Ecclesia, quidquid legitimè possidet, præsumpserit, si non satisfactione, secundò tertiòve commonita, congruè emendaverit, in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ jura servantibus sit pax Domini

mini Jesu Christi, quatenùs & sic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen.

SANCIMUS etiam, ut pro GERARDO, ejusdem Ecclesiæ Fundatore & constructore, in eadem Ecclesia jugis memoria in orationibus perpetualiter habeatur.

Signum Theoderici ejusdem...... Archidiaconi,
S. Joannis, Alardi, Theodorici, Archidiaconorum,
S. Guidonis Præpositi,
S. Gerardi Decani & Archidiaconi,
S. Guidonis,
S. Walteri,
S. Guirenboldi, item Guirenboldi,
S. Hugonis, item Hugonis, Bartholomæi, Eustachii, Heriwardi, Radulphi, Canonicorum.

ACTUM anno Dominicæ Incarnationis mil- 1138.
lesimo centesimo trecesimo octavo, Indictione XV. Præsulatûs Domini Nicolai secundo.

Ego Guirenboldus scripsi & recensui.

EJusdem ferè tenoris Litteras idem Nicolaus Episcopus Cameracensis anno 1139. & 1165. dedit. Libet hic subnectere originem Cœnobii S. Cornelii Ninivensis, ex Ms. illius loci Chronico.

Erat Vir quidam nomine GERARDUS, cognomento Constabularius, Filius Domini AMELRICI Flandrensis Constabularii, Vir inquam armis strenuus, genere præclarus, & in rerum secularium administratione prudentissimus, in Ninivensi Oppido Advocatus. Huicque fuit Uxor nomine GISLA, ejus generositati per omnia condigna, Filia scilicet Domini Ingelberti de Petenghem, de qua & duas Filias genuit, scilicet Machtildem de Ninive, & Ermengardem de Wome.

Cùm autem eo tempore Ninivenses multiplices in giro paterentur hostium incursus, præfatus Vir ita prudenter se in omnibus agebat, ut quicumque adversùs eum se erigerent, humiliatos redderet & confusos. Ut enim cetera, quæ gloriosè gessit, taceamus, cùm illi de *Bouleir*, Nobilitatis & gloriæ secularis nomen tunc temporis obtinentes singulare, Ninivensium finibus invasis, prædam abegissent, mox nostrates, ad faciendam de hac injuria vindictam, arma capientes eorum terminis irruerunt, & prædam multò majorem reduxerunt.

Ut verò de Patre quoque ipsius, Domino AMELRICO Viro utique gloriosissimo aliquid per excessum loquamur: cùm Dominus BALDUINUS de ALOST cum exercitu suo Ninivensium terminos invasisset, & prædam de Villa Okengem abigere cœpisset, mox Dominus Amelricus ad arma convolans cum suis obviam hostibus confidenter exivit; ubi verò ad locum certaminis ventum est, statim eos valido conterens impetu, omnes in fugam convertit, & Dominum Balduinum Principem eorum cum ingenti gloria captivum reduxit. Illudque non prætereundum, quòd in Patrociniis SS. Cornelii & Cypriani tam Principes quàm populi Ninivensium tantam habebant fiduciam & devotionem, ut quoties eos hostibus obviam exire contingeret, Ecclesiam intrantes & Sanctorum se orationibus committentes, in signum & securitatem futuræ victoriæ vexilla Ecclesiæ secum devotâ consuetudine deferrent.

Cùm autem placuisset ei qui omnia ordinat quando vult & quomodo vult, ut odorem notitiæ suæ & divini cultûs studium in Ninivensi Oppido ampliaret, supradicta *Gisla*, Domini Gerardi Constabularii Uxor, gravi infirmitate correpta, diem claudere festinabat extremum; unde quædam *Abbatissa de Gilenghem*, cognata scilicet sua, eam visitans, ut ibi post mortem sepelienda deferretur, obnixè postulabat; sed Domino aliter disponente hoc à militibus & amicis Domini Gerardi penitus est dissuasum, asserentibus quòd Ecclesiam suam Uxoris tumulo potiùs deberet honorare, & liberalitatis suæ sublevare beneficiis.

Erant autem hìc duo Canonici celebris memoriæ viri, *Balduinus Wala* scilicet & *Oiotus*: nam tertio eorum Collegâ defuncto *Alondo* nomine, ejus adhuc Præbenda vacabat; hisque sæpedictus Dominus Gerardus, ob æternam seæ Uxoris habendam memoriam, quartum superaddere Canonicum disponebat, decimam videlicet de *Herlichove* ejus Præbendæ assignans, & Ecclesiæ Ninivensi in perpetuam eleëmosynam condonans.

Horum autem Canonicorum præfatus Balduinus Wala, cum Dominis Ninivensibus à juventute in castro conversatus, Capellam procurabat; ad cujus Præbendæ instaurationem olim Ecclesiæ XXI. bonaria terræ apud *Ebihem* fuerant contradita. Vir igitur iste Deo acceptus & hominibus, & Domini Gerardi Consiliarius fidelissimus, Spiritûs Sancti afflatus instinctu, ad aures ipsius cœpit pulsare, verbum sacri eructans consilii, quatenus ob æternam sui suorumque salutem fundandæ intenderet Abbatiæ, proponens quod suam huic fundationi paratus esset adhibere Præbendam, maximè cùm tertia, ut suprà dictum est, vacaret, quarta nihilominus Præbenda in morte Uxoris ejus instaurata nulli adhuc esset assignata. Cujus verbis sæpedictus Gerardus obtemperanter auscultans, de ipsius & aliorum prudentum virorum consilio, Fratres *Præmonstratensis Ordinis* censuit advocandos, quia suavissima conversationis eorum opinio gratâ Deo & plurimùm commendabilis videbatur mundo. Missâ itaque legatione pro Fratribus advocandis ad Ecclesiam Parcensem, advenit ejusdem Ecclesiæ Abbas, Vir eximiæ Religionis, *Simon* nomine, & in Festo omnium Sanctorum Sermonem faciens in populo, omnibus in ejus adventu congratulantibus, cum summa susceptus est reverentia; qui audito hujus devotissimæ intentionis proposito, in spiritu exultationis domum revertens, Seminarium sacræ Congregationis, septiformi Spiritûs Sancti gratiâ confovendum, in septenario Fratrum numero transmisit.

Anno igitur Verbi Incarnati millesimo centesimo tri- 1137.
cesimo septimo, prædicti Fratres in Festo S. Martini advenientes, benignissimè sunt recepti, & omnibus, quæ erant Ecclesiæ, in eorum usus assignatis, toties dictus *Gerardus* septem bonaria terræ apud *Rubroc* eis adjecit, & insuper quintam garbam de omni terra, quam in Parochia de *Herlinhove* quoquo pacto possent acquirere. Interim verò Domino *Gerardo* & *Balduino* Sacerdote, de quo suprà diximus, pro Pastore Dominici gregis clamitantibus, advenerunt Viri Venerabiles, *Laudunensis* & *Parcensis* Abbates, & Dominum *Gillebertum* Laudunensem Canonicum, Virum utique admodùm religiosum, de omnium consensu, in Conversione S. Pauli Abbatem constituerunt: qui scientiâ & moribus plurimùm adornatus, adeò divinis studebat operibus, ut Dominicis vel Festis diebus ad circumjacentes exiret Parochias semen verbi seminare; unde & nomen ejus tamquam oleum effusum coram populis & Principibus terræ longè latèque flagrabat. In hoc itaque tempore, tamquam primo mane, plures à Deo missi sunt Dominicæ vineæ cultores; qui usque in senectam & senium in hac vinea laborantes, & in sudore vultûs sui panem manducantes, per quadraginta aut quinquaginta annos vel eò circiter, pondus diei & æstûs unanimiter pertulerunt.

Cùm autem circa idem tempus Dominus *Wolselmus*
Vir opinatissimus esset defunctus, qui *Jethensis* & *Lide-* 1141.
kercensis Ecclesiæ Abbas fuerat (nam & hæc, sicut illa, libera numquam Jethensi Ecclesiæ fuerat subjecta) Dominus *Ivanus de Alost*, qui apud Lidekercam tunc temporis dominium obtinebat, accersito Domino GILLEBERTO Abbate nostro, Lidekercensem Ecclesiam, cum omnibus suis appertinentiis, nobis in eleëmosynam contradidit, & Episcopali auctoritate donum suum confirmari obtinuit. Sed illis de Jeth postmodùm reclamantibus, & nos tamquam sui juris invasores constanter impetentibus, tandem post longas & varias inter nos concertationes, consilio & auctoritate Domini BERNARDI Claræ-Vallensis Abbatis, Apostolicæ Sedis Legati, facta inter nos compo-

compositione, omnis hæc decisa est querela, & auctoritate Cameracensis Episcopi, & totius Ordinis nostri, utrique Ecclesiæ indictum est silentium. Obiit autem
1186 Gillebertus Abbas Ninivensis anno 1186, cui successit Arnoldus, Arnoldo Matthæus, & post hunc Algotus.
1221 Anno Domini 1221. vetus Ecclesia Parochialis de Ninive de novo cœpit à fundamentis nova construi, & collocatus est lapis primarius in fundamento, mense Junio, à Fratre *Andrea*, Plebano ejusdem Ecclesiæ, & Domina AGNETE DE GRIMBERGIS. Cujus Ecclesiæ fabricam, memorato Fratre *Andrea* post quinquennium, cum Magistro *Ægidio* & Crucesignatis versus Jerosolymam profecto, & ibidem defuncto, Frater *Sigerus de Alost*, Successor ipsius Fratris Andreæ, venusto opere & sumptuoso, de eleemosynis fidelium, infra triginta annos plenariè & laudabiliter consummavit. *Hactenus ex Ms. Chronico Ninivensi.*

CAPUT XLII.

THEODERICUS ALSATIUS, *Flandriæ Comes, & Uxor ejus* SIBYLLA, *Fulconis Hierosolymitani Regis Filia, Truncinienſem Abbatiam Ord. Præmonst. juxta Gandavum ab omni seculari jure liberat anno* 1138.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego THEODERICUS, Dei gratiâ, Comes Flandriæ, unà cum Uxore mea SIBYLLA, Filia Fulconis Regis Hierosolymitani, animadvertimus sæpiùs, ex commonitione Religiosorum Virorum, nos intellexisse, inter omnia hujus mundi bona, ea solùm in veræ beatitudinis horreum reservari ac perpetuari, quæ vel in Ecclesiarum ædificationem, vel pauperum Christi sustentationem liberaliter erogantur.

EAPROPTER Ecclesiam B. Mariæ TRUNCINIENSIS liberam concedentes, ab omni seculari jure ac potestate, cum omnibus appenditiis suis, emancipamus

ET OGGERO ejusdem Ecclesiæ Præposito, nec non etiam IWANO, Illustri Viro, præfatæ Villæ post nos Domino & Advocato, devotè postulantibus, in manus Domini Simonis Venerabilis Noviomensis seu Tornacensis Episcopi, & Golnini Abbatis de Ierlechem, quidquid omninò nostri juris est, in perpetuum contradidi, usibus omnimodis Fratrum, secundùm Regulam B. Augustini viventium......

DATUM anno M. C. XXXVIII. 1138

1138 ANno nono decimo Ludovici Francorum Regis, quidam proditores Flandrenses Dominum suum CAROLUM Comitem Brugis jugulant, in Ecclesia S Donatiani ante Altare psalmos canentem, & eleemosynam dantem. Comitatus Flandrensium à Ludovico Rege datur WILLELMO, Filio Roberti Comitis Normanniæ, Fratris Henrici Regis Anglorum. Orto dissidio inter Willelmum Comitem & Flandrenses, annitentibus Equino & Daniele, Majoribus Flandriæ, accersitur THEODERICUS, Filius Theoderici Ducis Alsatiæ, Nepos Roberti Comitis Flandriæ ex Sorore Gertrude Sed dum Godefridus Dux Lovaniensis Gulielmo Comiti auxiliaretur, congressio facta est utriusque exercitûs ante Castellum quod dicitur Alost Ibi Gulielmus Comes quendam militem aggrediens monomachiâ, in dextro brachio lanceatur, & subrepente dracunculo, quinto pòst die moritur. Comitatus Flandrensium THEODERICO datur à Rege Francorum Ludovico: quia cognatus ejus erat ex Matertera Gertrude. *Sic Andreas Marchianensis in Ms Chronico suo.*

Res tota schemate Genealogico fiet clarior.

- *Balduinus Insulanus Comes Flandriæ obiit 1067.*
  - *Balduinus Hasnonius Comes Flandriæ & Hannoniæ.*
    - *Arnulfus Infelix Comes Flandriæ, obiit sine liberis.*
    - *Balduinus Jerosolymitanus Comes Hannoniæ.*
      - *Balduinus III. Comes Hannoniæ.*
  - *Robertus Frisius Comes Flandriæ.*
    - *Robertus Jerosolymitanus Comes Flandriæ.*
      - *Balduinus Securis Comes Flandriæ, obiit sine liberis.*
      - *Gulielmus.*
      - *Philippus.*
    - *Philippus Comes Loensis.*
      - *Philippus ab Ipra nothus.*
    - *Guilielmus.*
    - *Adela Uxor S. Canuti Regis Daniæ.*
      - *Carolus Bonus Comes Flandriæ obiit 1127 sine liberis.*
    - *Gertrudis Uxor Theoderici Ducis Lotharingiæ & Alsatiæ*
      - *Theodericus Alsatius Comes Flandriæ, obiit 1168*
        - *Philippus Alsatius Comes Flandriæ.*
    - *Ogina Abbatissa Messinensis.*
  - *Machtildis Uxor Roberti Ducis Normanniæ. pòst Regis Angliæ.*
    - *Guilielmus Normannus Comes Flandriæ, obiit 1128. sine liberis.*

CAPUT XLIII.

Idem THEODERICUS ALSATIUS, *Flandriæ Comes, Abbatiam Ninivensem Ordinis Præmonstratensis anno* 1142. *in protectionem suscipit, petente Fundatore* GERARDO, *Ninivæ Domino.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. THEODERICUS Elsatius, divinâ dispensante providentiâ, Flandrensium Comes, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

QUANDO ea, quæ justa, quæ utilia, quæ honesta, quæ denique divina sunt, postulamur, piâ alacritate nos condecet facilem præbere assensum.

PROINDE petitioni devotæ Domini GERARDI de NINIVE, cognomento Constabularii, piè acquiescentes, Abbatiam de Ninive, sub nostro dominio & Flandrensi Advocatia tuendam, de manu ipsius Gerardi suscepimus, quasi Deo & hominibus pro ea responsuri, & mercedem æternam pro bene administrata protectione habituri.

PRÆFATUS siquidem GERARDUS temporibus nostris in suburbanis suis Abbatiam, in honore sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, & sanctorum Martyrum Cornelii & Cypriani, ob suam suorumque salutem instituit, ipsique summâ solertiâ necessaria procuravit. Sed quoniam vir sapiens & providus malis, quæ nostris temporibus perturbant Ecclesias, se resistere non posse consideravit, nobis & Successoribus nostris sponte suâ dominium & Advocatiam Abbatiæ & possessionum ejus, ore & manu & testimonio nostrorum suorumque hominum, commisit & dedit; ut vel etiam ipsi, vel Sequacibus suis, vel quibuslibet malum præfatæ Ecclesiæ molientibus justitiâ & potestate nostrâ obviaremus.

ABBATIAM igitur, quam liberam invenimus, liberamque suscepimus, liberam deinceps fore decernimus. Et si quis querelam in ipsam vel in res ejus habuerit, & ad præsentiam Comitis Flandrensis terminare noluerit, sed præsumptuosâ malitiâ ipsam vexaverit, Flandrensis Majestatis reus habeatur. Ut autem hæc bene ordinata optimè deinceps teneantur, Testium, qui rei gestæ interfuerunt, subscriptione & Sigilli nostri impressione hanc Decreti Paginam corroborare decrevimus.

Signum Otgeri Notarii,
S. Iwani de Gant,
S. Willelmi de Boular,
S. Michaëlis Constabularii,
S. Theoderici de Beverne,
S. Balduini de Wenteca,
S. Rogeri Tribuni de Curtraco,
S. Balduini de Sichem,
S. Gerardi de Netherwic,
S. Walteri Faityr.

ACTUM anno Incarnati Verbi millesimo 1142. centesimo quadragesimo secundo, Indictione quintâ, Epactâ XXII. Concurrente III.

CAPUT XLIV.

NICOLAUS *Cameracensis Episcopus Gerardi-Montensem Abbatiam Ordinis S. Benedicti circa annum* 1142. *dotat, & beneficia à suis Prædecessoribus aliisque præstita confirmat.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. NICOLAUS Dei gratiâ Cameracensium Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Officii nostri dictatione compellimur, ut Ecclesiarum incrementis Pastorali solicitudine invigilemus. Sed cùm ille unus cogitatur, qui nec excogitari potest, Deus Deorum, quis hanc solicitudinem habeat, quis usque ad satis impleat?

NOS autem in his, quæ ex parte sunt, Deo placere cupientes, ut cùm ea evacuabuntur, ad perfectum pertingamus, bonorum virorum in Cœnobiis degentium jejuniis, vigiliis & orationibus, divinâ miseratione elaborabimus.

IGITUR Prædecessorum nostrorum exemplis conformati, Venerabilis Filii nostri GEROLDIMONTENSIS Ecclesiæ Abbatis GERBODONIS petitionibus acquiescentes, tam sibi quàm Fratribus inibi servientibus, in subsidium Altare de (1) *Berga* liberum ac sine persona, salvis tamen nostris nostrorumque Ministrorum debitis, in perpetuum possidendum contradidimus.

UT verò tam hæc nostra Donatio quàm etiam & ea, quæ eidem Ecclesiæ à Prædecessoribus nostris, sive Principibus, ceterisque fidelibus ante collata cognovimus, rata in perpetuum permaneant, Sigilli nostri impressione ac fidelium nostrorum fideli attestatione confirmavimus;

ALTARIA scilicet, quæ ei Venerabilis hujus Ecclesiæ nostræ Episcopus GERARDUS secundus contulit; Altare de (2) *Holthem* cum appenditiis suis, (3) *Hildregem*, (4) *Idregem*, Altare de *Ockegem*, Altare de (5) *Tonincurth*, cujus obsonium

Vide supra pag. 513.

obſonium per ſingulos ſunt annos quattuor denarii; Altaria quæ MANASSES ejus Succeſſor contulit, Altare de (6) *Lergia*, Altare de (7) *Emelewordegem*, Altare de (8) *Goldegem*, cum appenditiis ſuis (9) *Impa* & (10) *Otregem*, quod ODO Epiſcopus contradidit; quod etiam BURCHARDUS tradidit, Altare de (11) *Aſplar*, cum appenditio ſuo (12) *Halu*.

Vide ſupra pag. 165.

SED & libertatem, quam ſuprà memorati Pontifices Gerardus & Manaſſes ei conceſſerunt & confirmarunt, ut in Altaribus ſuis nullus Miniſtrorum noſtrorum Synodum celebrare, niſi vocatus ab Abbate, auderet; ipſe etiam Abbas malefactores ſuos excommunicare, ſatiſque facientes abſolvere, niſi priùs conqueſtus fuerit Epiſcopo, licentiam haberet, & Altare de *Hunegem* cum appenditiis ſuis *Geroldimonte* & *Boular*, ab omni obſonio liberum, quod eidem Pontifices conceſſerunt, concedimus & confirmamus.

CONFIRMAMUS etiam & terras, quas pius ROTBERTUS Flandrenſis Comes, pro- cinctum Eccleſiæ ſcilicet, & duos dominicos manſos ſupra Teneram fluvium, cum prato ſuo, & terras arabiles de Monaſterii fonte, cum pratis & ſilvis ſive decimis, ab omni jure ſuo liberrimas dedit. Terras etiam quas STEPHANUS dedit de BRULAR in Lergia, terras de Holtem, terras de Bacrahem, terras de Scindelbecca, dimidium villæ de Spinegem, cum pratis & ſilvis; Morengem cum ſilvis & pratis, quartam partem villæ Torincurth cum ſilvis & pratis; terras quas eadem Eccleſia à S. Waldetrude cenſualiter in Vlienberga & Morbecca tenet, terras de Guatzoniſcurte cum ſilvis & pratis; terras de Waſterebba cum pratis, minutiaſque terrarum, quas ubi & ubi fideles contulerunt.

UT verò hæc Charta indiſſolubilis permaneat, Sigilli noſtri imaginatione firmata eſt: cuſtodientes eam, in perpetuum benedictione ditati, infringentes eam anathematis gladio ſont fauciati. Ad hoc Teſtes idonei introducti ſunt.....

(1) BERGA, hodie *Berghe* in ditione Campenhoutana, in cujus vicinia ſita eſt.
(2) HOLTHEM, hodie *Denderhauthem*, prope Ninoviam ad Teneram fluvium.
(3) HILDEGHEM, hodie *Helderghem*.
(4) IDREGEM, nunc *Eeregem* dicitur.
(5) TORINCURTH, hodie *Thorincourt* in Territorio Athenſi.
(6) LERGIA, hodie *Marien-Lierde*.
(7) EMELEWORDEGEM, hodie *S. Jans Emelverdegem*.
(8) GOLDEGEM, hodie *Erondegem* ſive *Eerdegem*.
(9) IMPA, *Impe*.
(10) OTREGEM, *Ottergem*.
(11) ASPLAR, hodie *Aſpelare*.
(12) HALU, hodie *Neer-Haſſelt*.

CAPUT XLV.

CONRADUS III. *Imperator, Poſſeſſiones ac Privilegia Abbatiæ S. Giſleni Ordinis S. Benedicti in Hannonia, ab aliis Imperatoribus ac Regibus collata anno 1145. approbat.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. CONRADUS Divinâ favente Clementiâ Romanorum Rex ſecundus. Æquitas juſtitiæ & regni auctoritas nos admonent, omnium Eccleſiarum paci & quieti clementer providere, & ipſarum jura illibata conſervare.

EAPROPTER omnium Chriſti noſtrique Regni fidelium, tam futurorum, quàm præſentium noverit induſtria, qualiter Vir Venerabilis EGERICUS, Abbas Monaſterii S. Giſleni, Celſitudinem noſtram adiens petiit; ut & hoc idem Monaſterium à Prædeceſſoribus noſtris, Dagoberto, Ottone III. Heinrico ſecundo, Cuonradn, itemque Heinrico tertio, Regibus & Imperatoribus conſtructum, ſub noſtræ defenſionis patrocinio ſuſciperemus; & res eidem Monaſterio pertinentes, ſicut in Privilegiis eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum continetur, eidem Cœnobio confirmaremus.

Nos itaque, ob Regni noſtri firmam ſtabilitatem, & animæ noſtræ noſtrorumque parentum perpetuam ſalutem, interventu quoque & petitione cariſſimæ Conjugis noſtræ GERTRUDIS Reginæ, precibus ipſius aurem clementiæ accommodantes, prædictam S. Giſleni Cellam, ita prorſus ab omni jure liberam, quòd nulli præter Creatorem ſuum Deum, ſervire habeat, ſub noſtræ tuitionis Patrocinio ſuſcepimus, & omnes res ad eam pertinentes, juxta tenorem Privilegiorum præfatorum Regum & Imperatorum, lege in perpetuum valiturâ, eidem Monaſterio renovamus & confirmamus.

ITEM renovamus, & Imperiali auctoritate confirmamus omnem poſſeſſionem jam dictæ Eccleſiæ, videlicet in terris, in pratis, in ſilvis, in aquis, in villis, & in ſervis; & nullum Advocatum præter Abbatem habere. Sanè ſervos cujuſcumque civitatis, caſtri, ſive alterius loci incolæ fuerint, lege nullâ impediente ſuæ Eccleſiæ lege aſtrictos, Abbatique ac ſi Domino & Advocato ſuo per omnia ſervituros, providâ judicii ratione aſſerimus.

STATUIMUS etiam, ut defuncto Abbate, Fratres ejuſdem Monaſterii, invocatâ Sancti Spiritus gratiâ, idoneum & utilem Rectorem liberè ſibi eligant. Adjicimus quoque, ut ſicut ex ſententia Principum coram nobis judicatum eſt, nullus Villicationem in poſſeſſionibus, ad eumdem locum pertinentibus, hereditario jure teneat vel repetat: ſed Abbas, qui pro tempore fuerit, idoneum & fidelem Villicum de familia Monaſterii conſtituat & deponat. Ac ſi quis de

familia

familia Monasterii Abbati suo rebellis inventus fuerit, ex judicio & districtione Parium suorum ad satisfactionem Abbatis cogatur.

Decrevimus ergò, & Regiâ auctoritate præcipimus, ut nullus Successorum nostrorum Regum & Imperatorum, nullus Episcopus, Dux, Marchio, Comes vel Vicecomes, aut alia quælibet persona, magna sive parva, hujus nostræ renovationis Confimationem infringere præsumat; sed prædictus Abbas suique Successores, nostrâ freti auctoritate, bona Monasterii recolligendo, pristinam ejusdem loci libertatem sine impedimenti molestia obtineant.

Si quis verò, quod absit, hujus Præcepti nostri statutum infringere tentaverit, centum libras auri puri componat, quarum partem dimidiam Fisco nostro, & reliquam prædicto Monasterio persolvat. Ut autem hæc ab omnibus credantur & inconvulsa serventur, hanc inde Chartam scribi, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus, manuque propriâ corroborantes, idoneos Testes subternotari fecimus.

Harbertus Trajectensis Episcopus.
Anselmus Havelbergensis Episcopus.
Heinricus Comes de Gelra.
Godefridus de Cuich,
Et Frater ejus Hermannus.
Walterus de Lovenhuse.
Marquardus de Grumbach.
Signum Domini Cuonradi Romanorum Regis secundi.

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Heinrici Archiepiscopi Moguntini & Archicancellarii, recognovi, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo quinto, Indictione VIII. regnante Cuonrado Romanorum Rege secundo, anno verò Regni ejus VII. Data est apud Altinam in Christo fideliter, amen 1145.

CAPUT XLVI.

Conradus III. *Imperator suum erga Cathedralem Ecclesiam Ultrajectensem testatur affectum, anno* 1145; *quod ipsum confirmat eodem anno* Eugenius III. *Pontifex.*

Auctum & correctum ex Historia Ultraject. Wilhelmi Hedæ.

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis Filiis, Decano & Capitulo Ecclesiæ Trajectensis, gratiam, gloriam & Apostolicam benedictionem. Supplicatio charissimi in Christo Filii (1) Conradi III. Regis Romanorum Illustris, nobis per dilectum Filium (2) Conradum ipsius Fratrem, vestræ Ecclesiæ Præpositum, propter hoc ab eodem Rege ad Romanam Curiam destinatum, continebat, ut Privilegia per Romanorum Reges & Imperatores Antecessores suos Ecclesiæ vestræ concessa, nec non Privilegium ab ipso Ecclesiæ vestræ prædictæ concessum, auctoritate Apostolicâ dignaremur confirmare, cujus Privilegii tenor talis est:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Conradus Divinâ favente Clementiâ, Rex Romanorum III.

Si Ecclesias Dei amplificamus & earum jura Regali auctoritate tuemur & confirmamus, Antecessorum nostrorum piorum Regum vel Imperatorum exempla imitamur, & hoc nobis ad Regni nostri celsitudinem, & præcipuè ad animæ nostræ salutem profuturum non ambigimus.

Ea propter tam futurorum quàm præsentium Christi nostrique fidelium Regni noverit industria, quòd nobis apud Trajectum Civitatem residentibus, & de pace ac de statu Regni tractantibus, fidelis noster Hardbertus ejusdem loci Venerabilis Episcopus, Conradus Frater noster Præpositus, Decanus & Capitulum Majoris Ecclesiæ dictæ Civitatis ad nostram præsentiam venerunt, nostræ Celsitudini supplicantes, ut sicut Antecessores nostri pii Romani Reges & Imperatores, ipsam Ecclesiam Trajectensem multis honoribus & Privilegiis dotaverunt: sic nostra Regalis Excellentia ipsorum vestigia imitando, dictæ Ecclesiæ aliquam honoris prærogativam concedere dignaremur.

Nos itaque considerantes, quod Regalem decet Excellentiam, illos honorare debere prærogativâ ampliori, quorum devotionem continuis obsequiis experimur, attendentes etiam nos & Antecessores nostros Reges & Imperatores in dicta Ecclesia à fundatione ejus, (3) inter Canonicos primum locum obtinere, nostramque Præbendam in eadem duos deservire Sacerdotes, pro nostrâ salute & Regni tranquillitate ac pace Dominum exorantes, & dicti Hardberti Venerabilis Episcopi fidele servitium, ac dilectorum nobis Decani & Capituli grata obsequia & devotionem frequentem, quâ nostram Regalem Excellentiam & dilectam Conjugem nostram (4) Gertrudim Reginam, per aliquod tempus in ipsa Civitate commorantem, plurimùm honorarunt:

Et propter hoc volentes eandem Ecclesiam Majorem Trajectensem honoris prærogativâ speciali sublimare, ob remedium animæ nostræ, & animarum Domini (5) Henrici III. Avi nostri (cujus viscera in ipsa Ecclesia pro pignore sunt sepulta) & Henrici IV. Avunculi nostri Imperatoris, nec non interventum dilectæ Conjugis nostræ Reginæ prædictæ, ac Conradi Fratris nostri charissimi, ejusdem Ecclesiæ Præpositi, jus eligendi & instituendi Episcopum in ipsa Ecclesia, quod ad Reges Romanorum & Imperatores

Imperatores pertinere dignoscitur, & ab Antecessoribus nostris Regibus & Imperatoribus usque ad nostra tempora est devolutum, & deductum, antedictis Præposito, Decano, ac Capitulo Ecclesiæ Trajectensis, ac dilectis nostris Præposito, Decano, & Capitulo Ecclesiæ Sancti Bonifacii ejusdem loci, eidem Majori Ecclesiæ ab earum fundatione speciali fraternitate, ut nobis innotuit, conjunctis, in donationem perpetuam Regali magnificentiâ concedimus in donum;

ET damus potestatem nostram omnimodam, à nullo Successorum nostrorum infringendam, ut cùm Episcopatum prædictum vacare contigerit, iidem Præpositi, Decani, & Capitula Majoris & Sancti Salvatoris Trajectensis antedicti, & nulli alii, nisi Ecclesiarum suarum Concanonici Episcopum alium eligendi plenariam habeant potestatem.

UT autem hæc nostra Donatio, Donum & Privilegium Regiâ magnificentiâ voluntariè ac liberaliter concessa iisdem perpetua sint, & rata credantur ab omnibus, & inconvulsa omni deinceps tempore conserventur, hac in Charta conscribi jussimus, manu propriâ, ut infrà videtur, corroborantes; idoneos Testes, qui præsentes aderant, subter-notari fecimus; quorum nomina hæc sunt:

Ancelmus Havelburgensis Episcopus,
Albero Leodiensis Episcopus,
Wernerus Monasteriensis Episcopus,
Nicolaus Cameracensis Episcopus,
Udo Offenburgensis Episcopus,
Walramus Dux,
Wilhelmus Comes Palatinus,
(6) Henricus Comes de Zutphene,
Arnoldus Comes de Clivo,
Adolphus Comes de Monte,
(7) Henricus Comes de Gelre,
Conradus Frater noster Præpositus Trajectensis,
Emo Præpositus S. Bonifacii,
Conradus Tielensis Præpositus,
Lambertus S. Petri Præpositus,
Godefridus de Renen,
Alardus de Megene,
Otto Præfectus Trajectensis,
Egbertus de Amstelle,
Bertoldus de Aldenseele,
Jacobus de Satersloe.
Signum Domini Conradi Romanorum Regis III.

EGO Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo quinto, Indictione VIII. XV. Kalend. Novembr. regnante Conrado Romanorum Rege tertio, anno verò Regni ejus VIII. Data apud Trajectum, in Christo feliciter. 1145.

EA propter nos pro nostræ Ecclesiæ reverentia, & ejusdem Regis supplicantis instantia inclinati, considerantes etiam ad Ecclesiam vestram dicti Regis devotionem, quâ ipsam Regali magnificentiâ favorabiliter & excellenter honoravit, antedictum Privilegium, cujus tenor his nostris Apostolicis Literis de verbo ad verbum est insertus, & omnia Privilegia per Romanos Reges & Imperatores Ecclesiæ vestræ ad honorem Christi & Ecclesiæ exaltationem concessa, Apostolicâ auctoritate confirmamus, inhibentes sub anathematis vinculo, ne Imperialis, vel Regalis, vel Episcopalis, vel Clericalis, vel Laicalis persona aliqua cujuscunque statûs & conditionis existat, ipsam Ecclesiam Trajectensem, contra hujusmodi Privilegium & nostræ Confirmationis tenorem, molestare, aut in ejusdem præjudicium in præmissis quidquam in perpetuum audeat attentare, decernentes irritum & inane, si quid à quoquam in contrarium fuerit attentatum.

NULLI ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis Paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

DATUM Romæ apud Sanctum Petrum XV. Kalendas Aprilis, Pontificatûs nostri anno primo.

CAPUT

EXstat & alterum ejusdem Conradi III. Imperatoris Diploma, in favorem ejusdem Ecclesiæ hoc ipso anno 1145. scriptum, quod inter alios signarunt, Henricus Comes de Gelre, Godefridus de Arnesberch, & Frater ejus Comes Hermannus, Theodericus de Altena, & Gerardus de Marken.

Additio. (1) CONRADUS III. De Imperatoribus Conradis vide Notas nostras superiùs pag. 184.

(2) CONRADUS Frater Gertrudis Conjugis Conradi III. Imperatoris, Præpositus Cathedralis Ultrajectinæ; à quibusdam perperam dicitur fuisse Episcopus Passaviensis, ac dein Archiepiscopus Salisburgensis.

(3) INTER CANONICOS Ultrajectenses olim primum locum obtinebat Imperator, cujus Præbendam deserviebant duo Sacellani. Similiter hodieque Romanus Imperator est Canonicus Romæ in Basilica Vaticana Divi Petri, tanquam fidei defensor & propagator ac totius Ecclesiæ Advocatus; item Aquisgrani in Collegio Deiparæ Virginis, Coloniæ in Metropolitana, Bambergæ, Ratisbonæ & alibi in Cathedralibus.

Sic etiam Rex Galliæ est Abbas S. Martini Turonensis, Comes Hannoniæ Abbas S. Waldetrudis Montibus, Dux Brabantiæ Canonicus ad S. Gertrudem Nivellis, & ad S. S. Servatium Trajecti ad Mosam.

(4) GERTRUDIS. Vide Notas nostras pag. 181.

(5) HENRICUS Imperator, obiit Ultrajecti die 23. Maii 1125, Viscera ejus Ultrajecti, corpus Spiræ, sepulta fuerunt.

(6) HENRICUS Comes de Zutphene. (7) HENRICUS Comes de Gelre. Hi duo Comites, nimirum Zutphaniensis & Gelrensis, inter Testes anno 1145. numerantur. Ex quo liquet duos istos Comitatus illo ævo nondum fuisse unitos, ut rerum Gelrensium Scriptores volunt.

CAPUT XLVII.

Idem EUGENIUS III. *Papa Possessiones Abbatiæ Ninivensis Ordinis Præmonstratensis confirmat, anno* 1147.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis GERARDO Abbati Ecclesiæ S. Cornelii Ninivensis, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris, canonicam vitam professis in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur, quod Religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

EAPROPTER dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam B. Cornelii Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona inpræsentiarum eadem Ecclesia justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

TOTAM decimam ejusdem villæ cum appenditiis suis, *Herlinchoven* cum tota decima, *Lidekerkensem* Ecclesiam cum tota decima & appenditiis suis, scilicet *Lombeca*, *Stritbem*; partem decimæ apud *Menz*, curtem *Netherwich* cùm prato, piscatione in Tenera ubique, cum Advocato, duo molendina cum mansis juxta Ecclesiam Ninivensem, curtem *Rubroc* cum circumjacentibus terris & silvis, terram Hugonis Gantis, & Fratris ejus Gisleberti; silvam *Mentogh* à Gerardo Advocato emptam, curtem *Wendencote* cum circumjacentibus terris & pratis; hereditatem Henrici Gonversum de Herlincoven, alodium de *Rosilar* cum nemusculo *Stonbecca*; alodium quod dedit Herbrandus de Merbeca; terram cum silva Gualteri de Curia, terram quam dedit Theodericus de Inferno; terram quam dedit Castellanus Bruxellensis, assensu Guidonis & Gualteri de Hosdem apud *Senesiam*; terram quam dedit Usso Pauper, assensu Fratris sui Gislardi apud *Arken*; terram quam dedit Albricus cum silua & prato apud eamdem villam.

SANE agrorum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimas exigere præsumat. Prohibemus quoque, ut nullus Fratrum, post factam ibidem professionem, absque Abbatis sui permissione, ex eodem claustro audeat discedere; discedentem verò, absque litterarum communium cautione, nullus suscipere vel retinere præsumat.

DECERNIMUS ergò ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integrè conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ.

SI qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

CAPUT XLVIII.

Idem EUGENIUS III. *Papa confirmat Possessiones & Privilegia Abbatiæ Affligemiensis Ordinis S. Benedicti, anno* 1148.

EUGENIUS Episcopus Servus servorum Dei, dilecto Filio GODESCALCO, Abbati Affligemensis Monasterii, ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Desiderium, quod ad Religionis propositum & animarum salutem pertinere dignoscitur, auctore Deo, sine aliqua est dilatione complendum.

EAPROPTER dilecte in Domino Fili, Godescalce Abbas, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Beati Petri Affligemensis Monasterium, cui Deo auctore præesse dignosceris, ad exemplar Prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ, Paschalis & Calixti Romanorum Pontificum, sub Beati Petri & nostra prote-

protectione suscipimus, & præsentis Scripti Privilegio communimus:

STATUENTES, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium inpræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium aut aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque Successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis;

ECCLESIAM de (1) *Ascha*, à Personatu & Episcopali obsonio liberam & quitam, & quidquid Comes HENRICUS bonæ memoriæ, consentiente Fratre suo Godefrido, præfato Monasterio de sui juris allodio dignoscitur contulisse; Ecclesiam S. Petri in (2) *Frasna*, Cellam & Ecclesiam S. Andreæ prope *Brugas*, Cellam & Ecclesiam S. Mariæ in *Wavria*, Cellam & Ecclesiam S. Mariæ in *Bornhem*, Cellam S. Mariæ in *Vliederbecka*, cum Ecclesiis de (3) *Lindenaet*, & (4) *Villebrinca*, Ecclesiam in (5) *Genappa*, ex dono Comitissæ IDÆ BONONIENSIS, allodium cum terris & silvis in ipsa Villa *Genapia*; terram, quam præfatum Monasterium habet sub annuo censu ab Ecclesia Nivellensi, & Lenso & Anselo, Monasteria Sanctimonialium in *Foresto* & *Bigardis*, Ecclesias quoque de (6) *Eschen*, *Hekelgem*, *Morselle*, *Wiese*, *Herdinghem*, *Erembodeghem*, *Merchtene*, *Lenendecke*, *Meerbecka*, *Ossenfele*, *Londerfele*, *Lisele*, *Puersche*, *Baesrode*, cum omnibus eorum pertinentiis, liberas à Personatu, salvis dumtaxat Episcopalibus obsoniis; terras in Anglia ex dono Alcidis, relictæ Henrici Regis Anglorum, in *Iderswerda* & *Westerneredona*, in *Vremdyck*, *Frondic* & *Pakenge*, Beckarias..... dono Theoderici Comitis Flandrensium, & Clementiæ Comitissæ Uxoris Roberti Comitis, in (7) *Zellecka* & *Cobbegem* & *Getza* alodia.

QUIDQUID verò immunitatis & libertatis à Cameracensibus Episcopis, Gerardo, Odone, Burchardo & Nicolao eidem Monasterio justè collatum est, vobis nihilominùs confirmamus. Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium seu Basilicarum, Ordinationes Monachorum, qui ad Sacros Ordines promoveri à Diœcesano .... Episcopo, si quidem gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit, & ea gratis voluerit exhibere. Alioqui liceat vobis Catholicum, quem malueritis, adire Antistitem, qui nimirum, nostrâ fultus Auctoritate, quod postulatur indulgeat.

OBEUNTE verò te, nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi quâlibet surreptionis astutiâ seu violentiâ proponatur, nisi quem Fratres communi consensu vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem, & Beati Benedicti Regulam, vel de suo, vel alieno, si oportuerit, Collegio elegerint. Illud quoque adjungimus, ut vestri Monasterii aut Ecclesiarum vestrarum Advocatis facultas non sit pro se personam aliquam in Advocatia supponere, per quam ejusdem Cœnobii aut Ecclesiarum bona dissipentur.

DECERNIMUS ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel aliquibus vexationibus fatigare. Sed omnia integrè conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate & Diœcesanorum Episcoporum canonicâ justitiâ.

SI qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis Paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eodem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud Christum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen.

EGO EUGENIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus signavi.

DATUM Remis per manum Guidonis, S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, III. Nonas Aprilis, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno M. C XLVIII. 1148.
Pontificatûs verò Domini Eugenii III. Papę IV

C A-

Additio. (1) ASCHA, celebre & amplum Brabantiæ Municipium, Bruxellas inter & Alostum, erectum fuit in Marchionatum anno 1663. in gratiam *Guilielmi de Cottereau* Baronis de Jeauche, qui tanquam Aschæ Toparcha Hereditarius est Brabantiæ Vexillifer.

Abbatia Affligemiensis plurima illic prædia, prata, decimasque hodiedum possidet; Patronatus verò Ecclesiæ incorporatus fuit Collegio *Adriani VI* Pontificis Lovanii, procurante *Guilielmo Enckevordio* S. R. E. Cardinale & Ultrajectensi Episcopo, qui quondam hoc in loco Pastorem egerat. & Romæ obiit anno 1536.

(2) FRASNA, WAVRIA &c. Quinque olim Cellæ sive Prioratus subjiciebantur Abbatiæ Affligemiensi, videlicet *S. Andrea* prope Brugas, & *Vliederbeca* prope Lovanium, è quibus paulò post ortæ sunt duæ Abbatiæ ab Affligemiensi sejunctæ. Prioratus B. Mariæ in *Wavria*, speciali Deiparæ cultu celebris hodiedum subsistit; uti & *Bornhemiensis* aliqualiter; sed *Frasnensis* jam dudum desiit. Suberant quoque olim Affligemio Abbatiæ Virginum in *Foresto*, *Majori Bigardia*, & *Cortemberga*.

(3) LINDENAET, aliàs *Linden*, prope Lovanium, sub Patronatu Abbatis Vlierbacensis.

(4) VILLEBRINCA, aliàs *Willebringe*, Vicus prope Thenas, cujus Patronatum gerit Abbas Vlierbacensis.

(5) GENAPPA, Municipium Gallo-Brabantiæ sub Diœcesi Namurcensi, & Patronatu Affligemensi; de quo plura vide suprà Cod. Donat. Piar. Cap 67 in Notis. Legitur quoque ibidem Donatio Idæ Comitissæ hoc loco memorata.

(6) ESCHEN HEKELGEM &c. Vici isti omnes subsunt Archi-diœcesi Mechliniensi, & Patronatui Archi-Episcopi quà Abbatis Affligemiensis. Plerique siti sunt prope Alostum.

(7) ZELLECKA prope Bruxellas & *Cobbeghem* prope Alostum, hodie subsunt Episcopi Gandavensis Patronatui, quà heredis jurium Abbatiæ S. Bavonis Gandavi, Affligemienses plurima illic bona & prædia possident.

CAPUT XLIX.

GODEFRIDUS III. *Dux Brabantiæ à* CONRADO III. *Imperatore constituitur Advocatus Abbatiæ Tungerloënsis, Ordinis Præmonstratensis in Brabantia, circa annum* 1150.

IN nomine Sanctæ Trinitatis ac Individuæ Unitatis. Notum esse volumus tam futuris quàm præsentibus, quòd ego GODEFRIDUS Dux Lotharingiæ, pro remedio animæ meæ Prædecessorumque meorum, ad petitionem Domini Henrici venerabilis Abbatis de Tongerloo, Fratrumque suorum, Advocatiam illius loci à glorioso Romanorum Rege CONRADO susceperim, ut omni exactione exclusâ, & tali conditione suppositâ, nulli eam nec Ego, nec aliquis Successorum meorum in feodum dare debeat; sed ut dictum est, pro salute animæ meæ meorumque, cuncta ibi inpræsentiarum Deo ejusque Genitrici Inviolatæ Mariæ Virgini rationabiliter collata, & in posterum à fidelibus Christi justo & rationabili modo conferenda, æquâ defensione ac patrocinio tueri debeam, & omnem injuriam, Deo adjuvante, propulsare.

UT autem in eodem loco honor Dei amplietur, & Fratres ibidem commorantes liberiùs & expeditiùs Deo servire valeant, & mei meorumque memoriam devotiùs habeant, liberali animo & gratanter concedo, ut si quis de familia & de ministerialibus meis eidem Ecclesiæ conferre voluerit aliquod suum allodium, liberè hoc faciat; Fratres autem meâ freti auctoritate suscipiant, & in proprios usus redigant.

ET ut hujus actionis Auctoritas tempore præsenti & futuro inconvulsa permaneat, hanc Chartam inde conscriptam sigillo nostro signari fecimus. Ea verò quæ ad Ecclesiasticam censuram pertinent Domnus Papa EUGENIUS suo Privilegio corroboravit, atque in hujus caussæ violatores indignationem Dei Omnipotentis, cum anathemate promulgavit. Hujus rei Testes sunt,

Ludowicus Comes de Lon,
Arnoldus Comes de Arschot,
Henricus Comes de Gelre,
Otto Comes de Duraz,
Leonius de Bruxella,
Wilhelmus de Birbeka,
Reinerus de Tildone,
Gerardus de Hildeberche,
Henricus Sneparth,
Reinerus de Heverle,
Goscelinus de Holthem,
Arnoldus Dapifer,
Et Frater ejus Godefridus.

CAPUT L.

MILO *Teruanensis Episcopus Capellam de Odersele, Monachis Andrensibus ab illius loci Domino* GUIDONE *donatam confirmat, anno* 1150.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen. Notum sit omnibus Sanctę Matris Ecclesiæ Filiis, modernis & futuris, quòd GUIDO de(1)Odersele, pro anima Patris sui Gaufridi, & Hadewidis Matris suæ, dedit in perpetuam eleëmosynam Ecclesiæ Andernensi, Monachisque ibidem Deo servientibus, Capellamquamdam apud *Odersele*, in honore S. Trinitatis & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ fundatam. Dedit etiam eis in perpetuum omnia allodia sua.

QUAM eleëmosynam & donationem Ego (2) MILO, Dei gratiâ Morinorum Episcopus, prædictæ Ecclesiæ Andernensi in perpetuam Possessionem auctoritate proprii Sigilli confirmo.

ET quia prædictus Guido hanc Donationem, ut ego eam, ad opus supradictæ Ecclesiæ, Episcopali auctoritate confirmarem, & manu tenerem, in manus meas reddidit, ego eam eidem Ecclesiæ Monachisque ejusdem loci, jure Ecclesiastico, perpetuò possidendam statuo. Hujus rei Testes sunt,

Philippus Archidiaconus,
Guilielmus Decanus,
Lambertus Presbyter de Frettun,
Arnulfus Presbyter Andernensis,
Balduinus de Milham, Canonicus Taruanensis,
Manasses Cantor Boloniæ,
Balduinus de Campanies,
Hugo de Colebere,
Hugo Vitulus,
Florentius de Floringeseles,
Theobaldus, & Arnulfus Frater ejus,
Gaufridus Nepos Hugonis Vituli,
Gaufridus de Boches,
Simon Frater ejus,

Gode-

Godefridus de Felnes,
Frameritius de Ruberge.

Si qua autem in posterum Ecclesiastica secularisve persona contra hanc nostræ Constitutionis Paginam ire tentaverit, semel, secundò, tertiòve commonita, excommunicationi subjaceat, & à Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, donec resipiscat & ad emendationem veniat.

ACTUM anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo. 1150.

Additio. (1) ODERSELE, aliàs *Oudezeele*, Parochia Castellaniæ Casletensis in Flandria, sub Diœcesi olim Teruanensi seu Morinensi, dein verò Iprensi. Patronatum Ecclesiæ olim habuit Abbas Andrensis Ordinis S Benedicti; nunc vero possidet Abbatissa de Blendecque Ordinis Cisterciensis, in Diœcesi Audomarensi.

(2) MILO I. ex Abbate S. Judoci in Nemore Dommartinensi Ordinis Præmonstratensis electus anno 1130. in Episcopum Morinensem, anno 1159. die 15. Julii, obiit. Inter Sanctos Belgii nostri recensetur in Fastis Belgicis ac Burgundicis die 13. Novembris. Successit ei Milo II. Nepos ejus & Archidiaconus, & Abbas Ruffellivillæ Ordinis S. Augustini in Arthesia; qui obiit anno 1164.

CAPUT LI.

FREDERICUS I. BARBAROSSA *Imperator, anno 1152. declarat quæ sint jura Advocati Ecclesiæ Marsnensis, in Agro Falcoburgensi, quæ olim fuit Benedictinorum, nunc verò est Præpositura Canonicorum Regularium Aquæcurtensium.*

FREDERICUS Dei Gratiâ Romanorum Rex. Ad præcidendas occasiones dissentionum inter Dominum G. de Henneberg, & Confratres de Ecclesia S. Remigii qui (1) in Curia Marnensi gravem injuriam à prædicto G. se perpessos esse, sæpiùs conquesti sunt, misimus Nuntios nostros R. Decanum Aquensem, & A. Scultetum, & Macelinum Marscalcum nostrum, qui diligenti inquisitione perquirerent, quid juris Dominus G. in Curia Marnensi ex Advocatia, quæ ad Regnum pertinet, habere deberet, & veritatem rei, scripti adtestatione, Nobis repræsentarent.

SICUT igitur prædicti Nuntii nostri ab hominibus, qui ad prænominatam Curiam pertinent, sub juramenti assertione veraci relatione cognoverunt, Scripto præsentis Paginæ ad eommunem notitiam deferebant, in Curia MARNENSI hæc sunt jura Regni.

IN tribus generalibus Placitis, tertia pars omnium, quæ acciderint, Domini Regis est; duæ verò reliquæ ad Curiam pertinent. Alio autem tempore, si quid fortè emerserit, videlicet effusio sanguinis, vel latrocinium, prima quidem Domini Regis est, altera verò Curiæ, tertia autem Comitis erit. Prætereà in tribus singulis generalibus Placitis, viginti solidos & unum ex debito jure Dominus Rex habebit, & modium tritiei.

SUPERSUNT adhuc tres Curiæ, Clumma, Sehinna, Schinmortera, quæ pariter, in singulis prædictis placitis, decem & novem solidos & modium tritiei reddunt: prætereà sexaginta & unum & dimidium avenæ maldra, in Natale Domini solvenda. Adhuc etiam prædicta Curia, Clumma scilicet, quadraginta maldra, pro Marna, Domino quoque Regi persolvit.

IN sæpedictis Placitis Becca etiam sex solidos, toto autem anno duodecim avenæ maldra, duobus sumbrinis minùs.

ASSERIT prætereà sæpe dicta Curia Marnensis, & veraciter affirmat, se nullum prorsus debere habere Advocatum, nisi vel ipsum Dominum Regem, vel cum quem ipse propriâ manu sibi substituerit.

HAC veritate cognitâ, de Curia Marnensi, sub obtentu gratiæ nostræ, præcipimus, ne ultra præscriptum servitium quisquam Advocatus majus servitium in posterum expostulare præsumat. Hujus rei Testes sunt,

Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus,
Bernardus Paderburnensis,
Arnoldus Cancellarius,
Henricus Notarius,
(1) Dux Welpho,
Marchio Albertus,
Comes Ulricus de Lencenburg,
Marcuardus.

ACTA sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo, Indictione decimâ quartâ, anno etiam Domini Regis Frederici primo. 1152.

DATA Paderburnæ, per manus Arnoldi Cancellarii.

(1) IN CURIA MARNENSI. Sic in ipso Autographo (quod Abbas Aquarum Curtarum in Artesia mecum communicavit) hic & infrà passim legitur. Alioqui dicenda MARSNENSIS Curia, à Marsna seu Marsana, vulgò *Meersen*, in Agro Falcoburgensi, secundo lapide à Trajecto Mosæ.

Additio. Porrò de Marsnensi Cœnobio, variâque ejus fortunâ latiùs suprà egimus, signanter Codice Donationum Piarum cap. 37. & 97. & Lib. 1. Diplomatum Belgicorum cap. 64.

 Henri-

Henricorum & Fredericorum *Imperatorum Stemma.*

- *Henricus III. Imperator Conradi Salici Imperatoris Filius duxit Agnetem obiit 1056.*
  - *Henricus IV. Imperator duxit Bertam, 2 Adelheidem Godefridi Bullonii Sororem, obiit 1106.*
    - *Ex 1. Conradus, obiit 1101.*
    - *Henricus V. duxit Mathildem Filiam Henrici I. Regis Angliæ, obiit 1125. sine liberis.*
    - *Agnes Uxor Frederici I. Ducis Sueviæ. 2 Leopoldi Marchionis Austriæ.*
      - *Fredericus II. Luscus, Dux Sueviæ duxit Juditham, obiit 1139.*
        - *Fredericus I. Imperator duxit Beatricem Filiam Rainaldi III Comitis Burgundiæ, obiit 1191.*
          - *Henricus VI. Imperator duxit heredem Siciliæ, obiit 1197.*
            - *Fredericus II quondam Imperator, obiit 1250.*
              - *Conradus, obiit 1254.*
                - *Conradinus.*
          - *Fredericus Dux Sueviæ, obiit in Syria.*
          - *Conradus Dux Rotenburgi.*
          - *Otho Comes Burgundiæ duxit Margaritam Blesensem, obiit 1200.*
            - *Beatrix Uxor Othonis Ducis Meraniæ, qui obiit 1230. Vesontione sepultus.*
              - *Otho III. Comes Burgundiæ. Dux Meraniæ obiit 1248.*
                - *Alidis Uxor Hugonis de Chalon, qui obiit 1266.*
          - *Philippus Cæsar electus in schismate, obiit 1208.*
        - *Conradus Dux.*
        - *Judith Uxor Matthæi I. Ducis Lotharingiæ.*
      - *Conradus Imperator, obiit 1152.*
        - *Henricus.*
        - *Fredericus.*
        - *Judith Uxor Ludovici II. Lantgravii Thuringiæ.*
      - *Theodericus periit naufragio, 1119*
  - *Conradus Dux Bavariæ.*
  - *Mathildis Uxor Rodulfi Ducis Sueviæ. 1057. Imperatoris electi 1077. qui obiit 1080.*
    - *Agnes Uxor Berchtoldi Ducis Zeringiæ.*
      - *Conradus Dux Zeringiæ.*

I. (2) Dux Welpho. De Welphonum seu VVelforum Gente haut abs re fuerit hîc pauca adnotare. VVelfus seu VVelpho IV. cognomento Robustus, Azonis Marchionis Ferrariensis Filius, ab Henrico IV. Cæsare (qui tum Natalem Domini Goslariæ celebrabat) successionem in VVelfi Avunculi sui Ducatu Bavarico impetravit, operâ Rudolfi Ducis Sueviæ, & VVelforum Familiam quasi emortuam suscitavit. Ad bellum sacrum anno 1101. profectus, in Cypro obiit, ut Albertus Aquensis & Aventinus lib. 5. narrant.

Ex Juditha Conjuge, Balduini Flandriæ Comitis Filia, Angliæ Regis Vidua, *Welfum* V. & *Henricum* cognomento Nigrum Filios genuit. VVelfus V. duxit Mathildem Marchionis Italici Filiam, Godefridi Gibbosi Lotharingiæ Ducis viduam.

II. Henricus Niger ex VVulfhilde, Magni Saxoniæ Ducis Filia, genuit Henricum Superbum, Saxoniæ & Bavariæ Ducem, VVelfum VI. & quatuor Filias, & an. 1127. obiit. VVelfus VI. fuit Marchio Tusciæ, & Dux Spoleti, bis in Terram Sanctam anno 1147. & 1167. profectus.

III. Henricus Superbus anno 1139. obiit, cùm ex Gertrude Lotharii Imperatoris Filia sustulisset Henricum Leonem Saxoniæ & Bavariæ Ducem, cujus res gestas Arnoldus Lubecensis fusè describit.

De ejus potentia Galfridus Anglus (qui Sigeberti Chronicon continuavit) hæc narrat: Nullus est homo, qui tantas habeat possessiones, sicut iste, nisi fuerit Imperator aut Rex: nam 40. Urbes habet, & 67. Castella, exceptis pluribus villis.

Henrico Leoni, ex Mathilde Henrici Regis Angliæ Filia, tres nati sunt Filii, Otho IV. Cæsar, Henricus per Matrimonium factus Comes Palatinus ad Rhenum, qui inter belli sacri Duces anno 1197. enituit. & Guilielmus Horum Fratrum postremus reliquit Filium Othonem primùm Ducem Brunsvicensem ac Luneburgensem, illius Familiæ (quæ hodieque superest) conditorem. IV. V.

Ceterùm VVelfus VI. cognomento Beneficus, Henrici Nigri Filius, adversus Conradum III. Imperatorem bella gessit; à quo VVinspergæ cùm esset obsessus, Matronarum pietate ac fide pax conciliatur. Hæ namque ex pacto salvæ abire, & quantum humeris sustinere possent exportare jussæ, pro supellectile maritos extulerunt. VVelfus itaque in gratiam receptus, posteà in Asiam ad bellum sacrum anno 1147. cum Conrado III. Cæsare profectus est, ac demum Augustæ vitam finivit.

Tyrius lib 17. cap. 1. ipsum vocat virum illustrem ac potentem. Otho Frisingensis lib. 1. de rebus Gestis Frederici Imperatoris cap. 40. Guelfo, inquit, Henrici prioris Ducis Frater, de Nobilissimis Regni Optimatibus in ipsa Nativitatis Dominicæ nocte in propria valle Bitengou eamdem militiam Hierosolymitanam cum multis professus fuerat.

Anno 1172. Henricus Leo in Syriam se contulit. Anno 1180. Fredericus Imperator Henricum Leonem, à se proscriptum, Ducatibus Saxoniæ & Bavariæ spoliavit: obiit demùm Brunsvici anno 1195.

Welforum *sive* Welfonum *Stemma.*

- *Welfo II. Welfonis I. Comitis Altorfensis Filius.*
  - *Welfo III.*
    - *Azo VI. Marchio Estensis.*
  - *Cuniza Uxor Azonis V. Marchionis Estensis.*
    - *Welfo IV. Robustus, Dux Bavariæ duxit Juditham, obiit 1101. in Cypro.*
      - *Fulco, à quo Marchiones Estenses & Duces Ferrariæ.*
      - *Welfo V. Dux Bavariæ, obiit sine liberis 1115.*
      - *Henricus Niger Dux Bavariæ.*
        - *Henricus Superbus duxit Gertrudem, obiit 1141.*
          - *Henricus Leo Dux Bavariæ. Saxoniæ. obiit 1195.*
            - *Guilielmus Comes Luneburgensis, obiit 1213.*
              - *Otho Dux I. Brunsvicensis & Luneburgensis, obiit 1252.*
                - *Albertus Magnus Dux Brunsvicensis, obiit 1279.*
                - *Joannes Dux Luneburgensis, obiit 1276.*
            - *Otho IV. Imperator, 1208*
            - *Henricus Comes Brunsvicensis & Palatinus Rheni per Uxorem, obiit 1227.*
              - *Agnes Uxor Othonis Ducis Bavariæ à quo Comes Palatinus Rheni.*
        - *Welfo VI. Dux Spoleti, obiit 1179.*
          - *Welfo VII. Dux Spoleti, obiit Romæ.*
        - *Judith Uxor Frederici Ducis Sueviæ Mater Frederici I. Imperatoris.*

WELFO

Welpo IV. cognomento Robustus, Dux Bavariæ, inter testes hoc capite citatus, duxit Juditham, Balduini Insulani Flandriæ Comitis (ut tradunt) Filiam, & in Cypro anno 1101. decessit.

Welpo V. ejus Filius Uxorem habuit Machildem, Bonifacii Tusciæ & Spoleti Marchionis Filiam, obiitque 1115. non relictâ sobole.

Henricus Superbus, Saxoniæ & Bavariæ Dux, Matrimonio sibi junxit Gertrudem Lotharii II. Imperatoris Filiam. A Conrado III. Imperatore proscriptus, anno 1141. obiit. Ejus Filius Henricus Leo, Dux Saxoniæ & Bavariæ, à Frederico I. Imperatore proscriptus ac ditionibus suis anno 1180. privatus. Brunsvici anno 1195. decessit, teste Sterone, tom 1. Canisii. Duxerat Mathildem Henrici II. Anglorum Regis Filiam, Richardi Regis Sororem.

Ducatus porrò Bavariæ à Frederico I. Imperatore tunc datus fuit Othoni Palatino Wittelspacensi, Saxonia Bernardo Comiti Anhaltino, Westphalia verò & Angria Philippo Archiepiscopo Coloniensi.

Otho Henrici Leonis Filius. Cæsar illo nomine Quartus anno 1198. electus, duas habuit Conjuges, *Mariam* Henrici I. Brabantiæ Ducis Filiam, & *Beatricem* Philippi sui ad Imperium competitoris, & anno 1208. cæsi Filiam. Ab Innocentio III. Papa anno 1209. Romæ coronatus, quòd Marcam Anconitanam à se occupatam restituere nollet, ab eodem 1210. excommunicatur, & senex anno 1248. demùm moritur.

Othonis IV. Frater junior Henricus anno 1194. (ut Albertus Stadensis & Helmoldus lib. 2. cap. 20. narrant) connubio junxit Agnetem, Conradi Palatini ad Rhenum Comitis Filiam & heredem: sicqua Palatinatum sibi acquisivit. Idem Henricus circa annum 1197. cum Henrico VI. Imperatore in Terra Sancta militavit, & fuit priscæ Familiæ Palatinæ Princeps ultimus, relictâ unicâ Filiâ Agnete, quæ Othoni Palatino Witelspacensi seu Schyrensi nupsit. Et eâ ratione Comitatus Palatinus Rheni & Ducatus Bavariæ in unum coaluerunt; ut Freherus in Orig. Palatinis fusè narrat.

Otho, Guilhelmi Filius, Henrici Leonis Nepos à Frederico II. Imperatore Dux primus Brunsvicensis & Luneburgensis est creatus, ut vulgò tradunt.

Othonis Ducis I. Brunsvicensis Filius Albertus Magnus prioribus nuptiis sibi junxit Elisabetham Henrici II. Brabantiæ Ducis Filiam, posterioribus verò Alexiam, Aldebrandi II. Marchionis Estensis Filiam, & anno 1279. obiit.

Joannes, Alberti Magni Frater, Dux Luneburgensis, duxit Agnetem Gerardi Comitis Holsatiæ Filiam, & anno 1276. è vivis excessit.

Ut ad Welfones redeam. Welfo VI. ut Dux Spoleti, Marchio Tusciæ & Rector Sardiniæ, signavit (cum Henrico Leone Duce Saxoniæ, & Othone de Wittelsbach) Diploma Cameracense, à Frederico I. Imperatore anno 1153 scriptum, quod lib. 1. Diplom. Belg. cap. 61. publicavi. Idem Welfo VI in Syriam cum Conrado II. Imperatore se contulit, & anno 1179. vivere desiit.

CAPUT LII.

Henricus, *S. Leopoldi Marchionis Austriæ Filius, à* Frederico I. *Imperatore anno 1156. ex Marchione creatur primus Dux Austriæ.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen. Fredericus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator.

Quamquam rerum commutatio ex ipsa corporali institutione possit firma consistere, nec ea quæ legaliter geruntur ulla valent refragatione convelli; ne qua tamen possit esse gestæ rei dubietas, nostra debet Imperialis Auctoritas præcavere.

Noverit igitur omnium Christi Imperiique nostri fidelium præsens ætas, & successiva posteritas, qualiter nos ejus cooperante gratiâ, à quo est cælitus missa hominibus super terram, in generali nostra Curia *Ratisponæ* in Nativitate S. Mariæ Virginis celebrata, in præsentia multorum religiosorum & Catholicorum Principum, litem & controversiam, quæ inter dilectissimum Patruum nostrum Heinricum Ducem Bavariæ, & carissimum Nepotem nostrum Heinricum Ducem Saxoniæ, diu agitata fuit, super Ducatu Bavariæ & super Marchia à superiori parte fluminis Anasi hoc modo terminavimus:

Quod Dux Bavariæ resignavit nobis Ducatum Bavariæ & dictam Marchiam, quos tenebat. Quâ resignatione factâ, mox eumdem Ducatum Bavariæ in beneficium contulimus Duci Saxoniæ. Prædictus verò Dux Saxoniæ cessit & renuntiavit omni juri & actioni, quas habebat ad dictam Marchiam cum omnibus suis juribus & beneficiis.

Ne autem in hoc facto honor & gloria Patrui nostri carissimi aliquatenus minuatur, de consilio & judicio Principum Illustri Uladislao Duce Bohemiæ sententiam promulgante, quam ceteri Principes approbabant, Marchionatum (1) Austriæ & dictam Marchiam supra Asanum commutavimus in Ducatum.

Ejusdemque Ducatum cum præscriptis juribus, Privilegiis & Gratiis omnibus liberalitate Cæsareâ contulimus Heinrico prædicto Patruo nostro carissimo, Prænobili suæ Uxori Theodoræ & Liberis eorumdem, ob singularem favorem, quo erga dilectissimum Patruum nostrum Heinricum Austriæ Ducem, ejus Conthoralem Prænobilem Theodoram, & eorum Successores, nec non erga terram Austriæ, quæ clipeus & cor Sacri Romani Imperii esse dignoscitur, afficimur, de consilio & assensu Principum Imperii, dictis Conjugibus, eorum in eodem Ducatu Successoribus, nec non prætactæ terræ Austriæ subnotatas Constitutiones, Concessiones & Indulta Auctoritate Imperiali, in jura plena & perpetua redactas, donavimus liberaliter vigore præsentium, & donamus.

Primo quidem quòd Dux Austriæ ...... quibusvis subsidiis & servitiis tenetur, nec esse debet obnoxius Sacro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, nisi ea de sui arbitrii libertate fecerit. Eo excepto dumtaxat, quòd Imperio servi-

re tenebitur in *Hungaria* duodecim viris armatis, per mensem unum sub expensis propriis, & in ejus rei evidentiam ut Princeps Imperii agnoscatur.

NEC pro conducendis Feudis requirere seu accedere debet Imperium extra metas Austriæ; verùm in terra Austriæ sibi debentur sua Feuda conferri per Imperium & locari. Quod si sibi denegaretur, ab Imperio requirat & exigat litteratoriè trinâ vice: quo facto justè possidebit sua Feuda, sine offensa Imperii, ac si ea corporaliter conduxisset.

Dux etiam Austriæ non tenetur aliquam Curiam accedere edictam per Imperium, seu quemvis alium, nisi ultrò de sua fecerit voluntate: Imperium quoque nullum Feudum habere debet Austriæ in Ducatu.

SI verò Princeps aliquis, vel alterius status Persona Nobilis vel ignobilis, cujuscumque conditionis existat, haberet in dicto Ducatu possessiones, ab ipso jure feudali dependentes, has nulli locet seu conferat, nisi eas priùs conduxerit à Duce Austriæ memorato: cujus contrarium si fecerit, eadem feuda ad Ducem Austriæ devoluta, liberè sibi ex tunc, jure proprietatis & directi Dominii, pertinebunt; Principibus Ecclesiasticis, & Monasteriis exceptis dumtaxat in hoc casu.

CUNCTA etiam secularia judicia, bannum silvestrium & ferinarum, piscina & nemora, in Ducatu Austriæ, debent jure feudali à Duce Austriæ dependere. Etiam debet Dux Austriæ de nullis oppositionibus vel objectis quibuscumque, nec coram Imperio, nec aliis quibuslibet cuiquam respondere, nisi id suâ propriâ & spontaneâ voluerit facere libertate: sed si voluerit unum locare poterit de vasallis seu homoligiis; & coram illo, secundùm terminos præfixos, parêre potest & debet Justitiæ complemento.

INSUPER potest idem Dux Austriæ, cùm impugnatus fuerit ab aliquo (2) de duello, per unum idoneum, non in enormitatis macula detentum, vices suas prorsus supplere. Et illam ipse eâdem die, seu Princeps vel alius quisquam, pro alicujus nota infamiæ, non potest impetere, nec debet impugnare.

PRÆTEREA quidquid Dux Austriæ in terris suis seu districtibus fecerit vel statuerit, hoc Imperium nec alia Potentia, modis seu viis quibuscumque, debet alio quoquo modo in posterum commutare.

ET si, quod Deus avertat, Dux Austriæ sine herede filio decesserit, idem Ducatus ad seniorem familiam, quam reliquerit, devolvatur.

Inter Duces Austriæ qui senior fuerit, dominium habeat dictæ terræ. Ad cujus etiam seniorem filium jure hereditario devolvatur: ita tamen quòd ab ejusdem sanguinis stipite non recedat, nec Ducatus Austriæ, ullo unquam tempore, divisionis alicujus recipiat sectionem.

SI quis in Ducatu dicto residens, vel in eo possessiones habens, fecerit contra Ducem Austriæ occultè vel publicè, est dicto Duci in rebus & corpore sine gratia damnatus. Imperium dicto Duci Austriæ contra omnes suos injuriatores debet auxiliari & succurrere, quò ad justitiam assequatur.

DUX Austriæ Principali indutus veste, supposito pileo Ducali, circumdato Serto Pinnito, baculum habens in manibus, equo insidens, & insuper more aliorum Principum Imperii, conducere ab Imperio Feuda sua debet.

DICTI Ducis institutionibus & destitutionibus in Ducatu Austriæ suo est parendum. Et potest in terris suis omnibus tenere (3) Judæos, & usurarios publicos, quos vulgus vocat *Gewerteschin*, sine Imperii molestia & offensa.

SI quibusvis Imperii curis publicis Dux Austriæ præsens fuerit, unus de Palatinis Archiducibus est censendus. Et nihilominùs in consessu & incessu, ad latus dextrum Imperatoris post Electores Principes obtineat primum locum.

DUX Austriæ donandi & deputandi terras suas, cuicumque voluerit, habere debet potestatem liberam, si, quod absit, sine heredibus liberis decederet; nec in hoc per Imperium debet aliqualiter impediri. Præfatus quoque Ducatus Austriæ debet omnia & singula Jura, Privilegia & Indulta .... quæ obtinere reliqui Principatus Imperii dignoscuntur.

VOLUMUS etiam ut, si districtus & ditiones dicti Ducatûs ampliati fuerint, ex hereditatibus, donationibus, emptionibus, deputationibus, vel quibusvis aliis devolutionum successibus, præfata Jura, Privilegia & Indulta ad augmentum dicti dominii Austriæ plenariè referant.

ET ut hæc nostra Imperialis Constitutio omni ævo firma & inconvulsa permaneat, præsentes Litteras scribi, & Sigilli nostri impressione fecimus insigniri, adhibitis Testibus, quorum nomina sunt hæc:

Pilegrinus Patriarcha Aquileiensis,
Eberhardus Archiepiscopus Salisburgensis,
Otho Frisingensis Episcopus,
Chunradus Batavensis Episcopus,
Eberhardus Babenbergensis Episcopus,
Hartmannus Brixinensis,
Hartwicus Ratisponensis & Tridentinus Episcopus,
Dominus Welfo,
Dux Chunradus, Frater Imperatoris Friderici primi Cæsaris,
Palatinus Rheni Fridericus, Filius Regis Chunradi,
Heinricus Dux Charinthiæ,
Marchio Engelbertus de Istria,
Marchio Albertus de Baden,
Marchio Deopaldus de Vochburch.
Hermannus Palatinus Comes de Rheno.
(4) Otho Comes Palatinus, & frater ejus Fridericus, de Schiern & Wittelspach.
Eberhar Comes de Sultzbach.
Rudolfus Comes de Sweinshent.
Albertus Comes Hallensis.
Eberhardus Comes de Pinchausen.
Comes de Putina.
Comes de Peilstain, & quàm plures.

EGO Reinaldus Cancellarius, vice Arnoldi Mogun-

Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii, recognovi, regnante Friderico Romanorum Imperatore, ejus nominis primo, in Christo.

DATUM Ratisponæ, xv. Kalend. Octobris, Indictione quartâ anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo sexto, 1156. feliciter amen, anno Regni ejus quarto, Imperii secundo.

(1) AUSTRIA primùm Marchiones, posteà Duces habuit; nunc Archiduces habet sibi imperantes. Ex Marchione primus Austriæ Dux à Frederico I. Barbarossa Imperatore anno 1156. creatus est Henricus, S. Leopoldi Marchionis Austriæ Filius; ut liquet ex Diplomate jam producto, quod Stero in Annalibus, & Cuspinianus in sua Austria recitant.

Additio. Eadem Domus Austriaca, usque ad hodiernum Cæsarem CAROLUM VI. felicissimè Imperantem sedecim S.R.I. Cæsares protulit. Acquisita quoque illi fuere Regna Hispaniarum, Indiarum, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, Ditiones Belgicæ, Ducatus Mediolanensis &c. tum anno 1479. per nuptias initas inter Maximilianum Archiducem Austriæ, dein Imperatorem & Mariam Burgundicam Caroli Audacis Filiam unicam & heredem, tum per nuptias Philippi Pulchri Archiducis, & Joannæ Hispaniarum heredis anno 1496. Eâ occasione prodierunt hi Versiculi:

Bella gerant alii, tu felix Austria nube;
Nam quæ Mars aliis, fert tibi regna Venus.

(2) DE DUELLO, apud veteres frequenti, & meritò per Pontifices Romanos ac Principes sublato ac prohibito, quia varii scripserunt, hîc sileo.

(3) JUDÆOS & Usurarios publicos tenere an & qualiter liceat, alii similiter fusè tractarunt.

(4) OTTO de Wittelspach: de quo & aliis egimus cap. superiori.

CAPUT LIII.

PHILIPPUS ALSATIUS, *Flandriæ Comes, Abbatiæ Ninivensis Advocatum & Defensorem se profitetur, circa annum* 1165.

EGo PHILIPPUS Dei gratiâ Flandrorum Comes, notum esse volo tam futuris quàm præsentibus, quòd Ego Ecclesiæ de NINEVA Advocatus & defensor sum; & eam protegere debeo ab omnibus ei injuriam inferre volentibus.

SI quis igitur adversus Ecclesiam quidquam foris facere præsumeret, vel adversus pertinentia ad Ecclesiam illam, sciat professò quia hoc contra me-ipsum faceret; & si quis adversus eam, vel adversus ea, quæ ad ipsam spectant, quidquam dicere vel aliquid juris sui ostendere voluerit, ad Curiam meam veniat, & ego tamquam Advocatus Ecclesiæ super hoc ei justitiam tenebo. Præfatam Ecclesiam in mea suscepi Advocatia & protectione, coram his Testibus,

(1) Theodorico de Alost,
Eustachio Camerario,
Roberto Ariensi Præposito,
Balduino Iprensi Præposito,
Hugone Abbate S. Petri,
Sigero de Someringem,
Bernardo de Someringem,
Waltero Fratre ejus.

(1) THEODORICUS DE ALOST. Fuit Alosti Comes, & anno 1166. vivere desiit: ut ex Monumentis Abbatiæ Ninivensis didici. Codicem Donationum Piarum cap. 63. consule.

CAPUT LIV.

GERARDUS *Grimbergæ & Ninoviæ Dominus, & Uxor ejus* MATHILDIS, *Gener & Filia, adeoque heredes Gerardi Fundatoris Abbatiæ Ninivensis, ejusdem Possessiones confirmant anno* 1167.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. GERARDUS de Grimbergis, & Uxor ejus MATHILDIS, & Filii eorum GERARDUS & ARNULPHUS, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

QUIA divinâ dispensante clementiâ Domino GERARDO, Ninivensis Abbatiæ fundatori, jure hereditario successimus, ne ab operibus ejus bonis degenerare videamur, quæ bene incohavit nos optimè consummare decrevimus. Et quæcumque ipse vel participes vel homines ejus, & quæcumque nos vel participes vel homines nostri præfatæ Abbatiæ contulerunt, vel denique quæcumque Abbatia usque in hanc diem .... rata fore, & ab omni nostra querela libera confitemur, & ad usus Fratrum confirmare & tueri debemus.

SI quis autem hominum nostrorum possessionem aliquam Abbatiæ querelâ aliquâ impetere voluerit, legitimè id fieri oportebit; violentiam autem vel perturbationem inferri Ecclesiæ non patiemur. Si quis verò rebellis nos audire noluerit, sed dominium nostrum subterfugerit, & Ecclesiam vexaverit, nos communicato cum Ecclesia consilio & auxilio, quam poterimus tutelam procurabimus.

UT autem possessiones Ecclesiæ deinceps integrè & inconcussè conserventur, placuit eas quæ memoriæ occurrunt nominare, & Litteris &

& munimento nostro confirmare. Sunt autem hæ: Antiqua quæcumque Ecclesiæ possessio: Altare & tota decima de *Ninive*, duo molendina juxta atrium, cum clausulis aquarum & aquis suis; quidquid jacet à manso Reineri, & à manso Gerardi Parvi usque ad terram Alinæ, & à publica via usque ad vivarium clausulę inferioris extenditur; sub clausula inferiori particula terræ ad cespites fodiendos; juxta cavam plateam mansus unus, juxta atrium duo bunarii de terra Amelrici; curtes *Neterwic* cum prato usque ad Teneram, & ibidem quattuor tendiculæ piscatoriæ & piscatio in Teneram, *Stritmers*, & juxta Stritmers duo prata, curtis *Waterscap*, & unus bunarius terræ de hereditate de Neterwic, undecim bunarii de terra Willelmi de Merbecca, XVII. bunarii de terra Herbrandi Advocati, quattuor bunarii terræ & dimidius silvæ *Rideor*, unus bunarius de terra Amelrici VIII. bunarii, & sororis ejus Clariciæ unus bunarius.

Sex dietarii à Balduino de Eichem, *Wethencot*, cum XV. bunarius, & pratum de Wethencot circumquaque usque ad fonticulum, de terra Theodorici de Inferno IX. dietarii, terra tota de duobus Gisengem, excepto uno dietario & uno bunario Ermengardis, & duobus bunariis juxta Quercetum, & dimidio bunario Roberti, pratum etiam de Holemersca circumquaque post curtim Lamberti usque ad magnum Gisengem, curtis Rubroc cum terris pratis & silvis à Wentersdal usque ad Hungerrot, Alnetum sub Curia, totum pratum ante Curiam, silva *Menthot* cum terminis suis supra Hungerrot, tre bunarii silvæ, terra Hugonis Cantis & Giselberti Ungulæ, cum pratis & silvis, Ecclesia de *Herlinchove* cum tota decima, *Rostwic* terræ & prati VIII. bunarii; *Viverbroc* & *Perreken* cum indaginibus & terminis suis, *Hungerrot* cum indaginibus suis, *Gantstrata* VII. bunarii cum suis indaginibus, *Ilant* terra juxta Anahou, Henrici Rog cum suis indaginibus, Dunst & Penderes quercus, allodium de Roslar, Curtis *Scora* cum suis terris, pratis, indaginibus, & Trubo cum suis appertinentiis; terra quam cambivit nobis Clarebaldus, & terra Balduini de Poleca, tertia pars decimæ de *Ottengem*, terra & silva Simonis de Ledeberga; terra & silva Henrici de Lewa; libertas lapidum fodiendorum & evehendorum; de terra Remluendis de Ottengem, & filii sui Walteri quattuor bunarii; de terra Walteri Pagani quinque bunarii, ad foramen Gerardi dimidius bunarius.

Hæc & si quæ sunt alia, & communes in terra nostra usus in pascuis, aquis, & qui sunt alii communes usus, præfatæ Ecclesiæ recognoscimus, confirmamus & sigilli nostri appositione, & hominum nostrorum & aliorum fidelium testimonio corroboramus.

Signum Gerardi Abbatis de Camberon.
S. Arnulphi Abbatis de Haffligem.
S. Giselberti Abbatis de Eiham.
S. Gerbodi Abbatis de Geralmont.
S. Hildebrandi Abbatis de * Get. * Alias Dilighem.
S. Henrici Decani.
S. Herbrandi Advocati.
S. Walteri de * Adengem, * Alias Enghien.
S. Sigeri Castellani de Alost.
S. Rabodonis de Rumest.
S. Sigeri de Halten.
S. Nicolai de Marca.
S. Walteri de Impe.

ACTUM anno Domini millesimo centesimo sexagesimo septimo. 1167.

De primis Ninivæ *seu* Ninoviæ *Dominis, Flandriæ Constabulariis; & quâ ratione illius Oppidi dominium transierit ad Familiam* Grimberganam.

Origo Abbatiæ Ninoviensis.

PRincipes Ninivenses, AMELRICUS & Filius ejus AMELRICUS, Viri generosi & dignitate famosi, Ecclesiam primitus Ninivensem exaltare cœperunt, & eam summo studio Sanctorum pignoribus decorantes, tres Canonicos Sacerdotes, qui inibi deservirent, statuerunt: quibus etiam ob spem æternæ retributionis ex suis abundantiis necessaria delegaverunt.

Sic Deo devoti, armis strenui, mites subditis, feroces in hostes, gloriam populi sui dilatabant. Coram Regibus & Principibus terræ Ninivensium Dominorum nomen celebre factum est: terra etiam Hierosolymorum in opibus eorum aliquando lætata est.

Posteà Dominus GERARDUS, Filius Amelrici Flandrensis Constabularii, Ecclesiam Ninivensem in Monasterium Sanctæ Congregationis promovere decrevit. Mox Fratres Religiosos Ordinis Præmonstratensis adduxit, aptos piæ plantationi: qui rigati cælesti rore, in brevi multiplicati sunt Dei benedictione. Quibus etiam Vir Illustris ob æternam retributionem temporalia providens, ex suo prædio quasdam possessiones donavit. Ad ultimum verò in eadem Congregatione comam capitis deponens convertitur, & ibidem moriens in Ecclesia juxta Uxorem suam GISLAM honorificè sepelitur.

Defuncto Domino nostro *Gerardo*, heredes ei dissimiles surrexerunt, qui ab Ecclesia abstrahere satagebant, quæ à Patre collata fuerant; extortâ in primis variâ supellectile, quam præfatus Vir Ecclesiæ contulerat, etiam agris inhiabant. Plaustra nostra segetibus onerata, tempore messis, violenter abstulerunt, & ad castra duci fecerunt.

Sedato modicùm turbine adversitatis, & multiplicato numero Fratrum, Templum, in quo primùm collocati fuerant, eos pariter cum Parochia capere non poterat: quapropter aliud majus seorsum cum ceteris ædificiis claustralibus construere cœperunt.

Monasterii nostri nondum medietate constructâ, adversarius noster diabolus graviter excitatus Dominos nostros, GERARDUM videlicet de GRIMBERGAS & Uxorem ejus MATHILDEM, iniquorum consilio, rursus adversus Ecclesiam commovit: ex qua commotione multa damna pertulimus.

Multi Ecclesiasticarum & secularium etiam Nobilium Personarum super nos misericordiâ moti sunt, & quantum prece poterant, furorem Dominorum nostrorum mitigare conati sunt. Episcopus quoque piæ memoriæ Dominus NICOLAUS Cameracensis, & Abbates quàm plurimi. Dominus etiam THEODERICUS DE ALOST, cum multis aliis Nobilibus Personis, pro nobis oraverunt: sed nullâ prece flectebantur. Postremò Venerabilis Abbas noster Dominus GERARDUS, assumptis secum Conventûs sui Senioribus Religiosis quidem Viris, Castrum adiit, ante Dominum & Dominam cum hominibus suis & Sacerdotibus pro Ecclesia ad pedes procidit: sed frustrà. Itaque ad Monasterium redit, & caussam suam

Christo

Christo & ejus Genitrici Sanctoque Cornelio commendavit.

Contigit autem in brevi, in die scilicet anniversario, quo Possessiones Ecclesiæ, cum Parochianis nostris in nos etiam furentibus, perambulaverant, ut venirent tres Fratres, Domini scilicet de Sottengem, cum suis sequacibus, ad pugnandum contra Ninivenses. Qui quasdam casas à Villa satis remotas incenderunt, sed flante vento vehementi, tota ferè Villa consumpta est, utpote cui Dominus solitam defensionem, justo judicio suo, subtraxerat. Domibus quidem juxta Claustrum ardentibus, nos etiam de incendio ædificiorum Claustralium timuimus: sed multis notantibus, verso vento, flamma à nobis repulsa in domos civium grassabatur. Hac autem victoriâ adversarii præter spem potiti, iterum atque iterum securiores redierunt, & Ninivenses olim insuperabiles intra munitionem suam retrudentes, quæ antè incombusta remanserant, combusserunt.

Paucis annis transactis, falsus rumor totam Provinciam nostram replevit, quòd videlicet Philippus Comes Flandrensis interfectus vitâ decessisset. Quâ famâ Domini nostri iterùm excitati, qui eo tempore in terra Grimbergensi habitabant, aptum tempus tyrannidis suæ exercendæ se invenisse arbitrantes, Gerardus scilicet, & Filius ejus Gerardus, cum Ministris suis ad nos properabant, pecora nostra de Claustro & de Curiis, & quidquid invenire poterant, diripiebant.

Sed dum animo suspensi essemus, ad horam diei nonam, quòd Comes viveret, nuntiabatur. Exultavimus & delectati sumus, & operuit confusio faciem inimicorum nostrorum, & omnia quæ abstulerant, ubicumque inveniri poterant, nobis restituta sunt.

Ceterùm Gerardus Dominus Grimbergensis, visitatus & longâ infirmitate ante mortem suam à Domino correptus, de omnibus malis patratis pœnituit, & per Ecclesias plurimas eleëmosynis dispartitis, quæ commiserat conciliavit, Amicos & Filios suos, ne umquam Ecclesiæ Ninivensi vel Grimbergensi aliquid mali facere præsumant, admonendo rogavit, sed in omni necessitate adjutores & defensores earum semper existant. Hac quidem bonâ voluntate in Ecclesia Grimbergensi Conversus Religionis habitum suscepit, comam deposuit, & in bona confessione tandem vitam finivit. Nos verò de Filiorum ejus amicitia modò gaudemus. *Hactenus ex veteri Ms. Chronico Niniuensi.*

CAPUT LV.

Philippus Alsatius, *Flandriæ & Veromandiæ Comes, Possessiones ac Privilegia Abbatiæ Ninivensi à Gerardo Grimbergio, ejusque Conjuge Machtilde, concessa, approbat, anno* 1167.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Philippus, Dei ordinante clementiâ, Flandriæ & Viromandiæ Comes, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

Quoniam divinorum judiciorum dispositio mihi Flandriæ & Viromandiæ Dominium & justitiæ commendavit gubernaculum, pro ratione commissi talenti, omnibus meæ potestatis hominibus congruam tutelam, Ecclesiis verò Christi & omnibus Religionis vitam professis præ ceteris familiarem deberi protectionem, utpote quorum precibus & meritis æternis recipiar tabernaculis.

Eapropter Ninivensem Abbatiam liberam esse, & ad meam Advocatiam jure hereditario pertinere profiteor, & in sua eam libertate, cum omnibus suis habitis & habendis, conservare debeo; quod & ipsum post me omnes Comites Flandrenses, utpote legitimi Advocati, perpetuâ successione debebunt: & si quis eam querelâ aliquâ pulsaverit, ubi Flandrensis Curia judicaverit, de possessione & eleëmosyna sua respondebit; & hoc ei constituo Decretum, ne deinceps Advocatia ejus de manu Flandrensium Comitum dari vel exfeodari prævaleat.

Et quia Dominus Gerardus de Grimbergis, & Uxor ejus Domina Magthildis, cum liberis suis, præfatæ Abbatiæ possessiones & jura, quæ ab ipsis & à Prædecessoribus vel hominibus suis possederat, recognoverunt, dederunt, confirmaverunt, & ad usus Fratrum se conservaturos promiserunt, & me denique Pacti conservatorem consenserunt; precibus ipsius Domini Gerardi, possessiones & jura Ecclesiæ quasi de manibus eorum suscipio, & cum ipsis & pro ipsis Ecclesiæ recognosco, do & confirmo, & ad usus Fratrum tueri polliceor, Sic tamen ut si quis deinceps Pactum violaverit, nec per Fratres Ecclesiæ corrigi valuerit, sed apud Comitem querelam deponi necesse sit, Comes ut Advocatus Ecclesiæ sese objiciat, & dignâ prævaricatorem vindictâ vel damno percellat.

Ut autem immobiliter Pactum ipsum in perpetuum perseveret, placuit tenorem ejusdem Pacti, & privilegium præfati Domini Gerardi suis verbis, suis continentiis & testimoniis, meâ auctoritate, meo obligare privilegio. Est autem hujuscemodi:

Gerardus de Grimbergis & Uxor ejus Magthildis, & Filii eorum Gerardus & Arnulfus, tam futuris quàm præsentibus, in perpetuum. Quia divinâ dispensante clementiâ.... *ut suprà cap.* 4.

Has verò & ceteras Ecclesiæ possessiones, Ecclesiam videlicet de Lidekerka, cum omnibus suis appertinentiis, terris, decimis, aquis, pratis, piscatione, lignorum & ceterorum usibus, Curiam de *Catthem* cum omnibus suis, Curiam de *Rosiar* cum omnibus suis, & quæ sunt alia habita vel habenda, Honor Flandriæ præfatæ Ecclesiæ debet custodire, ablata verò vel temerata restituere, vel violentiis justitiâ obviare: ut qui contumax in his custodiendis Honori Flandriæ reverentiam non detulerit, sed Ecclesiam perturbaverit, non ei Honor vel Justitia parcat Flandrensis, sed sui honoris & rerum suarum detrimento & suimet ipsius periculo vindicetur.

Ut autem hæc omnia inconcussa deinceps con-

conſerventur, hanc Inſtrumenti mei paginam ſigilli mei auctoritate, & Baronum meorum atteſtatione auctorizare curavi.

Signum Roberti Præpoſiti de Arie.
S. Magiſtri Everardi.
S. Euſtachii Camerarii.
S. Walteri.
S. Sigeri,
S. Arnulfi, Fratrum de Cortrai.
S. Walteri de Rolenghem.
S. Bernardi de Somergem.
S. Balduini de Vechta.
S. Willelmi de Hus de Bruges.
S. Balduini de Prat.
S. Ulrici de Rokengem.
S. Fromoldi de Wingem.
S. Henrici de Morslethe.

ACTUM anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo, Indictione XV. Epactâ XXVIII. concurrente VI. 1167.

CAPUT LVI.

BALDUINUS *Comes Giſnenſis Cambium terrarum, in favorem Eccleſiæ Andrenenſis factum, approbat circa annum* 1170.

EGo BALDUINUS Comes Giſnenſis notum facio omnibus, quòd Vivianus & Mathildis Uxor ejus, & Elembertus propinquus ejus, cambiaverunt totam terram ſuam apud Campaniam, quam habuerunt, cum Abbate & Capitulo Andrenenſi, pro terra illa quæ jacet ante portam illorum ad *Ruskem*, præter terram quæ contigua eſt vivario Monachorum, ubi terra ſumitur ad opus molendini. Sed Abbas retinuit ſibi Comitatum utriuſque terræ, & viæ illius quæ tendit ad molendinum. Hoc quia factum eſt per manum meam, Scriptum illud inde fieri juſſi, & per chirographum dividi. Huic commutationi interfuerunt,

Willelmus Frater meus,
Ernulfus & Willelmus, Filii mei,
Balduinus de Campainnes,
Wichardus de Balinghem,
Euſtathius de Wadinghem,
Saluinus Canis, & multi alii.

CAPUT LVII.

FREDERICUS I. *Imperator Contractum initum inter Capitulum B. Mariæ Aquiſgranenſe & Abbatiam Altimontenſem Ordinis S. Benedicti in Hannonia, confirmat anno* 1174.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, FRIDERICUS Romanorum Imperator...... Eccleſiarum jura Privilegiorum Auctoritate illibata conſervare, & rationabilia Pacta, quæ inter Eccleſiaſticas perſonas vertuntur, approbare, Imperialis tenetur Auctoritas; præſertim cùm voluntatem Privilegia petentium & æquitas adjuvat, & pietas non derelinquit.

INTUITU ergò divinæ remunerationis, pacis concordiam inter AQUENSEM Eccleſiam & Fratres (1) ALTIMONTENSES noſtrâ Auctoritate ſtatuimus, & Contractum bonæ fidei inter eos & fieri & confirmari præcipimus. Notum igitur eſſe volumus omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris quàm præſentibus, quòd quidquid juris habet Aquenſis Eccleſia in territoriis Eccleſiarum (2) *Reng* & *Chiweneis*, id bonâ fide, tam Præpoſiti quàm Decani omniumque Fratrum conniventiâ, Fratribus conceſſit Altimontenſibus in uſu & uſufructu; proprietatis ſibi dominio retento, & ſalvo jure totius ſuæ familiæ.

Si quis verò de eadem familia, vel alia cujuſcumque conditionis perſona, de eiſdem bonis contra jus aliquid ſibi uſurpaverit, liberam habeat Abbas poteſtatem revocandi in proprietatem Aquenſis Eccleſiæ, & uſum Altimontenſium Fratrum, juxta tenorem Legis & Juris illius Patriæ.

EJUS autem Contractûs formam hanc, conſilio Curiæ noſtræ, Aquenſes Canonici & Altimontenſes Monachi interpoſuerunt, quatenus annuatim decem marcæ Colonienſis monetæ, XII ſolidis pro marca computatis, Aquenſi Eccleſiæ à prædictis Fratribus Aquiſgrani ſolvantur. Cui ſolutioni nullus eventus ignis vel aquæ, nullum infortunium ſterilitatis vel guerræ, vel alicujus rei importuna calamitas aliquod Aquenſibus Fratribus in ea ſumma poſſit vel debeat afferre præjudicium. Terminus quoque perſolutionis hujus in Pentecoſten eâ lege præfixus

(1) ALTIMONTENSES, vulgò *Hautmont*, Abbatia eſt Benedictinorum in Hannonia ac Diœceſi Cameracenſi, ſita ad Sabim fluvium prope Malbodium. Fundatorem habuit, ac primum Abbatem S. Vincentium, cognomento Maldegarium, Maritum B. Waldetrudis, circa annum 650. Vide infrà Origines Benedictinas.

(2) RENG & CHIWENEIS. Vici Hannoniæ olim traditi Capitulo Aquiſgranenſi; de quibus ſuprà cap. 36. hujus Libri.

fixus est, ut si alicujus necessitatis casu, prætaxato tempore, prædicta non celebretur solutio, Altimontenses Fratres XL. dierum inducias habeant: quòd si non solverint tunc, præordinata exspiret conventio.

Præterea generaliter inter eos utrobique statutum est, ut quicumque Abbas illi Ecclesiæ præesse cœperit, infra annum & diem suæ promotionis necesse habeat Capitulo Aquensi, Decano videlicet & Fratribus se præsentare, & proprietatem prædictarum Ecclesiarum, cum plenitudine Dominii, ipsis recognoscere. Quod si novus aliquis illius Cœnobii Abbas, quacumque ex caussa, distulerit, ab jure sibi præassignato tam ipse quàm Fratres Aquenses integritatem prædictorum bonorum sibi vindicabunt.

Ut autem prædicta omnia perpetualiter rata permaneant, sigillo nostro, cum appositione sigilli Aquensis Ecclesiæ, præsentem Chartulam insigniri præcepimus. Hujus si quidem rei Testes sunt,

Rudolphus Leodiensis Episcopus,
Erlembaldus Stabulensis Abbas,
Florentius Indensis Abbas,
Wortwinus Imperialis Aulæ Protonotarius,
Henricus Comes de Dietse,
Albertus de Grumbach,
Wernerus de Bolant,
Constantinus de Berge,
Cono de Minzeberge, & alii quàm plures.
Signum Friderici Romanorum Imperatoris.

Ego quoque Godefridus Cancellarius, vice Christiani Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii, recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXXIV. Indictione 1174.
VII. Data Aquisgrani pridie Kalendas Aprilis.

CAPUT LVIII.

Michael Boularii Dominus, Flandriæ Constabularius, ejusque Filius Philippus, Abbatiam Ninivensem Ord. Præmonstr. anno 1181. in Protectionem suscipiunt, mandante Philippo Flandriæ Comite.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti.

Michael Constabularius Comitis Flandrensis, & Filius ejus Philippus, Domini & Advocati de Bouleir, omnibus in Christo fidelibus. Notum esse volumus tam futuris quàm præsentibus, quòd Fratres de Ninive & omnia quæ ipsorum sunt, ob salutem animarum nostrarum, nostrâ liberâ voluntate, & etiam Præcepto Domini Philippi Flandrensis & Viromandensis Comitis, in nostro Dominatu tueri, & ubicumque eis prædesse poterimus, ab omni injuria defendere debemus.

Terram etiam de Iwaino de Hasselt cum suo prato conquisitam, quinque circiter bunariorum ab omni jure nostro vel exactione, sive Ministrorum nostrorum, liberam eis concedimus. Hujus terræ quintam garbam prædictus Iwainus Ecclesiæ Ninivensi concessit, quam si in pace possidere non posset, per concambium ei terram aliam quattuor circiter bunariorum delegavit. Quam concambii terram, si in manus Fratrum Ninivensium hac conditione devenerit, liberam eis similiter ab omni nostro jure concedimus.

Silvam etiam *Ryst*, quam Paganus prædictæ Ecclesiæ in eleëmosynam per manum nostram & assensum concessit, & communem in pascuis & aquis usum in Parochia de (1) *Asplar* & *Hasselt*, quem Dominus Nicolaus in eleëmosynam præfatæ Ecclesiæ ante nos concesserat, decimam quoque de *Vlursengem*, & postremò quidquid in silvis, pratis, viis, vel aliis commoditatibus in nostra Advocatia inpræsentiarum possidere inventa est, liberè & absque contradictione eam deinceps possidere concedimus.

Hæc autem omnia ut rata & inconcussa sine fine permaneant, Hominum nostrorum & aliorum fidelium testimonio scripto, & sigilli impressione confirmari curavimus.

Testimonium Gerardi de Hasselt,
Goswini,
Gerardini de Scendelbeke,
Balduini de Dephtenghem,
Boidini Stop,
Rothardi Boch de Bouleir,
Willelmi de Goddeidhe,
Willelmi Ruizing, Pagani,
Joannis de Asplar,
Iwaini,
Boidini, Fratrum de Hasselt.

Pro his autem omnibus nobis Ecclesia de Ninive debet orationum & fraternitatis beneficium, sicut & nos illi fraternæ tutelæ munimentum. Actum anno Domini millesimo cen- 1181.
tesimo octogesimo primo.

CA-

Additio. (1) Asplar, hodie *Aspelare*, Hasselt (divisus in *Noor-Hasselt*, qui est Appendix de *Aspelaer*, & *Op-Hasselt* quæ est Parochia specialis) Vlursengem, hodie *Vloesseghem*, Vici sunt Flandriæ inter Ninoviam & Gerardimontem. In Aspelaer Patronatum gerit Abbas Gerardimontensis. In Op-Hasselt Abbas Honnecurtensis prope Cameracum; & in Vloeseghem Abbas Sancti Petri prope Gandavum.

CAPUT LIX.

PHILIPPUS ALSATIUS, *Flandriæ & Veromandiæ Comes*, *Abbatiæ S. VVinnoci-Bergensis Ordinis S. Benedicti*, *à Balduino Insulano & Carolo Bono*, *Prædecessoribus suis fundatæ*, *Possessiones ac Privilegia confirmat*, *anno* 1183.

IN nomine Domini, amen. PHILIPPUS, Dei gratiâ, Flandriæ & Viromandiæ Comes, præsentibus & futuris in perpetuum.

CHRISTI liquet fidelibus, Ecclesiam B. WINNOCI à Progenitoribus meis, Balduino videlicet Insulano & Carolo esse fundatam, & illorum Privilegiorum Auctoritatibus munitam. Quidquid ergo eleëmosynarum aut libertatis prædictæ Ecclesiæ illi devotè contulerunt, & quidquid Ego Philippus, Flandriæ & Viromandiæ Comes, illorum productus exemplo, eidem Ecclesiæ, pro mea meorumque salute, postmodùm contuli, precibus ALEXIS ejusdem Ecclesiæ Abbatis & Fratrum benignè annuens, ipsis ipsorumque Successoribus liberè possidendum concedo, & præsentis Scripti auctoritate & Sigilli mei impressione confirmo.

Hæc igitur subscripta sunt, quæ jure hereditatis ac libertatis possident; videlicet totam Vide supra pag. 512. decimam de *Wormout*, totam de *Warbeem*, totam de *Hoymilla*, totam de *Ipra*, totam de *Spicris*, totam de MARDIC, totam de *Sintonis*, totam de *Erembaldi Capella*, totam de *Coudekercka*, totam de *Dunkerka*, totam de *Oxbem*, totam de *Ghinelde*, totam de *Soutcote*, & duas partes totius decimæ de *Schocas*, & duas de *Vissingesela*, duas de *Crochtem*, duas de *Stenis*, duas de *Bieren*, duas de *Tetingeem*, duas de *Kilkeem*, duas de *Ochtingesela*, duas de *Houtkerka*, duas de *Snellegerikerca*, & salinas quas *Grenas* vocant, & vaccatiam de *Ghinelda*, de *Tetingem* & *Bieren*, & quidquid in supradictis Villis maris seu aliarum aquarum remotio addiderit, ut idem jus quod interiùs possident, exteriùs quoque possideant, & centum mensuras terræ in *Ochtingesela*, & centum mensuras terræ Simonis Rufi in *Stenis*, & antiquum Burgum quod BERGIS est, & centum mensuras terræ extra ambitum Monasterii ad Orientem, & terram quæ *Groenenberch* dicitur, ad usus peregrinorum, & quingentas mensuras terræ in WORMOUT, quæ terra *Heremani* dicitur, cum integro Comitatu, quem etiam in antiquum Burgum habere noscuntur; fluviolum quoque *Penam* cum piscaria, ubicumque terræ eorum adjacet, & molendinum aquaticum, & teloneum quod à sexta hora Vigiliæ Pentecostes usque ad sextam horam feriæ secundæ in *Wormout* colligitur.

PRÆTEREA in Villa Wormhoutensi nemini liceat habere molendinum aquaticum, nec molendinum quod vento movetur, nisi licentiâ Abbatis; nec tamen diutiùs, quàm ipsam licentiam ab Abbate potuerit impetrare. Duas etiam partes totius decimæ de *Oudingesele* Deo Sanctoque Winnoeo concedo.

SUBMANENTES autem super terram prædictâ libertate donatam ita liberos esse decerno, ut soli Abbati de omnibus forisfactis & emendationibus respondeant, & neque in expeditionem, neque in exercitum vadant, nisi ab Abbate commoniti, & à talliis & exactionibus & edicto & servitio Comitis eos absolvo.

SI quis autem super terram libertatis Ecclesiæ B. Winnoci aliquod forisfactum fecerit, & ibidem deprehensus fuerit, caussa ejus ante Abbatem tractabitur. Quòd si evaserit, Comes vel ejus Potestas eum comprehensum ad placitum Abbatis reducet; si verò Abbas justificare non potuerit, & Comitem vocaverit, Comes rigorem justitiæ adimplebit: emenda verò Abbatis erit.

CETEROS hospites S. Winnoci, præsentes & futuros, in omni lege & consuetudine hospitibus meis pares esse volo, ut sicut hospites mei respondent Brugensi Præposito & Scabinis ipsius & Rationatoribus, ita & isti hospites soli Abbati & Scabinis & hominibus ipsius respondeant. Unde & Rumoldus Abbas Balduino Insulano & Successoribus ejus à singulis hospitibus istis sex denarios annuatim dari constituit. Per quem censum Comes ipsos tamquam suos contra omnem inquietudinem & molestiam tueri debet & manutenere. Quod si aliquando infringeretur, & Comes id pateretur, prædicti hospites à statuto censu liberi remanerent.

PRÆTEREA sicut Brugensis Præpositus arbitrio suo Scabinos & Judices super hospites meos potest statuere vel deponere; ita & Abbati liberum arbitrium & liberam concedo potestatem de Scabinis & Judicibus super hospites suos statuendis vel amovendis.

SERVIENTES autem in officinis Monasterii, eoque in Fratrum necessitatibus occupantur, similiter & à talliis & exactionibus & edicto & servitio liberos esse volo. Quòd si aliquis servientium in officio suo negligens aut contumax fuerit inventus, judicio Capituli subjacebit. Si quid ad usus Fratrum dicti Monasterii in terra Comitis emptum fuerit, vel si navem ad opus proprium in mare direxerint, ab omni exactione, teloneo & transverso Comes debet quitare.

ET quoniam ipse piæ memoriæ BALDUINUS INSULANUS de consilio Baronum suorum instituit, quòd si aliquis caussam moverit contra præbendam Monachorum jam dicti Monasterii, caussa tractaretur & terminaretur in eorumdem Monachorum Capitulo; ego quoque eorum paci

ci & quieti providens, id ipsum confirmo: si verò homines contra Abbatem, vel ipse Abbas contra homines suos caussam suscitaverit, in communi quoque Monachorum Capitulo terminabitur.

Cùm autem aliquis hospitum vel hominum Abbatis mortuus fuerit, heres ejus terram suam vel feodum ab Abbate requiret, & quidquid usufructuarii unius anni residuum fuerit, soluto censu Abbatis & debito, Abbas pro relevatione habebit. Hoc etiam notum sit omnibus, quòd si opus fuerit, dicto Monasterio (1) GUALTERUS de FORMISELLA, vel heres illius, cum sumptu proprio pugiles providebit de feodo, quem JOANNES Vicecomes de eadem Ecclesia tenuit.

HANC etiam libertatem Ecclesiæ B. Winnoci novi à Progenitoribus meis Comitibus concessam, quam ego iteratâ Confirmatione corroboro; scilicet ut infra septa seu ambitum atrii, pomœrii, & totius Curtis, prædicto Monasterio adjacentis, seu aliarum Curtium ad idem Monasterium pertinentium, nulla Comitis vel Castellani, seu cujuslibet potestatis violentia irrogetur. Concedo etiam ut quicumque terram suam, vel quæcumque bona sua Deo Sanctoque Winnoco dare voluerit, liberam inde habeat facultatem.

NOVERINT autem universi, quòd si necessitas Ecclesiæ B. Winnoci evenerit, HUGO de Oudingesela & JORDANUS de Dunis in propria persona, vel heredes ipsorum pro ea pugnabunt, vel pugiles propriâ expensâ providebunt; ita tamen, ut quidquid expensæ, post exhibitionem pugilum, accreverit, Ecclesia persolvat. Emptionem verò quam felicis memoriæ Pater meus THEODORICUS Comes Deo Sanctoque Winnoco condonavit, quæ vulgò dicitur *Coop*, de terra sua in *Gistella*, ego quoque in perpetuum condono: attamen Abbas S. Winnoci viginti sex solidos, & sex denarios & obulum Notario meo de eadem terra persolvet.

PRÆTEREA contuli Deo Sanctoque Winnoco sexaginta solidos Furnis accipiendos singulis annis in Dominica Palmarum, ex officio Leonii Notarii mei: ex quibus panis & vinum ad Sacrificium Altaris procurentur. Decimas quoque halecium & ceterorum piscium, quas decimare consuetudo habet in Parochiis Castellaniæ Bergensis mari contiguis, scilicet in MARDIC, in *Sintonis*, in *Dunckerka*, in *Tetingeem*, in *Soutcote*, in *Ginelda*, secundùm Præcep. tum summi Pontificis ALEXANDRI III. Ecclesiæ S. Winnoci libena concedo; etiam terram jacentem in *Houtheem*, quam incolæ *Moer* vocant, totam inter Ebaldi *Leed* & *Moer*, quam (2) S. Augustino de TERUANA concessi, Deo Sanctoque Winnoco liberè in perpetuum possidendam contrado: quatenus collati beneficii celebris oratio, continuaq; devotio Fratrum ibidem Deo servientium mihi merces existat. Insuper dies anniversarii mei memoriter in Missis & orationibus fiet: Fratribus quoque plenaria refectio, ob mei recordationem, ab Abbate procurabitur.

ACTUM est hoc BERGIS, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo 1183.
tertio, astantibus his, DESIDERIO Morinorum Episcopo, qui omnes, qui hanc Pactionem infringerent, anathematizavit,

Gualtero Archidiacono,
Simone Abbate S. Bertini,
Hacketto Abbate de Dunis,
Arnoldo Præposito de Watenis,
Gerardo de Mechines,
Guidone Castellano Bergensi,
Wilhelmo Castellano de S. Audomaro,
Eustachio Camerario,
Waltero de Formisella,
Galtero de Locris,
Arnoldo Advocato Teruanensi,
(3) Hellino Dapifero,
Gileberto de Nivela, & aliis multis.

(1) GUALTERUS de Formisella pugiles providebit. Hugo & Jordanus pro ea pugnabunt, vel pugiles providebunt. De his rebus vide quæ suprà hoc libro cap. 35. pag. 523. diximus.

(2) S. AUGUSTINO de Teruana. Designatur Abbatia Ordinis Præmonstratensis prope Teruanam sita.

(3) HELLINUS Dominus de Wavrin, Dapifer sive OEconomus Flandriæ, in Syria militavit. Wavrin hodie possidetur à Margarita Lalaina, Comitissa de Lalain & Berlaimont. Vide suprà pag. 422.

CAPUT LX.

Idem PHILIPPUS ALSATIUS, *Flandriæ Comes, Possessiones Abbatiæ S. Nicolaî Furnensis Ord. Præm. recenset & confirmat, anno* 1183.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. PHILIPPUS, Dei gratiâ Flandriæ ac Viromandiæ Comes, tam futuris quàm præsentibus Ecclesiæ Filiis S. Nicolai de FURNES in perpetuum.

CUM à primæva pueritiæ meæ prudentiola, piæ Matris meæ piâ eruditione edoctus, precibusque exoratus, Cœnobium S. Nicolai diligere cœperim ac manutenere, ejusque deinceps in omnibus me constet fideliter curam habuisse; ecce nunc ad ejusdem tranquillitatis ac pacis inviolabilem custodiam, præsentis Paginæ textum edere ac promulgare solenni devotione curavi. In qua placuit universa quæ possidet comprehendi, & sigilli mei auctoritate confirmari, ut tanta pietatis meæ diligentia, inpræsentiarum à me commonita, nullâ omninò in posterum ratione queat perturbari, vel vi vel fraude dissolvi.

HÆC sunt igitur, quæ nominatim huic tenori

nori inserenda censentur: mensura videlicet terræ, secus viam ad Aquilonem Abbatiæ sita, & sex mensuræ infra Opidum ad Austrum atrii S. Nicolai jacentes, quas hæc Ecclesia, dato concambio, ab Ecclesia (1) S. WALBURGIS sibi vindicavit.

INDULGENTIA & liberatio telonei & accommodationis vasorum ac supellectilium ad Curiam meam super mansuris suis, quæ sunt in Opido Furnensi, & infra ejusdem banni locum, quas ego piè condonavi: quodque Filios ejus, in omni loco Dominationis meæ ementes ac vendentes sibi necessaria, ligna quoque seu quaslibet alias res, per terras sive per aquas vehi facientes à telonei pensione & ab omni injusta exactione, causâ Dei & S. Nicolai, liberos effeci.

BERQUERIA, quæ erat Leonii & Widonis Fratris ejus, quæ tam per Patrem meum quàm per me, de jure feodi & de omni exactione libera facta, in liberum ac perpetuum jus prædictæ cessit Ecclesiæ. Bercaria de Hasnon, quæ censualis atque perennis possessio est. Sexaginta mensuræ terræ, huic ab Occidente contiguæ, quę erant Hugonis, Filii Aluisii, quas ego ab Hugone mihi redditas à jugo feodi absolvi, & Ecclesiæ in perpetuum liberè possidendas tradidi.

IN *Bercla* LXVI. mensuræ terræ, quæ erant Walteri, Filii Eustachii, quas etiam à feodi jure & ab omni exactione absolutas Pater meus & ego tradidimus. In Parochiâ S. Nicolai LXXX. mensuræ de *Vormoere*, & mansio in superiori moro, cum pertinentiis suis. LX. quoque mensuræ de *Vormoer* in *Houthem*, quas ego pro mea meorumque salute sæpiùs dictæ largitus sum Ecclesiæ. Tota decima ejusdem villæ, cum centenis & decem mensuris terræ: de quibus eam partem, quæ erat de terra Simonis Rufi, tam ab ipso Simone, quàm à Successoribus ejus, per Patrem meum & per me, Filii hujus Ecclesiæ legitimè sibi acquisiverunt.

TERRA de *Wockmewera* CCC. & XXVIII. mensurarum, quam ab Everardo Radolph mihi redditam sæpiùs dictæ in liberam ac perpetuam hereditatem tradidi Ecclesiæ. Terra XX. & unius mensurarum, quæ erat Balduini Plumæ, cujus undecim mensuras à nexu feodi absolvi, & absolutas Ecclesiæ tradidi, pro quibus totidem mensuras alias terræ ab ipso Balduino in jus feodale recepi.

IN *Scora* LXVI. mensuræ terræ, cujus pars à Filio Erlebaldi, Filii Annoth, censuali habitu tenetur, tritico, quod aliquando exinde reddebatur, meâ dispensatione nunc in denariis converso. Cum his nihilominùs XL. solidi, quos ad Sacrificium Altaris faciendum, huic Ecclesiæ pro mea meorumque salute singulis annis tribui, memorabilem locum teneant: quos in Dominica Palmarum de reditibus meis Furnis à Notario meo semper accipiendos disposui. Tertia quoque pars decimæ halecium de DUNCKERCKA & de (2) NOVO BURGO, quam me favente sæpiùs dicta obtinuit Ecclesia, iis competenter connumeratur.

PORRÒ centenarum sexaginta ferme terræ mensurarum, quæ erat Walteri, Filii Eustachii, circa mansionem, ubi manebat, posita, inter hæc novissimum habet locum: eò quòd novissimè in Ecclesiæ, per manum meam, in liberam redacta est possessionem. Pro hac enim Walterus terram novam secus Isaram in concambium cum multo recepit argento.

FACTA sunt hæc anno Domini MCLXXXIII. 1183.
Indictione primâ apud Iprinr, præsentibus,
Desiderio Morinorum Episcopo,
Waltero Archidiacono,
Gerardo Insulano Præposito,
Arnoldo Præposito Watinensi,
Joanne Iprensi,
Eustachio Camerario,
Waltero de Loera,
Roberto,
Wilhelmi Filio, de Lo,
Henrico de Morsleta,
Morino de Sceravelda, & aliis quàm plurimis.

(1) S. WALBURGIS Ecclesia Furnensis est Canonicorum secularium; quos inter unus ex Canonicis Regularibus S. Nicolai Furnensis Præbendam habet & residet.

(2) NOVUM BURGUM, seu Novus Burgus, hodie est Neoportus, Oppidum Flandriæ maritimum ac munitum, sub Jure Patronatûs Abbatis S. Nicolai Furnensis.

CAPUT LXI.

RASO *de Gavera, Comitis Flandriæ Pincerna, benefacit Abbatiæ Ninivensi Ordinis Præmonstratensis, anno* 1186.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. (1) RAZO DE GAVERA, divinâ ordinante providentiâ, Comitis Flandriæ Pincerna, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum notum esse volo, quòd Sigerus de Holebeca silvam quandam *Sibinsbondt* nomine, quam à me in feudum tenuerat, Ecclesiæ Ninivensi vendidit, & in eleëmosynam dedit. Hoc feudum, scilicet silvam prædictam, ipse Sigerus mihi resignavit; & ego & ipse pariter præfatæ Ninivensi Ecclesiæ in eleëmosynam liberè & ab omni exactione absolutam, perpetuò habendam donavimus, & warandiam plenam super hoc prædictæ Ecclesiæ promisimus.

EGO autem certâ fidejussione me & Posteros meos obligavi, statuens ut quicumque præfatam Ecclesiam pro hoc beneficio querelâ vel violentiâ pulsaret, Principatus de (2) Gavera & Advocatia

Advocatia sese opponeret, & integrè hoc beneficium in eleëmosynam Ecclesiæ Ninivensi conservaret ac tueretur. Ut autem hoc Donum & Pactum ratum & inconvulsum perpetuò perseveret atque permaneat, Scripto & Sigilli mei impressione, & hominum meorum testimonio confirmavi.

Signum Walteri de Hester.
S. Giselberti de Bocla.
S. Ostonis Balgers.
S. Rolini de Sewergem.
S. Henrici Cornets.
S. Annevini de Lilar.
S. Sigeri Bruns.
S. Sigeri de Wenlin.
S. Sigeri de Mollengem.
S. Bordini Hamers.
S. Ewini.
S. Ramondi.
S. Theodorici Monachi.
S. Willelmi de Hermelegem.
S. Giselberti Presbyteri de Gavera.

ACTUM apud Gaveram anno M. C. LXXXVI. VI. Kalend. Aprilis. 1186.

(1) RAZO DE GAVERA, Pincerna seu Buticularius Comitis Flandriæ, qui has Tabulas anno 1186. scripsit, idem & Diploma Ariense anno 1169. datum, & lib. 1. Diplom. Belg cap. 65. editum signavit: ubi legendum est, *Signum Rasonis*, non *Rosonis* Buticularii.

(2) GAVERA, una ex quinque vetustis Baroniis Comitatûs Alostani, quas Galli *Verges*, Flandri *Roeden* nuncupant, olim à Lavallia. pòst à Luxeburgica, nunc ab Egmondana Familia possidetur. BEATRIX, Domina de Gavere, Merendre & Vinderhout, Rasonis Filia, nupsit Guidoni III. Comiti de Laval in Francia, qui anno 1333. obiit.

Gavera porrò mansit in ea Gente usque ad annum 1475. quo Franciscus Comes de Laval ipsam vendidit Francisco Luxeburgico, Domino de Fiennes & Sottegem, qui Velleris Aurei Eques anno 1491. & à Carolo V. creatus est primus Comes Gaveræ, Tabulis Barcinone anno 1519 Mense Martio datis. Francisci Sororem & heredem Franciscam duxit Joannes II. Egmondanus, suprà pag. 464. landatus.

Ceterùm inter Belgicas Familias Illustres meritò ab antiquitate laudatur GAVERENSIS: quæ multos olim Rasones habuit. Anno 1088 Diploma Hasnoniense in Codice Donationum Piarum cap. 63. item Truncinense anno 1139 ibidem cap. 96. item Hemense anno 1200. lib. 2. Diplom. Belgic. cap. 107 item Ninivense anno 1292. suprà pag. 442. & alia alibi à Rasonibus de Gavere signata exstant. Floret hodieque Familia eadem. & Comitatus tres, videlicet de *Fresin*, *Beaurieu* & *Pere*, itemque Marchionatum de *Aiseaux* possidet.

Stemma Familiæ Gaverensis, *vulgò* de Gavre.

- ***Godefridus de Gavre. Filius Godefridi & Florentiæ de Grez. Dominus de Fresin.***
  - ***Jacobus Eques Aurei Velleris 1516 duxit Antoniam heredem de Inchy, obiit 1537.***
    - ***Ludovicus duxit Joannam de Rubempré.***
      - ***Carolus Comes de Beaurieu duxit Margaritam Marcanam, 2. Honorinam.***
        - ***Carolus Comes I. de Fresin.***
          - ***Petrus Ernestus.***
          - ***Conradus Comes Peræ.***
          - ***Maria-Cornelia.***
          - ***Leonora.***
        - ***Adrianus Comes de Beaurieu.***
          - ***Raso Marchio I. de Aiseaux.***
            - ***Philippus-Ambrosius.***
          - ***Conradus Societatis Jesu.***
          - ***Margarita.***
          - ***Carolus.***
          - ***Joannes-Adrianus.***
          - ***Renatus-Franciscus.***
        - ***Adriana.***
        - ***Francisca.***

JACOBUS DE GAVRE, Dominns de Fresin seu Fresing in Agro Luxeburgensi, à Carolo V. anno 1516. Eques Velleris Aurei creatus, anno 1537. obiit, sepultus Montibus Hannoniæ in Monasterio Scholarium.

CAROLUS Comes de Beaurieu in Agro Leodicensi, Dominus de Fresin, & Baro de Inchy in Artesia, ex priore Conjuge *Margarita* Marcana genuit *Carolum* Comitem de Fresin. Ex altera *Honorina*, herede de Esclatiere in Hannonia & de Aiseaux in Gallo-Brabantia, genuit *Adrianum* Comitem de Beaurieu, *Adrianam* Carolo I. Marchioni de Trasignies, & *Franciscam* Alexandro Marchioni Mala-spinæ. nuptas.

CAROLUS DE GAVRE, Caroli Filius, Comes primus de Fresin anno 1602. ab Alberto Austriaco renuntiatus, ex *Francisca* de Renty tulit *Petrum-Ernestum*, *Conradum* Peræ in Campania Leodicensi Comitem primum à Ferdinando II. Imperatore designatum, qui cælebs obiit, *Mariam-Corneliam*, & *Leonoram* Uxorem Maximiliani de Hennin Comitis de Bossu.

ADRIANUS DE GAVRE, Comes de Beaurieu & Dominus de Aiseaux. duxit *Annam* de Ligne. Ex qua nati, *Raso* Marchio I. de Aiseaux. *Conradus* Societatis Jesu, *Margarita* Monialis Carmelitana, *Carolus*, *Joannes-Adrianus*, & *Renatus-Franciscus*.

RASO DE GAVRE, Comes de Beaurieu, primus Marchio de Aiseaux anno 1625. à Philippo IV. Hispaniarum Rege designatus, ex *Anna* Velasca, Ludovici Comitis de Salasar Filia, tulit *Philippum-Ambrosium*.

CAPUT LXII.

URBANUS III. *Papa Possessiones Abbatiæ Tungerloënsis, ab ejusdem Fundatore Giselberto, ejusque coherede Engelberto de Casterloo, & aliis donatas, confirmat anno* 1186.

URBANUS Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Hermanno Abbati Ecclesiæ B. Mariæ de (1) TONGERLOO, ejusque Fratribus, tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

CUM simus ad curam & regimen universalis Ecclesiæ, licet immeriti, providentiâ supernæ dispositionis assumpti, si quando postulantur à nobis quæ ad Ecclesiarum tuitionem pertineant, petentium desideriis clementer nos convenit condescendere, & eorum vota effectu prosequente complere.

EAPROPTER dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam B. Mariæ Tongerloënsis, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis EUGENII Papæ, Prædecessoris nostri, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti Privilegio communimus.

IN primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum & B. Augustini Regulam, atque institutionem Præmonstratensium Fratrum, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia inpræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

TOTAM decimam Tongerloensis Parochiæ & Dominacaturam, videlicet quadraginta bonaria cum molendino uno; totam GISELBERTI terram, Fundatoris ejusdem Ecclesiæ, quam tam in *Tongerloo*, quàm in *Wimple* & in *Lanchem* & in aliis quibuscumque locis possederat; terram in *Ovele*; terram quam suscepistis ab ENGELBERTO de Casterloo, coherede videlicet prædicti Giselberti, Fundatoris Ecclesiæ; omnem possessionem Huberti in *Ewen*, tam in allodio quàm in hereditate vobis collatam; Curtem eamdem scilicet *Ewen* cum omnibus pertinentiis suis; *Calmpthout* ex dono Arnoldi, & quidquid ibi possidetis; terram quam vobis contulit Conradus tam in *Listerde* quàm in *Schoonenbroeck*; omne allodium Arnoldi in *Nile*; terram in *Hille*, terram in *Werbeche*, terram in *Holenchem* ex dono Berneri Escheden cum molendino, & cum palude & nemore *Eschendonck*, in Ecclesia de *Endeschit* quidquid juris in ipsa canonicè obtinetis; terram Arnoldi & Alberti Fratris ejus, & Arnoldi cognati ipsorum in *Budincrode*; totum allodium Arnoldi de Ranst in *Nile*, & tertiam partem decimæ totius villæ; terram vestram in *Turnhout*, terram in *Loon* cum dimidia parte decimæ totius villæ & jure Fundatoris dimidio; terram in *Beverlo*, terram in *Donreslo*, quam vobis contulit Arnoldus de Velpa; terram de *Ravensloo* & in *Hele*, terram in *Bosenchem*, & in *Mortensele*, ex dono Henrici de Hosterhoven & Walteri de Villa; terram de *Herenthout*; terram in *Vorsla*; terram in *Gersecha*; Ecclesiam *Bruchem* cum suis appenditiis, *Olenchem* videlicet, (2) *Aldire* & *Winenchem*, cum tertia parte decimæ & nono manipulo tam in Brùchem quàm in Olenchem, & tota decima in Winenchem; Ecclesiam *Nispe*, & Ecclesiam *Sundere* cum tota utriusque Ecclesiæ decima; Ecclesiam de (3) ALPHEN, quam de Monasterio S. Willibrordi in Epternacho tenetis, salvo ipsius Monasterii jure, de (4) Diest, Ecclesiam quoque de *Diest*, cum universis decimis & tribus mansis terræ, & quinque curtilibus, & ceteris quę in eadem villa ad Ecclesiam Tongerloënsem pertinent.

SANE novalium vestrorum, quæ propriis manibus seu sumptibus colitis, seu de nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas extorquere præsumat......

DATUM Veronæ VIII. Idus Septembris, In-
dictione IV. Incarnationis Dominicæ anno mil- 1186.
lesimo centesimo octogesimo sexto, Pontificatûs
verò Domini Urbani Papæ III. anno primo.

CAPUT

(1) TUNGERLOA, Illustris Abbatia Ordinis Præmonstratensis in Campania Brabantiæ & Diœcesi Sylvæducensi, haut procul ab Herentalia Oppido. Vide Codicem Donationum Piarum cap. 87.

(2) ALDIRE, nunc *Alliere* Vicus.

(3) ALPHEN, olim Alpheim in Pago Taxandrio: ut habetur in Testamento S. Willibrordi, cap. 8. Codice Donationum Piarum.

(4) DIEST. Vide suprà pag. 455. & Stemma Dominorum Diestensium pag. 296.

CAPUT LXIII.

GUILIELMUS *Castellanus Audomarensis in Artesia, ejusque Uxor* IDA *de Avesnis, & Filius* GUILIELMUS, *Monachis Andrensibus anno* 1186. *concedunt foragium vini, quod in Opido S. Audomari emerint.*

EGO (1) WILLELMUS, Castellanus S. Audomari, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quod pro salute animæ meæ ac Parentum meorum, unà cum Uxore mea Domina (2) IDA, & WILLELMO Filio meo, qui jam quintum decimum transegit annum, dedi & concessi S. Salvatori, & Ecclesiæ Andrensi, ac Monachis ibidem Deo servientibus, quidquid juris habeo in foragio vini, quodcumque emerint in Villa S. Audomari, ad opus sui & Ecclesiæ suæ dumtaxat, ut habeant illud liberè & quietè, absque mea ulliusve calumnia, hereditario jure in perpetuum.

QUOD ut ratum & inconvulsum permaneat, Scriptum hoc inde fieri, & Sigillo meo corroborari præcepi. Abbas verò & Conventus suscepit nos in societatem beneficiorum Ecclesiæ, & promisit nobis quod post obitum nostrum anniversaria, tam pro me, quàm pro Uxore mea & fidelium, scribentur in Regula, & fient in Ecclesia in perpetuum. Actum est hoc aono 1186.
M.C.LXXXVI. audientibus & videntibus,

Willelmo Capellano,
Stephano Presbytero,
Magistro Gozone,
Willelmo Fratre Comitis Gisnensis,
Ingelramno de Moncaverel,
Balduino de la Copela,
Gislemberto de Sigerii Capella,
Balduino, Filio Willelmi Dapiferi,
Hugone de Monela,
Joanne de Morbeca,
Willelmo Coco,
Marco Clerico, & multis aliis qui interfuerunt.

(1) WILLELMUS Castellanus Oppidi S Andomari, vulgò *S Omer*, in Artesia. Idem, nisi fallor, Abbatiam S. Andreæ in Nemore, anno 1130. à Balduino Comite Gisnensi inter Hesdinium & Monstrolium fundatam, ea loco humiliore, *Maresquet* dicto, in altiorem ac salubriorem anno 1156. transtulit, juxta versiculos Gallicos, qui ibidem leguntur :

Angueranus vivant ès siecles dorés,
Estant Abbé de Sainct André de Lanoy,
Fut par Guillaume de S. Aumer tant honoré,
Qu'il l'amena de Maresquet en ce terroy.

(2) IDA de Avesnis, Nicolai Filia, Jacobi Avennii, fortissimi in Syria Ducis Soror, suprà pag. 434.

CAPUT LXIV.

JOANNES DE LANDAST, *Advocatus Cisonii, & Uxor ejus* PETRONILLA DE AVESNIS, *Soror Everardi Tornacensis Episcopi, circa annum* 1186. *dotant Monasterium Cisoniense, eodem Episcopo præsente.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs sancti. Ego (1) EVERARDUS, per Dei misericordiam Tornacensis Episcopus, omnibus Sanctæ Matris Ecclesiæ Filiis in perpetuum.

DECET Pastoralis curæ vigilantiam, servorum Dei necessitatibus providere : & quia super Filios hominum fines sæculorum graviter devenerunt, Ecclesiasticam pacem religiosâ sollicitudine debent conservare qnicumque ad populum Dei protegendum Pontificalis Officii pondera susceperunt.

EAPROPTER ego Everardus, miseratione Divinâ Tornacensis Episcopus, notum facio tam futuris quàm præsentibus, quòd JOANNES Advocatus Cisonii, gravi detentus infirmitate, Ecclesiæ B Calixti Cisonii se reddidit, & aquam de rivulo, & alteram de *Maresc* Domioo ANSELMO Abbati, ejusque Successoribus, & Fratribus Cisoniensis Ecclesiæ, in eleëmosynam, ob remedium animæ suæ & Parentum suorum, in præsentia mea (qui tunc temporis Ecclesiæ Tornacensis Archidiaconus eram) & Fratrum meorum, *Nicolai* videlicet *de Avesnis*, & *Gosuini* Advocati Tornacensis, quòcumque vellent, deducendam benignè concessit.

ITA sanè, ut ne quis super hoc justam querimoniam facere posset, addidit etiam prædictus Joannes hoic traditioni libertatem duorum bonariorum terræ apud (3) *Lovilium*, in quibus Abbas, si vellet, curtem suam facere posset.

DENIQUE mortuo ex ipsa infirmitate, & sepulto in Ecclesia B. Calixti Domino JOANNE, Domina (4) PETRONILLA Uxor ejus, Soror mea, & PETRUS, suprà dicti Joannis Frater, & omnes homines Cisonio & Lovilio manentes, quamdam partem Nemoris, & cujusdam (5) alneti prope Lovilium

Lovilium stantis, in quibus nemus mortuum se habere dicebant, quorum fundus Ecclesiæ Cisonii erat, ob remedium animæ Domini Joannis, suarumque animarum, prompto animo, super Altare ejusdem Ecclesiæ, me præsente, & prædictis Fratribus meis, & multis aliis liberis hominibus astantibus, liberè possidendam obtulerunt.

Hujus largitionis Testes fuimus, & sicut Pastoralis Officii jure tenemur, universos, qui contra istam religiosè factam largitionem venire præsumpserint, perpetuæ excommunicationi subjicimus. Et ne veritas vel violentiâ temporum, vel malitiâ hominum violetur, præsentem Paginam Sigilli nostri signaculo, & Testium subscriptione roboramus.

Signum Domini Everardi Tornacensis Episcopi.
S. Andreæ.
S. Lietberti Canonici.
S. Gerulphi.
S. Letberti.
S. Letardi.

(1) EVERARDUS Tornacensis Episcopus anno 1184. consecratus, Patrem habuit Walterum Dominum Avesnensem, Matrem verò Idam, Everardi Castellani Tornacensis Filiam. Joannem Cognatum in Historia Episcoporum illius Urbis lib. 3. consule, & suprà pag. 411.

(2) JOANNES Advocatus Cisonii, ex Familia Landastensi, vulgò *de Landast*, nunc *Landas*, Joannis Advocati Cisoniensis Filius: ut patet ex Genealogia ejusdem Familiæ, pag. 411.

(3) LOVILIUM, *Louvy* Vicus prope Cisonium.

(4) PETRONILLA de Avesnis, Soror Everardi Tornacensis Episcopi.

(5) ALNETUM, Gallicè *Ausnoit*.

CAPUT LXV.

THEODERICUS ALSATIUS, *Flandriæ Comes, ejusque Uxor* SIBYLLA, *in Castello seu Burgo Brugensi Ecclesiam in honorem S. Basilii ædificant, quæ nunc Sacri Cruoris Domini dicitur, & in ea Capellanos quattuor cum Custode collocant ac dotant. Quam dotem anno* 1187. *auxit* PHILIPPUS *ejus Filius ac Successor.*

UT in temporibus nostris instituta salubriter & providenti consilio confirmata, certâ quadam notitiâ propagentur in posteros, nec processu temporis à posterorum memoria per ineptam oblivionis caliginem evenescant, Litterarum solent indiciis æternari. Quapropter ego PHILIPPUS, Dei gratiâ Flandriæ Comes, tam posteris quàm præsentibus notum esse volo, quòd Pater meus dignæ memoriæ Comes THEODERICUS, & Mater mea piæ recordationis Comitissa SIBYLLA, divinâ inspiratione commoti, pro animarum suarum & suorum Prædecessorum, necnon & Successorum salute, Brugis in Castello, in honore Dei & Beatæ Virginis Mariæ, & S. Basilii Episcopi, Ecclesiam ex proprio sumptu ædificari fecerunt, & ad ibidem Deo serviendum in propria persona quattuor *Capellanos* canonicè statuerunt, singulis decem libras in festo S. Martini ex officio Lambini, singulis septem solidos ex ministerio Lamberti Notarii, in Vigilia Domini, singulis in Vigilia omnium Sanctorum novem solidos de triginta sex...... lignorum in *Bernehcem* & in *Ingbout*, singulis in Natali tres solidos de carnibus vaccinis; in Quadragesima ducentas anguillas, sive earum pretium, in Rogationibus verò viginti novem denarios ex Hosporcis in officio Dierkimi de Cardario, quietè & irrevocabiliter à se & à suis Successoribus in perpetuum solvendos assignaverunt.

CONSIDERANTES autem hæc in victu & vestitu eis non posse sufficere, triginta hodos tritici mensuræ Brugis in Spicario, per manum ibidem ministrantis, quattuor temporibus solvendos, videlicet in S. Bavonis, in Adventu Domini, in Purificatione Beatæ Mariæ, & in Rogationibus, addiderunt.

Ego verò posteà dum ad S. Jacobum peregrè proficiscerer, pro eorum & meâ salute, decem hodos tritici ejusdem mensuræ superaddidi, ad hæc omnia duodecim pisas caseorum, in festo S. Martini, ad jam dictum spicarium solvendas, unam pisam butiri, quæ in eodem Festo de terra, quæ vocatur *Pellemeet*, debetur, decem libras ceræ, quas in Vigilia omnium Sanctorum Brugensis Præco ex officio suo solvere tenetur, & unam libram ex terra de Lamzoti singulis annis in eadem Vigilia, hac interpositâ conditione, apposuerunt, ut videlicet ipsi Capellani præscripti in thure & in duabus lampadibus, in cereis, in candelis, & omnibus quæ ad luminaria construenda faciunt, honorificè sibi commissæ providerent Ecclesiæ.

PRÆTEREA in ministerium Ecclesiæ ejusdem CUSTODEM statuerunt, eique in usus suos assignaverunt quinque pisas caseorum, viginti quattuor hodos avenæ, ducentas anguillas in Quadragesima, quattuor pelles in Ministerio Dierkimi, in officio Lamberti Notarii cerevisiam.... ex Hosporcis viginti novem denarios in Rogationibus.

UT autem hæc, & omnia quæ posteà supercreverint, vel adhuc supercrescent, rata & inconvulsa permaneant, Litterarum custodiæ commiserunt, & Privilegii sui munimine firmaverunt: quod longo tempore, post eorum decessum,

ſum, ex communi incendio Brugenſi, per incuriam deperiit. Ne autem hoc infortunio quod beneſecerant, eorum amitteret poſteritas, quidquid in eo dignum memoriâ conſcriptum fuerat, reſcribi & reconfirmari feci, ſubſcriptis eorum, qui interfuerant, nominibus.

Signum Gerardi Brugenſis Præpoſiti, Flandriæ Cancellarii.

S. Derarii Præpoſiti.
S. Hugonis, Decani S. Donatiani.
S. Joannis Brugenſis Caſtellani.
S. Lamberti Notarii.
S. Wilhelmi de Meſtinees.
S. Dilberti de Aria.

ACTUM in Malea, anno Incarnati Verbi milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo. 1187.

Hiſtoria SS. Cruoris Domini Brugis.

ANno poſt Chriſtum natum 1145. ſedente Eugenio Papâ III. imperante Conrado III. Galliam regente Ludovico VII. Hieroſolymam moderante Balduino III. Flandriam gubernante Theoderico Alſatio Comite XV, Edeſſam Armeniæ Civitatem Saraceni hoſtiliter interceperunt, ejuſdemque loci Archiepiſcopum cum omni populo crudeliter trucidarunt.

Hæc Orientalium ſtrages animos Occidentalium Chriſtianorum in vindictam contra Saracenos vehementer incendit. Quare prædictus Comes Theodoricus, cum Rege Franciæ, aliiſque compluribus Principibus in Syriam profectus eſt, ubi fortiter ſtrenuèque rem geſſit.

Verùm, cum jam in hasce Provincias revertendi tempus inſtaret, Balduinus Hieroſolymorum Rex, inter varia Regiaque munera Comiti Flandriæ Theodorico Sororio ſuo data, Urbis Antiſtite illiuſque Principibus ſimul annuentibus, exquiſitam partem Sacerrimi Cruoris Domini noſtri Jeſu Chriſti pro dono obtulit ſingulari.

Hic porrò Sanguis eſt pars illius, quem Joſeph ab Arimathia Nobilis Decurio, cum Chriſti Domini de Cruce depoſitum Corpus ablueret, ex concretis undique vulneribus ſpongiâ reverenter abſterſit, ſedulòque collegit.

Igitur Comes Alſatius à Rege Hieruſalem, ſuo Fratre, ſummo gaudio ſanctiſſimum hoc pignus accepit, perque Leonium Abbatem S. Bertini, perpetuum ſui itineris comitem, in Flandriam transferri juſſit: idque religioſiſſimè fecit Abbas, colloque decenter ſuſpenſam Hierothecam, quotidianis operatus Sacris, ex Paleſtina Brugas uſque portavit, ibique ſacrum Depoſitum ritè ſervatum præfato Alſatio reſignavit anno 1148. Additio.

Præfatus Comes Flandriæ Theodoricus Alſatius, in Flandriam redux, incredibili ſuorum gratulatione exceptus fuit; advectumque Theſaurum pretioſiſſimi Sanguinis Urbi Brugenſi præ ceteris contulit: ibique propriis ſumptibus in Burgo, munitiſſimo Civitatis loco, in venerationem Deiparæ, Divique Baſilii ſtruxit Eccleſiam, ut ſic honoratiſſimo velut aſylo prædictum Depoſitum ſervaretur. Quinimò quatuor alendis Sacerdotibus, Cuſtodique opportunè ſtabiliterque proſpexit, eâ conditione & oblatione, ut digniſſimum Pignus quàm vigilantiſſimè cuſtodirent, & ibidem Deo in propria perſona ſervirent.

Ceterùm hanc Fundationem quatuor Romani Pontifices confirmârunt: Innocentius IV. anno 1249. Alexander IV. anno 1260. Urbanus IV. anno 1261. Clemens VI. anno 1337.

Ita habet Traditio Ms. præfatæ Eccleſiæ S. Baſilii, quæ ſita eſt è regione Eccleſiæ Cathedralis Brugenſis. Ejus Capellani Canonicis ejuſdem Cathedralis accenſentur.

CAPUT LXVI.

FLORENTIUS, *Dominus de Linden, Jus Patronatûs Eccleſiarum de Linden donat Monaſterio S. Pauli, Ordinis S. Benedicti, in Urbe Ultrajectina*, anno 1190.

UNIVERSIS præſentia viſuris FLORENTIUS Dominus de (1) LINDEN, Miles, ſalutem.... Quæ reguntur in tempore, ne cum lapſu temporis evaneſceant, ſcripturæ ſolent teſtimonio perennari. Cumque ea, quæ piis locis & Eccleſiis legantur, in hereditatem perpetuam computentur, Nos ob amorem Dei & glorioſæ Virginis ſuæ Matris, propter ſpem æternæ retributionis, & pro ſalute AGNETIS Uxoris noſtræ, ac pro animabus Parentum noſtrorum, Jus Patronatûs Eccleſiarum de LINDEN, quod ad nos ſpectat, ſimiliter & ipſas Eccleſias noſtræ collationi vacantes, cum omnibus attinentiis ſuis, Domui (2) S. PAULI in Trajecto purè & ſimpliciter propter Deum, tradidimus.

ET his præſentibus proteſtamur, quòd nos prædictum Jus Patronatûs, & ipſas Eccleſias eidem contulimus, perenniter obtinendas, rogantes loci Diœceſanum & Archidiaconum, ut ipſi prædictam noſtram collationem in præmiſſis ratam habeant & confirment.

IN cujus rei teſtimonium Joannes Dominus de (3) ARCKEL & Theodoricus de BREDERODE Milites...... rogati à præfato Domino Florentio de Linden & Agnete, ſigilla noſtra præſentibus apponi fecimus, in teſtimonium præmiſſorum. Datum anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo, menſe Maio, Dominicâ poſt Aſcenſionem. 1190.

CAPUT

(1) LINDEN. Familia vetus ac Nobilis, origine Gelricâ (ut ſuprà pag. 450. docetur) à R. P. Chriſtophoro Butquens peculiari libro illuſtrata.

Additio. (2) S. PAULI. Celebris olim erat Ultrajecti Abbatia Benedictinorum, S. Paulo ſacra, anno 1006. prope Amersfurtum in Monte Sancto, vulgò Hohorſt, extructa à B. Aufrido Ultrajectenſi Epiſcopo, cujus ſuprà meminimus Cod. Donat. Piar. cap. 42. Bernulphus illius in ea Sede Succeſſor, eandem Abbatiam, quod ab hoſte minùs tuta eſſet, in Urbem Ultrajectinam tranſtulit, ubi circa annum 1580 inter tumultus Belgicos, direpta ac dejecta, tandem eſſe deſiit. Vide plura inferius inter Origines Benedictinas

(3) ARCKELENSIS & BREDERODIA Familiæ à Ponto Heutero in Genealogiis Belgicis explicantur.

CAPUT LXVII.

Guilielmus Betunius, *Teneræmondæ Dominus, ejusque Uxor* Machtildis, *Ecclesiæ Ninivensis plaustra ac vehicula à vectigalibus eximunt*, *anno* 1190.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

Ego Wilhelmus de Betunia, Dominus de Tenremunda, & Magthildis Uxor mea, generationi quæ est, & quæ ventura est. Sciant præsentes & posteri, quod per omnem terram nostram, Ecclesiæ de Ninive plaustra & ceteras omnes ipsius vecturas, res ad opus Ecclesiæ & usus Fratrum ferentes, à quolibet telonei genere liberas fecimus omnimodis: ut nos & posteri nostri meritis & precibus ipsorum libertatem, quæ in Christo est, consequamur. Et ne in posterum infringatur ab aliquo vel turbetur, Scripto hoc sigillis nostris signato, & Testium subscriptione munimus & auctorizamus.

Signum Wilhelmi Capellani.
S. Roberti Decani de Bella.
S. Walteri de Bella,
S. Arnoldi de Calchem.
S. Lamberti de Thersleghem.

Actum apud Tenremundam M.C.XC. 1190.

CAPUT LXVIII.

Henricus VI. *Imperator Possessiones Gislenianæ Abbatiæ Ordinis S. Benedicti in Hannonia confirmat*, *anno* 1191.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Heinricus sextus Romanorum Imperator ..... Circa Monasterium S. Gisleni considerationem habentes, quod à nostris Prædecessoribus, videlicet Dagoberto, Ottone III, Heinrico secundo, Cuonrado, itemque Cuonrado, itemque Heinrico III. Regibus & Imperatoribus legitur esse constructum, universis Imperii nostri tam præsentibus quàm futuris fidelibus notum fore volumus, quòd nos ob animæ nostræ nostrorumque Parentum perpetuam salutem, interventu quoque & petitione Venerabilis Gozuini ejusdem Monasterii Abbatis, Patris quoque nostri Frederici Imperatoris exemplo inducti, ipsam S. Gisleni Cellam, prorsus ab omni jure liberam, sub nostræ tuitionis Patrocinium suscipimus, & omnes res ad eam pertinentes, lege in perpetuum valiturâ, eidem Monasterio renovamus & confirmamus.

Item renovamus, & Imperiali auctoritate confirmamus, in omni possessione jam dictæ Ecclesiæ, videlicet in terris, in pratis, in silvis, in aquis, in villis & in servis, nullum Advocatum præter Abbatem habere. Sanè servos, cujuscumque civitatis, castri seu alterius loci incolæ fuerint, lege nullâ impediente, suæ Ecclesiæ lege adstrictos, Abbatique ac si Domino & Advocato suo super omnia servituros, providâ judicii ratione asserimus.

Statuimus etiam, ut defuncto Abbate, Fratres ejusdem Monasterii, invocatâ Sancti Spiritûs gratiâ, idoneum & utilem Rectorem liberè sibi eligant .... Addicimus etiam, ut nullus Villicationem in possessionibus ad eumdem locum pertinentibus hereditario jure teneat vel repetat; sed Abbas, qui pro tempore fuerit, idoneum & fidelem Villicum de familia Monasterii constituat & deponat. Ac si quis de familia Monasterii Abbati suo rebellis inventus fuerit, ex judicio & districtione Parium suorum, ad satisfactionem Abbatis cogatur.

Decrevimus ergò & Imperiali auctoritate præcipimus, ut nullus Successorum nostrorum Regum & Imperatorum, nullus Episcopus, Dux, Marchio, & Comes vel Vicecomes, aut alia quælibet persona, magna sive parva, hujus nostræ renovationis confirmationem infringere præsumat; sed prædictus Abbas, suique Successores, nostrâ freti auctoritate, bona Monasterii recolligendo, pristinam ejusdem loci libertatem, sine impedimenti molestia, obtineant. Si quis verò, quod absit, hujus Præcepti nostri statutum infringere tentaverit, centum libras auri puri componat, quarum partem dimidiam Fisco nostro, & reliquam prædicto Monasterio persolvat.

Ut autem hæc ab omnibus credantur & inconvulsa serventur, hanc inde Chartam scribi jussimus, & nostro Sigillo aureo communiri, manuque propriâ corroborantes, idoneos Testes subnotari fecimus: quorum hæc sunt nomina:

Godefridus Aquileiensis Patriarcha,
Philippus Coloniensis Archiepiscopus,
Willermus Ravennas Archiepiscopus,
Otto Episcopus Frisingensis,

Bonifa-

Bonifacius Novarienſis Epiſcopus,
Joannes Sanct-Agathenſis Epiſcopus,
Rofredus Abbas S. Benedicti Montis Caſſini,
Willermus Abbas S. Sophiæ in Benevento,
Otto Boëmorum Dux,
Cuonradus Dux de Rotenb.
Bertholdus Dux Dalmatiæ & Marchio Iſtriæ,
Heinricus Marchio de Romesberch,
Heinricus Frater Ducis Auſtriæ,
Albertus Comes de Bogen,
Gerardus Comes de Tulleſtein,
Rabodo Comes de Otemburc,
Guonterus Comes de Keverenberc,
Petrus Urbis Romæ Præfectus,
Thidericus Comes de Hoſtaden,
Lambertus Comes de Thuring,
Richardus Comes de Conſie,
Willermus Comes Cæſareæ, & alii quàm plures.

Signum Heinrici ſexti Romanorum Imperatoris.

Ego Ditherus Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Philippi Colonienſis Archiepiſcopi & Italiæ Archicancellarii, recognovi.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo nonageſimo primo, 1191. Indictione IX. regnante Domino Heinrico ſexto Romanorum Imperatore, anno Regni ejus XXII. Imperii verò I.

Datum ante Neapolim, per manum Heinrici Protonotarii, XV. Kalendas Julii, feliciter, amen.

Frederico I. Imperatore in fluvio quodam Armeniæ minoris anno 1190. die 10. Junii ſubmerſo, Filius ejus Heinricus VI. ut id intellexiſſet, ad Romanum iter pro obtinenda Coronatione ſe accinxit, qui ibidem à Cæleſtino III. Papa feriâ 2. Paſchæ anno 1191 eſt coronatus. Obiit in Apulia anno 1197. die 28. Septembris; Frederico Filio quadrimo in Regno Siciliæ ſuccedente. De Imperio orta eſt contentio. ſuntque duo in ſchiſmate electi, Otho IV. & Philippus: hinc bellum. Conſtantia, Henrici IV. Vidua, anno 1199. in Apulia deceſſit.

CAPUT LXIX.

Henricus I. *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Allodium de Herpen dat in feudum Henrico Domino de Cuyck, anno* 1191.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum ſit tam præſentibus quàm futuris, quòd Dominus Henricus de (1) Cuyck Vicus prope Raveſtein. allodium de *Herpen* cum omnibus ſuis appenditiis, Uxore ejus Sophia, & Filio ejus Alberto principaliter conſentiente, Domino Henrico Duci Lotharingiæ donavit; & idem in feudum ab eo ipſe & Filius ejus receperunt.

Dux autem, in recompenſationem prædictæ Donationis, quadraginta marcas nummorum Colonienſium ipſi dedit. Inſuper decimas in *Heſe* cum omni integritate, quâ eam poſſedit, prædicto Henrico & Alberto Filio ejus in feudum conceſſit.....

Acta ſunt hæc anno Incarnationis Domini
1191. milleſimo centeſimo nonageſimo primo. Hujus rei Teſtes de Familia Ducis fuerunt,

Arnoldus Grimbergenſis,
Reinerus de Heverle,
Arnoldus de Weſemale,
Willelmus Rus,
Gerardus de Huldeberga,
Willelmus de Walem,
Walterus de Remenna,
Vulinus de Lovanio.

De Familia Domini Henrici de Cuyck,

Theodericus de Batenborch,
Robertus de Litte,
Egenus de Harem,
Hubertus de Ruſenhems,
Warnerus de Teruene,
Albertus de Langele,
Godefridus de Herpen,
Hermannus de Loen, & alii complures utriuſque partis.

(1) Cuyck, Latinè Cudica, in Brabantiæ, Gelriæ & Hollandiæ confinibus ſita, potentes olim Toparchas habuit, qui & Comites non rarò in vetuſtis Tabulis nuncupantur. Henricus de Coek anno 1096. in Cod. Donationum Piarum cap. 67. Hermannus Comes de Cuick anno 1146. lib. 1. Dipl. Belg cap. 60. Henricus de Cuke ibidem cap. 67. memorantur. Henricus Comes de Cuke anno 1198. Electioni Othonis IV. Cæſaris, ibidem cap. 74. recitatæ, ſubſcripſit. Is Filium habuit Albertum, in Diplomate jam recitato, & lib. 2. Dipl. Belg. cap. 65. & 66. memoratum.

Ab iſto Alberto alius fuiſſe videtur Albertus de Cuyck anno 1194. in Epiſcopum Leodienſem, jubente Cæleſtino III. Papâ, Namurci electus, anno 1196. ab Aigulpho Archiepiſcopo Colonienſi conſecratus, & anno 1200. defunctus. Alius, inquam, fuiſſe videtur, juxta Diploma anno 1196. ſcriptum, & lib. 2. Diplom. cap. 65. editum; in quo Albertus de Cuyck Henrici Filius, & Albertus Epiſcopus Leodienſis, ut duæ diverſæ perſonæ memorantur.

Anno 1312. Joannes Dominus de Cuyck Tabulas Cortebergenſes, ſuprà lib. 1. cap. 138 editas; & Pactum Flandrenſe anno 1339. lib. 2. Dipl. cap. 112. Otto Dominus de Cuyck ſignarunt. Idem Otto Dominus de Cuyck & Heverle Graviam Oppidum anno 1323. à Joanne III. Brabantiæ Duce in feudum accepit. & anno 1328. eidem reſtituit: ut lib. 1. Dipl. cap. 101. & 102. docui. Hodie Familia Naſſavia. Graviam & Cuyck tenet in feudum.

Anno 1372 Joannes Dominus de Cuyck Tabulas Cortebergenſes lib. 2. Dipl. cap. 113. & anno 1415. Joannes de Cuyck, Dominus de Hochſtrate Fœdus Limburgenſe lib. citato cap. 114. firmarunt.

CAPUT LXX.

BRUNO, *Comes Altenæ & Montium, Archiepiscopus Coloniensis, fœdus renovat cum Brabantis anno* 1193.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) BRUNO, Dei gratiâ Coloniensis Archiepiscopus, omnibus fidelibus in perpetuum. Notum facimus universis, ad quos hæc scriptura pervenerit, quòd nos & Priores nostri, tam liberi quàm ministeriales, nec non & cives, cum HENRICO Illustri Lotharingiæ Duce & hominibus ejus, veram amicitiam & perpetuum Fœdus contraximus: ita videlicet ut in omnibus nostris justitiis contra omnem hominem ad invicem nobis fideliter assistamus, & si necessitas ingrueret, promptum mutuò nobis ferre debeamus auxilium.....

Nos autem, ne hæc oblivione deleri possent, hanc Paginam conscribi, & tam nostro quàm B. Petri sigillo jussimus communiri: ita videlicet ut unum Scriptum in B. Petri armario Coloniensi, alterum verò in Ecclesia Lovaniensi reponatur, perpetuò si opus fuerit inveniendum. Acta sunt hæc anno Domini millesimo centesimo nonagesimo tertio, Pontificatus nostri anno secundo. 1193.

Additio. (1) BRUNO, Præpositus Major Ecclesiæ Coloniensis, electus Archiepiscopus anno 1191, in contentione cum Lothario Comite de Hochsteden Præposito Bonnensi. Resignavit anno 1193, ac deinceps vitam privatam duxit in Abbatia Veteris Montis Ordinis Cisterciensis, atque in Necrologio Cisterciensi inter Beatos illius Ordinis annumeratur ad diem 23 Aprilis.

Alia plura ejusmodi Pacta fœderis & amicitiæ inter Duces Brabantiæ & Archiepiscopos Colonienses inita annis 1208. & 1217. vide suprà lib. 1. Donat. Belg. cap. 85. & 90, item infrà hoc lib. II. ad annum 1203.

CAPUT LXXI.

MARGARITA ALSATIA, *Flandriæ, Hannoniæ & Namurci Comitissa, tres Canonicatus seu Præbendas, ut vocant, Sacerdotales Brugis in S. Donatiani Basilica anno* 1194. *fundat ac dotat, Marito Balduino Magnanimo, & Filio Balduino, pòst Imperatore Constantinopolitano consentientibus.*

EGo MARGARETA Comitissa Flandriæ & Hannoniæ, & Marchionissa Namurci, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd de assensu carissimi Domini & mariti mei BALDUINI, Comitis Flandriæ & Hannoniæ, & Marchionis Namurci, & dilecti Primogeniti Filii mei BALDUINI, concessi & in testamento meo legavi Ecclesiæ S. Donatiani de Brugis, quinquaginta libras Flandricæ monetæ, singulis annis, de Brevibus majoris Officii, in quattuor terminis anni, scilicet in S. Joannis, in S. Remigii, in Purificatione, in Palmis, in perpetuum solvendas.

DE his quinquaginta libris in hunc modum ordinavi, quòd centum solidi cedent in usus Refectorii, quod in anniversario die depositionis meæ, Clericis de choro qui servitio meo intererunt, singulis annis celebrabitur: triginta verò libræ cedent in usum trium Presbyterorum, in prædicta Ecclesia jugiter & continuò servientium, & singulis diebus pro remedio animæ meæ & Prædecessorum meorum divina celebrantium. Reliquas quindecim libras distributioni quotidianæ Canonicorum duxi assignandas.

AD hæc constitui, quòd beneficia ista tribus, ut dixi, Presbyteris assignanda, non nisi Presbyteris conferantur, & quòd ipsi Presbyteri extravagari non permittantur, sed in Ecclesia residentes, sub periculo beneficiorum suorum, esse compellantur, qui de prædictis Beneficiis ejusdem Ecclesiæ Canonici habebuntur.

UT igitur hæc concessio mea rata maneat in posterum & immutata, eam præsenti paginæ mandari feci, & paginam ipsam sigillo meo, & sigillis Domini mei Comitis Balduini, & carissimi Filii mei Balduini, communivi.

Actum anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quarto. 1194.

CAPUT LXXII.

Anetense seu Braellense Monasterium Virginum, Ordinis Cisterciensis, anno 1196. ab ADA DE HARNES, *Constabularia Flandrensi, conditur in Diœcesi Atrebatensi; probante Hugone Abbate S. Petri in Monte Blandinio juxta Gandavum.*

HUgo Dei miseratione Abbas S. Petri Gandensis, totiusque ejusdem loci Conventus, universis Christi fidelibus, ad quos Litteræ istæ pervenerint, in perpetuum. Omnibus vobis notum esse volumus, quòd Domina ADA Nobilis Matrona de HARNES, Constabularia Flandrensis, crebris & humilibus à nobis postulationibus impetravit, ut in loco, qui dicitur (1) BRAELLE, juxta Crucem de Sobry, mansionem ad colligendas religiosas mulieres, Capellam ad ministrandum Deo, ab omni subjectionis ligamine absolutam, quantùm ad nos; de assensu & permissione nostra, construere liceret: & inter cetera precibus suis impetravit, ut ab omni decimatione, quæ nos infra ambitum ejusdem mansionis contingeret, & à portione, quæ nobis ad prædictam Capellam in oblationibus pervenire deberet, domum illam liberam, & exemptam esse sustineremus......

Nos itaque pium prædictæ Matronæ propositum nullatenus infirmare, sed promovere & corroborare cupientes, sicut in præsenti Charta continetur, benignè concedimus, & Sigilli nostri auctoritate confirmamus.

ACTUM anno Domini M.C.XCVI. 1196.

(1) BRAELLENSE, seu Anetense Monialium Ordinis Cisterciensis Cœnobium, vulgò *l'Abbaye de la Brayelle lez Aunay*, in Artesia & Diœcesi Atrebatensi, anno 1196. ab ADA de Harnes, Constabularia Flandriæ est inchoatum: ut ex producto Diplomate liquet. Quod nota contra Guilielmum Gazæum, qui ad annum 1251. ejus originem refert. Buzelinum in Gallo-Flandria lib. 2. cap. 29. consule.

CAPUT LXXIII.

SIGERUS *Castellanus Gandensis, ejusque Uxor* PETRONILLA; *& Filius* SIGERUS, *benefaciunt Monasterio Affligemensi, anno* 1198.

IN nomine Patris & Fillii, & Spiritûs Sancti. Notum sit universis Christi, qui Litteras istas sunt visuri vel audituri, fidelibus; quòd ego SIGERUS Castellanus Gandensis, & Uxor mea PETRONILLA, consentiente & concedente SIGERO Filio nostro, & reliquis Filiis nostris, in *Groda*, quam Affligemensis Ecclesia habet apud *Frovendic*, quinque mensuras terræ, ab omni decimatione, quæ nos de jure contingebat, eidem Affligemensi Ecclesiæ, & Fratribus in ea Domino famulantibus, quas sibi in hoc ipsum iidem Fratres elegerunt, intuitu divinæ retributionis, liberas dimisimus..... ACTA sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo octavo. 1198.

CAPUT LXXIV.

HENRICUS I. *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Personatum Ecclesiæ Liranæ donat Canonicorum Collegio ibidem, anno* 1199.

IN nomine Sanctæ & Individuę Trinitatis, amen. Notum sit omnibus, tam modernis quàm posteris, quòd ego HENRICUS Dux Lotharingiæ, & Marchio Imperii Romani, divinæ remunerationis intuitu, & ob remedium animæ meæ, ac meorum Prædecessorum, Personatum Ecclesiæ de LIRA vacantem, in allodio meo sitæ, cujus donatio ad me spectat; cum omni integritate fructuum convenientium, Canonicis ibidem Deo servientibus in eleëmosynam stabiliter contuli.

HUJUS autem veritas donationis ut inconvulsa & rata perpetuò permaneat, præsentem paginam sigilli mei attestatione roboratam insigniri, Testesque idoneos, tam Clericos quàm homines meos subscribi feci.

Henricus Præpositus Lovaniensis.
Arnoldus,
Gerardus,
Lambertus,
Simon, Canonici,
Gerardus de Grimberghen,
Arnoldus de Wesemale,
Arnoldus de Waelhem,
Wilhelmus de Lira,
Balduinus de Lira, & ceteri quàm plures.

DATUM anno Incarnationis Domini nostri M.C.XCIX. 1199.

CAPUT LXXV.

BALDUINUS *Flandriæ & Hannoniæ Comes, pòst Imperator Constantinopolitanus, Ninivensis Ecclesiæ homines à teloneis & aliis exactionibus liberat, anno* 1199.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego BALDUINUS, Dei gratiâ, Flandriæ & Hannoniæ Comes, omnibus hoc Scriptum visuris notum facio, quòd consentiente Uxore meâ MARIA, ob æternam nostri nostrorumque memoriam, & libertatem, quæ in Christo est, consequendam, hanc Ecclesiæ NINIVENSI, & Fratribus inibi Deo famulantibus concedo libertatem, ut ipsi vel servientes eorum, cum animalibus vel vecturis, res Ecclesiæ suæ deferentes, sive per terram, sive per aquam transeuntes, per omnem terram & ditionem nostram à winagiis vel teloneis & ceteris exactionibus liberi in ævum permaneant.

UT autem hoc caritatis nostræ beneficium stabile & inconcussum permaneat, Scriptum hoc sigilli mei appensione & hominum meorum subnotatione confirmo.

Signum Gerardi Præpositi de Brugis.
S. Razonis de Gavera.
S. Sigeri Castellani de Gant.
S Gerardi de Sotteghem.
S. Sigeri de Murceca.
Rolini & Gerardi Wainnardi, Officialium.

ACTUM apud Daekenam, anno Domini
M.CXCIX. 1199.

CAPUT

BElgica nostra non solùm Reges, in his GODEFRIDUM BULLONIUM, ejusque Fratrem BALDUINUM
1204. sed & Cæsares Orienti dedit. Captâ à Latinis Constantinopoli, primus apud Græcos Sceptrum gessit BALDUINUS Flandriæ & Hannoniæ Comes. Scilicet hoc piorum armorum, quæ in Syriam contra Saracenos destinârat, ipsi præmium in terris fuit.

ISAACIUM Angelum Imperatorem Byzantinum Frater ejus *Alexius Ducas* excœcârat, & carceri inclusum Regno deturbârat: Patrui impias manus effugiens ALEXIUS, Isaacii Filius, in Dalmatiam se recepit, ubi tunc Balduinus, unà cum Venetis & aliis sacræ expeditionis sociis, Iaderam obsidebat. Explicatâ Patris excœcati & Regno per Fratrem exuti miseriâ, suoque exilio ostentato, Alexius à Balduino & aliis impetravit, ut pòst Iaderam subactam, expeditione Palestinæ prætermissâ, ex Dalmatia in Bosphorum Thracium classem deducerent, & Con-
1204. stantinopolim Imperii Sedem obsiderent. Capta est Urbs amplissima à Latinorum manu non adeò magna, post sexagesimum obsidionis diem; Isaacio Angelo, quamvis oculis capto, eoque paulò pòst defuncto, Alexio ejus Filio, in Regnum restitutis.

At paucos infra dies ipso Alexio Angelo, per Alexium cognomento Murtzophlum elisis faucibus extincto, Urbs Regia iterum per octo & sexaginta dies obsessa, subacta ac direpta per nostros fuit; Murtzuphlo ex fuga retracto, oculis privato, & è Tauri columnâ seu turri per plebem infimam præcipitato.

Constantinopoli itaque à nostris receptâ, cùm nulli liberi ex Isaacio Angelo, præter IRENEM, Philippo, à quibusdam Germaniæ Proceribus in Cæsarem electo, nuptam, superessent. Victores omnium suffragiis Orientis Imperium BALDUINO detulerunt, quòd res in bello præclarè ac fortiter gessisset.

Balduinus porrò à Thoma Mauroceno Veneto, tunc Byzantino ab iisdem Victoribus electo Patriarcha, Infulis Augustalibus decoratus, Græcam Ecclesiam Romanæ subjecit, BONIFACIUM, Montis-Ferrati in Italia Marchionem, Thessalonicæ Regem, & GODEFRIDUM, apud Tricasses in Gallia Nobilissimo genere natum, Athenarum & Achaiæ Ducem constituit; Venetis Cretam, hodie Candiam, Insulam dedit; quartâ parte publicorum vectigalium pro ærario Cæsaris reservatâ: magnâ denique prudentiâ ac moderatione Imperium toto biennio administravit.

Verùm cùm Hadrianopolim obsideret, à Bulgaris tu- 1205.
multuario prælio captus, miserè demum in carcere periit, dignus honestiore vitæ exitu. Moriens Filias duas superstites reliquit, JOANNAM & MARGARITAM, agnomine Constantinopolitanas, quæ Flandris & Hannoniis ex ordine præfuerunt.

Balduino è vivis sublato, HENRICUS Frater ejus in Græcia & reliquo Oriente rerum est potitus. Is Bulgaros subegit, & eorum Principis Filiam sibi Uxorem sumpsit, ut res suas adversus Græcos magis firmaret ac stabiliret. Sed anno Imperii undecimo sine liberis moriens rerum summam JOLENTÆ, Namurcensi Comitissæ, Sorori suæ, ejusque Marito PETRO Curtiniaci Domino reliquit: quos Conjuges Romam profectos Honorius III. Pontifex Maximus coronavit, ut Platina in Vitis Pontificum narrat.

Petro ROBERTUS Filius, & Roberto Filius BALDUINUS eo nomine secundus successit: sub quo Constantinopolis per proditionem à Græcis capta est, post annum circiter sexagesimum, quàm à Balduino Flandrensi Comite fuerat subacta. Balduinus II Byzantio capto elapsus, per Euboeam in Italiam, indéque in Belgicam venit ac demùm obiit. Vide suprà pag. 406.

CAPUT LXXVI.

Idem BALDUINUS, *Flandriæ & Hannoniæ Comes, Abbatiæ Benedictinorum S. Dionysii in Brocqueroia prope Montes Hannoniæ beneficia præstat, anno* 1199.

EGo BALDUINUS, Flandriæ & Hannoniæ Comes, notum facio præsentibus & futuris, quòd fidelis & dilectus meus HUGO de Crois reportavit in manus meas quidquid habebat in nemore & in terra de (1) *Havrets*, ex alia parte aquæ quæ dicitur Haine, versus S. Dionysium, assensu & voluntate WITREÆ Uxoris suæ, & Filiorum suorum. Nemus quoque illud cum terra dedit liberè & absolutè in eleëmosynam & allodium Ecclesiæ (2) S. Dionisii in Brokeroia: ita quòd nullus in prædicta eleëmosyna vel allodio retinet Majoriam vel aliquam exactionem. Ut autem donatio hujus eleëmosinæ rata sit & firma, præsentem paginam sigilli mei appensione & Testium subscriptione feci corroborari;

Willelmi Patrui mei,
Eustachii de Ruez,
Nicolai de Barbentione,
Walteri de Keureng,
Willelmi de Kevi,
Walteri de Villa,
Walteri de Bousies.

ACTUM apud Montes anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo nono, V. Kalendas Julii. 1199.

Additio (1) HAVRETS, vulgò *Havré*. Vicus Hannoniæ ad Hainam fluvium, sesqui-milliari Montibus dissitus, erectus anno 1627. in Ducatum à Philippo IV. Hispaniarum Rege in favorem Domûs Croiacæ. Patronatum Ecclesiæ ejusdem loci gerit Abbas S. Dionysii in Brocqueroia.

(2) S. DIONYSII IN BROCQUEROIA. Hanc Abbatiam fundavit anno 1081. Richildis Hannoniæ Comitissa, Mater Balduini Comitis, evocatis primis Religiosis ex Abbatia Sylvæ-Majoris, vulgò *Sauve-Majeur*, in Diœcesi Burdigalensi, juxta Diplomata inferiùs edenda in Notitia Ecclesiarum Belgii.

Unitæ paulò pòst fuerunt novo huic Cœnobio præbendæ tredecim Clericorum quæ erant in antiqua Ecclesia Divi Petri Montibus. Accesserunt quoque variæ Donationes, tum Comitum Hannoniæ, tum Episcoporum Cameracensium.

Porrò Abbas S. Dionysii est primitivus Pastor Illustris Capituli D. Waldetrudis Montibus, & Capellanus honorarius Comitum Hannoniæ. *Vide plura inter Origines Cœnobiorum Benedictinorum.*

CAPUT LXXVII.

Idem BALDUINUS *Comes benefacit Abbatiæ S. Dionysii anno* 1200.

EGo BALDUINUS, Flandriæ & Hannoniæ Comes, notum facio universis, quòd MARIA, Clementiæ de Houdeng Filia, & ipsius Mariæ Sponsus nomine Anselmus feodum, quem à me tenebat in potestate de (1) *Houdeng*, in manum meam spontaneâ & benignâ voluntate suâ reportaverunt, sub testimonio fidelium hominum meorum, nihil juris vel proprietatis in ipso feodo in posterum sibi suisque heredibus retinentes,

EGO verò feodum illud tamquam proprium allodium meum Ecclesiæ S. Dionysii in BROCQUEROIA, caritatis intuitu, in eleëmosynam perpetuam contuli, sub testimonio quàm plurium Christi fidelium.

Ad hæc ipsa Ecclesia dedit mihi in proprietatem partem cujusdam terræ suæ in potestate de (2) *Lembeca*; quam quidem terram, ab Ecclesia mihi collatam, dedi prædictis Mariæ scilicet & Anselmo viro ejus, in feodum & proprietatem perpetuam.

UT autem hæc rata & inviolata permaneant, Scripti præsentis annotatione, & sigilli mei appositione confirmare decrevi. Testes fideles homines mei, qui his omnibus interfuerunt,

Willelmus Patruus meus,
Hugo de Overna,
Guilielmus Montensis Præpositus,
Walterus de Villa,
Otto de Arbre,
Robertus de Oillies,
Robertus de Nova Villa.

ACTUM anno Verbi Incarnati millesimo ducentesimo, 1200.

CAPUT

Additio. (1) HOUDENG, Ecclesia S. Joannis, Vicus Hannoniæ sub Archiepiscopatu Cameracensi ac Decanatu Binchiensi, hodieque subest Juri Patronatûs Abbatis S. Dionysii.

(2) LEMBECA, Ecclesia B. Mariæ, Municipium celebre prope Hallas Hannoniæ Oppidum, sub Archiepiscopatu Cameracensi, gaudens jure terræ liberæ. Patronatum ab antiquo possidet Abbas S. Dionysii. Hoc Dominium in Baronatum erexit Philippus IV. Hispaniarum Rex in favorem Familiæ de Richardot, quæ etiam gaudet titulo Principatûs de Steenhuysen (prope Gerardimontem) & Comitatûs de Gamerage.

CAPUT LXXVIII.

GUILIELMUS *Castellanus Audomarensis, Guilielmi & Idæ Filius, Donationes Monasterio Andrensi à Patre suo & aliis factas confirmat, anno* 1200.

EGo (1) WILLELMUS S. Audomari Castellanus, scire volo præsentes & futuros, me pro salute animæ meæ confirmasse ea quæ Andrensis Ecclesia juste & legitimè possidet, vel quę in posterum possidere poterit, in Castellaria S. Audomari.

IN primis donationi Patris mei Willelmi fideliter assensum præbeo, de foragio videlicet totius vini, quod ad usus proprios Andrensis Ecclesia in Castro S. Audomari comparaverit. Confirmo etiam eidem Andrensi Ecclesiæ decimam de Elceka, quæ quondam per multorum partes divisa, nunc uniformiter Anderensi Ecclesiæ in eleëmosynam est collata: partem videlicet cujusdam *Adelaidis*, quam acceptâ caritate duodecim marcarum & dimidiæ, in eleëmosynam contulit; partem quoque Huberti & Filiæ suæ Gertrudis, quam unà cum Drogone marito suo, pretio quinque marcarum & dimidiæ, ut fertur, in eleëmosynam dedit, in generalibus placitis S. Audomari, per manum Joannis de Morbeka, qui præsidebat mallis.

ALTERAM nihilominùs partem confirmo, quam Martilius in eleëmosynam contulit, acceptâ caritate sex marcarum & dimidiæ. Item partem Widonis de Gardino, & Uxoris suæ Adelidis, pro caritate novem marcarum & dimidiæ in eleëmosynam collatam, partemque Roberti de Aqua, & Lamberti Fratris sui, & nepotum & neptium suarum de Vulhus, in eleëmosynam Andrenensi Ecclesiæ datam, acceptâ caritate quinque marcarum & dimidiæ; partem quoque Manassis de Moncкahova & participum ejus, qui dederunt in eleëmosynam acceptâ caritate septem marcarum.

CONFIRMO etiam eidem Andrenensi Ecclesiæ partem decimæ, quam habebant in Villa de Elceka Adam & Uxor sua Christiana, concedentibus liberis eorum, Waltero, Henrico & Dedala, in eleëmosynam collatæ pretio circiter XXXV. marcarum. Willelmus etiam Callard, concedentibus liberis suis, dedit in elëmosynam partem suam, acceptâ caritate decem marcarum, & parte molendini, quod Andrensis Ecclesiæ fuit; qui fidejussores dedit Balduinum scilicet Senescalcum, & Walterum Wrede, quo ad, ad hoc concedendum, Sorores suas, Nepotes & Neptes, & universos propinquos suos coram Scabinis adduceret, & de assensu propinquorum suorum Andrenensi Ecclesiæ satisfaceret. Quod si facere nequiverit, partem molendini illius, cum decem marcis, Ecclesiæ restituet, & decimam suam ex integro recipiet.

WALRAVIUS quoque de Suavacas partem suam coram Scabinis & ipse Scabinus in eleëmosynam contulit. In Villa quoque de Monla VII. mensuras terræ, quas quidam Nicolaus pro filio suo G. monachando contulit in eleëmosynam, & super hoc Eustachium Canonicum Ecclesiæ Advocatum constituit, concedentibus filiis suis, Hugone, Roberto, Joanne, Daniële, & Hogina filia ejus; sed & tres mensuras terræ in eadem Villa.

HÆC omnia diversis temporibus facta anno Dominicæ Incarnationis M. CC. coram nobis & francis Scabinis recognita sunt & confirmata; & ego horum omnium, ad augmentum Ecclesiæ, Advocatus ero, & ei me stabilem & indefessum amicum semper exhibebo. Scabini autem tam præsentes, quàm præteriti, qui hoc viderunt & audierunt, sunt isti,

Walterus Wrede,
Walravius de Suavacas,
Henricus de Ostremonle,
Eustachius de Elceka,
Drogo de Ostremonle,
Hugo de Salperwic,
Hugo de Burkes,
Hugo de Lumbres,
Balduinus de Fonte,
Manasses Goel,
Eustachius de Deleches,
Balduinus de Billeka,
Walterus de Strathem,
Alulphus de Delethes,
Petrus de Fonte,
Adam de Witteka,
Walterus de Elceka,
Marcilius de Lidinghem,
Henricus de Brucc,
Eustachius de Hodingecun,
Lambinus de Renguenescure,
Willelmus de Blindeka.

AD majorem autem certitudinem huic Scripto Sigillum meum apposui, per manum Giraldi de Renguenescure, mense Maio.

(1) WILLELMUS, S. Audomari Castellanus. Willelmi & Idæ Filius: ut constat ex Diplomate anni millesimi centesimi octogesimi sexti, quod suprà Capite sexagesimo tertio hujus Libri recitavimus.

De

De Castellanis *olim per Belgicam frequentibus, quos hodie* Vice-Comites *aut* Burg-gravios *vocant.*

Apud Belgas (ut apud Gallos ac Germanos) pleraque Oppida Illustriora suos CASTELLANOS habuerunt, quos Franci hodie Vicecomites, *Viscomtes*, Germani Burgravios, *Borchgraven*, nuncupant. Hi vice Comitum Oppidis præerant, publicorum carcerum curam gerebant, & sua tribunalia ad jus dicendum habebant.

Tales in BRABANTIA fuerunt Castellani Bruxellenses, Antverpienses, Geldonienses, Furenses & Grimbergani. In FLANDRIA Gandenses, Brugenses, Iprenses, Tornacenses, Insulenses, Duacenses, Cortracenses, Dixmudani, Furnenses, Winnocibergenses, Alostani, Aldeburgenses, Harlebecani, Neoportuenses, Borburgenses, Roslarienses. In ARTESIA Atrebatenses, Audomarenses, Arienses, Lensenses, Bapalmenses, Hesdinenses. In HANNONIA Montenses, Valentianenses, Binchienses, Bello-montenses; in GELRIA Noviomagenses. In HOLLANDIA Leidenses, Heusdani, Gertrudi-bergenses. In ULTRAJECTINA Ditione Ultrajectini, Montfortenses; item Limburgenses, Cameracenses, Morinenses, Lingenses, Mont-joënses, & alii.

Ab istis Castellanis, itemque ab Advocatis Ecclesiarum Belgicarum Illustres ac vetustæ Familiæ Nostrates plurimæ Stirpem trahunt.

BRUXELLENSEM Vicecomitatum olim Familiæ de Marbais, Lefdale, Petershem & Bouchout, ex ordine possederunt. Margarita, Danielis de Bouchout Filia, Everardo Marcano Arenbergio Marito suo Vicecomitatum Bruxellensem anno 1465. in dotem attulit: quem à Roberto Marcano, Everardi Nepote, Joannes Hannart, Eques Ordinis S. Jacobi, Margaritæ Villain Baronissæ Lidekercanæ Maritus, anno 1537. emit. Pòst ea Dignitas ad Familiam Henninam transiit, cùm Maria Hannart, Joannis jam dicti Neptis, Jacobo de Hennin, Domino de Auxi, anno 1579. nupsisset. Jacobi Filius Maximilianus, Comes de Bossu & Baro Lidekercanus, illam Nicolao Damant, Brabantiæ Cancellario anno 1606. vendidit. Hujus Filia Anna Damant nupsit Henrico van Varick, Marcgravio Ditionis Riensis & Prætori Antverpiensi.

ANTVERPIENSES Castellani seu Borgravii fuerunt antiquitùs Domini Distenses seu Distemienses, quæ dignitas ad Familiam Nassaviam circa annum 1490. transiit, cùm Engelbertus II. Nassavius, Bredæ & Leccæ Dominus, titulo permutationis, à Guilielmo Duce Juliacensi Distemium, Sichenas & Seelhem accepit, ipsi cedens Millam, Ganglam & Vuchtam: ut suprà pag. 443. explicuimus.

GELDONIÆ, vulgò Jodoniæ in Gallo-Brabantia Vice-Comes est Dominus de Glimes in eodem tractu.

FURENSEM Vicecomitatum, inter Bruxellam & Lovanium, olim Hincartia Familia, nunc possidet Helmondæ in Campania Brabantina Dominus ex gente Cortembachia, ab anno 1524.

GANDENSIS Vicecomitatus à Familia Gandavia ad Gaverensem seu Lidekercanam, pòst ad Sottegemiam & Antonianam, ac demùm ad Meluniam transiit; ut lib. 2. Diplom. Belg cap. 101. docui.

BRUGENSIS Vicecomitatus olim ad Gruthusios pertinuit, inde Brugios cognomento, nunc ad Comitem S. Amoris in Burgundiæ Comitatu.

IPRENSIS Vicecomes est hodie Comes Middelburgensis ea Familia Merodia. Joannes de Houtere Burgravius Iprensis anno 1339. floruit: de quo lib. 2. Diplom. Belg. cap. 112.

TORNACENSES Castellani fuerunt Domini Mortaniæ ab aliquot retrò seculis, ut suprà cap. 96. docui.

CAMERACENSEM Castellanum se scribit Dominus de *Oisy*, quod est feudum Artesiæ, & Stirpem suam à Castellanis Tornacensibus deducit. Ex Balderici Chronico Cameracensi constat Dominos Oisiacenses olim illius Urbis Castellanos exstitisse.

INSULENSIUM Castellanorum Catalogus ab anno 1039. hoc est, à Saswalone Falempinensis Monasterii Conditore, usque ad Ludovicum XIII. Francorum Regem describitur à Florentio Harzo in libro quem de eisdem publicavit. Vide etiam supra pag. 54.

DUACENSIS Castellanus anno 1079. Walterus lib. 1. Diplom. Belgic. cap. 40. memoratur. G. de S. Albino Castellanus Duacensis 1207. Tabulis Philippi Francorum Regis subscripsit. Vici S. Albini, intra muros Duacenses nunc siti, nunc Dominus est Comes de Lalain.

CORTRACENSES, Dixmudani, & Winnoci-bergenses Castellani memorantur lib. 2. Donat. Belgic. cap. 59. & alibi. Ex Winnocibergensibus originem trahunt Domini de Dolhain, & Domini de Rache prope Duacum.

NEOPORTUENSIS Vicecomitatûs heredem *Joannam*, Dominam de Halewin, Comines & Rolleghem, anno 1559. duxit Philippus Croyus Dux Arschotanus.

FURNENSIS Vicecomes est nunc Comes de Houtkercke & Herlies, ex Gente Hornana.

ALOSTANI Vicecomitatûs heredem Josinam *Tollinæ* Matrimonio sibi junxit Joannes van Lire, dictus Immerseele, Dominus de Ieteghem & Marcgravius Antverpiensis, qui Mense Februario anno 1503. juxta Stilum Gallicum, hoc est, anno 1504. juxta Stilum Romanum obiit, sepultus Antverpiæ in Choro Circumcisionis, in Ecclesia Cathedrali.

HARLEBECÆ prope Curtracum Castellani olim fuerunt Domini de Halewin.

ALDEBURGENSES Castellani inter Brugas & Ostendam quondam fuerunt Domini Gistellæ.

ROSLARIA, cum Torholto Oppido & Winendalensi arce, à Joanne Intrepido Burgundiæ Duce, Flandriæque Comite anno 1409. in dotem data est Adolfo Duci I. Clivensi, cùm Mariam ejus Filiam duxisset.

AUDOMARENSEM Castellaniam olim possedit Illustris Familia *de Sainct Omer*: de qua vide sup. c. 78. hujus Libri.

ARIENSIS Vicecomes est nunc Comes de Esterres ex Gente Montmorencia.

LENSENSIS est Dominus de Recourt.

BAPALMENSIS est Princeps de Espinoy ex Familia Melunia.

MONTENSIS in Hannonia Castellanus est Dux Havræus ex Familia Croya; qui illo titulo subnixus etiamnum in veteri Castro Montensi excipi solet hospitio.

DE VALENTIANENSI Castellania, quando ea accesserit Comitibus Hannoniæ & Valentianarum, suprà diximus cap. 28. ubi de Comitibus eisdem egimus.

BINCHIENSIS Castellanus Henricus, & BELLIMONTIS Castellanus Gillenus, Diplomati à Balduino Flandriæ & Hannoniæ Comite, anno 1197. dato in favorem Monasterii S. Dionysii in Broqueroia, subscripserunt.

LEIDENSIS in Hollandia Vicecomes est Princeps de Ligne, tamquam Wassenaræ Dominus: exstatque etiamnum in colle vetus Castrum Leidæ.

HEUSDENSIS, in Hollandiæ & Brabantiæ confinibus, Castellanus anno 1134. fuit Hermannus, ut ex Bernensis Monasterii Archivis didici.

GERTRUDIBERGENSIS Castellania olim ad Familiam de Meruwe pertinuit.

LIMBORGENSIS Burgravius Andreas de Merode, Dominus de Franckenberch, anno 1415. vixit: lib. 2. Diplom. Belg. cap. 114.

MORINENSIS Vicecomitatus ad Familiam Gandensem de l'Espinoy pertinet.

COLONIENSIS Burgravius fuit olim Comes seu Dominus Arenbergæ, cujus heredem circa annum 1300. duxit Engelbertus Comes Marcanus, qui anno 1328. decessit. Hodie Dux Arschotanus ex Familia Lignæa est Princeps Comes Arenbergæ. Vide suprà pag. 414.

DORLANI in Picardia Vicecomes est nunc D. Petrus Coloma, Baro Bornhemiensis.

CAPUT LXXIX.

BALDUINUS *Flandriæ & Hannoniæ Comes, pòst Imperator Constantinopolitanus, Monasterii Ninivensis Advocatiam seu protectionem suscipit, anno* 1201.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. BALDUINUS, Dei ordinante clementiâ, Flandriæ & Hannoniæ Comes, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Eo studiosiùs nos condecet Ecclesiarum providere utilitatibus, quò manifestiùs elucet per temporalem Ecclesiasticæ pacis procurationem æternam posse adipisci beatitudinem.

PROINDE exemplo Prædecessorum meorum, qui Ninivensem Abbatiam suâ auctoritate roborârunt, ego quoque simili modo ipsam & res ejus auctorizare decrevi, & eam liberam esse, & ad meam Advocatiam jure hereditario pertinere, profiteor; hoc ei statuens Decretum, ne deinceps ejus Advocatia de manu Flandrensium Comitum dari vel exfeodari prævaleat.

PLACUIT autem quasdam possessiones ejus tam in Flandria, quàm in Hannonia constitutas, præsenti Scripto breviter adnotare: omne allodium quod Mattildis nobilis mulier de allodio, de consensu liberorum vel coheredum suorum, super culturam apud Niniven vel Eversengem in eleëmosynam donavit; terram quam Stephanus de Helceca, & filius ejus Boltinus, apud Scora vel Idrenghem dederunt.

BONARIUM terræ quod Rodulphus de Haltra in eleëmosynam apud Eversenghem donavit; Curiam Roslar cum omnibus suis attinentibus terris, pratis, silvis, viis, pascuis; terram quoque quam Lambertus cognomento Stobel, dum habitum religionis susciperet, Ecclesiæ contulit.

Duo bonaria terræ, quæ Arnoldus de Kercken in eleëmosynam donavit; Curiam Hardebeka cum omnibus suis appertinentiis, terris, pratis, silvis, viis, pascuis, & omne allodium, quod Joannes Miles & filius ejus Walterus, habitum religionis suscipientes, præfatæ Ecclesiæ liberè in eleëmosynam contulerunt; terram quoque & omne allodium, quod Mattildis habitum religionis suscipiens Ecclesiæ donavit; silvam apud Ham, quam Clarobaldus Miles in eleëmosynam dedit; partem decimæ apud Berghecem, quam Petrus de Saintes in eleëmosynam contulit.

ITEM duodecim bonaria nemoris apud Ham, quæ Karolus Miles de Haucrois, per manum Domini sui Petri de Saintes; quattuor bonaria terræ, quæ Ingelbertus de Adenghem, de consensu Filii sui Ingelberti, in eleëmosynam dedit; Curiam apud Pamela, cum omnibus sibi attinentibus terris, pratis, silvis, viis, pascuis, & quidquid Willelmus de Ledeberga, per manum Domini sui Gerardi de Grimberges, in eleëmosynam donavit.

HÆC igitur, & quæcumque bona sæpedicta Ecclesia legitimè acquisivit, & in præsentiarum possidet, Scripti hujus patrocinio & Testium subnotatione corroboro & auctorizo.

Signum Ægidii de Trasegnies Flandriæ Constabularii, &
Sigeri Fratris sui.
S. Alexandri de Stenkerka.
S. Ægidii de Braina.
S Balduini de Valencenis.
S. Gisleberti Præpositi de Mons.
S. Walcheri Abbatis de Gerarmont, &
Arnulfi Decani.
S. Vulvini Notarii.

ACTUM apud Gerarmont anno Domini millesimo ducentesimò primo. 1201.

CAPUT LXXX.

RASO *Gaveræ Dominus, Flandriæ Pincerna, ejusque Uxor* CLARICIA, *dotant Abbatiam Ninivensem, anno* 1201.

EGo RAZO de Gavera, Pincerna Flandriæ, notum facio omnibus, quòd consensu Uxoris meæ CLARICIÆ, & liberorum meorum, contuli terram, quæ vocatur *Strec*, per concambium & eleëmosynam Abbati & Fratribus de Ninive pro terra, quæ jacet juxta *Driscum*; promittens eidem Abbati & Fratribus Warandisiam. Ut hæc autem firma in perpetuum maneant, Scripto nostro chirographizato, & hominum nostrorum testimonio fecimus confirmari.

Signum Hostonis Balgher.
S. Annekini & Gisellini de Lilar.
S. Iwaini de Letra.
S. Walteri de Bocla.
S. Esheret de Wildenbeck, & aliorum.

ACTUM anno Domini millesimo ducentesimo primo, Mense Augusto. 1201.

CA-

CAPUT LXXXI.

Ejusdem Rasonis *Gaverensis Diploma alterum.*

EGo Razo de Gavera, Pincerna Flandriæ, omnibus hoc Scriptum lecturis salutem. Quod vidimus & audivimus, hoc testamur, & scripto nostro sigillato tam futuris quàm præsentibus notificamus, quòd Hugo cognomento Buzere quidquid juris vel querimoniæ habebat adversus Ecclesiam de Ninive, in loco qui dicitur *Calf*, & infra limites possessionum, quas ibidem præfata Ecclesia de eleëmosyna magnæ memoriæ Balduini Comitis in præsenti tenet, eleëmosynam dedit & exfestucavit, & tutelam promisit. Hujus rei Testes sunt,

Razo de Curtraco,
Walterus Frater meus.
Fromoldus de Ravenscote.
Balduinus de Lovendenghem.
Soihinus de Lovendenghem.
Ramsinus de Lichtervelde,
Philippus,
Arnoldus Clericus,
Balduinus Venator, & alii quàm plures.

CAPUT LXXXII.

Balduinus *Flandriæ & Hannoniæ Comes Abbatiæ S. Nicolai Furnensis Prædia recenset & confirmat, anno* 1202.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Balduinus, Dei gratiâ, Flandriæ & Hannoniæ Comes, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Cùm à primæ juventutis meæ flore, piâ recordatione Prædecessorum meorum, Cœnobium S. Nicolai de Furnes, diligere cœperim ac manutenere, nunc quoniam Fratrem omniumque participem beneficiorum ejusdem Cœnobii me fore recognosco, majorem deinceps me oportet de ipso Cœnobio habere sollicitudinem.

Inde est quòd ad ejusdem tranquillitatis ac pacis inviolabilem custodiam, præsentis paginæ textum edere ac promulgare solenni devotione curavi. In quo placuit ea quæ possidet comprehendi, & sigilli mei auctoritate confirmari; ut tanta pietatis meæ diligentia à me communita nulla omninò in posterum ratione queat perturbari, vel vi vel fraude dissolvi.

Hæc sunt igitur quæ nominatim huic tenori inserenda censentur; mensura videlicet terræ secus viam ad Aquilonem Abbatiæ sita, & sex mensuræ infra Opidum ad Austrum S. Nicolai juxta atrium jacentes, quas hæc Ecclesia dato concambio ab Ecclesia S. Walburgis sibi vindicavit.

Indulgentia & liberatio telonei & accommodationis vasorum ac supellectilium ad Curiam meam super mansuris suis, quæ sunt in Opido Furnensi, & infra ejusdem bannilocum, quas ego, bonæ memoriæ Philippi Nobilis Comitis secutus vestigia, piè condonavi. Filios etiam ejus, in omni loco dominationis meæ ementes aut vendentes sibi necessaria, ligna quoque seu quaslibet alias res, per terras sive per aquas vehi facientes, à relonei pensione & ab omni injusta exactione, causâ Dei & Sancti Nicolai, liberos effeci.

Bercaria, quæ erat Leonii & Widonis Fratris ejus, quæ per Philippum Comitem de jure feodi & de omni exactione libera facta, in liberum ac perpetuum jus prædictæ cessit Ecclesiæ; Bercaria de *Hasnon*, quæ censualis atque perennis possessio est, sexaginta mensuræ terræ huic ab Occidente contiguæ, quæ erant Hugonis, filii Aluisii, quas Philippus Comes sibi redditas à jugo feodi absolvit, & Ecclesiæ in perpetuum liberè possidendas tradidit.

In Bercla LXVI. mensuræ terræ, quæ erant Walteri, Filii Eustachii, quas etiam à jure feodi & ab omni exactione absolutas Philippus Comes tradidit; in Parochia S. Nicolai LXXX. mensuræ de Vormoer, & mansio in superiori Moro cum pertinentiis suis. LX. quoque mensuræ de Vormoer in Houthem, quas Philippus Comes pro sua suorumque salute prædictæ largitus est Ecclesiæ.

Tota decima ejusdem Villæ, cum centenis & X. mensuris terræ, de quibus eas partes, quæ erant de terra Simonis Rufi, tam ab ipso Simone quàm à successoribus ejus, per Philippum Comitem & per Patrem ejus, Ecclesia legitimè sibi acquisivit. Terra de Vohmewerva CCC. & XXVIII. mensurarum, quam Philippus Comes ab Everardo Radolph sibi redditam, in liberam ac perpetuam hereditatem sæpiùs dictæ tradidit Ecclesiæ. Terra XX. & unius mensurarum, quæ erat Balduini Plumæ, cujus XI. mensuras à nexu feodi Philippus Comes absolvit, & absolutas Ecclesiæ tradidit, pro quibus totidem mensuras alias terræ ab ipso Balduino in jus feodale recepit.

In Scora LXVI mensuræ terræ, cujus pars à Filio Erlebaldi, Filii Annoth, censuali habitu tenetur; tritico, quod aliquando exinde reddebatur, dispensatione Philippi Comitis, nunc in denarios converso. Cum iis nihilominùs XL. solidi, quos ad Sacrificium Altaris faciendum Phi-

Philippus Comes huic Ecclesiæ, pro sua suorumque salute, singulis annis tribuit, memorabilem locum teneant, quos in Dominica Palmarum de reditibus suis à Notario suo Furnis semper accipiendos disposuit.

Tertia quoque pars decimæ halecium de Dunckercka & de Novo Burgo, quam favente Philippo Comite sæpiùs dicta obtinuit Ecclesia, iis competenter connumeratur. Porrò centenarum sexaginta fermè terræ mensurarum ..... quę erat Walteri, Filii Eustachii, circa mansionem, ubi manebat, posita, his debet connumerari, quæ per manum Philippi Comitis in Ecclesiæ liberam redacta est possessionem. Pro hac enim Walterus terram novam secus Isaram in concambium cum multo recepit argento.

Facta sunt hæc anno Domini millesimo ducentesimo secundo, sub his Testibus,

Helia Abbate de Dunis,
Gerardo Cancellario Flandriæ,
Magistro Joanne de Noviomo,
Magistro Vulvino,
Waltero Clerico, aliisque plurimis honorabilibus personis.

CAPUT LXXXIII.

Guido *Prænestinus Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, visitat & reformat Cathedralem Ecclesiam S. Lamberti Leodii, anno* 1202.

Guido, miseratione divinâ Prænestinus Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus. Omnibus, ad quos præsentes Litteræ pervenerint, salutem in Domino.

Cùm ex officio Legationis nobis injunctæ in Ecclesiis infra Legationem nostram constitutis, quæ invenerimus resecanda, resecare, & plantanda, plantare teneamur, ad Leodiensem Ecclesiam accedentes, quædam ibi vidimus & audivimus, quæ dignâ emendatione videbantur.

Unde habito consilio Venerabilis Fratris Hugonis Episcopi Leodiensis, & ejusdem Ecclesiæ Capituli, nec non & aliorum prudentium, sic de dicta Ecclesia dignum duximus ordinare, ea quæ benè & competenter in ea statuta invenimus approbantes.

Procedit ergò nostra ordinatio in hunc modum. Residentes Canonici assidui sint in dormitorio, nec possint jacere extra dormitorium, nisi de licentia Decani. Transgressores verò arbitrio Decani & consilio Capituli puniantur, si qui rebelles inveniantur, stipendio suo priventur, & communione Fratrum, usque ad dignam emendationem.

Assidui sint in Choro, maximè in Matutinis, Missa & Vesperis.

Residentes in Refectorio comedant.

Luminare, & Missæ singulis diebus, secundùm quod ordinatum est, in Ecclesia fiant.

Si quis aliquid de reditibus ad hoc pertinentibus retinuerit, vel per eum steterit quo minùs Missa celebretur more debito, vel Luminare fiat, per Decanum admonitus, stipendio careat & communione Fratrum, usque ad satisfactionem.

De primis Præbendis vacantibus, de singulis duabus unam cui voluerit personæ, alteram Sacerdoti tenebitur assignare Episcopus, donec sex Præbendæ fuerint assignatæ Sacerdotibus, vel talibus Personis quæ infra annum ordinem Sacerdotii recipiant, qui etiam jurabunt residentiam: Nec illæ Præbendæ aliis quam Sacerdotibus dicto modo poterunt conferri. Qui Sacerdotes officium Sacerdotum successive facient per septimanas suas in majori Altari in propriis personis sine receptione Vicarii. Capitulum autem tenebitur recipere Sacerdotem sibi ab Episcopo præsentatum, dummodo boni sit testimonii, & de legitimo natus matrimonio.

Imperatoris, Archiepiscoporum, Decani majoris Ecclesiæ, Canonicorum non Sacerdotum Vicarii, tenebuntur ex debito septimanas Sacerdotales facere, hoc adjuncto, quod in solemnitatibus novem Lectionum in majori Altari Missam celebrare non poterunt nisi Sacerdotes Canonici, & duo Capellani Imperatoris, & Canonici Beati Materni & aliarum Ecclesiarum Conventualium Canonici in Leodio. Isti tamen de gratia & ad petitionem illorum qui de jure tenebuntur septimanam facere Missas in majori Altari poterunt celebrare.

Ad hæc Imperator, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, Sacerdotes in majori Ecclesia collecti Vicarios instituere non poterunt, nisi sint Sacerdotes boni testimonii, qui Decano præsentati cum consilio Capituli admittantur.

Episcopus Abbatias, quæ Capellaniæ suæ sunt, non nisi Canonicis Ecclesiæ Sancti Lamberti conferre poterit.

Decanus autem Canonicos quos viderit ordinandos compellat ad suscipiendum ordinem scilicet Diaconatus, ita quod semper in Ecclesia sufficientes sint Diaconi, & qui rebellis fuerit privetur stipendio & communione Fratrum usque ad dignam satisfactionem.

Archidiaconi residentiam faciant per medietatem anni, & residentiam jurent, nisi absentes sint de licentia Episcopi. Si verò peregrinari vel ad Scholas ire voluerint, Episcopus non poterit eis licentiam denegare. Si autem in Ecclesia deservire debuerint & neglexerint, & Capitulum super hoc fieri convenerit, secundùm antiquam consuetudinem Patrum suorum stabunt.

Licentiam trium hebdomadarum tantùm ut absens sit Canonicus rationabili interveniente causâ poterit conferre Decanus. Cumque post talem licentiam redierit, aliam licentiam non

non obtinebit nisi elapsis sex septimanis, præterquam si necessitatem evidentem in Capitulo ostenderit. Si quis sine licentia recesserit, vel post datam licentiam moram fecerit sine rationabili causa probata in Capitulo, stipendio suo privabitur, & post in Claustro ponetur quamdiu Capitulo visum fuerit, restitutione factâ fructuum præcedentium, & tenebitur interesse omnibus Horis quamdiu erit inclusus.

Si quis contra Institutionem Ecclesiæ venerit, & fructus Præbendæ violenter acceperit, à Decano excommunicatus denunciabitur. Et si excommunicatus uno anno perseveraverit, ab Episcopo Præbendâ & omnibus redditibus in eadem Ecclesia privabitur.

Nullus Accolitus vocem habeat in Capitulo.

Nulli personæ duo Personatus de cetero conferantur in eadem Ecclesia.

Archidiaconi locum debitum non teneant dignitati, donec in Diaconos fuerint ordinati.

Quicunque de cetero eligetur in Decanum ordinem Sacerdotii teneatur suscipere infra annum, nisi alium annum causis evidentibus Capitulum ei indulserit, & residentiam faciat & hoc juret.

Decanus solo Decanatu contentus, alium Personatum tenere non poterit.

Scholasticus Cantoriam habere non poterit, & vice versâ, Cantor Scholasteriam de cetero non habebit.

Archidiaconi etiam, si pro negotiis Ecclesiæ honestis, vel ad visitandos Archidiaconatus ire voluerint, unum vel duos de eadem Ecclesia habebit socios de licentia Decani.

Omnia ista Capitula quæ sequuntur in singulis Synodis recitentur.

Præbendæ in nulla Ecclesia per totum Episcopatum dividantur, sed dimidiæ integrentur, & qui potestatem habent conferendi Præbendas, nulli personæ Præbendam conferant, nisi illis qui dimidias habent Præbendas, donec omnes sint Canonici integri.

Reducantur stipendia ad æqualitatem in omnibus Ecclesiis per Episcopatum, nisi contingat Præbendas esse divisas, & Præbendarum proventus singulis Canonicis locis obedientialibus assignari.

Qui celebrant excommunicati vel suspensi scienter, beneficiis suis priventur, & cum Litteris Episcopi cogantur ire ad Dominum Papam.

Priventur etiam beneficiis Clerici in Sacris Ordinibus constituti & Sacerdotes, si postquam ter admoniti fuerint, focarias, quas habent in domibus suis, non abjiciant.

Et concubinæ ab omnibus tanquam excommunicatæ videntur.

Generaliter excommunicentur usurarii, & manifesti, tanquam excommunicati devitentur, & in morte, Ecclesiasticâ careant sepulturâ.

Omnes libri Romanè vel Teuthonicè scripti de divinis scripturis in manus tradantur Episcopi, & ipse quos reddendos viderit reddat.

Nullus vel nulla recludatur absque licentia Episcopi.

Clerici comam nutrientes tam diu suis careant stipendiis, donec congruam fecerint tonsuram.

Ecclesiæ Parochiales non conferantur nisi personis, quæ infra annum ordinem Diaconatûs recipiant, & hoc jurent. Vicarii non constituantur in Ecclesiis, nisi per Archidiaconum fuerint in Concilio præsentati, quibus sufficienter de redditibus Ecclesiæ secundùm ordinationem ipsorum provideatur.

Hæc omnia præcipimus sub pœna excommunicationis observari, sicut in Capitulo Leodiensi Ecclesiæ Fratribus præsentibus & consentientibus à nobis fuit ordinatum. Actum anno Incarnati Verbi millesimo ducentesimo secundo. 1202

Ex isto Decreto visitationis seu reformationis, anno 1202. facto, constat Leodienses Canonicus illo ævo adhuc usos fuisse communi Dormitorio & Refectorio. Ceterùm quandò inter Canonicos vita communis desierit. Molanus libro de Canonicis fusè tractat.

De prædiis seu possessionibus Ecclesiæ Cathedralis S. Lamberti Leodiensis, inter Canonicos divisis, ita Renerus ad S. Jacobum Leodii Monachus, in suo Chronico: Anno millesimo ducentesimo quarto, Canonici S. Lamberti possessiones Ecclesiæ, mediante Cardinale Guidone, & Episcopo Hugone assentiente, inter se dividunt, & Præpositum destituunt.

CAPUT LXXXIV.

Inter Henricum I. *Brabantiæ Ducem & Othonem Gelriæ Comitem Pactum concordiæ firmatur*, anno 1202.

In nomine Sanctæ Trinitatis & Individuæ Unitatis, notum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris hujus Scripti inspectoribus, quòd cùm exorta esset discordia inter Henricum Ducem Lotharingiæ, & Othonem Comitem Gelriæ, suum hominem ligium, super eo quòd idem Comes ei debitum sæpiùs negaverit servitium, tale inter eos pacis reformatæ intercessit Pactum:

Quòd si Dux memoratum Comitem ad suum aliquando invitaverit servitium, & Comes ei non obtemperaverit, vel fideliter sicut homo suus ligius non servierit, ipse Comes suâ liberâ & spontaneâ voluntate elegit, quòd omnia bona, quæ à Domino Duce in feudum tenet, in sua sint potestate, ut ipse Dux de bonis illis pro sua disponat voluntate.

Ut autem hæc inviolata in posterum serventur, sigillorum suorum firmaverunt impressione. Hæc autem facta sunt, præsente Rege Othone, Guidone Apostolicæ Sedis Legato, Adulpho Coloniensi Archiepiscopo. Hujus rei etiam sunt Testes,

Henricus Dux de Limburgis,
Gerardus Comes de Are,
Adolphus Comes de Monte,
Henricus de Wassenberch,
Raso de Gavera,
Arnoldus de Wesemale,
Castellanus de Bruxella,
Rutgerus de Merchem,
Theodoricus de Millhem,
Reinerus de Tyge,
Sibertus Swevus,
Arnoldus Senescallus de Rotselare,
Gosuinus de Heverle.

Aliud simile Pactum inter eosdem Principes lege suprà Lib. 1. Donationum Belgicarum cap. 81.

CAPUT LXXXV.

BALDUINUS *Comes Gisnensis Monasterio Andrensi beneficia præstat*, *anno* 1202.

EGo BALDUINUS Comes Gisnensis notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd Iterius Abbas & Ecclesia Andrensis invadiavit ab *Hugone de Sawinghem* terram, quam habebat apud *Mas*, juxta curtem eorum. Dedit siquidem eadem Ecclesia prædicto Hugoni decem libras publicæ monetæ, ut eamdem terram habeat & sicut suam possideat, quò ad usque memoratum argentum recipiat.

ROGATU etiam prædicti Hugonis, me ipsum fidejussorem constitui, ut contra omnem calumniam nominatam terram Andrensi Ecclesiæ acquietarem, & sicut fidelis fidejussor prædictam pecuniam Ecclesiæ salvarem. Terminus autem redemptionis erit de anno in annum, in festivitate S. Remigii.

ACTUM anno M. CC. secundo. Super hoc Testes sunt,

Willelmus Frater meus,
Balduinus Filius meus,
Gusfridus Filius meus,
Balduinus, Filius Willelmi Fratris mei,
Willelmus Frater Tarevolevel,
Rolandus,
Henricus Falconarius, & multi alii.

CAPUT LXXXVI.

Idem BALDUINUS *Comes Gisnensis benefacit Monasterio Andrensi anno* 1203.

EGo BALDUINUS, Comes Gisnensis, notum facio præsentibus & futuris, quòd ad preces Domini Iterii Abbatis Andrensis immunes dimisi & quietos omnes mansionarios, sub eo manentes circa Ecclesiam Andrensem, scilicet inter molendinum ventosum, quod in Occidentali parte situm est, & subjacentem marescum à parte ejus Orientali: ne iidem mansionarii de cetero gallinas aut alias consuetudines reddant, quas famuli mei, quasi sub nomine meo, annis singulis accipere solebant.

HUIC autem concessioni Dominus (1) ARNULFUS de Gisnes, Castellanus de Borburg, Filius meus, assensum præbuit, & præsenti chartulæ sigillum suum unà mecum apposuit; ne per se aut per suos prædicti mansionarii aliquando gravamen incurrant. Actum extra Ardeam, anno Verbi Incarnati millesimo ducentesimo tertio, coram his Testibus,

Ægidio de Loressa, Filio meo,
Eustachio de Campaniis,
Radulpho de (2) Cochove,
Baldewino de Bavelingem,
Petro de Bavelingem, & multis aliis.

CAPUT

MANASSES, aliàs Robertus, Balduini & Adelæ Filius, Gislæ Wenemaro Gandensi Castellano nuptæ Frater, Comes Gisnensis, ex Emma genuit SIBYLLAM seu Rosam, Uxorem Henrici Vice-Comitis seu Castellani Borburgensis, qui ante Patrem obiit.

BEATRIX, Henrici & Rosæ Filia, bis nupta prolem non genuit: & successit GISLA, *Manassis* jam dicti Soror, seu potiùs ARNULFUS DE GANDAVO ejus Filius, qui 1169. obiit.

Arnulfo in Comitatu Gisnensi suffectus est Filius BALDUINUS, qui ex Christiana Ardæ herede genuit Arnulfum.

ARNULFUS ex Beatrice Borburgensi genuit BALDUINUM anno 1244. defunctum, & Balduinus ARNULFUM, & Arnulfus non Godefridum sed Balduinum, & Balduinus Arnulfum procreavit. Ex his leviter recense quæ suprà lib. 1. cap. 23. habentur.

BALDUINUS Comes Gisnensis cum duobus Filiis Ægidio & Sigero, à Philippo Francorum Rege, in custodia aliquamdiu detentus fuit, pro liberatione terræ suæ. Sicque debilitatus & senio gravatus, demùm anno 1205. in Octava B. Stephani, in domo sua apud Gines obiit, in Andrensi Monasterio sepultus. In Comitatu Gisnensi successit Patri ARNULFUS Filius, qui Beatricem Borburgensem Castellanam duxerat. Ita Gulielmus Abbas in Chron. Andrensi.

(1) ARNULFUS de Gisnes Castellanus de Borburg ex parte Uxoris Beatricis: qui posteà & Comes Gisnensis fuit.

(2) COCHOVE, Vicus hodie ad Familiam de Crequy pertinens.

CAPUT LXXXVII.

ADOLPHUS *Comes Altenæ & Montium, Archiepiscopus Coloniensis Fœdus renovat cum Brabantis anno* 1203.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis (1) ADOLFUS divinâ favente clementiâ Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cunctis Christi fidelibus in perpetuum. Notum facimus præsentibus & futuris, quòd ab antiquo inter Ecclesiam Coloniensem & Archiepiscopum ex una parte, & Ducem Lotharingiæ & terram suam ex altera parte confœderata est dilectio & confirmata confœderatio.

PLACUIT igitur nobis & Duci Henrico Consanguineo nostro istam dilectionis confœderationem innovare, & tam in nobis, quàm in Successoribus nostris perpetuâ firmitate corroborare. Hujus rei Testes sunt,

Engelbertus Major Præpositus,
Udo Major Decanus,
Gerardus Sanctensis Præpositus,
Bruno Bonnensis Præpositus,
Theodoricus Præpositus S. Cuniberti,
Theodoricus Præpositus S. Andreæ,
Theodoricus Præpositus S. Gereonis,
Theodoricus Præpositus SS. Apostolorum,
Magister Oliverius,
Bruno de Benschem,
Godefridus Notarius,
Otto Comes Gelrensis, Puer de Clivo,
Guilielmus Comes Juliacensis,
Henricus Comes de Seyne,
Gerardus Comes de Are,
Lotharius Comes de Hoestade,
Henricus Comes de Kessele,
Adulphus Comes de Monte,
Arnoldus Comes de Altena,
Arnoldus Comes de Mercka,
Godefridus Comes de Arneberch,
Henricus Comes Tecleburch,
Otto de Wickerode,
Everardus de Arberch,
Rutgerus de Merehem,
Giselbertus de Breme,
Rutgerus Stanult,
Hermannus Advocatus Coloniensis,
Henricus de Volunstene,
Henricus de Axphain,
Hermannus de Alvetre,
Otto Camerarius,
Henricus de Renschem,
Henricus de Vuchtrich,
Theodoricus de Erenpoorte,
Joannes,
Mathias, & alii quàm plures.

ACTA sunt hæc anno millesimo ducentesimo tertio. 1203.

(1) ADOLPHUS, ex Comitibus Altenæ & Montium, electus Archiepiscopus Coloniensis anno 1193, exauctoratus fuit anno 1205. in ipsa sua Ecclesia Metropolitana, ex mandato Pontificis, eò quod Philippum Sueviæ Ducem Cæsareo Diademate coronasset.

Comites & Duces Juliacenses.

I. WILLELMUS Comes de Juliaco, cum Ludovico Lossensi, Adolfo Montensi, Hugone Dagesburgensi, Othone Durachiensi, Henrico Gelrensi, & Hermanno Cudicensi, Comitibus anno 1146. Diploma Ecclesiæ Antverpiensi à Conrado II. Imperatore datum signavit, quod lib. 1. Diplom. Belgic. cap. 60. exstat. Willelmus Filium reliquit Gerardum: cui addunt nonnulli alterum Filium, Alexandrum Episcopum Leodiensem. Sed Ægidius rerum Leodicensium Scriptor dicit Alexandrum fuisse Filium Domini de Orreo apud Treveros.

II. GERARDUS, Willelmi Filius, & in Comitatu Juliacensi Successor, liberos reliquit Guilielmum, & Richardam Othonis II. Gelriæ Comitis Conjugem.

III. WILLELMUS II. Comes Juliacensis signavit Diploma hoc capite recitatum, itemque alterum quod lib. 1. Don. Belg. cap. 85. exstat; Filios habuit Theodericum & Guilielmum, Comites ex ordine Juliacenses.

IV. THEODERICUS genuit Margaritam, Othonis III. Comitis Gelrensis Conjugem.

V. Theoderico sine liberis masculis defuncto Frater GUILIELMUS III. in Comitatu successit, qui anno 1247. moriens, reliquit Guilielmum IV.

VI. GUILIELMUS IV. genuit Walramum sine liberis mortuum, & Gerardum. Ægidius rerum Leodiensium Scriptor tradit, anno 1277. die 16. Martii Comitem Juliacensem cum duobus Filiis ab Aquisgranensibus occisum fuisse, cùm Urbem illam occupare tentasset.

GERARDUS II Guilielmi IV. Filius, ex Isabella Clivensi sustulit Gerardum III, Joannem, Walramum Archiepiscopum Coloniensem, & N Uxorem Comitis Montensis. VII.

GERARDUS III Comes Juliacensis genuit Guilielmum V. & anno 1312 Tabulas Cortebergenses suprà lib. I. Donat. Belgic cap. 138. editas signavit. VIII.

GUILIELMUS V. ex Comite primùm Marchio anno 1329. à Ludovico Bavaro, postea Dux Juliacensis anno 1356. à Carolo IV. Imperatore creatus, duxit Mariam, Rainaldi III. & Eduardi Ducum Gelriæ Sororem heredem, & ex ea genuit GUILIELMUM VI. & REINALDUM Juliacenses ac Gelrenses ex ordine Duces, sine liberis defunctos, & JOANNAM, Uxorem Joannis Domini de Arckel. IX. X. XI.

REINALDO sine prole, ut dixi, anno 1423. è vivis sublato, ADOLFUS Dux Montensis seu Bergensis in Ducatu Juliacensi, & ARNOLDUS Egmondanus in Ducatu Gelrensi successerunt. Vide suprà pag. 414. & 465. XII.

CLIVENSIUM porrò Comitum & Ducum Catalogus exstat apud Stephanum Pighium in Hercule Prodicio. Vide item suprà pag. 211. & 414.

C A-

CAPUT LXXXVIII.

GUILIELMUS, *Balduini Imperatoris Constantinopolitani Patruus, illius nomine Hannoniam regens, benefacit Abbatiæ S. Dionysii prope Montes Hannoniæ Metropolim, anno* 1203.

EGo WILLELMUS, Domini Comitis Flandriæ & Hannoniæ Patruus, & ejus vicem in Comitatu Hannoniensi gerens potestativam, notum facio universis, quòd CLEMENTIA de Houdeng, in Curia Domini mei Comitis, sub testimonio hominum suorum, & in præsentia mea constituta, totum allodium suum, quod in potestate & territorio de *Houdeng*, & in potestate & territorio de *Goignies* habebat, Ecclesiæ S. Dionysii in Brocqueroia, tam per se, quàm per Advocatum sibi ab hoc electum, in eleëmosynam & proprietatem perpetuam, tam in terris cultis & incultis, quàm in nemoribus & aquis, servis & ancillis, cum omni jure & proprietate & Dominatione, legitimâ donatione contulit, sub testimonio Virorum Nobilium & aliorum Domini mei Comitis Flandriæ & Hannoniæ fidelium hominum, fidei suæ interpositâ religione, quòd super prædicto allodio præfatam Ecclesiam ulteriùs nequaquam attentabit inquietare. Testes,

Arnulfus Decanus Tornacensis Ecclesiæ,
Rogerus de Condato......

ACTUM Montibus, anno Verbi Incarnati
millesimo ducentesimo tertio, dum Dominus 1203.
Comes Flandriæ & Hannoniæ pro honore Domini nostri Jesu Christi peregrinabatur.

SANCTI DIONYSII Abbatia, Benedictinorum, primo lapide à Montibus Hannoniæ sita, anno 1081. à RICHILDE Hannoniæ Comitissa, Ragineri IV. Filia, ejusque Filio Balduino Hierosolymitano fundata, veterem ac reformatam disciplinam nuper est amplexa; unà cùm Affligemensi & Gerardimontensi Monasteriis: ut suprà Codice Donationum Piarum cap. 79. diximus.

CAPUT LXXXIX.

CHRISTINA BREDERODIA, *Comitissa de Linden, Guilielmi Conjux, dotat Ecclesiam S. Clementis in Urbe Coloniensi, anno* 1203.

NOs CHRISTINA Comitissa de Lienden, Uxor WILLELMI, qui nunc agit in Terra Sancta cum THEODORICO Domino de Brederode, Fratre meo, notum facimus, quòd considerantes affectum nostrorum Prædecessorum Comitum de Lienden & de Brederode, quem habuerunt erga Capellam B. Mariæ in Ecclesia S. Clementis Coloniæ sitam, & ob reverentiam, quam habemus erga Reliquias Sanctorum illius Capellæ & Ecclesiæ, & ob miracula ac signa quæ ibidem facta sunt, & adhuc fiunt, insuper ad cultum Dei ac Deiparæ ibidem augendum per servitium duorum Sacerdotum, qui quotidie ibi Missas legent pro animabus omnium nostrorum.

AD dictos duos Sacerdotes seu Vicarios alendos pro eleëmosyna damus in perpetuum octodecim mensuras terræ, cum silvis & Dominio *Armenvorst* nuncupato, cum omnibus appenditiis suis, sicut nobis datæ sunt à Domina Margarita Matre mea, idque cum consensu Domini Theoderici Episcopi Ultrajectensis, à quo dicta bona in feudum tenemus, & Domini Philippi Archiepiscopi Coloniensis. Testes fuerunt,

Philippus Archiepiscopus Coloniensis,
Theodericus Episcopus Ultrajectensis,
Dominus Everardus Decanus,
Franco Abbas de Egmont,
Hubertus Prior,
Otto Præpositus Sanctensis,
Otto Canonicus Coloniensis,
Willibrordus Canonicus Padrebornensis,
Bernardus Comes de Lip,
Willelmus Dominus de Brederode,
Joannes Dominus de Boisegem,
Dominus Hubertus de Botterfloot,
Dominus Joannes de Arckel,
Dominus Hugo de Voorn,
Joannes Dominus de Heusden,
Wenceslaus Dominus de Botselaer,
Gisbertus Dominus de Amstel,
Dominus Joannes van Zuylen,
Dominus Simon van Renen,
Dominus Arnoldus de Wachtendonck, Equites;
Jacobus van Zierlant,
Walterus van Baersdorp,
Gerardus Achterholt Scutiferi, qui mecum has Litteras suis Sigillis firmarunt.

ACTUM anno Domini millesimo ducentesi- 1203.
mo tertio, feriâ quartâ post Festum S. Martini Episcopi.

CA-

CAPUT XC.

Albertus *Comes de Muha, heredem dicti Comitatûs nuncupat Cathedralem Ecclesiam Leodicensem, anno* 1204.

Ut ea quæ geruntur in tempore, non labantur cum tempore, Scripti debent munimine perennari.

Innotescat igitur tam futuris quàm præsentibus, quòd Comes (1) Albertus de Muha, allodium suum de (2) *Muha*, & de *Waleve* cum familia & omnibus appendentiis suis, pro se & omnibus Antecessoribus suis, ad honorem Dei, & Beatæ Dei Genitricis Mariæ, & Beati Lamberti, Ecclesiæ Leodiensi contulit liberè & absolutè; tali interveniente compositione, quòd ipse in priori libera & legitima possessione, quamdiu vivet, jam dictum allodium possidebit.

Post mortem verò ejus, si decedat sine liberis, jure hereditario, omni alio herede excepto, ad jam dictam Ecclesiam Leodiensem liberè & absolutè, cum omni integritate, pertinebit.

Alioquin si filius vel filia superstes fuerit, jure hereditario supradictum allodium possidebit, hoc modo, quòd ab Ecclesia præfata in feudum recipere, & ligium homagium facere teneatur. Qui etiam filius scilicet vel filia, si sine liberis subinde decesserit, usque in tertiam & quartam generationem, & ampliùs, ad prætaxatam Ecclesiam memoratum revertetur allodium, liberè & absolutè.

Actum anno Verbi Incarnati millesimo ducentesimo quarto, Indictione septimâ. 1204.

Additio. (1) Albertus de Muha, fuit quoque Fundator Abbatiæ Monialium Cistercientium, cui nomen *Vallis Nostra Domina*, prope Huium, uti probant Diplomata in Supplemento Miræi recensenda.

Cum autem idem Comes succedente tempore ex sua Conjuge habuisset Filiam Gertrudem, dein Theobaldo Lotharingiæ Mosellanæ Duci nuptam, cœpit super præfata Donatione pænitere. Ortæ hinc fuerunt difficultates, quæ defuncto Alberto Comite anno 1212, ejusque partes amplectente Duce Brabantiæ, bellum Brabantos inter ac Leodiensis produxerunt.

(2) Muha seu *Moha*, Arx munita quondam fuit ad fines Brabantiæ, milliari Huio dissita, caput Comitatûs Mohani; sed nunc diruta est. Vicus de Moha ob Miraculosam Deiparæ Imaginem hodie frequentatur.

CAPUT XCI.

Thomas de Fiennes, *Guilielmi Frater, in Syriam ad Bellum Sacrum iturus, benefacit Abbatiæ Andrensi, anno* 1207.

Ego (1) Thomas, Frater Domini Willelmi de Fielnes, notum fieri volo tam futuris quàm præsentibus, me concessisse & dedisse Andrensi Ecclesiæ in perpetuam eleëmosynam, pro salute animæ meæ & Parentum meorum, unum polkinum frumenti, ad mensuram Boloniæ apud Necevilre singulis annis accipiendum. Hoc autem feci de assensu & voluntate prædicti Domini & Fratris mei Willelmi, à quo inter alia bona eumdem polkinum tenebam in feodum.

Actum solenniter apud Fielnes, die quâ versus Terram Jerosolymitanam iter arripui, anno gratiæ M. CC. VII. Testes sunt, 1207.

Walterus Abbas de (2) Bello Loco,
Robertus Canonicus ejus,
Arnulphus de Hesdingnol,
Joannes de (3) Tingri,
Willelmus de Contes, Milites, Pares mei,
& alii multi.

Additio. (1) Thomas de Fielnes, seu *Fiennes*, Ingelramni Domini de Fiennes Filius, Gulielmi Frater; cujus Familiæ Stemma vide suprà productum Lib. I. Donat. Belg cap. 83.

(2) Bello-loco, vulgò *Beaulieu*, Abbatia Canonicorum Regularium Ordinis Præmonstratensis in Gallia ac Diœcesi Trecensi. Extant in eodem Regno septem aliæ Abbatiæ eodem *Belli-loci* nomine insignitæ.

(3) Tingri. Vide suprà pag. 405.

Porrò hodie D. Philippus Marchio de Fiennes (cujus Familia à pluribus retrò sæculis illustris fuit) his insignitur titulis; Comes de Chaumont, Vice-Comes de Fruges, Baro d'Enne, &c. Dominus de Mortsel, Edeghem, Cantecroy, &c.

Titulo Dominii de Cantecroy (quod est Castrum sub Parochia de Mortsel juxta Antverpiam) Majores ejus acquisierunt ab Antonio Perrenoto S. R. E. Cardinale Granvellano, primo Mechliniensium Archiepiscopo. Jus Patronatûs in primarias Diœcesis Antverpiensis Parochias, Mortsel, Contigh, Boom, Niel, Heymissem, Hove, Waerloos, Aertselaer, & Reet.

De his plura vide in Notitia Marchionatûs S. R. I. per Baronem Le Roy, item infra in Supplemento nostro ad Diplomata Miræi.

CAPUT XCII.

GUILIELMUS PIPENPOY, *Vir Nobilis, decimas de Hare, Vici prope Bruxellam siti, donat Canonicis S. Gudilæ Bruxellis, anno* 1208.

Universis præsentes Litteras inspecturis G. Decanus, totumque Capitulum B. Gudilæ in Bruxella, salutem in Domino.

NOVERIT universitas vestra, quòd cùm Dominus WILLELMUS (1)Pipenpoy, jus decimæ, quod habebat in *Hare*, in manus nostras liberè & absolutè, nomine eleëmosynæ, resignasset, humiliter & devotè à nobis supplicavit, ut post vitam ALEIDIS Uxoris suæ anniversarium suum in perpetuum faceremus. Nos verò devotionem ipsius attendentes, promisimus eidem anniversarium ipsius Aleidis facere; & ad hoc in perpetuum faciendum nos obligamus.

IN anniversario prædicto fructus decimæ totius præsentibus distribuentur, excepto quòd inde Custodi Ecclesiæ quattuor denarii, pro campanis pulsandis, conferentur.

ACTUM anno gratiæ millesimo ducentesimo 1208.
octavo, feriâ sextâ post Trinitatem.

(1) PIPENPOY. Vide supra pag. 217.

CAPUT XCIII.

BALDUINUS *Cominii Dominus, ejusque Filius Balduinus Castellanus Ariensis, aliquot Servas donant Ecclesiæ S. Petri Insulensis, anno* 1209.

EGo BALDUINUS Dominus de Comines, & Filius meus BALDUINUS Junior, Ariensis Castellanus, tam præsentibus quàm futuris notum fieri volumus, quòd nos in eleëmosynam dedimus, pro salute & remedio animarum nostrarum, Prædecessorum etiam & Successorum nostrorum, in Ecclesia S. Petri de Insula, Mabiliam de Ronc, & quinque Filias ejus, Clementiam videlicet, Adelidim, Adelidam, Evam & Idam, & eas ab omni servitute quittas & liberas clamavimus & immunes. Hæc autem, & quidquid de eis exivit & exiet, in vita eorum vel earum, duos denarios annuatim Ecclesiæ prædictæ solvere tenentur, in morte verò XII.

NE igitur hujus donationis eleëmosyna diuturna temporis successione labatur à memoria posterorum, præsens scriptum sigillorum munimine fecimus roborari.

ACTUM anno Incarnationis Domini mille- 1209.
simo ducentesimo nono.

(1) COMINIUM, *Comines*, Oppidum muris nudum, ad Lisam fluvium inter Warnestunum & Virovicum, tertio lapide ab Insula, Flandrorum emporio. Hujus Oppidi Dominus fuit Joannes de la Clite, aliàs de Commes, Eques Velleris Aurei anno 1430. à Philippo Bono creatus, & anno 1435. defunctus. Is Fratrem habuit Colardum seu Nicolaum, cujus Filius fuit PHILIPPUS COMINÆUS, cum quovis antiquorum Historicorum comparandus, si Lipsio credimus. Obiit hic anno 1509. Parisiis apud Augustinianos conditus tumulo marmoreo, in Sacello quod vivus exstruendum curarat. Vide supra pag. 193.

CAPUT XCIV.

HENRICUS I. *Lotharingiæ Brabantiæque Dux anno* 1212. *pacifcitur cum* GODEFRIDO *Bredæ & Bergarum Domino de teloneo seu vectigali, quod Strynæ in Zelandia penditur.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, HENRICUS Dux Lotharingiæ omnibus in perpetuum. Quoniam ea, quæ solis mortalium memoriis commendantur, tractu temporis facilè elabuntur, utile visum est, ut ea, quæ memoriâ sunt digna, Scripturâ perpetuentur.

IGITUR præsenti Paginâ notum fieri volumus tam futuris quàm præsentibus, quòd hominibus, qui teloneum navium per (1)*Strynam* & *Scaldam* à nobis in feudum tenebant, propter eorum insolentiam & violentiam, quam transeuntibus inferebant, sententiâ Hominum nostrorum & Parium ipsorum fecimus abjudicari.

CUJUS telonei medietatem nobis reservantes, aliam medietatem dilecto Homini nostro Ligio (2 GODEFRIDO DE BREDA in rectum feudum contulimus, eâ conditione, quòd idem *Godefridus*

dus suis viribus & potestate omnibus per prædictas aquas transeuntibus, quousque noster conductus extenditur, pacem faciet, sine nostris laboribus & expensis. Nisi fortè contra eum invalesceret potentia, quòd manifestum esset nostro indigere auxilio: tunc corpore proprio, si opus fuerit, & totâ terrâ nostrâ, ei assistere debemus, & de universis mercibus teloneum debentibus nos medietatem, & prædictus Godefridus aliam medietatem percipiet.

SED pro vino, quod à navibus vinum portantibus priùs immoderatè accipi solebat, tres tantùm denarios Colonienses de quolibet vase accipi decrevimus: quorum duos nobis retinuimus, tertium sæpedicto Godefrido in feudum conferentes.

AD teloneum istud accipiendum nos propriam navem & proprium telonarium habebimus; similiter & dictus *Godefridus* propriam navem & proprium telonarium habebit. Et uterque nostrûm, ubicumque voluerit, suum teloneum accipiet, super aquam quæ Scalda nuncupatur.

ET ut omnis mala consuetudo accipiendi vel bibendi vinum abolita esset, decrevimus, ut quisquis telonei nostri vel sæpedicti *Godefridi* administrator exstiterit, si à mercatoribus vinum exegerit, vel gratis oblatum acceperit, corpus ejus in nostra erit potestate, & sine spe restitutionis exheredabitur: mercator verò, qui eis vinum propinaverit vel obtulerit, elegantius vas vini, quod in navi fuerit, amittet.

PROPTEREA hominibus, qui *Stakers-loo* à nobis in feudum tenebant, propter injuriam & violentiam, quam tam in aquis quàm supra terram hominibus inferebant, omne feudum de *Stakers-loo*, meritis eorum exigentibus, sententiâ Parium suorum, eis fecimus abjudicari, & illud Domino *Godefrido*, cum omni integritate, in rectum feudum contulimus.

SIMILITER & feudum de *Offendrecht*, sicut hi, qui antè à nobis hoc tenuerunt, ipsi *Godfrido* contulimus in feudum, tali conditione adjectâ, quòd de *Stakers-loo* & *Offendrecht* ipse in propria persona, vel heres ejus, qui Bredam tenebit, idem feudum semper à nobis habebit, nec alium infeudare poterit.

ITEM quicumque ex hominibus nostris terram Domini Godfridi ad manendum intraverit, ipse in pace eos possidebit; nisi fortes Milites, vel Filii Militum, vel de Familia nostra fuerint. Si ad nos redire voluerint, sicut priùs nostri erunt. Eadem forma de hominibus dicti Godfridi observabitur, si caussâ manendi ad nos se contulerint.

SI verò transeuntes à nobis ad dictum Godfridum, terram sub nobis habuerint, nos servitium de terra illa, tam moderatè accipiemus, sicut de hominibus nostris, vicinis ipsorum, faciemus. Et idem facere tenebitur Godfridus de terra hominum nostrorum ad ipsum transeuntium; ne à nobis ad eum transire volentes, vel ab eo ad nos, propter hoc, ab altero nostrorum deterreantur.

SI verò ab altero nostrûm aliqui ad alterum recedentes in aliqua caussa excesserint, vel de aliqua re calumnia eis mota fuerit, secundùm quod excessus vel calumnia exegerit, per sententiam nobis emendare debent.

ITEM quicumque homines memorati Godfridi, die hujus Conventionis factæ, Opida quæ de novo feceramus, intraverint ad manendum, scilicet Oostenwic, Arendonc, Herentals, Turnhout, Hoogstraten, si voluerint, ibi semper maneant; & Dominus Godfridus de terra eorum, in suo dominio jacente, ita moderatum servitium accipiet, quale de terra hominis sui æquivalente consuevit accipere: ita quòd propter hoc nullum detrimentum sustineant. Si verò redire voluerint, nos eos æquo animo recedere patiemur.

SI autem post tempus hujus Conventionis factæ, ad prædicta nova Opida vel alia, si quæ nova fecerimus, libertate commorandi, transire voluerint, nisi consentiente prædicto Godfrido hoc faciant, bona eorum in potestate ipsius Godfridi erunt, & de eis voluntatem suam faciet: ita quòd nos per hoc non offendat.

ITA per omnia observandum est de hominibus nostris, si fortè nobis invitis ad Opida libera jam dicti Godfridi, eos transire contigerit. Verùm si homines sui ad Opida nostra ab antiquo ædificata, Buscum, Sichem, Liram, Arscot, Antverpiam, Lovanium, & his similia, caussâ manendi, transire voluerint, liberè hoc facere poterunt, tali jure, quali semper ab antiquo transire solebant.

HÆC omnia, sicut probatum & proscriptum est, nos Consanguineo nostro & fideli Homini Ligio GODEFRIDO DE BREDA & suis heredibus in rectum feudum contulimus, tenendum à nobis & à nostris heredibus.

E contrario præfatus Ligius Godfridus homagium nobis, sicut Domino suo promisit, & juramento confirmavit, quòd omnibus Castris suis, totâ terrâ suâ, hominibus suis, & ministerialibus suis, & corpore proprio, ipse & heredes sui amodò nobis & heredibus nostris, serviet fideliter, contra omnes homines, qui mori & vivere possunt.

ET ad hujus rei confirmationem ex mandato ipsius Godfridi, specialiter omnes terræ suæ Milites, & Militum Filii, & XII. Villarum homines ducenti & quadraginta ad hoc electi juraverunt, & se & suos heredes ad hoc obligaverunt.

QUOD si fortè idem Godefridus vel ejus heredes ea, quæ prædicta sunt, infregerint, vel nobis sicut prætactum est, fideliter non servierint, ipsi totis viribus & bonis suis nobis sive heredibus nostris, contra ipsum Godfridum vel ejus heredes servient, donec ipsum vel suos heredes ad fidele servitium nostrum revocaverint.

VICE versâ si prænominato Godfrido aliquis caussâ nostri guerram movere attentaverit, nos ei modis omnibus assistemus; vel si quis eum injustè exheredare voluerit, quamdiu parere vel consilio nostro stare paratus fuerit, nos ei tamquam Ligio nostro non deerimus. Quod cum omnibus

omnibus præcedentibus articulis juramento confirmamus.

Ut autem hujus nostræ Constitutionis Pagina in posterum illibata & inconvulsa servetur, eam conscribi & appositione Sigilli nostri, cum subscriptione Testium fecimus roborari. Nomina Testium sunt hæc:

Waltherus Bertholt,
Gerardus de Grimberghen,
Arnoldus de Ranst,
Godfridus Castellanus Bruxellensis,
Arnoldus de Wesemale,
Arnoldus Dapifer,
Rolandus de Thenis,
Wilhelmus de Eekeren,
Wilhelmus de Lira,
Walterus de Rimenant,
Arnoldus Amptmannus Antverpiensis,
Wilhelmus de Halle, & alii quàm plures.

Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini
millesimo ducentesimo duodecimo, sexto Ka- 1212.
lendas Martii.

(1) Stryna, Zelandiæ pars est, Sevenbergæ & Dordraco opposita.

(2) Godefridus, Bredæ & Bergarum ad Zomam Dominus. Filium reliquit Henricum Bredæ Dominum, qui anno 1267. Ecclesiæ nostræ Antverpiensi Altaria de Scoten & Merxem contulit; juxta Tabulas lib. 2. Dipl. Belg. cap. 103. editas. Henricus porrò, ex *Sophia*, Walteri Berthout, Domini Mechliniensis Filia, genuit Isabellam Bredæ & Bergarum heredem, quæ nupsit *Arnoldo de Lovanio*, Godefridi Gasbecæ Domini Filio, Henrici I. Brabantiæ Ducis Nepoti. Vide suprà pag. 409. & 439.

CAPUT XCV.

Razo *Gaveræ Dominus, Comitis Flandriæ Pincerna, ejusque Filii, Arnoldus, Razo & Philippus benefaciunt Abbatiæ Ninivensi, anno* 1212.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego Razo de Gavera, Comitis Flandriæ Pincerna, omnibus hoc Scriptum lecturis in perpetuum.

Notum sit præsentibus & futuris, quod Filius meus Arnoldus fundum in *Breedenbroc*, quem Ægidius cognomento Schreihase ab eo in feudum tenebat, ipso in manus ejus resignante & werpiente, Ecclesiæ Ninivensi in perpetuam eleëmosynam contulit, & warandisiam repromisit, consentientibus Filiis meis, Razone de Bouleir & Philippo Fratre suo.

Ut autem hoc ratum & inconcussum permaneat, Scriptum hoc Sigillo meo, & Sigillo Filii mei Razonis de Bouleir, & Hominum nostrorum, & Hominum ipsius Arnoldi testimonio corroboro & auctorizo.

Signum Hominum de Gavera,
S. Giselini de Lilar,
S. Walteri Gratsel,
S. Hominum de Bouleir,
S. Balduini de Hasselt,
S. Hominum de Felsçea, Fulconis & Woitini de Wormines,
S. Hoiri de Lilar, &
Anneкini de Bracla.

Actum anno Domini millesimo ducentesi- 1212.
mo duodecimo.

CAPUT XCVI.

Razonis *Gaverensis Diploma alterum, ejusdem argumenti.*

Ego Razo de Gavera, cum Filio meo Razone, liberè obtuli ad Capellam de *Bochout*, in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ constructam, decem solidos annuè in festivitate S. Dionysii solvendos, de reditu meo *Bouchout*, ad comparandum oleum, quo lampas ardere & lucere debeat coram S. Altari, ad memoriam & salutem mei Liberorumque meorum.

Et hoc Donum, Sigilli mei appositione, & Hominum meorum attestatione, præfatæ Capellæ & Ecclesiæ Ninivensi, sicut omnia, quæ apud *Bouchout* & *Bredenbroc* possidet, confirmare & defendere promitto. Testes

Godefridus de Wenti,
Hosto Rufus,
Soikinus Fuscus,
Bernerus de Rosbais, & Frater ejus Bartholomæus,
Gerardus Villicus de Bochout, ad quem spectat hanc eleëmosynam solvere.

Pars Stemmatis Dominorum Gaveræ.

	Arnoldus.	
Razo Dominus Gavera duxit Claviciam, suprà cap. 80.	*Razo duxit Aleidem Boularia heredem, suprà pag. 418.*	*Philippus Boularia Dominus, suprà pag. 418.*
	Philippus.	

CAPUT XCVII.

MATHILDIS, *Domina Teneræmundæ, numerum Præbendarum Ecclesiæ Collegiatæ B. M. V. Teneræmundæ auget,* *anno* 1215.

UNIVERSIS Christi Fidelibus, quibus præsens Scriptum videre contigerit, Joannes Archidiaconus in Brabantia, & Joannes Canonicus Antverpiensis, quondam ibidem Christianitatis Decanus, salutem in Domino.

NOVERIT universitas vestra, quòd cum Nobilis Matrona MACHTILDIS Domina Teneræmondensis, ejusdem loci Conventualis Ecclesiæ Patrona, & Walterus, & Wasso, Presbyteri, & Ewanus, in dicta Ecclesia in tribus Capellaniis beneficiati, ex una parte; & Joannes Ham Decanus dictæ Ecclesiæ, universumque Capitulum, suarum Præbendarum beneficiis, in terris, in redditibus, in decimis, in censu, in hospitibus, in causis de suis hospitibus, & cum suis hospitibus tractandis, in emolumentis in ... receptis, & recipiendis, in oblationibus, & in aliis emolumentis, ad corpora antiquarum Præbendarum pertinentibus, sibi reservatis, supradictas Capellanias & Ewano & suis Successoribus, in prædicta Ecclesia Canonicis instituendis, super procuratione & petitione Prælatis suis conferendis, super expensis pro rebus Ecclesiæ à Canonicis communiter faciendis, super sigilli Capituli sigillatione, super electione Decani, & Custodis, super collatione Parochiarum, exceptis Capellis de Vlassenbrouck, & de Novo Castro, super terra Oberti, quam Vir Nobilis Walterus Teneræmondæ Dominus Presbyteris prædictæ Ecclesiæ contulit, super obitibus nomine obitûs distribuendis, collatis, & conferendis, super cotidianis distributionibus, collatis, & conferendis, super legatis & eleëmosynis Canonicis de cetero conferendis, super Vicariis instituendis; à Partibus fide & juramento interpositis, fuerit compromissum:

Nos de bonorum Virorum consilio duximus ordinandum, quod tam Walterus, Wasso Presbyteri, & Ewanus Clericus, qui prædictas Capellanias jam sunt adepti; quàm alii qui in hujusmodi beneficia sunt vocandi, in sæpedicta Ecclesia Teneræmondensi instituantur Canonici; eorum beneficiis nomine Præbendarum censendis; fidelitatem jurent Ecclesiæ, obedientiam Decano promittant, more Canonicorum ad Horas obligentur Canonicas, stallum recipiant in Choro, & vocem habeant in Capitulo, in Decani & Custodis electione, in Parochiarum collatione, exceptis Capellis de Vlassenbrouck, & de Novo Castro, quæ ad corpora antiquarum pertinent Præbendarum: In ordinatione rerum universaliter ad omnes Canonicos pertinentium, in procurationibus, in expensis communiter faciendis, & in rebus Ecclesiæ, sive Præbendarum alienandis.

PRÆTEREA tam novi quàm veteres Canonici, de corpore suarum Præbendarum, fideliter non in suis expensis, nisi voluerint, auxilium sibi ad invicem inpendant, & consilium.

ITEM tam novi, quàm veteres Canonici, procurationes Prælatis debitas, & expensas pro rebus ab ipsis communiter communicandis faciendas, communiter & æquali persolvant portione.

Item super communi negotio quod tam novos tangit quàm veteres, præter ipsorum consensum non sigillentur aut emanent.

ITEM novi & veteres Canonici, tam non Presbyteri quàm Presbyteri, & eorum Vicarii in eorum absentia, & Custos, & Presbyter Parochialis, quos Presbyteri Parochialis sollicitudine..... Decani obedientia, & Horas Canonicas, ... Proventus terræ Oberti, quam Vir Nobilis Walterus quondam Teneræmondensis Dominus in eleëmosynam contulit, & universos obitus nomine distributionum collatos.... De Vicariis instituendis....

UT hoc robur firmitudinemque obtineat in perpetuum, nostri Sigilli munimine duximus corroborandum.

ACTUM anno millesimo ducentesimo, decimo quinto, Mense Martio: in fine... 1215.

PER memoriam quod de tribus ordinavimus Capellaniis, quoad Missarum solennitates, Testatoris intentione & institutione, cùm libertate dictæ Dominæ Teneræmondensis, & sui Successoris, de Capellano in dicta Ecclesia sibi eligendo, nunc omnino salvatis, & inposterum salvandis.

CAPUT

Additio. HOc Diploma priùs exhibitum à Davide Lindano (Gandavensi, quondam Teneræmundani Oppidi Gymnasiarchâ & Syndico, Viro litteratissimo) in sua Teneræmundæ Descriptione, hìc adjungendum duximus.

Notitiam veterum ejusdem Oppidi Dominorum Notasque ad hoc Diploma repete ex Codice Donationum Piarum Cap. 72.

CAPUT XCVIII.

ARNULFUS *Comes Gisnensis Monasterio Andrensi beneficia præstat, anno* 1219.

EGo (1) ARNULPHUS, Comes Gisnensis, scire volo præsentes & futuros, me & heredes meos esse plegios erga Willelmum de Gisnes, Cognatum meum, & ipsius Successores & heredes, super vivario vel stagno, quod est inter Bokerdes & Fontaines, quod ipse Willelmus sponte werpivit, & si quid juris in eo habuerat, in Andrensi Ecclesia super majus Altare obtulit; tali ratione, quòd si idem Willelmus, vel aliquis de propinquis ejus, aliquid pro eodem vivario erga memoratam Ecclesiam delinqueret, Ego aut heredes mei tamquam boni plegii, & ipsius Ecclesiæ Patroni, per abandonum de suo ipsos coërceremus, & Ecclesiæ satisfieri faceremus.

RECOGNOSCO etiam, me pro anima Patris mei & propinquorum meorum, eidem Ecclesiæ condonasse, & quitos clamasse omnes reditus & consuetudines, quas Curtes ejus de Northkerka mihi & Prædecessoribus meis ab antiquo persolvere consueverant; exceptis novem denariis & uno obulo, quos causâ superioris justitiæ & dominii, mihi & Successoribus meis retinui.

ACTUM est hoc, & auctoritate Sigilli mei corroboratum, anno Verbi Incarnati M.CC.XIX. 1219.
Mense Maio, die quo ab amicis & hominibus meis licentiam accepi, ut cum (2) Domino meo Ludovico pergerem ad partes Albigensium.

(1) ARNULPHUS Comes Gisnensis, anno 1220. vivere desiit.

(2) LUDOVICO Domino meo. Fuit is Ludovicus, Philippi Regis Galliæ primogenitus, qui eodem anno 1219. contra Albigenses profectus. Tolosam obsedit, sed frustrà: ut Guilielmus Abbas in Ms. Chron. Andrensi narrat. Idem Ludovicus anno 1223. Remis in Regem est unctus, mortuo Patre.

CAPUT XCIX.

HENRICUS I. *Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ Dux; ad usum Canonicorum Ecclesiæ B. Mariæ Antverpiensis, donat Fossatum ejusdem Urbis Antverpiensis foro adjacens, anno* 1220.

HENRICUS, Dei gratiâ, Dux Lotharingiæ, & Marchio Romani Imperii, tam præsentibus quàm futuris, in perpetuum. Notum esse volumus universis præsentem Paginam inspecturis, quòd nos (1) FOSSATUM foro adjacens, à domo Hugonis Volardi, usque ad pontem Reinoldi, tam in sicco quàm in aquoso, ad usum Ecclesiæ B. Mariæ in Antverpia, resignavimus; quidquid juris in eodem Fossato habuimus, ob honorem Beatæ Virginis Mariæ, & in remissionem peccatorum nostrorum, ad constructionem Claustri, & ad usum Canonicorum ibidem ministrantium, liberè & absolutè conferentes. Ita quidem, ut non liceat nobis, nec alicui ex parte nostra, vel Successorum nostrorum, nec etiam Capitulo, nec Burgensibus in præfato loco aliqua construere ædificia.

PRÆTEREA quamdam partem fundi, quam præfata habet Ecclesia in *Pridenbeke*, cum omni jure, quod in eodem fundo habuimus, eidem Ecclesiæ contulimus, sine calumnia perenniter possidendam. Nos etiam omne jus nostrum, quod habuimus in bonis de *Craile*, quod WILLELMUS Præpositus, & Simon frater ejus, Canonicus Antverpiensis Ecclesiæ S. Mariæ in Antverpia in eleëmosynam contulerunt, ad usum Sacerdotis in eadem Ecclesia perpetuò ministraturi, ad opus præfati Sacerdotis, causâ remunerationis æternæ, eidem Ecclesiæ resignavimus, & eadem bona sine omni exactione concessimus æternaliter quietè possidenda.

UT igitur hæc nostra Donatio rata semper permaneat & inconvulsa, præsentem Paginam, seriem rei gestæ continentem, conscribi, & nostro ac Filii nostri HENRICI sigillo, qui præfatæ Donationi manum suam apposuit & assensum; sigillis etiam Ecclesiæ & Opidi, ut evidens est, fecimus communiri.

ACTUM anno gratiæ millesimo ducentesimo 1220.
vicesimo.

(1) FOSSATUM est area amplissima, duas inter fossas manufactas sita, in qua Cathedrale nunc Templum Antverpiense visitur, cum ædibus Canonicorum ac civium plurimorum.

CAPUT C.

HILDEGARDIS *Melnæ Domina, Vidua Gerardi Domini de Rodes, ejusque Filius* RADULPHUS, *à teloneo, in Ponte Brabantino apud Gandavum solvi solito, liberant animalia ad Ecclesiam Ninivensem spectantia, anno* 1223.

EGo HILDEGARDIS, Domina de (1) MELNA, notum facio præsentibus pariter & futuris, quòd ego ob æternam gloriam promerendam, & piæ recordationis Domini GERARDI de (2) RODEN, Mariti mei, ac meorum salutiferam memoriam, Ecclesiæ Ninivensi de omnibus animalibus & universis rebus ad ipsam pertinentibus, & per pontem apud Gandavum, qui *Brabant-brugghe* dicitur, transeuntibus ac redeuntibus, omne jus & exactionem telonei annuatim usque ad octo solidos Flandrensis monetæ remisi, & inde eam liberam & absolutam in perpetuum esse, devotè concessi & denuntiavi.

QUOTIESCUMQUE igitur animalia sive quælibet alia ad prætaxatam Ecclesiam spectantia, de quibus teloneum de jure esset solvendum, per prędictum pontem transire vel remeare contigerit, computabunt nuntii Ecclesiæ præfatæ fideliter de singulis, quâlibet vice, in quolibet transitu ac reditu, cum nuntio meo, qui ibidem fuerit ex parte mea constitutus.

ERIT autem terminus cujuslibet anni ab uno festo B. Remigii usque ad aliud festum B. Remigii proximè venturum. Quod verò per certam computationem ultra octo solidos annuatim superabundaverit, tenebitur mihi & Successoribus meis, secundùm communem consuetudinem, jure telonei solvere præfata Ecclesia Ninivensis.

UT autem hujus nostræ devotionis beneficium firmum & ratum in ævum permaneat, Scriptum præsens sigilli mei appositione studui roborare, cum sigillo Domini RADULPHI, Filii mei, qui huic dono eleëmosynæ voluntarium assensum attribuit, & ob hoc Chartam istam suo sigillo etiam confirmavit.

ACTUM apud Melna in Capella Curiæ, anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo 1223.
tertio. Mense Martio.

(1) MELNA, hodie *Melle*, Vicus ad Scaldim, primo lapide à Gandavo, viâ Alostanâ, ubi Cœnobium exstat Canonicorum Regularium.

(2) RODEN, seu *Rodes*, antiqua & Illustris Baronia in Comitatu Alostano, quam nunc Simon Rodrigues d'Evora, Simonis Filius possidet. Sub ea Vici seu Parochiæ XVII. comprehenduntur, videlicet,

Schelde-rode, *Botelare*, *Munté*, *Melle*, *Gent-Brugghe*, *Wyendeke*, *Baleghem*, *Moortsele*, *Oosterzele*, *Gontrode*, *Landtscautere*, *Berleghem*, *Melsene*, *Vliederzele*, *Baveghem*, *Ghysenzele* & *Letterhauten*.

Ceterùm in Comitatu Alostano quinque vetustæ sunt Baroniæ, quas Flandri *Roeden*, Galli *Verges* nuncupant: videlicet,

Rodes, *Gavere*, *Sotteghem*, *Boulers*, & *Escornaix*.

Gaveram & Sottegemium Comes Egmondanus, Boularium Franciscus Bernardinus Cassina, & Schorissam Comitissa de Lalain, possident.

CAPUT CI.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux Jus Patronatûs Matricis Ecclesiæ in Vura donat Abbatiæ Parchensi Ordinis Præmonstratensis, prope Lovanium, anno* 1227.

Ex Sanderus ex Archiviis, Parcensibus.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, Universis præsentes Litteras inspecturis, salutem. Ea quæ providè disponuntur, ad hoc Scripto traduntur, ut non minùs posterorum, quàm præsentium memoriæ commendentur.

SCIANT igitur tam futuri, quàm præsentes, quòd Nos, habitâ deliberatione sufficienti, & tractatu cum Viris prudentibus & Juris peritis, Fratribus de (1) Parcho, juxta Lovanium, Canonicis videlicet Regularibus Præmonstratensis Ordinis, Jus Patronatûs Matricis Ecclesiæ in (2) *Vura* sitæ in allodio nostro, contulimus in perpetuum; volentes quòd dum jam dictam Ecclesiam vacare contigerit, dicti Canonici eandem Ecclesiam ad usus proprios teneant, unusquisque eorum Sacerdos, in eadem personaliter ministret.

ET ut collatio ista rata permaneat, & inconcussa, præsens Scriptum, Sigilli nostri impressione roboramus his Testibus,

Domino Hostone de Trasenis,
G. de Sterbeka,
W. de Iska, Militibus,
Magistro G. (3) Fisyco,
G. de Sergingen,
Magistro R. Hogsen,

I. de

I. de Sterbeka, Clericis nostris,
D Villico de Bruxella,
G. de Werda,
J. filio Seboydi,
Et aliis quam pluribus,
Actum anno gratiæ M.CC.XXVII. 1227.

(1) Parco. De hac Abbatia vide supra Codice Donationum Piarum cap. 81.& 82. & Lib.I.Donat. Belg. cap 145.

(2) Vora seu *Fura*, Municipium inter Bruxellam & Lovanium, cum arce ac veteri Prætorio Ducum Brabantiæ, quod nostrâ ætate Albertus & Isabella Clara Eugenia Principes optimi, instaurarunt & mirificè auxerunt.

(3) Fisyco, seu Physico: sic olim vocabantur Medici Principum.

CAPUT CII.

Idem Henricus *Dux duas Capellas Furæ sitas, donat præfatæ Abbatiæ Parchensi, anno* 1227.

Correctum ex Sandero, & ex Originalibus Parcensibus.

HEnricus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, universis præsentes Litteras inspecturis, salutem. Ea quæ providè disponuntur, ad hoc Scripto traduntur, ut non minùs posterorum, quàm præsentium memoriæ commendentur.

Sciant igitur tam futuri quàm præsentes, quod nos, habitâ deliberatione sufficienti & tractatu cum Viris prudentibus, & Juris peritis, duas Capellas sitas in allodio nostro, in *Vura*, alteram infra Curtim nostram, reliquam in summitate dictæ Villæ, Fratribus de Parcho juxta Lovanium, Canonicis videlicet Regularibus Præmonstratensis Ordinis, in perpetuam eleëmosynam contulimus, tenendas sibi ad usus proprios, volentes quòd tres de dictis Canonicis Sacerdotes, unus in Capella nostra infra Curtim nostram, reliqui in reliqua Capella ministrent, & celebrent cotidie personaliter.

Sanè inter cetera ordinavimus, quòd alter Sacerdotum, qui ministraturi sunt, in Capella quam diximus sitam in summitate Villæ prædictæ, celebret & oret pro animabus specialiter Uxorum nostrarum bonæ memoriæ Machtildis & Mariæ, & omnium Parentum, & Prædecessorum nostrorum.

Huic autem Capellæ duas partes decimæ majoris infra territorium totius Villæ sæpedictæ contulimus, reliquæ autem Capellæ, infra Curtim nostram sitæ, decimas culturarum nostrarum inter *Iserna* & *Dusenborch*, juxta Parchum nostrum jacentium, assignavimus: volentes, quòd quidquid in dicta decima de XVI. modiis defuerit, id sæpedictis Canonicis, à nobis suppleatur. Et ut Donatio ista rata permaneat, & inconcussa, præsens Scriptum sigilli nostri impressione roboravimus, Testibus his,

(1) Domino Hostone de Trasenis,
G. de Sterbeka,
W. de Ischa, Militibus,
Magistro G. Physico,
G. de * Serkingen, Miræus *Herkinghem.
Magistro * R. de Högsen, * K. de Hoghem.
I. de Sterbeka, Clericis nostris,
D. Villico de Bruxella,
G. de * Werda, * Weida.
N. filio * de Seboyde, & aliis quam pluribus. * Seboidi.

Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo septimo, mense Novembri. 1227.

(1) *Domini de* Trasignies *seu* Trasenies.

I. ÆGidius, vulgari linguâ *Gillion* dictus, Dominus de *Trasignies* & *Silly*, ad Bellum sacrum in Syriam profecturus, Athum Hannoniæ Oppidum Balduino IV. Ædificatori, Hannoniæ Comiti, vendidit: ut Guisius in Ms. Hannoniæ Chronicis testatur. Captus à Saracenis, ac demùm liberatus operâ Gratianæ, Soldani Filiæ, ipsam secum in Belgicam adduxit, cùm Conjugem suam crederet pridem mortuam. Utraque posteà Monasticen est amplexa in Cœnobio *Olivæ*, quod est Virginum Ordinis Cisterciensis, prope Mariæ-montem in Hannonia; ubi communem utriusque tumulum marmoreum aliquando vidimus.

Ægidius porrò ad Bellum Sacrum secundò profectus, in Syria vivere desiit: cujus cor in Belgicam remissum, in eodem Olivæ Monasterio, sub tumulo jam memorato est collocatum. Filios reliquit *Joannem* Dominum de Trasignies, & *Gerardum*.

II. Joannes Ostonem genuit.

III. Osto sive Hotto, inter Testes in Diplomate jam recitato memoratus, ex Mathilde, Domina de Quievrain, sustulit Ægidium & Leodegarium, vulgò *Leger*, Monachum Franciscanum in Urbe Valentianensi. Idem Osto de Trasennies signavit Contractum antenuptialem, inter Philippum Alsatium Flandriæ Comitem & Mathildem Bononiensem anno 1179. initum, cap. 99. Codice Donationum Piarum.

IV. Ægidius duxit Alidem, Nicolai Boulariæ Domini Filiam, Belli-prati conditricem, cujus Diploma suprà lib. I. cap. 102. exstat. Ex Alide nati sunt *Osto* de Trasenies, & *Ægidius Niger*, Regni Galliæ Comestabilis, suprà pag. 419. laudati.

V. Osto de Trasenies fundationem Belli-prati prope Gerardi-montem jam citatam anno 1228. signavit, & ex Mathilde Gisnensi Filium tulit Ægidium.

VI. VII. Ægidius sive Gillio, Trasiniaci Dominus, ex Anna Angiana genuit Agnetem Trasiniaci heredem, quæ nupsit Eustachio Domino de Reux in Hannonia, Eustachii Filio, Eustachii Nepoti.

Domini de Trasignies *ex* Hamalia *Familia*.

I. A Reuxiana seu Hannoniensi Familia Trasiniacum posteà ad Hamaliam Gentem transiit, cùm Arnoldus, Guilhelmi Filius, Dominus de Hamale, Elderen & Warfusé, (qui tres Vici in Agro Leodiensi sunt siti) duxit Annam de Reux, Dominam de Trasinies & Silly in Hannonia.

II. Ancelmus sive Anselmus, Arnoldi Filius, ut Dominus de Trasinies, anno 1415. Fœdus Limburgense signavit, quod lib. 2. Dipl. Belg.c.114. publicavi. Idem, cognomento & insignibus Familiæ Hamaliæ sepositis, cognomen & insignia gentilicia de Trasinies sibi sumpsit, & ad posteros transmisit; sepultus in *Harlemont*, qui est Prioratus Ordinis Præmonstratensis, quarto lapide à Floreffia. Uxor ipsi fuit *Maria*, heres Armudæ, vulgò *Armuyen*. in Zelandia: ex qua nati Joannes & Arnoldus Armudæ Dominus.

III. Joannes Dominus de Trasinies & Silly, ex Sybilla de Ligne, Michaëlis Filia, genuit Joannem.

IV. Joannes Baro de Trasignies & Silly, Prætor Gallo-Brabantiæ, Eques Velleris Aurei anno 1516. à Carolo V. creatus, duxit Isabellam de Werchin. Obiit anno 1550.

V. Carolus, Joannis Filius, matrimonio sibi junxit Mariam de Pallant, Sororem Comitis Culemburgii.

VI. Carolus, Caroli Filius, primus Marchio Trasiniaci anno 1614. ab Alberto Austriaco renuntiatus, ex Adriana de Gavere, Caroli primi Comitis de Beaurieu, quatuor Filios ac totidem Filias genuit Ex his *Carolus* primògenitus obiit cœlebs: *Gillius-Osto* & *Joannes-Gerardus*, gemini, superfunt. cum *Alberto* quartò-genito. Honorina Montibus. Anna Nivellis Canonicæ sunt; Robertina Melbodii Canonica obiit; Jolenta Carmelitanis Monialibus Tornaci præest. Hæc ex monumentis illius Familiæ nobis amicus quidam suppeditavit: in quibus miror omissum esse Ostonem Dominum de Trasinies, qui Tabulas Cortebergenses anno 1372. firmavit, lib. 2. Diplomatum Belgicorum cap. 113. à nobis evulgatas. *Hactenus Miræus.*

Additio. VII. Gillio-Ottho Marchio de Trasegnies, Vice-Comes Armudæ ac Bilstein, Baro de Silly, Par Hannoniæ. Seneschallus Leodiensis, &c. Regi Catholico militavit. Fuit Gubernator Philippopolis, dein etiam Tornacesii & Arthesiæ Comitatûs.

Uxor illi fuit Jacoba de Lalaing, Comitissa de Middelbourg, è qua prodierunt Filii quinque, & tres Filiæ: Eugenius-Franciscus, de quo infra; Albertus Vice Comes de Bielstein, Canonicus Tornacensis, Præpositus illustrium Ecclesiarum Collegiatarum Montibus Hannoniæ ac Nivellis, qui & nominatus ad Episcopatum Namurcensem, eundem recusavit, & obiit anno 1699. Ferdinandus Franciscus, è Canonico Tornacensi Præpositus S. Petri Lovanii & Cancellarius Universitatis, qui obiit anno 1692. Octavius-Josephus, Vice-Comes Armudæ, Uxorem habuit Mariam de Wissocque & Bommy, qui obiit anno 1663; Procopius, Maria, Anna-Francisca, & Brigitta Margareta, &c.

VIII. Eugenius Franciscus Carolus Marchio de Trasegnies, Colonellus Legionis Equestris in Belgio, Uxorem habuit Catharinam-Carolinam Comitissam de Merode, Dominam de Villaimont, Clermont & Ermesbach in Ducatu Juliacensi. Reliquit Filios Gillionem-Otthonem, & Gerardum.

IX. Gillio-Ottho Marchio de Trasegnies. Uxorem duxit N Filiam Ferdinandi Gastoni Lamoraldi de Croy Comitis Rhodiensis, supremi Hannoniæ Ballivi &c. Obiit nullâ prole relictâ, anno 1720

X. Gerardus, Comes de Villaimont, Fratri suo successit.

CAPUT CIII.

Joanna Constantinopolitana *Flandriæ & Hannoniæ Comitissa fundat ac dotat anno* 1230. *Abbatiam Monialium Ordinis Cistertiensis, quæ* Reclinatorium B. Virginis, *aliàs* Marquetta *dicitur, prope Insulam Flandriæ Emporium.*

UNiversis præsentem paginam inspecturis (1) Joanna, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, salutem in Domino.

Ne processu temporis rei gestæ veritas occultetur, expedit gestorum seriem scripturæ committere, quæ posteris ipsorum notitiam repræsentet.

Noverint ergo universi, quòd bonæ memoriæ Ferdinandus quondam Dominus & Maritus noster, Flandriæ & Hannoniæ Comes, & Nos pro nostra & Antecessorum ac Successorum nostrorum salute, quoddam juxta Insulam Monasterium incohavimus, quod (2) Reclinatorium B. Virginis appellatur, & ad provisionem Religiosarum Mulierum, ibidem sub habitu regulari Cistertiensis Ordinis, suo servientium Creatori, possessiones & terras & reditus, & alia in eleëmosynam dictus Dominus Comes & nos dedimus & assignavimus ipsi Monasterio; quæ pariter præsenti Paginâ conscribi fecimus, licet alibi diversis chartis & litteris sint contenta: quædam alia per donationem factam ab aliis, & per emptionem, seu alio modo jam dicto Monasterio acquisita præsentibus inseri facientes.

Sciant ergò tam posteri quàm moderni, quòd prædictus Dominus Comes & nos locum, ubi fundatum est ipsum Monasterium, acquisivimus, & locum, ubi sita est vetus curtis: quæ loca cum suis curtibus à justitia seculari penitus eximentes, plenæ dedimus libertati.

Dedimus etiam in eleëmosynam ipsi Monasterio tredecim modios avenæ de decima, qui solvi solebant ad brevia Spicarii Insulensis, annis singulis quietè & liberè possidendos.

Dedimus præterea in eleëmosynam ipsi Monasterio unum (3) last halecium, quod singulis annis in Festo S. Martini debet accipere apud (4) Mardic....

(5) Præterea cùm bonæ memoriæ Willelmus de Dampetra ageret in extremis, ipse & charissima Soror nostra Margareta, Domina de Dampetra, Uxor ipsius, dederunt in eleëmosynam Ecclesiæ suprà dictæ tres modios frumenti, & sex modios avenæ ad mensuram Duacensem, de reditu annuali, ad opus unius Capellani, de quo sibi ipsa Ecclesia providebit.

Item Dominus Sigerus de Curtraco Miles legitimè vendidit Monasterio prænominato reditum quinquaginta raseriarum avenæ, quem Joannes de Gavera & Fratres ejus ipsi debebant Militi, super quamdam Decimam jacentem in eodem territorio de Gavera.

Idem etiam Miles legitimè vendidit eidem Mona-

Monasterio reditum sex librarum, quem ei debebat Sigerus Præpositus ex ponte de Ferlengien. Sæpè dictus verò Dominus Comes & Nos, pietatis obtentu utramque venditionem gratam habentes, præscriptos reditus, in manus nostras legitimè resignatos, quitos à jure feodali clamavimus, ipsos dicto Monasterio concedentes perpetuò liberè & pacificè possidendos....

Nos igitur omnia quæ scripta sunt superiùs, approbantes, eadem nostris præsentibus Litteris jam dictæ Ecclesiæ confirmamus, Nos tanquam terræ Dominam obligando ad garandiam omnium præmissorum. Dicta verò carissima Soror nostra Margareta Domina de Dampetra omnia suprascripta favorabiliter approbans, in signum sui liberalis assensûs Sigillum suum duxit præsentibus apponendum. Datum anno Domini M. CC. XXXVI. mense Maio. 1236.

Additio. (1) JOANNA Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, fuit Filia & heres Balduini Imperatoris Constantinopolitani. Nupsit primùm Ferrando Portugalliæ Principi, dein Thomæ Sabaudiæ Duci. Sed nullis ab utroque Marito susceptis liberis, obiit anno 1244, sepulta in Abbatiâ Marquettana; ubi positum illi fuit hoc

EPITAPHIUM.

Est sita Flandrensis Princeps, & Hannoniensis,
In tumulo tali. Vitâ nituit speciali,
Sicut Susanna, cælebs fuit ista monalis;
Nobilitas talis, proles fuit Imperialis,
Justa, potens, fortis, clemens, ac horrida mortis.
Angelicis mixta sit turbis hæc Comitissa.
Anno milleno migravit cum quadrageno
Quarto & bis centum, quintinâ Luce Decembris.

(2) RECLINATORIUM B. VIRGINIS, aliàs *Marquetta*, Abbatia sub Pago de *Marcque*, est Nobilium Virginum, Instituti Cisterciensis, ad muros Urbis Insulensis, in Diœcesis Tornacensi. Subest spirituali curæ Abbatis Laudensis ejusdem Ordinis prope Insulas, hodieque floret quamplurimum.

(3) LAST. Vocabulum Flandricum, quod sarcinam vel onus significat; hîc ponitur pro halecum copia, quæ dolia ut minus quatuor adimplet.

(4) MARDIC. Vicus Flandriæ inter Dunkercam & Gravelingam, olim egregiè munitus, de quo supra pag. 522. Locus hic temporibus nostris factus fuit celeberrimus, hac ratione;

Cum in vim Pacis Ultrajectinæ anno 1713. Ludovicus XIV. Rex Dunkercam Anglis tradere, omniaque ejus munimenta demoliri spopondisset, anno sequente novos in Mardica canales novasque cataractas, quibus naves è mari Dunkercam æquè facilè intrare potuissent, construi fecit.

Sed hinc tot contradictiones à Rege & Parlamento Angliæ obortæ sunt, ut novum bellum exoriturum timeretur, nisi anno 1717. Galli dictos novos aquæductus immensis pænè expensis confectos penitùs destruxissent.

(5) PRÆTEREA &c. Plurima huic Diplomati desunt, in quibus specificè recensentur bona Abbatiæ Markettanæ: quæ brevitatis causâ à Miræo prætermissa, vide latiùs in Descriptione Gallo-Flandriæ per Patrem Bucellinum lib. II. cap. 30.

CAPUT CIV.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux anno* 1233. *donat varia Prædia in VVestmalle, ad Monasterium Ordinis Cistertiensis fundandum, quod nunc S. Bernardi dicitur, ad Scaldim prope Antverpiam.*

HENRICUS, (1) Dei gratiâ, Dux Lotharingiæ universis præsens Scriptum inspecturis in Domino salutem. Ad universitatis vestræ notitiam pervenire volumus, quòd Nos in remedium animæ nostræ & Prædecessorum nostrorum, ad construendum Monasterium Monachorum Ordinis Cistertiensis, contulimus in manus Abbatis de VILLARI, Leodiensis Diœcesis, *Westmalle* cum omni allodio ad eandem Villam pertinente, & quidquid ibidem nostri juris est in decimis, silvis, pratis, aquis, pascuis, & silvâ totali quæ vocatur *Hoodonc*, & cum omnibus ceteris pertinentiis suis. Facta sunt autem hæc in præsentia

Fratris Wilhelmi Abbatis Villariensis,
Godefridi Cellarii ejusdem loci,

Fran-

(1) HENRICUS illo nomine primus Brabantiæ Dux meritò audit Fundator Monasterii S. Bernardi ad Scaldim, utpote qni anno 1233. Guilielmo cognomine Bruxellano Abbati XI. Villariensi dedit varia prædia in vico *Westmalle*, tertio lapide à Lira sito, cum silva Hoidoncana, ad novum Monasterium illo in tractu à fundamentis excitandum. Quod quidem primo in vico *Vremde*, uno milliari à Lira, ædificari cœptum est, fundum anno 1235. donante Ægidio Bertoldo, Ægidii & Catharinæ Filio, Berlariæ Domino: cujus Diploma in Cod. Don. piarum cap. 103. exstat. Ad quem locum Hugo Abbas primus cum XII. Monachis ex Villari anno 1237. advenit.

Anno 1243. à Gosuino Bock Viro Nobili feudum in Hemessem emerunt; Henrico II. Brabantiæ Duce approbante, cujus Tabulæ lib. citato cap. 105. recitantur. Anno 1246. ex vico Vremde de Hemessem Monachi migrarunt ad ripam Scaldis, altero lapide ab Antverpia.

Arnoldus de Zellaer, Scholasticus Mechliniensis, & minorum ibi Præbendarum Fundator, anno 1257. locum S. Bernardi dotavit. Arnoldus de Lovanio & Uxor ejus Elisabetha Bredæ Domina decimas in Gastele contulerunt. Anno 1288. à Felicitate Domina de Hoboken, vidua Domini de Peruwez, emerunt vicum *Puers*; quem Godefridus de Peruwez emerat à Raqualdo Abbate S. Cornelii Indensis prope Aquas-Grani.

Franconis Personæ de Contaico,
G. Sacerdotis Capellani nostri,
G. Cantoris Beati Petri in Lovanio,
G. Militis de Wynengem,
G. Sculteti de Herentals,
Hugonis Nosc de Antverpia,
Ægidii Sculteti Antverpiensis,
Theobaldi Scabini Antverpiensis, & aliorum plurimorum.

Ut autem præmissa omnia firma & inconcussa perpetuò perseverent, præsentem Chartam nostri appositione sigilli duximus roborandam.

Actum apud Lovanium anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo tertio, in festo Beati Bernardi Abbatis. 1233.

CAPUT CV.

Margareta Constantinopolitana *Flandriæ Comitissa, anno* 1234. *fundat Cœnobium Monialium Ordinis Cistertiensis, prope Orchiacum Opidum, quod inde posteà Flinas est translatum, haud procul à Duaco.*

Ego (1) Margareta, Domina de Dampetra, notum facio universis tam præsentibus quàm futuris, quòd pro remedio animæ meæ, & Domini Willelmi de Damperra, quondam Mariti mei, nec non & omnium Antecessorum meorum, locum, qui dicitur Honor B. Mariæ, situm propè Villam de (2) *Orchies*, in Diœcesi Tornacensi, cum omnibus appenditiis suis, contuli in eleëmosynam D. Bernardo & Ordini Cistertiensi: ad hoc, quòd sit in perpetuum Abbatia Monialium ejusdem Ordinis, & specialis Filia Claræ-Vallis.

In cujus rei testimonium præsentes Litteras sigillo meo duxi roborandas.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quarto, in die S. Dionysii. 1234.

Additio. (1) Margareta Fundatrix hujus Cœnobii. Balduini Imperatoris Constantinopolitani Filia, Soror & heres Joannæ. quæ Marquettensem Abbatiam fundavit (ut suprà diximus cap 103 hujus Libri) primis nuptiis Maritum habuit Burchardum de Avenis, à cujus thoro dein fuit separata. Extant eâ de re curiosa Diplomata superiùs Lib I. Diplom. Belgic. cap. 87. & 88.

Secundò nupsit Guilielmo de Dampetra, (*Dampierre* in Burgundia) Borbonii Dynastæ, &c. Margareta 76. annos nata, decessit anno 1280. sepulta in præfato Flinensi Cœnobio.

(2) Orchies, latinè *Orchiacum*, Oppidum est exiguum Gallo-Flandriæ sub Castellania Insulensi, ac Diœcesi Tornacensi. Ad ejus muros jacta fuêre fundamenta Abbatiæ Virginum Cisterciensium anno 1234. quæ tradita fuit D Bernardo, ut esset Filia specialis Abbatiæ Claræ Vallensis in Gallia,

Postmodùm circa annum 1253. translata fuit in locum dictum *Flines*, ad Scarpum fluvium, sesqui-milliari Duaco dissitum, sub Diœcesi Atrebatensi; ubi hodieque sub cura spirituali Abbatis Camberonensis in Hannonia, sanctitate & numero Monialium (dicuntur enim esse circiter 90) floret quàm plurimum.

CAPUT CVI.

Henricus *Brabantiæ Dux, Abbatem Parchensem commendat* Guardino *Episcopo Cameracensi, qui anno* 1238. *confirmat Privilegia ab eodem Duce Parchensibus concessa.*

Venerabili Domino suo, & Patri in Christo G. Episcopo Cameracensi, Henricus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ paratam ad beneplacita voluntatem.

Dilectum & specialem nostrum Henricum Abbatem de Parco, latorem præsentium, pro donatione Capellarum apud Vuram, & Juris Patronatûs Matricis Ecclesiæ in eadem Villa, ei & Fratribus suis à nobis facta, à Vobis autem confirmanda ad præsentiam vestram dirigimus, supplicantes Vobis diligentiùs, quatenus hanc Donationem nostram ritè factam, piam & providam ratam habentes, intuitu divinæ remunerationis, & causâ dilectionis nostræ ipsam confirmetis; sciturí quòd Donationem istam fecimus propter Sacerdotum secularium negligentiam, sperantes quòd propter dictorum Fratrum religionem & regularem observantiam, in dictis Ecclesiis dictæ Villæ, ubi frequentiùs moram facimus, devotiùs & religiosiùs ministretur.

Diploma * Guardini, *Cameracensis Episcopi.*

* aliàs Guerdus vel Guido.

Guardinus Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, Viris Religiosis, Abbati & Conventui de Parcho, Præmonstratensis Ordinis, æternam in Domino Salutem.

Cùm à nobis petitur quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit

git rationis, ut id auctoritate nostrâ ad debitum perducatur effectum.

SCIANT igitur tam præsentes quàm futuri, quòd nos per Litteras Illustris Principis bonæ memoriæ H. Ducis Lotharingiæ vidimus contineri, quòd vobis, animæ suæ saluti volens devotiùs providere, Jus Patronatûs Ecclesiæ de Vura & Capellam quæ est in summitate Villæ prædictæ, duas partes decimæ majoris, intra territorium totius Villæ superiùs memoratæ, prædictæ Capellæ, ut in eadem pro anima sua, & specialiter Uxorum suarum MACHTILDIS & MARIÆ, & omnium Prædecessorum suorum, divinum officium in perpetuum celebretur, assignans, vobis contulit in eleemosynam, cum omni jure perpetuò possidendum; Nos autem vestræ petitioni, super his grato concurrentes assensu, præscriptum Jus Patronatûs de Vura cum decima sæpedictæ Capellæ, prout superiùs est assignata, vobis confirmamus, & sigilli nostri impressione communimus.

ITA videlicet, quòd quandocumque dicta Ecclesia de Vura suo destituta fuerit Presbytero, vos alium Presbyterum secularem debeatis Domino Cameracensi Episcopo ad Curam recipiendam dictæ Ecclesiæ præsentare. Confirmamus etiam vobis possessiones & partem decimæ, quam in Villa de Nossengen justè & pacificè possidetis, sicut per Illustris Principis piæ recordationis Godefridi, quondam Ducis Lotharingiæ, Litteras vidimus contineri.

ACTUM anno gratiæ M. CC. XXXVIII. Mense Novembri. 1238.

CAPUT CVII.

ARNOLDUS *junior de WVesemale, ejusque Uxor* ELISABETH, *à Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Ultrajectensis anno* 1240. *ad firmam perpetuam sub annuo censu accipiunt prædia in WVesterlo, ab Arnoldo seniore de WVesemale antea possessa.*

Vide supra pag. 128.

DOminis suis Reverendis Præposito Decano & toti Capitulo Beati Martini Ecclesiæ Trajectensis ARNOLDUS Miles junior de Wesemale, & ejus Uxor ELISABETH salutem in Christo.

CUM processu temporis memoria hominum evanescat, quapropter discretioni vestræ & universitati omnium, tenore præsentium, notum facimus, quòd cùm Nobilis Vir Arnoldus senior Miles de Wesemale, ad opus & præsidium nostri matrimonii seu maritagii, in donatione propter nuptias, in manus vestras universa bona, quæ habebat, cum omnium integritate in WESTERLO, intulerit, & Vos nobis eadem concesseritis ad firmam perpetuam, sicut in instrumentis super hoc confectis plenius continetur:

Nos per stipulationem solennem, fide & juramento interpositis, promittimus Vobis & Ecclesiæ vestræ, annuatim, nomine firmæ sive canonis, nostris periculis & expensis, in Trajecto solvere decem marcas Colonienses legales, in die B. Martini hiemalis.....

IN cujus rei testimonium & cautelam præsentes Litteras Vobis damus, Sigillis nostris sigillatas.

ACTUM & datum feriâ sextâ ante Nativitatem B. Joannis Baptistæ, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo. 1240.

CAPUT CVIII.

Canonicatuum seu Præbendarum Antverpiensium XII. Sectio in XXIV. Præbendas decernitur, & à GUIDONE *Cameracensi Episcopo confirmatur, anno* 1240.

GUIDO, Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, dilectis Filiis JOANNI Præposito, totique Capitulo Beatæ Mariæ in Antwerpia, salutem in Domino. Constitutus in præsentia nostra Magister Henricus, Concanonicus vester, pro Ecclesia vestra (habens super hoc speciale mandatum) nobis humiliter supplicavit; quòd cum inter vos, pro utilitate Ecclesiæ vestræ, & ampliatione Cultûs Divini, providè tractatum fuerit, unanimiterque consensum, super Sectione Præbendarum in Ecclesia vestra, sicut eas in futurum vacare contigerit, facienda; eò quòd, propter paucitatem Canonicorum, in spiritualibus collapsum patitur Ecclesia supradicta, & in tantum, prosperante Domino, excreverint reditus Ecclesiæ, quòd quælibet Præbenda sufficere possit ad duarum personarum sufficientem sustentationem & honestam, ut hujusmodi Sectioni Præbendarum benevolum impertiremur assensum;

NOS ergò, pensatâ utilitate & honestate dictæ Ecclesiæ, devotæ supplicationi ipsius annuentes

nuentes in hac parte, hujusmodi Præbendarum Sectioni, quantum in nobis est, consentimus: dummodo in Ecclesia vestra non sit certus numerus Canonicorum, jurisjurandi religione firmatus, & Superioris auctoritate confirmatus.

DATUM apud Cameracum, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo, feriâ secundâ ante Festum B. Mariæ Magdalenæ. 1240.

CAPUT CIX.

Decretum Capituli Antverpiensis super sectione XII. Præbendarum in XXIV, scriptum anno 1240.

OMNIBUS Litteras has visuris, JOANNES Præpositus, & Capitulum S. Mariæ in Antwerpia, in Domino salutem. Universitati vestræ notum facimus, quòd cùm in Ecclesia nostra duodecim essent Præbenbæ tantùm, & propter paucitatem servitorum defectum pateretur in divinis, & jam propitiante Domino, adeò excreverint Ecclesiæ facultates, quòd de una Præbenda duo possunt commodè sustentari;

Nos de prudentum consilio, utilitati Ecclesiæ providere volentes & honori, ad ampliandum Cultum Divinum, & ut meliùs Ecclesiæ nostræ in divinis obsequiis & aliis necessariis plenariè consulatur, Venerabili Patre GUIDONE, Dei gratiâ Cameracensi Episcopo consentiente, de communi assensu nostro & unanimi voluntate statuimus & ordinamus,

QUÒD de cetero nostrarum fiat Sectio Præbendarum, sicut eas de cetero vacare contigerit, donec ad numerum viginti quattuor sit perventum: promittentes sub juramento, à nobis universis & singulis præstito, nos observaturos inviolabiliter Ordinationem hujusmodi seu Statutum.

STATUIMUS etiam & ordinamus, sub religione præstiti juramenti, quòd quilibet Canonicus de cetero instituendus in Ecclesia supradicta, statim post institutionem suam inter cetera jurabit expressè, se servaturum Ordinationem præmissam, & Statuta, prout superiùs sunt expressa, & quòd contra ea non veniet quoquo modo. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus Litteris sunt appensa.

DATUM Antwerpiæ in Festo B. Mariæ Magdalenæ, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo. 1240.

LAudanda sanè res; & nescio an ullum ævum aut Collegium dederit exempla magis eximiæ liberalitatis, & ut sic loquar, ultroneæ depauperationis. Anno 1124. majores nostri S. NORBERTO, Ordinis Præmonstratensis Conditori, Ecclesiam S. MICHAELIS, cum quatuor Præbendis, tribus curtilibus & jugero terræ, dono dederunt; & cùm essent priùs numero duodecim, numerum suum in octo terminarunt Præbendis, & cum his ad Ecclesiam B. MARIÆ (quæ nunc est Cathedralis) sese transtulerunt. Ceteras verò quattuor Præbendas, per omnia eis consimiliter participantes, S. Norberto, ejusque Sodalibus dederunt: ut Hildolphus Præpositus loquitur in suo Diplomate, quod in Codice nostro Donationum Piarum cap. 76. & apud Baronium tom. 12. Annalium, in gestis anni 1124. exstat.

Octo itaque Canonici, qui restabant, ex S Michaëlis Basilica ad Marianam anno 1140. transierunt, & perpetuo illic Domicilio collocato, in opum statum societatem quattuor Collegas evocarunt. Nec his contenti, alios deinde assumpserunt duodecim, quos ut dignitate, ita proventuum accessione, per omnia sibi æquarunt.

Prædicandum sanè exemplum, & quod plures admirabuntur, quàm imitabuntur.

CAPUT CX.

Canonici Ecclesiæ B. Virginis Aquisgranensis decimas Agri Vilvordiensis ad firmam (ut loquuntur) perpetuam sub annuo censu tradunt Monialibus Cameræ prope Bruxellam, anno 1245.

UNIVERSIS Litteras præsentes inspecturis GARSILIUS Dei gratiâ Decanus, totumque Capitulum Beatæ Mariæ in AQUIS, salutem in Domino. Noverint universi & singuli, quòd nos, mediantibus bonis Viris, deliberatione quoque ac diligenti tractatu nobiscum super hæc præhabitis, Abbatissæ & Conventui de CAMERA, Cistertiensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis, dedimus, concessimus & tradidimus ad firmam perpetuam, sub annua pensione triginta quinque marcharum Coloniensis monetæ, nobis Aquis persolvendarum, suis laboribus, periculo & expensâ, duodecim solidis pro marcha computatis, fructus omnes & proventus, tam præsentes quàm futuros, omnium bonorum, quæ habebamus in territorio Ecclesiæ de FILVORDIS, sive in Patronatu ejusdem Ecclesiæ, sive in oblationibus, sive decimis, sive annuis censibus, seu censibus capitum, ad dictam Ecclesiam de Filvordis pertinentibus, sive in terris, vel quibuscumque ædificiis, seu quibuslibet rebus aliis, ad præfatam Ecclesiam pertinentibus, ab eisdem Abbatissa & Conventu perpetuò percipiendos.

In hoc autem Contractu pacta, quæ sequuntur, inivimus, tam Nos quàm dicti Abbatissa & Conventus.

Ipsi etenim dimidietatem dictæ pensionis nobis solvent in festo Beati Martini hiemalis, alteram verò medietatem in festo Cathedræ S. Petri annuatim.

In solutione autem totalis pensionis prædictæ nullus eventus ignis vel aquæ, nullum infortunium sterilitatis vel guerræ, vel alicujus rei importuna calamitas, nobis vel Ecclesiæ nostræ aliquod afferre poterit præjudicium.

Additum est etiam, quòd sæpè dicti Abbatissa & Conventus, homines bonis prædictis de Filvordis attinentes, in eo jure conservabunt & tuebuntur, quo Ecclesia nostra ipsos conservare & tueri debuisset. Quod si non fecerint, volumus ut iidem homines ad nos recursum habeant sui juris.

Supradictæ verò conventiones ab Illustri Viro Henrico Dei gratiâ Duce Brabantiæ, & Domino Ottone Præposito nostro, approbatæ sunt & utiles reputatæ.

In cujus rei testimonium, ne aliqua prædictorum in posterum infringi valeant vel inficiari, præsentem Chartam sub chyrographo conscribi, & tam sigillo nostro quàm sigillo dictorum Abbatissæ & Conventûs, nec non dictorum Ducis & Præpositi sigillis dignum duximus roborare.

Datum & actum Aquis in Generali Capitulo, proximâ secundâ Feriâ ante Festum B. Andreæ Apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto. 1245.

CAPUT CXI.

Consensus Abbatissæ & Conventûs de Camera super Contractu jam recitato, datus anno 1245.

Universis præsentes Litteras inspecturis Soror Margareta, dicta Abbatissa, totusque Conventus de Camera, Cistertiensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis, salutem & orationes in Christo devotas. Noverit universitas vestra, quòd nos universi & singuli, tam Fratres quàm Sorores nostri Cœnobii, ad hoc specialiter convocati, consensimus vivâ voce Contractui, inito inter nos ex unâ parte, & Decanum & Capitulum Aquense ex altera, super bonis de (1) Filvorde.... In cujus rei testimonium præsens Scriptum sigillo Dominæ nostræ Abbatissæ, quo omnes utimur, duximus roborandum.

Actum & datum in Camera, coram totali Conventu nostro, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, feriâ secundâ, proximâ ante Festum Beati Nicolai.

(1) Filvorde. De decimis Agri Filvordiensis seu Vilsfordiensis, à Pipino Herstallio, Carolo Magno, & Ludovico Pio Ecclesiæ Aquisgranensi datis, vide suprà pag. 337. & 496.

CAPUT CXII.

Henricus III. *Brabantiæ Dux Canonicis Ecclesiæ B. M. V. Antverpiæ, confirmat anno 1249. Donationem Fossati factam à Duce* Henrico I. *de quo suprà cap. 99.*

Henricus, Dei gratiâ Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, universis tam præsentibus quàm futuris, quos Scriptum præsens videre contigerit, salutem.

Licet Capitulum B. Mariæ Antverpiensis olim à Progenitoribus nostris obtinuerit sibi dari in eleëmosynam Fossatum, jacens inter domum Hugonis Volardi & pontem Reinoldi, ita quòd idem Fossatum perpetuò vacuum jaceret, ad opus ipsius Ecclesiæ; sicut in Litteris ipsorum super hoc confectis, quas dictum habet Capitulum, continetur expressum.

Nos tamen attendentes dictæ Ecclesiæ minùs obesse, quòd ædificia in præfato Fossato construantur, dictum Fossatum, de assensu ipsius Capituli, ad annuam censûs pensionem dari decrevimus iis, qui ædificia construent in eodem. Ita quidem, quòd totalis census, qui inde proveniet, pro una medietate ad Nos & Successores nostros, pro alia verò ad dictum Capitulum perpetuò pertinebit. Testes hujus rei sunt,

Godefridus Dominus de Perweis,
Walterus Clutinc,
Henricus de Sterbeke,
Henricus de Vilforden,
Et Petrus de Haren.

In cujus rei testimonium, Sigillum nostrum, cum Sigillo ejusdem Capituli, præsentibus est appensum.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, in Octava B. Mariæ Magdalenæ. 1249.

CAPUT

CAPUT CXIII.

GUILIELMUS *Romanorum Rex & Hollandiæ Comes, anno* 1250. *Abbatiam Sancti Gisleni Ordinis S. Benedicti in tutelam suscipit.*

WILLELMUS, Dei gratiâ, Romanorum Rex semper Augustus, universis Imperii fidelibus, ad quos istæ Litteræ pervenerint, gratiam suam & omne bonum. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, nos id libenter debemus annuere, & præcipuè illorum petitionibus, quos in servitio Jesu Christi novimus mancipatos, citiùs & vigilantiùs consentire.

EAPROPTER notum fieri volumus tam præsentibus quàm futuris, quòd dilectus fidelis noster GALTERUS, Abbas Monasterii S. GISLENI in Pago Hainau, ad Celsitudinis nostræ magnificentiam veniens, Regiæ Majestati supplicavit humiliter & devotè, ut nos ipsi & Ecclesiæ suæ jura, libertates, ea etiam omnia, quæ adquisierunt de novo, & omnia bona ad ipsam Ecclesiam pertinentia, more Prædecessorum nostrorum Imperatorum seu Regum, sicut in Privilegiis eorum pleniùs continetur, confirmare liberalitate Regiâ dignaremur.

NOS igitur dicti Abbatis justis & honestis petitionibus benignum accommodantes auditum, dicto Abbati & Ecclesiæ suæ jura & libertates, servos quoque & ancillas ad eamdem Ecclesiam pertinentes (quos nulla Civitas, nullum Castrum vel Opidum, aut alia major minorve Villa de cætero in præjudicium dicti Abbatis & Ecclesiæ suæ valeat retinere) omnia etiam bona, quæ ad eamdem Ecclesiam pertinere noscuntur, tam in Villis, terris, nemoribus, pascuis & aliis quibuscumque bonis, quæ ab eis sunt justo titulo adquisita, eidem Abbati & Ecclesiæ suæ auctoritate Regiâ confirmamus, & per hanc nostram Regiam Chartam concedimus & firmiter communimus, atque ipsum locum & omnia sibi pertinentia, more Prædecessorum nostrorum, sub nostra defensione & protectione suscipimus.

FIRMITER & districtè præcipiendo mandantes, ut nullus Dux, Comes vel Marchio, aut aliqua alia persona, ipsum Monasterium molestare, vel super rebus suis perturbare præsumat, vel servos ejusdem Monasterii & ancillas, contra voluntatem ipsius, detinere audeat, vel etiam garandire, sed omnia pacifica sint in perpetuum ei & quieta.

SI quis autem contra hanc Paginam nostræ Confirmationis & concessionis ausu temerario venire præsumpserit, banno Regali perculsus ducentas libras auri purissimi in suæ temeritatis vindictam componat, quarum medietas Fisco nostro, altera prædicto Monasterio applicetur.

Et ut prædicta omnia firma & illibata permaneant ac in perpetuum valitura, præsens Scriptum conscribi, & Sigillo Majestatis nostræ jussimus communiri. Testes qui interfuerunt præmissis ii sunt,

Albanensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus,
Nicolaus Cameracensis Episcopus,
Henricus Leodiensis Electus.

Nobiles Viri,

Henricus Dux Brabantiæ,
De Wadeke & de Dise Comites,
Joannes de Avesnis,
Wiricus de Duno,
Arnoldus Dominus de Dist, & alii quàm plures.

Datum apud Montes in Hannonia V. Kalendas Decembris, Indictione IX, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, 1250.
Regni verò nostri anno tertio.

CAPUT CXIV.

EUSTATHIUS *Comes Boloniensis benefacit Ecclesiæ Collegiatæ Lensensi in Artesia, anno* 1250.

EGo EUSTATHIUS, Filius Regis Anglorum, Comes Boloniæ, volens Lensensem Ecclesiam ab Antecessoribus meis fundatam, præcipuè venerari, & in eadem Ecclesia divinum servitium ampliare, Præbendam nostri Arnulfi Sacerdotis excludo à ......

STATUIMUS quoque, & usui Sacerdotis in Ecclesia B. Vulganii de LENS manentis, & in Sacerdotali Officio ibidem assiduè Deo ministrantis, & pro nostra, Prædecessorumque nostrorum & Successorum salute nominatim orantis, eamdem Præbendam dicamus.

ITA videlicet, ut post decessum prædicti Arnulfi, consequenter alius Sacerdos honestus, & ad præscriptum Officium idoneus, nostrâ, vel heredum nostrorum electione fideliter substituatur, & unoquoque decedente, similiter alius: ut hujusmodi successio in perpetuum fideliter conservetur.

ACTUM est apud Lens, Testibus,

Joanne, Almarico, Gerardo, Canonicis,
Ledeuino Decano de Amiens,

Balduino

Baldeuino Castellano,
Simone de Girarmolin,
Rogero de Foinles,
Rogero Viceecomite,
Rogero de Lensis,
Hugone Pluchet,
Haimone Boterel,
Wichardo de Laivin,
Gomtero Viccecomite,
ANNO Domino millesimo ducentesimo 1250.
quinquagesimo.

CAPUT CXV.

GILBERTUS DE CAMPENHOUT, *Gisleberti Filius*, & SOPHIA DE GAGELDUNCK, *dicti Gilberti Uxor*, *benefaciunt Abbatiæ Tongerloënsi Ordinis Præmonstratensis*, *anno* 1253.

EGo SOPHIA DE GAGELDUNCK, Uxor Nobilis Viri Gilberti de Campenhout, notum facio tam præsentibus quàm futuris, præsens Scriptum inspecturis, quòd omne jus, quod in decima Ecclesiæ de *West-Tilborch*, tam majori quàm minori habebam, & ad me jure hereditario pertinebat, divinæ pietatis contuitu, & ob animæ meæ Prædecessorumque meorum remedium & salutem, dicto Gilberto Marito meo & mamburgo vel tutore consentiente & volente, contuli Ecclesiæ Beatæ Mariæ de *Tongerloo*, Præmonstratensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis, in eleëmosynam liberè & absolutè perpetuò possidendum.

HUIC Collationi in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis in Antverpia, ad Altare Majus factæ, interfuerunt

Folbertus Cantor,
Magister Henricus Nose,
Magister Arnoldus de Lira,
Dominus Godescalcus, Canonici ejusdem Ecclesiæ,
Paulus de Elst Scabinus,
Joannes de Ramesdunck, & alii Clerici, & alii quàm plures.

UT autem hæc Donatio rata permaneat & inconvulsa, quia Sigillum proprium non habeo, Sigillis Venerabilium Virorum Capituli Beatæ Mariæ Antverpiensis, & Domini Samuëlis, Decani Christianitatis ejusdem loci, & Viri Nobilis Domini Gisleberti de Campenhout, Patris dicti Gilberti Mariti mei, præsens Scriptum feci roborari.

ACTUM & datum anno Domini millesimo 1253
ducentesimo quinquagesimo tertio mense Aprili.

CAPUT CXVI.

Idem beneficium Abbatiæ Tungerloënsi præstat HUGO DE GAGELDUNCK, *Miles*, *ejusque Uxor* VALENTIA, *anno* 1253.

EGo Vir Nobilis HUGO de GAGELDUNCK, Miles, notum facio tam præsentibus quàm futuris, præsentes Litteras inspecturis, quòd omne jus, quod in decima Ecclesiæ de *West-Tilborch*, tam majore quàm minore, habebam, & ad me jure hereditario pretinebat, divinæ pietatis contuitu, & ob animæ meæ Prædecessorumque meorum remedium & salutem, VALENTIA Uxore meâ consentiente & volente, contuli Ecclesiæ Beatæ Mariæ de *Tongerloo*, Præmonstratensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis, in eleëmosynam, liberè & absolutè, cum omni integritate, perpetuò possidendum.

HUIC collationi in dicta Ecclesia de Tongerloo, ad Altare Majus legitimè factæ, interfuerunt, Conventus ejusdem loci, Giselbertus de Campenhout, Petrus de Mere, Viri Nobiles, & Homines Ducis. Ut autem hæc Donatio rata, firma permaneat & inconvulsa, præsens Scriptum sigillo meo, unà cum sigillis Virorum Venerabilium Capituli Beati Gummari in Lira & Viri Nobilis Domini Jacobi de Pumbele feci roborari.

ACTUM & datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, mense Maio. 1253

CAPUT

CAPUT CXVII.

MARGARETA *Flandriæ Comitissa Abbatiam Monialium Cisterciensium à se fundatam prope Orchiacum (per Diploma supra editum Cap.* 105.) *transfert Flinas prope Duacum; in Diœcesi Atrebatensi, anno* 1253.

MARGARETA Flandriæ & Hanoniæ Comitissa universis præsentes Litteras inspecturis salutem. Noverit universitas vestra, quod nos Ecclesiam seu Monasterium Sanctimonialium de honore B. Mariæ Virginis, Cisterciensis Ordinis, quod Nos pro remedio animæ nostræ & Domini Wilelmi de Dampetra, quondam Mariti mei, necnon & omnium Antecessorum Successorumque nostrorum, juxta Orchies primò fundavimus, ac postmodum ipsum transtulimus juxta FELINES, specialiùs in Domino diligentes, (maximè cum in dicto Monasterio carissima Filia nostra Maria se in Christi perpetuum dedicaverit famulatum) in perpetuam contulimus eleemosynam. Datum M. CC. LIII. 1253

CAPUT CXVIII.

ROBERTUS *Betuniæ & Teneræmondæ Dominus, Guidonis Flandriæ Filius Primogenitus transigit cum Canonicis Teneræmondanis super jure trium alodiorum de Morsele, Gheverghem & VViese, anno* 1264.

NOS ROBERTUS, Comitis Flandriæ Primogenitus, Atrebatensis Advocatus, Betuniæ & Tenremondæ Dominus, notum facimus tam præsentibus quàm futuris, quòd cùm inter Nos ex una parte, & Viros Venerabiles, Decanum & Canonicos veterum Præbendarum Ecclesiæ B. Mariæ Tenremondensis, in qua Jus Patronatûs dignoscimur obtinere, super justitiis terræ & tenementi; ac etiam (1) Hospitum dictorum Canonicorum in (2) *Morsele*, (3) *Gheverghem* & in (4) *Wiense*, controversia non modica verteretur, tandem pro tranquillitate & pace dictæ Ecclesiæ, & utilitate communi, super præmissis, post inquisitionem legitimam inde factam, inter Nos & dictos Canonicos veterum Præbendarum, mediantibus bonis Viris pacificatum & compositum fuit amicabiliter, hunc in modum:

CANONICI prædicti debent in locis prædictis ponere Majorem, & Scabinos septem, homines boni testimonii, & bonæ famæ; & eos deponere, & alios substituere, quotiescumque opus fuerit, prout fuit hactenus observatum.....

IN cujus rei testimonium & robur perpetuum, præsentibus Litteris Sigillum nostrum duximus apponendum.

DATUM anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, feriâ quintâ post B. Mariæ Magdalenæ, mense Julio. 1264

(1) HOSPITUM. Hìc & suprà pag. 513. & alibi non uno loco. Hospites sunt quos linguâ nostrâ vernaculâ *Laeten* vocamus. Sic Brugis nomen & privilegium Hospitum Ecclesiæ S. Donatiani hodieque in usu est; ex quibus alii *Proost-laten*, alii *Canoninx-laten* vernaculè vocantur. Sunt autem ii qui terras Præposito aut Canonicis subjectas incolunt, habentque sua tribunalia distincta. Rationatores, qui tam civiliter quàm criminaliter in tribunali Præpositi jus dicunt, vulgò *Redenaers* nuncupantur.

(2) MOORSELE, Latinè Morsela, partim Alostanæ, partim Teneræmondanæ ditionis alodium: ad cujus loci Templum seu Sacellum Corpus S. Gudilæ, Bruxellensium Patronæ, ex Vico *Ham* translatum fuit, inde posteà Bruxellas avectum à Carolo Lotharingiæ Duce.

(3) GHEVERGHEM, alodium Morselæ contiguum.

(4) WIENSE, nunc *Wiese*, olim Winsia, hodie spectat ad Baronem Busbequium ex Familia Iedeghemensi.

Jus Patronatûs Parochiarum de Moorsele & Wiese est penes Archiepiscopum Mechliniensem, quà Abbatem Monasterii Affligemiensis.

CAPUT CXIX.

Conventio inter Abbatiam Cortenbergensem Ordinis S. Benedicti & Moniales Insulæ Ducis in Gempe Ordinis Præmonstratensis super decima de Humbeeck, anno 1265.

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis, Præpositus & Conventus (1) Insulæ Ducis Præmonstratensis Ordinis salutem in vero salutari:

NOVERIT universitas vestra, quod cùm inter nos ex una parte, & Personas Religiosas Abbatissam & Conventum de (2) *Cortenbergh* Ordinis S. Benedicti ex altera, super quadam decima, quam possidebamus in Parochia de (3) Humbeke, orta esset materia quæstionis, dictis quidem Abbatissâ, & Conventu asserentibus decimam prædictam ad Monasterium ipsarum pertinere debere, & quod sita erat infra terminos sui Personatûs de Humbeke, & etiam quia dictam decimam acquisieramus de manu Laïcali sine ipsarum consensu, & voluntate, nec super hoc intervenerat Diœcesani auctoritas, confirmatio, & consensus:

Nos bonorum utentes consilio, dictam decimam reportavimus, vel fecimus reportari in manus Abbatissæ & Conventûs Monasterii supradicti de Cortenberghe, ut ipsum Monasterium dictam decimam in perpetuum possideat tanquam suam.

RENUNCIANDO omni juri, si quod habebamus in decima supradicta, & dictam decimam sæpedicto Monasterio quitavimus & adhuc quitamus.

IN quarum rerum testimonium Sigilla nostra cum Sigillo Venerabilis Patris nostri Domini Abbatis de Parcho præsentibus Litteris sunt appensa.

ET ego Abbas prædictus, qui Scripto prædicto consensum adhibui & assensum, in ipsius Scripti testimonium, ad petitionem dicti Præpositi & Conventûs de Insula Ducis, Litteris præsentibus Sigillum meum apposui cum Sigillis eorum.

DATUM anno Domini M. CC. LXV. in Vigilia BB. Philippi & Jacobi Apostolorum. 1265

Additio. (1) INSULA DUCIS, vulgò *'s Hertogen Eylant*, est Præpositura Monialium Præmonstratensium, sub cura Abbatis Parcensis, primùm fundata in Vico de *Pellenbergh* juxta Lovanium, inde verò translata in *Gempe*, sub Parochia de Winghe. De cujus Fundatione sequitur Narratio, ex ipsis vetustissimis & originalibus Membranis Monasterii Insulæ Ducis nobis communicatis, eruta.

(2) CORTENBERGH, Abbatia Monialium Benedictinarum, de cujus Fundatione vide supra pag. 519.

(3) HUMBEKE, Vicus Brabantiæ ad canalem qui ducit Bruxellâ Antverpiam.

Principium Monasterii INSULÆ DUCIS.

FUit quondam in Ditione Nobilis Ducis Brabantiæ Miles quidam industrius, moribus & vitâ commendabilis, omnibus sui generis honestate, probitate ac religione præcellens, REISSO DE UDECHIM nuncupatus. Hic habuit Uxorem sibi vitâ & moribus congruentem. Fuerunt eis septem Filiæ & novem Filii: de quibus septem fuere Quirites, probitate ac religione Genitorum eorum non impares.

Unus tamen ex ipsis septem Militibus, junior ætate scilicet, religione atque morum honestate præcipuus, REINERUS nomine, acceptâ portione hereditatis quæ eum ex successione paterna inter Fratres prædictos contingebat, quamdam mansionem juxta *Pellenberch* in suam partem est fortitus. Qui ducens Uxorem LAURETAM natam de *Parueis* sibi vitâ & moribus competentem, ex ea quatuor Filios & Filias octo suscepit, quas ab adolescentia sua Parentes earum mandata Domini & justificationes ejus servare docuerunt, & eas religione atque honestate pro suæ possibilitatis modulo diligenter imbuerunt. (* Aliàs Peruwez.)

Cumque dictæ Filiæ ætatem discretam attigissent, Parentes earum tum eas nuptui tradere, tum eas Religioni dicare disponebant. Sed cum facultates eis minimè sufficerent per quas nuptui honorificè, sicut earum professionem decebat, traderentur; Pater earum cogitabat, utilius fore atque salubrius, eas Sponso Immortali consecrari, quàm Sponsis mortalibus & earum sanguini non congruentibus copulari.

Tunc idem Miles sollicitus cœpit perquirere, ubi dictas Filias Domino famulaturas collocaret: visitabatque Monasteria Cisterciensis Ordinis adjacentia ac aliorum Ordinum, intendens & modis omnibus elaborans, ut in eis, sicut disposuerat, eas Domino manciparet. Sed prædictus Miles, Domino sibi in hoc adversante, apud Superiores illorum Monasteriorum de Filiabus suis in ipsis collocandis nullam potuit gratiam invenire. Videns autem se suo proposito fraudatum, anxius & querulus apud se cogitabat quid hiis deinceps esset facturus.

Igitur quadam die Pentecostes, dum prædictus Miles Divinis Officiis interesset, inter alias quas fundebat orationes & preces, Dominum omnium bonorum largitorem deprecabatur attenter, quatenùs de dictis suis Filiabus & se ipso sic ei ordinare & disponere concederet, quod ipsi Domino JESU CHRISTO ad gloriam & honorem & sibi & Filiabus suis ad profectum & salutem cederet animarum.

Necdum orationem finierat: & ecce subitò & inopinatè Spiritu Sancto revelante sibi venit in voluntate, quod de omnibus bonis quæ ei ex successione paternâ provenerant, portione quæ Filios suos contingere debebat exceptâ, Claustrum in domo propria in *Pellenberge* construeret, atque in ipso octo Filias suas Christo famulaturas collocaret. Finitisque Missarum solempniis Miles domum reversus universa quæ mente conceperat Uxori ac Filiabus gaudens & alacer per ordinem referebat. Tunc Filiæ simul gratias Domino referentes Patrem suum hortabantur, ne à suo proposito resiliret, sed quod facere disponebat quantociùs consummaret, ne hostis antiquus, argutus quidem insidiator callidusque deceptor animarum, divisionum auctor, dissipator unionum, & tranquilli statûs fidelium anxius persequutor, qui semper nititur dissipare quicquid salutem respicit animarum, tam pium propositum per suas suggestiones & artificia, quibus humano generi illudere consuevit, à corde ipsius avellat.

Eodem

Eodem tempore dictus Reinerus in caritate & fide radicatus quasdam mansiones & Capellam ad modum Claustri in domo sua superdicta ædificare cœpit. Est autem idem locus altus & siccus & aquis fluentibus carens. Cumque quædam ædificia ipsis Puellis ad inhabitandum satis apta ibi fuissent constructa, octo Filias propriâ functus potestate, piâ præsumptione instigatus, vestibus albis paratis ad modum sacrarum Monialium vestivit, anno Domini millesimo ducentesimo nonodecimo, in die Ascensionis Domini, easque cum omnibus bonis suis Ordini Præmonstratensi dicavit. Dictæ autem Puellæ super hiis omnibus gratias referebant, & Patri earum in præmissis referentur & devotè obtemperabant, permanentes in ipso Claustro, orationi lectionique atque vigiliis die noctuque deinceps devotissimè persistentes.

Hiis ita peractis, dictus Miles timens ne suæ facultates dictis Puellis aliquando non deberent sufficere, volens præcavere in futurum, prædictas facultates suas summopere studebat ampliare. Erat autem ipsi Reinero Soror apud * *Overlo* commorans. Matrona dives & honesta, quæ unicam habebat Filiam Elysabeth nuncupatam. Hæc Claustrum de Herkenrode Ordinis Cisterciensis illo tempore intraverat, quæ nondum erat professa, quam ex successione paterna bona multa sequi debebant. Hanc dictus Reinerus auxilio Matris ejus, aliorum ac amicorum ejus, cum magna tamen difficultate & labore permaximo, Fratribus & Sororibus dictæ Domûs de Herkenrode sibi opponentibus, cum bonis quæ ibidem attulerat abduxit, eamque Filiabus suis in Cœnobio quod exstruxerat præfecit: hereditatem verò ipsius, & omnia quæ sibi jure hereditario competebant, bonis Filiarum suarum adjungi procuravit. Dictâ autem Elysabeth hiis octo Sororibus adjunctâ, quia in Religione plus aliis erat exercitata, ei dictæ Sorores reverentiam exhibebant, & monitis ejus atque jussionibus devotissimè obtemperabant.

* Corsbeeck Over-Loo.

Dum hæc autem agerentur, famâ referente, ad notitiam pervenit singulorum. Quo comparato, Vir Venerabilis Ewanus Abbas de Parco dicto operi se cœpit opponere, pro eo videlicet quod locus de *Pellenberge* memoratus minùs duobus miliaribus ab Ecclesia Parcensi videbatur distare, infra quæ nullum Monasterium sine licentia Ecclesiæ Parcensis poterat aliquis construere. Asserebatque idem Abbas quod dictum opus nullum bonum finem sortiri debebat, pro eo quod nemine super hoc habente potestatem concedente, sed solâ Laici præsumptione (quod nullo jure permittitur) fuisset incoatum. Monebatque idem Abbas dictum Militem ut ab opere sic incepto quantocius desisteret; nec opinioni, juri atque rationi penitus contrariè, ampliùs adhæreret, ne quantò plus in vanum laboraret, minùs postmodum profecisse videretur.

Hiis auditis, Miles nolens diu cum Abbate prædicto contendere, viam versus Capitulum Generale, quod tunc instabat, contra dictum Abbatem est aggressus. Cumque Capitulo Generali Miles se præsentasset, totum processum suum per ordinem Fratribus Capituli, Abbate Parcensi præsente, exposuit, supplicans eisdem Fratribus totis conatibus humiliter & devotè, quod in præmissis omnibus divinæ pietatis intuitu sibi cooperari dignarentur, nec suum propositum impediri paterentur; sed sibi gratiam suam & favorem de admittendo dictas Filias suas ad Ordinem Præmonstratensem misericorditer largirentur.

Hæc & alia dicto Milite coram Capitulo Generali prosequente, ipsi Fratres constantiam ipsius & affectum quem ad Ordinem eorum habebat admirantes, jam quod petebat adimplessent, si eis hoc facere salvâ Ordinis honestate licuisset. Decebat enim ut, quia equidem precibus importunis de admittendo Filias suas ad Ordinem dictus Miles hortaretur, in conversatione & perseverantia saltem per aliquod tempus dictæ Puellæ probarentur.

Sed ut in aliquo eidem satisfacere viderentur, ad modum duxerunt eundem: ut in suo proposito stabilis permaneret; nec ab ipso aliquo adversitatis obstaculo resiliret, quia quod petebat non negabant, sed ex causa ad tempus differebant.

Concesserunt autem eidem, quod aliqui Sacerdotes de Ordine Filiabus suis divina officia celebrarent, donec de ipsis aliter ducerent ordinandum. Abbas etiam Parcensis supradictus statim ab impetitione Militis supersedit.

Tunc missi fuerunt ad eas Balduinus Canonicus Tongerloënsis, & quidam alius, qui confessiones earum audirent, & alia Ecclesiastica Sacramenta eis ministrarent. Reversoque dicto Milite à Capitulo Generali, universa quæ sibi acciderant & responsiones Fratrum Capituli Filiabus suis enarravit. Hiis auditis Puellæ orationi lectioni atque omnimodæ Religioni ardentiùs ac devotiùs solitò insistebant.

Crescebant autem famâ & religione apud Deum & homines, & satis in utroque statu profecerunt, anno uno in eodem statu permanentes.

Eodem etiam tempore impetravit dictus Miles assensum Diocesani super constructione Cœnobii antedicti.

Anno igitur revoluto dictus Miles de negotio supradicto consummando nimiùm existens sollicitus, viam versus Capitulum Generale iterum est aggressus, petens sicut priùs, ut Filiæ suæ admitterentur ad Ordinem.

Tandem Fratres videntes dicti Militis constantiam, & famam & profectum Puellarum prædictarum audientes, quod petebatur concesserunt.

Ad id autem exequendum de Floreffia de Tungrelo & de Evrebodio Dei gratiâ Abbates transmittuntur. Venientes igitur ad locum de *Pellenberge* superiùs nominatum Abbates supradicti, videntes locum ad manendum satis aptum, officinasque ac alia necessaria satis sufficientia, sufficientesque facultates ad eas sustentandas, dictas Puellas in consortium & protectionem Ordinis, auctoritate Capituli prædicti, sub Ecclesia Parcensi susceperunt, potestatem & auctoritatem eligendi Pastorem; & omnia jura quæ aliis Monasteriis Puellarum sunt concessa, eisdem concedendo.

Habentesque statim tractatum de Pastoris electione celebranda, Abbate de Parco tamquam Patre Abbatearum præsidente, Balduinum Canonicum Tungreloënsem, qui Capellanus priùs existebat, omnibus observatis quæ circa hæc requiruntur, communiter elegerunt.

Approbatâ autem ipsâ electione, & ipso Balduino prout moris est, à Patre Abbate confirmato, dictæ Puellæ eidem obedientiam præstiterunt, habentes eum deinceps pro Pastore, reverentiam & honorem debitum eidem exhibendo.

Hiis igitur feliciter peractis, Abbates supradicti ad propria remearunt, dicto Milite super omnibus quæ acciderant immensas Christo gratias referente.

Postea dictus Miles, relictis pro Dei amore omnibus quæ habebat, & terrâ & cognatione suâ, Sancti huius Patriarchæ Abrahæ sequutus exemplum, secessit inde, vivens ulteriùs de bonis quæ sibi tradita fuerant cum Uxore. Vixit præterea idem Miles, postquam hæc omnia fuerunt consummata, triginta annis vel circiter: postea feliciter vitam finivit in Domino. Sepelierunt autem eum dictæ Filiæ suæ honorabiliter apud se, orando, psallendo, atque pro eo preces Jesu Christo fundendo, non modicè se afficientes.

Igitur Balduinus supradictus dictis Puellis honestissimè præfuit tribus annis & dimidio, postea feliciter migravit à seculo.

Tunc elegerunt Ægidium Canonicum Ninivensem in suum Pastorem & Præpositum. Virum providum & honestum, qui honorabiliter præfuit eisdem quinque annis & dimidio, & per eum bona & possessiones cœperunt ampliari.

Impetravit autem eo tempore idem Ægidius apud Ducem Brabantiæ mansum terræ & molendinum juxta vivarium in loco qui *Gempe* vocatur in eleëmosynam eis tradi. Vidensque dictus Ægidius quod locus de *Gempe* aptior esset loco de *Pellenberge* ipsis Puellis ad manendum, in eodem loco cœpit Claustrum ædificare, intendens Puellas supradictas de *Pellenberge* ad *Gempe* adducere.

Cumque aliqua ædificia in eodem loco fuissent constructa, Altare ibidem construxit, quod per manus Jacobi de Viteri, tunc Suffraganei Leodiensis Episcopi, in honore Virginis Mariæ cum cimiterio fecit consecrari anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono, Dominicâ *Lætare Jerusalem*.

* Alias de Vitriaco.

Hiis expletis transtulit dictas Puellas idem Ægidius à loco

loco de *Pellenberge* ad locum de *Gempe* memoratum, in octavis Beati Martini, annum Incarnationis prædictum sequentibus, de Sancto Martino Laudunensi, de Parco, ac aliis Abbatibus, qui ad hoc faciendum convenerant, præsentibus.

Quo facto manserunt ibidem dictæ Puellæ, magis ac magis in religione & honestate de die in diem proficientes. Tunc Milites ac alii Viri religiosi Deum timentes confines famam & profectum dictarum Puellarum audientes, Filias suas Virgines cum bonis & reddiubus dictis Puellis Domino famulaturas adjungebant.

Mansit præterea dictus Ægidius apud eas postquam sic fuerunt translatæ, anno uno, quo transacto propter suæ probitatis merita ad Ecclesiam *Helcinensem exstitit postulatus.

* Alias Heylissem

Ipsæ autem suo Pastore destitutæ de electione alterius tractatum habentes, Salomonem Canonicum Bonæ-Spei sibi præfecerunt, qui honorabiliter eisdem præfuit anno uno, & postea quievit in Domino.

Eodem anno fundata fuit Ecclesia *Vallis Liliorum* sub Ecclesia de *Gempe*, & missæ fuerunt Sorores Ecclesiæ de Gempe ad Vallem Liliorum incoandam.

Salomone autem Præposito prædicto viam universæ carnis ingresso, Arnoldum Canonicum Grimbergensem elegerunt, qui eis præfuit undecim annis, & postea ad suam Ecclesiam est regressus.

Post hunc elegerunt Ægidium supradictum secundò, qui Ecclesiæ Helcinensi præfuerat interim, & resignaverat spontaneâ voluntate non longè ante. Qui cum ad eas rediisset, sollicitè earum curam gerebat. Insistebat autem plurimùm circa ampliationem ædificiorum & possessionum augmentationem, nec non & observantias Regulares, & Ordinis Instituta totis conatibus observari faciebat.

Cœperat eo tempore ædificare quandam domum idem Ægidius in loco supradicto, cumque fuisset incoata, cogitavit (ut erat circumspectus) quod nec locus ille aptus erat ipsis Puellis ad manendum, pro eo quod palustris erat, nec aquis competentibus affluebat: habitoque cum Sororibus prædictis super secunda translatione tractatu, in hoc earum resedit consilium, quòd in alium locum parum à loco de *Gempe* remotum transferrentur, timentes tamen qualem finem hujusmodi sortiretur. Sed Ægidius fiduciam habens in Domino opus dictum est viriliter aggressus.

Videns Abbas Parcensis ac Præpositus ejusdem Ecclesiæ quæ fiebant, insultabant dicto Ægidio dicentes, dictum opus nullum bonum finem sortiri debere. Vehementer autem opponebat se dicto operi Henricus Præpositus Parcensis, asserens dictum opus non posse perfici. Sed Ægidius, his omnibus obauditis, firmior in suo proposito persistebat. Videns autem hujusmodi altercationes Elyzabeth Soror dictæ Domûs, illa videlicet quæ Herkenrode fuerat abducta, quæ quidem ab infantia sanctæ conversationis exstiterat, dixit: Ægidius opus incoabit & alius consummabit. Multaque de ipsa translatione vaticinabatur ipsa Elyzabeth, & visiones videbat quæ huic Scripto propter prolixitatem, & ne incredibiles viderentur, non duximus inserendas.

Cœpitque ædificare idem Ægidius in loco à loco de *Gempe* parum remoto, in loco pulchro & amæno, & ad manendum ipsis Puellis plus aliis locis apto. Cumque dictum opus fuisset incoatum, ipse Ægidius non valens prædictum laborem ampliùs sufficere, utpote senex & decrepitus, dictam Præposituram resignavit, remeans ad Ecclesiam Ninivensem. Præfuerat autem ipsis Puellis dictus Ægidius illâ secundâ vice septem annis. Vixit autem ipse Ægidius, postquam Præposituram de *Gempe* resignavit, multis diebus, & tandem sanctè & religiosè vitam finivit in Domino.

Postea dictæ Sorores suo Pastore destitutæ, habentes tractatum de electione alterius, Henricum dictum Baculum Præpositum Parcensem supra nominatum, in suum Præpositum elegerunt. Qui statim ut fuit confirmatus, circa perfectionem operis ab Ægidio incoati sedulus insistebat. Perfectisque his quæ sibi necessaria videbantur, transtulit eas idem Henricus de loco de *Gempe* ad locum memoratum, quem *Insulam Ducis* appellavit, anno videlicet Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, in die Beati Nicolai, præsente Abbate Parcensi & quibusdam aliis.

His omnibus consummatis, manserunt dictæ Puellæ apud *Insulam Ducis* usque in præsentem diem, universam regionem illam odore famæ earum atque virtutum respergentes. Tantæ autem non immeritò erant opinionis & famæ, quod morum honestate atque omnimodâ religiositate multa Puellarum Monasteria dicebantur excellere.

Cumque Cimiterium per manus cujusdam Episcopi eodem loco fuisset consecratum, Sorores dicti loci convenientes in unum, de corporibus Sororum suarum in *Gempe* sepultarum ad *Insulam Ducis* transportandis ac ibidem tumulandis, pro eo quòd ibidem Divina non celebrarentur officia, habuere tractatum. Super quo cum suum devotè requirerent Præpositum, ut in his sibi cooperari dignaretur, atque eis suum præberet assensum; ipse Præpositus earum precibus penitus obauditis, id efficere non solùm non curavit, verùm etiam ipsas Puellas, quod hanc stultitiam cogitassent, graviter reprehendit. Ipsæ tamen Puellæ Præpositum monere non cessabant, ut in præmissis eis acquiesceret. Quas monitiones cum risu & cacinno, quasi frivolum esset quod petebant, aure surdâ percipiebat.

Quadam igitur nocte, dum in lecto suo decumberet idem Præpositus, subitò eum horror & timor invaserunt, adeo ut omnes sui corporis sensus ab eo discederent. Videbatur enim ei quod Sorores in *Gempe* cumulatè ei apparerent, ipsi improperantes, quare Sororibus suis in hoc quod de se ordinaverant non acquievisset. Tunc expergefactus & surgens diluculo Præpositus, qualiter sibi accidisset, Sororibus Domûs enarravit, concedens eis ut quod facere disposuerant, quantocius adimplerent. Ipse autem ad prædictum locum cum Sororibus properans omnia corpora Sororum ibidem sepultarum fecit exhumari, atque ad *Insulam Ducis* cum Orationibus & Canticis Spiritualibus à dictis Sororibus fecit portari, atque ibidem tumulari. Postea præfuit eisdem Puellis idem Henricus duobus annis, & nimio labore fatigatus, vix obtento quod ejus cessio reciperetur, resignavit, & ad Ecclesiam propriam est reversus.

Post istum elegerunt Arnoldum Antwerpiensem, qui eis præfuit quatuor annis, & similiter resignavit.

His effectis, elegerunt prædictæ Puellæ, Abbate de Parco præsidente, Willelmum Canonicum Parcensem dictum de Houtleim, Virum providum & discretum, in suum Pastorem & Præpositum. Ipseque onere regiminis dicti Monasterii in se suscepto, statim cœpit circa profectum & utilitatem dicti Monasterii totis viribus insistere. Profecitque ipsum Monasterium tempore ipsius Willelmi in redditibus acquirendis, ædificiis construendis, ac etiam religione atque honestate conservandâ magis quàm temporibus omnium Præpositorum suprascriptorum profecisset.

Constructa fuit etiam Ecclesia satis pulchra tempore ejusdem Willelmi eodem loco per procurationem & adjutorium Helwigis Filiæ Reineri Fundatoris supradicti, tunc Priorissæ ipsius Monasterii existentis, ipsâ adhuc & tribus Sororibus suis eodem tempore viventibus, reliquis quatuor earum Sororibus viam universæ carnis in confessione Domini non longè ante ingressis. Fuit autem ipsa Ecclesia consecrata per manus Reverendi Patris Arnoldi quondam Semigalliæ Episcopi, tunc Leodiensis Episcopi in spiritualibus Provisoris, in honore Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque Joannis Baptistæ & Joannis Evangelistæ, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo, in Octavis Resurrectionis Dominicæ.

Ita vetustissimus Codex manuscriptus in Pergameno Monasterii Insulæ Ducis.

CAPUT

CAPUT CXX.

NICOLAUS *Cameracensis Episcopus Donationem duarum Capellarum Furæ, factam ab* HENRICO I. *Brabantiæ Duce, in favorem Abbatiæ Parcensis Ordinis Præmonstratensis, confirmat, anno* 1266.

NICOLAUS Dei gratiâ Cameracensis Episcopus universis præsentes Litteras visuris salutem in Domino. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id auctoritate nostrâ ad debitum perducatur effectum.

SCIANT igitur universi, quòd nos per Litteras Illustrissimi Principis bonæ memoriæ (1) HENRICI quondam Ducis Lotharingiæ vidimus contineri, quòd idem Dux duas Capellas sitas apud (2) FURAM in suo allodio, alteram infra Castrum ipsius, reliquam in summitate dictæ Villæ, Viris religiosis Abbati & Conventui de PARCO juxta Lovanium, Ordinis Præmonstratensis, Leodiensis Diœcesis, tenendas ad usus proprios in perpetuam contulit eleëmosynam; Capellæ, quæ est in summitate Villæ prædictæ, duas partes majoris decimæ infra totum territorium ejusdem Villæ, & reliquæ Capellæ, quæ est infrà Castrum dicti Ducis, decimas culturarum suarum inter Iserna & Dusborch, juxta Parcum suum jacentium, assignando.

NOS igitur tam piæ collationi grato concurrentes assensu, dictas Capellas, & decimas, prout jam dictum est, eisdem Capellis à memorato Domino Duce collatas ritè & assignatas, ad instantiam Illustris Dominæ ALEIDIS, Ducissæ Lotharingiæ & Brabantiæ, Abbati & Conventui supra dictis, secundùm tenorem collationis sæpè dicti Domini Ducis, auctoritate nostrâ confirmamus, ac Sigilli nostri impressione communimus.

DATUM anno Incarnationis Dominicæ mil- 1266.
lesimo ducentesimo sexagesimo sexto, Sabbato ante Nativitatem Beati Joannis Baptistæ.

Additio. (1) HENRICI. De ejus Donatione lege supra cap. 102.

(2) FURAM, de qua vide supra pag. 576. in Notis.

Plurima ad hujus Municipii celebritatem concurrunt: imprimis Palatium & Viridarium (vulgò *Warande*) quod olim Principibus Belgii nostri, dein vero Gubernatoribus in deliciis fuit.

Secundò Cultus S. Huberti Episcopi Tungrensis seu Trajectensis, qui hoc in loco vixisse creditur.

Tertiò, sepulturæ variorum Ducum Brabantiæ, à Serenissimis Principibus Alberto & Isabella renovatæ, ut supra Lib. I. Donat. Belgic. cap. 145. retulimus.

Quartò Conventus FF. Capucinorum ibidem ex munificentia Serenissimæ Principis Isabellæ Claræ Eugeniæ anno 1625. fundatus; quæ devotionis causâ sæpius eò recedebat. Situs hujus Conventus, horti ac pomœria, summam habent amœnitatem.

Quintò Fura est Vice-Comitatus, seu Castellania, quæ olim ad Familias de Hincart & Cortembach pertinuit, ut supra docui pag. 561. Sed circa annum 1690. devenit ad Libertum Franciscum de Christyn, Consiliarium Senatûs Brabantiæ, Virum Litteratissimum.

Sextò denique, subsunt Furæ Appendices duo, quorum uni nomen *Hooghevorst*, qui anno 1663. erectus fuit in Baronatum, in gratiam Philippi Vander Linden, Magni Brabantiæ Saltuarii.

Alteri nomen, *Divæ Virginis ad Quercum Jesu*, ubi cultus Deiparæ celebris; res Sacræ administrantur per Religiosum Parcensem, uti & Furæ, in Ecclesia Matrice, & in Capella Castri ibidem. Vide supra cap. 101. & 102.

CAPUT CXXI.

GUIDO *Flandriæ Comes & Marchio Namurcensis possessiones Abbatiæ S. Nicolai Furnensis Ord. Præmonst. confirmat, anno* 1269.

NOS GUIDO, Comes Flandriæ & Marchio Namurcensis, notum facimus universis præsentis Instrumenti seriem inspecturis, quòd Nos retrò Principum & Comitum Flandriæ, Prædecessorum nostrorum, piis exemplis moniti & devotis, qui Monasterium S. Nicolai FURNENSIS, unà cum personis, possessionibus sive rebus ejusdem in sua suscipiendo protectione, possessiones ab eodem Monasterio qualicumque justo titulo acquisitas, ipsi Monasterio confirmarunt; ac ob illam affectionem, quam erga dilectum & specialem Compatrem & amicum nostrum Dominum ÆGIDIUM nunc Abbatem, & Conventum ejusdem gerimus singularem, præfatum Monasterium sub eadem forma, unà cum personis, possessionibus, juribus sive rebus ejusdem sub nostra protectione suscipimus, & eidem possessiones suas inferiùs annotatas, undecumque & qualicumque justo titulo, donationis videlicet, emptionis, permutationis, vel alio hactenus acquisitas (& præsertim ut Abbas & Conventus ejusdem Monasterii, qui pro tempore fuerint, Missam peculiarem de *Requiem* pro anima carissimæ quondam Conjugis nostræ MATHILDIS, in Capella Curtis suæ de *Noorthoove*, ter in hebdomada quali-

bet,

bet, perpetuò faciant celebrari) tenore præsentium confirmamus.

Quarum quidem possessionum, jurium sive rerum nomina, ne dum omnia nominata specialiter vel expressa non fuerint, aliqua videantur neglecta, declaramus hoc modo: Abbatiam cum CXXX. mensuris terræ vel circiter, cum aliis pertinentiis suis; Curtem de Hem cum quingentis quinquaginta vel circiter mensuris, cum pertinentiis suis; Curtem de Ramscappla cum L. mensuris vel circiter; Curtes de Bercle & de Score, cum ducentis viginti mensuris vel circiter, cum suis pertinentiis; Curtem de Vockmewerva cum trecentis octoginta mensuris vel circiter, cum suis pertinentiis; Curtem de Houthem, cum tota decima & centum decemque mensuris vel circiter, cum pertinentiis suis; Mansiones in superiori & inferiori moro, cum moro limitato, & pertinentiis suis, & moro de Houthem, & sedecim mensuris mori.

Tertiam decimæ partem halecium de Novo portu & Duunckercka; terras & reditus ad pitancias Conventûs pertinentes..... Liberationem telonei per terram nostram, & telonei & accommodationis vasorum ac supellectilium ad Curiam nostram super mansuris, quas in Opido Furnensi & infra ejus banni leucam habet Ecclesia memorata, & ipsas mensuras; Viginti solidos annui censûs super duas mensuras, quæ fuerunt Ægidii dicti Canis, videlicet super duas partes mensuræ juxta Wervum suum, & mensuram & tertiam partem mensuræ in Oudervliet; Piscationes aquarum, quæ sunt inter Reintherssiicum & Stapeldam, & inter Venepam & mare, sicut in Privilegiis Virorum Venerabilium Gerardi & Wilhelmi, quondam Præpositorum Brugensium, continetur, salvo jure nostro & Cancellarii.... Terras in Parochia de Watua circiter triginta mensuras, cum pertinentiis suis, quas dicta Furnensis Ecclesia emit ab Ecclesia Carthoverensi, Præmonstratensis Ordinis: quarum terrarum partem illam, quæ erat in dominio Balduini de *Commes* Militis, ipse Balduinus liberas effecit...

Concessimus etiam eidem Ecclesiæ B. Nicolai, de consensu & voluntate Scabinorum Furnensium, ut sit ejusdem conditionis & protectionis, cujus sunt Laïci in terra Furnensi, quantum ad combustiones occultè contingentes: si tamen ipsa Ecclesia, pro rata sua & legitima portione bonorum, quæ in Villa habuerit, in qua continget combustio, solvere voluerit damna combustionum aliorum.

In cujus rei testimonium & munimen, præsentem Paginam eidem tradidimus Ecclesiæ, Sigilli nostri appensione roboratam.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, feriâ quartâ post Ramos Palmarum, Mense Aprili. 1269.

CAPUT CXXII.

Richardus *Rex Romanorum protectionem Abbatis ac Monasterii S. Gisleni committit Balduino Avesnensi, Domino Belli-Montis in Hannonia, anno* 1271.

Richardus (1) Dei gratiâ, Romanorum Rex semper Augustus, Nobili Virô (2) Balduino de Avesnis, Domino de Bello-monte, dilecto fideli & consanguineo suo, gratiam suam & omne bonum. Quemadmodum tibi per alias Litteras nostras commisisse meminimus, sic tuæ præsentiæ fiducialiter committimus iteratò, Nobilitatem tuam quâ possumus affectione rogantes, quatenus ob nostram & Sacri Imperii reverentiam, Petro nunc in Abbatem S. Gisleni promoto, suoque Conventui, vice nostrâ brachium tuæ protectionis & defensionis extendens, non permittas eos aliquibus indebitis vexationibus ab aliquibus fatigari.....

Præterea volumus & mandamus, ut homines & vasallos ejusdem Monasterii (ut eidem Abbati, ut tenentur, obediant, sibique consuetum subsidium pecuniarum, pro expensis factis veniendo ad nostram præsentiam, communiter contribuere studeant) solicitè moneas & inducas, eosque ad id, quâ convenit, districtione compellas; tantùm super iis omnibus faciens, ut præter divinam retributionem, quam consequeris exinde à Deo, & hominibus commendari meritò valeas, nostramque munificam gratiam uberiùs promereri.

Datum Berkemestede, XII. die Decembris, Indictione XV. anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo septuagesimo primo, Regni verò nostri anno XV. 1271.

CAPUT

(1) Richardus Comes Cornubiæ, Frater Regis Angliæ, (Guilielmo Cæsare à Frisiis anno 1256. cæso) in Regem Romanorum ineunte anno 1257. electus & Aquisgrani die 17. Maii in Festo Ascensionis Christi est coronatus. Quo quidem anno 1271, defuncto, Imperium annos duos & menses sex vacavit, & anno 1273. pridie Kal. Octobris demùm electus est Rudolphus Comes Habsburgensis, pridie Kal. Octobris Aquisgrani coronatus.

(2) Balduinus de Avesnis, suprà Lib. I. Donat. Belgic. cap. 125. laudatus.

CAPUT CXXIII.

RUDOLPHUS I. *Imperator Abbatiam S. Gisleni Ordinis Sancti Benedicti in Hannonia defendendam suscipit, anno* 1274.

RUDOLPHUS Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, universis Romani Imperii fidelibus, præsentes Litteras inspecturis, in perpetuum. In excellenti specula Regiæ Majestatis, ordinatione divinâ, feliciter constituti, ad prospiciendum utilitati Fidelium, perspicacitatem oculorum longè lateque diffundimus, Regularium Personarum indemnitatibus præcavendo præcipuè, Religiosorumque locorum commoditatibus jugiter intendendo; ut per lubricum hujus vitæ transcursum salubriter transeuntes, æternæ beatitudinis præmia consequamur.

NOVERIT igitur præsens ætas & successura posteritas, quod cum venerandum cunctis Monasterium S. GISLENI, Ordinis S. Benedicti, Cameracensis Diœcesis, disciplinæ Monasticæ luminositate præradians, ab Illustribus nostris Prædecessoribus, Imperatoribus & Regibus Romanis, fuisset fundatum magnificè, nec non amplis legatur Privilegiorum, libertatum & jurium munificentiis insignitum:

NOS eorundem Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, qui Monasterium ipsum auxerunt honoribus, & favoribus ampliarunt, attendentes quoque sinceræ devotionis & fidei puritatem, quâ dilecti & devoti nostri Abbas & Conventûs ejusdem Monasterii nostræ Celsitudinis gloriam indesinentiùs amplectuntur, prædictum Monasterium S. Gisleni, unà cum cunctis personis & rebus eidem annexis, sub nostra & Imperii protectione suscepimus speciali.....

IN cujus rei testimonium, & perpetui roboris firmamentum, præsens Scriptum exinde conscribi, & Majestatis nostræ Sigillo jussimus communiri.

DATUM Hagenowiæ, XV. Kalendas Septembris, Indictione secundâ, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, Regni verò nostri anno primo. 1274.

SIGNUM Domini RUDOLPHI Romanorum Regis invictissimi.

CAPUT CXXIV.

Idem RUDOLPHUS *Imperator Joanni* I. *Brabantiæ Duci Carpense Castrum; anno* 1284. *concedit, eo jure possidendum, quo olim VVenemarus de Gemmenich illud possederat.*

RUDOLPHUS, Dei gratiâ, Romanorum Rex semper Augustus, universis Sacri Imperii Romani fidelibus, præsentes litteras inspecturis, gratiam & omne bonum.

ATTENDENTES devotionem purissimam ac incontaminatæ fidei claritatem, quibus Illustris JOANNES Dux Brabantiæ, Princeps noster carissimus, ad instar Progenitorum suorum Nobilium, qui constanter in fide coaluerunt Imperii, erga Nos & idem servet Imperium, sibi Castrum (1) CARPENSE, cum omnibus pertinentiis, eo modo & jure, quibus ipsum quondam WENEMARUS de Gemmenich bonæ memoriæ à nobis & eodem Imperio tenuit & possedit, libenter & liberaliter duximus concedendum.

IN cujus rei testimonium præsens Scriptum exinde conscribi, & Majestatis nostræ sigillo fecimus communiri.

DATUM Estein, III. Idus Februarii, Indictione XII, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, Regni verò nostri anno undecimo. 1284.

CAPUT

(1) KERPEN, amplus & Oppido fermè similis Pagus sub Diœcesi Coloniensi, inter Ducatum Juliacensem & Coloniam situs, olim ad Familiam de Gemmenich, dein ad Joannem I. Ducem Brabantiæ titulo emptionis pertinuit.

Postmodum plures ortæ sunt controversiæ pro Dominio hujus loci, inter Principes Belgii nostri, & Electores Palatinos, quâ Duces Juliacenses, qui posteriores possessionem retinuêre.

Est illic vetusta Canonicorum Ecclesia D. Martino sacra, habens Præpositum & Decanum.

CAPUT CXXV.

JOANNA DE GHEMENICH, *Hochstrati Domina, Jus Patronatûs donat Collegio Canonicorum Ecclesiæ Antverpiensis, anno* 1286.

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis JOANNA de Ghemenich, Domina de (1) Hochstraten, salutem & noscere veritatem. Noverit universitas vestra, quòd Nos propter Dominum, & ob remedium animarum Domini (2) WENEMARI de Ghemenich bonæ memoriæ, quondam Mariti nostri, & nostræ, omni juri, quod habemus, vel habere potuimus, & quod Nobis competiit, vel competere potuit in Jure Patronatûs Ecclesiæ de HOCHSTRATEN, pro Nobis & nostris Successoribus liberè & absolutè renuntiamus, ad opus Decani & Capituli Ecclesiæ Antwerpiensis: promittentes bonâ fide, quòd dictos Decanum & Capitulum de cetero non vexabimus, nec vexari per alios procurabimus super Jure Patronatûs prædicto.

IN cujus rei testimonium Sigillum nostrum præsentibus Litteris duximus apponendum.

ACTUM & datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto, Dominicâ post Trinitatem. 1286.

(1) HOCHSTRATUM, Campaniæ Brabantinæ Municipium, Toparchas olim habuit ex Ghemenicensi, post Cudicensi, nunc Lalaina Familia. Antonius Lalain primus Hochstrati Comes à Carolo V. Imperatore 1518, Collegium XII. Sacerdotum (quos hodie Canonicos vocant) in honorem S. Catharinæ per Clementem VII. Papam anno 1531. instituendum curavit. Octo Præbendarum collatio spectat ad Comitem Hochstratanum, reliquarum verò quattuor ad Canonicos Antverpienses.

(2) WENEMARUS de Gheminich, seu Gemminich, Dominus de Hochstaten & Carpen in Diœcesi Coloniensi: de quo egimus cap. præcedenti.

CAPUT CXXVI.

JOANNES DE AVESNIS, *Hannoniæ Comes, ex commissione Rudolphi I. Cæsaris, Rogerum S. Gisleni in Hannonia Abbatem familiaribus ejusdem Cæsaris adscribit, anno* 1289.

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis, JOANNES de AVESNIS, Hannoniæ Comes, salutem & notitiam veritatis.

NOVERITIS, Nos Litteras Serenissimi Domini nostri Domini RUDOLPHI, Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti, recepisse, cum ea, quâ decuit, affectione, diligenterque considerasse, talis formæ:

RUDOLPHUS, Dei gratiâ, Romanorum Rex semper Augustus, universis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentes Litteras inspecturis gratiam suam & omne bonum. Romani Imperii Celsitudo consurgens antiquitus, & fundata mirificè super immobile firmamentum, excellentiæ prærogativâ, quâ viguit, columnis meruit stabiliri stabilibus, & egregiis ædificiorum juncturis venustissimè adornari. Inter quas siquidem Principes Imperii, utpote columnas Imperii Nobilissimas, ad totius operis machinam supportandam, potiori voluit præstantiâ præeminere; ut quo uberiùs gratiæ privilegiis insigniri se sentiunt, eò ampliùs in obsequiosæ redhibitionis vicissitudine ceteris debeant præclarere.

SANE ex parte venerabilis Abbatis, nomine ROGERI, S. Gisleni, Ordinis S. Benedicti, Cameracensis Diœcesis, nostro Culmini extitit humiliter supplicatum, ut....

DATUM Basileæ, pridie Nonas Augusti, Indictione secundâ, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo nono, Regni verò nostri sexto decimo. 1289

NOS Itaque JOANNES de Avesnis, Hannoniæ Comes, auctoritate ac virtute commissionis & potestatis hujusmodi Nobis datæ, Dominum ROGERUM Abbatem B. Gisleni in Cella, vice ac nomine Regio, ad Regalis familiaritatis amplexus admisimus.......

IN quorum omnium testimonium & munimen, Sigillum nostrum præsentibus est appensum.

ACTUM apud Quercetum in Camera nostra, in die B. Ægidii, in Capite Septembris, præsentibus Venerabilibus Viris & discretis,

- Magistro Nicolao de Querceto, Archidiacono Metensi, ac Præposito Montensi,
- Domino Balduino de Aubrecicourt,
- Domino Nicolao de Bievene,
- Domino Nicolao de Housdain, Militibus,
- Ægidio de Haspra, &
- Joanne dicto Berdial.

ANNO Domini millesimo ducentesimo octogesimo nono.

CAPUT

CAPUT CXXVII.

Pactio inter THEOBALDUM *Episcopum Leodiensem &* ÆGIDIUM BERTHOUT, *super juribus in Urbe Mechliniensi, inita anno* 1308.

UNIVERSIS tam præsentibus quàm futuris, præsentes Litteras inspecturis, THEOBALDUS, Dei gratiâ Leodiensis Episcopus salutem, & eorum quæ sequuntur agnoscere veritatem.

CUM Pax sive concordia inita sit & ordinata, inter Nos ex parte una, & Nobilem Virum ÆGIDIUM BERTHOUT ex altera, super juribus Villæ MECHLINIENSIS: in cujus Pacis concordationem expresse consensum exstitit, per Venerabiles Viros, Præpositum, Decanum, Archidiaconos, totumque Capitulum nostræ majoris Ecclesiæ Leodiensis, & consilium, consensum pariter & assensum Nobilium Nostrorum, scilicet Militum, Armigerorum, nec non consilium bonarum Villarum nostri Episcopatûs prædicti, secundùm tenorem & formam, super dicta Pace, in testimonium per alterutram partem confectam, & signatam Sigillo nostro dicti Capituli, & Ægidii Berthout prænotati, cujus Pacis formæ tenor ab initio usque ad finem de verbo ad verbum sequitur, in hunc modum:

UNIVERSIS præsentibus & futuris, ad quos præsentes Litteræ pervenerint, THEOBALDUS Leodiensis Episcopus salutem, & cognoscere veritatem. Noverint universi & singuli, quòd cùm dissensio fuisset inter Nos ex una parte, & Nobilem Virum ÆGIDIUM dictum BERTHOUT de MALINES ex altera, occasione jurium in Villa Mechliniensium, tandem pro bono Pacis & de consilio proborum, videlicet Capituli nostri Leodiensis, Militum ac bonarum Villarum nostri Episcopatûs, concordatum est inter Nos & dictum Ægidium in modum qui sequitur:

VIDELICET, quòd *Hevere*, *Musines*, *Humbeke*, *Leest*, *Heffene*, *Noulant*, & *Neckerspoele*, & dictarum Villarum appendicia, sunt & erunt in perpetuum sub dominio & jurisdictione Episcopi & Ecclesiæ Leodiensis, sicut est Mechlinia.

ET judicio Scabinorum Villæ Mechliniensis, in omnibus negotiis, quæ judicium requirunt, ex nunc in antea, sub libertate, judicio & lege Mechliniensium, & mediante istâ ordinatione, omnes excessus, emendæ, obventiones & commoda, quæ proveniunt seu provenire poterunt ex judicio vel aliàs in Villa Mechliniensi, & in aliis Villis prædictis, & earum appendenciis, sive ex caussa judiciaria seu libertate, vel jure, ac alio quocumque modo, erunt communia & æqualiter dividentur pro æquis portionibus inter Nos & Ægidium Berthout antedictum, salvis juribus Villæ prædictæ, prout ea Scabini Mechliniensium conservant.

PRÆTEREA omnes reditus, qui Nobis Episcopo ac Ægidio Berthout prædictis cedent in dictis locis & eorum appendiciis, erunt communes & æqualiter hereditariè dividentur inter Nos & Ægidium Berthout prædictum.

NEC potest alter nostrûm aliquid penitus acquirere in dictis locis, nisi interveniat utriusque consensus. Et si quid alter sine consensu alterius acquisierit, erit commune inter Nos. Insuper Villicus noster, qui Scultetus dicitur, habet instituere Scabinos in fidelitatem, quandocumque necesse fuerit Nobis tanquam Domino, ac Ægidio Berthout pro jure suo. Quod tale est, videlicet quòd in omni casu, super quo Villicus noster monebit Scabinos, qui super omnibus casibus, qui ad judicium Scabinorum spectant, potest & debet eos monere, statim post monitionem dicti nostri Villici, famulus Bertholdi potest ipsos monere, si velit, super eodem casu, si præsens fuerit, nec non alio modo.

NISI contigerit quòd Villicus noster in justitia prosequenda esset negligens vel remissus; in quo casu famulus Bertholdi potest requirere Villicum nostrum per tres dies placitorum, præsentibus Scabinis, quatenus super illo casu moneret Scabinos & faceret justitiam; & si Villicus noster hoc facere recusaret vel nollet, ex tunc famulus Bertholdi super illo casu potest monere Scabinos, & deberent Scabini de illo casu judicare ad monitionem ipsius, salvo jure in emenda, si quæ ad judicium pertinet. Et si tunc famulus Bertholdi in continenti monere negligat, semper Villico nostro monitio reservatur, ad quem spectat monitio super omni casu; & ad ejus monitionem semper Scabini judicare tenentur.

PRÆTEREA si contingat bellum insurgere, vel rixas moveri in prædictis locis, ubi Villicus noster præsens non fuerit, si famulus Bertholdi superveniat, nec sit ibi aliquis loco Villici, potest audire querimonias, indicere treugas, arrestare malefactores & eos ducere in prisonem, quæ est in Villa, ubi alii malefactores detinentur, secundùm quantitatem delicti. Qui malefactores debent tractari per monitionem nostri Villici & judicium Scabinorum, secundùm quod in aliis casibus superiùs est expressum.

ET quidquid dictus Bertholdus tenet & tenebit, ac ejus heres & Successores in dictis locis, tenet & tenebit ipse ac ejus Successores à Nobis ac nostris Successoribus, in Feodum tanquam homo noster ligius seu nostrorum Successorum, Episcoporum Leodiensium, qui erunt pro tempore.

ET ut omnia prædicta firmâ stabilitate consistant, Nos Episcopus prædictus, de consensu ac de voluntate Capituli nostræ Ecclesiæ Leodiensis,

sis, promittimus bonâ fide, quòd quocumque casu contingente, in perpetuum Nos vel nostri Successores non permutabimus, obligabimus, alienabimus, donabimus, vel vendemus ad tempus vel hereditariè Villam Mechliniensem, ejus appendentia, seu jura ad Nos pertinentia in dictis locis, in toto vel in parte; conservabimus Villam Mechliniensem in libertate ac francisiâ, quâ tenemus ac tenere debemus alias bonas Villas nostri Episcopatûs, salvis juribus Villæ Mechliniensis, pro ut ea conservant Scabini dicti loci; & in quantum poterimus ipsos defendere & eis assistere, non sustinebimus quòd aliqua impedimenta vel injuriæ inferantur.

ET Nos ÆGIDIUS BERTHOUT prædictus recognoscimus omnia suprà dicta pro Nobis & nostris Successoribus, & ea rata habemus, & consentimus ordinationi; promittentes bonâ fide pro Nobis ac nostris Successoribus Pacem & ordinationem superiùs expressas, & prout in Litteris præsentibus continetur, in perpetuum inviolabiliter observare.

ET Nos Episcopus per dictam compositionem nihil plus concedimus Bertholdo de jurisdictione, & Dominio, & de accessionibus ad ea in dictis locis, quàm verba expressa in ipsa compositione posita significant.

ET Nos BERTHOLDUS & omnes nostri Successores, quando levabimus Feodum nostrum ab Episcopo, jurabimus quòd in dictis locis, de jure ac dominio, & de accessionibus ad ea, non petemus, nec occupabimus per Nos vel per alium seu alios ultra id quod per verba expressa in hac ordinatione posita nobis conceditur.

PROMITTIMUS etiam Nos Bertholdus pro nobis & Successoribus nostris bonâ fide, quòd in perpetuum, quocùmque casu contingente, jus nostrum, quod habemus in Villa Mechliniensi & ejus appenditiis, mediante compositione prædictâ, non vendemus, obligabimus, alienabimus, permutabimus in toto vel in parte, hereditariè vel ad tempus, quin directè ad nostros heredes.... post nostrum obitum, & istam ordinationem Pacis, jurabimus Nos & nostri heredes, prout in Litteris præsentibus continetur, fideliter observare, quotiescumque prædicta jura nos continget relevare à Domino nostro Leodiensi Episcopo, qui erit pro tempore.

QUÆ omnia jura prædicta tam Nos quàm heredes nostri debemus tenere in Feodum ligium à Domino nostro Leodiensi Episcopo, & aliis Episcopis, qui pro tempore Ecclesiæ Leodiensi succedent. Et si contigerit Nos vel heredes nostros obligare seu alienare jura nostra in dicta Villa Mechliniensi seu ejus appenditiis, prout dictum est, Nos recognoscimus pro nobis & nostris Successoribus, quòd eo tempore Feodum amittemus prædictum.

ET Nos THEOBALDUS Episcopus Leodiensis prædictus, quia prædictam Pacem firmam & stabilem manere volumus in perpetuum, Sigillum nostrum præsentibus Litteris, unà cum Sigillo Capituli nostræ Ecclesiæ Leodiensis, duximus apponendum. Et Nos Præpositus, Decanus, Archidiaconi, totumque Capitulum majoris Ecclesiæ nostræ Leodiensis, approbamus & gratam habemus Pacem & ordinationem prædictas, & in eas consentimus, secundùm quod præsentibus est expressum, & eas firmiter promittimus in perpetuum observare: propter quod Sigillum Ecclesiæ nostræ, unà cum Sigillo Reverendi Patris, Domini nostri Leodiensis Episcopi, præsentibus est appensum.

ET Nos ÆGIDIUS BERTHOUT prædictus, quia prædictam ordinationem Pacis volumus in perpetuum inviolabiliter observari tam à nobis quàm à nostris Successoribus, præsentibus Litteris Sigillum nostrum, unà cum Sigillis prædictorum Domini Episcopi & Capituli, duximus apponendum.

NOS MAGISTRI Communitatis, Scabini & Jurati, Consilium & tota Communitas Villæ Mechliniensis, de voluntate & ad requisitionem Domini nostri Episcopi Leodiensis & Capituli, ac Ægidii Berthout prædictorum, gratam habemus dictam Pacem seu Ordinationem, ac in eas consentimus, & promittimus benè & fideliter observare & facere observari, tam à singulis nostrûm, quàm ab Ægidio Berthout ac ejus heredibus memoratis. Et singulis annis jurabimus, quando de novo instituemur ad Consilium Villæ, nos præsentem ordinationem observaturos, & facere observari, pro ut superiùs est expressum.

ET Nos Episcopus prædictus, de consensu Capituli nostræ Ecclesiæ Leodiensis, promittimus bonâ fide pro Nobis & nostris Successoribus, BERTHOLDO, sicut ligio fideli nostro, & Villæ nostræ Mechliniensi præstare auxilium contra quoscumque, & in quibuscumque necessitatibus, pro defensione jurium eorum.

ET Nos ÆGIDIUS BERTHOUT pro nobis & heredibus nostris, Nos etiam Magistri Communitatis, Scabini, Jurati, Consilium, totaque Communitas Villæ Mechliniensis, promittimus bonâ fide, pro nobis & nostris Successoribus, præstare auxilium contra quoscumque, & in quibuscumque necessitatibus, ipsi Episcopo, tanquam Domino nostro, & Ecclesiæ Leodiensi, pro defensione jurium eorum.

ET quantum ad auxilium, tam impugnando quàm defendendo, præstando contra quoscumque adversarios Ecclesiæ Leodiensis, seu Villæ Mechliniensis prædictæ, Nos Ægidius Berthout prædictus ac nostri Successores minimè poterimus excusari occasione alicujus Feodi à quocumque alio Domino relevati seu relevandi, vel nos Mechlinienses occasione consuetudinis Marchiæ seu confinium habitorum cum vicino Domino, secundùm possibilitatem sitûs nostri, quam debet videre Dominus noster, imminente guerrâ, cum Capitulo suo, Militibus, Consilio nostro, Villæ Mechliniensis ac aliarum bonarum Villarum Episcopatûs, vocatis & congregatis in Capitulo Leodiensi, prout moris est: & debemus stare ordinationi eorum, pensatis & consideratis situ & possibilitate prædictis.

ET nos Magistri, Scabini, Jurati, & Consilium & tota Communitas Villæ Mechliniensis prædictæ, ad requisitionem prædictorum Domini

mini nostri Episcopi, Capituli, & Ægidii Berthout, ad majorem stabilitatem prædictarum ordinationis & Paeis, præsentibus Litteris Sigillum nostræ Communitatis, unà cum prædictis Sigillis, duximus apponendum.

Et Nos prædicti Episcopus, Capitulum, Ægidius Berthout ac Communitas Villæ Mechliniensis rogamus Nobilem Virum Arnoldum Comitem de Los & de Chiney, quatenus Sigillum suum velit apponere præsentibus, in testimonium veritatis.

Et Nos Arnoldus Comes de Los & Chiney prædictus, ad requisitionem prædictorum, Sigillum nostrum præsentibus Litteris, unà cum prædictis Sigillis, duximus apponendum.
1307. Datum anno Domini millesimo trecentesimo septimo, feriâ sextâ post Festum B. Andreæ.

Cumque Nos, sicut proborum interest, ordinationem dictæ Paeis, in qua aliàs expressè consensimus, ut est dictum, tenere & inviolabiliter observare, & observatam in perpetuum remanere velimus, affectemus pariter & cupiamus, prout promisimus, præcipuè ob urgentem probabilem, eminentem & verisimilem necessitatem Villæ nostræ Mechliniensis prædictæ, extra nostram Diœcesim infra Brabantiam situatæ, hujusque conditionis, quòd homines ejusdem necesse habent cum suis familiis & mercaturis eorum in mercandisis suis exercendis, quasi per totas mundi partes multifariè circuire, sine cujus Paeis perseveratione & consummatione Villa nostra prædicta & homines ejusdem in statu prospero & tranquillo permanere non possunt.

Nos affectantes & volentes, ob utilitatem & commodum Ecclesiæ nostræ, Patriæ & Villæ Mechliniensis, ut est dictum, procedere secundùm formam dictæ Paeis præconceptam ac Sigillis prædictis consignatam, ut est dictum, volumus & consentimus expressè formam Paeis prædictam in perpetuum firmiter observari, & ad majorem munitionem & stabilem securitatem de præmissis, absque aliquo modo contraveniendi in posterum, præsentes Litteras Sigilli nostri appensione roborari fecimus.

Et Nos Ægidius Berthout supradictus, quoniam formam Pacis prædictam Sigillo nostro signavimus, à promissis resilire nolentes, volumus dictam Paeis ordinationem, semper firmiter observare & à nostris heredibus seu Successoribus inviolabiliter in perpetuum observari. Et in munimen & stabilitatem præmissorum absque aliquo modo contraveniendi, per Nos vel heredes, aut Successores nostros, præsentibus Litteris Sigillum nostrum, unà cum Sigillo Domini nostri Episcopi suprà dicti, duximus apponendum.

Et Nos Theobaldus Episcopus, & Ægidius Berthout prædicti, ad majorem securitatem & perpetuam stabilitatem de præmissis, requirimus & rogamus dilectos & fideles nostros Magistros Communitatis, Scabinos, Juratos, Consilium ac totam Communitatem Villæ Mechliniensis ante dictæ, quatenus dictam Pacem, secundùm formam prædictam firmiter & inviolabiliter observent, & juvent in perpetuum observari, quodque Sigillum suum commune, unà cum nostris Sigillis, præsentibus apponant.

Nos autem Magistri Communitatis, Scabini, Jurati, Consilium ac tota Communitas Villæ Mechliniensis, ad requestam Domini nostri Episcopi, ac Ægidii Berthout prædictorum, laudamus & approbamus formam Paeis prædictam. Et promittimus dictam Pacem tenere firmiter & observare, & juvare pro posse nostro observari. Et in horum testimonium Sigillum nostrum commune, unà cum Sigillis prædictis, præsentibus Litteris duximus apponendum.

Datum anno Domini millesimo trecentesimo octavo, in crastino Festi B. Andreæ Apostoli. 1308.

(1) Ægidius Berthout Mechliniæ Dominus, Walteri IV. Filius, obiit sine liberis: cujus Stemma suprà lib. 1. Donationum Belgicarum cap. 138. explicuimus.

Comites Chiniacenses, *vulgò* de Chiny.

1070. Arnolphus Comes de Chiny anno millesimo septuagesimo Monasterium in *Valle-Aurea* ædificare cœpit, adjutante Mathilde Godefridi Gibbosi Lotharingiæ Du-
1110. cis Vidua. Obiit anno millesimo centesimo decimo, sepultus Metis in Ecclesia S. Arnulphi.

Otho, Arnulphi Filius, cum Adelaide Conjuge, Canonicos Regulares in Valle-Aurea collocavit, probante Brunone Treverensi Archiepiscopo. Basilicam novam
1124. anno 1124. in honorem Deiparæ ab Henrico Virdunensi Episcopo consecrandam curavit, & anno proximè sequenti vivere desiit.

Albertus, Othonis Filius, cum Agnete Conjuge, anno millesimo centesimo tricesimo primo, Vallem Au- 1131.
ream S. Bernardo Claræ-Vallis Abbati ac Monachis Ordinis Cistartiensis tradidit, promovente Alberone Virdunensi Episcopo. Hæc ex Archivis Monasterii Vallis Aureæ hausimus. De Comitibus, qui Albertum proximè secuti sunt, nobis certò nondum constat.

Comites Chiniacenses *ex Familia* Lossensi.

I. 1239. Arnoldus, Arnoldi & Alaidæ Filius, Comes Lossensis, circa annum millesimum ducentesimum tricesimum nonum duxit Joannam, Ludovici Comitis de Chiny Filiam & heredem.

II. Joannes, Arnoldi & Joannæ Filius, Comes Lossensis & Chiniacensis, genuit *Arnoldum* in dictis Comitatibus Successorem, & *Theodericum* Heinsbergæ Dominum ex parte uxoris.

III. Arnoldus liberos habuit *Ludovicum* & *Mariam*, Uxorem Godefridi Heinsbergensis. Anno 1308. signavit Contractum seu Pactionem hoc capite à me productam.

IV. Ludovicus Lossensis & Chiniacensis Comes anno 1339. die 21. Januarii sine prole mascula obiit, & heredem 1339.
nominavit Theodericum Heinsbergæ Dominum, Mariæ Sororis suæ ex Godefrido Filium.

V. Theodericus Comes Chiniacensis ex N Marcana, Adulphi Marcani Leodiensis Episcopi Sorore, Filium sustulit Godefridum, qui in juvenili ætate ante Patrem obiit.

Margarita, Ludovici Comitis anno 1336. defuncti, aut Theoderici & N. Marcanæ Filia (nam variant Scriptores) anno 1370. sine sobole decessit.

Itaque Carolus IV. Imperator Fratri suo Wenceslao 1370.
Duci Luxeburgensi Comitatum Chiniacensem dono dedit; qui deinceps cum Ducatu Luxeburgensi unitus mansit.

CAPUT CXXVIII.

Diploma Guilielmi, *Comitis Hollandiæ*, *Zelandiæ & Hannoniæ*, *itemque Domini Frisiæ*, *anno* 1315. *scriptum.*

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis, GUILIELMUS, Dei gratiâ, Comes Hollandiæ, Zelandiæ, & Hannoniæ, Dominusque de Frisia, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, quòd Nos anno Domini mil-
1315. lesimo trecentesimo decimo quinto, Dominicâ primâ post Festum Conversionis B. Pauli Apostoli, in præsentia Testium subscriptorum.....

IN quorum omnium & singulorum testimonium, Sigillum nostrum præsentibus Litteris duximus apponendum.

ACTA sunt hæc in præsentia dilecti Fratris nostri
JOANNIS de Bellomonte,
Domini Gerardi Domini de Bornes,
Domini Arnulphi Domini de Prayaulx,
Domini Arnulphi de Boulans,
Joannis Vernier Baillivi nostri de Hannonia,

Joannis dicti Caufrechire, & Sewardi de Saint Pierre, Hominum nostrorum feodalium, ac Magistri Nicolai, Curati de S. Gisleno, ... & Petri dicti Mainet, Hominum feodalium Abbatis S. Gisleni memorati, & plurium aliorum ad hoc specialiter vocatorum, anno & die prædictis, in Castro nostro apud Quercetum.

CAPUT CXXIX.

LUDOVICUS BAVARUS, *qui de Imperio cum Frederico Austriaco contendit*, *scribit ad Joannem & Hugonem de Barbenchon*, *Fratres*, *itemque ad Fastredum Dominum de Ligne.*

LUDOVICUS..... Nobilibus Viris Joanni de (1) Barbenchon, Hugoni de Barbenchon ejus Fratri, & (2) Fastredo Domino de Linea, Militibus..... In cujus rei testimonium præsentes conscribi, & nostro Sigillo jussimus communiri.

DATUM in Wormatia, VII. Kalendas Au-
gusti, anno Domini millesimo trecentesimo de- 1317.
cimo septimo.

CAPUT

(1) BASSANCHON, vulgò *Barbanzon*, Vicus Hannoniæ cum arce perampla, titulo Marchionatûs ab Alberto Austriaco nobilitatus, spectat ad Familiam de Ligne.

(2) FASTREDUS DE LINEA, vulgò *de Ligne*. De qua Familia apud Belgas nobilissima quæ in archivis Ecclesiarum repperi, libet subnectere.

THEODERICUS Dominus de Ligne, cum Fratribus suis Ludovico & Carolo, memoratur in Tabulis Balduini Hannoniæ Comitis, anno 1123. 1142. & 1151 scriptis, quæ Sonegiis, Camberonæ & Cisonii adservantur.

I. WALTERUS Dominus de Ligne anno 1200. duxit Mathildem de Mons, Filiam secundò genitam Gosuini Montensis & Beatricis de Rumignies, quæ fuit Filia Alexiæ de Hannonia. Idem Walterus decimas Vici de Ligne anno 1211. Camberonensi Monasterio contulit: ut Jac. Guisius lib. 3. Annal. Hannoniæ cap. 36. narrat.

II. WALTERUS illo nomine secundus Dominus de Ligne duxit primò Margaritam de Fontaine l'Evesque, & secundò Alidem de Florines: ut ex Diplomatibus anno 1231. 1234. & 1235. ab ipso datis constat, quæ in Camberonæ, Gillengemii & Loci spinosi Cœnobiis servantur.

III. WALTERUS III. Dominus de Ligne Capellaniam castralem, ut vocant, in arce de Ligne anno 1277. fundavit. Duas habuit Conjuges Julianam & Alidem. Ex Juliana de Rosoy, Domina de Bausignies in Francia, prodiit Juliana, Uxor Godefridi de Lovanio, Domini de Herstal & Gasbeke: ut constat ex Tabulis anno 1244. scriptis, quas Bellioli in archivis suæ Familiæ Princeps de Ligne adservat. Ex Alide de Aspremont natus est Joannes. Cæterum idem Walterus III. Diploma Joannis I. Brabantiæ Ducis, anno 1283. scriptum, & lib. 1. Dipl. Belg. cap. 106. editum, signavit.

IV. JOANNES Walteri III. Filius duxit N. de Sevemberghes in Hollandia. Cujus Frater, nisi fallor, fuit Matthæus de Ligne, in prælio Cortracensi cæsus.

V. FASTREDUS, Joannis Filius, Dominus de Ligne, in Diplomate Ludovici Bavari memoratus, Marescalcus Hannoniæ, ex Joanna de Moriamez, aliàs de Condé, vel Belloeul, genuit Michaelem & Gulielmum. Fastredus Hierosolymis rediens anno 1337. obiit Venetiis, ibidem in templo S. Francisci majoris conditus.

VI. MICHAEL duxit N. de Antoin, Filiam Henrici Domini de Briffoeul.

VII. MICHAEL, Michaëlis F. Dominus de Ligne, in Anglia & alibi militavit; ut Froissardus lib. 1. cap. 16. Meyerus lib. 2. & alii narrant, obiitque sine prole.

VIII. Itaque in Dominio de Ligne & aliis successit GUILIELMUS Fastredi Filius secundò genitus: qui duxit Bertam de Schellant; ut Quercetanus in Genealogia Familiæ de Chastillon lib. 4. cap. 5. testatur.

IX. JOANNES II. in Anglia obses fuit anno 1360. pro Joanne Rege Franciæ captivo: ut Froissardus lib. 1. cap. 213. & Meyerus lib. 13. narrant. De his plura in Chronico Belgico ad annum 1546.

CAPUT CXXX.

Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini anno 1319. *in Urbe Tornacensi datur fundus, quem anteà Saccitæ, seu Fratres de Pœnitentia* JESU CHRISTI; *possederant.*

JOANNES Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Remensi, ac Aurelianensi & Tornacensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte carissimi in Christo Filii nostri JOANNIS, Franciæ & Navarræ Regis Illustris, nobis extitit intimatum, quòd loca, quæ dudum (1) Fratres de Pœnitentia Jesu-Christi, aliàs de SACCIS, in vestris Diœcesibus obtinebant, jam sunt totaliter derelicta.

QUARE nobis humiliter supplicavit, ut cum Priores ac (2) Fratres Eremitæ Ordinis S. Augustini in eisdem Civitatibus non habeant mansiones, dicta loca, quæ, secundùm Constituta Concilii Lugdunensis, sunt dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, eisdem Fratribus Eremitis concedere dignaremur.

NOS igitur ejusdem Regis supplicationibus inclinati, Fraternitati vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis visum fuerit, quòd Fratres prædicti Ordinis S. Augustini in locis prædictis debeant esse oportuni, loca ipsa auctoritate nostrâ eisdem Fratribus concedatis......

Additio. (1) FRATRES DE SACCIS, sive Saccitæ, quorum Ordo olim fuit celebris, habuerunt quoque Conventum Bruxellæ, cujus bona dein tradita fuere Carthusianis tunc habitantibus in *Schent-velt* juxta Bruxellam. De his vide supra lib. I. Diplom. Belg. cap. CXL. in ipso contextu Diplomatis, & in Notis.

(2) FRATRES ORDINIS S. AUGUSTINI, plures in Belgio nostro hodiè habent Conventus divisos in duas Provincias, Flandro-Belgicam ac Gallo-Belgicam.

In Flandro-Belgica sunt hi Conventus; Bruxellensis, Antverpiensis, Mechliniensis, Lovaniensis, Gandensis, Brugensis, Trajectensis ad Mosam, Thenensis, Teneramundanus, Diestensis, Herendaliensis, Angiensis, Boviniensis. Quibus adduntur Leodiensis, Huiensis, Bulloniensis, Hasselensis, ac Breensis in Patria Leodiensi; & accesserunt novissimè Iprensis ac Roussclariensis.

In Gallo Belgica sunt hi, Insulensis, Tornacensis, Duacensis, Basseensis & Hasebroecanus.

Olim quoque sub Fœderatis Belgii Provinciis erant Conventus quinque; Harlemi, Dordraci, Middelburgi in Zelandia, Enckhusiæ & Neomagi in Geldria, qui per hæreticos fuere occupati.

CAPUT CXXXI.

JOANNES III. *Brabantiæ Dux benefacit Abbatiæ Parcensi, Ordinis Præmonstratensis anno* 1339.

JOANNES, Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgiæ Dux, Sacrique Imperii Marchio, notum facimus universis, quòd nos tale jus sive mansionem, quemadmodum olim dilecti nobis in Christo Abbates Monasterii de PARCO, nec non & Conventus Monasterii ejusdem, à nostris Prædecessoribus in Castro nostro de FURA habere consueverunt, eoque jure inibi uti & gaudere, Abbati & Conventui nunc pro tempore dicti Monasterii, in eodem Castro, consimilibus modo & formâ, tenore præsentium concedimus & indulgemus, harum testimonio Litterarum, Sigillo nostro sigillatarum, & datarum Bruxellis, mensis Junii die nonâdecimâ, anno Domini M. CCC. XXXIX. 1339.

CAPUT CXXXII.

JOANNES BAVARUS, *Episcopus Leodiensis Electus, Eindoviæ in Campania Brabantiæ Collegium Canonicorum anno* 1399. *instituit, postulante Guilielmo Milenbergio, Eindoviæ & Cranendonci Domino.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen. Universis Christi fidelibus præsentes suspecturis JOANNES à BAVARIA, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Electus Leodiensis, salutem, quam Jesus-Christus ex Virgine gloriosa natus toti generi perfudit humano.

INTER sollicitudines Curæ Pastoralis nobis relictæ, illa præ ceteris insidet cordi nostro, ut ea quæ Divini Cultûs augmenta in populo Dei conspiciunt, diligentiùs prosequamur, & ad effectum deducamus salutarem.

SANE prospiciendum attentè, quod in Parochiali Ecclesia de (1) *Eindovon*, nostræ Leodiensis

censis Diœcesis, quæ in Opido satis populoso situata est, Rector ipsius, Capellani & alii Ministri, qui in sufficienti numero ad Divinum Officium, populo hactenùs idem Officium minùs diligenter persolverunt, ad honorem Omnipotentis Dei, gloriosæ Virginis Matris ejus & omnium Sanctorum, ut Ecclesiasticæ plebis Conventui illic plenè satisfiat;

De consensu, licentiâ & auctoritate Archidiaconi loci ipsius, ac Nobilis Viri Wilhelmi de Milenberch, Domini temporalis de Septem Fontibus & Cranendonck, Patroni prædictæ Ecclesiæ, & Domini etiam temporalis ejusdem loci, atque Guilielmi de Dornen dictæ Ecclesiæ Rectoris, absque præjudicio Juris Parochialis, memoratam Ecclesiam etiam in Collegiatam erigendam statuimus & ordinamus, ut in ipsa Ecclesia novem Canonici, &c., secundùm modum dicendi, totidem Præbendæ, pro nunc constituantur singulis Canonicis, quorum etiam erit unus Decanus, pro tempore conferendæ......

Datum anno MCCCXCIX.

Additio. (1) Eindhovia Oppidum est Brabantiæ ad Dommelam fluvium, sub Majoratu Silvæducensi, quatuor leucis ab Urbe Capitali distitum. Fuit illic quondam Ecclesia Collegiata B. Catharinæ Virgini & Martyri sacra, habens Capitulum novem Canonicorum cum Decano; quod desiit circa annum 1629. quo Hollandi simul cum Sylvâ-ducis totum ejus Tractum armis occuparunt, & anno 1648. per Pacem Monasteriensem suis Dominiis asseruerunt.

CAPUT CXXXIII.

Petrus de Alliaco S.R.E. *Cardinalis*, *Episcopus Cameracensis*; *Personatum & Jus Patronatûs Ecclesiæ Parochialis de Duffel incorporat & unit Abbatiæ Tongerloënsi*, *anno* 1405.

Universis præsentium seriem visuris & audituris, (1) Petrus Dei gratiâ Episcopus Cameracensis & Comes, salutem in Domino sempiternam, & rei gestæ agnoscere veritatem.

Preces subditorum rationabiles ac devotas animo lubenti & votivo ad exauditionis gratiam, prout nobis ex officii debito Pastoralis incumbere dignoscitur, admittimus: præsertim quibus Divini Cultûs augmentum, pacis ampliatio, Ecclesiarum & Personarum devotarum utilitas evidens, & salus animarum sperentur, imminéant verisimiliter procurari.

Sane eâ consideratione, nec non & devotis precibus pariter & affectibus Religiosorum Virorum nobis in Christo sincerè dilectorum, Abbatis & Conventûs B. Mariæ de Tongerloo Præmonstratensis Ordinis, nostræ Cameracensis Diœcesis, quorum vita & obsequia devota in Domo Domini sidereâ claritate coruscant, quodammodò in hâc parte circumfulti, in hominum Religiosorum humili devotionis & affectionis proposito paternæ benevolentiæ favoribus insistentes, Personatum & Jus Personatûs Parochialis Ecclesiæ ac Altaris de (2) Dufflis, nostræ jam dictæ Diœcesis, ad præsens liberum vacantem & sine Personâ, per consensum, & simplicem resignationem, vice Venerabilis Viri Magistri Guilielmi de Brugis in Legibus Licentiati, ultimi Personæ ejusdem, per ejusdem Procuratorem ad hoc sufficienter fundatum in manibus nostris ob hoc factum, & non aliàs, unà cum suis juribus, pertinentiis, obventionibus, fructibus & emolumentis, in quibuscumque rebus consistant, ac etiam beneficiis ac officiis exindè dependentibus ipsisque connexis, fundatis actu, vel in posterum fundandis infra metas ejusdem Parochialis Ecclesiæ, jam dictis Abbati, Conventui & eorum Monasterio ex nostris certa scientia, proposito & voluntate delibe-

Additio. (1) Petrus de Alliaco, vulgò *d'Ailly*, Compendii ad Isaram natus, S. Th. Doctor & Cancellarius Academiæ Parisiensis, ex Archidiacono Cameracensi electus in Episcopum Cameracensem anno 1398. Fuit quoque Magnus Franciæ Eleëmosynarius, Administrator Episcopatuum Aniciensis, Arausicani, & Vaurensis; & S.R.E. Cardinalis ab anno 1411.

Schismati ab Ecclesia tollendo allaboravit quàm plurimùm, ac Sessioni tertiæ Concilii Constantiensis præfedit. Obiit Vir ille doctissimus ac suo ævo celeberrimus, Avenione anno 1425. sed corpus ejus Cameracum translatum, ibique sepultum fuit retro majus Altare.

(2) Dufflis, vulgò *Duffel*, insigne & amplum Brabantiæ Municipium Mechliniam inter & Liram situm est, ad Netham fluvium. Celebratur à cultu Deiparæ Virginis, cujus Imago miraculis clara in Sacello eleganti, sub cura Religiosorum Tungerloensium, asservatur.

Stemma Dominorum Duffelensium. Dufflam possederunt olim Bertholdici sanguinis Principes, è quibus Catharina Henrici Domini de Duffele & Gele & Margaretæ de Wesemael Filia, Theodorico de Hornes Domino de Perweyz enupta, ei sub annum 1355. hanc dotem attulit. Et reliquerunt Wilhelmum & Henricum. Wilhelmus ex Maria Domina de Kanderode procreavit Mariam Joannis Stuart Comitis de Marre conthoralem. Hæc terras de Duffle & Waelhem Antonio Duci Brabantiæ cessit, & Joannes Dux Brabantiæ Anthonii Filius illas Philippo Comiti Sancti Pauli & de Ligny, portionis hereditariæ loco assignavit anno 1422. Vide Diploma originale in Archivis Marchionis de Deynse. Inde rursum Familiæ de Hornes retrocessa, ex illa tandem per nuptias translata sunt supradicta Dominia ad Familiam de Merode, ductâ scilicet anno 1459. Aleyde de Hornes Filia & herede Joannis per Joannam de Meroda Richardi Domini de VVesterlo ex Beatrice Domina de Pietershem Filium, & jam inde à duobus & ultra sæculis Merodii in hunc usque diem potiti sunt & etiamnum potiuntur. *Hactenus Christinæus in Jurisprudentia Heroica.* vide supra pag. 119. & 470.

Dufflam in Baronatum erexit Philippus IV. Hispaniarum Rex in favorem Maximiliani Comitis de Merode Marchionis Deynsæ &c. De Familia Merodia vide supra Lib. 3. Diplom. Belg. cap. 169.

De Duffla quoque fit mentio supra pag. 519. in Diplomate dato ab Henrico IV. Cæsare in favorem Ecclesiæ Nivellensis; ex quo consici videtur Dufflam olim ad eandem Ecclesiam pertinuisse.

deliberatis, pro nostra & Antecessorum nostrorum animabus concedentes, ipsis & eorum Monasterio antedicto perpetuò possidendam incorporavimus, univimus integraliter, modo & formâ quibus de jure & consuetudine approbatis melioribus possumus, & tenore præsentium unimus pariter & incorporamus.

Datum & actum Cameraci anno Domini
1405. M. CCCC. V. die mensis Martii XXV.

Eodem anno & mense Decanus & Capitulum Cameracense consensum suum per Litteras adjungunt.

Reservatis tamen nobis & nostris Successoribus Episcopis Cameracensibus, collatione, provisione ac plenariâ dispositione duarum Capellaniarum perpetuarum, scilicet B. Virginis Gloriosæ, & B. Joannis in eadem Ecclesia ab antiquo consistentium atque fundatarum &c. Datum ut suprà.

CAPUT CXXXIV.

Contractus antenuptialis inter Antonium *Brabantiæ Ducem, &* Elisabetham *Joannis Ducis Gorlicensis Filiam, anno 1409. initus.*

Wenceslaus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus & Bohemiæ Rex, notum facimus, quòd ad petitionem Caroli Dei gratiâ Francorum Regis, & aliorum Illustrium Domûs Franciæ Principum, Avunculorum, & Patruorum ejusdem Domini Caroli, nec non ob singularem favorem, quem ad Personam Illustris Antonii Ducis Brabantiæ, consanguinei nostri, habere dignoscimur, matrimonii sive parentelæ Contractum inter ipsum Antonium & Illustrem Elisabeth, natam quondam Illustris Domini *Joannis* Ducis Gorlicensis Principis, Fratris nostri carissimi, Neptem nostram carissimam, hoc modo & ordine duximus ordinandum, sic videlicet:

Quod Nos eamdem Neptem nostram *Elisabeth* prædicto *Antonio* Duci Brabantiæ tradere debemus & volumus legitimam in Uxorem. Cui etiam Elisabeth Nepti nostræ, in favorem hujus matrimonii, roboramus, approbamus, ratificamus & confirmamus omnia jura, successiones & devolutiones, quæ sibi de jure, consuetudine, & ordine, post nostram, nec non Serenissimi Domini Sigismundi Regis Ungariæ, Fratris, & etiam Illustris Judoci Brandeburghensis & Moraviæ Marchionis, Patrui, nostrorum carissimorum, mortem, possunt competere quovis modò.

In casu videlicet, quo Nos Regem Ungariæ, & Judocum Marchionem, liberis & heredibus ex nostris corporibus procreatis, post Nos non derelictis, ab hac luce (quod avertat Deus) migrare contigerit. Quo casu Nos Wenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex, ipsam Elisabeth reddimus habilem, & habilitamus ad succedendum. Debebit quoque ipsa succedere, & succedet ad omnes dignitates, Principatus, dominia & terras nostras, nec non eorumdem Regis Ungariæ & Marchionis, pacificè & quietè, jure & ordine, ut suprà, impedimentis non obstantibus quibuscumque.

Item quo casu Nos, Regem Ungariæ, & Marchionem Judocum heredes & liberos ex nostris corporibus procreatos habere contigerit, tunc Ducatus Gorlicensis, Marchionatus Lusatiæ, nec non alia dominia, sive terræ, quos, quæ & quas Joannes quondam Dux Gorlicensis, præfatæ Elisabeth Genitor, habuit, dum vixit in humanis, tenuit & possedit, ad ipsam Elisabeth, liberos & heredes suos devolventur, & pertinebunt pleno jure, impedimentis non obstantibus quibuscumque.

Item præfatæ *Elisabeth* Nepti nostræ favimus & indulsimus, Regiâque auctoritate Bohemiæ indulgemus, ut ipsa, & ejus nomine *Antonius* prædictus, Ducatum Luxemburgensem, cum Comitatu de *Chiny*, & Advocatia *Alsatiæ*, cum suis pertinentiis (quæ omnia præfatus Judocus à Nobis Bohemiæ Rege supradicto, vi pignoris, tenet & possidet) ab eodem Judoco redimere, & exsolvere possit & valeat.

Quæ etiam *Elisabeth* se de cetero, quamdiu sibi vita comes fuerit, ejusdem Ducatûs Luxemburgensis Ducissam poterit effectualiter nominare. Et si eamdem Elisabeth liberos & heredes, ut speratur, habere contigerit, tunc hujusmodi sui liberi & heredes ad ipsum Ducatum Luxemburgensem, Comitatum *Chiny* & Advocatiam Alsatiæ succedere debebunt, & succedent, & vasalli Regni, & Coronæ Bohemiæ hereditariè nuncupari, ipsorumque Ducatûs, Comitatûs & Advocatiæ erunt veri heredes & Domini.

Item si prædicta Elisabeth liberis & heredibus ex jam dicto matrimonio non derelictis, dies suos clauderet extremos, vel etiam ipsa Elisabeth, liberis ex hujusmodi matrimonio existentibus, decesserit, & postea iidem liberi & heredes etiam decederent, tunc idem Antonius, heredes & Successores sui, Ducatum Luxemburgensem, cum Comitatu *Chiny*, & etiam Advocatia Alsatiæ, cum territoriis, Civitatibus, Villis, Opidis, Castris, Fortalitiis, & eorum universis pertinentiis (Castro *Fels* dumtaxat excepto) pro hujusmodi summa pecuniæ, pro qua ipsa Elisabeth seu Antonius, suo nomine, ipsos & ipsam à præfato Judoco, virtute Indulti (ut præmittitur) redemerit & exsolverit, absque aliqua fructuum, redditruum & proventuum de eisdem Ducatu Luxemburgensi & Comitatu Chiny, & etiam Advocatia Alsatiæ, perceptorum

perceptorum defalcatione, quos in sortem ipsius summæ principalis computari nolumus quoquo modo, verùm ipsos eidem Antonio donavimus & donamus, de gratia speciali, titulo veri & justi pignoris, habere, tenere, & pacificè possidere, cum omnibus suis pertinentiis quibuscumque debeant & debebunt, tenebunt & possidebunt, ita amplè & integrè, sicut Dux Wenceslaus defunctus tenuit umquam, illos & illam, ipso vivente.

TAMDIU & quousque eidem Antonio, vel suis heredibus & Successoribus præfata pecuniæ summa per Nos, heredes, & Successores nostros, unà cum centum & viginti millibus florenorum Rhenensis monetæ, quos præfatæ Elisabeth, in subsidium felicis consummationis dictæ suæ parentelæ & matrimonii, in & super ipso Ducatu Lucemburgensi, Comitatu *Chiny*, & etiam Advocatia Alsatiæ, cum pertinentiis suis, Nos Wenceslaus de munificentia nostra speciali dedimus, & gratiosè deputavimus, paratà in pecunia, data, persoluta & numerata fuerit intégraliter & ad plenum.

ITEM dictus Antonius dabit & firmabit, dat & firmat prædictæ Elisabeth in suo dotalitio Comitatum *Chiny*, Civitatem *Ivodii*, cum Castro ibidem, Præposituram *Dorbuy* & *Bastonach*, cum ipsarum pertinentiis universis, ad præfatum Ducatum spectantibus, per ipsam, quamdiu sibi vita ex alto concessa fuerit, sine impedimento quolibet, quietè & pacificè possidenda. Sic tamen, quod hujusmodi bona, post ipsius Elisabeth obitum, ad dictum Antonium, heredes & Successores suos vice versâ devolvantur, per ipsos, vice pignoris, prout expressatur superiùs, possidenda.

ITEM Nos potestatem & omnimodam facultatem redimendi & exsolvendi Ducatum Lucemburgensem, cum Comitatu *Chiny*, & etiam Advocatia Alsatiæ, prædictos, cum suis pertinentiis universis à dicto Antonio, heredibus & Successoribus suis, sive caussam ab eis habentibus, Nobis, & Successoribus nostris quibuscumque Bohemiæ Regibus, & Coronæ Bohemiæ, plenariè pro summis & expensis, ac modo & formâ, ut præmittitur, reservamus.

ITEM declaravimus & declaramus ipsum ANTONIUM prædictum, ritè, bene & justè ad dominium Ducatûs Brabantiæ legitimâ successione devenisse, & ipso Ducatu cum suis pertinentiis licitè & bono titulo gaudere debere.

ET insuper in quantùm opus est, aut fuerit, omne jus, quod Nobis tamquam Romanorum, aut etiam Bohemiæ Regi, ratione Ducatûs Lucemburgensis, aut aliàs in Ducatu Brabantiæ, per modum devolutionis, seu alio quocumque modo competit aut competere potest, & unà cum hoc, omne jus, quod Nobis in castris & fortalitiis inter Mosam & Rhenum sitis, ad Ducatum Lucemburgensem spectantibus, quæ idem ANTONIUS ad præsens tenet & possidet, competere dicitur, eidem Antonio, heredibus & Successoribus suis dedimus & damus, & in eos plenariè transtulimus & transferimus.

ET idem ANTONIUS ipsum Ducatum Brabantiæ cum suis pertinentiis, à Nobis Romanorum Rege, infra unius anni spatium (dum tamen sibi infra dictum annum locum & diem competentem assignaverimus) in Feodum suscipere debebit propria in persona, & Nobis ratione hujusmodi homagii, universa & singula præstare & facere, ad quæ ille Princeps & Vasallus Sacri Romani Imperii, tamquam suo naturali Domino, obligatus & astrictus est, quomodolibet, consuetudine vel de jure.

ITEM Nos WENCESLAUS Rex Romanorum & Bohemiæ præfatus, unire & confœderare debebimus, unimus & confœderamus cum dictis JOANNE & ANTONIO Ducibus Burgundiæ & Brabantiæ per præsentes, sic videlicet, quod ipsi Nobis, heredibus & Successoribus nostris Bohemiæ Regibus, in nostris ac Sacri Romani Imperii, necnon Coronæ Bohemiæ negotiis atque caussis, & signanter adversus RUPERTUM de Bavaria, adversarium nostrum, cum duobus millibus Lanceatis, propriis suorum sumptibus & expensis....

DATUM Pragæ anno M.CCCC.IX. die 27. Aprilis, Regnorum nostrorum anno Bohemiæ quadragesimo sexto, Romanorum verò trigesimo tertio. 1409.

CAPUT CXXXV.

HENRICUS *Bavariæ Dux, Episcopus Ultrajectensis, Coadjutor Wormaciensis, &c. Dominium temporale Urbis ac Ditionis Ultrajectinæ, quod antea penes Episcopos fuerat, cedit* CAROLO V. *Cæsari, ejusque Successoribus, anno* 1528.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti, amen. Anno à Nativitate Domini millesimo, quingentesimo, vicesimo octavo, Indictione primâ, die verò mensis Octobris vicesimâ primâ, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini, Domini Clementis, Divinâ providentiâ Papæ VII, anno quinto, Reverendissimus Dominus & Illustrissimus Princeps, Dominus HENRICUS, Dei gratiâ electus & confirmatus Trajectensis, Coadjutor Wormaciensis, Præpositus & Dominus in Elwangen, Palatinus Rheni, Comes & Dux Bavariæ, &c. unà cum Nobilibus & circumspectis Viris Dominis, Domino Wolfgango de Affensteyn, Johanne de Schoenberch Militibus, Magistro Philippo

lippo Bourschout Cancellario; suis Consiliariis ex una,

Et Nobilis & generosus Dominus, Dominus Anthonius de Lalaing, Comes de Hoochstraten, Dominus de Culenborch, Dominus Miles Ordinis Aurei Velleris, Cæsareæ Majestatis secundus Camerarius, Gubernator & Locum-tenens Patriarum Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ, Commissarius & Procurator, & Ambasiator Gloriosissimi, Illustrissimi, Magnificentissimi & Invictissimi Principis & Domini, Domini Caroli, Dei gratiâ Romanorum Imperatoris semper Augusti, Hispaniarum Regis Catholici, & Ducis Brabantiæ, & Comitis Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ, & ad infrascripta specialiter Deputatus, unà cum Nobili Viro & Magistro, Laurentio de Dublioul, Domino de Sart, primo Secretario & Cæsareæ Majestatis Audienciario, & Griffario dicti Ordinis Aurei Velleris, & eo nomine præsentibus ex altera,

In Venerabilium & egregiorum Dominorum, Præpositorum, Decanorum, Capitulorum & Canonicorum quinque Ecclesiarum Trajectensium, Capitulum Generale Ecclesiarum prædictarum repræsentantium, in Domo Capitulari Majoris Ecclesiæ Trajectensis, Capitulo Generali ad infrascripta peragenda specialiter convocato & indicto, de mane horâ Capitulari consuetâ,

Videlicet Domini Thomæ de Niekercke Decani Majoris Ecclesiæ, Domini Michaëlis Enckevoirt Sancti Salvatoris, Domini Johannis Sfacherck Beatæ Mariæ Trajectensis Præpositorum, Magistri Gerardi Zuggeroede dictæ Ecclesiæ Sancti Salvatoris, Frederici Schenck Sancti Petri Decanorum, Johannis de Ameronghen, Johannis Tulman, Johannis Vosch, Theodorici Lienerian, Jacobi de Wynsen, Bartholomei Kuyff, Joannis de Uuyterwyck, Anthonii Buyser, Henrici de Montfoort, Johannis de Drolshagen, Henrici Zoudenbalch, Arnoldi Buyser, Theodorici Taets, Johannis de Medenblick, Joannis de Angeren, Guerardi then Busch, Arnoldi Knoop, Henrici Beyer, Nicolai Ruysch, Jacobi Deedel, Anthonii Hughes, Wilhelmi de Lochorst, Joannis Vrydach, Wilhelmi de Lochorst, aliàs Taems, Francisci Zonck, Adriani Ram, Jacobi de Medenblick, Cornelii Uuten Enghe, Gerardi Zuggeroede, Goswini de Hattem, Johannis Anthonii, Johannis de Veno, Anthonii de Ameronghen, ac certorum aliorum Majoris sancti Salvatoris, sancti Petri, sancti Johannis, & beatæ Mariæ Trajectensis Ecclesiarum respectivè Canonicorum, Capitularium & non Capitularium,

Nec non Nobilium generosorum Dominorum, validorum & circumspectorum Virorum, Jodoci Domini de Montfoort, & Richardi de Nurode Domini de Frentze & de Beverweerde, Wilhelmi Turck Domini de Nyenrode, Gerardi de Culenborch Domini de Rysemborch senioris, Gerardi de Culenborch junioris, Johannis de Culenborch, Bernardi Uuten Eng, Walteri Uuten Ham, Theodorici de Brueckheusen, Gisberti de Hardenbrouck, Simonis de Teylingen, Ottonis de Derthuesen & Cornelii de Ridder militarium, nec non Henrici vander Borch, Henrici de Heusden, Petri Ruysch, Deputatorum Civitatis Trajectensis,

Inque nostrorum Notariorum publicorum ac Testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia constituti; prænominatus Dominus N. Reverendissimus, per os Nobilis Domini Wolfgangi de Affensteyn Militis & Doctoris proposuit verbo & dixit, seu proponi & dici fecit.

Quia cum Princeps Geldriæ tempore Prædecessorum suorum Episcoporum Trajectensium, præsertim quondam Domini Frederici de Baden Episcopi, absque justâ occasione ipsum opprimendo, ac hostili more Oppidum suum de Oldenzeel invadendo & detinendo, & ex illo totam Patriam circumjacentem & subditos Transysulanos per rapinas, apprehensiones, incendia, exactiones, ac aliàs notabiliter damnificando, donec idem Episcopus Fredericus magnis suis impensis dictum Oppidum de Oldenzeel violenter iterum recuperavit & obtinuit,

Ac deinde tempore quondam Domini Philippi de Burgundia Episcopi Trajectensis, ultimi Prædecessoris sui, idem Princeps Gelriæ cepit Oppidum de Zwollis, nec non Oppida & Castra de Coeverden & Diepenhem, cum Patria de Drenthe, Castrum ter Laghe aliaque Castra & Fortalicia in dicta Patria Transysulana, in magnum præjudicium, damnum, & interesse subditorum suorum, & totalem destructionem Patriæ & subditorum suorum Transysulanorum, usque ad mortem dicti Domini Philippi Prædecessoris sui;

Adeo quod idem Dominus noster Reverendissimus & maximus Princeps in adventu ad Episcopatum hujusmodi, comperiens Patriam & subditos suos Transysulanos in guerris, oppressione & desolatione, compassione ductus, & ut illos ab ulteriori destructione eriperet & confirmaret, medio Reverendissimi Domini Archi-Episcopi Treverensis, cum Principe Gelriæ tractatum iniit, cujus vigore consensit, quatenus idem Princeps Gelriæ Oppidum suum de Genemeuden, Castrum ter Laghe, & alia loca in pignus retineret, donec redimeret cum summâ quinquaginta millium florenorum aureorum semel, postmodum eidem realiter solutorum.

Et tali modo hujusmodi Oppida & loca recuperanda dimittendo, nihilominus eidem Principi Gelriæ Oppidum & Castrum de Coeverden cum Patria de Drenthe, ac Oppidum & Castrum Diepenhem, ad illa possidendum vitâ illius durante, reservatâ Reverendissimo prædicto de his redemptione, post ejus decessum pro alia summa quinquaginta millium florenorum aureorum in eventum, quo prolem seu proles legitimas post se reliquerit, sperans, quod Dux Gelriæ per præmissa eumdem Dominum Reverendissimum & Illustrissimum Principem, & suos subditos in quiete & pace dimitteret:

Præmissis omnibus non obstantibus, dictus Princeps Gelriæ, præter Pacem & Tractatum, absque aliqua rationabili occasione & belli insinuatione, iterum inceptavit anno vicesimo septimo ultimè effluxo per subtilitates & seductiones

nes subditorum suorum Civitatem suam Trajectensem invadere, ac deinde Oppidum suum de Hasselt Transysulam & alias munitiones, & taliter Patriam, Oppida, gentes & subditos suos cum tota potentia, viis, ad modum guerrarum invasit & damnificavit,

QUOD idem Dominus Reverendissimus maximè justam habuerit occasionem invocandi gloriosissimum, maximum, magnificentissimum & invictissimum Principem & Dominum, CAROLUM Imperatorem, ac Hispaniarum Regem, prædictum Ducem Brabantiæ, &c. & Comitem Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ in assistentiam, & contra dictum Principem Gelriæ auxilium ab eo implorandi & petendi. Apud quem talem spem & auxilium invenit, quod per magnam armatorum copiam, per eandem Cæsaream Majestatem ac suis magnis impensis in partibus Gelriæ missam, idem Dominus Reverendissimus Civitatem suam Trajectensem, Oppidum de Rhenen, aliaque Castra & Fortalicia sibi per dictum Principem Gelriæ ablata & occupata, iterum recuperavit, & ad illam ac illa restitutus sit;

CUM etiam Vassalli, Oppida & subditi sui in Patria Transysulana durantibus guerris per Principem Gelriæ motis, in tantum anxiati & oppressi extiterunt, quod eis impossibile fuit potestati illius ulterius resistere;

QUAPROPTER ut oppressiones hujusmodi evaderent, cum idem Dominus noster Reverendissimus eosdem defendere non potuit, maturè deliberati fuerunt se transferre sub defensione & obedientiâ Cæsareæ Majestatis, & se dicto Domino Imperatori tanquam Duci Brabantiæ, & Comiti Hollandiæ, pro se suisque in dictis Ducatu & Comitatu Successoribus subjicere, illumque pro eorum vero & naturali Principe & Domino eligere proposuerunt; si modò eos acceptare & ab hujusmodi invasionibus dicti Ducis Gelriæ præservare dignaretur, dummodo idem Dominus Reverendissimus in hoc consentire velit, prout animo præservandi Patriam suam, Vassallos & subditos Transysulanos, ut ex inimicorum manibus eruerent, consensit.

IDEM etiam Dominus Reverendissimus maturè revolvendo sibi possibile non fore, quod tempore futuro Civitatem suam Trajectensem, aliaque Oppida, Castra, Fortalicia, aliaque loca & Patriam Trajectensem, nec non etiam Ecclesias, Vasallos, aliosque subditos & suppositos inferioris Patriæ Trajectensis, in pace, quiete & bonis policiis, ac justitia præservare posset, nec non redditibus & accidentiis ad Episcopatum suum spectantibus à guerris & similibus invasionibus, ut præmittitur, factis tueri nec defendere potest;

MATURE etiam considerando, quod nec Reverendissimus Dominus, nec Ecclesiæ, Civitas, Opida & inferior Trajectensis, non possent Cæsareæ Majestati condignam facere recompensam, restitutionem aut satisfactionem, pro favore, amicitia, amore, honore & assistentia eidem Domino nostro Reverendissimo, Ecclesiæ & Patriæ suis tempore necessitatis exhibitis & factis, ac magna pecuniarum summa per eandem Cæsaream Majestatem propterea exposita & soluta.

VOLENS tamen, quatenus possibile est, eidem Cæsareæ Majestati recompensare, & super omnia Ecclesias, terras, Oppida, Vassallos, subditos seculares, omnesque alias Personas Ecclesiasticas & seculares inferioris Patriæ Trajectensis, juxta facultatem suam futuris temporibus ab omnibus violentiis & oppressionibus præservare, (ut Divinum Officium in dictis suis Ecclesiis communicari & interteneri posset)

AD omnium noticiam deducit, quod præmissis attentis, post diversas communicationes per eundem Dominum nostrum Reverendissimum, tam eum suis Prælatis & Capitulis quinque Ecclesiarum suarum Trajectensium, quàm eum diversis notabilibus personis, Vassallis & subditis, aliisque Consiliariis suis, idem Reverendissimus maturâ deliberatione, consilio, avisamento dictorum Prælatorum & Canonicorum, quinque Ecclesiarum, pro se suisque Successoribus Episcopis Trajectensibus, propter causas præallegatas, & felici successu, suam Civitatem Trajectensem, Oppida de Amersfort, Rhenen & Wyck, omniaq; alia Oppida, Castra, Fortalicia, munitiones & loca, Fortalicium OP DIE VAERT, cum bombardis, machinis, munitionibus, mobilibus bonis ad præmissa Oppida & Fortalicia spectantibus, etiam omnes Villas, vicinia, fertellas, domi-stadia, omnes excisias, census, redditus, emphiteoses, terras, pascua, silvas, decimas, vena, Jura Patronatûs tam laïcalia quam castralia, omnia Theolonia ac Theoloniorum jura, omnia feuda & vasallagia: simili modo omnia Dominia, justitias & jurisdictiones altas, mediocres & bassas, & in effectu omnem temporalitatem, & secularem jurisdictionem, aliaque servitia & jura qualiacunque, quos, quas & quæ idem Dominus noster Reverendissimus habet ratione Episcopatûs in Civitate Trajectensi, alia Oppida sua, Castra, Fortalicia, loca, terras, & Dominia dictæ inferioris Patriæ Trajectensis, cum omnibus pertinentiis & dependentiis suis, ac libris feudorum, redditituum, ac certis registris, computationibus, & aliis scripturis ad præmissa spectantibus, nullis seclusis, præfato Domino gloriosissimo Principi & Domino CAROLO Romanorum Imperatori Quinto, Hispaniarum Regi, pro se suisque heredibus & Successoribus, ut & tamquam Ducibus seu Ducissis Brabantiæ, ac Comitibus sive Comitissis Hollandiæ, donavit, transtulit ac cessit, prout de præsenti donat, transfert ac cedit, ad ulterius per illum & suos, ut præmittitur, qualificatos, (perpetuis futuris temporibus) regendum, gubernandum, regique & gubernari faciendum, illisque liberè frui & gaudere tamquam suis propriis bonis.

QUAPROPTER idem Dominus noster Reverendissimus dictam Civitatem Trajectensem, ac alia Oppida, Castra, Fortalicia, domus & terras inferioris Patriæ Trajectensis, omnes Marschalcos, Scultetos, aliosque Officiarios, vassallos, viros feudales, ac alios Nobiles & ignobiles, Ecclesiasticos & seculares, incolas & inhabitatores illius & illorum, in quantum temporalitatem & jurisdictionem secularem de terris, Civitatis

Civitate, Oppidis, Fortalieiis, & aliis locis inferioris Patriæ Trajectensis concernit aut attingere possit, quitavit, exoneravit & absolvit, ac pro nunc quitat, exonerat & absolvit ab omni subjectione, obligatione, juramentis ac promissionibus Reverendissimæ Paternitati suæ quomodolibet factis.

Et hoc ad usum & utilitatem Cæsareæ Majestatis, & suorum heredum & Sueeessorum Dominorum & Dominarum Brabantiæ & Hollandiæ: & in absentia Cæsareæ Majestatis idem Dominus noster Reverendissimus easdem transportationem, cessionem & absolutionem fecit, ac de præsenti facit ad usum ejusdem suæ Majestatis, ac heredum Brabantiæ & Hollandiæ; in personam Nobilis & generosi Domini Nepotis sui, Domini Anthonii de Lalaing, Comitis de Hoochstraten, qui hujusmodi translationem, transportationem & cessionem, tamquam Procurator & Ambasiator, ad hoc per Cæsaream Majestatem specialiter deputatus vigore literarum Commissariorum dictæ Cæsareæ Majestatis, in Oppido Mechliniensi, die octavâ mensis Septembris, hoc præsenti anno millesimo, quingentesimo, vicesimo octavo, debitè sub magno Sigillo expeditarum, Reverendissimæ suæ Paternitati ostensarum, ad usum dictæ Cæsareæ Majestatis suorumque Successorum Ducum & Ducissarum Brabantiæ, ac Comitum & Comitissarum Hollandiæ acceptavit, stipulando, consentiendo, & requirendo Civitatem, Oppida, Castra & Patriam Trajectensem, Vasallos, aliasque personas prædictas Ecclesiasticas & seculares, inferioris Patriæ Trajectensis, quod ipsi omnes ac singulariter singuli ac quilibet eorum in solidum, in subjectione & obedientiâ Cæsareæ Majestatis, suorumque Sueeessorum in qualitate superscripta, se dent, constituant & ponant; Ipsumque tamquam eorum verum, perpetuum & naturalem Principem & Dominum acceptent, recipiant, & homagium & juramentum faciant, eidem subjecti sint & obediant;

Reservatis nihilominus Domino nostro Reverendissimo, suisque Sueeessoribus Episcopis Trajectensibus suâ Ecclesiasticâ Jurisdictione, ac Domo Episcopali in Civitate Trajectensi duntaxat, pro congrua ipsius suorumque Sueeessorum habitacione, prout hæc & alia in Litteris desuper confectis manu propriâ ejusdem Reverendissimi Domini nostri ac Sigillo suis propriis subscriptis & sigillatis, ibidem per Magistrum Jacobum de Broeckhoven Secretarium lectis, latiùs habentur & continentur.

CAPUT CXXXVI.

Caroli V. *Cæsaris Litteræ ad Clerum Ultrajectensem datæ anno 1528, super Cessione Dominii Ultrajectensis, de quo Cap. præcedenti.*

Venerabilibus, devotis, Nobis dilectis Prælatis & Capitulis quinque Ecclesiarum Trajectensium, Carolus divinâ favente Clementiâ &c. Romanorum Imperator semper Augustus.

Venerabiles, devoti, dilecti, intelleximus, tam per Literas Dominæ & Amitæ nostræ charissimæ, quàm per copiam Tractatûs vestri, cum nostris Procuratoribus absoluti & conclusi, vos uno ore unoque consensu admisisse, ut Nobis tamquam Duci Brabantiæ & Hollandiæ Comiti, per Antistitem vestrum cederetur & transportaretur Civitas Trajectensis, unà cum Oppidis, Castris, Fortalieiis, cum omnibus suis munitionibus bellicis, omnique supellectili dictorum Castrorum & Fortaliciorum; præterea omne Dominium & temporalis Jurisdictio, partium tam superiorum quàm inferiorum dicti Trajecti, prout in prædicta copia ejusdem Tractatûs latiùs continetur; Nos igitur pro singulari vestro tam propenso in Nos animo, non potuimus non clementissimè affici, ingentesque inde vobis & habemus & agimus gratias, vobis pollicentes insignem illam vestram operam, quam in hoc officio nobis præstitistis, nequaquam in immemorem; & multò minùs in ingratum Principem contulisse, summâque confidentiâ de Nobis sperare vos posse, quam pacis vitæque tranquillæ spem concepistis.

Datum in Civitate nostrâ Toleti, postridie Kalendas Decembris, anno salutis humanæ millesimo, quingentesimo, vicesimo octavo. Subscriptum *Charles*, & deinde sic, *Lalemandut.*

CAPUT CXXXVII.

Clemens VII. *Pontifex abdicationem temporalis Dominii Ultrajectini factam ab* Henrico *Episcopo, &* Caroli V. *Cæsaris acceptationem ratam habet, anno 1531.*

Additio ex supplemento ad Historiam Ultrajectin. Hedæ, per Hortensium.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex ad quem sicut omnium rerum spiritualium cura pertinet, ita bona quoque temporalia ad quascunque Ecclesias spectantia, ipsius sunt dispositionis, pro Pastorali Officio sibi demandato ea assiduè agit, & meditatur; per quæ Ecclesiæ ipsæ tam Cathedrales quàm Collegiatæ, & illarum Episcopi & Prælati quietè & tranquillè, ac pacificè vivere possint.

Et si quando contigit Episcopos & Prælatos ipsos à suis Sedibus & Ecclesiis violenter eji-

ci & extrudi, & propterea ad sæcularium Principum opem implorandum confugere, ipsorumque sumptibus, viribus & copiis in pristinas Sedes rursus reponi, & restitui, ac per eos in tantorum beneficiorum remunerationem bona ipsa temporalia, & sæcularem eorum jurisdictionem iisdem Principibus liberatoribus concedi, & in eos transferri:

PONTIFEX ipse tales concessiones & translationes auctoritate Apostolicâ approbare, & confirmare, ac de novo concedere consuevit; ut eo scilicet pacto, & ipsarum Ecclesiarum incolumitati consulatur, & earum Episcopi & Prælati in quiete, tranquillitate & securitate constituantur, prout id in Domino conspicit salubriter expedire.

SANE licet à longis retroactis temporibus ad omnes Episcopos Trajectenses, qui pro tempore fuerunt, Dominium tam spirituale quàm sæculare Ecclesiæ Trajectensis ac plurium Oppidorum, locorum & Castrorum tam in Agro Trajectensi, quàm in partibus superioribus Patriæ Transysselanæ consistentium plenissimo jure pertinuerit;

NIHILOMINUS dilectus filius Nobilis Vir, CAROLUS Dux Gelrię præter jus & fas primò bonę memoriæ FREDERICUM Marchionem Badensem, olim Episcopum Trajectensem, quoddam ex ipsis Oppidis manu armatâ ac militari spoliavit, illudque violenter occupavit; ad quod rursus vindicandum, idem FREDERICUS Episcopus ingentes expensas, innumerosque labores subire coactus fuit.

ET deinde idem CAROLUS Dux, similis memoriæ PHILIPPUM DE BURGUNDIA etiam Episcopum Trajectensem, pluribus ex eisdem Castris & Oppidis vi & armis spoliavit, sibique injustè usurpavit. Pro quibus recuperandis, licet magni sumptus à prænominatis Episcopis facti, pecuniæque ingentes erogatæ fuerunt, tamen ea loca sic occupata, in manibus & potestate ipsius Ducis CAROLI permanserunt, usque ad tempus quo dilectus Filius HENRICUS Comes Palatinus, & Dux Bavariæ in Episcopum Trajectensem Electus, & electio hujusmodi Apostolicâ forsan auctoritate confirmata extitit.

QUI quidem HENRICUS Electus animadvertens, quot damna & incommoda Prædecessores sui Episcopi Trajectenses subierant, ut ea quoquo pacto resarciret, ac paci, quieti, securitatique suæ, ac subditorum suorum consuleret: talem concordiam operâ & interventu Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Treverensis, cùm eodem Carolo Duce iniverat, ut ipse HENRICUS Electus ei summam quinquaginta millium florenorum enumeraret, & quorumdam Castrorum occupatorum usum-fructum ad ejus vitam dimitteret. Quæ quidem Castra eo defuncto rursùs ad Ecclesiam redirent, sed eâ lege, ut si proles legitima ex eo superesset, illi proli duntaxat quinquaginta millia florenorum persolverentur: cætera verò Castra sic occupata extunc eidem Henrico Electo restitui deberent, prout mox etiam restituta fuerunt.

ET quamvis dictus HENRICUS, eâ concordiâ sic stabilitâ, omninò speraret se deinceps summâ in pace & tranquillitate, unà cum subditis suis permansurum: nihilominus ipse CAROLUS Dux oblatâ occasione, quòd idem HENRICUS Electus interim populari seditione fuerat repulsus, immemor fœderis & concordiæ, hujusmodi Castra & Oppida Patriæ Transysellanæ invadere, atque obsidione premere veritus non fuit.

ET cùm Castrorum & Oppidorum prædictorum Consules & Præfecti ad opem & auxilium implorandum ad dictum HENRICUM Electum confugissent, & ille utpote ex sua Civitate ejectus, opibusque exutus minimè opitulari potuisset, quod reliquum fuit eis per Litteras suas, ut à Capitaneo carissimi in Christo Filii nostri CAROLI Romanorum & Hispaniarum Regis Catholici in Imperatorem electi, qui Frisiæ præerat, auxilium deposcerent, concessisset, & ipsum CAROLUM Regem, qui etiam Dux Brabantiæ & Comes Flandriæ & Hollandiæ extitit, in Dominum cognoscerent, licentiam dedisset (absolvendo eos ab hommagio sibi præstito, ac juramentum fidelitatis eis relaxando; ac dicti Consules ad hoc deputati, Litterarum earumdem vigore post quædam Capitula cùm ipsius CAROLI Regis Ministris confecta, inter cætera continentia, ut dictus CAROLUS Rex quàm primùm exercitum instruere, ac bellum ipsi CAROLO Duci inferre deberet) se ipsi CAROLO Regi dederant, & hommagium & juramentum fidelitatis ejus tunc Procuratori præstiterunt.

ET cùm interim populus Trajectensis de Electo restituendo, & si eis venia daretur, rursus in Civitatem revocando pertractasset, Dux ipse dolo & fraude quorumdam seditiosorum allectus, Civitatem Trajectensem clandestinè occupavit, eamque hostiliter diripuit, & ut scelus sceleri adjungeret, Ecclesias prophanare, illarumque bona invadere ac diripere & auferre veritus non fuit. Quinimò quæ ad divinum cultum erant destinata sacrilego conatu ademit, atque usurpavit.

PROPTER quæ ipse HENRICUS Electus tot undique molestiis & ærumnis circumventus, ad dilectam in Christo Filiam Nobilem Mulierem MARGARETAM Archiducissam Austriæ, pro dicto CAROLO Rege in partibus Flandriæ Progubernatricem, necnon ipsius CAROLI Regis in Ducatu Brabantiæ & Comitatu Hollandiæ Procuratorem confugere, & adversùs tam atrocem injuriam, horrida facinora, necessariam opem implorare coactus fuit.

ET cùm dictam MARGARETAM ad id promptissimam invenisset, & mox certus dicti CAROLI Regis Capitaneus valido exercitu, magnis quidem sumptibus, coadunato & sub signis constistituto in Ducatu dicti CAROLI Ducis, impetum fecisset, ac Oppida sub ipso Duce violenter occupata recuperasset, & ipsum HENRICUM Electum in sua Civitate, à qua ejectus fuerat, restituisset; præfatus HENRICUS Electus tot calamitatibus ope ipsius Caroli Regis tandem liberatus, animadvertens se & Civitatem ipsam, ac tot Castra & Oppida & municipia ad suam Ecclesiam Trajectensem spectantia, non sine magna impensa, sibique intolerabili, diutiùs retinere, nec de expensis pro exercitu in ejus defensionem

&

& fubfidio comparato factis, præfato Carolo Regi fatisfacere poffe, ac cupiens dicto Carolo Regi ob tot in fe collata beneficia gratiam aliquam referre, & demum fuorum fubditorum quieti & tranquillitati, ac fecuritati confulere, eofque ab imminentibus periculis & futuris incommodis præfervare;

Ex præmiffis, & aliis non minoris momenti caufis, Civitatem ipfam ac Oppida, Caftra, Municipia, & loca partis inferioris Trajectenfis ad ipfum HENRICUM Electum, fuofque Succeffores Epifcopos Trajectenfes, ac Menfam Epifcopalem Trajectenfem legitimè fpectantia, cum illorum machinis, tormentis, bombardis, ac omnibus & fingulis juribus, pertinentiis, jurifdictione temporali, necnon Vafallis, Officiariis, fubditis & incolis fuis, in ipfum CAROLUM Regem tranftulit, & transfudit,

AC omnes excifias, cenfus, redditus, emphiteofes, terras, pafcua, decimas, vineas, fylvas, Jura Patronatûs tam Laïcalia quàm Caftralia, necnon omnia thelonea & theloneorum jura, ftudia, Vaffallagia, Dominia, & ut vulgò dicunt, altas, medias, & baffas jurifdictiones, & demum omnem temporalem & fæcularem jurifdictionem, aliaque fervitia & jura quæcumque ad eum ratione dictæ Ecclefiæ Trajectenfis in Civitate, Oppidis, Caftris, fortalitiis, terris, locis, Dominiis, & utraque Patria tam Tranfyffellana quàm Cifyffellana prædictis quomodolibet fpectabant & pertinebant, cum omnibus & fingulis eorum pertinentiis & appenditiis, ac Libris feudorum ac redditurum, chartis, regiftris, computis & aliis fcripturis præmiffa concernentibus, præfato CAROLO Regi tamquam Brabantiæ Duci & Hollandiæ Comiti, pro fe, & Succefforibus Ducibus Brabantiæ & Comitibus Hollandiæ, feu ejus tunc legitimo Procuratori, fub Sedis Apoftolicæ beneplacito conceffit & donavit, ac in eum tranftulit:

NECNON omnes & fingulos Vafallos, Officiales, fubditos, & incolas prædictos à juramento fidelitatis, & alia quacunque obligatione, quâ fibi ut Domino temporali tenebantur, abfolvit: eifque, ut à præfato Carolo Rege extunc de cætero auxilium implorare, illique ac heredibus, & Succefforibus, tanquam Ducibus Brabantiæ & Comitibus Hollandiæ homagium & juramentum fidelitatis præftare valerent, liberam licentiam exprefsè conceffit;

RESERVATA fibi, ac Succefforibus fuis Epifcopis Trajectenfibus, folâ jurifdictione fuâ fpirituali per Civitatem prædictam & Diœcefim Trajectenfem, unà cum domo fua Epifcopali in eadem Civitate confiftente, & una alia domo extra Civitatem in Diœcefi fua Trajectenfi fita, in qua ipfe, & Succeffores fui Epifcopi Trajectenfes cum fua Familia, quietis & otii gratiâ confidere poffent.

SIC tamen quòd ipfe CAROLUS Rex, HENRICO Electo, & Succefforibus prædictis, nomine annuæ penfionis duorum millium Caroleorum aureorum pro dote ejufdem Ecclefiæ perfolveret; ac præmiffa omnia acta & conftituta fint cum fcitu & expreffo confenfu dilectorum Filiorum Præpofitorum, Decanorum, & Capitulorum prædictæ Majoris, & Collegiatarum Sancti Salvatoris, Sancti Petri, Sancti Joannis & B. Mariæ Trajectenfium Ecclefiarum,

QUI habitâ maturâ confultatione, diligentique examine, ea omnia approbarunt & rata, firmaque & ftabilia effe voluerunt. Ipfique Præpofiti, Decani, Capitulaque, qui tempore quo præfatus HENRICUS Electus Confulibus, & Deputatis Patriæ Cifyffellanæ hujufmodi per fuas Litteras concefferat, facultatemque tribuerat ut dictum CAROLUM Regem in Dominum recognofcerent, ac illi homagium, & fidelitatis juramentum præftare poffent, à Civitate erant expulfi, nec in loco Capitulari fimul convenire & confultare poterant. Jam tunc de præmiffis omnibus quæ tunc temporis peracta fuerant, plenam notitiam habentes, maturâ cum deliberatione, debitifque & confuetis tractatibus præmiffis, omnia per Henricum Electum, ac Confules & Deputatos Caftrorum Patriæ Tranfyffellanæ, vigore Litterarum Henrici Electi eis conceffarum gefta & facta in omnibus & per omnia approbarunt & ratificarunt.

ET infuper iidem Præpofiti, Decani & Capitula planè confiderantes id quod multis experimentis didicerant, propter electiones Epifcoporum in difcordia factas (cum alii aliò traherent, & fuis quifque factionibus inhæreret, Civitatem, univerfumque populum, atque etiam ipfofmet in ærumnis & calamitatibus frequenter incidiffe) ne quid tale extunc deinceps eveniret, ultro ac fponte eidem Carolo Regi tanquam Duci Brabantiæ & Comiti Hollandiæ conceffèrunt, ut quoties contingeret Ecclefiam Trajectenfem carere Paftore, nullus in eorum Epifcopum eligendi jus, vel poteftatem haberet, præterquàm ille, quem dictus Carolus Rex ut Dux Brabantiæ & Comes Hollandiæ fignificandum, infinuandum, nominandumque duceret.

ADJICIENTES etiam ut nullus in Decanum alicui ex quinque Ecclefiis antedictis præficeretur, nifi qui ipfi Carolo Regi gratus & acceptus foret. Et cum tunc *Procurator dicti Caroli Regis præmiffa omnia approbaffet, acceptaffet, & rata habuiffet, ipfi Præpofiti & Decani tam Procuratorem, quàm Henricum Electum præfatos, ad Majorem Ecclefiam comitati funt. Et ibidem Procuratorem in tabernaculo decenter ornato collocarunt, Epifcopo & nonnullis Præpofitis ac Decanis earumdem Ecclefiarum in fuo quifque ftallo, ut moris eft, conftitutis, & deinde hymno *Te Deum Laudamus* altâ voce jucundè & alacriter decantando, ac Miffâ folemni à quodam Epifcopo celebratâ, rurfus Henricum Electum & Procuratorem præfatos ad Domum Epifcopalem comitati funt.

Ordinatio quoad electionem Epifcopi Trajectenfis.

*Procurator Antonius de Lalaingé Eques Aurei Velleris; de quo fupra pag. 601.

Electoque ibidem relicto, mox dictus Procurator Prælatis & Nobilibus plerifque comitantibus ad publicum Urbis Palatium fe contulit, atque inde ad Domum privatam cujufdam civis fatis magnificè inftructam divertit, pulfatâque campapâ ad cujus fonitum populus in unum convenire folet, Nobilibus, aliifque di-

ctæ Civitatis Ordinibus in conspectu ejusdem Procuratoris aggregatis, perfectâque juramenti formulâ, quâ communi dicto Carolo Regi erant præstituri, Populus universus denudato cujusque capite, duobusque digitis dexteræ manûs sursum erectis, juxta morem qui jurejurando inibi observatur, solemne juramentum præstiterunt; & vicissim dictus Procurator ipsius Caroli Regis nomine, honestè beneque tractare, & ab ingruentibus malis & periculis protegere & tueri, ac in omnibus boni clementissimique Domini officio fungi promisit, & ad ea observanda jurejurando se astrinxit.

Quæ omnia tam Henricus Electus, quàm Capitula præfata proponi fecerunt in Consistorio nostro coram Nobis, petentes ea, ut stabiliora sint, ac plus roboris & firmitatis obtineant, Apostolicâ auctoritate approbari ac confirmari, ac de novo concedi. Nos igitur habitâ super his, cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctę Romanę Ecclesiæ Cardinalibus maturâ deliberatione & discussione, Electum & singulares personas Capitulorum hujusmodi à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, de eorumdem Fratrum consilio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine translationem temporalis jurisdictionis, Civitatis, Castrorum & Oppidorum, tam Patriæ Transysselanæ superioris, quàm Patriæ Trajectensis inferioris, ac aliorum jurium prædictorum, in ipsum Carolum Regem tanquam Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ, ac illorum Donationem, ac alia per eundem Henricum Electum, de eorumdem Capitulorum consensu facta, Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus & confirmamus.

Præterquam quoad cassationem pensionis, in eventum unionis Mensæ Episcopalis Trajectensis beneficiorum Ecclesiasticorum valore dictæ pensionis.

Supplentes omnes & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac potiori pro cautela Civitatem & Castra ac alia jura prædicta eidem Carolo Regi, & Successoribus suis Ducibus Brabantiæ & Comitibus Hollandiæ in perpetuum de novo concedimus;

Ac electiones per Capitula ipsa in Episcopum Trajectensem, absque ipsius Caroli Regis, & Successorum suorum Ducum Brabantiæ & Comitum Hollandiæ prædictorum nominatione, necnon electiones Decanorum Ecclesiarum hujusmodi, illorum Decanatuum occurrente vacatione, de aliis personis, quàm Carolo Regi, & ipsius Successoribus præfatis, gratis & acceptis, pro tempore factas, nullas, nulliusque roboris vel momenti existere eâdem Auctoritate decernimus.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Panormitano & Episcopo Castelli-maris, ac dilecto Filio Decano Ecclesiæ S. Lebuini Daventriensis, Trajectensis Diœcesis, per Apostolica Scripta mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios Carolo Regi & Successoribus suis prædictis, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Auctoritate nostrâ præsentes Literas, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos quos Literæ ipsæ concernunt, illis pacificè frui & gaudere:

Non permittentes eos desuper contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, inquietari aut perturbari. Contradictores auctoritate nostrâ per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo, non obstantibus felicis recordationis Pauli Papæ secundi Prædecessoris nostri, & quibusvis aliis Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis similes approbationes fieri prohibentibus Constitutionibus; necnon Majoris, & Ecclesiarum aliarum prædictarum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis & consuetudinibus, Privilegiis quoque & Indultis Apostolicis Episcopo Trajectensi pro tempore existenti, & dictarum Ecclesiarum Capitulis sub quibuscumque tenoribus & formis concessis, approbatis & innovatis:

Quibus omnibus, tenores illorum præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat specialiter & expressè derogamus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de Indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, concessionis, decreti, mandati & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum: Anno Incarnationis Domini MDXXIX. XIII. Calendas Septembris, Pontificatûs nostri anno VI. 1529.

CAPUT

Additio. (1) Henricum Bavariæ Ducem hujus suæ Cessionis postmodum pœnituisse fama est; qui vel ideo ab Ultrajectensibus exosus atque contemptus, ac dictus vernaculè *den blauwen Bisschop*, Episcopatum Ultrajectensem anno 1529. in manus Clementis VII. Papæ resignavit, atque in superiorem Germaniam rediit. Hic præter Præposituram opulentam Elwangensem, obtinuit quoque Episcopatus Wormaciensem & Frisingensem, & obiit anno 1554.

Successit in Episcopatu Ultrajectensi *Guilielmus Enckenvoirt* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, de quo vide supra pag. 472.

CAPUT CXXXVIII.

Epistola FRANCISCI COMITIS A WALDECK; *Episcopi Monasteriensis, ad* PAULUM III. *Papam anno* 1534; *quâ exponit miserabilem Urbis suæ Monasteriensis oppressionem per Anabaptistas, quidque pro eorum extirpatione egerit.*

Additio ex Literis Ms. Vigilii Zuichemi, quæ extant in collegio ejus Lovanii.

INtempestivum videri posset, BEATISSIME PATER, felicia Maximi Ponificatûs tui auspicia acerbis querimoniis de fatalibus hisce malis calamitatibusque nostris interpellare, nisi extrema rerum necessitas hoc tempore omni prope humanâ nos ope destitutos, nostrisque jam dudum penè in universum consumptis & exhaustis viribus, ad tuam Sanctitatem veluti ad sacram anchoram confugere compelleret: quò Ea nunc Religionem Christianam Rempublicamque nostram detestabilium nefandorumque errorum procellis penè obrutam & demersam ab tristissimo isthoc naufragio liberet ac conservet.

DABIS itaque veniam, BEATISSIME PATER, & huic ultimæ necessitati, gravissimisque periculis, & ærumnis, in quibus miserè fluctuamus, ascribes, quod pro consueto gratulationis officio, miserabili Religionis & Reipublicæ nostræ casu, serena & tranquilla Pontificatûs tui initia inquietare ausi sumus.

IN hisce porrò difficillimis periculosissimisque negotiis, quibus ab initio nostræ administrationis variè jactati fuimus, non minimo nobis fuit solatio & gaudio, quod Te ab Amplissimo Cardinalium Collegio Pontificem Maximum renunciatum fuisse intelleximus. Quo non alius scilicet hâc tempestate, tanto apici dignitatisque fastigio magis dignus, magisve idoneus, qui tot tamque gravium errorum procellis fluctuantem Germaniæ Rempublicam restituat, atque in tranquillum tandem portum reducat, creari potuit. Quam quidem opinionem toti orbi maximæ tuæ dotes jam dudum excitaverunt: quas hic referre non injucundum equidem nobis foret, nisi rerum nostrarum lamentabilis tristisque fortuna adeo nos permoveret urgeretque, ut omnis nostra impræsentiarum cura atque cogitatio ad investigandum salutis nostræ remedium præsidiumque nos revocaret.

IN hac autem rerum nostrarum calamitate, eximiæ bonitatis maximarumque virtutum tuarum famâ præconioque excitati, non modicam concepimus fiduciam, ut tuæ Beatitudini miserabilem Monasteriensis Ecclesiæ casum indicare, Eidemque supplicare auderemus, ut Ipsa nobis de Beatitudinis suæ gremio, & eximiæ prudentiæ pectore opem consiliaque communicare non dedignaretur; quo hanc amarissimam tempestatem, quæ fatale toti orbi exitium minitatur, avertere valeamus.

QUAMQUAM verò non est apud nos dubium, quum ob periculi nostri diuturnitatem gravitatemque, tum verò ob execrabilium errorum novitatem ad tuam Sanctitatem jam antea aliquam rerum nostrarum famam delatam esse: quò tamen ipsam hujusce negotii veritatem Sanctitas tua intelligat, cùm rerum gestarum, tum detestabilium errorum capita breviter percurremus.

TERTIUS nunc agitur annus, quod Nos Monasteriensis Ecclesiæ Administrationem Dei Apostolicæque Sedis gratiâ suscepimus. Jam tum autem publicum statum non minimis illic dissidiis Religionis causâ pridem obortis perturbatum comperimus. Nihilque statim potius habuimus, quàm ut gliscentes illic seditiones componeremus, intestinaque odia, quæ intra Monasterium Civitatem celeberrimam atque antea facilè florentissimam totius Westphaliæ excitata animadvertimus, consopiremus: mutuamque concordiam inter Clerum, Nobilitatem & Cives restitueremus. Quod equidem nobis quantumvis sedulò conantibus, ea tamen maximè de causa perficere non licuit, quòd populi vulgique, ad tumultum nimis propensi, animi omnibus rectis quietisque consiliis reluctarentur; atque adeo jam plebeia vis potentiaque increvisset, ut neque consilio regi, neque imperio nostro compesci deinceps posset.

DEUM quippe Optimum Maximum testamur, nihil nos intentatum reliquisse, omnesque vias & rationes expertos fuisse, quò præsentem hanc dirissimam ærumnam averteremus. Quinimò aliquando iniquas conditiones subivimus, quò publico eos fœdere obstringeremus, nequid ulteriùs novarent, odiisque suis modum ponerent.

VERÙM ubi cœpere Anabaptisticæ Sectæ nefanda Dogmata paulatim suppullulascere, veteribusque erroribus novi accrescere: omnia proh dolor! humana divinaque jura improbissimorum impiissimorumque hominum colluvies suæ cupiditati insaniæque postponens, præsentem nobis acerbissimam excitavit Tragœdiam.

COEPERE autem rebaptizare sub anni trigesimi quarti supra millesimum quingentesimum, initium: innumerosque subindè protulêre errores sacrilegi hujus Sectæ Authores, quibus Rebaptizatos obstringerent; 1534.

NON eos tantummodò, quos ceteri Anabaptistæ jam dudum fuêre commenti: videlicet de communicandis facultatibus, aliosque ejusdem generis, jam antea Piorum Doctorumque scriptis proditos & confutatos: verùm novas inauditasque excogitavêre hæreses: scilicet ut Religionem Christianam totam simul obruerent, & confunderent. Nam peccantibus pœnitentiam concedi, ipsum etiam Redemptorem nostrum Christum ex Diva Virgine carnaliter natum, inficiari sunt ausi.

EXTITEREQUE inter eos novi quidam Prophetæ

Prophetæ, cùm Deo sibi secreta fingentes colloquia, vanissimisque responsis & oraculis simplicem plebem miserè ludificantes. Libris verò & omnibus Scriptoribus tam veteribus quàm novis, linguis item atque literis omnem fidem authoritatemque abrogavêre.

Et ne aliqua vetustatis memoria apud eos remaneret, omnia simul literarum monumenta concremavêre: palàm ac clarè professi Christianæ fidei lucem veritatemque post ipsa statim Apostolorum tempora per homines doctos obscuratam fuisse, eaodemque nunc Deum per imperitos simplicesque restituere velle.

Infinitos verò alios errores, quos principio proferre non sunt ausi, cum temporis progressu invexerunt. Initio tamen quum hæc Secta exoriretur, nonnullam innocentiæ speciem præ se ferebat: quâ simplici plebi vafri scelestique authores facilè imposuêre.

Etenim qui eorum dogmatis nomen dabant, suas facultates sponte in communem usum conferre, vestitûs omnem ornatum deponere; nullis sese humanis commerciis miscere, & perfectam quamdam vitam ducere jubebantur: donec statim crescente ipsorum numero, simulata innocentia detegi cœpit. Secretisque conspirationibus & consiliis eò rem perduxêre, ut armis Civitatem, frustrà ac serò renitentibus bonis quibusque civibus, occuparent.

Nec id fuit satis: Sacras illico omnes Ædes violârunt, spoliaveruntque: suburbanum Templum vetustissimum incenderunt: quotquot nollent in eorum concedere Sectam, Urbe exegerunt. Quo nullum profectò potuit esse tristius spectaculum: neque enim vel ætati, vel sexui, vel Ordini ulli pepercerunt, miserèque ab focis & laribus, quotquot rebaptizari nollent, expulerunt.

Qua quidem indignitate rei, Nos (uti par erat) graviter commoti, cùm certò provideremus hunc eorum furorem non constiturum intra unius illius Civitatis mœnia, cùmque in vicinis Oppidis & Vicis, atque etiam Regionibus scintillæ magnæ ejusdem incendii jam volitarent, quâ potuimus celeritate militem contraximus. Urbem circiter Calendas Martias anno 1534. obsidere cœpimus: ac nihil omisimus quo tantum periculum tantamque vastitatem ab Ecclesia nostra averteremus. Quo illud quidem effecimus, ut impiissimam sceleratissimamque Sectam longiùs latiùsque grassari prohiberemus.

Capere verò vel expugnare Urbem, cum aliquoties magnis viribus justoque prælio tentassemus, propter ipsius tamen incredibilem munitionem, desperatorumque hominum diligentissimam defensionem spe nostrâ frustrati sumus.

Itaque mutato obsidionis genere majorem exercitûs partem exauthoravimus, complura propugnacula & munimenta ereximus, eisque præsidia ter mille peditum, equitum verò trecentorum imposuimus, fossâque & aggere propugnacula ipsa circum Urbem junximus, ut omnem commeatus importandi, vel excurrendi facultatem hostibus inhiberemus. Et hic in præsenti obsidionis status durat.

Anabaptistarum verò qui intra Urbem agunt incredibiles errores, abominandaque facta & consilia, quæ vel ex eorum libris, vel ex captivorum, transfugarumque confessionibus quæstionibusque explorata, & comperta habemus, nimis fuerit longum perscribere.

Illud tamen non est prætereundum, quod tametsi vulgò hæc Secta ab iterato Baptismi Sacramento cognomen habeat, multas tamen alias sceleratissimas planèque detestabiles sub se hæreses comprehendat.

Qualis est illa caput ferè totius eorum doctrinæ, quòd tradunt Christum in terris adhuc Regnum sibi à Patre promissum suscepturum: debuisse autem antea, omnia quæ ad Christi doctrinam pertinent, collabi: & collapsa esse haud multò post Apostolorum tempora ad hunc usque diem. Nunc verò adesse tempora restitutionis, quibus scilicet Regnum Israël restitui debeat, in quo excisis impiis soli pii & justi victuri sint, id quod ex subnotatis ferè Sacræ Scripturæ locis astruunt: Actorum tertio, *Pœnitemini*, &c. *usque ad tempora restitutionis*, &c. Matth. 13. item Matth. 21. 25. Lucæ 19. Act. 1. Rom. 11. II. Thessal. 1. Act. 3. Act. 15. Isaiæ 3. 4. 33. 40. 49. 51. 52. 54. 61. 62. 65. 66. Hier. 3. Daniël. 2. 7. Ozeæ 2. Joelis 2. 3. Amos 9. Micheæ 4. Aggæi 2. Zachariæ 8. Malach. 4. Psalmo 9. 17. 20. 21. 22. 26. 45. 46.

Itaque Propheta quispiam superiore autumno inter eos surrexit, à Deo revelatum sibi affirmans, ut Regem denunciaret, qui viam Domini præparet, qui impios (quos omnes eos esse censent, qui ipsorum erroribus non concedunt) gladio persequatur & extinguat.

Designatus autem est ab eo Rex Sartor quispiam, homo juvenis, viginti sex, plùs minùs, annos natus. Qui à populo receptus, illicò facultates in communem antea deportatas usum, sibi usurpavit, Regiumque Diadema, ceteraque Insignia & ornamenta pretiosissimè fieri curavit, familiamque & comitatum sibi mirâ magnificentiâ & fastu delegit, & planè Tyrannicum quoddam imperium superbissimè arripuit. Certò asserens se à Deo Regem esse ordinatum, ut totum sibi orbem subjiciat, omnemque humanam potestatem, omnia Regna & Leges abroget, & evertat, Regnumque Israël restituat, in quo soli justi, æquali omnes conditione & libertate, summâ felicitate & pace fruantur.

Eaque opinio editis libris, & per Emissarios, & quos Prophetas vocant, passim denuntiata, ita credulæ plebi persuasa est, ut omninò in sceleratissimam ejus factionem, maximè vulgi animi, jam inclinati sint. Multisque in Urbibus jam tentavêre nonnulli ad hunc Tyrannum desciscere: qui magnos profectò motus excitassent, nisi in tempore Deus impia consilia detexisset.

Obsidionis porrò tempore sceleratissimis opinionibus aliud etiam fœdissimum dogma ab hujus Sectæ authoribus adjectum est; quo Sacrosancti Matrimonii fides, non uno quidem simplicive modo, sed errore errori accumulato penitus contaminata est.

Nam

Nam cum gravidam Uxorem attingere capitale ducant, Uxorum tamen numerum liberum esse volunt. Itaque & ipse Rex multas habet Conjugum titulo sibi copulatas Fœminas: & cum ducta displicet, non dimittitur, sed impunè alia assumitur. Quo quidem velamento bellè scilicet adulteria sua spurcissimasque fornicationes tegi arbitrantur.

Infinita verò alia sunt horum Anabaptistarum, non errorum aut hæresum nomine digna, sed talia paradoxa, ut omnino Antichristo venturo viam sternere, omnia legitima Imperia, bonas Leges, Orthodoxam Religionem subvertere, probitatem ac virtutem è vita humana tollere, Naturalia, Divina, Civiliaque Jura simul confundere velle videantur.

Quorum si conatus processerit, quæ rursus barbaries, quanta immanitas, ignorantiaque, & quale non sit futurum hujus orbis chaos, Sanctitatis Tuæ insignis prudentia ipsa per se perpendere potest.

Coepit autem hoc malum apud Nos: sed tanta ejus est contagio, ut citissimè alias regiones nationesque infecturum sit, nisi hic semel ab ipsis radicibus excisum fuerit.

Nos vero, non solùm ut commissum nobis hujus Diœcesis ditionisque regimen omni vigilantiâ obiremus, tantamque pestem ab nostro populo propelleremus, verùm etiam, ne hinc ad alios tam grave incendium progrederetur, totis viribus occurrimus, ac ultra octies centena florenorum millia in Anabaptisticum isthoc bellum insumpsimus. Adeoque ejus diuturnitate exhausti sumus, ut ad extremum venerimus, nec in nostra sit potestate crudelissimum immanissimumque tyrannum longiùs diutiùsve reprimere.

Porrò dum mente reputamus, quantum toti Germaniæ, totique Christianæ Ecclesiæ periculum immineat, si nobis hostilibus furiis cedere coactis, Anabaptisticus Rex solutâ obsidione Urbis, per Orbem impunè grassari cœperit, nihil planè omittere voluimus, quo tanto malo occurrere posse speraremus. Saltem ut coram Deo Optimo Maximo omnibusque mortalibus vivis ac posteris, quidquid à nobis fieri debuit aut potuit, id summâ diligentiâ sedulitate ac sollicitudine implevisse Nos, testatum relinqueremus.

Quamobrem principio quidem vicinorum Principum auxilia imploravimus. Deinde apud Confluentiam hujusce communis periculi gravitatem aliquot Imperii Ordinibus exposuimus. Novissimè etiam Serenissimo Regi Romanorum supplicavimus: Wormatiæque apud Imperii penè totius Legatos de suppetiis nobis communicandis egimus. Qui nostræ miserti calamitatis, communique Reipublicæ quieti & bono consulentes, non minimo præsidio opitulari nobis decrevêre.

Verùm quum hoc fatale malum magnas indies vires assumat, timendumque sit, ne hæc auxilia adversus tantam vim non sufficiant, Tibi quoque Clementissimo Patri Maximoque Pontifici periculi hujusce magnitudinem indicare voluimus, atque in extrema nostra necessitate ad Te Religionis Christianæ Caput confugere.

Supplicantes & per Christum Servatorem nostrum obtestantes, ut nostræ calamitatis publicique periculi Te misereat. Et nunc, dum adhuc procul à Sanctissima Urbe Romana hoc malum abest, devotissimæ Tibi Apostolicæque Sedi Ecclesiæ Monasteriensis miserabilem casum benignis propitiisque oculis respicias: Beatitudoque Tua aliquid in stipendia exercitûs, quem maximis hactenus impensis contra Anabaptistas sustinuimus, conferat. Quem quidem, ne adhuc nimium diu sustinere cogamur, vehementer timemus.

Non potest autem Tua Sanctitas in ullum usum magis piè gloriosèque beneficentiam suam collocare, quàm ut sævissimi, Dei pariter ac totius Christianæ Religionis Apostolicæque Authoritatis hostes propellantur. Favorabilis fuit semper contra Turcas causa, & Romana Sedes non modò de suo lubens quicquid potuit, impendit, ut immanissimam illam nationem, Christianæ Religioni inimicam, à nostris finibus prohiberet: sed ceteros Europæ Principes sæpè exhortata est, commonuitque, ut tantæ pesti occurrerent.

Nunc verò quum intestinum pestilentissimumque quoddam malum in ruinam & perniciem totius Religionis atque Reipublicæ Christianæ succrescat: Age, Beatissime, & nobis in calamitoso afflictoque isthoc rerum statu, tuis opibus, tuâ authoritate, tuo consilio auxilioque succurrere non gravare. De modica pecuniæ impensâ agitur: quâ nunc adhuc prohiberi hoc malum potest. Quod profectò nisi nunc semel reprimitur, in commune totius Orbis discrimen ac naufragium verget: longèque sæviùs & crudeliùs quibusvis Gothis & Vandalis, sacrilegam hanc Anabaptistarum manum, nisi in tempore repulsa fuerit, per omnes Provincias populabundam ire conspiciemus.

Cum igitur tam latè hujus mali periculum pateat, Tuque Beatissime Pater Caput sis totius Religionis Christianæ, maximam fiduciam extremamque præsidii spem meritò in Te reposuimus. Humillimèque Tibi supplicamus, ut rei gravitatem mente revolvas, misero populo, labentique Religioni Christianæ succurras.

Ac cum ipse de tuis facultatibus aliquid nobis ad facinorosæ sacrilegæque Sectæ propulsandam vim impertias, tum verò Amplissimo Cardinalium Collegio, Principumque totius Europæ Legatis, qui apud Tuam Sanctitatem agunt, extremam necessitatem nostram exponas: quò favore benignitateque suâ nostram, imò communem causam, promoveant atque adjuvent.

Quod Nos equidem erga Sanctitatem Tuam Amplissimumque Ordinem Cardinalium, ceterosque Europæ Christianos Principes, perpetuis temporibus, omnibus vicissim nostris facultatibus ipsâque vitâ promereri paratissimi sumus. Christus generis humani Servator Tuam Beatitudinem diu ac feliciter suum gregem protegere regereque faciat.

Datum in Castris ante Monasterium in fine anni M. D. XXXIV. 1534

CAPUT CXXXIX.

PIUS IV. *Pontifex Archiepiscopatum Mechliniensem, Belgii Primatiam, erigit anno 1560. eique Episcopatus Suffraganeos assignat Antverpiensem, Gandavensem, Buscoducensem, Brugensem, Iprensem & Ruræmondensem; simul pro dote constituens Abbatiam Affligemiensem Ordinis S. Benedicti, & Præposituram Ecclesiæ Collegiatæ S. Rumoldi Mechliniæ.*

Additio ex Archivis Archiepiscopatus Mechliniensis.

PIUS Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto Nobis desuper Apostolicæ servitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum, decori & venustati, ac illis præsidentium, & aliarum personarum in eis Divinis laudibus insistentium statui & opportunæ subventioni, cum Divini Cultûs augmento, & animarum Christi fidelium salute, valeat salubriter provideri,

Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, ex saniori consilio imitando disponimus; prout locorum & temporum qualitas exigit, & ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus aliàs, postquam felicis recordationis PAULUS Papa Quartus Prædecessor noster providi vigilisque Pastoris more considerans, quod ea pars inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo filio nostro PHILIPPO Hispaniarum Regi Catholico hereditario jure etiam tunc subjecta erat, pro tanta Oppidorum suorum celeberrimorum frequentia, locorumque multitudine adeo paucas Ecclesias Cathedrales habebat, ut earum Episcopi, eâ quâ opus erat diligentiâ tantam animarum multitudinem minimè regere poterant;

Idque quibusdam eorum erat difficilius, quod ipsorum Diœcesani linguæ idiomate, institutisque differebant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant, ut eos ad Sedem Episcopalem non liceret evocare; ita ut nec fidei doctrinâ, nec piè vivendi præceptis commodè instrui, nec si quid deliquissent facilè corrigi ab Episcopis suis possent:

Ad ipsos verò Episcopos visitandos, admonendos & in officio continendos nulla in tota illa regione Ecclesia erat Metropolitana: sed Archi-Episcopi extra fines ipsius ditionis existentes propter multa & varia impedimenta nulli Suffraganeis suis usui jam pridem erant, & propter assiduas insidias & dolos pestiferasque doctrinas populorum hæreticorum & schismaticorum, quibus eadem regio omni ferè ex parte cincta atque obsessa erat, Catholica illic fides, & animarum salus in maximo discrimine versabantur.

Necessitas Novorum Episcopatuum.

His & aliis gravibus causis impulsus, volens etiam precibus annuere, tamque pio desiderio satisfacere ipsius PHILIPPI Regis, habitâ, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione maturâ, de eorum Fratrum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine, Mechliniense olim Cameracensis Diœcesis, ac Antverpiense, Gandavense, Buscoducense, Brugense, Iprense & Ruremundense, & certa alia tunc expressa Oppida dictæ regionis à suis tunc Diœcesibus & Provinciis diviserat & exemerat, illaque in Civitates;

Et S. Rumoldi Mechliniensem, nec non Cameracensem & Trajectensem in Metropolitanas pro Archiepiscopis, & ceteras alias, Antverpiensem, Gandavensem, Buscoducensem, Brugensem, Iprensem & Ruremundensem, aliorumque Oppidorum prædictorum Ecclesias in Cathedrales Ecclesias pro Episcopis, qui inibi respectivè præsiderent, cum Mensis Archiepiscopalibus & Episcopalibus, aliisque Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum insigniis, erexerat & instituerat.

Necnon Ecclesiæ & Civitati Mechliniensi certum tunc expressum districtum per Nuntium suum postmodùm ab eo illuc mittendum, limitandum pro sua Diœcesi; ipsique Mechliniensi Ecclesiæ Antverpiensem, Gandavensem, Buscoducensem, Brugensem, Iprensem & Ruremundensem Ecclesias, & qui pro tempore essent illarum, Episcopos pro Suffraganeis, nec non Clerum & populos pro provincialibus suis perpetuò concesserat & assignaverat:

Prædictæ quoque Mensæ Mechliniensi annuum reditum 5000. Ducatorum auri de Camera ex certis Decimis & bonis ac fructibus, reditibus & proventibus Ecclesiasticis per dictum Nuntium specificandis, & repartiendis ex tunc pro ut ex illa die, & è contra, postquam specificati & repartiti forent, ac donec specificatio & repartitio hujusmodi factæ & effectum fortitæ essent, nec ultra:

Alium etiam annuum reditum 3000. Ducatorum similium per dictum PHILIPPUM Regem de proventibus, quos ex dicta regione percipiebat, Archiepiscopo Mechliniensi pro tempore existenti annis singulis, quousque specificatio & repartitio prædictæ, ac pro ea tantùm parte quæ plenarium suum effectum minùs sortita foret, integrè persolvendum pro illius dote, perpetuò applicaverat & appropriaverat:

Eidem quoque Philippo Regi ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano

Jus Nominationis Regiæ. mano Pontifici pro tempore existenti personam idoneam, ac aliàs certis tunc expressis modo & formâ qualificatam, ad dictam Ecclesiam Mechliniensem, etiam à primæva illius erectione hujusmodi, ac quotiescumque illam pro tempore vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopum, ad nominationem hujusmodi promovendum, reservaverat per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis, Litteras;

Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, & Apostolicæ Sedis Nuntio in partibus illis, dederat in mandatis, ut personas idoneas qui dictas Provincias & Diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis & Præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice suâ deputaret:

Dilectus Filius noster Antonius S. R. E. Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii scientiâ & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus & Nuntius, dicto Prædecessore interea sublato de medio, vigore seu prætextu mandati & posteriorum Litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, qui ad id canonicè subdelegari poterant, factâ nihilominus diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis;

Animadvertentes quod per dismembrationes bonorum in Monasteriis & Præposituris prædictis, si fierent, cultus Monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria & Præposituras Mensis prædictis pro dote suarum Ecclesiarum, ad hoc ut Episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuò gererent, potiùs esse unienda;

Ac designationes & limitationes Provinciarum & Diœcesium, divisionesque ac distributiones Oppidorum & Jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium commodiores illis qui per primo dictas Litteras statuuntur;

Necnon constitutiones & assignationes dotium, & deinde numerum personarum ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum & Officiorum, statum quoque & formam in prædictis Ecclesiis etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones & alias in universum accommodas rationes habendas censuerunt. Ac super majori illorum parte processus & scripturas, seriò digestis rebus omnibus, formandos curaverunt, pro ut in illis ac singulis Litteris prædictis plenius continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, cumque nuper Monasterium SS. Petri & Pauli Affligemiense Ordinis S. Benedicti olim Cameracensis, nunc verò dictæ Mechliniensis Diœcesis, cum primùm illud per cessum vel decessum moderni illius Abbatis seu Commendatarii, aut aliàs quovis modo vacare contigerit, Mensæ Archiepiscopali Mechliniensi ex tunc pro ut ex ea die, & è contra, de Fratrum nostrorum consilio pro dotis nomine perpetuò univimus, annexuimus & incorporavimus;

Incorporatio Abbatiæ Affligemiensis.

Considerantes, quod si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciosa hæresum dogmata, quibus Religio Christiana istic passim laceratur atque affligitur, haud ità violenter invaluissent.

Nunc autem cùm ad illa arcenda & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia magis opportuna remedia quàm supradicta potuerit adhibere, ut illa juxta cordis sui atque nostri desiderium promptos & felices sortiantur effectus, nostri ministerii partes præmissis adjicere, illaque omnibus quibus possumus rationibus juvare & promovere volentes; ac Litterarum, processuum & scripturarum prædictorum veriores tenores, necnon Mensæ Archiepiscopalis Mechliniensis, ac illi uniendorum infrascriptorum Canonicatûs & Præbendæ, fructuum, redituum & proventuum veros annuos valores præsentibus pro sufficienter expressis habentes;

Continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis id pro salute dictorum populorum enixè prosequentis excitati, Motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus ac distributionibus dictorum Subdelegatorum in prædictis processibus specificatis, tamquam in melius reformatis inhærendo;

Ac concessionem & assignationem per priores Litteras Prædecessoris hujusmodi factas, quoad infrascripta immutando, omnia & singula Oppida, Castra, Pagos, Villas & loca infrascripta;

Videlicet *Mechlinia*, *Bruxella*, *Lovanium*, *Vilvordia*, *Arscotum*, *Diest*, *Thenæ*, *Alostum*, *Ninive*, *Gerardimons*, *Landen*, *Sichene*, *Halen*, *Leeuw*, Urbes & Pagi Diœcesis Mechliniensis.

Vueren, *Asche*, *Merchtem*, *Grimbergen*, *Rotselaer*, (1) *Battel*, *Waelhem*, (2) *Roosendael*, *Wavre S.Catharine*, *Waver-Onse-Lieve-Vrauwe*, (3) *Neckerspoel*, *Boyenheyde*, *Schrieck*, *Rymenam*, *Keerbergen*, (4) *Nynden*, *Wechter*, (5) *Veldonck*, *Betekom*, *Langdorp*, (6) *Thysselt*, *Schaften*,

(7) Mynten, *Hever*, *Elewyt*, *Bortmeerbeke*, *Eppegem*, *Campenhout*, (8) *Ten-Troost*, *Percke*, *Berghe*, *Neerockerseel*, (9) *Neeraxel*, *Pueti*, *Melsbroeck*, *Steynockerseele*, *Quaderebbe*, *S. Gertruyden Mechelen*, (10) *Heymelgem*, *Erps*, *Haecht*, *Wackeseel*, *Wespelaer*, *Tieldonck*, (11) *Wyckmael*, *Veltom*, (12) *Vilsen*,

(1) Battel, appendix sub Mechlinia.
(2) Roosendael, Abbatia Virginum Ordinis Cisterciensis.
(3) Neckerspoel, appendix sub Mechlinia.
(4) Nynden, &
(5) Veldonck, appendices de Werchter.
(6) Thysselt, aliàs *Tessels*.
(7) Mynten, aliàs *Muysen*.
(8) Ten Troost. Monasterium Virginum Carmelitanarum, hodiè in Vilvordia.
(9) Neeraxel, aliàs *Neerassent*, appendix de *Buken*.
(10) Heymelgem, aliàs *Hummelgem*.
(11) Wyckmael, appendix sub *Herent*.
(12) Vilsen, aliàs *Wilsel*.

 Herent,

HERENT, *Wincxele*, *Messelbroeck*, (13) *Zeelhem*, (14) *Donck*, *Linthout*, (15) *Luimen*, *Rillaer*, (16) *Wedde*, *Nieuwenrode*, *Zelieke*, *Hauwaert*, *Becvoort*, (17) *Tassem*, *Houchem*, *Wesemael*, *S. Peeters-Rode*, (18) *Vrauwe-perck*, *Onse Lieve Vrauwe Tielt*, (19) *Versbeke*, *Cortryeke*, (20) *Thielt*, *Wingen*, *Waenroo*, *Holsbeke*, *Mol-beke*,

BEETS, *Cortenaken*, (21) *Ghempe*, *Lynden*, (22) *Kiesken*, *Meensele*, *Miskem*, (23) *Bosch*, *Buinghem*, (24) *Geteroy*, (25) *Suerbeke*, *Wesere*, (26) *Lebbeke*, *Binckem*, (27) *Capelle*, *Kersbeke*, *Ruysbroeck*, *Willebroeck*, *Puers*, (28) *Calfvoort*, (29) *Heyendonck*, *Blaesvelt*, *Heffen*, *Lippeloo*, *Liesel*, (30) *Tysselt*,

LEEST, (31) *Leliendael*, (32) *Hauthem*, *Hombeeck*, *Raemsdonck*, *Capellen*, *Londerseel*, *Semps*, *Steenuffel*, (33) *Impde*, *Humbeeck*, *Weerde*, (34) *Rossem*, *Wolverthem*, *Beyghem*, *Buggenhout*, *Maldere*, *Opwyk*, *Baerdeghem*, *Masele*, *Meusegem*, *Meldert*, *Mollem*, *Meyse*, *Bruysegem*, *Ballebeke*, (35) *Relegem*,

WEMMELE, *Hekelgem*, *Offele*, *Strombeke*, *Cobbeghem*, *Neerhembeeck*, *Eschenen*, *Hamme*, *Overbeembeke*, *Lombeke-S. Catharine*, (36) *Nat*, (37) *Wilryk*, *Cappelle*, *Beeckerseel*, *Zelleke*, *Wambeke*, (38) *Bugen*, (39) *Bigarden*, (40) *Gansboren*, *Laken*, (41) *Strythem*, *Dielbeke*, *Berchem*, (42) *Scheuten*, (43) *Schepdaele*, (44) *S. Gertruyde-Pee*, *Itterbeke*, *Anderlecht*, *Onse Vrauwe-Lombeeck*, *S. Martens-Lennick*, *Vlesenbeeck*, *Bygarden*, *Gaesbeeck*, *Ruysbroeck*, *Goycke*, *Andenaken*, (45) *Laeckt*, *Vlesteringen*, *Eysingen*, (46) *Beerle*, *Bogaerde*, (47) *Lembeke*, (48) *Tubeecke*, *Diegem*, *Meerbeke*, *Saveltbom*,

CORTENBERGE, *Oversteke*, *Eiingen*, *Everbeke*, *Meerbeke*, *Haren*, *Nossegem*, *Eygenboven*, (49) *Gaere*, *S. Stevens-Woluwe*, (50) *Vos Cappel*, *Berthem*, *Scarenbeeck*, *Sterrebeeck*, *Leefdael*, *Corbeke over Dyl*, *Crayenhem*, *Wesembeke*, *Vossem*, (51) *Elsene*, *t'Etterbeeck*, (52) *Cameren*, *Op woluwe*, *Duysborch*, (53) *Loenbeke*, *S. Jooris-Weerde*, (54) *Voest*, (55) *Auwegem*, *S. Peeters-Woluwe*, (56) *Bean*, *Eedewater*, *Watermale*, (57) *Droogenbosch*, *Huldenberge*, *S. Achtenrode*, *Linckebeeck*, *Ottenberge*, *Rosieres*, *Arkenes*, *Beersele*, *Hollaer*, *Overyssche*, *Huysingen*, *Roo*, *Businghen*, *Halsenbergh*, *Dorpe*, (58) *Steenborren*, *Hulpen*, *Pellenberg*, *Kerckem*, *Wevere*, *Holede*, *Leeuwe*, *Corbeek-over-loy*,

(59) LOVENEL, *Bautershem*, (60) *Clabbeke*, *Bunsbeke*, *Neer-Linter*, *Heelen*, (61) *Betsenhove*, *Hont-Hever*, *Bierbeke*, *Vertryk*, *Vissenaken*, *Hanthem*, *Guessenhoven*, *Wemmersem*, (62) *Halle*, (63) *Roesbeke*, (64) *Breissem*, *Greymde*, *Haeckendouvre*, *Orsmael*, *Neer-Dormael*, *Neer-Hespen*, *Dormael*, (65) *Walmusen*, *Willebringen*, *Cumptich*, *Oirbeke*, (66) *Overlae*, (67) *Bost*, *Over-Hespen*, *Neer-Velpe*, (68) *Holxem*, (69) *Ast*, *Meer*, *Neerwynde*, *Esemael*, *Middewynde*, *Neerlanden*, *Nethene*, (70) *Wys*, *Hamme*, *Op-Velpe*, *Meldert*, *Autgarde*, *Goitsboven*, *Over-Wynde*, (71) *Remsdorp*,

HEL-

(13) ZEELHEM, Pagus est hodieque sub Diœcesi Leodiensi, ubi & Monasterium est Carthusianorum.

(14) DONCK &

(15) LOIMEN aliàs *Lummen*, Pagi prope Diesthemium, qui hodieque manent sub Diœcesi Leodiensi.

(16) WEDDE forsitan *Webbecom*.

(17) TASSEM & HOUCHEM appendices Pagorum prope Diesthemum.

(18) VRAUWE-PERCK, Abbatia Virginum Ordinis Cisterciensis

(19) VERSBEKE, aliàs *Wersbeecke*.

(20) THIELT, id est, Sinte Peeters Thielt.

(21) GHEMPE, Præpositura Virginum Ordinis Præmonstratensium

(22) KIESKEN aliàs *Kiesecom*.

(23) BOSCH, appendix sub Bungen.

(24) GETEROY, aliàs *Aterode*.

(25) SUERBEKE, aliàs *Suerbempde*.

(26) LEBBEKE, aliàs *Lubbeeck*.

(27) CAPELLE, aliàs *Nieuw-Capelle*.

(28) CALFVOORT; appendix sub *Puers*.

(29) HEYENDONCK, appendix sub *Heffen*.

(30) TYSSELT, appendix sub *Willebroeck*.

(31) LELIENDAEL, Præpositura Monialium Præmonstratensium, olim sub Parochia de Hombeeck, nunc Mechliniæ.

(32) HAUTHEM, appendix Oppidi Vilvordiensis.

(33) YMPDE appendix sub Muesegem.

(34) ROSSEM, appendix de Wolverthem.

(35) RELEGHEM, appendix de Wemmel.

(36) NAT, aliàs *Ter-Nath*.

(37) CAPELLE, aliàs *Sint Ulrycks-Capelle*.

(38) BUGEN, aliàs *Bedegem* vulgo *Bengem*.

(39) BIGARDEN, est Abbatia Nobilium Benedictinarum juxta Brusellam

(40) GANSHOREN, appendix de Jette.

(41) STRYTHEM, appeodix de Burg-Grave Lombeke.

(42) SCHEUTEN, appendix Parochiæ de Anderlecht, ubi quondam sita fuit Carthusia Bruxellensis.

(43) SCHEPDAELE, appendix sub Parochia de Sinte-Mertens-Leonick.

(44) STE GERTRUYDE-PEE, appendix de Ste Mertens-Lennick

(45) LAECKT, appendix sub Leeuwa-Sancti Petri.

(46) BEERLE, lege *Beertke*.

(47) LEMBEKE; hic Pagus prope Hallas situs in Civilibus nullius est juris; in Spiritualibus verò semper mansit sub Diœcesi Cameracensi.

(48) TUBEEKE, aliàs *Tubize*.

(49) GAERE lege *Hevere*.

(50) VOS CAPELLE, appendix sub Nosseghem.

(51) ELSENE, appendix sub Bruxella.

(52) CAMEREN, Abbatia Virginum Ordinis Cisterciensis juxta Bruxellam.

(53) LOENBEKE, appendix sub Neer-yssche.

(54) VOEST, lege *Vorst*, ubi est Abbatia Nobilium Benedictinarum.

(55) AUWEGHEM, vel Auderghem, Monasterium Virginum Ordinis Sancti Domiaici.

(56) BEAU. EEDEWATER, loca hæc ignorantur.

(57) DROOGHEM BOSCH, Appendix sub Uckel.

(58) STEENBORREN, aliàs *Seven-borren*, Monasterium Canonicorum Regularium juxta Bruxellam.

(59) LOVENEL, lege *Lovenjoul*.

(60) CLABBEKE, lege *Glabbeeck*.

(61) BETSENHOVE, aliàs *Eygenhoven*, appendix de Hont-Hevere.

(62) HALLE, appendix sub Goetsenhove.

(63) ROESBEKE, lege *Roosbeeck*.

(64) BREISSEM, aliàs *Brasem*, appendix sub Cumptich.

(65) WALMUSEN, aliàs *Walsbergen*.

(66) OVERLAE, aliàs *Overlaer*, Pagus sub Diœcesi Leodiensi.

(67) BOST, appendix de Overlaer in Diœcesi Leodiensi.

(68) HOLXEM, aliàs *Hoxem*, Pagus hodie Diœc. Leod.

(69) AST & MEER, appendices sub Goitsenhove.

(70) WYS, aliàs *Wez*, appendix sub Nethene.

HELLESEM, *Lare*, *Wange*, (72) *Attenhove*, (73) *Florival*, (74) *Doorne*, *Benkom*, (75) *Sluyse*, (76) *Hugarden*, (77) *Littart*, *Nodebaix*, (78) *Linnen*, *Op-heylissem*, *Raitshoven*, *S. Geetruyt-Bossuyt*, (79) *S. Laurens-Capelle*, (80) *Meylan*, *Noduwe*, (81) *Liptai*, *Lissemeau*,

WAELMONT, (82) *Haeckdonck*, (83) *Viese*, (84) *Herdergem*, (85) *Ter Alfine*, *Liekercke*, *Pamele*, (86) *Lombeke*, (87) *Nuytgen*, *Liefringe*, *Pollare*, (88) *Wierbeke*, (89) *Eygem*, *Santberge*, *Grimmingem*, *Wiendeke*, *Nieuwenhove*, *Waerbeke*, (90) *Beaupré*, *Okefeel*, (91) *Onckfeele*, *Meerbeke*, *Appels*, *Auwergem*, *Mespelaer*, (92) *Tonan*, *Gilegem*, (93) *Castenbeke*,

LEDE, *Impe*, *Hofsta*, *Erpe*, *Eerdegem*, *Nieuwkerke*, *Sonnegem*, *Meere*, *Burst*, *Wichele*, *Sescamp*, *Wannesele*, *Smettels*, *Oordegem*, *Bavegem*, *Papegem*, (94) *Capelle*, (95) *Vlierse*, *Letterbauthem*, *S. Lieven-hanthem*, *Molle*, *Masseme*, *Goutrode*, (96) *Lombergen*, *Westrem*, (97) *Lantshautre*, *Schelderode*, *Bottelaere*, *Moorsele*, *Oostersele*, *Vorste*, *Munte. Wyndick*, (98) *Waesene*, *Baygem*, *Diekelvene*, *Berleghem*, *Alderheylighem*, (99) *Cattem*, (100) *Vorsbeke*, (101) *Hindelgem*,

BALEGEM, *Reesegem*, *Aygem*, *Capelle*, *Hombergen*, *Welle*, *Welden*, (102) *Velsebeeek*, *Eelden*, *Aygem*, (103) *Hattert*, *Leeuwe*, *Heldergem*, *Heersele*, (104) *Hautbreehtegem*, *Kerckem*, *Eeregem*, (105) *Steenhamme*, (106) *Neerhamme*, (107) *Nysboek*, *Borst*, *Strype*, *Sottegem*, *Gotverdegem*, *Asspelaer*, *Denderhautem*, *S. Jooris-Ertegem*, (108) *Audenhove*, *Hillegem*, *Esche*, *S. Tentelins*, *Matere*, (109) *Bliesboeck*, *Roosbeeck*,

STEENHUYSE, *Voorde*, *Cornelis-Horebeke*, *Miegelbeke*, (110) *Marienodenhove*, (111) *Asselt*, *Appelter*, *Marie-orebeeck*, (112) *Clare*, (113) *Lubbegem*, *Marcke*, *Etichove*, *Melde*, *Schorisse*, *Hemelverdeghem*, *Neerbrakel*, *Marteulierde*, *Elst*, *Marielierde*, (114) *Vleuseghem*, *Smerebbe*, *Volkegem*, (115) *Kesselaer*, (116) *Liesse*,

SCHENDELEBEECK, (117) *Eygem*, (118) *Overbrade*, *Sulseke*, (119) *Kerckhove*, *Berchem*, *Quarmont*, *Nukerke*, *Segelsem*, (120) *Ten Bosche*, (121) *Dolaere*, *Geertsberghe*, *Overboelaer*.

IN posteriori designatione Subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis etiam Parochialibus, Monasteriis, Collegiis, etiam Canonicatibus, Capellis, Hospitalibus & beneficiis, locis & personis ac officiis Ecclesiasticis, sæcularibus & Regularibus & populis quibuscumque aliis sub eis comprehensis,

PRÆFATÆ Ecclesiæ Mechliniensi pro sua Diœcesi juxta designationem illi per præfatos Subdelegatos factam hujusmodi, Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò concedimus & assignamus.

AC decimas majores nuncupatas Parochialis Ecclesiæ de *Willebringhe* prope *Thenas* aut *Hoxem* olim Leodiensis Diœcesis ad centum modios tritici vel circa ascendentes, sedecim modiis similibus Rectori dictæ Ecclesiæ pro honesta illius sustentatione quotannis remanentibus; ab eademque Parochiali, & à Personatu de *Hal* olim Cameracensis, nunc Mechliniensis Diœcesis prædictæ, proventum annuum 100. ducatorum auri de Camera postquam ipsi Personatus & Parochialis Ecclesia vacabunt, & non antea, ex nunc prout ex tunc & è contra, etiam perpetuò dismembramus & separamus, (Unitur Personatus de Hal, qui postmodum cessit PP. Jesuitis.)

NEC-

(71) REMEDORP, aliàs *Rumpsdorp*.
(72) ATTENHOVE, Pagus sub Diœcesi Leodiensi.
(73) FLORIVAL, Abbatia Virginum Ordinis Cisterciensis.
(74) DOORNE, &
(75) SLUYSE, appendices sub Meldert.
(76) HUGARDEN, Municipium Patriæ ac Diœcesis Leodiensis, Brabantiæ inclusum.
(77) LITTART, aliàs *Zittare*, sive *Zetru*, &
(78) LINNEN, aliàs *Lummen* vel *Lumay*, Pagi sub Diœcesi Namurcensi
(79) S. LAURENS-CAPELLE, aliàs *Laurentsart*, appendix sub Bossuyt.
(80) MEYLAN, aliàs *Melain*.
(81) LIPTAIN, aliàs *Linsain* & LISSEMASU, appendices sub Noduwez.
(82) HAECKDONCK, lege *Haesdonck*.
(83) VIESE, aliàs *Wuse*.
(84) HERDERGHEM, aliàs *Hendersem*.
(85) TER ALFINE, aliàs *Ter Alphen*, sive *Elst*.
(86) LOMBEKE, aliàs *Burg-grave-Lombeeck*.
(87) NUYTGEN, lege *Nyghem*.
(88) WIERBECKE, lege *Meerbeke*.
(89) EYGHEM, appendix Parochiæ de Appelterre.
(90) BEAUPRÉ, Abbatia Virginum Ordinis Cisterciensis.
(91) MEERBEKE, lege *Moorbeke*.
(92) TONAN, aliàs *Schoonaerde*, Capella sub Parochia de *Wichelen*.
(93) CASTENBEKE, lege *Tusschenbeke*, Præpositura Virginum Ordinis Præmonstratensis in Parochia de Lede juxta Alostum.
(94) CAPELLE, fuit Capella sub Parochia de Vlierseele, nunc diruta.
(95) VLIERSE, lege *Vlierseele*.
(96) LOMBERGE, lege *Lemberghe*.
(97) LANTSHAUTRE, lege *Landscautere*.
(98) WAESENE, appendix Parochiæ de Schelderode, olim Pagus.
(99) COTTEM, Appendix Parochiæ de Hilleghem.
(100) VORSBEKE, lege *Borsbeke*.
(101) HANDELGHEM, lege *Hundelghem*.
(102) VELSEBEECK, lege *Velsyche*.
(103) HATTERT, lege *Halters*.
(104) HAUTBRECHTEGHEM, lege *Woubrechteghem*.
(105) STEENHAMME, lege *Eenhaeme*, ubi Abbatia Benedictinorum.
(106) NEERHAMME, lege *Neer-Eenhaeme*.
(107) NYSBOCK, aliàs *Sinte Denys Boucle*.
(108) AUDENHOVE, id est, *Sinte-Guerix-Audenhove*
(109) BLIESBOECK, lege *Blaesbouclo*.
(110) MARIENODENHOVE, lege *Sinte Marie-Audenhove*.
(111) ASSELT, lege, *Op Hasselt*.
(112) CLARE, lege *Edelaere*.
(113) LUBBEGHEM, lege *Lenpeghem*.
(114) VLEUSEGHEM, aliàs *Vloesseghem*.
(115) KESSELAER, id est, Capella Beatæ Mariæ de Kersselaer sub Parochia de Edelaer.
(116) LIESSE, locus mihi ignotus.
(117) EYGEM, id est, Ieghem.
(118) OVERBRADE, lege *Over-Braeckel*.
(119) KERCKHOVE, Parochia, quæ semper remansit sub Diœcesi Tornacensi.
(120) TEN-BOSCHE, vulgo *Sinte-Mertens-Bosch*, appendix Parochiæ de Ste-Mertens Lierde, ubi Carthusia visitur.
(121) DOLAERE, lege *Boulaere*, aliàs *Beulers*.

Unio Præpositura.

NECNON Præposituram Ecclesiæ Mechliniensis prædictæ, quæ tempore illius Erectionis in Metropolitanam Ecclesiam, hujusmodi dignitas inibi principalis existebat, cujus fructus, redditus & proventus 120. ducatorum auri de Camera secundùm communem æstimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt,

CÙM primum illam per cessum vel decessum, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem illam nunc obtinentis, aut aliàs quovis modo, & ex cujuscumque persona, etiam in aliquo ex mensibus in quibus vacantium Beneficiorum dispositio Nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas vel Cancellariæ Apostolicæ Regulas reservata existit seu fuerit, seu Ordinariis Collatoribus etiam per easdem Constitutiones vel Litteras alternativarum, aut Concordata Germaniæ, seu alia Privilegia & Indulta, illis quomodolibet concessa & concedenda, vacare contigerit,

ETIAMSI actu nunc vacet, & tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam prædictam legitimè devoluta, ipsaque Præpositura dispositioni Apostolicæ speciali vel generali reservata existat, & ad illam consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum; super ea quoque inter aliquos lis (cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso) pendeat indecisa,

ETIAM ex nunc prout ex tunc & è contrà, suppressis & extinctis illius ac Præpositi nomine & titulo, in Archidiaconatum pro uno Archidiacono, qui post cessum vel decessum eorum, qui nunc sunt Archidiaconi in illa parte Diœcesis Mechliniensis, talem habeat Jurisdictionem, qualem Archidiaconus Bruxellensis hactenus habuit,

NECNON in ipsa Ecclesia Mechliniensi unum Archipresbyteratum Civitatensem nuncupandum, pro uno Archipresbytero Civitatensi, qui curam Rectorum Ecclesiarum Parochialium, Verbi Dei & Sacramentorum Civitatis Mechliniensis,

ET unam Pœnitentiariam Diœcesanam nuncupandas dignitates, inibi pro uno Pœnitentiario, qui curam conscientiarum populi per Diœcesim universam Mechliniensem specialiter habeant, similiter erigimus & instituimus.

ET ut Archiepiscopus Mechliniensis pro tempore existens speciali quâdam prærogativâ decoretur, & Ecclesiam suam, quæ in meditullio dictæ ditionis consistit, personis eruditis, & ad Jurisdictionem inibi exercendam, cetera que munia Ecclesiastica obeunda idoneis debitè instructam, jugiterque decoratam habeat,

Primatia Belgii.

PERPETUO statuimus & ordinamus, quod Ecclesia ipsa Mechliniensis ante Cameracensem & Trajectensem Ecclesias prædictas prima sit, & illius pro tempore Archiepiscopus primum locum in Conciliis Generalibus vel specialibus, Sessionibus aliisque actibus super Cameracensem & Trajectensem Archiepiscopos habeat,

Canonicatus Graduatorum.

QUODQUE ex omnibus Canonicatibus & Præbendis majoribus dictæ Ecclesiæ Mechliniensis decem, quos primò per cessum vel decessum, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam, aut aliàs vacare contigerit, etiamsi actu non vacent, ut præfertur, ita affecti remaneant, quod ipse Archiepiscopus unum & unam primò vacaturos, tamquam Mensæ suæ Archiepiscopali perpetuò unitos, & quos Nos similiter & nunc pro ut ex tunc, & è contrà, ipsi Mensæ perpetuò unimus, annectimus & incorporamus, obtinere, illarumque ratione Persona Capitularis esse, vocemque & authoritatem, etiam in Capitulo, super Decanum & Canonicos habere,

RELIQUI verò novem Canonicatus & Præbendæ prædicti tribus Magistris aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum seu in eis Licentiatis, & tribus aliis Nobilibus ejus Diœcesis, etiam in Jure vel Theologia, saltem Gradu Licentiaturæ, in famosa quapiam Universitate Studii Generalis, secundùm tenorem primo-dictarum Litterarum promotis, ordine in dicta designatione expresso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant,

QUODQUE ad sex priores tam Nobiles, quàm alii non nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem, hujusmodi nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint,

AC omnes & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum, consilium & operam in negotio Ecclesiæ & Religionis ceterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Archiepiscopo prædicto requisiti fuerint, tam conjunctim, quàm divisim præstare teneantur.

AC unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, necnon reliquus ex dictis Graduatis Pœnitentiarius ad Pœnitentiariam hujusmodi ad nominationem dicti Archiepiscopi assumi, & omnium primos post Archiepiscopum vacaturos Canonicatus & Præbendas prædictos, ordine præmisso consequi valeant.

UT autem de Viris spectatæ doctrinæ & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratiùs prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus & novem Præbendæ hâc primâ vice per prædictum Archiepiscopum dumtaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus, ut præfertur, vacaverint, ad electionem Archiepiscopi & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur.

ET in hujusmodi electione suffragium Archiepiscopi non plus juris seu momenti, quàm cujusvis cæterorum Canonicorum Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Archiepiscopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat,

QUODQUE posthac ipsi novem Canonicatus & novem Præbendæ sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in corpore juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facul-

facultatibus, Indultis de providendo, commendando & aliàs disponendo, primariis Precibus, aut aliis gratiis præventivis, etiam per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes & dictam Sedem Apostolicam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum, ac ejusdem S. R. E. Cardinalium, & ex quacumque causa, quantumlibet urgenti, pro tempore factis & concessis comprehendantur,

Nec etiam tamquam vacantes apud Sedem Apostolicam prædictam, aut ullâ aliâ ratione generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem etiam ex causa permutationis pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem aut Sedem eandem de illis provideri, vel aliàs quoquo modo disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullâque causâ infringi debeat;

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus, seniores ratione suarum Præbendarum, facultatem habeant visitandi per universam Diœcesim Mechliniensem prædictam ab Archiepiscopo; ceteri verò Canonici Graduati prædicti quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur.

Ac ex reliquis senioribus Canonicis prædictis duo in Theologia & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, unà cum Archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad sacros Ordines, & admittendos ad Curas animarum, quâcumque authoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum, medio juramento, promittentem admittendo.

Et quoniam impia hæreticorum studia, temporisque malitia Viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patiuntur; quod si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Archiepiscopo vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis qui Divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeant; nec quisquam ullâ dispensatione, vel alio Privilegio Apostolico, quâcumque causâ impetrato vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Ceteræ Ecclesiæ Civitatis sub cura dicti Archipresbyteri Civitatensis, extra verò eam & in Diœcesi Mechliniensi existentes, vel sub suis Decanatibus seu Archipresbyteratibus, aliisque jurisdictionibus, prout hactenus, remaneant, vel meliori modo arbitrio dicti Archiepiscopi distribui, ipsorumque Decanatuum Decani, salvâ dicti Archiepiscopi moderatione, emolumenta hactenus percipi solita percipere possint.

Verum quia fructus & proventus dictorum decem Canonicatuum & Præbendarum tenuiores sunt, quàm conveniat pro sustentatione Virorum doctorum & gravium, qui munera præmissa obire velint, decimas ab Ecclesia Parochiali de Willebringa, & proventum annuum 100. ducatorum à Personatu de Hall hujusmodi dismembratum, ut præfertur, eisdem decem Canonicatibus & Præbendis primò vacaturis, per Archiepiscopum & singulos novem Canonicos prædictos æquis portionibus percipiendos, perpetuò applicamus & appropriamus;

Nec non collationem, præsentationem, provisionem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem omnium & singulorum Dignitatum, Personatuum, administrationum & officiorum aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, cum curà & sine cura, secularium & quorumvis Ordinum Regularium qualitercumque qualificatorum, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem præfati olim Præpositi quomodolibet pertinentium & spectantium, Archiepiscopo Mechliniensi pro tempore existenti, ita quod ipse ex nunc de cetero de illis, prout Præpositus poterat, liberè & licitè disponere valeat, etiam perpetuò reservamus, concedimus & assignamus, suæque ordinariæ collationi & dispositioni adjungimus,

Districtius inhibentes Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, ceterisque locorum Ordinariis, nec non Conventibus, Superioribus & Personis, illique vel illis, ad quem seu quos Præpositura, Personatûs, & Parochialis Ecclesiæ, ac Canonicatuum, Præbendarum & aliorum beneficiorum prædictorum, collatio, provisio, & quævis alio dispositio, communiter vel divisim pertinet, ac quibuscumque aliis cujuscumque Dignitatis, Statûs, Ordinis & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris & pœnis, nec non privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum & Officiorum Ecclesiasticorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ne de illis, si vacant; aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere; seu præmissorum effectus & executionem in aliquo quantumcumque modico, impedire, aut molestiam vel injuriam quampiam irrogare, quoquo modo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omninò acquisitum esse, & super his beneficio Regularum de non tollendo jure quæsito, ac de annali & triennali possessore, nec non Privilegiis omnibus quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent plenariè, uti potiri & gaudere debere.

Ac Præposituram ad hoc ut de cetero de illa quoquo modo disponi valeat, de cetero vacare, & eandem, & affectos decem Canonicatus & decem Præbendas prædictos per quoscumque, etiam prætextu Mandatorum de providendo, nominationum etiam juxta concordata prędicta, expectativarum & quarumcumque aliarum gratiarum, quoquo modo acceptari non posse, & nihilominus

nihilominus quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones & incorporationes, ac alias dispositiones de eisdem, aut eorum aliquo etiam per Nos & Sedem prædictam quomodolibet factas & faciendas nullius prorsus roboris vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse;

Ac suppressionem, extinctionem, dismembrationem, separationem, erectionem, institutionem, Statutorum ordinationem, unionem, annexionem & incorporationem, applicationem, appropriationem, reservationem, concessiones & assignationes, ceteraque præmissa ac præsentes Litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse & censeri, nec sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus & limitationibus unionum & suppressionum etiam effectum non sortitarum, quæ post hac per Nos vel Successores nostros tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi Apostolatûs apicem, quàm alios quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & Decretis, quocumque tempore fient, minimè includi;

Sed illis non obstantibus, in suis vigore, robore & efficaciâ persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa, sicque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse, esse & fore, ac præsentes Litteras hujusmodi nullo unquam tempore de subreptionis & obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ aut quopiam alio defectu notari, aut in jus vel controversiam, quâcumque ratione vel causâ, vocari posse,

Sicque per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores & Cardinales, in quavis causa & instantia, sublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane si secus super his à quoquam, quâvis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari,

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Cameracensi & Episcopo Amerinensi, ac dilecto Filio Præposito Ariensi, Audomarensis, seu alterius Diœcesis, per Apostolica Scripta Motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte moderni & pro tempore existentis Archiepiscopi Mechliniensis, & aliorum quorum interest, vel quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostrâ Archiepiscopum Mechliniensem & alios præfatos, dismembratione, separatione, statuto, ordinatione, erectione, institutione, unione, annexione, incorporatione, applicatione, appropriatione, reservatione, concessionibus, & assignationibus, & Litteris & aliis in eis contentis prædictis, specificè gaudere, ac aliàs Litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari;

Non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet & rebelles per Censuras & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, Censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis,

Non obstantibus voluntate priori ac etiam nostrâ de valore tam in impetrationibus, quàm aliis gratiis, etiam Motu simili factis exprimendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati uniones perpetuas nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis,

Ac P. M. Bonificii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus Dietis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus etiam in Corpore Juris clausis, nec aliàs reservatoriis, nec non dictæ Cancellariæ Regulis etiam revocatoriis & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, ac aliàs in contrarium quomodolibet editis & edendis;

Nec non Ecclesiarum Mechliniensium juramento, confirmatione Apostolicâ seu quavis firmitate aliâ roboratis Statutis & consuetudinibus, nec non quibusvis specialibus & generalibus reservationibus, exspectativis, & aliis gratiis, absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra regressus & accessus facultatibus, mandatis, Litteris & concessionibus, quibuscumque personis cujuscumque dignitatis, statûs, ordinis, gradûs & conditionis existentibus, etiam Cardinalatûs honore fungentibus,

Ac nostris etiam antiquis & descriptis familiaribus, continuis Commensalibus ac Prælatis Domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus ex quavis etiam grandi causâ, consideratione, intuitu vel respectu etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis & Decretis etiam irritantibus & clausulis etiam derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam Motu & scientiâ similibus, & aliàs quomodocumq; concessis.

Quas, & quæ, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum quoad præmissa omnino suspendimus, & in præmissis effectum sortiri aut locum sibi vendicare non posse, neque debere, decernimus.

Nec non Privilegiis, Indultis, exemptionibus, conservatoriis, & Litteris Apostolicis, Ordinariis, aliisque Collatoribus & Personis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Nos ac Sedem præfatam, & per vim generalis Legis & Statuti perpetui, nec non initi seu stipulati contractûs, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus efficabissimis & insolitis clausulis

sulis

fulis irritantibusque & aliis Decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientiâ & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter aut aliàs qualitercumque, quomodocumque & quoticumque concessis, confirmatis & etiam iteratis vicibus innovatis & concedendis,

QUIBUS omnibus, etsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ & observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint quæ sub clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda in supplicatione apposita non intelligantur, aut aliàs comprehendantur,

NIHILOMINUS in genere & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus contrariis quibuscumque; aut si aliquâ Apostolicâ præfatâ vel aliâ quâvis authoritate in dicta Ecclesia Mechliniensi in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur instant, seu si super provisionibus sibi faciendis in Canonicatibus & Præbendis ac Dignitatibus Ecclesiæ Mechliniensis, hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum,

QUAS quidem Litteras & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcumque ad Archidiaconatum & Præposituram, & decem Canonicatus & Præbendas & alia beneficia hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Canonicatuum & Præbendarum ac Dignitatum vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis:

NULLI ergo omnino homini liceat hanc Paginam nostræ dismembrationis, annexionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, reservationis, concessionum, assignationum, adjunctionis, inhibitionis, Decreti, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum

DATUM Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX, quinto Idus Martii, Pontificatûs nostri anno secundo. Sic subscriptum FORD. CARDINALIS CÆSIUS, & signatum, A: DE ALEXIIS.

ARCHIEPISCOPI MECHLINIENSES.

I. ANTONIUS PERRENOT DE GRANVELLA, Burgundio, S. R. E. Cardinalis, ex Episcopo Atrebatensi renuntiatur primus Archiepiscopus Mechliniensis ac Primas Belgii anno 1559.

Fuit quoque ultimus Præpositus Ecclesiæ Sancti Rumoldi Mechliniæ ante ejus Erectionem in Metropolim; Abbas S. Amandi, seu Elnonensis in Belgio, & Luxoviensis ac S. Vincentii Vesuntinensis in Burgundia.

Anno 1564. è Belgio in Hispaniam revocatus fuit; factusque dein Pro-Rex Neapolitanus. anno 1583. Archiepiscopatum Mechliniensem dimisit, pro quo accepit Archiepiscopatum Vesuntinum, & Episcopatum Sabinensem. Obiit Madrili 21. Septembris 1586. ætatis 72.

Absente Cardinale Granvellano Pontificalia in Diœcesi Mechliniensi obierunt successivè duo Episcopi Suffraganei, titulo Salubrienses. PIPINUS ROSA Landensis S.T. D. ex Ordine S. Dominici, & GISBERTUS VROEDIUS, Dunkercanus, S. T. L. & Metropolitanæ Mechliniensis Canonicus.

Fuerunt quoque habita duo Concilia Provincialia, unum Mechliniæ in Æde Metropolit. anno 1570; alterum Biennio sequente Lovanii in Collegio Sabaudico. Utrique præsedit *Martinus Rithovius*, Episcopus Iprensis, senior Provinciæ Mechliniensis Suffraganeus. Posterioris verò Concilii Decreta hactenùs inedita primùm luce donata fuere per PP. Benedictinos Congregationis S. Mauri in Gallia, in Libro, cui titulus: *Thesaurus Anecdotorum* Tomo IV. pag. 447.

II. JOANNES HAUCHINUS Gerardimontensis, S. T. L. Decanus Ecclesiæ Colleg. S. Gudulæ Bruxellis, consecratus 30. Octobris 1583. obiit 5. Januarii 1589.

GUILIELMUS ALANUS Lancastrensis Anglus, S. Th. Doctor in Academia Duacena, dein S. R. E. Presbyter Cardinalis, anno 1591 à Philippo II. ad hunc Archiepiscopatum nominatur; sed dum Romæ ob majora Ecclesiæ negotia moraretur, ibidem obiit anno 1594.

LÆVINUS TORRENTIUS, Gandavensis, Episcopus Antverpiensis, nominatus dein Archiepiscopus Mechliniensis, præmaturè obiit 25. Aprilis 1595.

MATTHIAS HOVIUS, Mechliniensis, S. T. L. Canonicus Graduatus; Archidiaconus, & Sede vacante Vicarius generalis Mechliniensis consecratur 28. Julii 1596. Concilium Provinciale Mechliniæ habuit anno 1607, & obiit 30 Maii 1620. III.

JACOBUS BOONEN, Antverpiensis, J. V. L. ex Decano Metropolit. & Consiliario Ecclesiastico Mechliniensi factus antea Episcopus Gandavensis, inde Archiepiscopus Mechliniensis anno 1621, obiit 30 Junii 1655. ætatis 82. IV.

ANDREAS CREUSEN, Mosæ trajectinus, ex Episcopo Ruræmundensi factus Archiepiscopus Mechliniensis anno 1657. fato cessit 8. Novembris 1666. V.

JOANNES VVACHTENDONCK, Mechliniensis, olim Præpositus Ecclesiæ Metropolitanæ & Consiliarius Mechliniensis, inde ab anno 1654 Episcopus Namurcensis, translatus ad Archiepiscopatum Mechliniensem anno 1667; obiit 25. Junii anni subsequentis. VI.

ALPHONSUS DE BERGHES Bruxellensis, Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Gertrudis Nivellis, ac nominatus Episcopus Tornacensis, consecratur Archiepiscopus Mechliniensis 25. Januarii 1671; mortuus 7. Junii 1689. VII.

HUMBERTUS GUILIELMUS à PRECIPIANO, Comes de Soye, Burgundio, ex Episcopo Brugensi anno 1690. Archiepiscopus, vitâ functus 9. Junii 1711. VIII.

THOMAS PHILIPPUS DE ALSATIA, Comes de Boussu, Bruxellensis, primùm Cathedralis Ecclesiæ Gandavensis Præpositus, Prælatus Domesticus Sanctissimi D. Clementis Papæ XI à quo designatus fuerat Episcopus Iprensis, ab Augustissimo Cæsare Carolo VI. nominatus fuit Archiepiscopus Mechliniensis 5. Martii 1714. Consecratur Viennæ 19. Januarii 1716, & 29 Novembris 1719. à memorato Pont. Clemente XI. renunciatur S. R. E. Præsbyter Cardinalis. IX.

CAPUT CXL.

Idem Pius IV. *Pontifex Episcopatum Ultrajectensem à Metropolitano Coloniensi eximit & Archiepiscopali dignitate exornat, anno 1560; eidem assignans Episcopatus Suffraganeos, Harlemensem, Daventriensem, Leovardiensem, Groeningensem, ac Middelburgensem.*

Additio ex Histor Ecclesiast. Belgii Fœderati.

PIUS Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto Nobis Apostolicæ servitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Metropolitanarum insignium noviter erectarum decori & venustati, ac illis præsidentium, & aliarum personarum in eis divinis laudibus insistentium statui & opportunæ subventioni, cum divini cultûs augmento & animarum Christi fidelium salute valeat salubriter provideri;

Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, ex saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, ac id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cùm itaque, sicut accepimus aliàs, postquam felicis recordationis Paulus Papa IV. Prædecessor noster, considerans eam partem inferioris Germaniæ, quæ Carissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hereditario jure etiam tunc subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, ut illius amplitudo & frequentissimorum Oppidorum celebritas ac longè latèque diffitorum Castrorum & Pagorum suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabat,

His aliisque gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholicæ succurrere, pioque dicti Philippi Regis desiderio satisfacere, habitâque, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione maturâ, de eorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine, Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Diœceses à Remensi, & certis aliis tunc expressis Provinciis, quibus tunc erant Metropolico jure subjectæ,

Ac Harlemense, Daventriense, Levardiense, Gruningense & Middelburgense, olim Trajectensis & aliarum Diœcesium, ac diversa alia tunc expressa Oppida insignia hujusmodi Regionis à sua quodque Diœcesi ac Provincia perpetuò segregaverat & diviserat,

Necnon Harlemense, Daventriense, Levardiense, Gruningense, Middelburgense, & reliqua Oppida prædicta sic divisa in Civitates,

Cameracensem verò & Trajectensem tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam S. Rumoldi Mechliniensem, in Metropolitanam, & certas alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias, in Cathedrales Ecclesias pro totidem Archiepiscopis & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent;

Necnon Harlemensi, Daventriensi, Levardiensi, Gruningensi & Middelburgensi Ecclesiis Civitatibusque prædictis certos tunc expressos districtus aliàs distinctos, per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua cujusque Diœcesi perpetuò concesserat; necnon Ecclesiæ Trajectensi, Harlemensem, Daventriensem, Levardiensem, Gruningensem & Middelburgensem Ecclesias, Civitates & Diœceses antedictas, earumque Episcopos, Clerum & populum pro suis Suffraganeis, Provincia & Provincialibus adjunxerat,

Præfato quoque Philippo Regi ejusque Successoribus, qui pro tempore ipsius regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac aliàs certis tunc expressis modo & formâ qualificatas ad Trajectensem & alias Ecclesias erectas, tam à primæva erectione hujusmodi, quam ex tunc deinceps quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos ad vocationem hujusmodi ordinandam in perpetuum reservârat, per quasdam sub plumbo, & deinceps per alias suas in forma Brevis Litteras desuper confectas;

Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusensi, suo & Apostolicæ Sedis Nuncio in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias & Diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis & Præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice suâ deputaret;

Dilectus Filius noster Antonius S. R. Ecclesiæ Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientiâ ac probitate insignes Viri, quos ipse Salvator Episcopus & Nuncius, prædicto Prædecessore interim de medio sublato, vigore seu prætextu Mandati & posteriorum Literarum hujusmodi substituerat, licet forsitan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant,

Facta nihilominus diligenti indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes quod per dismembrationem bonorum à Monasteriis

ac

ac Præpofituris prædictis fi fierent, cultus Monafticus non mediocriter læderetur, ipfa Monafteria & Præpofituras Menfis prædictis pro dote fuarum Ecclefiarum ad hoc, ut ipfi etiam illorum curam perinde atque fuam propriam gererent, potius effe unienda,

Ac defignationes, & limitationes Provinciarum ac Diœcefium, divifionefque ac diftributiones Oppidorum, & jurifdictionum in nonnullis partibus, ipfi Diœcefi commodiores, quæ per primò dictas Literas ftatuuntur, nec non conftitutiones & affignationes dotium, & denique numerum perfonarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum & Officiorum, ftatum quoque & formam, in præfatis Ecclefiis, etiam per hujufmodi difmembrationes, applicationes, fuppreffiones, tranflationes, novas inftitutiones, aliafque rationes accommodas habendas, & pro earum effectu notabilem partem Diœcefis, rerum & jurium Ecclefiæ Trajectenfis prædictæ ab illa detrahendam, & forfan alia pro rerum exigentia, adjungenda cenfuerunt, ac fuper majori illorum parte proceffus & fcripturas, ferie digeftis rebus omnibus, formandas curaverunt.

Urbes & Pagi archiepifc. Ultrajectini.

Et inter alia dictæ Ecclefiæ Trajectenfi, & pro tempore exiftenti Archiepifcopo Trajectenfi, *Trajectum*, *Amersfordiam*, *Neerdam*, *Muyden*, *Wefop*, *Woerden*, *Leyden*, *Hagam-Comitis*, *Delft*, *Breyl*, *Geervliet*, *Scheydam*, *Vleerdingen*, *Rotterdam*, *Dordracum*, *Gorcum*, *Heuckelom*, *Afperen*, *Thiel*, *Beuren*, *Culenburch*, *Vianen*, *Oudewater*, *Schoonhoven*, *Goude*, *Montfoort*, *Yffelftein*, *Rheenen*, *Wageningen*, *Aernhem*, *Embricum*, *Heuyffen*,

Leerdam certò addendum.

Vleuten, *Ham*, *Haar*, *Zuylen*, *Camerick*, *Zegfelt*, *Cockengen*, *Niwenrode*, *Maerfen*, *Broeckelen*, *Weftbroeck*, *S. Martyns-dyck*, *Willis*, *Meyert*, *Tamen*, *Aade*, *Vinkeveen*, *Loerefloot*, *Bambrugh*, *Nigtevelt*, *Abcoude*, *Horft*, *Anckeveen*, *Vreelant*, *Cortehoeff*, *Bonnick*, *Zeyft*, *Oeyck*, *Beverweerdt*, *Sterckenborgh*, *Neerlanghbroeck*, *Overlanghbroeck*, *Ameronge*, *Elft*, *Horft*, *Leerfen*, *Doern*, *Emmickhuyffen*, *Wouwenbergh*, *Leufden*, *Zoeft*, *Baren*,

Eembrugge, *Emmeneffe*, *Bunfchoten*, *Jutphaes*, *Houten*, *Vreefwyck*, *Schalckwyck*, *'t Goye*, *Werckhoven*, *'t Wael*, *Hontfwyck*, *Coten*, *Duerftede*, *Willegen*, *Lopick*, *Langerack*, *Thienhoven*, *Herlo*, *Ameyde*, *Jaerfvelt*, *Capelle*, *Hagefteyn*, *Cronenburch*, *Loenen*, *Loefdrecht*, *Laren*, *Larem*, *Blaricom*, *Huyffen*, *Buyffem*, *Hilfertfem*, *Muydenborg*, *Polsbroeck*, *Benfchop*, *Rewyck*, *Slupick*, *Waerde*, *Nieuwebrugh*, *Middelborgh*,

Bodegraven, *Swammerdam*, *Nieuwecoep*, *Arleven*, *Noerden*, *Sevenhoeven*, *Haeftrecht*, *Stolwyck*, *Bercou*, *Ouderkerck*, *H. Aertsbergh*, *Crimpen*, *Leckerkerck*, *Zuyck*, *Does*, *Poelgeeft*, *Waffenaer*, *Sweten*, *Coudekerck*, *Hafaertfwoude*, *Benthuyfen*, *Boefcoep*, *Sceveringe*, *Loo*, *Wilfveen*, *Eyckenduynen*, *Burgh*, *Voerburgh*, *Soetermeer*, *Opmeer*, *Waddinxveen*, *Heyde*, *Loefduynen*, *Werve*, *Ryfwyck*, *Notorp*, *Poeldyck*, *Wateringen*, *Monfter*, *Honfelaerdyck*, *'t Wout*, *Berckel*, *Nieuwerkerck*,

Naeldwyck, *Lier*, *Scipluy*, *Kenenburgh*, *Schiebroeck*, *Hillegertsberge*, *Dorp*, *Spangen*, *Souteven*, *Ouwerfchie*, *Cralingen*, *Hoeningen*, *Capelle*, *Maeflant*, *Ketel*, *Delfthaven*, *Schoenreloe*, *Maeflantfe-Sluys*, *Matenes*, *Penifs*, *Poortegael*, *Roon*, *Charloes*, *Ifelmonde*, *Reederkercke*, *Barendrecht*, *Ryfoort*, *Hemyder-ambocht*, *Kyffboeck*, *Oudelantf-amboght*, *Schobbelantf-amboght*, *Lynde*, *Heynenoort*, *Pietershoeck*, *Mynsheerenlant*, *S. Antonis-Polder*, *Maefdam*, *Weftmaes*, *Chillershouck*, *Stryen*, *Oiftvoern*, *Nieuwelantbrugge*, *Swartewael*, *Recainge*, *Heenvliet*, *Spikenis*, *Byert*, *Hekelingen*, *Simonshaven*, *Piershil*, *Coerendyck*, *Niewenhorn*,

Abbenbrouck, *Helvoet*, *Oudenhorn*, *Bleynckvliet*, *Goere*, *Outdorp*, *Bommene*, *Roexnifs*, *Meliffant*, *Middernis*, *Dierixlant*, *Stadt*, *Vueren*, *Herynen*, *Hellon*, *Heften*, *Weerdenburgh*, *Oppynen*, *Varick*, *Nerynen*, *Aft*, *Hemert*, *Gellicom*, *Meteren*, *Rumpt*, *Enfpick*, *Deyl*, *Waynoy*, *Beeft*, *Geldermalfem*, *Avefaet*, *Renoy*, *Tricht*, *Bueremalfem*, *Arikom*, *Wamel*, *Boefecom*, *Sermond*, *As*, *Ravefway*, *Ryfwyck*, *Maurick*, *Ek*, *Lienden*, *Leck*, *Kefteren*,

Hoesden, *Rantwyck*, *Hetcren*, *Remmeroy*, *Reycom*, *Heelfom*, *Woltheelfom*, *Eede*, *Scherpefeel*, *Lunteren*, *Berfevelt*, *Hovelaken*, *Terfchuyr*, *Voerthuyfen*, *Niekerck*, *Hulkerfteyn*, *Oefterbeeck*, *Dorenburgh*, *Clingerbeeck*, *Cildenfpyker*, *Rofendael*, *Ifeloort*, *Velp*, *Zoelen*, *Hoyen*, *Ifendoorn*, *Ochten*, *Doyweert*, *Heyen*, *Hervelt*, *Ewyck*, *Oifthout*, *Londt*, *Gendt*, *Panderen*, *Herwyn*, *Lobick*, *Neerelten*, *Emmerick*, *Eelden*, *Malburg*, *Weftevoert*, *Sevender*, pro fua Diœcefi defignaverunt, prout in fingulis Litteris & proceffibus & fcripturis prædictis pleniùs continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod femper in unionibus commiffio fieret ad partes, vocatis quorum intereffet, attendentes quod ad arcenda & extirpanda tot perniciofa hærefum dogmata, quibus Religio Chriftiana paffim laceratur & affligitur, ac fimul populos ipfos in finceritate Fidei continendos, dictus Prędeceffor nulla alia æquè opportuna remedia potuit adhibere, idcirco ut ea juxta cordis fui & noftri defiderium promptos & felices fortiantur effectus, etiam noftri minifterii partes præmiffis adjicere, ac aliàs illa omnibus quibus poffumus rationibus juvare ac promovere volentes, ac Litterarum, proceffuum, & fcripturarum prædictorum veriores tenores præfentibus pro fufficienter expreffis habentes,

Continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro falute dictorum populorum enixè profequentis excitati, Motu proprio & ex certa fcientia, ac etiam de Apoftolicæ poteftatis plenitudine, auctoritate Apoftolicâ tenore præfentium, divifionibus, limitationibus & diftributionibus, dictorum Subdelegatorum in dictis proceffibus fpecificatis, tanquam in melius reformatis, inhærendo, ac priores Litteras hujufmodi, quoad infrafcripta commutando;

Omnia & fingula Oppida, Caftra, Villas, & loca, in pofteriori defignatione, Subdelegatione

tione hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis Parochialibus, Monasteriis, Collegiis etiam Canonicorum, Capellis, Hospitalibus, Beneficiis, locis & personis, ac Officiis Ecclesiasticis, Secularibus & Regularibus, ac populis & quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfatæ Ecclesiæ Trajectensi juxta designationem hujusmodi, perpetuò concedimus & assignamus.

Et quoniam antiqui proventus annui Mensæ Episcopalis Trajectensis olim uberrimi, sic sensim deperisse dicantur, ut hodie valorem annuum duorum millium & sexcentorum Ducatorum auri de Camera, secundùm communem existimationem, vix constituant, longéque tenuiores sint, quàm quod ad manutenendum Dignitatis Archiepiscopalis statum expediat:

Pro augmento dotis uniuntur bona Abbatiæ S. Pauli Ultrajecti.

Igitur ut ipsi Mensæ de ampliori dote ad concurrentiam Mensæ Archiepiscopalis Mechliniensis, minori quo potest detrimento vel incommodo, consulatur; à Monasterio Sancti Pauli Trajectensis, Ordinis Sancti Benedicti, seu illius Mensa Abbatiali, quæ uberrimis proventibus pollet, decimas, proprietates, & jura in Ducatu Gelriæ consistentia, & ad Monasterium seu Abbatialem hujusmodi, aut Conventualem, vel communem Mensam pertinentia, quorum fructus, redditus, & proventus quingentorum Ducatorum auri de Camera, ut etiam accepimus, annuatim non excedunt, seu ex eisdem usque ad dictum valorem annuum ex nunc, dummodò, si illi ad solum Abbatem ipsius Monasterii pertineant, dilecti Filii moderni Abbatis ad hoc accedat assensus:

Sin autem, cùm primùm per cessum vel decessum ejusdem moderni Abbatis dictum Monasterium vacare contigerit, ex nunc prout ex tunc, & è contra, perpetuò separamus, dividimus & dismembramus; illaque sic separata & dismembrata dictæ Mensæ Trajectensi pro augmento dotis hujusmodi perpetuò applicamus & appropriamus:

Item unitur Præbenda ex unoquoque Capitulo Ultrajectino.

Et ulteriùs unum & unam Majoris, ac alium & aliam Sancti Salvatoris, necnon alium & aliam Sancti Petri, ac alium & aliam Sancti Joannis, necnon reliquum & reliquam Sanctæ Mariæ Trajectensium Ecclesiarum Canonicatus & Præbendas, quos primò, necnon quarum in simul quingentorum.... *

* Desunt aliqua.

Item uniuntur quædam Commendatariæ Ordinis Melitensis.

De Oudewater & Werder Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani, Bajulivatus Sanctæ Catharinæ Trajectensis, dicti Hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani, etiam cumprimùm illos per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum illos nunc obtinentium, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam, aut aliàs quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum dispositio Nobis aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ Regulas seu Litteras alternativarum, aut alia Privilegia & Indulta reservata existat, seu fuerit, simul vel successivè vacare contigerit, ex nunc prout ex tunc & è contra, vel etiam si illi ad præsens, necnon omnes quæ longiori, quàm quod in illarum fundationibus seu ordinationibus exprimetur, tempore vacârunt, & Priori Provinciali Domûs Sanctæ Elisabeth, etiam Trajectensis Hospitalis Teutonicorum subjectæ sunt, quarumque etiam quingentorum Ducatorum auri de Camera, secundùm eamdem existimationem, valorem communem, ut similiter accepimus, non excedunt;

Item Commendatariæ Ordinis Teutonici.

Dicti Hospitalis Beatæ Mariæ Teutonicorum Præceptorias, Commendatarias nuncupatas, quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, seu per liberas resignationes, quamvis de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico & Testibus spontè factas, aut Constitutione piæ memoriæ Johannis Papæ XXII. etiam Prædecessoris nostri, quæ incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii Ecclesiastici, quâvis authoritate collati vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam præfatam legitimè devoluta, ipsique dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati, & conventuales existant, & ad illos consueverint qui per electionem assumi, eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, super eis quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, annexis & pertinentiis suis Mensæ Trajectensi prædictæ perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus;

Ita quod liceat pro tempore existenti Archiepiscopo Trajectensi corporalem possessionem decimarum, proprietatum & jurium dismembratorum, nec non Præceptoriarum, Canonicatuum, & Præbendarum, juriumque, jurisdictionum annexorum & pertinentiarum prædictorum, per se vel alium, seu alios, propriâ auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere;

Ac in singulis, Majori Trajectensi, & Sancti Salvatoris, ac Sancti Petri, nec non Sancti Johannis & Beatæ Mariæ Ecclesiis hujusmodi, tanquam inibi Capitularis, locum, vocem, & auctoritatem super Decanum & Canonicos singularum Ecclesiarum earumdem, habere & exercere,

Ac in ejus Diœcesi seu Provincia residendo, fructus, redditus, & proventus, nec non jura, obventiones, distributiones, & alia emolumenta, etiam ratione residentiæ debita, perindè ac si ipse in singulis eisdem Ecclesiis resideret (ita tamen quod in Civitate Trajectensi residens, easdem Ecclesias, earumque Chorum, ad hoc ut omnia laudabiliter procedant & observentur, frequenter visitare, ac onera dictis Præceptoriis incumbentia supportare, jura quoque ab Hospitalibus & Militiis hujusmodi præstari solita omninò pendere studeat) integrè percipere, ac in suos, nec non Mensæ suæ ac Præceptoriarum hujusmodi usus & utilitatem convertere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ.

Sic quod Archiepiscopus Trajectensis pro tempore existens, à prima die receptionis suæ omnia

omnia & singula, fructus, redditus, proventus, unà obventiones, & emolumenta omnium & singulorum tam Majoris, quàm aliarum Ecclesiarum prædictarum Canonicatuum & Præbendarum, eidem Mensæ Archiepiscopali, ut præfertur, unitorum, integrè & absque ulla prorsus diminutione, aliàs prout olim Episcopus Trajectensis, ac Majoris & Sancti Petri Ecclesiarum Trajectensium Decani percipere consueverunt, etiam in primo anno percipere valeat.

Ut autem ipse Archiepiscopus pro tempore existens in tanta Diœcesi, adeoque ampla Provincia, quæ omnium prima hæreticorum irruptionibus obnoxia existit, Eruditorum Virorum copiam, ad meliorem Orthodoxæ Fidei defensionem & Ecclesiasticæ jurisdictionis conservationem, commodiùs habere, & perpetuò confovere possit;

Statuimus & ordinamus, quod ex omnibus Canonicatibus & Præbendis dictæ Ecclesiæ Trajectensis, quos facto loco unioni Mensæ Trajectensis de Canonicatu & Præbenda Ecclesiæ Trajectensis primò vacaturis hujusmodi, etiam primò per cessum vel decessum, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam, aut aliàs vacare contigerit, vel etiam si actu nunc vacent, ac tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam præfatam legitimè devolnta, ipsique Canonicatus & Præbendæ similiter dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati, affecti, & Sacerdotales existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa,

Statuuntur novem Graduati in Metropolitana Ultrajectina.

Tribus Magistris aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, ac tribus aliis Nobilibus ejus Diœcesis, etiam in Jure vel Theologia saltem gradu Licentiaturæ, in famosa quapiam Universitate Studii Generalis, secundùm tenorem primò dictarum Litterarum promotis, ordine præmisso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant:

Quodque ad sex priores tam Nobiles quàm alii non Nobiles, ut præfertur tamen qualificati; ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum consilium & operam in negotio Ecclesiæ & Religionis, ceterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Archiepiscopo præfato requisiti fuerint, tam conjunctim, quàm divisim præstare teneantur.

Et ut de Viris spectatæ doctrinæ & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ dein accuratiùs prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus & novem Præbendæ, hâc primâ vice ad præfatum Archiepiscopum dumtaxat; & deinde, quoties illa futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Archiepiscopi & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum, per eos conferantur; & in hujusmodi electione suffragium Archiepiscopi non plus juris, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente; tuncque iteratum ad hoc Archiepiscopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat:

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, & in corpore juris clausis, nec non exspectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, Indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo, primariis Precibus nuncupatis, aut aliis gratiis præventivis per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam præfatam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque causa quantumlibet urgenti, pro tempore factis & concessis comprehendantur;

Nec etiam tamquam vacantes apud Sedem Apostolicam hujusmodi, aut ullâ aliâ ratione generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam causâ permutationis apud Sedem eamdem de illis provideri, vel aliàs quoquomodo disponi possit: sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullâque causâ infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister, seu Licentiatus in Theologia, & alter decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus, seniores, ratione suarum Præbendarum facultatem habeant visitandi per universam Diœcesim Trajectensem prædictam, quoties ab Archiepiscopo Trajectensi, ceteri verò Canonici Graduati prædicti quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur, ac ex reliquis senioribus Canonicis prædictis, duo in Theologia & unus in jure Canonico Graduati, ut præfertur, unà cum Scholastico Majoris Ecclesiæ Trajectensis promovendos ad sacros Ordines, admittendos autem ad curas animarum, quâcumque authoritate illi provisi fuerint, unà cum Archidiacono cujus ditionis erunt curæ hujusmodi examinandi, respectivè curam habeant; neminem, nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum, medio juramento promittentem, admittendo.

Et quoniam nuperrima hæreticorum studia, temporisque malitia, Viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patitur; quod si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Archiepiscopo suo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant, ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Majoris Ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui Divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat;

Nec quispiam ullâ dispensatione, vel alio Privilegio Apostolico, quâcumque causâ impe

trato vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere poterit.

CETERUM ut eidem Archiepiscopo Trajectensi sua constet authoritas, serveturque uniformis usus jurisdictionis per omnem Diœcesim Trajectensem, ac Ecclesiæ Metropolitanæ Provinciæ prædictæ conformitatem super his habeant, quod Archidiaconi Ecclesiæ Trajectensis eâ deinceps in perpetuum jurisdictione, & Archidiaconatuum administratione, quisque videlicet in sua Provincia, qualem Archidiaconus Ecclesiæ Mechliniensis habiturus est, omninò potiantur.

CUMQUE novem Canonicatuum & Præbendarum affectorum dispositio ad Archiepiscopum, & novem Graduatos modo præmisso sit concessa, proindè reliqui Capitulares Canonici collationem aliorum Canonicatuum & Præbendarum in suo turno ordinario habeant:

DISPOSITIO verò Vicariarum & aliorum Beneficiorum omnibus communis esse debeat, & per turnos, prout hactenus, observetur; districtiùs inhibentes universis & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, ceterisque locorum Ordinariis, necnon S. Joannis Jerosolymitani, & Teutonicorum Hospitalium hujusmodi Magistris, eorumque ac prædicto, ceterisque Conventibus, Superioribus & personis, illique vel illis ad quem, seu quos Præceptoriarum, ac Canonicatuum & Præbendarum prædictarum collatio, provisio, præsentatio, electio & quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ac quibuscumque aliis, cujuscumque Dignitatis, Statûs, Ordinis & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris, & pœnis, necnon privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterùm obtinenda, ne de illis seu eorum aliquo si vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & executionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare, quoquo modo præsumant.

AC decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omninò acquisitum esse, & super his beneficio Regularum de non tollendo jure quæsito, ac de annuali & triennali possessore, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, plenariè gaudere debere, ac Canonicatus & Præbendas, & Præceptorias unitos hujusmodi, ad hoc ut de illis quoquomodo disponi valeat, de cetero vacare, ac easdem, aut affectos novem Canonicatus, & novem Præbendas prædictos, per quoscumque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam juxta Concordata Nationis Germanicæ, expectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum, quoquo modò acceptari non posse, & nihilominùs quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones & incorporationes, ac alias dispositiones, de eisdem aut eorum aliquo, etiam per Nos & Sedem præfatam quomodolibet factas, & faciendas, nullius prorsus roboris vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, aut etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

AC concessionem, assignationem, separationem, divisionem, dismembrationem, extinctionem, applicationem, appropriationem, unionem, annexionem, incorporationem, statutum, ordinationem, ceteraque præmissa, ex nunc omninò eumdem effectum sortita esse & censeri, nec sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus unionum, annexionum, incorporationum, suppressionum, & extinctionum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per Nos vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summum Apostolatûs apicem, quàm aliàs quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & Decretis, quocumque tempore fient, includi: sed illis non obstantibus, in suis vigore, robore, & efficacia persistere, ac quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa esse:

SICQUE incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse, esse, & fore: præsentesque Litteras nullo umquam tempore de surreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus vel controversiam quâcumque ratione vel causâ vocari posse.

SICQUE per judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores & Cardinales, in quavis causa & instantia, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & diffiniri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

QUOCIRCA Venerabilibus Fratribus nostris, Archiepiscopo Mechliniensi, & Episcopo Amerinensi, ac dilecto Filio Præposito Ecclesiæ Ariensis, Morinensis seu alterius Diœcesis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, ac pro tempore existentis Archiepiscopi Trajectensis & aliorum, quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostrâ Archiepiscopum Trajectensem, & alios præfatos, concessione, assignatione, dismembratione, separatione, divisione, applicatione, appropriatione, unione, annexione, & incorporatione, statuto, ordinatione, & Litteris ac in eis contentis prædictis, pacificè gaudere, ac Litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

NON

Non permittentes illos, per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet & rebelles per Censuras & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ compescendo. Nec non legitimis super his habendis servatis processibus, Censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Non obstantibus voluntate priori & aliis præmissis, & nostris de valore, tam in eisdem unionibus, quàm impetrationibus & aliis gratiis etiam Motu simili factis exprimendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentes, ac recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dietis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, etiam Reservatoriis, etiam in Corpore juris clausis,

Nec non aliis dictæ Cancellariæ Apostolicæ Regulis, etiam revocatoriis & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliàs in contrarium quomodolibet editis & edendis, nec non Monasteriorum, & Ordinum, ac Ecclesiarum & Collegiorum, ac locorum & Hospitalium prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ vel quavis facultate aliâ roboratis, Statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis,

Nec non quibusvis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis, etiam in Canonicos creationibus, aliis unionibus, etiam perpetuis, absq; consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus citrà accessus, & regressus facultatibus, Mandatis, Litteris & concessionibus, quibuscumque Personis, cujuscumque Dignitatis, status, gradûs, & conditionis existentibus, & Cardinalatûs honore fungentibus, ac nostris etiam antiquis & descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac Prælatis Domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam Officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causâ, consideratione, intuitu vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis, & Decretis etiam irritantibus, & aliis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu & scientiâ similibus, & aliàs quomodocumque concessis,

Quas & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum, quoad præmissa omnia, omninò suspendimus, ac in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus, nec non Privilegiis, Indultis & Litteris Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, ac illorum Magistris, Fratribus & Militibus, nec non Capitulis, Conventibus, Superioribus; & aliis quibusvis per quoscumq; Romanorum Pontifices Prædecessores nostros ac Nos & Sedem prædictam, etiam per viam generalis Legis ac Statuti perpetui, nec non initi & stipulati contractûs, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus & formis ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum & quorumcumque aliorum, seu etiam motu, scientiâ & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter ac aliàs quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis & etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis & innovandis;

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis, latissimè extendenda, in supplicatione opposita non intelligantur, aut aliàs comprehendantur, nihilominus in genere & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui Apostolicâ præfatâ, vel aliâ quâvis authoritate in dictis Ecclesiis, in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus seu commendis sibi faciendis, de Canonicatibus & Præbendis ipsarum Ecclesiarum ac Præceptoriis hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum; quas ibidem Litteras & processus habitos per easdem, ac inde secuta quæcumque ad Canonicatus & Præbendas ac Præceptorias hujusmodi volumus non extendi: sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Canonicatuum, & Præbendarum vel Præceptoriarum, aut beneficiorum aliorum præjudicium generari; & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumq; tenorum existant, per quæ, præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc Paginam nostræ concessionis, assignationis, separationis, divisionis, dismembrationis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, Statuti, ordinationis, inhibitionis, Decreti, mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario

temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

DATUM Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesi- 1560. mo sexagesimo, quinto Iduum Martii, Pontificatûs nostri anno secundo.

Fœd. Card. Cæsius.

Cæs. Glorierius.

A. DE ALEXIIS.

ARCHIEPISCOPI ULTRAJECTINI.

Additio. I. FREDERICUS SCHENCK, Toparcha de Tautenbourg, olim Præpositus Ecclesiarum Collegiatarum S. Petri Ultrajecti & S. Plechelmi Oldensaliæ, nec non Imperialis Cameræ Spiræ Præses, defuncto Georgio Egmondano postremo Ultrajectensium Episcopo, primus, isque unicus inauguratus fuit Archiepiscopus anno 1561; obiit anno 1580.

II. HERMANNUS COMES à RENNEBOURG, Præpositus Ecclesiarum Collegiatarum S. Salvatoris Ultrajecti & S. Crucis Leodii, dein nominatus fuit ad Archiepiscopatum Ultrajectensem; sed ob quassatam tumultibus Patriam, nominationis effectu caruit.

III. JOANNES BRUHESEN, Metropolitanæ Ultrajectinæ Decanus, nominatusque Episcopus Groeningensis, dein designatur Archiepiscopus Ultrajectinus. Sed rebus magis magisque perturbatis, exulavit Coloniæ, ibique inter Canonicos Capitulares Metropolitanæ Ecclesiæ adlectus, extremum diem obiit anno 1600.

VICARII GENERALES ET APOSTOLICI PROVINCIARUM BELGII FOEDERATI.

Additio. I. SASBOLDUS VOSMERUS, Delphensis, S. T. L. Ecclesiæ Hagæ-Comitanæ Decanus, Romæ consecratus fuit Archiepiscopus Philippensis anno 1602. atque Vicarius Generalis & Apostolicus per Belgium Fœderatum. Sed eo in munere summas perpessus molestias, ipsumque exilium, obiit Coloniæ 3. Maii 1614.

II. PHILIPPUS ROVENIUS, Roveno-Transisalanus, S. T. L. Præpositus Oldensaliensis ac Decanus Daventriensis, consecratus fuit Archiepiscopus Philippensis in Abbatia Forestana, juxta Bruxellam, anno 1620; obiit Ultrajecti 3. Octobris 1651.

III. JACOBUS DE LA TORRE, Hagæ-Comitanus, nominatus ab anno 1640. Coadjutor Rovenii, consecratus fuit Archiepiscopus Ephesinus Monasterii Westphalorum anno 1647. Fuit quoque Præpositus Harlebacensis in Flandria, & Sacelli Burgundici Bruxellis Capellanus & Eleemosynarius major. Dein factus impotens, obiit in Cœnobio Guilielmitarum Huybergensium juxta Antverpiam 16. Septembris 1661.

IV. ZACHARIAS DE METZ, Bruxellensis J. U. L. Canonicus S. Servatii Trajecti ad Mosam & B. Mariæ Thorensis prope Geldriam, anno 1656. datus est Coadjutor *Jacobo Torrio*, ob difficultates à Fœderatis Belgii Ordinibus motas exulanti, consecratusque fuit in Episcopum Trallensem. Sed nondum cessantibus molestiis, vitâ functus est Amstelodami 13. Julii 1661.

V. BALDUINUS CATSIUS, Gorcomiensis, S. T. L. olim Præses Collegii Pulcheriani seu Hollandici in Academia Lovaniensi, consecratus fuit in Archiepiscopum Philippensem Coloniæ 9. Septembris 1662. Paulò post impotens factus obiit Lovanii 18. Maii 1663.

VI. JOANNES NEERCASSEL, Gorcomiensis, Presbyter Oratorii, factus fuit Coadjutor præcedentis, & unà cum ipso consecratus Coloniæ, ipse Episcopus Castoriensis. Libris editis & eruditione clarus obiit Swollis 6. Junii 1686.

VII. PETRUS CODDE, Amstelodamensis, Presbyter Oratorii & Pastor Ultrajecti, consecratus in Archiepiscopum Sebastenum Bruxellis 6. Februarii 1689. Obiit Ultrajecti 18. Decembris 1710.

VIII. THEODORUS DE COCK, Ultrajectinus, à Clemente XI. designatus est Pro-Vicarius anno 1702; sed cum acceptus non esset Fœderatis Ordinibus, Romam migravit, ibique factus Canonicus S. Laurentii in Damaso, & Capellanus Summi Pontificis, extremum diem obiit 16. Januarii 1720.

IX. GERARDUS POTCAMP, Pastor & Archipresbyter Linganus, à Pontifice designatus Pro-Vicarius 14. November 1705, consentientibus etiam Statibus; præmaturè è vivis ereptus fuit 16. Decembris ejusdem anni.

X. ADAMUS DAEMEN, Amstelodamensis, J. U. L. Canonicus Presbyter Capitularis Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis, & Præpositus S. Andreæ ibidem, consecratus fuit Coloniæ in Archiepiscopum Adrianopolitanum die 25. Decembris 1707; sed per Fœderatos Ordines nunquam receptus, obiit Coloniæ 30. Decembris 1717.

XI. PETRUS VAN BYLEVELT, Ultrajectinus, Pastor Hagæ-Comitanus, nominatus fuit à Clemente XI. Pont. Vicarius Apostolicus per Fœderatas Belgii Provincias anno 1719.

CAPUT CXLI.

ALBERTUS & ISABELLA, *Belgarum Principes, solemni juramento asserunt atque promittunt tueri Privilegia Ecclesiæ Collegiatæ Sæ. Gudulæ Bruxellis, anno* 1599.

Additio. ex Basilica Bruxellensi. NOS ALBERTUS & ELISABETH CLARA EUGENIA Hispaniarum Infans, Dei gratiâ Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, & Geldriæ, Comites Habsburgi, Flandriæ, Arthesiæ, Burgundiæ, Tirolis, Palatini, & Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, & Zutphaniæ, Marchiones Sacri Imperii Romani, Domini Frisiæ, Salinarum & Mechliniæ, Civitatum, Oppidorum & territorii Trajecti, Transisulaniæ & Groningæ,

VIDELICET Ego Archidux tanquam Maritus, & legitimus tutor præfatæ Serenissimæ Infantis, & Ego Infans, tanquam Princeps proprietaria supranominatarum Provinciarum, ut satisfaciamus, & exequamur ea, quæ 21. Augusti anni 1589. per Nos, & ex nostra parte promissa & jurata fuere, singulis Ordinibus hujus

jus Belgii Inferioris tunc Bruxellis existentibus, & congregatis in majori Aula Palatii nostri ibidem, juramus & promittimus ad hæc sacrosancta Evangelia: Quod semper erimus fideles nostræ Ecclesiæ S. Gudulæ, ceterisque Ecclesiis districtûs & territorii Civitatis nostræ Bruxellensis, & observabimus, faciemusque observari Jura, Privilegia, Statuta, Consuetudines, Possessiones, & Libertates dictarum Ecclesiarum, prout Prædecessores nostri, Duces Ducatûs Brabantiæ hactenus fecerunt. Sic Nos Deus adjuvet, & omnes Sancti ejus.

Fuere præsentes Octavius Episcopus Tricaricensis, Nuntius Apostolicus,
Baltazar de Zuniga, Legatus Regius,
Dux Aumalius,
Carolus Dux Croius & Arscotanus,
Princeps Auriacus,
Marchio Havreacus,
Comes Arenbergius Eques Aurei Velleris, & Maris Belgici Archithalassus,
Comes Solranus,
Comes Bergensis,
Marchio Bergarum super Zomam, Gubernator Geldriæ & Zutphaniæ,
Joannes Richardotus, Sanctioris Concilii Præses,
Nicolaus Damantius, Brabantiæ Cancellarius,
Cum pluribus aliis eminentis notæ, & Togati, Equestrisque Ordinis Viris.

CAPUT CXLII.

Iidem Principes augent proventus Præbendarum Majorum in eadem Ecclesia S. Gudulæ Bruxellis, anno 1605.

Additum ac translatum ex Diplomate Gallico, quod habetur in Basilica Bruxellensi.

Albertus & Isabella Clara Eugenia Hispaniarum Infans, Dei gratiâ Archiduces Austriæ, &c. omnibus has præsentes visuris salutem.

Cum ex tempore Læti nostri Introitûs & successionis in Ditionibus nostris citerioribus Germaniæ Inferioris singulariter Nobis commendatio fuerit accepta, ut in Dei honorem & exaltationem nostræ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ Fidei, videremus proficere Divinum Officium in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis dictarum nostrarum Ditionum tum & in Ecclesia Collegiata S. Gudulæ in hac Urbe nostra Bruxellensi, quæ ab antiquo ædificata fuit à Prædecessoribus nostris Brabantiæ Ducibus, à quibus in ea fundati fuerunt duodecim Canonici cum Decano suo quamvis modicè dotati, quibus incumbit cura Officii Divini quod peragitur quotidie in dicta Ecclesia, cupientes ex parte nostra dictum Officium proficere & augere dotem præfatorum Decani & Canonicorum, atque etiam procurare ut oretur pro salute Personarum nostrarum, felicitate & bono successu rerum nostrarum, pro solatio animarum Prædecessorum nostrorum, atque ut Missæ post decessum nostrum, aut aliàs secundùm intentionem nostram fiant:

Quibus conformiter tractari curavimus cum Venerabilibus nobis caris & dilectis præfatis Decano & Canonicis dictæ Ecclesiæ, eò usque ut contenti fuerint suscipere onus celebrandi in illa quatuor Missas privatas quotidie & duo anniversaria annuè, semper atque in perpetuum in forma & modo prout sequitur:

Videlicet præfati Decanus & Canonici obstringent se pro se ipsis & suis successoribus ad celebrandum personaliter per se ipsos quotidie semper & in perpetuum in dicta Ecclesia quatuor Missas privatas dividendo æqualiter dictum onus inter se, adeo ut quatuor ex ipsis quâcumque hebdomadâ eâ obligatione fungantur, habeatque dictus Decanus qui modò est, & qui successuri sunt, eoque absente aut non residente, primus Canonicorum post ipsum curam principalem & specialem ut id accuratè & exactè mandetur executioni tam respectu quatuor prædictarum Missarum, quàm duorum Anniversariorum.

Eapropter, tum & quia præfata dignitas modicè satis est dotata pro se, jure prærogativæ ex reditibus & fructibus bonorum ipsis assignandorum præcipiet florenos centum annuè cum residebit, & quinquaginta cum non residebit, & quinquaginta florenos restantes prædictus primus Canonicorum, & quod supererit æqualibus portionibus dividetur inter præfatos Decanum existentem Canonicum & Canonicos Confratres ejus, deductis primùm & ante omnia sumptibus & impensis faciendis pro dictis Missis & duobus Anniversariis, ut infra dicetur.

In initio verò cujuscumque anni fiet dicta repartitio, quomodo in ejus decursu hebdomadatim præfatæ Missæ celebrandæ sint, cujus repartitionis quilibet dictorum Canonicorum particularem habebit declarationem ejus quod sibi facere incumbet, & præfatus Decanus generalem aliquam, ut ex ea possit discernere an quisque eorum adimpleat ordine designato Missas sibi injunctas: qui verò inter dictos Canonicos non erunt Presbyteri, neque partem, neque portionem bonorum hujus fundationis habebunt, quanto tempore Presbyteri non erunt, sed ipsorum portio simul & Missæ oneris ipsorum æqualiter distribuentur inter alios Canonicos Presbyteros; neque etiam Fundationis participes erunt Canonici foranei, aut absentes, nisi prædicti absentes substituant aliquem ex numero præfatorum Canonicorum suis expensis.

Quod si contingat aliquem dictorum Canonicorum

nonicorum residentium, morbo, invalitudine, aut alio impedimento legitimo detineri, ut non posset obligationi dictarum Missarum per se ipsum satisfacere, poterit curare, ut id fiat per alterum; modò faciat, ut dictus morbus aut impedimentum præfato Decano innotescat, tum simul, cui Sacerdoti aut Religioso curam istam seu dederit, seu dare desideret: idque ideo, ut ipsi pro quacumque Missa celebranda ex reditibus dictorum bonorum dentur in eleëmosynam decem asses, qui detrahentur de competenti portione dicti Canonici aut Canonicorum infirmorum & impeditorum.

Quod si aliquis præfatorum Canonicorum contentus fuerit obligationi alterius satisfacere, præferetur quibusvis aliis Sacerdotibus, vel Religiosis; atque tunc inter ipsos curabit dictus Decanus fieri distributionem quantum maximè poterit æqualem.

Si contingat, dictum Capitulum non adimplere omnia quæ supra dicta sunt, suâque culpâ in defectu persistere, semelque aut bis ex parte nostra aut dictorum Successorum nostrorum commoniti, non emendaverint neq; satisfecerint, liberum licitumque erit Nobis seu Successoribus nostris Ducibus & Ducissis Brabantiæ omni & quovis tempore dicta bona recipere, eaque transferre, atque alteri cuipiam Ecclesiæ aut Monasterio donare, ut per eorum seu Clerum seu Religiosos, dictæ Missæ & Anniversaria celebrentur, prout cum ipsis conventum fuerit.

Atque ut tanto firmiùs celebratio dictarum Missarum & Anniversariorum constituatur, si quis Canonicus in sua parte deficiat, per culpam suam aut negligentiam, à præfato Decano, aut in ejus absentia à primo post ipsum mulctabitur viginti assibus in singulas Missas neglectas, qui distribuentur inter alios Canonicos & Presbyteros, qui defectui supplebunt.

Si autem in dicta Ecclesia tam pauci forent Canonici residentes, ut per ipsos satisfieri nequiret celebrationi antedictarum quatuor Missarum privatarum indies, eo casu tantummodo obstricti erunt eas dumtaxat celebrare quas commodè poterunt, partientes Missas restantes inter alios Presbyteros qui equidem illas in Ecclesia præfata, & non alibi, celebrare debebunt, quibus etiam distribuetur integra portio emolumenti, quæ aliàs pertineret ad Canonicos Missarum dictarum celebrationi obstrictos.

Celebrabuntur verò dictæ Missæ durante nostrâ amborum vitâ de Sancto, aut de Festivitate quæ occurret, pro salute personarum nostrarum, felicitate & bono successu rerum nostrarum, & solatio animarum Prædecessorum nostrorum. At verò quacumque feriâ quintâ, si non incidat in eam diem festum aliquod solemne, dictæ quatuor Missæ privatæ celebrabuntur de Sancto & Venerabili Sacramento.

Et post obitum nostrum aut alterius nostrûm, celebrabuntur omnes pro solatio animarum nostrarum & dictorum Prædecessorum nostrorum & felicitate Successorum nostrorum Ducum & Ducissarum Brabantiæ, Dominorum & Dominarum hujus Belgii, & in diebus Paschatis, Pentecostes, Omnium Sanctorum, Nativitatis, Dominicis, Festis B. Virginis & Apostolorum, S. Michaëlis, S. Gudulæ aliisque similibus, celebrabuntur omnes quatuor secundùm diem & festivitatem occurrentem, & à quovis celebrantium in fine cujusvis dictarum Missarum legetur Responsorium de Defunctis, durante nostrâ amborum vitâ pro animabus Prædecessorum nostrorum, & post obitum nostrum pro solatio nostrarum, prout dictum est.

Celebrabuntur autem dictæ quatuor Missæ super Altare Sacelli S. Sacramenti miraculosi in præfata Ecclesia, & non alibi. Ad quod inchoandum, curabimus subministrari nostris expensis Casulam, Albam, Cortinas, Calicem, atque omnia ulteriùs ad dictum Officium requisita, secundùm specificationem quæ desuper fiet. Eâ conditione ut præfati Decanus & Canonici obstringant se ad illa in perpetuum sarta conservanda, & cum opus fuerit, renovanda suis impensis & sumptibus, tam honorificè quàm nostro & Successorum nostrorum honori convenit, subministrando jam nunc & deinceps perpetuò insuper luminaria panem atque vinum.

Quæ Casula, Alba, Cortinæ & alia ornamenta custodiri debebunt in Sacello, quod ædificatum est ponè majus Altare Chori S. Sacramenti miraculosi in dicta Ecclesia, eritque antedictum Sacellum usui præfatorum Decani & Canonicorum, ut inibi induantur tanquam in Sacrario, committentque ipsi suis expensis ædituum, seu ministrum aliquem, qui custodiat & reponat dicta ornamenta.

Insuper etiam obstringent se præfati Decanus & Canonici pro se suisque Successoribus, ad faciendum & celebrandum duo Anniversaria quotannis in perpetuum in magno Choro supradictæ Ecclesiæ pro animabus nostrorum Prædecessorum, donec vixerimus; quorum alterum fiet sub Octavam omnium Sanctorum die minùs impeditâ Officio, & alterum mense Februario; & post obitum alterius nostrûm, fiet unum dictorum Anniversariorum pro illo quotannis ipsâ die obitûs sui, eodemque modo fiet, cum Deus ex hoc mundo evocaverit alterum, nisi propter Dominicam aut Festum solemnius fieri non posset: quo casu transferentur in diem proximiorem & minùs impeditam.

Obstringetur dictum Capitulum tempestivè significare & notam facere diem quâ unumquodque Anniversariorum celebrabitur, Nobis & Ducibus & Ducissis Brabantiæ Successoribus nostris, aut eorum pro isto tempore Provinciarum Præfectis generalibus; debebuntque insuper curare ut prædicta dies populo annuntietur Dominicâ præcedente in concione prima, ut qui piè affecti fuerint Officio possint interesse.

Jubebunt etiam pro quolibet Anniversario pulsari quater maximas campanas, primùm eo tempore quo inchoabuntur Vigiliæ, secundò eâdem die sub Vesperam, horâ in hujusmodi casibus consuetâ, tertiò die sequenti horâ sextâ matutinâ, & quartùm dum inchoabitur Sacrum, quod immediatè subsequetur Missam solemnem ordinariam isti diei propriam.

Duorum-

Duorumque horum tempore Officiorum obstringentur dicti Decanus & Canonici curare, ut circumvestiatur magnus Chorus præfatæ Ecclesiæ panno, aut crispo laneo nigro suis sumptibus & expensis, atque ut tumulus dictorum Ducum & Ducissarum tegatur umbellâ serici heteromalli, qualem Nos ad eum finem fieri jubebimus pretiosè ornatam talibus insignibus & inscriptionibus, prout convenire judicaverimus, quam umbellam ipsi fartam debebunt conservare, & cum opus fuerit eâdem formâ renovare.

Circum tumulum debebunt ardere viginti quatuor tædæ toto dictorum duorum Officiorum tempore, sex magnæ candelæ in Altali summo, & aliæ quatuor in Choro, suis quatuor æneis candelabris impositæ, sumptibus & expensis præfatorum Decani & Canonicorum.

Dictus Decanus celebrabit Officium supradictarum Vigiliarum & Missarum, eoque absente aut extra hanc urbem impedito dignior Canonicorum post Cantorem; qui Cantor cum seniore Canonico præsidebunt Choro, induti pluvialibus nigris, ceteris ad latera assistentibus in habitu Chori.

Fientque dictæ Vigiliæ cum tribus Lectionibus secundùm ritum Romanum, cum Laudibus, post quas dicetur absolutio supra dictum tumulum per præfatum Decanum, aut præfatum digniorem Canonicorum. Prima supradictarum Lectionum cantabitur Musicè à Cantoribus, secunda cantu Gregoriano per aliquem Canonicum minorem aut Sacellanum, & similiter tertia per digniorem dictorum Canonicorum, *Benedictus* & *Magnificat* * Musicâ rudiore, Absolutio supra tumulum musicè, prout & Missa, eâque finitâ, Absolutio supra dictum tumulum.

* Faux-Bourdon.

Ipso die quo celebrabitur Missa dicti Anniversarii, distribuent centum panes, singulos valoris trium assium pauperibus totidem, duodecim designandis à præfatis Decano existente Canonico per plumbeta aut aliam tesseram, & singuli præfatorum Canonicorum eligent singulos octo, modò Presbyteri fuerint: si verò non residеant tam multi, residentes repartientur inter se plumbeta absentium, & deligent pauperes quos voluerint.

Præfatus Decanus, aut qui eo absente peraget Officium, habebit pro sua præsentia in Officio singulorum prædictorum dierum tres florenos, Presbyter qui ei assistet pro quolibet Officio pro sua præsentia & assistentia decem asses, Diaconus & Subdiaconus pro ministerio in Missa & præsentia sua singuli decem asses, Cantor ejusque collega pro sua præsentia & præsidentia singuli pro quolibet Officio unum florenum, ipsorumque duo Vicarii pro assistentia & præsentia in duobus Officiis singuli unum florenum; Canonici majores in quolibet Officio decem asses, Magistri Cæremoniarum & Accensus virgatus totidem; Canonici minores & Sacellani singuli quinque asses pro singulis præsentiis.

Canonici qui eodem die, quo dicta Anniversaria fient, Missam celebraverint, Collectamque pro Defunctis dixerint, habebunt asses quinque, Canonici minores & Sacellani tres. Atque hæc omnia mediante assignatione sufficiente bonorum & fundorum terræ, infra exprimendorum.

Ad quæ omnia & singula supradicta præstandum & solvendum, præfati Decanus & Canonici obstringent se ipsos & suos Successores in perpetuum, sicut dictum est, tradentque Litteras suas reciprocas obligationis susceptæ in forma debita & luculenta, ita ut neque unquam neque in futurum possint se desuper excusare; nisi fieret ut reditus dictorum bonorum & possessionum ipsis assignatarum pro dicta Fundatione, sive bello sive alio casu sine ipsorum culpa diminueretur ultra unam tertiam modernorum proventuum. Quo casu non erunt obligati aliter quàm secundùm proportionem fructuum quos inde recipient, usque dum prædicta bona referant antecedentes proventus, postquam id Nobis aut Successoribus nostris indicaverint.

Notum facimus quod Nos, his de quibus supra consideratis, cupientes ad effectum deducere in perpetuum Fundationem dictarum quatuor Missarum privatarum, duorum Anniversariorum, eleëmosynæ, distributionum, & omnium quæ inde dependent, post maturam consilii deliberationem, ex judicio Nobis planè dilectorum & fidelium Præsidum, Thesaurarii generalis & Delegatorum ad nostra Dominia & Financias, ex nostra certa scientia, potestate & auctoritate, pro Nobis, heredibus nostris & Successoribus, Ducibus & Ducissis Brabantiæ, Comitibus & Comitissis Hannoniæ, Dominis & Dominabus Valencenarum, donaverimus, cesserimus & transtulerimus, donemus cedamus & transferamus propter Deum in eleëmosynam, & ad effectum de quo supra, præfatis Decano & Canonicis dictæ Ecclesiæ S. Gudulæ in Urbe nostra supradicta, amodo & Successoribus eorum nonaginta quatuor jugera, tres quartas aut circiter pratorum, quæ nominantur *les-Prets-le-Comte*, quodlibet jugerum quinque *mencaldorum, ad Nos spectantia sub Questura Dominii nostræ* Aulæ in dictis Valencenis, libera à jurisdictione Toparchiarum vicinarum, & sita intra territoria *Domraingy*, *Vy* & *Frasne*, simul cum iis comprehenso prato, quod vocatur **Apparitoris*, quod continet jugerum unum. Quæque prata modò * per auctiones publicas locata sunt diversis personis in sexdecim portionibus, pro summa mille quingentarum & octo librarum & quindecim assium annuè, librâ æstimatâ quadraginta grossis Monetæ nostræ Flandricæ, quæque locatio finietur ultimâ Septembris millesimo sexcentesimo septimo;

* Mencalds. * De la Sale.

* Du Sergeant. * Par recours publics.

Ut præfati Decanus & Canonici eorumque Successores illa teneant, iis gaudeant, illaque possideant semper atque in perpetuum libera & exempta ab omnibus censibus & reditibus, * vectigalibus nobilibus, & cum eadem ipsa libertate & exemptione, quâ Nos ipsi usque ad præsens iis gavisi sumus, illaque possedimus.

* Charges Foncieres.

Sub onere & conditione, ut satisfaciant ipsique adimpleant bene ac debitè celebrationem dictarum

dictarum quatuor Missarum quotidie, duorum anniversariorum annuè, distributionem, luminaria, subministrationem & conservationem ornamentorum & præstationes, nihil omnino excepto, ut gaudeant dictis pratis à die datæ harum & deinceps ad ratam redituum.

Cum autem & inceperint facere & celebrare dictas quatuor Missas privatas, ad eum effectum separavimus & distraximus, separamus & distrahimus à nostro Dominio in dictis Valencenis prædicta prata, per has memoratas præsentes; idque omnino, non obstantibus nostris Ordinationibus & Edictis, illisque Prædecessorum nostrorum in contrarium, statuentibus ut nullis Ecclesiasticis, Abbatibus, Prælatis, Capitulis aut aliis à *caducaria lege immunibus liceat novas facere acquisitiones, aut jure hereditario obtinere fundos, reditus, census, aut alia bona. Quibus Ordinationibus & Edictis, respectu hujus modò institutæ Fundationis, cessionis & transcriptionis, per hasce derogavimus & derogamus, atque ex ampliore nostra gratia prædicta prata *jure caduci liberavimus & *liberamus, atque hæc universim sub oneribus & conditionibus prædictis.

mortes mains

avons admorti admortissons.

Idque eâ conditione, ut præfati, Capitulum Decanus & Canonici tradant Litteras suas pro missionis, obligationis & reciprocas in bona & rata forma pro se, suisque Successoribus, continentes planè dilucidè atque amplè, quod per nonaginta quatuor jugera tres quartas pratorum, agnoscant sibi abundè & ad beneplacitum suum provisum, dotatum & factum esse satis, idque ad manus Præsidis & Senatorum Cameræ Rationum in Brabantia, ut ibidem pro nostra securitate asserventur, ad eas recursus habeatur cum opus fuerit.

Quæ omnia supradicta & singula eorum, Nos pro Nobis ipsis, heredibus nostris & Successoribus Ducibus & Ducissis Brabantiæ, Comitibus & Comitissis Hannoniæ, Dominis & Dominabus Valencenarum promisimus & promittimus per hasce, fide Principis præstare & præstari facere, fovere & observare; ita ut nec inferamus nec inferri patiamur à quoquam, quisquis fuerit directè seu indirectè quocumque modo, turbationem, aut impedimentum ullum in contrarium.

Et propter ampliorem ipsorum securitatem & Successorum eorum, renuntiavimus & renuntiamus per hasce præsentes omnibus juribus Regiis, aliisque quæ Principes possent exigere, omnibusque quæ quis posset aut vellet allegare ad impugnandum aut irritam faciendum modò institutam Fundationem, Donationem, Cessionem & Transcriptionem, quin imò & juri quo asseritur, generalem renuntiationem non subsistere, nisi peculiaris præcesserit. Atque ubi dictus noster Quæstor Valencenarum has dictas præsentes intulerit, *Vidimus* aut earum Copiam authenticam, volumus & statuimus ut memorata nonaginta quatuor jugera tres quartæ pratorum eradantur ex Quæstura computuum ejus, sintque tam ipse quàm ejus Successores in munere in posterum exonerati, ut non desuper ulterius rationem reddant quocumque modo.

Quapropter mandamus, Nobis admodùm caris & fidelibus Primis Præsidibus & personis nostrorum Sanctioris & Magni Conciliorum, Concilio Montensi, prædictis nostrarum Financiarum Præsidi & personis nostrarum Rationum Insulis, nostro Præposito-Comiti in dictis Valencenis, dicto nostro Quæstori ibidem præsenti & futuro, omnibusque aliis nostris Justitiæ & Officiorum administris & subditis ad quos hoc pertinebit, ut hâc nostrâ præsente Cessione & Transcriptione iis conditionibus, secundùm & juxta modum, prout dictum est, ipsi & eorum singuli faciant, patiantur & sinant præfatos Decanum & Canonicos memorati Capituli S. Gudulæ in hac Urbe nostra Bruxellensi, ipsorumque Successores integrè, pacificè & perpetuò frui & uti, neque ipsis faciant, inferant aut moveant turbationem ullam aut impedimentum in contrarium, procedentibus dictis Financiarum nostrarum, atque iis qui rationum nostrarum Insulis curatores sunt ad verificationem & inscriptionem harum dictarum præsentium, juxta formam & tenorem suum absque ulla contradictione aut difficultate;

Prevost-le-Comte.

Quibus Curatoribus Rationum nostrarum Insulis præfati Decanus & Canonici pariter tradere debebunt Copiam authenticam Litterarum suarum obligationis, promissionum atque reciprocarum, eo non obstante quod per Edicta antehàc facta super administratione nostrorum Dominiorum & Financiarum inter alia disertè prohibitum sit, ne dicta nostra Dominia vendantur, onerentur, oppignorentur aut alienentur, quod nullatenus volumus in ipsorum præjudicium cedere, verùm ab eo ipsos eximimus & eximimus per hasce dictas præsentes, perque illas præfatos Financiarum & Rationum nostrarum, aliosque omnes nostros Officiorum administros jurejurandi obligatione per ipsos respectivè præstiti quoad conservationem & observationem prædictorum Edictorum absolvimus, illis attamen quoad cetera perstantibus in suo robore & vigore, non obstantibus etiam quibuscumque aliis nostris Edictis, restrictionibus, mandatis aut inhibitionibus huic contrariis. Quoniam ita Nobis placet.

Quod ut firmum sit & in perpetuum stabile, dictas præsentes Sigillo nostro jussimus muniri, jure nostro in aliis salvo, atque alieno in omnibus.

Datum in Urbe nostra Bruxellensi, mense Martio anno gratiæ millesimo sexcentesimo quinto. Inferiùs scriptum est: De mandato Archiducum, 1605.

Marchio de Havre Eques * Ordinis, Id est Aurei Velleris.

Baro de Haveskercke Toparcha de Vendegies * Præsides, Chiefs.

Dominus Jobannes de Drenckwairt, Eques Toparcha de Dormale, Thesaurarius generalis,

Philippus Stercke,

Joannes Dennetieres, * Curatores Financiarum, & alii præsentes. Commis

Signatum Verreyken.

CAPUT

CAPUT CXLIII.

Iidem Principes ALBERTUS *&* ISABELLA, *Religiosos Ordinis Minimorum admittunt in Belgium, dantes licentiam erigendi Conventus in omnibus locis sibi subjectis, anno* 1618.

Additio ex Archivio PP. Minimorum Bruxell.

ALBERTUS, & ISABELLA CLARA EUGENIA Infans Hispaniarum, Dei gratiâ Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c.

NOTUM facimus, Nos recepisse humilem libellum supplicem R. P. Provincialis FF. Minimorum Ordinis S. Francisci de Paula in hoc Belgio, continentem, quod per Litteras nostras patentes de 20. Junii anni 1617. permisissemus dicto Ordini facultatem assumendi, acceptandi, & possidendi census, & hereditates, imò emendi loca necessaria ad construendos Conventus ejusdem Ordinis in bonis nostris Civitatibus Bruxellensi, Antverpiensi, etiam & Anderlechti.

A quo tempore etiam sese obtulerunt quidam boni homines, qui devotione moti erga eundem Ordinem, eidem concesserunt reditus aliquos ad alendum quemdam numerum Religiosorum jam in 'e in Civitate nostra Montensi commorantium. Verùm cùm dictus exponens timeat, ne illos acceptare possit absque nostra permissione, in eum finem supplicavit humiliter, quatenus Nobis placeat illi concedere facultatem assumendi, & acceptandi loca, & reditus, quæ ipsi sunt oblata non solùm in dicta Civitate Montensi, sed etiam in omnibus locis, terris, & dominiis nostræ obedientiæ, & ibidem emendi omnes alios fundos necessarios ad augmentum locorum, quæ dicto Ordini poterunt imposterùm donari, & de illis facere expediri Litteras nostras patentes ad hoc requisitas.

QUARE Nos, habitâ relatione rerum supradictarum, & iis perpensis, benignè inclinantes in libellum supplicem dicti Patris Provincialis supplicantis FF. Minimorum S. Francisci de Paula, illi concessimus, permisimus, & consensimus, concedimus, permittimus, & consentimus de gratia speciali per præsentes, ut possit erigere, & fundare Conventus sui Ordinis in omnibus locis, & Civitatibus nostræ obedientiæ, ubi Magistratus de scientia, & prævio consensu Episcopi Diœcesani, ipsos recipient ad habitandum, & ibidem religiosè vivendum juxta Statuta sui Ordinis, cum eadem Immunitate, Exemptione, & Privilegiis, quibus impræsentiarum gaudent omnes Religiosi, etiam Ordinis S. Francisci in hac Patria, illos recipientes in hunc effectum sub nostra protectione, & defensione speciali, unà cum ipsorum Couventibus, bonis, & hereditatibus hinc dependentibus:

EA conditione tamen ut eo ipso quo voluerint acquirere bona immobilia futuri sint obligati ut sibi provideant in eum finem de nostris Litteris amortizationis in forma ordinaria, & consueta. Eapropter præcipimus nostris dilectissimis, & fidelibus Primario Præsidi, & Consiliariis Privati nostri, & Magni Consilii, Gubernatori, Præsidi, & Consiliariis nostri Consilii Provincialis Luxemburgi, Gubernatori, Cancellario, & Consiliariis nostri Consilii Geldriæ, Præsidi, & Consiliariis nostri Consilii Provincialis Flandriæ, Gubernatori, Præsidi, & Consiliariis nostri Consilii Provincialis Artesiæ, Locum-tenenti Generali, & Magno Ballivio terræ nostræ Hannoniæ, Consiliariis nostræ Curiæ Montibus, Gubernatori, Præsidi, & Consiliariis nostri Consilii Provincialis Namurci, Gubernatori Insularum, Duaci, Orchisæ, Gubernatori, & Ballivio Tornacensi & Tornacesii, Præposito Comitatûs Valencenis, Sculteto Mechliniæ, & omnibus nostris Justiciariis, Officiatis, & subjectis, ad quos spectat, vel spectare poterit, ut permittant dictum Patrem Provincialem supplicantem, unà cum omnibus Religiosis sui Ordinis præsentibus & futuris, plenè, pacificè, & perpetuò gaudere, & frui præsenti nostrâ Gratiâ, concessione, & permissione, conditionibus quibus & prout dictum est, absque eo quod ipsis faciant poni, aut præberi, aut patiantur fieri, poni, aut præberi nunc & imposterum aliquam molestiam, interturbationem, aut impedimentum in contrarium, sed potiùs omne auxilium, favorem, & assistentiam requisitam; sic enim Nobis placet.

IN cujus rei fidem fecimus apponi magnum nostrum Sigillum præsentibus. Datum in nostra Civitate Bruxellensi die 7. mensis Aprilis anno gratiæ MDCXVIII. Ma. Vt. 1618.

Additio. PAtres Minimi fundati primùm in Italia & Gallia à S. FRANCISCO DE PAULA, qui obiit anno 1506, exinde acquisierunt sequentes Conventus in Belgio;

Antverpiensem anno 1614.
Anderlechtensem juxta Bruxellas anno 1615.
Bruxellensem anno 1616.
Leodiensem anno 1618.
Montensem in Hannonia anno 5618.
Insulensem anno 1618.
Gerardimontensem anno 1622.
Duacensem anno 1624.
Lovaniensem anno 1639.
Dunkercanum anno 1647.
Jupiliensem juxta Leodium anno 1649.

Postmodùm

Additio. Postmodùm iidem laudatissimi piissimique Principes Albertus & Isabella, nullâ relictâ prole (summo Belgarum omnium mœrore) è vivis excedentes, sepeliri voluerunt Bruxellis ante Altare majus Sacelli SS. Venerabilis Sacramenti, in Ecclesia S. Gudulæ, de qua cap. 141. eorumque loculis plumbeis insertæ fuêre inscriptiones quæ sequuntur.

Inscriptio inserta Loculo plumbeo Alberti:

Alberti *Archiducis Austriæ, Burgundiæ Brabantiæque Ducis, Belgarum Domini, & Imperatorum* Maximiliani II. & Ferdinandi I. *Augustorum Filii, Nepotisque,* Elisabethæ Claræ Eugeniæ, Philippi II. *Hispaniarum, Indiarumque Monarchæ, Filiæ, Mariti; Pietate, justitiâ, clementiâ, Magni, & æternùm memorandi Principis exuviæ mortalitatis, immortalitatis gloriam beatæ resurrectionis in spe hìc exspectant. Vixeras annos* LXI. *menses* VIII. *diem* I. *Rexerat religiosè, prudenterque annos* XXV. *Obiit verum Christiani Principis exemplar, anno Christiano* M. D. C. XXI. III. *Idus Julii.* 1621.

Isabellæ autem Loculo plumbeo inserta inscriptio hæc:

Deo & Sacræ memoriæ Magnæ Principis Isabellæ Claræ Eugeniæ *Dei gratiâ Hispaniarum Infantis,* Philippi II. *Regis Filiæ,* Caroli V. *Imperatoris Neptis, Regum* Philippi III. & IV. *Sororis & Amitæ,* Alberti Pii, *Archiducis Austriæ, Principis Belgii, pientissimæ Conjugis: sanctimoniæ, sapientiæ, clementiæ, ceterarumque, dum vixit in terris, cælestium virtutum, incomparabilis Heroinæ, mortales exuviæ hìc sitæ sunt. Vixeras in solatium omnium annis* LXVII. *mensibus* III. *diebus* XVIII. *Devixit summo cunctorum cum mœrore Kalend. Decemb.* M. D. C. XXXIII. 1633.

CAPUT CXLIV.

Prioratus S. Salvatoris Religiosorum Ordinis Cisterciensis Antverpiæ, olim fundatus à Petro Pot, *Equite Aurato, ad dignitatem Abbatialem evehitur ab Abbate Generali Cisterciensi, anno 1652.*

Additio ex Histor. Episcop. Antverp. in qua vide plura.

Nos Frater Claudius Vaussin Abbas Cistercii, in Cabilonensi Diœcesi, Sacræ Theologiæ in Facultate Parisiensi Doctor, Christianissimi Regis in supremo Burgundiæ Senatu Primus Consiliarius, universi Cisterciensis Ordinis Caput ac Superior Generalis, ejusdemque Capituli Generalis plenariâ potestate fungentes, universis præsentes Litteras inspecturis salutem in Auctore salutis.

Quæ majori Divinæ gloriæ accessioni, nostrique sacri Cisterciensis Ordinis decori, & incremento apprimè conducunt, ea gratiosis lubenter prosequimur favoribus. Cùm igitur Conventualis Prioratus S. Salvatoris præfati Ordinis nostri in Urbe Antverpiensi, fundatus anno Domini 1433. à Generoso piæ memoriæ Domino Petro Pots Equite Aurato, ad hæc usque tempora sub regulari nostri Instituti observantia permanserit, ac maximoperè tam facultatibus temporalibus, quàm Religiosorum numero excreverit, spesque non mediocris affulgeat, fore ut ad ulteriorem splendorem, nostrique Ordinis amplius ornamentum deducatur, si in Abbatiam erigatur; propterea Venerabiles omnes Religiosi Conventum prædicti Monasterii S. Salvatoris constituentes, supplice Libello porrecto Nobis supplicârunt, quatenus ad prædicti Ordinis nostri splendorem ac decus, majoremque Dei gloriam antedictum Prioratum in Abbatiam erigere, Priorique moderno & Successoribus ejus, usum Pedi Pastoralis, ac Privilegia Abbatialia concedere dignaremur.

Nos, attendentes quod S. Stephanus tertius Abbas nostri Cistercii, Prædecessor noster, S. Benedictum Legislatorem nostrum in fundandis Abbatiis imitatus, in primordiis Ordinis nostri miserit Venerabilem Bertrandum ad Firmitatensem, Beatum Hugonem ad Pontigniacensem, S. Bernardum ad Claræ-Vallensem, & Patrem Arnoldum ad Morimundensem Abbatias Cistercii quatuor primarias Filias erigendas, singulos Abbates cum duodecim Cistercii alumnis Conventum facientes; quod idem eorum Successores passim in Ordine in Abbatiarum erectione servârunt:

Perpendentes etiam, quod supradictus Prioratus S. Salvatoris sufficientes habeat proventus temporales ad alendos viginti quatuor Religiosos, & ad sustinendam dignitatem Abbatialem, supradictas ob causas supplicationi admodùm Reverendi Co-Abbatis nostri de Dunis, nostri per Belgium Vicarii Generalis, & præfatorum Conventualium Religiosorum prædicti Monasterii S. Salvatoris, Nobis in hac parte porrectæ benignè annuentes, sæpè dictum Prioratum S. Salvatoris de nostra paterna & plenaria sacri Cisterciensis Ordinis nostri, & Capituli Generalis ejusdem, quâ fungimur, auctoritate, in Abbatiam præsentium serie convertimus & erigimus. Adeo ut suppressis Prioratûs & Prioris nominibus, in posterùm perpetuis futuris temporibus Abbatia, & modernus Prior, illiusque Successores dicti loci Superiores, Abbates nominentur & sint, possintque Benedictionis Abbatialis munus accipere, uti Musceto, Pedo Pastorali, Annulo, aliisque Insigniis Abbatialibus (Mitrâ exceptâ) necnon denique dictum Monasterium seu Abbatia S. Salvatoris, ipsiusque loci Superior seu Abbas modernus

modernus & Successores, omnibus & singulis juribus, privilegiis, gratiis, honoribus, titulis & gradibus, nunc & futuris perpetuis temporibus, frui & gaudere valeant, quibus Abbatiæ & Abbates nostri Ordinis, sine Mitra, uti, frui & gaudere solent & debent.

MANDAMUS propterea omnibus & singulis Ordinis nostri Regularibus...... quâcumque dignitate fulgentibus, ut præfatam Abbatiam Sancti Salvatoris, illiusque Abbates, modernum ac Successores, hujusmodi Privilegii, nostræque suprascriptæ Concessionis beneficio gaudere & tranquillè uti sinant, iisdemque Abbatiæ & Abbatis nomen & titulum attribuant.

DATUM Cistercii sub nostra subscriptione, majoris nostri Sigilli appensione, & nostri Secretarii Chirographo die VII. mensis Novembris anno Domini supra millesimum sexcentesimo 1652. quinquagesimo secundo.

CAPUT CXLV.

Episcopalis Cathedra Ruræmundensis unà cum Capitulo Canonicorum, è Templo S. Spiritûs angustiori, transfertur in Templum Parochiale augustius S. Christophori, anno 1659.

Additio ex Histor. Ecclesiast. Ducatûs Geldriæ.

CUm nihil sit tantæ ædificationis & exempli, quàm seculares pariter Potestates ac Magistratus cum Ecclesiæ Prælatis eodem planè conatu concurrere ad majorem Dei gloriam, ampliorem Domûs Domini decorem, luculentioremque cultûs ac officii Divini splendorem; hinc est, quod Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Eugenius Albertus d'Allamont, electus ac confirmatus Episcopus Ruræmundensis, communicatis priùs cum Capitulo suo consiliis de Cathedra sua cùm dicto Capitulo è Templo S. Spiritûs (quod nimis exile & inconcinnum videbatur, ac insufficiens capiendo commodè Clero ac populo, in majoribus solemnitatibus) ad Parochiale Divi Christophori hujus Civitatis Tutelaris, quod longè augustius, ac in conspicuo ampliùs loco eminet, transferenda; quò nimirum tam laudabili ac pio prorsùs opere Ecclesiæ suæ regimen tantò feliciùs auspicaretur, ultimâ Junii proximè elapsi, Litteras zelo hoc suo dignas, scripserit Supremo Ducatûs hujus Geldriæ Senatui, quibus assensum desuper Regis postulavit, ac sine ulla prorsùs difficultate in petitione tam sancta, ac multi fructûs prænuntia, obtinuit; postquam assistentibus Amplissimis Dominis Consiliariis Guilielmo de Blitterswyck, Martino de Werimont itidem Majestatis suæ Fisco, & Gerardo de Lom in hanc rem ab eodem Senatu deputatis, Admodum Reverendi ac Venerabiles Domini Jacobus ab Oeveren Decanus ac Vicarius Generalis hujus Diœcesis, Joannes Cox Canonicus & Scholasticus, Henricus Dilsen Canonicus & Officialis, hocque absente, Gerardus Huberti itidem Canonicus, Capituli Cathedralis Mandatarii ex una, & Clarissimi spectabilesque Viri Joannes van Winde Consul primarius, necnon Franciscus Pollart primus Scabinus & Exconsul, & Henricus Goris Scabinus, dictæ Ecclesiæ Parochialis Provisores, ejusdemque Ædiles Petrus Wolters & Petrus van Wissem, qui & Senatores Civitatis à Magistratu commissi ex altera partibus, in sequentes Articulos convenissent;

I. QUOD ornamenta utriusque Ecclesiæ ad summum Altare conferentur, communia erunt, & paribus expensis restaurabuntur cum Albis, sive lineis Sacerdotum vestibus, ceterisque huc pertinentibus.

II. QUOD fiet fractio trium annorum, quibus hìc sedit Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Andreas Creusen, modo Mechliniensis Archiepiscopus ac Belgii Primas, & quantum unus ex tribus eo calculo deductus annus Capitulo Cathedrali constiterit in procurandis hostiis, vino, cereis, thure reliquisque similibus ad Officium Divinum requisitis, tantundem etiamnum contribuet, residuo supplendo ab Ecclesia Parochiali, ex quibus etiam, omnibus Sacerdotibus Ecclesiæ Cathedralis celebrare volentibus providebuntur hostiæ, vinum, candelæ & cetera Sacrificio Missæ necessaria.

III. QUOD Choraules utrimque eodem numero assumentur communibus expensis, ac rubeis togis vestientur, emolumentis paribus gaudebunt, augebiturque vel minuetur eorum numerus consensu utriusque partis: non augebitur verò ultra octonarium.

IV. QUOD Capitulum conficienda curabit stalla sive sedilia inferiora Vicariis ac Sacellanis utriusque Ecclesiæ, quæ cum Superioribus reficientur, deinde communibus expensis; libri quoque Clero necessarii in unum conferentur, ac deinceps Capituli expensis conservabuntur, ac procurabuntur novi, dum iis opus erit.

V. QUOD Illustrissimus Episcopus, & Pastor ejusdem Parochiæ conscribent regulam Æditius sive Custodibus Templi, præsertim quantum ad pulsum campanarum, reservatis tamen utrique Custodi respectivè suis juribus ordinariis ac consuetis. Sed ornamenta servabuntur à Sacrista constituendo à Capitulo, à quo & ei stipendium persolvetur; quodque rursum fiet fractio, uti supra dictum est, pro expensis lotionis linteorum Ecclesiæ.

VI. QUOD quartam partem sumptuum refundendarum campanarum subministrabit Capitulum, reliquis ab ipsa Parochia procurandis; idem & fiet de funibus, aliisque impensis circa campanas erogandis, sed ubi materia refundendis

dis campanis deficiet, colligentur eum in finem per Civitatem eleëmosynæ, uti pridem fieri assuevit.

VII. Quod utrimque ex æquo feretur stipendium Organistæ, qui & parebit utrique parti, nisi Capitulum fortè malit in se postmodum sumere totum stipendium; quo casu & Organista stabit ad nutum solius Capituli, tenebitur tamen etiam tunc communitati deservire in suis officiis, uti antehac.

VIII. Organum majus ac superius si reficiatur, fiet id communibus expensis, instructor item Choraulium in cantu & Phonascus assumetur utriusque partis consensu, quo munere perget fungi, qui nunc est Cantûs Magister.

IX. Quod Musici utriusque Ecclesiæ conjungentur, quorum numerus stipendio aletur, augebitur vel minuetur, ex arbitrio & consensu ambarum partium.

X. Quod Capitulum non curabit funera, nisi Principum & Gubernatorum Provinciæ aut personarum similis vel majoris dignitatis: deinde quod in præsentiarum jura vel distributiones fient uti hactenus, & supplicationes utriusque Ecclesiæ fient conjunctim per utriusque Clerum, exceptis iis, quæ fiunt post Laudes Venerabilis Sacramenti & ad Divam Virginem in Arena, ad quas Capitulum non obligabitur.

XI. Quod quæcumque nova opera jubebit fieri Capitulum, ea & fient ejus sumptibus, reliqua verò curabuntur uti hactenus ab ipsis Provisoribus & Ædilibus ejusdem Ecclesiæ (assumendis semper uti jam pridem à Magistratu) eâ tamen lege ut sive ea fiant, vel Capituli, Magistratus, Ecclesiæ vel aliorum expensis, nonnisi consulto priùs Illustrissimo Episcopo præscribantur & fiant; & quod in omnibus servabitur Concilium Tridentinum nominatim sess. 22. cap. 8. & 9. de Reformatione.

XII. Quod Scholæ Triviales ac Ludimagistri pendebunt, uti antehac, ex nutu & imperio Capituli, & Magistratûs respectivè.

XIII. Quod Capitulum sartam tectam servabit Ecclesiam Sancti Spiritûs, & procurabit ut in ea quotidie unum aut plura fiant Sacra, donec de ea aliter statuatur, quodque in ea fient imposterum Catechismi.

XIV. Quod in Conventibus publicis Concilium Regium considebit à latere Cathedræ Episcopalis, & Magistratus ex adversa parte.

XV. Quod Conciones fient horâ & loco consuetis, nisi Illustrissimo aliud videatur.

XVI. Quod circa Sodalitates, Beneficia, Officia, ac Opificia nihil immutabitur, nisi fortè circa recitationem Horarum Canonicarum, quæ si opus fuerit, poterunt transferri in aliud tempus opportunum, absque tamen ullius incommodo, aut præjudicio.

XVII. Quod Sacristiæ Venerabilis Sacramenti & Divæ Virginis pertinebunt, uti hucusque, ad Sodalitates unius & alterius respectivè; sed si Capitulum necessarium ducat Sacristiam majoris Altaris augere vel novam ædificare, fiet id ejus expensis, ad usum tamen utriusque Cleri; quod si verò statuat Sacellum D. Michaëlis convertere in locum Capituli, procurabit alium locum idoneum asservandis Templi impedimentis, reliquoque instrumento.

Reliqua omnia, quorum superiùs nulla mentio facta est, manebunt in antiquo suo statu, exceptis Horis Parochiæ, Concionibus, ceterisque muniis Ecclesiasticis, de quibus Illustrissimus Episcopus disponet pro meliore Divini Cultûs decore ac ordine, & populi commoditate, servabunturque Parochiæ cuncta sua jura ac eleëmosynæ ad usum fabricæ, servitium populi, &c.

Ultimò, quod hinc per Capitulum, illinc per Magistratum sopientur difficultates, quæ forsitan, de quo minimè timetur, possent oriri super sensu & interpretatione prædictorum articulorum.

Hisce igitur per supra nominatos Capituli Cathedralis, Concilii Supremi Regii, ac Magistratûs Deputatos conclusis, & per principales suos committentes approbatis, adstipulantibus quoque Ecclesiæ Divi Christophori Rectore Domino Joanne Gerardo Brants, ejusdemque Pastoratûs Patrono generoso Domino Joanne Guilielmo de Cortenbach Civitatis Ruræmundensis Advocato hereditario, quo præsentationem sibi factam de erigendo corpore Pastoratûs in Præbendam sive Canonicatum acceptante, erectio ista Canonicè facta est per Illustrissimum Episcopum, quâ in perpetuum nova hæc Præbenda affecta erit Curæ animarum, & possessores ejusdem intererunt omnibus actibus Capitularibus, exceptis duobus casibus, nimirum quando agetur de conferenda aliqua Præbenda veteris Fundationis vel Pastoratûs, cujus collatio ad solos Capitulares antiqui Corporis spectat, & quando deliberabitur super administratione bonorum & præsentiarum ejusdem veteris Fundationis: servatis etiam novo huic Canonico & Pastori suis, quibus hucusque gavisus est, præsentiis, & propriorum bonorum administratione, uti & ejus Successoribus.

Acta sunt hæc omnia mense Junio, anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni. 1659.

Subsignârunt sequentes

Eugenius Albertus Episcopus Ruræmundensis. Jac. Oeveren. J. G. Cortenbach Erfvocht. H. van Dilsen. J. G. Brants Past. Jo. Cox. G. Blitterswyck. M. Wermont. G. Lom. F. Pollart. Henr. Goris. Jo. van Winden. Peter Wauters. Peter van Wessem.

FINIS.

PHILIPPO IV.

HISPANIARUM ET INDIARUM

REGI CATHOLICO

BELGARUM PRINCIPI.

MAJORES tuos, REX CATHOLICE, Belgicæ, inquam, tuæ Principes, Pipinos, Carolos, Ludovicos; Arnulfos, Godefridos, Balduinos, Ansfridos, Robertos, & ex altero sexu Gertrudes, Beggas, Gerbergas, Adelas, Richildes velut reduces ac coram loquentes in theatrum produco. Suis illi verbis, suo ore dicent, qui Principes tot augusta apud nos Templa, tot illustria Canonicorum Collegia, tot opulenta Monachorum Cœnobia, tot Religiosorum hominum Asceteria, tot peregrinorum Xenodochia, tot ægrorum Nosocomia excitarint ac dotarint. Post Chilpericum, Dagobertum, Childericum & Theodericum Reges, Tornacensis, Vedastinæ, Blandiniensis, Elnonensis, aliarumque Ecclesiarum Dotatores, primi in scenam prodibunt, PIPINUS Landensis cum Filiabus suis S. Gertrude Nivellensis in Brabantia, & S. Begga Andennensis in agro Namurcensi, Nobilium Collegiorum conditricibus; S. VINCENTIUS Comes Sonegiensis & Altimontensis in Hannonia Templorum structor, cum conjuge sua S. Waldetrude Montensi, ejusque Sorore S. Aldegunde Melbodiensi; Carolus MARTELLUS Ultrajectinæ apud Batavos Cathedræ, operâ S. Willibrordi, Auctor, PIPINUS ex Majore Domûs Regiæ in Austrasia Rex Francorum, Epternacensis in Ducatu Lutzeburgensi & aliorum alibi priorum Cœtuum benefactor eximius.

Quid de Pipini Filio CAROLO, propter rerum, quas gessit, magnitudinem verè Magno dicam? Is bella gessit varia, Aquitanicum, Longobardicum, Hispanicum, Bohemicum, Danicum, Boicum & alia, felici eventu omnia: quòd Ecclesiæ orthodoxæ propugnator fortis in primis ac munificus cùm esset, à supremo cœli Imperatore semper fuerit mirificè propugnatus. In Longobardos certè à multis retrò annis Sedi Apostolicæ infestos, Hadriani Pontificis Max. hortatu, arma sumpsit, Regemque illorum Desiderium sceptro privavit, & Leodicum misit exulatum. In Germania novas Episcopis Sedes posuit, Monasteriensem, Mindensem, Halberstadiensem, Osnaburgensem, Paderbornensem, Verdensem, Hamburgensem & Hildesheimensem: duas ad dignitatem Metropolitanam provexit, Iwaviensem & Hamburgensem. Aquisgrani Basilicam rotundam Virgini-Matri condidit, auro, argento, columnis marmoreis Româ & Ravennâ advectis, cancellis denique ac portis ex ære solido ornavit: quæ fabrica hodieque magnâ admiratione spectatur. Carolum exceperunt Filius Ludovicus Pius, & Nepotes, Lotharius ex Imperatore Monachus Prumiensis, Carolus Calvus & Ludovicus Germanicus: quos

de Cameracensi, Tornacensi, Nivellensi, Blandiniensi, Marchianensi, Hasnoniensi, Dononiensi & aliis Ecclesiis optimè meritos fuisse constat.

Ut ad minorum gentium Principes transeam, Arnulfus Magnus Flandrorum Comes Brugense Canonicorum S. Donatiani Collegium, nunc Cathedrale, suo ære constituit, Sigifridus Comes primus Lutzeburgensis Epternaci Monachos à se collocatos dotavit, Theodericus Hollandiæ Comes Egmondanum, Ansfridus ex Lovaniensi & Huiensi Comite Episcopus Ultrajectinus Paulinum, Henricus Comes Lovaniensis Affligemense, Balduinus Insulanus Flandriæ Comes Eihamense & Winnocibergense, Robertus Jerosolymitanus Andreanum prope Brugas, Conradus Comes Lutzeburgensis Munsteriense, Godefridus Barbatus Brabantiæ Dux Fliderbecanum, Parcense & Bigardiense, & alia alibi Monasteria alii fundarunt. Idem Balduinus Insulanus Insulense & Harlebecanum, Lambertus Baldricus Lovaniense & Bruxellense, S. Megengosus Gelriæ Princeps Vilicense in Diœcesi Coloniensi, Godefridus Bullonius ex Lotharingiæ nostræ inferioris Duce Rex Jerosolymitanus Antverpiense, Balduinus ex Flandriæ Hannoniæque Comite Imperator Constantinopolitanus Curtracense, Philippus Alsatius Ariense & alia Canonicorum Collegia excitarunt.

Ex altero sexu Gerberga Gisleberti Lotharingiæ Ducis Vidua, pòst Francorum Regina, Marsanensem in agro Falcoburgensi, Hilsundis Ansfridi Comitis suprà laudati uxor Thorensem ad Mosam, Adela Flandriæ Comitissa Messinensem, Richildis Hannoniæ Comitissa Dionysianam prope Montes, & alias aliis in Provinciis Ecclesias constituerunt & vectigalibus annuis ditarunt.

Ceterum ad Sacræ Majestatis Tuæ pedes tot illustrium Antecessorum tuorum Donationes pias summâ quâ possum veneratione nunc depono. Latebant illæ in Archivis Ecclesiarum, & cum blattis ac tineis luctabantur: è tenebris à me erutæ, & temporum locorumque notis distinctæ ad Aulam tuam, nobilissimarum disciplinarum Academia à Te nuper auctam ac decoratam, ire porrò gestiunt. Et verò in terras pii ac munifici Principes isti, quorum Donationes pias profero, si redirent, nulla de re sibi potiùs gratularentur, quàm à Te, tot regnorum ac ditionum herede, id ipsum summo studio agi, quod ipsi quondam religiosè præstiterunt: nimirum ut tuis in Provinciis Belgicis vera pietas, cum sincera Christi doctrina, pulsis hæresibus, efflorescat. Atque hanc quidem laudum tuarum partem præ ceteris suspiciendam censeo, qua Catholici nomen, quod frendente nequidquam invidiâ geris, maximè retineri & ornari posse judicas. Det utinam votis ac conatibus tuis Deus, ut ii populi, quos ad rebellandum violatæ religionis error abduxit, ad Ecclesiæ Catholicæ castra, rebellione ejuratâ, aliquando revertantur! In quo voto Deum venerans finio. Antverpiæ Idibus Septembris M. DC. XXX.

S. M. T.

Devotus

Aubertus Miræus.

A U-

AUBERTI MIRÆI NOTITIA ECCLESIARUM BELGII.

CAPUT PRIMUM.

Excerptum ex Notitia Provinciarum & Civitatum Galliæ, HONORII *Imperatoris ævo, circa annum* 410. *condita.*

Provincia BELGICA PRIMA. Civitates numero IV.

METROPOLIS Civitas Treverorum. *l'Archeveſché de Treves.*

Civitas Mediomatricorum Mettis. *l'Eveſché de Metz.*

Civitas Leucorum Tullo. *l'Eveſché de Toul.*

Civitas Verodunenſium. *l'Eveſché de Verdun.*

Provincia BELGICÆ SECUNDA. Civitates numero XII.

Metropolis Civitas Remorum. *l'Archeveſché de Reims.*

Civitas Sueſſionum. *l'Eveſché de Soiſſons.*

Civitas Catuellaunorum. *l'Eveſché de Chaalon.*

Civitas Veromanduorum. *l'Eveſché des Vermandois* nunc *Noyon.*

Civitas Atrebatum. *l'Eveſché d'Arras.*

Civitas Cameracenſium. *l'Eveſché de Cambray.*

Civitas Turnacenſium. *l'Eveſché de Tournay.*

Civitas Silvanectum. *l'Eveſché de Senlis.*

Civitas Bellovacorum. *l'Eveſche de Beauvais.*

Civitas Ambianenſium. *l'Eveſché d'Amiens.*

Civitas Morinum. *l'Eveſché de Teroanc.*

Civitas Bononienſium. *l'Eveſché de Bouloigne.*

Provincia GERMANIA PRIMA. Civitates numero IV.

Metropolis Civitas Moguntiacenſium. *l'Archeveché de Maience.*

Civitas Argentoratenſium. *l'Eveſché de Straſbourg.*

Civitas Nemetum. *l'Eveſché de Spire.*

Civitas Vangionum. *l'Eveſché de Worms.*

Provincia GERMANIA SECUNDA. Civitates numero II.

Metropolis Civitas Agrippinenſium. *l'Archeveſché de Cologne.*

Civitas Tungrorum. *l'Eveſché de Tungre,* nunc *Liege.*

CAmeracenſis, Atrebatenſis & Tornacenſis Epiſcopatus olim Remenſi Archiepiſcopo fuerunt Suffraganei.

Anno 1559. Philippo II. Rege Catholico Belgarumque Principe petente, Paulus IV. Papa tres Archiepiſcopatus, Mechlinienſem, Cameracenſem & Ultrajectenſem inſtituit, & Mechlinienſi Antverpienſem, Brugenſem, Gandenſem, Iprenſem, Ruræmondenſem, Buſcoducenſem; Cameracenſi Atrebatenſem, Tornacenſem, Audomarenſem, Namurcenſem; Ultrajectenſi Daventrienſem, Groningenſem, Harlemenſem, Leovardienſem, & Middelburgenſem, Epiſcopos voluit eſſe Suffraganeos. Plura qui volet, Notitiam Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani, à nobis editam conſulat.

CAPUT II.

Testamentum S. REMIGII, *Remorum Archiepiscopi, Francorum ac Belgarum Apostoli, qui obiit circa annum* 525.

EGO REMIGIUS Episcopus Civitatis Remorum, Sacerdotii compos, Testamentum meum condidi jure Prætorio, atque id Codicillorum vice valere præcepi, si ei juris aliquid videbitur defuisse.

QUANDOQUE ego REMIGIUS Episcopus de hac luce transiero, tu mihi heres esto Sancta & Venerabilis Ecclesia Catholica Urbis Remorum: Et tu Fili Fratris mei LUPE Episcope, quem præcipuo semper amore dilexi: & tu Nepos meus AGRICOLA Presbyter, qui mihi obsequio tuo à pueritia placuisti, in omni substantia mea, quæ meâ sorte obvenit antequam moriar: præter id quod unicuique donavero, legavero, donarive jussero, vel unumquemque vestrûm voluero habere præcipuum.

TU Sancta heres mea Remensis Ecclesia, colonos quos in * Portensi habeo territorio, vel de Paterna Maternaque substantia, vel quos cum Fratre meo sanctæ memoriæ PRINCIPIO Episcopo commutavi, vel donatos habeo, possidebis, *Dagaudum, Profuturum, Prudentium, Tennaicum, Maurilionem, Baudeleifum, Proviniciolum, Naviatenam, Lautam, Suffroniam, colonas, Amorinum quoque servum tuo dominio vindicabis.

* Portensi.
* Dagaredum.

NEC non Villas, agrosque quos possideo in solo * Portensi, cum pratis, pascuis, sylvis ad te Testamenti hujus auctoritate revocabis.

* Porcensi.

FUTURO Episcopo Successori meo amphibalum album paschalem relinquo, stragula columbina duo, vela tria quæ sunt ad ostia diebus festis triclinii, cellæ & culinæ.

VAS argenteum decem & octo librarum inter te, heres mea, & Diœcesim tuam Ecclesiam Laudunensem, factis patenis atque calicibus ad ministerium Sacro-sanctum, prout volui, Deo annuente distribui.

ALIUD argenteum vas, quod mihi Dominus Illustris memoriæ HLUDOVICUS, quem de Sacro Baptismatis Fonte suscepi, donare dignatus est, ut de eo facerem, quod ipse voluissem, tibi heredi meæ Ecclesiæ supra memoratæ jubeo *turriculum & imaginatum calicem fabricari. Quod faciam per me si habuero spatium vitæ, si autem clausero ultimum diem, tu Fili Fratris mei LUPE Episcope species ante dictas, tui ordinis memor, efficias.

* Thuribulum.

COMPRESBYTERIS meis & Diaconibus qui sunt Remis, viginti & quinque solidos æqualiter dividendos in commune dimitto. Vitis plantam super vineam meam ad Suburbanum positam, simili modo communiter possidebunt cum Melanio Vinitore, quem do in loco Ecclesiastici hominis Albovichi, ut Albovichus libertate plenissimâ perfruatur.

SUBDIACONIBUS solidos duodecim, Lectoribus solidos duos, Ostiariis & Junioribus solidos duos jubeo dari. Pauperibus in mat icula positis ante fores Ecclesiæ expectantibus stipem duo solidi, unde se reficiant, inferentur.

DE Vaculiaco Fruminium, Dagalaifum, Dagaredum, Ductionem, Baudovicum, * Udulfum, Vinofeisam, liberos esse præcipio. Tennaredus, qui de ingenua nascitur matre, statu libertatis utatur.

* Vidulfum.

TU verò Fili Fratris mei LUPE Episcope, tuo dominio vindicabis * Nifastem, & matrem suam Mutam.

* Infastem

VINEAM quoque quam Enias vinitor colit. Eniam, & Monulfum ejus filium juniorem jubeo libertate perfungi. * Mellovicum porcarium, & Pascasiolam conjugem suam, Vernivianum cum filiis suis, excepto Vindragasio, cui tribuo libertatem, tuo juri deputabis. Servum meum de Cesurnico tuum esse præcipio.

* Mellosicum.

AGRORUM partem ad te, quam Frater meus PRINCIPIUS Episcopus tenuit, cum sylvis, pratis, pascuis, revocabis. Servum meum, quem Mellovicus tenuit, Viteredum derelinquo. Teneursolum, Capalinum, & uxorem suam Teudorefenam, tuo juri dominioque transcribo.

* TEUDOVINIA quoque ex mea præceptione sit libera. Edoveifam, quæ homini tuo sociata fuit, & ejus cognationem retinebis. Uxorem Aregildi, & cognationem suam ingenuos esse jubeo.

* Theodonima, Teudonivia.

PARTEM meam de prato, quod Lauduni juxta vos habeo ad imitatem montium posito, & quæ Jovia sunt pratella quæ tenui, ad te revocabis.

TIBI autem Nepos meus AGRICOLA Presbyter, qui intra domesticus parietes meos exegisti pueritiam tuam, trado atque transcribo Memumvastem servum, & uxorem suam Meratenam, & eorum Filium nomine Mareovicum. Ejus Fratrem Medovicum jubeo esse liberum.

AMANTIUM, & uxorem suam Daero tibimet derelinquo. Eorum Filiam esse præcipio liberam Dasovindam, Alaricum servum tuæ deputo portioni, cujus uxorem, quam redemi, & manumisi, commendo ingenuam defendendam. Bebrimodum, & uxorem suam Moram tuo dominio vindicabis. Eorum Filius Monacharius gratulabitur beneficio libertatis. Mellaricum, & uxorem suam Placidam ad tuum dominium revocabis: Medaridus eorum Filius sit liber tus. Vineam, quam Mellaricus *Lugduni fecit, tibi dono: Britobaudem servum*, nec non etiam Gibericum.

* Laudun.
* [illegible]

VINEAM quam Bebrimodus facit, tibi eatenus derelinquo, ut diebus Festis, & omnibus Dominicis, sacris Altaribus mea * offeratur oblatio,

* in [illegible]

latio, atque annua convivia Remensibus Presbyteris & Diaconibus præbeantur.

DELEGOQUE Nepoti meo PRÆTEXTATO, Moderatum, Tortionem, Marcovicum, Innocentium servum, quem accepi à Profuturo Originario meo, cochlearia quatuor de majoribus, acetabulum, lucernam, quam mihi Tribunus Friaredus dedit, & argenteam cabutam figuratam. Filiolo illius Parovio, acetabulum, & tria cochlearia, & casulam, cujus fimbrias commutavi.

REMIGIÆ cochlearia tria, quæ meo sunt nomine titulata; mantile illi quod habeo feriale transcribo. Hichinaculum quoque dono illi, de quo Gundebado dixi. Delegoque benedictæ Filiæ meæ HILARIÆ Diaconæ ancillam nomine Nocam, & vitium pedaturam, quæ suæ jungitur vineæ, quam Catusio facit, dono, & partem meam de Talpusciaco transcribo, pro obsequiis quæ mihi indesinenter impendit.

* Aetio. * Ivo Nepoti meo partem de Cesurnico, quæ mihi sorte divisionis obvenit, cum omni jure quo tenui, atque possidi. Ambrosium quoque puerum ad jus illius dominiumque transmitto.

VITALEM colonum liberum esse jubeo, & familiam suam ad Nepotem meum AGATHIMERUM pertinere; cui vineam dono, quam posui Vindonissæ, & meo labore constitui, sub ea *Patribus. conditione, ut à * Patribus suis omnibus diebus Festis ac Dominicis pro commemoratione mea sacris Altaribus offeratur oblatio, & Laudunensibus Presbyteris ac Diaconibus annua convivia, Domino concedente, præbeantur.

DONO Ecclesiæ Laudunensi solidos decem & octo, quos Presbyteri & Diaconi inter se æquali divisione distribuant. Partem meam de Secia ex integro ad se revocet Ecclesia Laudunensis.

COMMENDO Sanctitati Tuæ, Fili Fratris mei LUPE Episcope, quos liberos esse præcipio, Cartusionem, & Auliatenam conjugem suam, Nonnienem qui meam vineam facit, Sunnoveifam quam captivam redemi, bonis parentibus *Leutheredum. natam, & ejus filium * Leuberedum, Mellaridum, & Mellatenam, Valantem cocum, Cæsariam, Dagaresenam, & Baudoresenam Leonis neptem, & Marcoleisum filium Totnonis: hos totos, Fili Fratris mei LUPE Episcope, Sacerdotali auctoritate liberos defensabis.

TIBI autem, heredi meæ Ecclesiæ, Flavianum & uxorem suam Sparagildem dono: eorum filiolam parvulam Flavaratenam liberam esse constitui. Fedamiam uxorem Melani, & eorum parvulam, Remenses Presbyteri & Diaconi possidebunt.

CESPICTOLUM colonum liberum esse præcipio, & ad Nepotem meum Aetium ejus familiam pertinere; ad utrumque, id est, ad Aetium & Agatimerum pervenire * Colonicam Passiacum. Pro- *Coloniam. nepti meæ PRÆTEXTATÆ dono Modorosenam, PROFUTURO Leudocharium puerum trado, PROFUTURÆ dari jubeo * Leudoveram. *Leudoveram.

LAUDUNENSIBUS Subdiaconibus, Lectoribus, Ostiariis, & Junioribus quatuor solidos derelinquo. Pauperibus in Matricula positis solidus dabitur ad eorum refectionem. Delegoque octo solidos Ecclesiæ Suessionum pro commemoratione nominis mei.

CATALAUNENSI Ecclesiæ solidos sex: Mosomagensi solidos quinque: Vongensi agrum apud officinam molinarum, quæ ibi est constituta.

CATARIGENSI Ecclesiæ solidos quatuor; totidemque Portensi, pro commemoratione mei nominis inferentur.

URSI Archidiaconi familiaribus usus obsequiis, dono ei domitextilis casulam subtilem, & aliam pleniorem, duo saga delicata, tapete quod habeo in lecto, & tunicam quam tempore transitûs mei reliquero meliorem.

HEREDES mei, LUPE Episcope, & AGRICOLA Presbyter, porcos meos inter vos æqualiter dividetis. Friaredus, quem ne occideretur quatuordecim solidis comparavi, duos concessos habeat: duodecim det ad Basilicæ Domnorum Martyrum Timothei & Appollinaris cameram faciendam. Hæc ita do, ita lego, ita testor. Ceteri omnes exheredes estote, suntote.

HUIC autem Testamento meo dolus malus abest, aberitque; in quo si qua litura, vel earaxatura fuerit inventa; facta est me præsente, dum à me relegitur & emendatur.

ACTUM Remis die & Consule suprascripto; intercedentibus & mediis signatoribus.

REMIGIUS Episcopus Testamentum meum relegi, signavi, subscripsi, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Deo adjuvante, complevi.

V. C. PAPPOLUS interfui; & subscripsi.
V. C. RUSTICOLUS interfui, & subscripsi.
V. C. EULODIUS interfui, & * subscripsi. * Signavi.
V. C. EUTROPIUS interfui, & * subscripsi. * Signavi.
V. C. EUSEBIUS interfui, & * subscripsi. * Signavi.
V. C. DAUVEUS interfui, & * subscripsi. * Signavi.

POST conditum Testamentum, imò signatum, occurrit sensibus meis, ut Basilicæ Domnorum Martyrum Timothei & Apollinaris missorium argenteom sex librarum ibi deputem, ut ex eo sedes futura meorum ossium componatur.

Additio. NE mirare Lector, si Testamentum S Remigii supra editum cap. 1. Codicis Donationum Piarum hic denuò subjiciamus. Illud siquidem exscripsit Miræus ex Hodoardi Historia Remensi; hoc verò longè brevius atque in pluribus diversum edidit Joannes Jacobus Chiffletius in Disquisitione de Ampulla Remensi.

Idem Testamentum exhibuit P. Joannes Bollandus Societatis Jesu; item Guilielmus Marlot in Historia Metropolis Remensis Lib. II. c. 11 & 12; ubi extat erudita Dissertatio super variâ Lectione hujus Testamenti; è qua curiosus Lector judicare poterit cui potiùs adhærendum.

Testamentum S. Remigii, quod Hodoardus in Historia Remensi recitat, signarunt inter alios S. Vedastus Atrebatensis, & S. Medardus Noviomensis ac Tornacensis Episcopi.

Ceterùm Clodoveus Magnus (quem S Remigius Ludowicum appellat) Childerici Filius, Merovei Nepos, uxorem habuit S. Chrotildem Martyrologii Rom. Tabulis die 3. Junii adscriptam, Chilperici Burgundionum Regis Filiam.

Burgundionum Reges primæ Stirpis, qui ante Francos fuere Christiani: ex quibus orta S. CHROTILDIS, *Uxor* CLODOVEI I. *Francorum Regis Christiani.*

- *Gundicarius Burgundiæ Rex, Gundiseli Filius, Athanarici Nepos, anno* 413.
  - *Gundericus* 452.
    - *Gundebadus* 473. 508.
      - *S. Sigismundus Agaunense seu S. Mauritii in Valesio Monasterium condidit.*
        - *Sigericus à noverca enecatus.*
      - *Godemarus à Childeberto & Clotario Fr. RR. pulsus* 532.
    - *Godegisilus Genavæ regnavit.*
    - *Chilpericus.*
      - *Chrona Deo devota.*
      - *S. Chrotildis Uxor Clodovei I. Franciæ Regis.*
        - *Theodericus.*
        - *Clodemirus.*
        - *Childebertus.*
        - *Clotarius.*
    - *Godomarus Vienna periit flammis.*
  - *Chilpericus Genavæ Sedem habuit, & Monachos Jurenses seu S. Claudii in Burgundia fovit.*

CAPUT III.

CLOTARII III. *Regis Præceptum de fundatione & immunitate Monasterii Corbeiensis, Ord. S. Bened. in Gallia, scriptum circa annum 662.*

Vide sup. pag. 338.

CHLOTHARIUS Rex Francorum, Vir Inluster. Ad mercedem nostram in Dei nomine credimus pertinere, quidquid pro animæ salute locis Sanctorum conferimus, ut ibidem perenniter proficiat, & gloriam, Deo auxiliante, habere mereamur.

IGITUR dum Nos, & Præcelsa Genitrix nostra, Domna (1) BALDECHILDIS Regina, Monasterium in honore SS. Petri & Pauli Apostolorum, & S. Stephani Protomartyris, super fluvium *Somna*, in loco qui dicitur (2) CORBEIA, quem Guntlandus quondam possederat, & ad fiscum nostrum pervenerat, ubi præest Venerabilis Vir *Theodefridus* Abba, pro æterni Numinis intuitu ædificari præcepimus, ut Monachi sub sancta Regula ibidem debeant conversari.

COGNOSCAT strenuitas vestra, quod Nos ipsam Villam Corbeiam ad ipsum Monasterium, cum adjacentiis suis in integrum, seu & alias Villas nuncupantes Folieto, Gentilla, Cipiliaco Villa, vel reliquas adjacentias earum ad integrum, Albiniaco cum adjacentiis vel appenditiis suis, quantum ibidem Fiscus noster tenuit, ad integrum, in Pago Ambianense; seu & Monciaco, Walliaco, Bellirino, cum adjacentiis earum, in Pago Atrabatense:

IMOQUE & Villam, quæ vocatur Templum Martis, sitam in Pago Ambianense, ad integrum, cum pagena de Silva de foreste nostra Windegonia, hoc est, per loca denominata, à fine Cartainse usque in Dominico lacco, per Siccasi derude, per cervorum Marcasio, per Bagusta, per via publica usque Fraudehario exsarto:

SIMILITER & portionem in loco qui vocatur Taceaco, quem Frodinus de Ursino dato pretio comparavit, & ad fiscum nostrum ipse Frodinus in compensationem pro alia re dedit in ipso Pago Ambianense, à die præsenti sub integra immunitate, absque introitu judicum, visi fuimus concessisse.

PROINDE per hanc Præceptionem specialiùs decernimus esse mansurum, ut tam ipsum locum Corbeiam, quàm & suprascriptas Villas, unà cum terris, domibus, mancipiis, ædificiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, farinariis & cunctis appenditiis, vel quod ibidem videtur adspicere, pars ipsius Monasterii, vel omnis Congregatio de ipso Monasterio valeat possidere vel dominari.

ET nullus quilibet de judicibus nec ad ipsum Monasterium, nec ad homines suos, nec in curtes suas, quidquid à die præsenti ibidem contulimus, & quod à Nobis, vel à succedentibus Domnis Regibus, vel à Deum timentibus hominibus

ISTud CLOTARII Regis Præceptum ex Ms. Codice Virdunensi primus edidit R. P. Jacobus Sirmondus, tom. 1. Conciliorum Galliæ. Exstat aliud ibidem pro Corbeiensi Monasterio Diploma Chilperici Regis, anno primo Regni datum, qui Childericum Genitorem suum, Baldechildem Aviam, Clotarium Avunculum, id est, Patruum vocat. Idque eò impensiùs observandum monet Sirmondus, quòd Chilperici hujus, Childerico geniti, Annales Francici non meminerint.

(1) BALDECHILDIS, aliàs Balthildis seu Bathildis, Romani Martyrologii Fastis ad diem 26. Januarii adscripta. Vide Notas nostras supra pag. 125.

(2) PRÆTER Corbeiam Gallicam in Diœcesi Ambianensi sitam, est altera Saxonica, ad Visurgim fluvium in Diœcesi Paderbornensi anno 822. à Ludovico Pio Imperatore ædificata, suadente S. Adelardo Abbate, Caroli Martelli Nepote, ut Lambertus Scafnaburgensis tradit. Abbas illius est *supremus S. R. I. Princeps*.

minibus inibi fuerit collatum, nec ad causas audiendum, nec freda exigendum, nec mansiones faciendum, nec paratas requirendum, nec ullas redhibitiones in Villis superiùs nominatis, quicquid tempore præsenti videtur possidere, aut adhuc, ut diximus, à Nobis vel succedentibus Regibus, vel à Deum timentibus hominibus inibi additum vel delegatum fuerit, ipsa judiciaria potestas non præsumat ingredi: sed pars ipsius Monasterii, vel omnis Congregatio ibidem consistens, absque introitu judicum, ut diximus, sub integra Immunitate possidere valeat vel dominari.

Et ut hæc Præceptio nostra perenni tempore firmiorem obtineat vigorem, Nos & Præcelsa Genitrix nostra Domna Baldechildis Regina signaculis manûs nostræ subter decrevimus affirmare.

CAPUT IV.

Excerptum ex Privilegio libertatis, quod Monasterio Corbeiensi Berthefridus *Episcopus Ambianensis concessit, anno Christi 664. Clotarii* III. *Regis 7.*

Dominis sanctis & summi culminis apice Pontificalis Cathedræ specula præsidentibus in Christo Fratribus Nivoni, Genesio, Ethoaldo, Emmoni, Audoni, (1) Audomaro, (2) Audoino, (3) Audeberto, (4) Burgundofaroni, item (5) Audeberto, Drauscioni, (6) Berthefridus munere Superni Largitoris Ambianensis Ecclesiæ Episcopus. Quia Gloriosissimus Domnus Chlotharius Rex, nec non & Præcelsa Domna Balthildis Regina, Monasterium in loco nuncupante Corbeia construxerunt, petierunt ut & Nos & vestra Fraternitas consentientes, pro reverentia SS. Petri & Pauli Apostolorum, & S. Stephani Protomartyris, ad prædictum Monasterium, in eorum honore constructum, Privilegium concedere deberemus. Quod Nos considerantes, pro reverentia tantorum Martyrum, seu prout Monachi ibidem degentes sub Regula Sanctorum Patrum quieti conversari possint, hoc Privilegium plenâ voluntate, unâ cum consensu Fratrum meorum, concessisse vel indulsisse visus sum: per quod decerno, ut nec Ego, nec ullus Episcoporum Successorum meorum hoc inrumpere præsumat.

Nec nos hoc propriæ deliberationis instituto posteritas æstimet decrevisse: cùm etiam antiquiora, vel in novo tempore Monasteria propria privilegia sint consecuta. Nam & Agaunensium, quod velut istud Regio est munere ditatum, & Lirinensium, vel Basilica Domni Marcelli, imoque & Monasterium Luxoviense, hoc videntur habere concessum.

Illud etiam addi placuit, ut ipsi Monachi sub Regula S. Benedicti, vel S. Columbani, conversari & vivere debeant. Quam definitionem Constitutionis nostræ, ut nostris & futuris temporibus valitura sit, manûs nostræ subscriptionibus roboravimus, & Coëpiscopos Domnos & Fratres nostros rogamus, ut ipsum in omnibus confirmare debeant.

Berthefridus peccator, Ambianensium Urbis Episcopus, hoc Privilegium à me factum relegi, consensi & subscripsi.

Genesius Episcopus hoc Privilegium concessi.

Chaoaldus Episcopus hoc Privilegium concessi.

Gautiobertus ac si peccator, Episcopus subscripsi.

Boso Episcopus consensi & subscripsi.

Ragnobertus Episcopus consentiens subscripsi.

(7) Mummolenus, ac si peccator, Episcopus subscripsi.

Audobertus Episcopus consensi & subscripsi.

Audoënus Episcopus consensi & subscripsi.

Dado

(1) Audemarus vel Audomarus, Morinensis seu Taruanensis Episcopus, anno 659. Clodovei II. Regis Privilegium San-Dionysianum signavit. Ad eumdem, inter ceteros Episcopos, hoc suum Privilegium direxit Berthefridus: quod tamen non signavit ipse (utpote morte aut alio incommodo præventus) sed ejus Successor Drauscio.

(2) Audoinus sive Audoenus Episcopus Rotomagensis. Idem anno 650. Cabilonense Concilium, & anno 658 Landerici Parisiensis Episcopi Privilegium San-Dionysianum firmavit.

(3) Audebertus, Audobertus vel Autbertus, Cameracensis & Atrebatensis Episcopus, anno 658. Landerici Parisiensis Episcopi Privilegium San Dionysianum, & anno 664. Berthefridi Privilegium jam recitatum signavit.

(4) Burgundofaroni. Sic legendum puto, non divisim, *Burgundo, Faroni*. Idem Burgundofar Episcopus Meldensis anno 658. Landerici Parisiensis Episcopi Privilegium San-Dionysianum signavit.

(5) Audobertus, sive Audebertus, (alius à Cameracensi) Landericum in Parisiensi Episcopatu præcessit, & anno 650. Cabilonense Concilium, per manum Germoaldi Abbatis, signavit. Itaque secundus Audobertus, qui Berthefridi Privilegium jam recitatum signavit, non fuit Parisiensis Episcopus, sed alterius loci: Silvanectensis fortasse.

(6) Berthefridus, Ambianensis Episcopus anno 650. Cabilonense Concilium, & anno 658. Landerici Parisiensis Episcopi Privilegium San-Dionysianum signavit.

(7) Mummolenus, S. Eligio in Episcopatu Noviomensi ac Tornacensi circa annum 660. successit. Idem Eligius anno 650. Cabilonense Concilium, anno 658. Landerici Parisiensis Episcopi Privilegium San-Dionysianum. & anno 659. Clodovei II. Regis Privilegium San-Dionysianum firmavit.

Landericus Parisiensis Episcopus anno 659. Clodovei II. Regis Privilegium San-Dionysianum signavit.

Dado peccator consensi ac subscripsi.
Emmo Episcopus subscripsi.
Leodeboldus peccator, Episcopus, hoc Privilegium subscripsi.
Chrodobertus peccator, hoc Privilegium subscripsi.
Paternus peccator, Egloensis Ecclesiæ ac si indignus Episcopus, hoc Privilegium consensi & subscripsi.
Drauscio, ac si peccator, consensi & subscripsi.
Ego Audebertus Episcopus consensi & subscripsi.

FACTUM hoc Privilegium, sub die octavo Idus Septembris, anno VII. regnante Clotario Rege, Captonnaco in Palatio publico.

Sigo in Dei nomine Diaconus hoc Privilegium scripsi & subscripsi.

CAPUT V.

S. BONIFACII *Moguntini & Ultrajectini Archiepiscopi Epistola ad* ZACHARIAM *Papam, circa annum* 750. *scripta, de Monasterio Fuldensi, quod construxerat.*

REVERENTISSIMO Patri, dilectissimo Domino, cum timore & honore Venerando Magistro, Apostolici honoris Privilegio prædito, Pontificatûs infulâ Apostolicæ Sedis sublimato, ZACHARIÆ, BONIFACIUS exiguus servus vester, licet indignus & ultimus, tamen Legatus Germanicus devotissimus, optabilem in Christo immarcessibilis caritatis salutem.

EST locus silvaticus in eremo vastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis nostræ, in quo Monasterium construentes, Monachos constituimus sub Regula Sancti Patris *Benedicti* viventes, Viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino, absque sicera & servis, proprio manuum suarum labore contentos.

Hunc locum supradictum, per Viros Religiosos & Deum timentes, maximè CAROLOMANNUM quondam Principem Francorum, justo labore acquisivi, & in honore S. Salvatoris dedicavi. In quo loco, cum consensu pietatis vestræ, proposui aliquantulum vel paucis diebus fessum senectute corpus requiescendo recuperare, & post mortem jacere. Quatuor etenim populi, quibus verbum Christi, per gratiam Dei, diximus, in circuitu loci hujus habitare dinoscuntur: quibus cum vestra intercessione, quamdiu vivo vel sapio, utilis esse possum.

Cupio enim vestris orationibus, comitante gratiâ, in familiaritate Romanæ Ecclesiæ, & vestro servitio, inter Germanicas gentes, ad quas missus fui, perseverare, & præcepto vestro obedire.

CAPUT VI.

ZACHARIAS *Pontifex, petente* S. BONIFACIO, *concedit Privilegium Abbatiæ Fuldensi Ordinis S. Benedicti (quæ nunc est potentissima, gaudens S. R. I. Principatu) anno* 751.

ZACHARIAS (1) Papa Bonifacio Episcopo, & per eum in Monasterio ab eo constructo successuris Abbatibus in perpetuum. Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotio Conditoris piæ constructionis oraculo in Privilegiis præstandis minimè denegetur. Igitur quia postulasti à nobis, quatenus Monasterium Salvatoris à te constructum, situm in loco, qui vocatur Buchonia, erga ripam fluminis (2) Fuldæ, Privilegii Sedis Apostolicæ infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, ecclesiæ constitutum, nullius alterius Ecclesiæ ditionibus submittatur.

Pro qua re piis desideriis faventes, hâc nostrâ auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ Sacerdotem in præfato Monasterio ditionem quamlibet habere hâc auctoritate, præter Sedem Apostolicam, prohibemus.

Ita ut nisi ab Abbate Monasterii fuerit invitatus, nec Missarum solennitatem ibidem quispiam præsumat omnimodo celebrare: ut profectò, juxta id quod subjecti Apostolicis Privilegiis consistunt, inconcussè locus dotatus permaneat.

CAPUT

Additio. (1) ZACHARIAS, natione Græcus, successit anno 741. Gregorio III. & obiit 752.

(2) FULDA, Oppidum Germaniæ, in Diœcesi Moguntina, in sylva Buchonia situm est, ad amnem Fuldam. Abbas inter Prælatos ac Principes Imperii consessum habet, gaudetque supremâ Ecclesiasticâ pariter ac Politicâ Jurisdictione, quin & titulum gerit Archicancellarii Imperatricis.

Nulli ad hoc Cœnobium admittuntur, nisi primariæ fuerint ac probatæ Nobilitatis. Plura reservamus dicenda inferiùs in Libro de Originibus Cœnobiorum Ordinis S. Benedicti.

CAPUT VII.

ZACHARIÆ *Papæ Epistola, ad* S. BONIFACIUM *Archiepiscopum anno 751. aut 752. scripta; quâ Moguntinam Sedem in Metropolin erigit, & quinque Civitates, videlicet Tungrensem, Coloniensem, VVormatiensem, Spirensem & Ultrajectensem eidem subjicit.*

REVERENTISSIMO & Sanctissimo Fratri BONIFACIO Coëpiscopo, ZACHARIAS Servus Servorum Dei. Qualiter Dominus Deus noster sanctæ Ecclesiæ propitiatus sit, & laboribus sanctissimæ Fraternitatis tuæ cooperator extiterit, per singula edicere longum est: tamen ut hæc quæ objicimus confirmemus, quæ ex parte Te narrante perspeximus, enarramus.

IGITUR dum in Germania Provincia tua Fraterna Sanctitas ad prædicandum fuisset directa à sanctæ recordationis Prædecessore nostro Domno GREGORIO Papa, & post inchoatum opus, & aliqua ex parte spiritaliter ædificatum, Romam reversus, ab eo Episcopus ordinatus, & illic ad prædicandum denuò remissus es, & elaborasti, Deo prævio, nunc usque per annos XXV. in eadem prædicatione, ex quo Episcopatum suscepisti.

SED & in Provincia Francorum nostrâ vice Concilium egisti, & juxta Canonum instituta, Deo èis annuente, omnes flexi sunt obedire. Et dum in his piis operibus occupata esset tua Fraternitas, nunc usque Cathedralem Sedem minimè sibi vindicavit.

AT verò ubi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluisti, ut tibi Cathedralem Ecclesiam vel Successoribus tuis confirmare debeamus, juxta eorumdem Filiorum Francorum petitionem. Et idcirco B. Petri Apostoli auctoritate sancimus, ut supradicta Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus Tibi, & Successoribus tuis, in Metropolim sit confirmata; habens sub se has quinque Civitates, id est *Tungris*, *Coloniam*, *Wormatiam*, *Spiraciam*, & (1) *Trectis*, & omnes Germaniæ gentes, quas tua Fraternitas per suam prædicationem Christi lumen agnoscere fecit.

HIS à nobis definitis, hujus Confirmationis Paginam in tua Ecclesia perpetuis temporibus pro sui Confirmatione conservandam esse mandamus. Bene valete.

DATA pridie Nonas Novembris, imperante (2) Constantino Imperatore, anno XXXII. P. C. ejus anno XI. Indictione V.

(1) TRECTIS, id est Trajectum ad Rhenum.

(2) CONSTANTINI Copronymi, Imperatoris Constantinopolitani, annorum. duplex Epocha memoratur. Prior. ex quo cum Leone Isauro Patre regnare cœpit XII. Kalendas Maias, anno 720. Altera annorum, quibus post Patris obitum solus imperavit, ex die XIV. Kalendas Julias, Indictione IX. id est, anno Christi 741. ut Sirmondus notavit in Notis ad tom. 1. Conc. Galliæ.

CAPUT VIII.

PIPINUS *cognomento* BREVIS, *Rex Francorum, anno 752. dotat Epternacense S. VVillibrordi Monasterium, in Ducatu Luxeburgensi.*

PIPPINUS Illuster Vir, Rex Francorum, notificamus omnibus Christi nostrisque fidelibus, esse locum in Regno nostro ESTERNACA vocatum, ubi Sanctissimus Vir WILLIBRORDUS cognomento CLEMENS, nuper temporibus Pipini Avi nostri, & Patris nostri Caroli Martelli, datis sibi ab eis & ab aliis Illustribus Viris prædiis, Monasterium construxit: quod collocatis in eo, quas à Roma detulit, Sanctorum Reliquiis, in honore S. Trinitatis & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli dedicavit: ubi quoque cum Monachis & ipse Monachus Angelicam omnique sanctitate præditam vitam ducens, plenus virtutibus & insignis miraculis, ante hos paucos annos in pace quievit, & ibidem sepultus, quantùm ad Deum valeat, signis quotidie evidentibus innotescit.

AD hunc quoque sacrum locum, consilio strenuissimi Viri BONIFACII Archiepiscopi, & petitione *Adelberti* Abbatis ejusdem loci, Viri Venerabilis, Ecclesiam, quæ est in *Crovia*, cum omnibus rebus ad se pertinentibus, totamque decimam partem silvæ, quæ dicitur *Contilla*, sive cultam sive incultam, tradimus & condonamus, & in perpetuam possessionem Fratrum ibi Deo famulantium delegamus.

PLACUIT etiam Nobis, juxta instituta Majorum nostrorum, eidem Ecclesiæ Esternacensi teloneum in omni Regno nostro indulgere & relaxare, quatenus inibi Deo famulantes, pro nostra succedentiumque Regum salute, jugiter Deo delectet supplicare. Et ut hæc Traditio nostra, Regali auctoritate firmata, inconvulsa permaneat, hanc Traditionem propriâ manu subter-

subterfirmamus, & Sigilli nostri impressione fideliter sigillamus.

Signum Domini PIPINI Regis gloriosissimi.

BONIFACIUS Archicancellarius recognovi.

DATA III. Nonas Maii, anno Incarnationis Domini DCCLII. Indictione V. anno verò Domini Pipini Regis tertio. 751.

Actum Compendio, in Dei nomine feliciter, amen.

Signum Garobaldi Episcopi.
S. Bernardi Episcopi.
S. Grodebaldi Presbyteri.
S. Eiduini Illustris Viri.
S. Adelbaldi.

Stemma Pipinorum : *ex Ms. Codice Ecclesiæ S. Gudulæ Bruxellensis.*

- *Carolomannus.*
  - *Pipinus Landensis duxit Itam, obiit 646.*
    - *Grimoaldus obiit 655.*
      - *Hildebertus obiit sine liberis.*
    - *S. Gertrudis Nivellensis, obiit 664.*
    - *S. Begga Uxor Ansigisi.*
      - *(1) Pipinus II. Herstallius duxit Plectrudem, obiit 714.*
        - *Grimoaldus.*
          - *Theodoaldus.*
        - *Drogo.*
          - *Arnulfus.*
          - *Hugo.*
          - *Godefridus.*
            - *Theudebaldus.*
          - *Pipinus.*
        - *Carolus Martellus.*
          - *Pipinus III. Rex Francorum.*
            - *S. Carolus Magnus Imperator.*
        - *(2) Childebrandus.*
          - *Nebelungus.*
  - *Amelberga Uxor Walberti.*
    - *Walbertus duxit Bertiliam, & quiescunt Curtisolra.*
      - *S. Waldetrudis Uxor S. Vincentii Sonegiensis.*
        - *S. Landricus Episcopus Meldensis.*
        - *S. Dentlinus.*
        - *S. Aldetrudis.*
        - *S. Madelberta.*
      - *S. Aldegundis Abbatissa Melbodiensis.*
    - *S. Amelberga Uxor Witgeri Comitis, quiescit Binchii.*
      - *S. Emebertus Episcopus Cameracensis.*
      - *S. Rainildis.*
      - *S. Pharaildis.*
      - *S. Ermelindis.*
      - *S. Gudula.*

(1) PIPINUS Herstallius ex Plectrude conjuge sustulit Grimoaldum & Drogonem; ex Alpaide pellice Carolum Martellum, & Childebrandum, Patrem Nebelungi: qui Nebelungus scripsit Chronicon nondum typis editum: ut Quercetanus in sua Burgundia lib. 2. c. 1. tradit.

(2) CHILDEBRANDUS fuit Frater uterinus Caroli Martelli, ex Alpaide Pellice, Sorore Dodonis qui Martyrio affecit S. Lambertum Tungrensem Episcopum. *Ita Chifletius lib. ad Vindicias Hispanicas.* Additio

CAPUT IX.

CANCOR *Rhenensis Pagi Comes, cum Matre sua* WILLISWINDA, *Ruperti Comitis Vidua, Laurishamense Monasterium in Diœcesi VVormatiensi, in Insula, quæ nunc Aldenmunster vocatur, ædificant, dotant, & Rutgango Metensi Archiepiscopo tradunt, anno* 763.

ANNO duodecimo, regnante Domno nostro PIPPINO Rege, sub IV. Idus Julii, Ego WILLISWINDA Deo sacrata, & Filius meus CANCOR Comes, in Dei nomine donamus ad Ecclesiam S. Petri seu ceterorum Sanctorum, quæ est constructa in loco nuncupato LAURESHAM, in Pago Rhenense, super fluvium *Wisgoz*, quam Nos propter nomen Domini à novo ædificavimus, ubi præest Vir Venerabilis * RUODGANGUS Archiepiscopus & Abbas, donatumque in perpetuum esse volumus, hoc est, Villam nostram in Pago Wormatiense, in loco qui dicitur *Hagenheim*, super fluvium Salusiam, quæ mihi de parte Genitoris mei nomine Adelhemi

* Alias Chrodegangus.

legibus obvenit, donamus, tradimus atque transfundimus: ita ut ab hac die jam dictus Domnus Ruodgangus, vel sui Monachi habeant, teneant atque possideant.

Actum Lauresham publicè, sub die & tempore dicto suprà.

Signum Willifwindæ Deo sacratæ, &
Signum Canceronis Comitis, Filii ejus, qui hoc Testamentum fieri & firmari rogaverunt.
Signum Heimeriei Filii Cancronis.
Ego * Automadus Treverorum Episcopus subscripsi. * Alias Veomadus.
Ego Albericus Episcopus.
Ego Joannes Episcopus.
Ego in Dei nomine Helmericus, ex jussu Domini Ruodgangi Archiepiscopi, Chartam hanc scripsi, diemque & tempus ut suprà designavi.

CAPUT X.

Idem Cancor *Comes, ejusque Conjux* Angila *Laurishamense Monasterium dotant, anno* 770.

Ego in Dei nomine Cancor, & Angila Conjux mea donamus, tradimus vel firmamus ad Monasterium S. Petri, quod appellatur (1) *Lauresham*, seu ad S. Nazarium Martyrem, qui ibidem corpore requiescit, vel ad illam Congregationem Monachorum, quæ ibidem conversari videtur, ubi Vir Venerabilis *Gundelandus* Abbas præesse videtur, terram & silvam, quæ est in illa marcha de *Birstat*, seu in ipso fine.....

Actum in Monasterio Lauresham publicè, sub die Kal. Junii, anno secundo regnantibus gloriosissimis Regibus Karolo & Karolomanno. 770.

Signum Canceronis Comitis, & Angilæ Conjugis ejus, qui hanc Donationem fieri & firmari rogaverunt.

Signum Thurineberti, Fratris ipsius Cancronis, & Heimeriei Filii sui, & aliorum.

Ego Guario Lector hanc Donationem scripsi.

Additio. (1) Laurisham aliàs Laurisheim, seu Laurissense Monasterium, situm in Diœcesi Wormaciensi, quatuor ab Heidelberga milliaribus, in Insula quadam *Aldenmunster* cognominata, ad fluvium Weschnitz, fundatum fuit circa annum 770. à Cancrone Comite, in honorem SS. Petri Apostoli & Nazarii Martyris.

Primò fuit Cœnobium Benedictinorum, veneruntque XVII. primi Fratres ex Abbatia Gorzienzi. Abbates primi plarique erant primariæ Nobilitatis, & passim Commendatarii, sed simul dissipatores bonorum: unde Fredericus II. Imperator Principatum in Imperio quo gaudebat Abbas Laurisheimensis transtulit in Sigefridum Archiepiscopum Moguntinum, cum omni honore, vasallis, ministerialibus, Castris, Oppidis &c.

Eodem tempore Sigefridus Archiepiscopus à Gregorio IX. Pontifice impetravit jus visitationis ac reformationis, cujus vigore; amotis Benedictinis, Cistercienses introducere tentavit. Sed illi à Benedictinis noctu Monasterium invadentibus ejecti & in fugam acti fuerunt.

Unde anno 1248. Sigefridus obtento altero Rescripto Innocentii IV. Pontificis, junctoque auxilio brachii sæcularis in Cœnobio Laurisheimensi instituit Religiosos Præmonstratenses ex Monasterio omnium Sanctorum Diœcesis Argentinensis, iisque Præpositum præfecit. Floruit hic disciplina Præmonstratenses usque ad annum 1555. quo defunctus est ultimus ejus Præpositus.

Tunc relegatis ac fugatis Monachis, Fredericus Comes Palatinus Rheni, è Lutherano factus Calvinista, Monasterium ejusque possessiones occupavit, altaribus, rebusque sacris profanatis ac destructis. Postremò cum residua hujus florentissimi quondam Cœnobii ædificia anno 1621. ab Hispano milite occuparentur, omnia ignibus consumpta fuerunt.

Plura vide in Chronico Laurisheimensi, quod cum pluribus Diplomatibus in lucem edidit Marquardus Freherus Tomo I. de Scriptoribus Rerum Germanicarum, novæ Editionis Argentinensis anni 1717.

CAPUT XI.

Hadrianus *Papa Carolo Magno musiva & marmora Palatii Ravennatis, pro construenda Basilica Aquisgranensi, auferenda concedit, anno* 782.

Potentiæ vestræ, per Aruinum Ducem, suscepimus apices: in quibus referebatur, quod Palatii Ravennatis Civitatis musiva atque marmora, ceteraque exempla, tam in strato, quamque in parietibus sita, vobis tribueremus.

Nos quidem libenti animo & puro corde, cum nimio amore vestræ Excellentiæ tribuimus effectum: & tam marmora, quamque musivum, ceteraque exempla, de eodem Palatio vobis concedimus auferenda: quia per multa vestra laboriosa regalia certamina multis bonis fautoris vestri Beati Petri, Clavigeri regni cælorum, Ecclesia quotidie fruitur, quatenus merces vestra copiosa adscribatur in cælo.

Anno 795. Carolus Magnus castruxit Aquisgrani Basilicam plurimæ pulchritudinis; ad cujus structuram à Roma & Ravenna columnas & marmora devehi fecit. *Ita Sigebertus in Chronico.*

Carolus Magnus habuit legitimas Conjuges quatuor, videlicet *Bertradam* Desiderii Longobardorum Regis Filiam, *Hildegardam* N. Ducis Sueviæ filiam, Geroldi Boiorum Prætoris, sanctitatis opinione clari, sororem; *Fastradam*

stradam Rodolphi Comitis Franci Sororem. & *Luitgardem* Frederici Filiam. Ex prima & quarta nullas habuit proles.

Ex HILDEGARDE nati sunt ei decem liberi, *Carolus* Rex Alemanniæ & partis Burgundiæ. *Pipinus* Rex Italiæ, *Ludovicus Pius* Imperator, *Lotharius* qui infans obiit, *Rotrudis* seu Rotarudis, Hermanno Contracto *Riddrudis*, sponsa Constantini Imperatoris Constantinopolitani, *Berta* Uxor Angilberti, Mater Harnidi & Nithardi Scriptoris, *Gisla* baptizata Mediolani per Thomam Archiepiscopum, pòst S. Everardo Cisoniensis Ecclesiæ Fundatori nupta. *Gertrudis*, *Hildegardis* & *Adelhaidis*: quarum duæ postremæ infantes obierunt, sepultæ Metis in Monasterio S. Arnulphi.

Ex FASTRADA, quam anno 783. duxit, natæ sunt *Theodrada* & *Hiltrudis*.

Septem insuper proles naturales habuit, videlicet *Pipinum Gibbosum* Monachum Prumiensem, *Rothaidem*, *Rothildem*, *Adaltrudem*, *Drogonem* Episcopum Metensem, *Hugonem Magnum* cognomento Abbatem, Ducem Burgundiæ, & *Theodericum*.

Ex Mathalgarde Rothildem, ex Gersuinda Saxonica Adaltrudem ex quadam, nomine *Regina*, Drogonem Episcopum & Hugonem Magnum, ex Adalinda seu Adaluide Theodericum procreavit. Sed hæc juvenilis ac militaris ætatis delicta, factus provectior optimus Imperator, vitâ inter Clericos ac Monachos sanctissimè transactâ, egregiè expiavit; plurimis item Ecclesiis per Germaniam ac Galliam ædificatis, & Christianâ religione apud Saxones, Danos, Hunnos, Sclavos, aliosque populos latissimè propagatâ. Obiit autem anno Christi 814. ætatis 72. Aquisgrani conditus.

Imperatores & Reges Francorum Carolingi.

- *Pipinus Rex Francorum, obiit 768.*
  - *Carolus Magnus Imperator, obiit 814.*
    - *Carolus, obiit 811.*
    - *Pipinus Rex Italiæ, obiit 810.*
      - *Bernardus Nothus, Rex Italiæ.*
    - *Ludovicus Pius, obiit 840.*
      - *Lotharius Imperator, obiit Monachus Prumiæ 855.*
        - *Ludovicus II. Imper. Rex Italiæ, obiit 875.*
        - *Lotharius Rex Lotharingiæ, obiit 869.*
        - *Carolus Rex Provinciæ & Burgundiæ, obiit 863.*
      - *Carolus Calvus Imperator & Rex Franciæ, obiit 877.*
        - *Ludovicus II. Balbus Rex, obiit 879.*
          - *Ludovicus III.*
          - *Carolomannus.*
          - *Carolus III. Simplex Rex Franciæ, obiit 929.*
            - *Ludovicus IV. Transmarinus, Rex Franciæ. obiit 954.*
              - *Lotharius Rex Franciæ, obiit 986.*
                - *Ludovicus V. Rex Franciæ, obiit 987. sine liberis.*
              - *Carolus Dux Lotharingiæ, obiit 991.*
                - *Otho Dux Lotharingiæ, obiit 1005. sine liberis.*
          - *Hugo Nothus.*
      - *Ludovicus Rex Germaniæ, duxit Emmam, obiit 876.*
        - *Ludovicus Rex Lotharingiæ & Germaniæ, obiit 882.*
        - *Carolomannus Rex Baioariæ.*
          - *Arnulfus Imperator Rex Lotharingiæ, obiit 900.*
            - *Ludovicus Rex Germaniæ & Lotharingiæ, obiit 912.*
            - *Suendeboldus Nothus Rex Lotharingiæ, obiit 900.*
              - *Benedicta & Cæcilia Moniales.*
        - *Carolus Crassus Imperator, Rex Franciæ, obiit 888.*
      - *Pipinus Rex Aquitaniæ, obiit 838.*
        - *Pipinus & Carolus, Monachi.*
    - *Lotharius, obiit puer.*
    - *Rotrudis.*
    - *Berta.*
    - *Gisla.*
    - *Gertrudis.*
    - *Hildegardis.*
    - *Adelhaidis*
    - *Theodrada.*
    - *Hiltrudis.*
  - *Carolomannus, obiit 771.*

CAPUT XII.

WALGARIUS *Sacerdos, S. Everardi Comitis Capellanus, Cisoniense Cœnobium Canonicorum Regularium prope Insulas dotat circa annum* 837.

Vide supra pag. 19.

EGo in Dei nomine WALGARIUS, indignus Sacerdos, aliquas res meas, legitimo jure ac labore multo ad propriam dominationem acquisitas, trado atque transfundo ad Monasterium, quod dicitur CISONIUM (in quo à fundamentis plurimùm desudavi laborando) in Pago Tornacensi situm; quod est constructum in honore S. Salvatoris, & B. Mariæ Genitricis ejusdem; in quo B. Calixtus Papa & Martyr Christi corpore quiescit.

ERgò dono in jam dicto Pago Tornacensi, in

in loco qui dicitur *Wernetlinigus*, Ecclesiam unam, cum ornamento ibidem competenti: ubi adjacent inter terram arabilem & pratum bunaria triginta, & mansum unum cum casa superposita, seu & cetera casticia.

IN Pago verò Pastensi in loco qui vocatur *Holteum*, mansum unum cum casticiis suprà positis: in quo Ragemarus residere videtur: ubi appendunt de terra arabili bunaria quattuor, & mancipia quattuor, videlicet mulier ejusdem Ragemari, & filii ejus duo, & unus nepotum ejus; & de silva in eodem loco bunaria tringinta.

Ista omnia superiùs commemorata tali tenore ac ratione trado atque confirmo, ut ipsa ordinatio, quam jubente Domino meo EVRARDO per Chartam ordinavi, atque sub manu Custodis constitui, de statu Altaris hujus inconvulsa servetur.

ET ut mibi mansio una ibidem concedatur, & quotidie dentur duo panes, quales ipsi Canonici accipiunt, & paria pulmenta, & quotidie de cervisia sextarius major, & de vino libræ duæ, & omni anno in vestimento solidi quinque. Actum Cisonio.

CIsonium, amplum Gallo-Flandriæ municipium, inter quattuor præcipuas Flandriæ Baronias, quibus ursos veailla gestantes vulgò appingunt, principem obtinet locum.

Hujus loci olim Dominus fuit S. EVRARDUS Comes Nobilissimus, qui ibidem Canonicorum Collegium fundavit ac dotavit, quibus regulare S. Augustini Institutum amplexis, anno 1129. à Rainaldo Remensi Archiepiscopo primus Abbas Angelo est datus.

In Cisoniensi porrò Abbatia S. Callisti Papæ corpus adservatur, quod S. Everardus ex Italia eò transferendum curavit: Teste Flodoardo in Historia Remensi.

Notet autem Lector, Carolo Crasso, tribus Regnis Italiæ, Galliæ, Germaniæ & Imperii titulis claro, anno 888 die 13. Januarii defuncto, Regna ejus variè discerpta fuisse.

Everardi Cisoniensis jam laudati Filius BERENGARIUS (*qui Ducatum Forojulianorum*, nunc *Friuli* Venetis dictum, *tenebat*, ut Rhegino loquitur) Longobardiam. RODULPHUS Burgundiam, & Odo Comes reliquam fere Franciam occuparunt. Deficiente scilicet Carolinæ stirpis virtute atque indole, Francicum quoque Imperium paulatim defecit. Itaque Regnum Italiæ cum Imperio ad Italiæ Principes est devolutum: quorum æmulatio, imperandi avida, magnis bellorum motibus ipsam Italiam concussit.

Berengarius ex Duce Foroliviensi Rex Italiæ ab Insubribus creatus GUIDONEM Spoleti Ducem æmulum habuit.

Is à Stephano V. Papa anno 890. Rex Romæ coronatus, Berengarium duobus præliis vicit. Sed nec quietum nec diuturnum Guidonis imperium fuit. Nam Arnulfus Imperator, Carolomanno Caroli Crassi Fratre genitus, Guidonem Italiæ Regno exutum abegit Spoletum.

Ita Berengarius noster, Arnulfi Imperatoris beneficio, Regnum Italiæ recepit: Guidone, cùm Arnulfum insectaretur, subitâ sanguinis vomitione exstincto.

Lamberto, Guidonis Filio, bellum posteà inferente, Berengarius à suis desertus regnum amisit, & LAMBERTUS à Stephano (aliis Formoso) Pontifice Imperator est appellatus. Quo vitâ functo, Berengarius regnum Italiæ tertiùm, sed non diu tenuit, utpote à LUDOVICO Provinciæ Rege, Ludovici II. Imperatoris ex Filia Nepotâ, Italia pulsus.

Biennio pòst, ubi Ludovicum ab hoste securum copias omnes dimisisse cognovit Berengarius, occultè in Italiam rediit, & Veronam noctu cum suis ingressus, Ludovicum cepit, & capto oculos effodit. Sicque captâ Veronâ regnum ter amissum recuperavit, quod pacatè deinceps annis multis tenuit, à Joanne X. Papa anno 914. demum Imperator nuncupatus. Sed Veronensium fraude anno 922. occisus, rarum humanæ felicitatis vices variantis exemplum præbuit.

Exinde anno 950. BERENGARIUS illo nomine secundus, Berengarii I. ex Willa Filia Nepos, regnum avitum recuperavit, quod cum ADALBERTO Filio tenuit, donec uterque ab Othone I. Imperatore debellatus est ac pulsus.

De his rebus eleganter & curiosè amicus noster Vir Clarissimus Erycius Puteanus in sua Historia Insubrica.

Adelbertus ex Gerberga Nivernensi Comitissa sustulit OTHONEM. GUILIELMUM, Burgundiæ & Niverniæ Comitem, anno 1027. defunctum. Is ex Hermentrude, genuit Rainaldum Burgundiæ Comitem, Brunonem, Mathildem, Agnetem & Gerbergam. Ex his Mathildis Landrico nupsit, & pro dote Comitatum Nivernensem à Patre accepit.

Guilhelmus II. Comes Burgundiæ, Rainaldi Filius anno 1087. decessit, Vesontione in Basilica S. Stephani conditus. Ex conjuge sua Gertrude quinque Filios *Rainaldum*, *Stephanum*, *Hugonem* Archiepiscopum Vesontionensem, *Raimundum*, *Guidonem*, ac totidem Filias, *Mathildem*, *Hermentrudem*, *Clementiam*, & N. N. anonymas sustulit.

Rainaldus II. Comes Burgundiæ circa annum 1100. in Syria obiit: ut Albertus Aquensis lib. 8. testatur. Stephanus Rainaldi Frater, & ipse in Syriam anno 1101. profectus, ibidem obiit. Raimundus duxit Urracam Filiam Alfonsi VI. Regis Castellæ; & ex ea genuit Alfonsum VII. Regem Castellæ. GUIDO ex Archiepiscopo Viennensi Pontifex Romanus creatus, Callisti II. nomen assumpsit.

Ex Filiabus primò genita Mathildis Odoni Burgundiæ Duci, secundò genita N. Humberto Comiti Maurennæ, tertiò genita Hermentrudis Theoderico Comiti de Montbeliard, Monson & Bar, quartò genita Clementia Roberto Flandriæ Comiti, quintò genita N. Guigoni primo Delphino Viennensi, nupserunt.

Ex Raimundi stirpe mascula hodie in Hispania superesse putantur Comites de *Cartion*, ex familia *Emanuel* nuncupata.

Rainaldus II. Comes Burgundiæ genuit Rainaldum III. Burgundiæ, & Guilielmum Viennæ Comitem. Rainaldi III. Filia unica Beatrix Frederico I. Imperatori nupsit. Guilielmus Viennæ Comes Stephanum, & Gerardum; Stephanus Joannem Dominum Salinarum, & Stephanum Dominum de *Oiselay* procreavit.

Ex stirpe mascula Oiselayensi ultimus Eugenius Leopoldus Princeps & Comes de Cantecroi matrimonio junctus anno 1635. cum Filia Baronis de Beauvois; de quo vide infra Chronicon Belgicum ad annum 1549. Hic nullâ relictâ prole masculâ obiit; ejusque Dominia dein transierunt ad Familias de Cusancia & Lotharingia. Additio

Ceterum Dominium Cisoniense diu controversum inter Illustres Familias de Melun-Epinoi. & de Ligne, anno 1711. amicabili conventione Parisiis factâ transiit ad Familiam de Ligne.

Stemma

Stemma Berengariorum *Italiæ Regum*, *itemque* COMITUM BURGUNDIÆ *ex Berengariis ortorum.*

- *S. Evvardus duxit Gislam Ludovici Pii Filiam.*
  - *Unrocus.*
  - *Berengarius Italiæ Rex, pòst Imp. obiit 923.*
    - *Lambertus obiit sine liberis.*
    - *Gisla Uxor Adelberti Marchionis Eporediæ.*
      - *Berengarius II. Rex Italiæ duxit Willam Filiam Bosonis Marchionis Tusciæ.*
        - *Adelbertus Dux Longobardiæ duxit Gerbergam Nivernensem.*
          - *Otho-Guilielmus Comes Nivernensis, Divionensis, & Burgundiæ duxit Hermentrudem. obiit 1207.*
            - *Guido, obiit ante Patrem*
            - *Rainaldus Comes Burgundiæ duxit Adelisam Filiam Richardi II. Ducis Normanniæ, obiit 1057.*
              - *Guilielmus II. Comes Burgundiæ duxit Gertrudem, obiit 1087.*
                - *Rainaldus II Comes Burgundiæ, obiit in Syria circa 1100.*
                  - *Rainaldus III. Comes Burgundiæ, obiit 1144.*
                    - *Beatrix Comes Burgundiæ Uxor Frederici I. Imperatoris.*
                  - *Guilielmus Comes Viennæ.*
                - *Stephanus Comes Burgundiæ in Syria 1101.*
                  - *Guilielmus III. Comes Burgundiæ, obiit sine liberis 1126.*
                - *Hugo Archiepiscopus Visontinus, obiit 1100.*
                - *Raimundus.*
                  - *Alfonsus Rex Castellæ.*
                - *Calixtus II. Papa.*
                - *Hermentrudis.*
                - *Clementia Uxor Roberti Comitis Flandriæ.*
                - *Mathildis.*
              - *Guido.*
              - *Robertus.*
              - *Henricus.*
            - *Bruno Archiepiscopus Lingon.*
            - *Mathildis Comes Nivern. Uxor Landrici.*
            - *Agnes.*
            - *Gerberga.*
        - *Guido obiit 965.*
        - *Gisla.*
        - *Gerberta.*
  - *Adalardus.*
  - *Rodulfus Cisoniensis Præpositus.*
  - *Ingeltrudis*
  - *Judith.*
  - *Heilwigis.*

CAPUT XIII.

LOTHARIUS *Imperator Ansfrido Comiti Palatii mansos aliquot, in Villa Geizefurt, in Pago Hattuariensi ad Nersam fluvium sitos, anno* 841. *donat: quos idem Comes postea Monasterio Laureshamensi attribuit.*

LOTHARIUS (1) Divinâ præveniente clementiâ Rex. Hucbertus Abba nostram deprecatus est Magnitudinem, ut cuidam fideli Comiti Palatii nostri, ANSFRIDO nomine, aliquantum ex rebus juris nostri, quas ipse jure beneficiario detinet, ad proprium concederemus.

CUJUS precibus adquiescentes, hos Eminentiæ nostræ apices fieri decrevimus, per quos memorato Ansfrido in Pago Hattuariensi, & in Villa quæ vocatur *Geizefurt*, super fluvium *Nerse*, mansos quattuor cum omnibus suis appendiciis, seu etiam & in Pago *Laumensi*, in Villa *Sodeia*, super fluvium *Geldione*, mansum unum cum omnibus ad se pertinentibus, nec non mancipiis utriusque sexûs, ad proprium tribuimus.

Signum Lotharii gloriosi Regis.

Hrothmundus Notarius recognovi. 841.

DATA V. Idus Novembris, anno Christo propitio, Imperii Domni Lotharii Regis primo. Indictione quartâ. Actum Aquisgrani Palatio Regio.

CAPUT

(1) LOTHARIUS Imperator anno 855. die 26. Septembris, in Prumiensi Diœcesis Treverensis Cœnobio, Monachum induit, & anno eodem obiit ibidem. Ex Hermengarde, Hugonis cognomento Ignavi Comitis Filia, sustulit *Ludovicum II.* Imperatorem & Regem Italiæ, *Lotharium* Regem Lotharingiæ, *Carolum* Regem Provinciæ sine liberis defunctum, & *Hermengardem* uxorem Gisleberti Comitis.

Ludovicus II. Imperator anno 875. decessit Mediolani, in Basilica S. Ambrosii conditus. Ex conjuge sua Angelberga, pòst Abbatissa in Urbe Ticinensi, unicam reliquit Filiam Hermengardem, nuptam Bosoni Comiti, ac demum Regi Provinciæ, beneficio Caroli Calvi, qui Bosonis Sororem Hermengardem duxerat.

CAPUT XIV.

Excerptum ex SERGII II. *Papæ Epiſtola, ad Epiſcopos Tranſalpinos anno* 844. *ſcripta: quâ Drogonem Archiepiſcopum Metenſem, Caroli Magni Imperatoris Filium naturalem, deſignat Vicarium Sedis Apoſtolicæ in Gallia & Germania.*

FRATRES cariſſimi, quia Nos cunctarum ſollicitudo angit Eccleſiarum, ubi ipſi eſſe non poſſumus, more præcedentium noſtrorum, moderationis noſtræ Vicarios damus. Ad noſtræ igitur humilitatis vicem, cunctis Provinciis trans Alpes conſtitutis DROGONEM Archiepiſcopum Metenſem, glorioſi quondam Karoli Imperatoris Filium, cujus beatiſſimi moderatoris induſtria Romanorum Francorumque concorporavit Imperium, cautâ deliberatione conſtituimus: ut quia ſereniſſimi atque piiſſimi Filii noſtri, magni Imperatoris *Hlotharii*, ejuſque Fratrum dilectiſſimorum Filiorum noſtrorum *Hludowici* & *Karoli* Regum Avunculus eſt, inſuper ſanctitate doctrinâque conſpicuus, ab hac Sede ſanctiſſima Apoſtolorum Principis auctoritate perceptâ, veſtris neceſſitatibus, vice noſtrâ, idoneus ubique Miniſter exiſtat. Et quia omnium veſtrorum ſollicitudinem illi gerere præcepimus, omnium volumus obedientiam comitari.

DECET ſanè, Fratres, ut qui pro omnibus laborat, cunctorum ſubſidio fulciatur. Huic ergò in congregandis Generalibus Synodis, in omnibus ſupradictarum Regionum partibus, noſtram commodamus auctoritatem: & quidquid Provinciali Synodo fuerit definitum, ad ejus abſque dilatione ſtatuimus notitiam perducendum.

SI cui autem ab illis partibus hanc ſanctam Sedem appellare opus fuerit, & in noſtra audientia ſe audire popoſcerit, hunc commonemus, ut ad ejus primùm audientiam ſe ſubmittat, & Eccleſiaſticorum geſtorum in ſua Regione rationabili digeſtione prolatâ, ſi Epiſcoporum de eo, qui fortè criminibus impetitur, ſententia diſcordaverit, ut ab aliis reus, innocens judicetur ab aliis; tunc ipſis geſtis ad Nos delatis, Litteris etiam præfati Fratris noſtri, cui vicem noſtram conceſſimus, commendatus, ſive ad Nos, ſive ad Beatiſſimi Petri Sedem ſecurus accedat, nullaque eum in veniendo mora præpediat.

Quam etiam condicto Fratri noſtro Drogoni Archiepiſcopo in examinandis ac perquirendis Epiſcopis & Abbatibus ſub hoc tenore hanc noſtram licentiam & auctoritatem conceſſimus, ſalvo in omnibus hujus univerſalis Romanæ Sedis Primatu, noſtrique Præſulatûs honore, vigoreque & exaltatione cariſſimi ac ſpiritalis Filii noſtri Domni Hlotharii magni Imperatoris.

NAM Nobis valde placuit, propter diverſas Eccleſiarum Dei perturbationes hoc neceſſarium ſatiſque dignum opus explere.....

POſt S. Bonifacii Moguntini & Ultrajectini obitum, nullus hactenus (ut Hincmarus Epiſtola 6. cap. 19. docet) Pipini Regis, & Caroli Magni ac Ludovici Pii Imperatoris temporibus, Vicarii Sedis Apoſtolicæ in Gallia aut Germania munere fuerat perfunctus. Anno demum 844. DROGO Metenſis Epiſcopus, Romam à Lothario Imperatore cum Ludovico Filio miſſus, Regiæ proſapiæ prærogativâ (Lotharii quippe, Fratrumque Regum Patruus) prælationem hanc à Sergio Papa eſt adeptus: ſibi tamen, ut ea liceret, non conſentientibus quorum intererat, obtinere non potuit: ut Sirmondus tom. 1. Conciliorum Galliæ notavit.

CAPUT XV.

CAROLUS CALVUS *Rex Francorum poſſeſſiones Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis confirmat anno* 854.

CAROLUS gratiâ Dei Rex. Quia Venerabilis Vir IMMO, Noviomagenſis atque Tornacenſis Eccleſiæ Epiſcopus, utilitatem ſibi commiſſæ Eccleſiæ, & neceſſitatem Canonicorum ſuorum prævidens, ſcilicet ut rebus exterioribus adhibitis Divinum Cultum ac Miniſterium proprii Officii liberiùs poſſit explere, deferens Privilegium quoddam Venerabilium Epiſcoporum noſtrorum manibus roboratum, in quo quædam res ad uſus præfatorum Canonicorum ſuorum delegatæ detinebantur, humiliter petiit, ut id eaſdemque res, cum appenditiis ſuis, prædictæ Eccleſiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ ſemper Virginis, in præfata Civitate TORNACO ſitæ, in uſibus ac ſtipendiis Clericorum ibidem Domino ſervientium perpetualiter habendas, noſtris confirmaremus Edictis. Fuerunt namque temporibus Anteceſſorum ejus, præſcriptæ Civitatis Clericorum uſibus res applicatæ, Villa *Lamedinius* cum integritate ſuâ, & mariſcus unus in Flandrenſe Pago, nec non etiam decimæ populi juxta antiquam conſuetudinem ad eumdem locum confluentis.

PRÆ-

PRÆTEREA ab eodem Venerando Pontifice acquisitæ res, & superadjectæ sunt hæ; item in Pago Bragbantense, in loco qui dicitur Villa, quidquid Hrotscindis Deo devota in eodem loco habuisse cognoscitur, ad partem prædictæ Ecclesiæ tradidit, nec non & mariscum in Pago Flandrensi, quem Otgisus Presbyter, & Burgisus germanus ejus Frater præfatæ Ecclesiæ contulerunt. Teloneum etiam præfatæ Civitatis Tornacensis, & insuper in Noviomo vineæ, de quibus secundùm temporis qualitatem colliguntur modia centum viginti.

HAS denique res, sicut in Privilegio Episcoporum continetur, secundùm prænominati Reverendi Pontificis Immonis rationabilem constitutionem, sumptibus & indumentis, ceterisque utilitatibus præsignatis, Canonicis S. Mariæ, ejusdem sæpedicti Venerandi Præsulis supplici deprecatione, perenniter habendas decernimus & firmamus, videlicet ut remotâ necessitatis inquietudine ipsis & Successoribus eorum liberiùs per omnia tempora pro Nobis, & Regni stabilitate Christi misericordiam assiduis precibus implorare delectet.

PRÆTEREA statuimus, ut ultra tricenarium numerum in Congregatione Fratrum prædictæ Ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ nullus Clericorum adjiciatur; ni fortè superadjectæ fuerint aliæ præter istas res, quæ ad usus eorum sine murmuratione sufficiant; quatenus moderata rerum distributio præfatorum Clericorum in memorato loco, secundùm proprii Pontificis administrationem, sufficiens, non aliâ constitutione moveatur, quæ eorum animos aliquâ turbelâ in divino servitio tepescere cogat.

UT autem hæc præcellentiæ nostræ confirmatio perpetuum in Dei nomine obtineat vigorem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Guillermus.....ad vicem Ludovici recognovit.

DATA VIII. Kalendas Augusti, Indictione II. anno XV. regnante Karolo gloriossimo Rege.

ACTUM Vermeria Palatio Regio. 854.

CAPUT XVI.

ANSFRIDUS *Comes Palatii benefacit Abbatiæ Laureshamensi in Germania anno* 862.

EGo in Dei nomine ANSFRID Dei gratiâ Comes, dono per hoc Testamentum ad Sanctum Dei Martyrem *Nazarium*, qui requiescit in corpore in Pago Rhenense, in Monasterio *Lauresham*, sito super fluvium *Wisgoz*, ubi Vir Venerabilis Theotrochus Abba regulariter præesse videtur, res proprietatis meæ in Pago Hattuaria, in Odenheimero marca, in villa quæ dicitur *Geizefurt*, quæ sita est super fluvium Nersa, hoc est, mansum indominicatum, cum ædificiis & omnibus utensilibus, habentem hobas tres, hobas serviles XIX. & silvam, in quam mittere possumus mille porcos perfectè saginari....

ACTUM publicè in Monasterio Lauresham, anno Incarnationis Dominicæ DCCC.LXII. Regni Ludovici Regis XXVI. sub die III. Non. Octobris. 862.

Signum Ansfridi Comitis Palatii.

Signum Fridolohi.

Signum Ruodleichi, & aliorum.

Ego Walther indignus Prebyter & Monachus hoc Testamentum scripsi.

CAPUT XVII.

Donatio altera ejusdem ANSFRIDI *Comitis, in favorem præfatæ Abbatiæ Laureshamensis, anno* 862.

EGo in Dei nomine ANSFRIDUS, gratiâ Dei Comes, dono per hoc Testamentum ad Sanctum Dei Martyrem *Nazarium*, quidquid habeo proprietatis in Pago *Darnau*, in marca vel Villa *Sodoia*, quæ sita est super fluvium *Geldiun*, in Comitatu Giselberti, hoc est, hubam indominicatam unam, serviles IX. & silvam, in qua saginari possunt porci centum, quam determinat ab Oriente res Liutberti, ad Austrum fluit *Sambra*, ad Occidentem res S. Lamperti, ad Aquilonem item res Liutberti, cum mancipiis XXXIX.

HÆC omnia in ea ratione ad Sanctum Dei Martyrem Nazarium trado, quatenus easdem res ego & HILDIWARDUS Filius meus ad dies vitæ nostræ habeamus....

Actum ut suprà.

CAPUT XVIII.

THIOTROCHI *Abbatis Laureshamensis Præstaria anno* 862.

DILIGENDO in Christo Filio sanctæ Dei Ecclesiæ ANSFRIDO, venerando Comiti Palatii, *Thiotrochus* gratiâ Dei humilis Abbas. Honorabilis fuit tua petitio, & Fratrum nostrorum decrevit benevolentia, ut res proprietatis tuæ in *Geizefurt*, à te S. Nazario traditas, simulque res nostras ad *Gannita* pertinentes, rem quoque proprietatis tuæ in Villa *Sodoia* similiter traditam, cum rebus S. Nazarii in Villa Baldanis, quæ in utroque Testamento tuo pleniùs continentur inscripta, tibi & Filio tuo HELDIWARDO ad dies vitæ vestræ beneficiaremus.

QUOD quia rationabile fuit perfecimus, & hanc Præstariam vobis conscribi jussimus: ut quamdiu vixeritis, utrasque res teneatis & excolatis, & nihil exinde minuere aut deteriorare, sed potiùs augmentare & meliorare studeatis.

POST obitum verò vestrum utræque res melioratæ & auctæ ad S. Nazarium revertantur.

DATA Præstaria, die & tempore, quo suprà.

CAPUT XIX.

Excerptum ex Privilegio, quod à Concilio Suessionensi III. anno 866. concessum est Monasterio Sollemniacensi, vulgo Solognac, Ordinis S. Benedicti in Diœcesi Lemovicensi, fundato à S. ELIGIO, *Noviomensi ac Tornacensi Episcopo.*

866. ANNO Incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI DCCC. LXVI. Indictione XIV. Regni autem Domni Karoli Regis XXVI. dum apud Urbem Suessonicam, jubente Nicolao Urbis Romæ Pontifice, magna Synodus ex diversis Galliæ, Neustriæ, atque Aquitaniæ Episcopis confluentibus, XV. Kalendas Septembres haberetur, venit quidam Abba Venerabilis, Bernardus nomine, ex Monasterio SOLLEMNIACO nuncupato, Regiam clementiam & Synodalem adiens pietatem, pro Privilegiis ipsi Monasterio impetrandis.

TALIA ergo dum sibi suisque Fratribus concedenda postularet, innotuit Regiæ dignitati, nostræque Synodo residenti, qualiter Vir Beatissimus ELIGIUS, Viromandensis Ecclesiæ Episcopus, Cœnobium ipsum in Limovicino rure, quod Sollemniacus vocatur, in honore Dei & veneratione Apostolorum Petri & Pauli, ac Martyrum Dionysii & Sociorum ejus, Crispini, Crispiniani & Pancratii, seu & Confessorum Martini, Hilarii, Medardi, Remigii & Germani, suo opere ædificare fategit, Monachosque ibidem instituit: & quomodo per testamentum propriâ suâ manu, atque aliorum Episcoporum corroboravit voluntate, & idem Monasterium Monachis in eodem degentibus, ac successoribus eorum tradidit: eo videlicet tenore, quatenus sub tuitione, atque quem trito sermone mundeburdo vocant, *Dagoberti* Regis, qui tunc temporis apicem regni tenebat, & successorum ejus, viverent, & normam *S. Benedicti* tenerent: & quomodo idem Rex Dagobertus, cognitis ejusdem Episcopi Eligii studiis, præfatum Monasterium cum omnibus rebus ad se pertinentibus, tam sui donatione, quàm etiam bonorum hominum collatione, per auctoritatem Præcepti sui, Abbati atque Monachis in eodem degentibus confirmavit.

HIS igitur omnibus, Abbatis relatione Bernardi, Regiæ potestati ac Synodali Concilio cognitis, obtinuit ipsius Abbatis precatio, apud ejus Synodique clementiam, ut nostrâ innovatione, quoniam Nortmannorum crudelitate grassante priora Instrumenta incendio fuerant concremata, hujus prædictæ firmitatis stabilitas muniretur.

Vulfadus Metropolis Biturigensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.....
Hincmarus Metropolis Ecclesiæ Remorum Episcopus subscripsi.
Æneas Parisiensis Episcopus subscripsi.
Fulgricus Episcopus Augustæ-Tricorum subscripsi.
Odo Beluacensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Huntfredus Morinensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Rainelmus Vermandensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Hincmarus Laudunensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Joannes Cameracensis Episcopus huic Privilegio subscripsi.

CAPUT XX.

Carolus Crassus *Imperator Laureshamense Monasterium anno* 884. *dotat.*

KAROLUS Divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Ob amorem Dei, & remissionem peccatorum nostrorum, atque pro remedio animarum piæ recordationis Genitoris nostri (1) HLUDOWICI, necnon & carissimi Fratris nostri Hludowici, gloriosissimorum Regum, ad Monasterium quod vocatur LAURESHAM, ubi S. Nazarius corpore requiescit, & præfati Reges humati habentur, ubi Gerhardus Abba & Rector esse videtur, quasdam res juris nostri in proprietatem concessimus, in Comitatu Wormatiensi, ad Villam quæ dicitur *Alesheim* curtem indominicatam, cum mansis, ædificiis, utriusque sexûs mancipiis, terris, pratis, vineis, silvis. Eo scilicet rationis tenore, ut perpetuò Monachis ibidem Deo famulantibus in usibus deputentur, atque indeficiens luminaria exinde in Ecclesia, ubi præfati Viri requiescunt, habeatur, & nulli præfatæ res in beneficium tradantur, sed ita auxiliante Deo permaneant, ad usus Fratrum & luminariam inextinctam, sicut prælibando statuimus.

SEGOINUS Notarius, ad vicem Luitwardi Archicancellarii, recognovi & subscripsi.

DATA III. Idus Junii, anno ab Incarnatione Domini DCCC. LXXXIV. Indictione II. anno 884.
verò Regni Domini Karoli Augusti VIII. Imperii autem IV. Actum Wormatiæ.

(1) HLUDOWICI. Ex hoc Diplomate, ut & ex Rheginone, aliisque vetustis Scriptoribus constat, *Ludovicum* Germanicum, Ludovici Pii Filium, & Germanici Filium *Ludovicum*, in Laurishamensi Monasterio sepultos fuisse: quorum Germaniæ Regum monumenta, licet anepigrapha, ibidem in hanc diem exstant.

Ibidem est etiam tumulatus *Hugo* Dux, Ludovici illius III. Filius naturalis, à Normannis in prælio anno 879 cæsus, Rheginone teste. Eidem Monasterio *Tassilonem* Bavariæ Ducem, iteratò rebellantem, cum Filio Theodone, Carolus Magnus inclusit: ubi illius monumentum hodieque visitur cum hac inscriptione:

Tassilo Dux primùm, pòst Rex, Monachus sed ad imum,
Conditur hâc foveâ, quem pie Christe bea.
Idibus in ternis decesserat iste Decembris.

CAPUT XXI.

ARNULFUS *Rex Lotharingiæ, & posteà Imperator, anno* 888. *Abbatiam Laubiensem Ord. S. Ben. donat Franconi Episcopo Leodicensi, ejusque Successoribus.*

Correctum ex Historia Abbatiæ Laubiensis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Arnulphus, Divinâ favente clementiâ Rex. Si circa loca Divinis Cultibus mancipata curam exhibere studuerimus, & de temporali commodo, supernâ largitate Nobis collato, ea Regali more sublevare satagimus: perpetuæ retributionis compendia Nobis conferri manifestissime credimus

IDCIRCO omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelibus, nostrisque præsentibus scilicet & futuris, notum sit, quoniam FRANCO Venerandus Tungrensis atque Leodiensis Ecclesiæ Præsul, per quorumdam Procerum nostrorum *Engiscaldi* videlicet & *Irringi* interventum, nostræ Celsitudinis clementiam precatus est, postulans ut quandam Abbatiam LAUBIAS nominatam, quam ipse jam multo tempore à Prædecessoribus nostris in beneficium habere visus est, ubi Sanctus Ursmarus corporaliter quiescit, ubi etiam in Sancti Petri honore dicata constat Ecclesia, tam ad præfatam Tungrensem Beatissimæ Dei Genetricis, semperque Virginis Mariæ, quamque ad Leodiensem Sancti Lamberti Martyris Christi Ecclesiam perpetuò consistendam traderemus.

STATIMQUE Nos congruam reverentiæ illius petitionem, pro Dei amore, libenter adimplere studentes, dedimus ipsam Abbatiam cum omni integritate suâ ad supra nominata sanctissima loca, pro gloria cunctorum quorum nomina prælibata sunt Sanctorum, ac stabilitate eorumdem locorum mansura, cum Ecclesiis, cellulis, vicis, ac villis, familiis, ac mancipiis, curtibus, possessionibus, ædificiis, vineis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, terris cultis, & incultis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, itibus & reditibus, tributis, decimis, quæsitis, vel etiam inquirendis, mobilibus & immobilibus, cum omni integritate, velut Harbertus ejusdem Ecclesiæ Abbas, tempore Prædecessorum nostrorum noscitur tenuisse;

ITA tamen ut medietatem ejusdem Abbatiæ quam Hucbertus Abbas, ut nunc scimus, plus cupiens præesse quàm prodesse, Monachis solam reliquerat, reliquâ utilitati Genitoris nostri Regis serviturus, ipsâ prædictâ medietate Monachi nunquam priventur.

Insuper si eam vitam, quam dicunt regularem, quamque se impedimento Huberti dolent reliquisse, de cetero voluerint restaurare, certum habemus prædictum Venerabilem Episcopum medietati Abbatiæ, quam tenent, velle superaugere.

Et quia ipsi Monachi in præsentia nostra cum hac nostra visi sunt concordare intentione, decimas omnes indominicatas & aliam medietatem eis permittimus habere ad portam vel Hospitale, prædicti Episcopi piâ rogati petitione.

Et pro his omnibus jussimus hoc muniminis nostri Præceptum inde conscribi, Regiâ authoritate præcipientes, ut hæc donationis nostræ Constitutio perpetualiter inviolabilis & mansura perseveret.

Atque in decimo Calend. Octob. die quo Carolomannus, venerandæ memoriæ, piissimus Rex, & Genitor noster præsentem finivit vitam, sui commemoratio tam in eleemosynis, quam in orationibus, similiterque nostri, eo die quo divinâ præordinante misericordiâ ad dignitatem Regiam promoti sumus, annuatim tam in Laubacensi quàm in Leodiensi Ecclesia habeatur, obitusque vitæ nostræ in ævo memorum celebretur.

Et ut hoc nullo unquam tempore Præceptum violetur, manu propriâ illud roborantes, annuloque nostro assignari jussimus.

Signum Arnulphi Serenissimi Regis.

Asdelgus Cancellarius ad vicem Theotmari Capellani recognovi.

Data decimo septimo Calend. Decemb. Anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo 888.
octogesimo octavo, Indictione septimâ, anno secundo Regni Domini Arnulphi Regis.

Actum Franconvort Curte Regiâ feliciter.

CAPUT XXII.

Zuendeboldus *Rex Lotharingiæ possessiones Monasterii Epternacensis VVillibrordiani, Ordinis S. Benedicti, in Ducatu Luxemburgensi confirmat, anno* 895.

* vide supra pag. 553.

Zuentebuldus* gratiâ Divinâ annuente Rex. Noverint omnes nostri fideles, qualiter dilectus Archiepiscopus & summus Cancellarius noster Ratpotus, nostram deprecatus est Celsitudinem, quatenus Fratribus B. Willibrordo servientibus, quod ab Antecessoribus nostris habuerunt, concedamus.

Nos verò ejus petitioni consentientes, antedictis Fratribus de Monasterio B. Willibrordi, quod dicitur *Esternaca*, tales res, quales adhuc habent, ad illorum victum donamus: quorum locorum nomina hæc sunt: *Steinheim*, *Caroscara*, *Oppilendorff*, *Bullendorff*, *Arensa*, *Maquila*, *Gladebach*, *Ussichinâ*, & ad *Croviam* Ecclesia, cum vineis quæ sunt sitæ in Pago *Piatahgewe*, in Comitatu Stephani Comitis. Et hæc omnia cum appenditiis omnibus, id est, Ecclesiis, vineis, & mancipiis utriusque sexûs, agris cultis & incultis.

Signum Domni Regis gloriosissimi Zuenteboldi.

Viadeger Notarius, ad vicem Ratpoti Archicancellari, recognovit.

Data v. Kalendas Novembris, anno octingentesimo nonagesimo quinto, Indictione de- 895.
cimâ quartâ. Regnante Zuenteboldo Rege, anno primo.

Actum in Urbe Treviri.

CAPUT XXIII.

Excerptum ex Guillielmi *Comitis Arvernorum & Ducis Aquitaniæ Testamento; quo prima Cluniacensis Monasterii fundatio instituta est, Christi* 910. *anno, Caroli Simplicis Francorum Regis anno XIII. post obitum Odonis Regis.*

Ego Willelmus dono Dei Comes & Dux, res juris mei SS. Apostolis Petro & Paulo de propria trado dominatione: (1) Cluniacum scilicet Villam, quæ sita est super fluvium, qui *Graona* vocatur, cum cortile & manso indominicato, & Capella quæ est in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & S. Petri Apostolorum Principis, cum omnibus rebus ad ipsam Villam pertinentibus: Villis siquidem, Capellis, mancipiis utriusque sexûs, vineis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, exitibus & regressibus, cultum & incultum, cum omni integritate. Quæ etiam res sunt sitæ in Comitatu Matisconense, vel circa, suis unaquæque terminis conclusæ.

Dono autem hæc omnia jam dictis Apostolis Ego Willelmus, & Uxor mea Ingelberga, primùm pro amore Dei, deinde pro anima Senioris mei Odonis Regis, Progenitoris ac Genitricis meæ, pro me & Uxore mea, salute scilicet animarum nostrarum & corporum: pro *Avanæ* nihilominus, quæ mihi easdem res testa-

mentario jure concessit, pro animabus quoque Fratrum ac Sororum nostrarum, Nepotumque, atque omnium utriusque sexûs propinquorum.

Eo siquidem dono tenore, ut in Cluniaco in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli Monasterium Regulare construatur, ibique Monachi juxta Regulam B. Benedicti viventes congregentur, qui ipsas res perenni tempore possideant. Sint ipsi Monachi sub potestate & dominatione BERNONIS Abbatis: post discessum verò ejus habeant eidem Monachi licentiam, quêmcumque sui Ordinis secundùm Regulam S. Benedicti eligere maluerint, Abbatem atque Rectorem.

Ego Willelmus hanc Auctoritatem fieri & firmari rogavi, ac manu propriâ roboravi.

S. Ingelbergæ Uxoris ejus.

S. Madelberti peccatoris Bituricensis Archiepiscopi.

S. Adalardi peccatoris Episcopi.

S. Attonis peccatoris Episcopi.

S. Willelmi Nepotis ejus.

S. Armanni & aliorum.

ANNO XIII. Regnante Carolo Rege, Indictione XIII. 910.

Ego Oddo Levita, ad vicem Cancellarii, scripsi & subscripsi.

Additio. (1) CLUNIACUM, Oppidum Galliæ in Diœcesi Matisconensi, haud procul Lugduno & Cabillone situm, celeberrimam habet Abbatiam, Ordinis Cluniacensis Caput, quæ dedit Ecclesiæ Romanæ Pontifices quatuor, Urbanum II. Gregorium VII. Paschalem II. & Urbanum V; item Sanctos quam plurimos, Bernonem, Odonem, Majolum, Odilonem, Hugonem, Petrum Venerabilem &c.

Plura vide inferiùs in Libello de Originibus Benedictinorum.

CAPUT XXIV.

ADELBERONIS *Episcopi Metensis Præceptum de Monachis Benedictinis in Cœnobio S. Arnulfi, Clericorum loco, constitutis, anno 942.*

EGo indignus ADELBERO Sanctæ Sedis Metensium Episcopus, operæ pretium duxi, ut qui diu mihi commissa in torporis negligentia cuncta duxeram, saltem aliqua, quæ corrigere valerem, congruebat sagaci providerem industriâ. Itaque Monasterium cunctis notum, scilicet (1) B. ARNULFI, in quo videbatur coadunatio Clericorum, utque veridicè dicam, acephalorum, sub specie Canonicorum Regulæ, existere, succrevit ardor summi desiderii, ut qui illorum mores & vitam incorrigibilem noveram, quo potioribus & vitæ præstantissimis ipsius loci Præbendam converterem disciplinis.

Hujus siquidem deliberationis summa fuit, ut eos inde expellerem, & Deo auctore vitam instituerem monasticam, nisi seipsos sanctæ illius subderent vitæ. Sed hoc quasi despectui habentes, ut erant jurati cœtu, maluerunt esse pares in imperfectionum consensu.

DENIQUE consultu nostrorum Clericorum, scilicet Abbatum utriusque Ordinis, atque fidelium Laïcorum, præfecimus ibi Abbatem *Arbertum* nomine, cujus institutionibus in reliquum adventantes inibi, eodem quo definivimus Ordine, scilicet Monastico, erudirentur.

QUAPROPTER furoris stimulo veluti de paternis redditibus accensi quidam eorum adierunt Regem Seniorem nostrum videlicet OTTONEM, vanam super hoc garrientes declamationem, quòd injustè proprium abstulissem & veluti hereditarium locum. Cumque, ut egeram, præfato Seniori totum indicassem, illorum flocci pendens rationem, ut sapiens & justus Rex, ne in reliquum querimoniis inibi Deo famulantes molestarentur invidorum, tunc & ipse quod feceram confirmavit Testamento Regiæ auctoritatis, præcipiens ut pari consensu ad corroborationis auctoritatem identidem nostra sanciret Ecclesia.

QUOD juxta desiderii ardorem exequens, ut dehinc sicut statuimus maneat, cum consensu Ducis nostri OTTONIS videlicet, totiusque Ecclesiæ nostræ hoc Præceptum confirmationis scriptum manibus propriis roboravimus, & roborandum tam prædicto Duci, quamque Coëpiscopis nostris, fidelibusque dedimus: in Domino, & propter Dominum, omnes Successores nostros humiliter postulans, ut sicut diffinivimus, utque volunt sua quæ diffinierint, rata habere consentiant nostra. Otto Dux Lotharingiæ.

ACTUM Metis publicè, sub die Idus Martii, Indictione XV. Concurrente V. anno XIII. adeptionis Episcopatûs Domni & Venerabilis Episcopi Adelberonis. 942.

HOC Testamentum fuit coram cunctis in Palatio recitatum, & ab omnibus voluntariè corroboratum.

CAPUT

Additio. (1) SANCTI ARNULPHI Ecclesia, olim extra Urbis Metensis muros fundata à B. Arnulpho Metensium Episcopo, qui obiit circa annum 640, primò per Clericos sæculares regebatur. His propter irregularitatem vitæ amotis, substitui fuère anno 942. per Adelberonem Metensem Episcopum (hoc Diplomate) Monachi, factaque fuit Abbatia Benedictinorum.

Sæculo XVI. inter bellorum tumultûs diruta fuit hæc Abbatia, dum Carolus V. Imperator Metensem Urbem impugnavit, non tamen valens expugnare. Tunc Religiosi in Urbem admissi, obtinuêre pro domicilio Conventum FF. Prædicatorum, desertum à plerisque Religiosis qui facti Sectatores hæreseos Lutheranæ Urbe excesserant. Residui verò tres quatuorve ab Instituto S. Dominici transiere ad vota Benedictinorum. Sæculo XVII. in eandem Abbatiam introducta fuit strictior observantia Congregationis S. Vidulphi.

CAPUT XXV.

S. Eraclius *Leodiensis Episcopus, à gravi infirmitate sanatus intercessione S. Martini Turonensis Episcopi, cujus sepulchrum supplex visitaverat, in ejus honorem Leodii instituit Collegium triginta Canonicorum, circa annum 963; simulque statuit Confraternitatem mutuam inter hos Canonicos & Turonenses in Gallia.*

Additio ex Historia Leodiensi Chapeavillii.

IN nomine S. & Individuæ Trinitatis.

ANNO secundo post reditum Beati MARTINI ab exilio, videlicet, à Civitate Antisiodoro, providentiâ Dei, & auxilio Ingelgerii Castinensis Comitis, Hugonis inclyti Burgundiæ Ducis consanguinei, curâ pervigili, mirâ sollicitudine, & armatorum copiosâ multitudine, in quo priùs venerabatur loco, honorificè & decenter relocati; ego ERACLIUS Dei patientiâ Leodiensis Ecclesiæ humilis Episcopus, auditis miraculorum virtutibus, quæ per Dei gratiam & B. Martini meritum, incessanter ibi fiebant, morbo, qui *Lupus* dicitur, graviter attritus, & ferè ad mortem deductus, sub spe recuperandæ sanitatis astrictus voto, cum Clericis & Militibus, Turonum quantocius veni devotus.

CUMQUE in Ecclesia gloriossimi Confessoris prædicti, die noctuque cum effusione lachrymarum & gemitibus, vigiliis, jejuniis, orationibus instarem, Deique misericordiam & ipsius suffragium exorarem, nocte septimâ, Beatus Martinus cum Sancto Briccio, mihi præ lassitudine quasi in extasi posito, apparuit, seque sequenti, sic ait: Frater Bricci, quid Tibi videtur de Fratre nostro Leodiensi Episcopo, qui de remotis huc venit partibus, Deique auxilium, & nostrum tam devotè requirit? Sanctus Briccius sibi loquenti sic respondit: Piissime Domine, si placet Deo & tuæ Benignitati, bonum est ut curetur, cùm sit multæ sanctitatis, & nostri Ordinis, cujus vita Ordinem non deturpat. Illicò propiùs accedens, & locum morbi cuspide baculi sui tangens, sic ait: Frater Eracli, Dominus noster JESUS CHRISTUS sanat te, & incolumitati restituit, suâ pietate.

IGITUR hilaris, sanus, & incolumis, Fratribus nostris Canonicis manifestam Dei virtutem revela, & ex parte ipsius & nostra præcipe, ut cum devoto populo laudes immensas suo Salvatori referant, & Te in Canonicum jure perpetuo recipiant. Tu verò hodie ad laudem Dei magnam Missam celebrabis, ut qui te priùs viderant quasi addictum morti, fiducialiùs sperent de subventione sui Patroni.

Hoc facto, & his dictis, à conspectu meo disparuit. Erant ambo Episcopalibus indumentis redimiti. Surrexi lætus. Clerici mei & Milites cum famulis accersiti advenerunt, totusque Canonicorum Venerabilis conventus. Morbi locus quem patiebar in natibus, non est inventus: tamen in signum cicatricis, quædam lineola rubea apparens remansit. De tam glorioso & evidenti miraculo, *Te Deum Laudamus* decantatur à Clero, & voces devoti populi cum laudibus extolluntur in excelso.

MANE facto, Canonici convenientes in Capitulo, me in Fratrem & Canonicum receperunt, unanimi voluntate & desiderio. Magnæ Missæ horâ adveniente, secundùm præceptum Beati Martini, Divina celebravi: collatis Ecclesiæ donariis quamplurimis & Fratribus, ad propria gaudens & sanus remeavi.

POSTMODUM, procedente parvo tempore, non immemor tanti beneficii à Deo & B. Martino mihi collati, ad laudem Dei & honorem Curatoris mei, in Civitate Leodiensi in *Monte publico*, Ecclesiam fundavi, construxi de proprio, dicavi, & opulentissimè dotavi. In qua triginta Canonicis ordinatis, cum servientibus & personis, & secundùm consuetudinem Turonensis Ecclesiæ in legendo & cantando, & aliis Ecclesiasticis moribus instructis, sicut quotquot annis consueveram, cum multa devotione Turonum accessi, & sicut gratiâ Dei præeunte feceram, Fratribus meis manifestum fieri duxi.

ET dum in quadam nocte Dominica pernoctarem, & Dei clementiam invocarem, iterum Beatus Martinus, cum Beatis Briccio & Eustachio, mihi in visione apparuit, dicens: Dic Fratribus tuis, ut Canonicos quos ad serviendum Deo & mihi ordinasti Leodii, sub piæ conditionis forma, jure perenni, in suam recipiant Fraternitatem, & omnes Successores tuos in Episcopatu Leodiensi.

MUTUÆ Fraternitatis hæc sit eis forma: Cùm potuerint, & tempus congruum affuerit, se mutuò visitabunt, in choro stallum habebunt, & quotidianum recipient stipendium. Quod devotissimè, sanctissimè, & celebriter factum est: & decimo anno reversionis beati Martini, auctoritate Dei Omnipotentis, celebratum & confirmatum est, & sub anathemate interdictum, ne quis negligere aut violare præsumat, quod auctoritas Divina, & B. Martini voluntas instituit, & corroborat.

PRÆTEREA, additum est, quatenus nomina defunctorum alterutrum referrentur cum solemnitate, ob redemptionem peccatorum, & cum pulsabulis, Fratrum divina celebrentur.

CAPUT XXVI.

OTHO I. *Imperator confirmat possessiones Ecclesiæ Nivellensis, quæ est Nobilium Virginum Canonicarum in Gallo-Brabantia.*

anno 966.

OTTO, divinâ favente clementiâ, Imperator Augustus Romanorum ac Francorum.

QUÆDAM Abbatissa de Monasterio constructo in honore S. Petri Apostoli, sanctæque Virginis GERTRUDIS, pariter cum Sanctimonialibus, nomine ADELBERINA, nostram adiit Serenitatem, rogans, ut auctoritatis nostræ Præceptum, vel Confirmationem donavissemus.

NOS verò, interventu nostræ Conjugis ADALHEIDIS, Filiique nostri, Regis scilicet OTTONIS, petitioni ejusdem Abbatissæ assensum præbuimus; & quidquid REGENARIUS Comes, pro se, Conjuge, Filiisque ejus, ad prædictum Monasterium, ubi S. Gertrudis corporaliter requiescit, tradidit in Pago Ardenna, super fluvio *Aisna*, in Comitatu *Waudricia*, in Villa quæ dicitur *Villare*, mansas XII. Ecclesiam unam cum ædificiis, terris cultis & incultis.

Similiter quidquid prædicti Regenarii Filius, nomine LIECHARDUS, tradidit in Pago Hasbaniensi, in Villa quæ dicitur *Guigolonbian*, mansas novem, mancipia XXXV, molendinum & cambam unam.

RODOLPHUS Comes tradidit in Villa, quæ dicitur *Lentlo*, mansas VI, silvam ad porcos LX. Joannes pariterque Rotboldus pro anima Sigefridi mansas tres, in Villa quæ dicitur *Luponio*, super fluvio *Tier* molendinum unum, mancipia X.

HILLINUS tradidit in Villa, quæ dicitur *Gisleberniaz*, Ecclesiam unam, silvam ad porcos quingentos, pro anima Gisleberti Genitoris sui.

Joannes & Uxor sua Hachunda mansum unum in Villa *Tongrinas*, Hadebrandis prata & silvam super fluvio *Til*, Honolfus pro anima Genitricis suæ Helisguindæ mansam unam in Comitatu Testrebatensi, super fluvio *Huoltena*. Adelardus mansam unam in *Verechaim* super fluvio *Sambra*, in Villa quæ dicitur *Culiaco*, mansas duas, Roculfus Comes mansam unam in Villa *Nerebach*, super fluvio *Tenara*.

SIMILITER tradidit Robertus, Uxorque ejus nomine Gena, cum Filio suo Regenario, mansas quattuor in Pago *Hainaco*, in Villa quæ dicitur *Haina*. Hillinus tradidit, pro anima Lietgardæ, in Pago Brabantinse super fluvio *Ippinghobaim* mansas quinque, silvas ad porcos centum. Regenwaldus Presbyter stadium unum in *Bruocsella*, super fluvium *Brania*, mansas septem, Ecclesiam matriciam, silvam & prata.

ANNO centesimo vicesimo septimo post transitum S. Gertrudis, tradidit quædam puella, nomine RICBURGIS, omnem hereditatem suam in terra Ribuariensi in Villa *Buezefelt*. Hereditas S. Gertrudis sita in Pago Tessandria super fluvio *Struona*, in Villa quæ dicitur *Bergom*, cum integritate sua illic aspiciente: insulæ tres, prima *Bievelant*, secunda *Spiesant*, tertia *Gerselre*. Bergen op Zoom.

VILLAM *Merbeckam* cum omni integritate quædam Goisinar, in Villa *Ramnesbecka* mansas XXX. Ecclesiam matriciam, in Honsa mansam unam, & quidquid pertinet ad mensam & utilitatem Fratrum ac Sororum, Deo Sanctæque Gertrudi Fratribus ac Sororibus famulantibus donavimus, & nostro Præcepto confirmavimus.

LUICOLFUS Cancellarius, ad vicem Willelmi Archicapellani, recognovi.

DATUM IX. Kal Februarii, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo sexto, Indictione IX, anno regni Ottonis XXXI, Imperii IV. 966.

Actum Trajecto.

CAPUT

DUo olim in orbe Christiano Imperatores exstiterunt, unus Orientis, alter Occidentis: Græcus Orienti, Latinus Occidenti præerat. Quidquid Italiæ, hinc à Neapoli, inde à Siponto in mare procurrit, cum suis è regione insulis, ad Græcum; reliqua pars ad Latinum Imperatorem pertinebat.

Orientalis Imperii Sedes fuit Constantinopolis, jam inde à temporibus CONSTANTINI MAGNI, qui sacris Christianis imbutus, Sedem Imperii aliò transferendam ratus, Byzantii in Thracia novam Romam, transcriptâ magnâ Romanæ Nobilitatis parte, condidit, eamque Constantinopolim suo nomine appellavit.

Græcorum porrò Imperium usque ad annum 1453. stetit, quo Mahometes Rex Turcarum, Deo Græcis ob hæresim irato, Constantinopolim vi cepit, Constantino V. Palæologo Imperatore cæso; ut à Constantino ortum cum Constantino deficeret Imperium.

Occidentis Imperium primus è gente Francorum CAROLUS MAGNUS, ingenii & suâ & gentis laude, obtinuit, anno salutis octingentesimo coronatus. Ejus stirps in Ludovico III. Imperatore defecit, qui anno 912. vivere desiit.

Ludovico exstincto, CONRADUS è Franconia, vir bello inclytus à Germanis Proceribus Rex est appellatus. Hunc septennio pòst rebus humanis exempto, HENRICUS AUCEPS, Othonis Saxoniæ Ducis Filius, anno 910 subrogatus. Lotharingiam, à Carolo Simplice Francorum Rege occupatam recuperavit.

Henrico successit OTHO Filius, primus ex Germanis à Joanne VIII. Romano Pontifice initio anni 962. Romæ coronatus.

CAPUT XXVII.

Idem OTHO I. *amotis Canonicis, Monachos restituit in Epternacensi S. VVillibrordi Cœnobio, hortatu Sigifridi primi Comitis Lutzeburgensis, anno* 971.

OTTO Divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Audivimus Monasterium esse in Regno nostro, in quo Beatus WILLIBRORDUS, Archiepiscopus requiescit, quod ipse, à Rege PIPINO datis prædiis, construxerat, & quod ipse Princeps & ejus Filius CAROLUS, scriptis Privilegiis, sub potestate succedentium Regum manere firmaverant. Hoc itaque pravitate cujusdam *Carlomanni* invasoris sic fuerat destructum, ut Monachi inde expulsi, & Canonici sint intromissi. Hortatu igitur venerandi Comitis SIGIFRIDI, fidelis nostri, in eodem Monasterio Monachicæ vitæ Religionem innovare decrevimus, præficientes ei Venerabilem Virum RAVENGERUM Abbatem, qui Monachis in Regulari proposito præsit & prosit.

WILLIGISUS Cancellarius, ad vicem Rodberti Archicapellani, recognovi.

DATUM Idibus Martii, anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. LXXI. Indictione XIV. 971.
anno regni Ottonis XXXVI. Imperii XII.

Actum Magadaburg.

CAPUT XXVIII.

OTHO II. *Imperator Monachos Benedictinos, amotis Canonicis, in Epternacensi S. VVillibrordi Cœnobio à Patre suo* OTHONE I. *Imperatore collocatos, confirmat anno* 980.

OTTO (1), Divinâ ordinante providentiâ, Imperator Augustus. Fidelium nostrorum comperimus relatione, Monasterium esse in regno nostro (2) EPTERNACUS dictum, in quo Beatus requiescit (3) WILLIBRORDUS Archiepiscopus, quod ipse Venerabilis à fundamentis construxit, datis sibi à Piissimo Rege PIPINO prædiis, hoc etiam ab ipso Principe, Filioque ejus *Carolo*, necnon *Chludovico*, Imperatoribus, scriptis Privilegiis, sub mandiburnio & defensione succedentium Regum vel Imperatorum deliberatum est mansurum, ac Monachicum Ordinem, secundùm Regulam *S. Benedicti*, ab inhabitantibus ibi perpetualiter conservandum.

QUOD pravitate cujusdam *Karlomanni* invasoris, & tyrannidem exercentis, violatum est; Monasticæ videlicet vitæ norma destructa, & Clericis secularibus intromissis. Sed rursum à Genitore nostro bonæ memoriæ OTTONE Augusto, instinctu Illustris Viri (4) SIGIFRIDI Comitis, in priorem statum est reparatum, constituto ibidem Abbate *Ravangero* nomine, qui adiens Serenitatem Culminis nostri, obtulit Nobis Privilegium præfati Genitoris nostri, obsecrans ut Paternæ auctoritati nostram quoque superadderemus auctoritatem.

CUJUS precibus libenter assensum præbuimus, atque hoc nostræ Regalitatis Præceptum fieri libuit: per quod decernimus, ut juxta præcedentium Decreta Regum & Imperatorum, ob amorem Dei, tranquillitatemque Fratrum, ibidem sub Regula S. Benedicti consistentium, cum omnibus rebus ad se pertinentibus, sub defensione nostra ac mandiburdio nostro sint, atque Successorum nostrorum: eâ conditione; ut Monachicæ conversationis ordo ibidem jugiter conservetur.

Signum OTTONIS Magni & Invictissimi Imperatoris Augusti.

Hildiboldus Episcopus & Cancellarius, ad vicem Willigisi Archicapellani, recognovi.

DATUM Kal. Junii, anno DCCCC LXXX. In- 980.
dictione VII. anno verò Regni II. Ottonis XIX. Imperii autem XIII.

ACTUM Aquisgrani.

CAPUT

(1) OTTO II. Ottonis I. Imperatoris Filius & Successor; cujus Stemma Genealogicum consule suprà Lib. I. Donat. Belgic. cap. 13.

(2) EPTERNACUS, vulgò *Epternach* sive *Echternach*. Oppidum Ducatûs Luxemburgensis, quinto ab Urbe Capitali lapide, ad Suram fluvium. Est illic antiqua ac potens Abbatia Benedictinorum, de qua vide plura inferiùs inter Origines Benedictinorum.

(3) WILLIBRORDUS, Archiepiscopus Ultrajectinus, Hollandorum, Frisiorum, atque Antverpiensium Apostolus, cujus Testamentum vide suprà Codice Donat. Piar. cap 8.

(4) SIGIFRIDUS, Comes Luxeburgensis, cujus Stemma vide superiùs Libro I. Donationum Belgicarum cap. 15.

CAPUT XXIX.

ADALBERO *Remensis Archiepiscopus in Mosomensi Cœnobio pro Canonicis Monachos Benedictinos collocat : quod ejus Decretum anno* 983. *in Concilio apud Montem S. Mariæ in Pago Tardacensi est confirmatum.*

ADALBERO, Divinâ propitiante clementiâ, sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Notum fiat universis, cum præsentibus, tum etiam futuris fidelibus, quondam nobis Episcopio gratiâ Dei ac benignitate Regiâ contradito, Sanctorum loca quædam honore integro repperisse plurimùm valentia, quædam verò pristinæ dignitatis statu deficiente prorsus neglecta.

INTER quæ etiam ille (1) MOSOMI Cœnobialis locus, antiquitatis studio certatim constructus, ab exordio scilicet Sanctimonialium vitæ aptatus, postmodùm verò Canonicorum Ordine ab Heriveo Prædecessore nostro meliùs informatus, atque in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ dignè consecratus, sed nefandis usibus utrobique negligenter incultus, rebus quidem partim subtractis, partim verò intercurrentibus malis, sinistræ cessit fortunæ.

QUO igitur comperto, adhibito fidelium nostrorum diligenti consilio, liquidò perpendens eundem locum, pro mundi infelicitate, in Canonicali Ordine stare non posse, æternorum spe, prout opportunum extitit, ibidem Monasticæ religionis vitam ordinato Abbate Ledaldo constitui, ut ejusdem loci Religiosi cultores, tam rebus delegatis, quàm etiam fortè delegandis utentes, continua vota Deo solventes, sint pro nobis, pro posteris nostris, ceterisque Ordinibus jugiter orantes.

QUOCIRCA Paternitatem loco nostri subrogandorum in illa caritate enixiùs imploramus, quo sub Divini amoris respectu hujus rei gestæ conducibili negotio consentaneæ pietatis faveant zelo, idque liberalis auxilii indeficienti base dignentur curriculis consolari, atque fulcire: ut ex eo gratiam Dei feliciter adipiscentes, hujus præstantioris emolumenti mereantur fore consortes.

SED & hoc ex Decretis Sanctorum Patrum sub auctoritate Pastorali omnimodis inhibemus, immò etiam cum divini Nominis obtestatione omnino interdicimus, ne unquam hujuscemodi Statutum quâlibet temeritate ab ullo vestri Ordinis violetur : quin potiùs in reliquum stabile & inconcussum jure perpetuo idipsum venerabiliter conservetur.

SI per Laïcos in rem hanc injuria invehatur, in eos proculdubio excommunicationis jaculum cum anathemate intorquetur.

ANNO igitur Incarnationis Jesu Christi Domini nostri DCCCC. LXXXIII. Provinciali Synodo mense Maio generaliter congregatâ apud Montem S. Mariæ in Pago Tardanensi, hoc Decretum solenniter recitatum est, coram Venerandis Episcopis, Abbatibus, ceterisque nonnullis fidelibus, huic nostræ institutioni pro assensu faventibus, immò etiam collaudantibus, atque confirmantibus. 983.

QUORUM videlicet primus ego Adalbero, jam præscriptus Archipræsul, eidem Concilio, Deo auctore, Pontificatûs auctoritate, præsidens, manu nostrâ subscribens idem corroboravi.

SED & ceteri non secùs censuerunt manibus impositis solidari.

Additio HOc Diploma, in priori Editione contractum, ex Historia Remensi R. P. Guilielmi Marloti, integrum supplevimus.

(1) MOSOMUM, vulgò *Mouzon*, Oppidum est Campaniæ in Diœcesi Remensi ad Mosam fluvium, insignem habens Abbatiam Benedictinorum, nunc aggregatam Congregationi SS. Hidulphi & Vitoni in Lotharingia.

Olim in hoc loco fuisse Sanctimoniales usque ad tempora Hincmari Remensis Archiepiscopi testantur Historiæ, iisque successisse Clericos Sæculares; quos ob morum irregularitatem ejecit Antistes Adalbero, ut hoc Diplomate memoratur. Vide etiam Flodoardum in Historia Remensi lib. 4. cap. 13.

CAPUT XXX.

OTHO III. *Imperator dotat Nivellensem Canonicorum S. Pauli Ecclesiam, anno* 992.

OTTO Divinâ favente clementiâ Rex. Omnis multitudo fidelium dignoscat, qualiter Nos ad petitionem dilectæ Aviæ nostræ *Adalheidis* Imperatricis Augustæ, necnon & fidelis nostri *Notkeri* Leodiensis Episcopi, ad Ecclesiam S. PAULI Apostoli, quæ ejus ob honorem, in loco NIVELLA vocato, noviter constructa & consecrata est, dedimus quindecim mansos in Villa *Ardinella* dicta sitos, cum omnibus utensilibus ad eos ritè pertinentibus, in areis, ædificiis, terris cultis & incultis. Eâ videlicet ratione, ut idem prædium sub perpetuo jure Nivellensis Ecclesiæ & Abbatissæ, quæ

quæ modò huic loco præsidet, GODA nominatæ, futurarumque quæ ei succedent, ad Ecclesiæ ipsius ornamentum, & augmentum Prebendæ Sanctimonialium, in Dei servitute ibi degentium, consistat.

AD hæc etiam jam dictæ Villæ Ardinellæ omnem decimam, quam præfatus Notkerus Leodiensis Præsul, ex ratione sui Episcopatûs, ad dictam S. Pauli Ecclesiam concessit, Regali nostrâ potestate ad eamdem Ecclesiam donamus atque confirmamus; eo tenore, ut sub jure Ecclesiæ jam dictæ, & Abbatissæ præsentis futurarumque perduret.

HILDEBALDUS Episcopus & Cancellarius, vice Willigisi Archicancellarii, recognovi.

DATA VI. Idus Aprilis, anno nongentesimo nonagesimo secundo, Indictione quintâ, anno autem III. Ottonis nooo. 994

ACTUM Aquisgrani.

CAPUT XXXI.

Idem OTHO III. *Imperator, petente Sigifrido Comite Lutzeburgensi, prædia Monasterii VVillibrordiani in Epternaco confirmat, anno* 993.

OTTO, Divinâ favente clementiâ, Rex. Omnibus nostris Fidelibus pateat, quemadmodum Nos, ob petitionem fidelis nostri SIGIFRIDI Comitis, & pro remedio animarum Parentum meorum, Avi nostri Ottonis, & ejus æquivoci Genitoris nostri, Imperatorum Augustorum, & Genitricis nostræ THEOPHANIÆ, atque pro nostra salute, omnes Ecclesias pertinentes ad Ecclesiam S. WILLIBRORDI, in loco *Epternacus* vocato constructam, sive per Regiam Donationem in beneficium concessas, seu per astutam pravorum hominum direptionem pro beneficiis hactenus habitas, hoc novo nostræ auctoritatis Regiæ Donativo, io jus ejusdem Ecclesiæ & Monachorum, Deo Sanctoque Willibrordo servientium in eodem loco, reddimus, & ad integrum sub potestate *Ravangeri* Abbatis, qui modo eidem Ecclesiæ præsidet, Successorumque illius, & Monachorum præsentium ac futurorum, perpetualiter tenendas, hâc nostrâ Regali Præceptione, cum omnibus appenditiis, confirmamus. Eâ videlicet ratione, ut nullus dehinc Comes, vel alia quælibet persona, easdem Ecclesias aliquomodo usurpare præsumat, sine licentia Abbatis; si Regiæ Gratiæ velit particeps existere.

Signum Domini OTTONIS, gloriosissimi Regis.

Hildebaldus Episcopus & Cancellarius, vice Willigisi Archiepiscopi, recognovi. 993

DATUM Idibus Maii, anno DCCCC. XCIII. Indictione VI. anno autem III. Ottonis Regnantis decimo.

DATUM Metis.

CAPUT XXXII.

Idem OTHO III. *anno* 997 *dotat Canonicorum S. Joannis in Mosæ fl. Insula Collegium, à Notgero Leodicensi Episcopo recens fundatum.*

OTTO Romanorum Imperator Augustus, notum fieri volo omnibus, qualiter consultu & justâ petitione Domini SILVESTRI Papæ, primùm quidem Familiam in *Marsna* & in *Caselli*, necnon *Hittinchusen*, cum omnibus familiis & prædiis, fideli nostro (1) NOTKERO Leodiensium Episcopo, in recompensatione servitii Avo, Patrique meo, & mihi exhibiti, & devotionis quam in eo præ omnibus promptam, ad exequendam voluntatem meam & justitiam, semper repperi.... Eâ scilicet ratione, ut Fratres in (2) Monasterio S. JOANNIS in Insula, ab eo ante Civitatem noviter constructo, reditibus ejusdem loci in perpetuum, sicut propriis, utantur.

HILDEBALDUS Episcopus & Cancellarius, vice Willigisi Archiepiscopi, recognovi.

DATUM V. Idus Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo, Indictione decimâ, anno tertii Ottonis nantis decimo quarto, Imperii primo. 997

ACTUM Aquisgrani Palatio.

(1) NOTKERUS, de quo plura vide superius pag. 254. & 508.

Additio. (2) MONASTERIO S. JOANNIS IN INSULA, cessante vitâ communi Clericorum deinceps dictum fuit Capitulum de quo supra quoque actum fuit pag. 189 & 190.

Sunt illic hodie triginta Canonici, cum Præposito, Decano, Cantore & Scholastico; Præpositus è gremio Canonicorum Cathedralis Lambertinæ eligitur, & ex bonis hujus Capituli, quilibet duo Canonici simul possident Dominium aliquod, sive Toparchiam. Conferunt quoque Præbendas Ecclesiæ Collegiatæ S. Germani Theonis.

CAPUT XXXIII.

Idem OTHO III. *benefacit Epternacensi Monasterio S. VVillibrordi, petente Sigifrido Comite Lutzeburgensi, illius Monasterii Advocato, anno* 997.

OTTO Divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus, notum omnibus fidelibus nostris fieri volumus, qualiter postulationem Abbatis *Ravangeri* de Monasterio S. Clementis Willibrordi, quod situm est Epternaci, annuentes, suæ ejusdem loci Congregationi, præsentibus posterisque Monachis concessimus locum habitationis integrum, scilicet Curtile apud Sedem Aquisgrani Palatii nostri in loco qui dicitur *Gaddinga*, ut ipsi Cœnobitæ Epternacenses, Deo Sanctoque Clementi Willibrordo servientes, habeant & possideant.

CONCESSIMUS etiam eisdem Fratribus quoddam prædiolum, olim ab eis per vim abstractum, in Pago Ribuariensi, quod dicitur *Bergh*, & in alio loco notissimo, qui vocatur *Phidriga*.

PETIIT etiam Nos Comes SIGISFRIDUS, supradicti Monasterii Advocatus, sibi licuisse, locum quemdam nominatum *Munderchinga* in Pago Wavariensi, de accepto beneficio Regalis Donationis Monachis eisdem ascribendo subjici. Quod ut perageret, Imperiali auctoritate fieri decrevimus.

HILDEBALDUS Episcopus & Cancellarius, ad vicem Willigisi Archicancellarii, recognovi.

DATA II. Idus Octobris, anno DCCCC. 997.
XCVII. Indictione XI. anno Ottonis regnantis XIV. Imperii II. Actum Aquisgrani Palatio.

CAPUT XXXIV.

Abbatia Florinensis, quæ est Benedictinorum in Diœcesi Leodiensi, à GERARDO I. *Cameracensi & Atrebatensi Episcopo fundata, confirmatur anno* 1012. *Diplomate* S. HENRICI *Imperatoris.*

Additio ex Historia Leod. P. Fisen. Initium deest.

QUAPROPTER innotescimus omnibus Christi Fidelibus, & nostris, tam futuris, quàm præsentibus, quia GERARDUS Vir venerabilis in primis noster Capellanus, postea verò Dei gratiâ annuente, & me dante, Cameracensis Episcopus effectus, & Fratres sui Godefridus, & Arnulfus Abbatiam quamdam in Pago Lomacensi sitam, pro salute animarum suarum, & suorum parentum (1) Florines construxerunt.

QUORUM interventu ipsam Abbatiam cum omnibus bonis ad eamdem pertinentibus, futuris, & præsentibus, in nostro mundiburnio, & tuitione perperuò conservandam suscepimus.

COMMUNI igitur Fratrum assensu, hujus constructæ ab eis Abbatiæ Godefrido cessit Advocatio. Et ne aliqua inter ipsum, & Abbatiam suscitaretur altercatio; idem Godefridus jus Advocationis, quod retinuit, in nostra præsentia sic exposuit. De singulis foris....

SI quis autem posterorum hujus Advocationis ultra hæc adversùs Ecclesiam quidquam molestum arroganter intulerit, Baldrico Leodicensium Episcopo nunc nobis assistenti, & Successoribus ejus, ut nostra vigeat Concessio, loco nostri ut judices & vindices arctiùs appareant, auctoritate potiore.... Jubemus ergo publicè, & in pleno colloquio, quatenus impensus labor, non periret, sed securum, & defensum maneret Monasterium in honore Beati Joannis Baptistæ constructum; & inibi habitantes pro incolumitate nostra, & Conjugis nostræ, & pro statu Imperii nostri Dei clementiam jugiter exorarent; hoc nostræ anctoritatis Præceptum fieri decrevimus.

HÆC sunt autem ingenuorum Testium nomina:

Burcardus Wormaciæ Episcopus.
Heribertus Coloniensis Archiepiscopus.
Deodoricus Metensis Episcopus, Frater Cunegundis Imperatricis.
Adelboldus Ultrajectensis Episcopus.
Godefridus Dux, &
Frater ejus Ethelo.
Otto Dux Lotharingiæ.
Albero Dux Mosellanorum.

DATA decimâ septimâ Maii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo duodecimo, Indi- 1012.
ctione decimâ, concurrente secundo, Epactâ vigesima quintâ; anno autem Henrici Imperatoris undecimo.

ACTUM Leodici feliciter. Amen.

Additio (1) FLORINA, vulgo *Florenne*, Episcopatûs Leodiensis Oppidulum inter Sabim & Mosam situm, sesquimilliari à Philippopoli Hannoniæ Oppido, & quinque à Mariæ-Montio milliaribus: olim satis lautum, sed sæpiùs à Gallis eversum.

Est illic Abbatia Benedictinorum, de qua vide plura inferiùs inter Origines Benedictinas; item Capitulum decem Canonicorum, fundatum in honorem S. Gengulphi Martyris, à quodam Abbate Florinensi, qui sibi suisque Successoribus titulum Præpositi cum jure conferendi Præbendas reservavit, ac jus Archidiaconale in Oppidum Florinense ejusque districtum acquisivit.

CAPUT XXXV.

BALDUINUS *Insulanus, Flandriæ Comes, anno* 1038. *Hugonem Havet, Albiniaci Dominum, constituit Advocatum, seu potiùs Subadvocatum Ecclesiæ Marchianensis Ord. S. Benedicti, & jura Advocatiæ explicat.*

EGO (1) BALDUINUS, Dei gratiâ Flandrensium Comes, ad notitiam tam futurorum quàm præsentium hic annotari jussi, qualiter B. RICTRUDIS (2) Martianensis Abbatiam, per quadringentos vel eo ampliùs annos, hoc est, à sui constitutione, semper fuisse ab omni reditu Advocationis liberam, coram Baronibus meis cognoverim; annuens humili ALBRICI Abbatis, & Fratrum ipsius Ecclesiæ petitioni; suggerente etiam & concedente ADELA (3) Comitissâ, Conjuge meâ, Filiâ Regis Roberti.

SED quoniam prævalente secularium nequitiâ, ad sui defensionem Advocato indiget, ut sim Ecclesiæ fidelis Advocatus & defensor, supradictus Abbas mihi dedit duos molendinos, qui sunt in Villa *Berbera*, & duos carrucatus terræ in Villa Nigella.

EGO autem molendinos illos, cum terra supradicta, per manum ipsius Abbatis dedi HUGONI Havet de Albiniaco; eo tenore, ut in omnibus sit Ecclesiæ Marchianensi promptus adjutor.

QUOD si neglexerit, me præsente coram Baronibus meis judicavit, ut & Successores ejus, & ipse datum supradictum, atque Advocationem, quam de me tenent, perdant.

ET hæc sunt, quæ in potestate Ecclesiæ accipiet: de omni forisfactura, ubi Ecclesia ope indigens eum in auxilio vocaverit, si per justitiam eam aliquid acquisiverit, ipse tertiam partem habebit. Quod si non fuerit vocatus, nihil omnino debebit habere.

MAJORES dabunt ei in Nativitate duo sextaria vini, & duos capones: & ipse cibabit eos & homines eorum pane, carne & vino. In Pascha dabuntur ei duo sextaria vini tantùm. Adjutorium tempore obsidionis vel hostilitatis generalis quattuor vel quinque hebdomadarum, accipiet in potestatibus, id est, de carruca duos solidos, de dimidia unum, de operario divite, non paupere, tres denarios.

HOC Placitum fecerunt quattuor Milites Advocati, Udo, Ursio, Garderus, Mambodo.

ACTUM Atrebati Curte publicâ, in Capella S. Benedicti, anno Domini millesimo trice- 1038.
simo octavo, Indictione VI. Epactâ VII. anno quarto Balduini Comitis gloriosi, Rege Francorum Henrico.

(1) BALDUINUS cognomento Insulanus & Pius, tria Canonicorum Collegia, Harlebecanum, Insulense & Ariense fundavit: ut Jacobus Guisius in mss. Hannoniæ Chronicis commemorat, & Nos suis locis docebimus. Vita decessit anno 1067. * Insulis Flandrorum emporio, in D. Petri Templo à se constructo, conditus.
* Lille.

His titulis uti solebat: *Balduinus Comes Flandriæ, Marchio, & Phillippi Francorum Regis Procurator ac Bajulus.*

(2) MARTIANENSIS Abbatia, de qua, uti & de Stemmate S. Rictrudis, vide supra pag. 138. & 139.

(3) ADELA seu Adelaidis, Roberti Francorum Regis Filia, Messinis seu Mecinis, altero lapide ab Ipris, Sanctimonialium construxit Cœnobium, & Viro orbata devotè limina Apostolorum visitans, ab Alexandro II. Papa vidualem suscepit habitum. Sicque reversa, in Monasterio suo Messinensi humillimè vixit, & plena pietatis operibus anno 1079. obiit, ibique sepulta est: ut Iperius in Chronico Bertinensi ms. loquitur. Cœpit autem anno 1060. Adela ædificare Monasterium Messinense: ut ex illius loci monumentis accepi. Ibidem Canonicos XII. instituit ac dotavit, ut Sanctimonialibus in Sacris faciendis subservirent: sed ob census injuriâ temporum imminutos sunt nunc numero pauciores.

Origo Familiæ Capeticæ *ex qua prodiit* Adela.

- *Robertus.*
  - *Robertus Fortis Comes Andeg. 861, 867. apud Rheginonem*
    - *Odo Rex Franciæ, obiit 898.*
      - *Arnulfus Rex Aquitaniæ.*
    - *Robertus 888. apud Rheginonem, Rex Francorum coronatus 922. teste Flodoardo.*
      - *Hugo Magnus Comes Parisiensis duxit Hadevidam Henrici Aucupis Filiam 938. obiit 956.*
        - *Hugo Capetus Rex Francorum, obiit 998.*
        - *Otho, obiit 963.*
        - *Odo Clericus.*
        - *Henricus, obiit sine liberis 1001.*
        - *Beatrix.*
        - *Emma.*
      - *Emma Uxor Radulphi Regis Francorum 923. coronati, qui obiit 936.*
        - *Ludovicus, obiit ante Patrem.*
  - *Hugo Abbas, Dux Franciæ, obiit Aureliæ 887.*

BEATRIX, Hugonis Capeti Francorum Regis Soror, anno 954. nupsit Frederico I. Lotharingiæ Mosellanæ Duci, & ex eo genuit Fredericum II. Ducem, & Adelam, Matrem Fulconis & Valerami de Arloo.

EMMA, Beatricis Soror, fuit Uxor Richardi I. Normanniæ Ducis.

HUGO CAPETUS Francorum Rex genuit Robertum Regem & Adeleidem Reinaldo Comiti Antissiodorensi & Nivernensi nuptam, Guilielmi itidem Comitis Matrem. Robertus Rex genuit Hugonem & Henricum Reges, Robertum Burgundiæ Ducem, & Adelam Balduini Insulani Flandriæ Comitis Uxorem.

Reges Francorum ex Familia Capetica.

- *Hugo Capetus Rex Francorum 987. obiit 998.*
  - *Robertus Rex, obiit 1032.*
    - *Hugo.*
    - *Henricus I. Rex obiit 1060.*
      - *Philippus I Rex, obiit 1108.*
        - *Ludovicus Crassus Rex, obiit 1136.*
          - *Philippus.*
          - *Ludovicus VII. Rex, obiit 1180.*
            - *Philippus II. Augustus Rex, obiit 1225.*
              - *Ludovicus VIII. Rex, obiit 1226.*
                - *S. Ludovicus IX. Rex, obiit 1270.*
                - *Robertus Comes Artesia.*
                - *Carolus Comes Andegavensis & Rex Siciliæ.*
                - *B. Isabella Monialis.*
          - *Robertus Comes de Dreux.*
          - *Petrus duxit Isabellam heredem de Courtenay.*
            - *Petrus Comes Namurcensis & Nivernensis, obiit Imperator Constantinopolitanus 1220.*
              - *Philippus Comes Namurcensis.*
              - *Robertus Imperator Constantinopolitanus obiit 1228.*
              - *Balduinus Imperator Constantinopolis.*
      - *Hugo Magnus duxit Aleidem Comitissam Veromanduorum.*
        - *Radulfus Comes, Veromanduorum.*
    - *Robertus Dux Burgundiæ.*
    - *Adela Uxor Balduini Insulani Comitis Flandriæ.*
  - *Adeleidis Uxor Rainaldi Comitis Nivernensis.*

CAPUT XXXVI.

HENRICUS III. *Imperator Nivellensi Nobilium Virginum Canonicarum Collegio prædia olim ablata restituit, anno* 1040.

HENRICUS Divinâ favente clementiâ Rex. Nivellensis Abbatia vel Ecclesia quantis calamitatibus sit attrita, est dolendum fidelibus. Tantâ utique premebatur oppressione, ut ad ipsum Claustrum usque Comitis extenderetur beneficium, nec erat Sanctissimæ Virgini Gertrudi, ibidem quiescenti, aliquis debitæ reverentiæ locus, quamvis ipsum locum propriis excoluerit manibus. Hoc Antecessoribus nostris multùm displicuit, quamvis providentia Divina Nobis corrigendum reliquerit.

INTERVENTU ergò Primatum nostrorum, *Hermanni* Coloniensis Archiepiscopi, *Nithardi* Leodiensis Episcopi, Ducum autem *Gothelonis* & *Godefridi*, ceterorumque, correximus quantum potuimus. Reddimus itaque Virgini quod est suum; reddimus, non ex nostro damus, pro anima genitoris nostri *Chuonradi*, ipsum Burgum vel Villam Nivellam, cum mercato, teloneo, moneta, maceria, terris cultis & incultis, cum familia ibidem manente, & cum hereditate omnium in ea residentium, redemimus à beneficio: & Ecclesiæ, vel Abbatissæ RICHETÆ, & Congregationi ibidem servienti, ejusque Successoribus jure perpetuo remittimus.

NON sit ibi Advocatus quisquam vel Comes, nisi quem Abbatissa elegerit, nec requirat ipse Advocatus vel Comes aliquod judicium vel placitum, nisi invitetur ab Abbatissa vel Præposito. Sit ab omni potestate Comitis vel Advocati ulteriùs libera; nisi invitentur justitiæ causâ.

Hoe ergò Decretum firmavimus per excommunicationem omnium Archiepiscoporum & Episcoporum præsentium, scilicet;

Hermanni Coloniensis,
Betthelini * Bremensis Archiepiscopi, * alias Bezelini,
Nithardi Leodiensis,
Bennonis Trajectensis,
Hermanni Mimigardefordensis,
Richardi Virdunensis,
Gerardi Cameracensis,
Theoderici Metensis Episcopi,
Rodulphi Episcopi, ceterorumque omnium qui ad præsens erant.

SIGNUM Domini Henrici III. Regis.

Thiedericus Cancellarius, vice Burdonis Archicapellani, recognovi.

DATUM Nonis Junii, Indictione octavâ, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo, anno autem Domini Henrici Regis III. ordinationis tertio decimo, regni secundo. Actum Stabulau.* 1040

* vulgo Stavelo, Abbatia Bened.

CAPUT

CAPUT XXXVII.

Aliud ejusdem HENRICI III. *Imperatoris Diploma, in favorem ejusdem Nivellensis Ecclesiæ, anno* 1041. *scriptum.*

HENRICUS (1) Divinâ favente clementiâ Rex. Est Ecclesia quædam in Pago Bracbatensi sita, vulgò NIVELLA dicta. In hac requiescit Virgo GERTRUDIS pietate quidem ineffabilis, quæ utique nescit misericordiam denegare cuivis; sed cum sit gens
Not. ferox & duræ cervicis (jungitur enim indomitis Francigenis) non quærit vicem reddere tantæ pietati, sed potiùs furit rabie intolerabili.

HOC multùm doluerunt Prædecessores nostri, quamvis locus non esset corrigendi. Dominus autem numquam immemor solitæ bonitatis, quod tunc temporis prædestinavit, nostro in tempore manifestavit. Nam omnes, qui hereditatem Virginis pro hereditario beneficio tenebant, exstinxit, & apertè manifestata est vindicta, quæ diu latuit.

UT ergò novimus Dominicam visitationem, decrevimus per Primatum nostrorum consilium & exhortationem, quòd vel Burgus, in quo veneratur Virginis præsentia, quemque propriis manibus ad inhabitandum sibi exstruxit, dum adhuc vitali frueretur aurâ, ipse sibi redderetur, vel potiùs cum sit suus, solidaretur: sic denique decrevimus, quòd Burgus vel Villa NIVIALENSIS, cum mancipiis ibidem residentibus utriusque sexûs, cum terris quas colunt qui in Burgo resident, cum mercato, teloneo, cum moneta & maceria, cambis & molendinis, pratis & silvis, soli deserviant Virgini. Nullam potestatem ibi ultrà exerceat Comes vel Advocatus, nisi ab Abbatissa fuerit invitatus. Ad tria generalia Placita veniat non alter quàm ipse Advocatus, vel Nuntius talis, quem elegerit Abbatissa in suis Militibus.

ET hoc Decretum, interventu Archiepiscopi Coloniensis HERMANNI, interventu quoque NITHARDI Leodiensis Episcopi, POPPONIS quoque Trevirensis Archiepiscopi, nec non etiam XVIII. Episcoporum, Ducum verò GOTHELONIS & GODEFRIDI petitione, & ipso LAMBERTO annuente, cui dabatur beneficium reliquum, propriâ manu corroboravimus, & Sigilli nostri impressione firmavimus.

EVERARDUS Cancellarius, vice Balduini Archicancellarii, recognovit.

DATA III. Nonas Junii, Indictone IX. an-
no Dominicæ Incarnationis millesimo quadra- 1041
gesimo primo, anno Domini Henrici III. ordinationis XIII. regni verò secundo.

ACTUM Aquisgrani.

(1) HENRICUS III. cognomento Niger duas habuit conjuges, *Cunihildem* seu Cunildam, Canuti Daniæ & Angliæ Regis Filiam, & *Agnetem*. Priorem Matrimonio sibi junxit anno 1036 apud Noviomagum existens: ut Hermannus Contractus in Chronico testatur. Obiit ea Brugis in Flandria, ibidem sepulta ad S. Donatianum, hoc addito elogio:

Nobilissimæ Augustæ Dominæ CUNILDÆ, CANUTI *Angliæ, Danemarciæ, Noruegiæ & Sueciæ Regis Filiæ, Imperatoris* HENRICI NIGRI *laudatissimæ Conjugi, post acceptam gravissimam à Marito injuriam, hoc in Castello religiosè viventi, & anno Domini* M. XLII. XII. *Kalendas Septem-* 1042
bris defunctæ, hoc Monumentum Ecclesia (cui perquam erat munifica) erexit.

Otho Dux Sueviæ, Luitolfi Filius, Othonis I. Imperatoris Nepos, obiit 982. pag. 125.	*Henricus Dux Sueviæ & Franconiæ.*	*Conradus Salicus Imperator, obiit 1039.*	*Henricus III. Niger, obiit 1056.*	*Henricus IV. Imperator, obiit 1106.*	*Henricus V. Imperator, obiit 1125.*
	Gregorius V. Papa.				

CAPUT XXXVIII.

S. LEO IX. *Privilegia à Prædecessore suo Clemente VI. Nivellensi Ecclesiæ concessa confirmat, anno* 1048.

LEO, Servorum Dei Servus, omnibus Christi Fidelibus Apostolicam benedictionem.

NOVERINT tam posteri quàm præsentes, quòd Abbatissa Nivellensis, RIKELA nomine, unà cum GODSCALCO ejusdem loci Præposito, obtulit mihi quoddam Præceptum Domini CLEMENTIS Papæ, qui me in Apostolica Sede præcessit, quod ab illo datum nostræ Auctoritatis astipulatione confirmari rogavit. Illud autem Præceptum hoc modo se habet:

JUXTA confinium, quo Lotharingi junguntur Francigenis, est Abbatia quædam sita, NIVELLA scilicet, S. Gertrudis Virginis,

terrarum quidem affluens copiis, sed miserrimè perdita, rabie indomitæ gentis.

Cui oppressioni piè condoluit Henricus Imperator, & condolendo vehementer subvênit, restituens servituti Virginis ipsum Burgum vel Villam prædictam, cum omnibus utensilibus suis, cum mercato, teloneo, moneta, maceria, cum cambis & molendinis, cum terris cultis & incultis, pratis, silvis, pascuis, & cum omni familia ibidem manente, cum hereditate omnium in ea residentium.

Nullus vel Comes vel Advocatus habeatur, nisi quem Abbatissa elegerit, nec hic requirat Placitum vel aliquod judicium, nisi invitatus per Abbatissam vel Præpositum. Hoc Primatûm Regni definitum consilio, Imperialis firmavit Præceptio, & consignavit sigillo. Unde & Nos movit debita ejusdem Ecclesiæ miseratio, & Imperialis dilectio monuit, ut quod firmavit Præcepto, firmetur & hoc nostro Privilegio.

Ubi nostrâ Apostolicâ auctoritate intendimus, ne quis alius Sacerdos in illo Altari Missam audeat celebrare, nisi soli Episcopi, & soli hebdomadarii, qui ibi pro tempore sunt deputandi.

Quisquis igitur tantæ perditionis fuerit, qui hanc libertatem Ecclesiæ injustè infringere præsumpserit, vel de ceteris rebus Ecclesiæ, Sanctimonialium usui deputatis usurpando sibi vindicaverit, vel Præbendam earum in pejus vertendo mutaverit, detrimentum ullo modo ingesserit, nec satisfaciendo resipuerit, Apostolicam incurrat maledictionem, & excommunicationem.

Datum vi. Kalendas Augusti, per manus Petri Diaconi, Bibliothecarii Sanctæ & Apostolicæ Sedis, anno Domini Leonis IX. primo, Indictione secundâ.

CAPUT XXXIX.

Contractus Antenuptialis Folcardi *&* Regilindis, *Benefactorum Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri in Anderlecht prope Bruxellam, initus anno* 1057.

EGo Folkardus liber & liberis Parentibus editus, utriusque partis cognatis & amicis faventibus, dilectam hanc *Regilindem* mihi despondi in Uxorem.

Dotis titulo & conditionis libello dono igitur ei, per hanc dotis Chartulam, & donatam in perpetuum esse volo tertiam partem Castelli & Villæ, quæ dicitur *Erpe*, cùm appendente Familia & omni utilitate: in Villis quoque *Latheim* & *Holtheim* quantum mihi jure provenit:

Similiter & in *Eroldingeim* meam partem tam Ecclesiæ quàm Villæ: in *Landast* tertiam partem & Villæ & Ecclesiæ: in *Tongris* cum omnibus appenditiis quartam partem:

Præterea in Villa quæ dicitur (1) *Anderlecht* quidquid mei juris: in Villa (2) *Aa* tertiam partem: in *Hembeka* medietatem Ecclesiæ & Villæ: in *Comptica* quidquid ibi habeo: in *Hocenfela* duos mansos. Hæc omnia dotis titiulo trado prænominatæ Sponsæ meæ.

Actum publicè regnante Henrico Rege, anno primo. 1057.

Signum Anselmi,
S. Ansfridi,
S. Reineri,
S. Lantberti,
Wibberti,
Herzonis,
Ruodolphi,
Sigeramni,
Ostonis,
Ingelberti.

(1) Anderlecht, ampla Parochia in suburbio Bruxellensi, cultu B. Guidonis Agricolæ celebris, multos sub se Vicos, Nostratibus *Gebuchten*, complectitur, in his *Aa*, *Walicourt* & alios.

(2) Aa, Vicus, (qui potenti olim Castellanorum Bruxellensium Familiæ cognomen dedit) ad Sennam fluvium medio ferè itinere inter Anderlechtum & Forestum situs, præter molendinum aquaticum habet Sacellum vetus amplè dotatum, ad quod in diebus Rogationum quotannis Clerus & populus Anderlechtensis solenni Supplicatione procedit.

Ceterùm in Anderlechto est insigne xviii. Canonicorum Collegium, cui præest Decanus, à variis fundatum ac dotatum.

Gasbecæ Baro, tamquam Dominus dicti Vici de Walicourt, Canonicatus seu Præbendas undecim, Dux Brabantiæ quattuor, Magistratus autem Bruxellensis tres confert.

Nunc autem (ab anno 1639.) Dominium de Walicourt cum annexo jure Patronatûs dictarum XI. Præbendarum Anderlechtensium, titulo emptionis transiit ad Amplissimum Dominum De Man, Senatûs Brabantiæ Consiliarium; atque in ejus Familia hodieque perseverat, uti infra latiùs dicetur. Additio

CAPUT XL.

FREDERICUS *Lotharingiæ inferioris Dux & Monasterii Stabulensis Ordinis S. Benedicti in Arduenna Advocatus, Ecclesiam de Sprimont & Allodium Genape Monachis Stabulensibus donat, anno* 1067.

IN nomine Domini. Noverint tam præsentes quàm futuri, quòd ego Dei gratiâ Dux FREDERICUS & Stabulensis Advocatus, mortuâ GERBERGA Uxore meâ, tradidi ad Altare S. Petri & S. Remacli Ecclesiam de *Sprimont*, & Allodium quoddam *Genape*, quod ex parte ipsius defunctæ nostri juris erat.

DEDI autem Ecclesiæ Allodium de Sprimont pro XXX. libris in vademonium: unde Conjugis profunctæ necessaria prosecutus sum exequiarum. Cumque Allodium Genape, multis existentibus caussis, tam citò non possem solidare, & ipse disposuissem iter meum Romam accelerare, iterùm super Allodium Sprimont LX. marcas accepi, & ammonitus de priori Allodio Genape, ne de non solidata traditione in Ecclesiam Advocationis meæ peccarem, tradidi Sprimont pro Genape in fidei manus, ad opus Ecclesiæ, si aut in itinere mortuus, aut reversus Genape Ecclesiæ non solidarem, & mutuata non restituerem.

Fidei manus hi sunt,
Tiezelinus & Albricus de Braz,
Adelardus de Hamne.
Fideijussores hi sunt,
Francho Frater Albrici,
Warnerus Filius Wazelini.
Testes verò hi sunt,
Adelardus de Liesen,
Helfridus de Alvenz,
Comes Otto de Los,
Erleboldus de Molis,
Thibaldus de Longo-prato,
Rodericus de Contere,
Fastradus Filius Wazelini de Boclaville,
Rabodo de Clavires,
Guntrannus de Summe.

REVERSUS autem à Roma, cùm Allodium Genape liberè non possem Ecclesiæ solidare, pro illo & pro summa pecuniæ acceptæ, imò pro remedio animæ meæ Conjugisque defunctæ, pro loco & sepulturæ meæ, tradidi Sprimont ipsi Ecclesiæ & Fratribus, perpetuo jure tenendum, in manus Advocati Adelardi de Liesen. Cujus Traditionis testes sunt.

Cujus Traditionis teste: sunt,
Albertus Comes de Namuco, Frater ejus Heinricus,
Balduinus de Sarto,
Elbertus de Olnon,
Rotfridus de Daveles,
Waltherus Frater ejus,
Goderannus de Daviels,
Boso & Widricus de Breis,
Albricus de Monte,
Stephanus de Malisoil,
Francho de Argeon,
Harvicus de Larz,
Adelardus de Vreismont, &
Filius ejus Boso.
Tiezelinus de Vreismont,
Lambertus de Hubin,
Albricus de Braz, & Frater ejus Franco,
Stephanus de Fals,
Erleboldus de Molins.

ACTA sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ M. LXVII. Indictione V. III. Kalendas Septembris, Henrico IV. Imperatore, Tiethuinno Leodiensium Præsule, Thiederico Stabulensi præsente, Domino autem per sæcula regnante. 1067.

CAPUT XLI.

Formula traditionis, seu donationis ejusdem, ex autographo pergamenico fideliter deprompta: cui appensum est Sigillum imaginem Præsulis alicujus, pedum sine mitra gestantis, exprimens, anno 1067.

IN nomine Domini. Noverint præsentis & futuri sæculi fideles, quòd Dux FREDERICUS, mortuâ Uxore suâ *Gerbergâ*, tradidit ad Altare S. Petri & S. Remacli in Stabulau Ecclesiam de *Sprismont*, & Allodium quoddam *Genape*, quod ex parte ipsius Conjugis defunctæ sui juris erat.

DEDIT autem Ecclesiæ Allodium de Sprismont pro triginta libris in vadimonium: unde Conjugis defunctæ necessaria prosecutus est exequiarum.

CUMQUE non posset allodium Genape Ecclesiæ solidare, & ipse disposuisset iter suum Romam accelerare; iterùm super Allodium Sprismont sexaginta marcas accepit, & admonitus de priori Allodio Genape, ne de non solidata traditione in Ecclesiam peccaret, statuit ut Allodium Sprismont pro illo in fidei manus Ecclesiæ traderet; si tamen aut ipse aut Successor suus

Genape Ecclesiæ non solidaret, & mutuata non restitueret: de qua re fidei manus hi sunt,
Tiezelinus & Albricus de Braz,
Adelardus de Hain.
Fidejussores hi sunt,
Franco, Frater Albrici de Braz,
Warnerus Filius Wazelini.
Testes verò hi sunt,
Adelardus de Liezen,
Helfridus de Aluenz,
Comes Otto de Loz,
Erleboldus de Molins,
Tietbaldus de Longo-prato,
Rodericus de Contere,
Fastradus Filius Wazelini de Bodenville,
Ratbodo de Clavieres;
Gontrannus de Summe.

REVERSUS autem à Roma, cùm infirmatus visitaretur ab Abbate Theoderico & Fratribus, & sibi locum sepulturæ juxta Conjugem petivisset, in prædicta Ecclesia Stabulensi, constituit, ut allodium prædictum Sprismont fidei manus pro remedio animæ suæ traderent & solidarent jure perpetuo Ecclesiæ: quod & fecerunt in manus Adelardi Advocati de Liezen.

Cujus traditionis Testes hi sunt:
Albertus Comes de Namuco, &
Frater ejus Heinricus,
Balduinus de Sarto,
Albertus de Olnon,
Rotfridus de Daveles, &
Walterus Frater ejus,
Goderannus de Daveles,
Boso & Widricus de Breus,
Roricus cum barba,
Albricus de Monte,
Stepelinus de Malisoil,
Franco de Argeon,
Adelardus de Urcismont & Filius ejus Boso,
Thiezelinus de Urcismont,
Lambertus de Hubin,
Albricus de Braz & Frater ejus Franco,
Stephanus de Fals,
Erleboldus de Molins,
Henricus Bauwariensis.

ACTA est Donatio anno Incarnati Verbi millesimo sexagesimo septimo, Indictione V, III. 1067. Kalend. Septembris, Heinrico IV. imperante, Thietduino Leodiensium Præsule, Theoderico Abbate, Domino Deo per sæcula regnante.

CAPUT XLII.

GODESCALCUS *Nivellensis Ecclesiæ Præpositus eidem suæ Ecclesiæ benefacit, circa annum* 1073.

EGo GODESCALCUS Ecclesiæ Ministrorum ultimus, Præpositorum indignissimus, prædiola eleëmosynarum mearum stipendiis acquisita *Lathuy* & *Boulines* piissimæ Dominæ meæ S. Gertrudi tradidi, Congregationis ipsius ad usum. Ipsa verò Congregatione submonente, tres libras denariorum animæ meæ servitio destinavi; unde triginta solidi duobus Presbyteris pro Missa quotidiana solventur, reliqui verò ad luminare non deficiens locabuntur.

VERùm ne hâc dispositione frustrentur, possessiunculam, quæ dicitur *Aldonis Mons*, ad hoc statui. Ecclesiam porrò de Aldonis Monte Dominus LIETBERTUS Cameracensis Episcopus, licentiâ Domini Leodiensis Episcopi, consecravit, quæ Ecclesia membrum est Ecclesiæ de Rothavia, ubi pertinet decima de Aldonis Monte....

ACTUM & confirmatum Nivellæ, in Monasterio S. Gertrudis, tempore Henrici Regis, qui sæpè de Saxonibus triumphavit,
Duce Godefrido Gibboso,
Comite Lovanii Henrico, Lamberti Filio,
Rikesa Abbatissa,
Mathilde Præposita,
Ruzela Decana.
Signum ipsius Abbatissæ Rikesæ.
S. Godescalci Præpositi, qui hæc Decreta constituit, & in Charta conscribi fecit.
S. Mathildis Præpositæ.
S. Ruzelæ Decanæ,
S. Gelæ Scholasticæ,
S. Ruzalæ Capellanæ,
S. Hazechæ,
S. Fredeswindis,
S. Rikesæ,
S. Griningardis,
S. Remelini,
S. Harfridi,
S. Joannis,
S. Berneri....
Nominæ Scabinorum de [illegible]
Henricus,
Arnulphus,
Spurio,
Goderannus,
Wiboldus,
Udelinus,
Razo,
Herwardus.
S. Rastoldi Presbyteri de Rothavia.
Nomina aliorum qui his Decretis interfuerunt.
Ruthenic Villicus de Aldonis Monte,
Bertricus,
Grimoldus,
Bovo,
Franco,
Gunterus,
Gozelinus,
Bernardus de Rothavia,
Gozbertus,
Ogerus,
Arnulphus.

CAPUT

CAPUT XLIII.

RAINILDIS *Uxor* FOLCARDI *benefacit Capitulo Canonicorum Sancti Petri in Anderlecht juxta Bruxellam, anno* 1078.

Auctum & correctum ex Archivio Capituli Anderlecht.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Sanctissimæ scilicet & individuæ Trinitatis.

NOTUM sit omnibus tam futuris, quàm præsentibus, quod ego *Rainildis*, haud immemor *Folcardi* dilectissimi mei Conjugis, constituerim Beatissimo Petro in Villa, quæ dicitur *Anderlecht*, pro anima ipsius & mea Allodii mei XL. bonaria, ut unumquodque singulis annis IV. solvat denarios, recurrente die S. Michaëlis.

HUJUS igitur allodii XX. bonaria tenebat *Gerbertus*, X. *Willanus*, alia verò X. *Hildericus*; VIII. etiam mancipia unà cum allodio tradidi, *Theodelaum* scilicet cum *Rodulfo* & *Steinelde* liberis ejus, & *Richoldam* cum *Emma* & *Heneleide*, & *Helechone*, ut unusquisque in die S. Michaëlis II. solvat in censum denarios. VI. verò, cum licentiam nubendi quæsierit, sive cum defunctus fuerit.

NULLO igitur prohibente, nullo contradicente (nullus enim contradicere poterat) tradidi, eâ lege, eâ conditione, ut non amplius hoc Allodium consequeretur hereditario jure; sed ut hoc Fratres deservientes Beatissimo Petro possiderent liberè.

EODEM verò tempore vivebant heredes mei, *Franco* scilicet & *Sigerus* Filii mei, gener meus *Steppo*, *Fredesnendisque* filia mea, *Adhela* cum liberis suis: quibus omnibus consentientibus, imò etiam & hoc factum laudantibus, vovi Beatissimo Petro munusculum Allodii istius.

UT omnem igitur ex hoc Allodio Ecclesiæ injuriam facere volentem comprimat, omnemque falsam occasionem deleat, hanc Chartam à Hunekone ejusdem Monasterii Canonico compositam Fratribus tradidi, ut habeant adversus insurgentem defensatricem, adversus mentientem testem, adversus falsos judices prolocutricem. Pertimeat ergo unusquisque hanc Constitutionem infringere, quia ab Episcopis & Abbatibus sciat se excommunicatum esse.

ACTUM est publicè in Anderlecht, anno M.LXXVIII. Dominicæ Incarnationis, tempore *Henrici* Imperatoris, *Gerardi* Præsulis, *Henrici* Comitis. Hujus autem rei sunt Testes, 1078.

Clerici,

Walcherus,
Algerus, cum reliquis Fratribus.

Laici autem,

Franco,
Sigerus,
Geroldus,
Giselbertus, & alii quàm plures liberi.

Servientes verò,

Heddinus,
Meinzo, Stephanus, cum aliis pluribus.

CAPUT XLIV.

Vide sup. pag. 115.

GERARDUS II. *Cameracensis Episcopus anno* 1079. *donat Cameracensi Abbatiæ S. Sepulcri, à Prædecessore suo Lietberto anno* 1064. *fundatæ, Altare S. Petri-Leeuwensis, prope Bruxellam.*

EGo GERARDUS, Præsul Ecclesiæ Cameracensis, lumine Prædecessoris mei Domni LIETBERTI successus, & opus illius benè consummatum præ oculis habens, scilicet S. SEPULCRI Ecclesiam, quam ex integro ædificavit, & Abbatiam Monachorum eamdem constituit, à sanctuario incipere & benè operari ratum confidero.

UNDE notum sit omnibus Christi Fidelibus, quod ad eamdem S. Sepulcri Ecclesiam Abbati Waltero ac Monachis x. pauperibus Altare de *Liewes* Pontificali Auctoritate concedo, liberum ab omni consuetudine; exceptâ summâ duorum solidorum annuatim persolvendâ.

Signum mei Gerardi,
S. Gerardi Archidiaconi,
S. Widonis Præpositi & Archidiaconi,
S. Maselini Archidiaconi,
S. Hugonis Decani,
S. Werimbaldi Scholastici.

ACTUM est hoc Cameraci, in eodem Monasterio S. Sepulcri, anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo nono, Indictione secundâ, regnante Rege Henrico Lothariensium, anno Episcopatûs Domini Gerardi secundo. 1079.

CAPUT XLV.

Vide supra cap. 43.

Eadem RAINILDIS *benefacit Capitulo Anderlechtensi circa annum* 1080.

Collatum & auctum juxta Archivia Anderlecht

NOTUM sit omnibus legentibus, quod ego *Rainildis*, ingenua, & ex ingenuis orta parentibus, tradidi Allodium meum ad Altare S. Petri Apostolorum Principis, in loco, qui dicitur *Anderlecht*, pro redemptione animæ Mariti mei *Folkardi* & Filii mei *Ledberti*, decem jugera de hereditate *Olboldi*; eâ conditione, ut unoquoque anno in celebratione S. Michaëlis Archangeli, quodque jugerum persolvat quatuor denarios, eâ lege ut Successores sui, scilicet Filii sui hanc possideant, nec umquam possit mutari.

HUJUS Traditionis Testes sunt,
Gillebertus de Laca,
Geroldus,
Albero,
Santbertus,
Rotgerus,
Sigerus,
Goszuinus de Erp,
Et Filii sui Anselmus, Sigerus.

Actum publicè, Gregorio Papâ præsidente,
Henrico quarto imperante,
Gerardo Cameraci Pontificante,
Christo Domino ubique regnante.

SI quis huic Traditioni nostræ contraire voluerit, iram Dei & Sanctorum etiam incurrat, & anathema, maranatha permaneat.

CAPUT XLVI.

RICHILDIS *Hannoniæ Comitissa, ejusque Filius ac Successor Balduinus, fundant anno* 1081. *Abbatiam S. Dionysii, quæ est Benedictinorum prope Montes Hannoniæ, vocatis primis Monachis ex Abbatia Silvæ-Majoris prope Bituricum in Gallia.*

EGO RICHELDIS Comitissa, Mater *Balduini* Comitis, Filii Balduini Comitis, qui tenuit Principatum utriusque, scilicet Flandrensis & Hainoeensis Pagi, cernens totum mundum in maligno positum ruere ad occasum, cœpi tractare de salute meæ & Filii mei Balduini animæ.

PRO talibus namque mihi sæpè cogitanti & ingemiscenti occurrit intentio revelationis de quodam locello, in honore Sancti dedicato (1) *Dionysii*, & statuere ibi Fratres Deo militantes juxta Regulam Beati Benedicti.

QUAPROPTER confero, ad usus inibi Deo servientium, cuncta quæ adjacent de quodam locello, in terris, aquis, silvis, pratis, cambis, molendino uno, & in omnibus ad ipsum locum pertinentibus, Sanctæ Genitrici Dei Mariæ (2) MAJORIS-SILVÆ, & Altari S. Dionysii prædicti Martyris, eâ lege, atque eâ liberâ potestate, ut nullus ibi habeat Advocationem, nec aliquem dominatum in nulla omnino re, nisi prænominati Sancti, & Fratres ipsorum servientes Altari.

His addo etiam unum mansum in Villa *Montinium* vocitata, cum duobus servis, & cum eis qui ad ipsos pertinent, in omnibus rebus, scilicet in Filiis & Filiabus: & ut idem servitium ipsi persolvant Martyri & Fratribus Ecclesiæ, quod deberent mihi persolvere, & Successoribus meis in reliquo tempore. Montigni.

S. BALDUINI Comitis, & Matris ejus Comitissæ RICHILDIS.
S. Walcheri.
S. Gossuini.
S. Walteri.
S. Gilleberti.
S. Ragineri.
S. Anselmi.

ACTA sunt hæc in monte, qui vocatur (3) Castri-locus, anno ab Incarnatione millesimo octogesimo primo, Indictione quartâ, concurrente IV. Epactâ septimâ, regnante Rege Romanorum Henrico, Filio Henrici Imperatoris, & vivente Balduino Comite cum Genitrice sua Richelde; præsidente autem Gerardo Pontifice, post Lietbertum Pontificem, Ecclesiæ Cameracensis Sedi. 1081.

(1) SANCTI DIONYSII ABBATIA de qua vide supra lib. II. Donat. Belg. cap. 76. & 38.

(2) MAJORIS-SILVÆ, vulgò Sauve-Majeur, Abbatia Benedictinorum B. Mariæ sacra in Diœcesi Burdigalensi, fundata anno 1077. à S. Giraudo S. Arnulphi Suessionum Episcopi Discipulo.

(3) CASTRI LOCUS, idem quod Castrum Montense, ubi nunc Montes, Hannoniæ Metropolis. Vide sup. p. 490.

CAPUT

CAPUT XLVII.

Eadem RICHILDIS *Hannoniensium Comitissa benefacit Abbatiæ S. Dionysii Ord. S. Benedicti in Hannonia, anno* 1082.

EGO (1) RICHELDIS Comitissa, Mater Balduini Comitis, Filii Magni Balduini, qui tenuit Principatum utriusque, scilicet Flandrensis atque Hainocensis Pagi, cernens totum mundum ruere ad occasum, cœpi tractare de salute meæ meique animæ Filii, quomodo possemus Sanctæ Matris Ecclesiæ casum relevando, oculis Judicis placere superni. Talia mihi sæpè cogitanti occurrit intentio relevationis de quodam Locello Sancto DIONYSIO dedicato, statuere ibi Fratres juxta Regulam Beati *Benedicti* Deo militantes.

TEMPORE verò quo hæc meo versabantur animo, erat incœptum Monasterium in luco, SILVA-MAJOR nuncupato. Huic igitur Ecclesiæ placuit præfatum locum subjicere, ut ex tam nobili Congregatione semper Abbatem suscipiat, qui Ecclesiam S. Dionysii rectè disponat.

DE nostra quidem circumjacenti possessione tantum loco contuli, ut Abbas honestè posset haberi. Dominus itaque GERALDUS, Silvæ-Majoris Abbas primus, de suis Monachis illuc misit, primumque Abbatem constituit. Census autem denariorum auri duodecim ibi statuitur, ut singulis annis initio Quadragesimæ, S. Mariæ, in cujus honore Silvæ-majoris Monasterium dedicatum est, persolvatur.

HUNC verò locum, & cetera pertinentia ad ipsum, ita omnium absolvimus potestate, ut nemini in eo quidquam juris vel Dominationis sive Advocationis liceat habere, nisi Abbati & Fratribus Ecclesiæ. Sed & Dominus GERARDUS Cameracensis Episcopus Episcopale Jus, quod in Ecclesia sive Altari habebat, Deo condonavit, ut ibi degentes Monachi ab omni prorsus inquietudine sint liberi.

Signum Gerardi Cameracensis Episcopi.

S. Anselmi de Ribodimonte.

S. Balduini de Tornaco.

S. Gilleberti Præpositi de Nivella, aliorumque multorum, qui huic assertioni interfuerunt.

ACTA sunt itaque hæc anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo secundo, In- 1082.
dictione quintâ, Epactâ XVIII. Concurrente V. Imperante Henrico Romanorum Rege.

Signum Balduini Comitis.

S. Richeldis Matris ejus.

Comitum Hannoniæ *Stemma, suprà pag.* 518. *productum, continuatur.*

- *Raginerus III. Comes Hannoniæ, duxit Hatuidam, obiit 1029. pag. 518.*
  - *Raginerus IV. duxit Mathildem Eshami Dominam.*
    - *Richildis Uxor Hermanni Saxonis, 2. Balduini Flandriæ Comitis, 3. Guilielmi Osberniæ, obiit 1086.*
      - *Ex 1. Rogerus Episcopus Catalaunensis.*
      - *N. Monachus Hasnoniensis.*
      - *Ex 2. Arnulfus Infelix Comes Flandriæ, obiit 1072.*
      - *Balduinus II. Jerosolymitanus Comes Hannoniæ duxit Idam, obiit 1102. vide pag. 364. & p. 515.*
        - *Balduinus III. Comes Hannoniæ duxit Jolam.*
          - *Balduinus IV. Ædificator. Comes Hannoniæ duxit Alexdem Namurcensem obiit 1171. vide suprà pag. 296.*
            - *Balduinus V. Comes Hannoniæ & Namurcensis duxit Margaritam Flandriæ heredem, obiit 1195. vide sup. p. 295.*
              - *Balduinus VI. Imperator Constantinopolitanus, obiit 1204.*
                - *Joanna, obiit 1244.*
                - *Margarita, vide suprà pag. 406.*
            - *Godefridus, obiit sine liberis.*
            - *Eustachius Clericus.*
            - *Henricus Dominus Seburgi & Fontaine.*
              - *Philippus duxit Isabellam, post nuptam Arnulfo V. Domino Pamelæ.*
            - *Guilielmus Dominus de Chasteau-Thiery.*
              - *Ex 1. Guilielmus.*
              - *Ex 2. Gerardus.*
              - *Alemannus Canonicus S. Albini Namurci.*
              - *Maria Uxor Philippi Domini de Maldegem.*
                - *Guilielmus Dominus de Maldeghem.*
            - *Jolenta.*
            - *Agnes Uxor Radulfi Domini de Coucy.*
            - *Laurentia, aliàs Laureta Uxor Theoderici de Alesto, suprà pag. 74. 2. N. de Montmorency. Ita Du Chesne.*
          - *Gerardus Dominus de Dodewerd & Dalem.*
          - *Jolenta Uxor Gerardi Domini de Crequy.*
          - *Gertrudis Uxor Radulfi de Nelle, Castellani Brugensis.*
        - *Simon Canonicus Leodiensis.*
        - *Ernulfus duxit Beatricem de Reux.*
        - *Guilielmus*
        - *Ida Uxor Thomæ Domini de Marle.*
        - *Richildis Uxor Amalrici Comitis Montfort.*
        - *Alidis Uxor Theoderici Avesnensis, Domini Mortaniæ.*
  - *Beatrix Uxor Ebali Comitis de Roucy.*

(1) RICHELDIS, seu Richildis, Ragineri IV. Hannoniæ Comitis Filia & heres, primùm *Hermanno* Saxoni (qui anno 1051. obiit) secundò nupsit Balduino VI. Flandriæ Comiti anno 1070. defuncto. Tertiò

juncta fuit Guilielmo de Osberne, qui anno 1072. in prælio Casletensi cecidit. Richildis anno 1086. decessit. Ex primo matrimonio nati sunt duo Filii. Rogerus Claudus Episcopus Catalaunensis, & N. Monachus Hasnoniensis. Ex secundo conjugio prodierunt Arnulfus Infelix Flandriæ Comes, à Patruo suo Roberto Frisio prope Casletum 1072. cæsus & Comitatu spoliatus, & Balduinus Jerosolymitanus Hannoniæ Comes.

BALDUINUS III. Hannoniæ Comes duxit Jolam seu Jolentam, N. Comitis Gelriæ Filiam, Dominam de Dodewerd & Dalem: quæ secundò nupsit Godefrido, Anselmi Filio, Castellano Valentianensi, Domino Riboldi-montis, & Comiti Ostrovandiæ.

ERNULFUS seu Arnoldus, Balduini III. Frater, duxit Beatricem, quæ fuit Filia & heres Gualteri Domini de Ath, Reux & Nivele; & ex ea genuit Eustachium Dominum de Reux, qui matrimonio sibi junxit Beatricem, Filiam Idæ Cerviensis & Rasonis Gaveræ Domini: ut infrà ad annum 1117. docebimus.

ALIDIS, Balduini III. & Ernulfi Soror, maritum habuit Theodericum, Walteri Filium, Dominum de Avesnes & Mortaigne.

GERTRUDIS, Balduini IV. Soror, juncta fuit Radulfo de Nelle, Castellano Brugensi, Fratri Ivonis Comitis Suessionensis.

GODEFRIDUS, Balduini V. Frater, ex Leonora Radulfi II. Veromanduorum Comitis Filia liberos non reliquit.

Castellum Theoderici, *Chasteau-Thierry*, in agro Namurcensi inter Sabim & Mosam, hodie ad Ducem Havræum spectat. Illius Dominus GUILIELMUS, dicti Balduini V. Frater, ex Mathilde de Lalain sobolem reliquit.

JOLENTA, Guilielmi Soror, primùm Ivoni de Nelle, Comiti Suessionensi (sed sine liberis defuncto) secundò autem Hugoni Candavenæ, Comiti S. Pauli, circa annum 1178. nupsit.

LAURENTIA, Jolentæ Soror, duos similiter habuit Conjuges, Theodericum Comitem Alostanum, & Buchardum Dominum de Montmorency, obiitque anno 1181.

CAPUT XLVIII.

Oppignoratio Curtis de Sprimont, *anno* 1085. *facta ab Abbate Stabulensi.*

1085. ANNO Dominicæ Incarnationis M. LXXXV. Indictione VIII. Dominus Rodulfus Abbas, necessitate Regii servitii coactus, accepit à Mazone de Rona equum unum pro IV. marcis, carratam vini pro duabus marcis: pro quibus VI. marcis dedit ei in vadimonio Curtem nostram in *Sprimunt*, cum tota indominicatura usque decima.

QUOD si aliquando Fratres Villam suam redimerent, sicut ad Præbendam liberè pertinebat, ita sine ulla conditione vel pacto in manus & usus eorum liberè bonum suum reciperent.

HÆC ideò scripsimus, ne posteri nostri putent in beneficio datum fuisse, aut plus acceptum pecuniæ, aut ipsam Villam ad manum Abbatis, & non ad Præbendam pertinere: quia multos labores pro eodem bono sustinuimus.

Hujus rei Testes sunt isti:

Reinerus,
Robertus,
Gondoldus,
Cuono de Longia,
Robertus de Hontcamp,
Albricus Villicus de Stabulau,
Adelardus de Baldou, &
Theodericus Frater ejus.

CAPUT XLIX.

Explicantur jura Advocati Abbatiæ Laurishamensis, olim Ord. S. Benedicti, dein Præmonstratensis, in Diœcesi VVormatiensi, anno 1095.

NOTUM sit omnibus, quòd HENRICUS Comes, Conradi piæ memoriæ Comitis Filius, Bertranni Defensoris nostræ Ecclesiæ deceptus consiliis, Jus Advocati in aratura & messione innumeris à bonæ memoriæ Abbate Regimberto servitiorum & donorum impendiis redemptum, & Regali concessione traditum nobis abstulit, & omni honore & jure, quo usi sumus sub omnibus ejus & nostris Antecessoribus, Nos privavit & exuit. Sed miserante Deo postea in se rediit, & ablata reddidit; & præsidente Domino HENRICO Palatino Comite, cui ab Imperatore Henrico, in Italia exercitum ductante, Imperii commissæ sunt habenæ, in integrum hoc ordine restituit.

Jurare fecit honestiores nostros & suos Scabinos, ut neque pro amore, neque timore illius dimitterent, quin secundùm veritatem, quid Advocatus, quid juris Fiscus noster ex antiquitate justè retinuisset, liquidò edicerent.

Igitur jurejurando obstricti affirmaverunt, quòd non liceret Advocato constituere ullum Subadvocatum, nisi ex Familia Ecclesiæ, & per electionem & consensum ejusdem Familiæ; & quod quotidiani servitores, qui ad coquinam, qui ad pistrinam, qui ad molendinum, qui ad lavatorium, qui ad custodiam Monasterii, qui ad quotidianum Fratrum servitium pertinent, nihil illi debeant persolvere.

HÆC acta sunt anno millesimo nonagesimo 1095. quinto, Indictione III. anno Imperatoris Henrici XL. Imperii XII. annitente Domini Abbatis Regemberti Successore Thisfrido.

TESTES autem hujus Concessionis & Confirmationis

firmationis Nobilissimi sunt isti:
Henricus Palatinus, Hermanni Comitis Filius, &
Frater ejus Theodericus,
Bezelinus de Arlon,
Adelbertus, &
Bezelinus de Engelinga,
Aselmus de Edinga,
Rupertus Filius ejus,
Joannes Bulza,
Thibolt, &
Filius ejus Giselbertus;
Hugo Hesso.

CAPUT L.

URBANUS II. *Papa Bassionensi S. Petri Monasterio Ordinis Cluniacensis in Burgundia benefacit, anno* 1096.

URBANUS (1) Episcopus, Servus Servorum Dei, Monachis S. Petri apud Bassionum salutem & Apostolicam benedictionem.

NOS Bassionensem locum, in quo per Dei gratiam conversamini, qui Nos ex Parentum jure contingit, Cluniacensi Cœnobio concedentes, tam vos quàm Successores vestros Decreti præsentis auctoritate munimus.

IPSUM enim locum, sicut & cetera Cluniacensis Cœnobii membra, liberum perpetuò permanere decernimus: ut quæcumque hodie justè, vel ex Parentum nostrorum, vel ex aliorum fidelium oblatione possidet, sive in futurum poterit adipisci, firma vobis semper permaneant.

NEC Episcopo, nec Archidiaconis liceat aliquid exigere, præter annuos solidos xx. qui ex Patris mei consensu Suessionensibus Canonicis sunt persolvendi.

DATA Turonis XIII. Kal. Aprilis, anno millesimo nonagesimo sexto, Pontificatûs autem 1096.
Domini Urbani II. Papæ undecimo, Indictione quartâ.

Additio (1) URBANUS II. antea dictus Odo de Castellione, à loco nativitatis prope Oppidum Castellionense ad Matronam fluvium, primò fuit Canonicus & Archidiaconus Ecclesiæ Remensis. Dein adscriptus in Cluniacensem Ordinem, Prioratûs officio perfunctus, anno 1073. purpurâ Cardinalitiâ & Episcopatu Ostiensi insignitus fuit.

Tum Victore III. mortuo, anno 1088. in Romanum Pontificem electus, sub nomine Urbani II. Ecclesiam rexit tempore difficillimo, quo Guibertus Antipapa fatale schisma excitavit.

Hinc ex Italia in Galliam profugus, varia ibidem Concilia habuit, inter quæ celeberrimum fuit Claromontanum. Episcopatum quoque Atrebatensem restituit; uti supra diximus pag. 76. & 271. Obiit Romæ anno 1099.

Eumdem URBANUM II. Pontificem ex perillustri Dominorum Castellionensium Stemmate ortum fuisse putavit Miræus; sed recentiores authores passim contradicunt, eumque plebeæ conditionis fuisse asserunt.

Porrò Familiæ Castellioneæ, olim illustrissimæ ac potentissimæ, Regibusque Franciæ sanguine conjunctæ, Stemma Genealogicum fusè exhibetur in libro Gallico cui titulus, *Histoire Genealogique des Maisons de France fol. Paris anno* 1712. *pag.* 319.

Miræus posuit sequens Stemma, sed contractius, & minùs accuratum.

Stemma Familiæ Castelloniensis, vulgò de Chastillon sur Marne, *ex quâ prodiit* Urbanus II. *Papa; itemque Vice-Domini Remensis.*

- N.
  - *Gervasius de Chastillon Vicedominus Remensis.*
    - *Manasses Vicedominus Remensis.*
      - *Guido Vicedominus Remensis.*
        - *Erlebaldus Vicedominus Remensis Civ.*
      - *Manasses Archiepiscopus Remensis.*
      - *Ada Uxor Hilduini Comitis de Roucy.*
        - *Ebalus.*
        - *Andreas.*
        - *Felix.*
        - *Beatrix.*
        - *Margarita.*
        - *Ermentrudis.*
        - *Ada ter nupta.*
        - *N. Uxor Othonis Comitis Chinensis.*
        - *Adela.*
    - *N. Uxor Rogeri Comitis de Porcean.*
  - *Miles Dominus de Chastillon.*
    - *Guido Dominus Chastillon 1076.*
      - *Galcherus Dominus de Chastillon 1096.*
        - *Henricus Dominus ut suprà.*
          - *Galcherus Dominus ut suprà.*
            - *Gaucherus III. Dominus de Chastillon duxit Elisabetham Filiam heredem Hugonis Comitis S. Pauli.*
              - *Guido I. Comes S. Pauli.*
              - *Hugo I. Comes S. Pauli Dominus de Chastillon 1246. duxit Mariam Filiam heredem Gualteri II. Domini Avesnensis & Margarita Comitissa Blesensis.*
            - *Guido.*
            - *Robertus Ecopus Laudunensis.*
            - *Maria.*
            - *Alidis.*
            - *Amicia.*
          - *Gervasius.*
          - *Rainaldus Princeps Antiochia.*
        - *Rainaldus.*
        - *Hugo.*
      - *Guermondus.*
      - *Jacobus*
      - *Petrus.*
    - *Miles Dominus de Basoches.*
    - *Odo, pòst Urbanus II.*
  - *Guido Archiepiscopus Remensis 1032.*

CAPUT LI.

Arnulphus *Comes Chiniacensis, in Castro suo erigit Prioratum anno* 1097, *cumque committit regimini Abbatis S. Arnulphi, Ordinis S. Benedicti Metis in Lotharingia; qui dein cessit Patribus Societatis Jesu Luxemburgensibus.*

Additio ex Historia Luxemb. Bertelii.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego (1) ARNULPHUS Dei favente gratiâ non mediocris amplitudinis Comes dictus. Omnibus Christi Fidelibus constat ex veridica Salomonis dictum sententia *Redemptio animæ Viri, propitiæ divitiæ* ....

NOTUM igitur facio, quia ego Arnulphus pro remedio animæ meæ (2) Beato Arnulpho Ecclesiam Sanctæ Walpurgis infra Castrum meum (3) Chisnei sitam legitimâ traditione concessi, Fratresque ibi ex ejusdem Beati Arnulphi Cœnobio, qui Monachicam ducunt vitam, fore constitui.

QUAM devotionis meæ traditionem, ne quis ei scrupulus, vel calumniator invidus post dies obviet, utrorumque Filiorum meorum Ottonis & Ludovici, Nurûs etiam meæ Adeleid manuum super-impositione confirmari volui.

Additio

(1) ARNULPHUS, fundavit quoque Abbatiam Aureæ-Vallis Ordinis Cisterciensis in Ducatu Luxeburgensi. Stemma ejus Genealogicum vide infra in Chronico Belgico ad annum 1070.

(2) B. ARNULPHO; is fuit Episcopus Metensis, ibique extat celebris Abbatia Benedictinorum, ejus nomini dicata, de qua supra egimus cap. 24. pag. 652.

(3) CHISNEI, Oppidum antiquum, olim propugnaculis ac muris cinctum, proprios olim habuit Comites, usque ad annum 1372. quo Margareta, Ludovici Comitis Lossensis ac Chiniacensis anno 1336. defuncti Filia, Joannis Lotharingiæ Ducis vidua, sine sobole decessit.

Itaque Carolus IV. Imperator Fratri suo Wenceslao, Duci Brabantiæ ac Luxemburgi, Comitatum Chiniacensem dono dedit, unitum ab eo tempore cum Ducatu Luxemburgensi. Vide Tabulas desuper editas lib. 1. Diplomatum Belgicorum cap. 105.

Fuit olim Chiniaci in Ecclesia primaria S. Walburgis Prioratus Benedictinorum, ab Abbatia S. Arnulphi Metensis dependens; qui sub initio seculi præcedentis suppressus fuit; ejusque bona authoritate Apostolicâ ac Regiâ cesserunt PP. Societatis Jesu, Luxemburgi admissis anno 1594.

Iidem quoque possident Prioratum Aqualiæ Ordinis Cluniacensis in eodem Ducatu Luxemburgensi, de quo supra egimus lib. 1. Donat. Belgic. cap. 25.

CAPUT LII.

Fulgentius, *Abbas Affligemiensis Ordinis S. Benedicti, Monasterium Canonicorum Regularium in Fraxino (vulgò Frasne) in Gallo-Brabantia, suæ Jurisdictioni asserit, ibique Prioratum ab Abbatia sua dependentem constituit, annó* 1099.

Additio ex Gallo-Brabantia Baronis le Roi.

FULGENTIUS, non meis meritis, sed gratiâ Dei Pastor Affligemensis, per omnes generationes Christi Fidelibus gaudia perpetuæ felicitatis.

NOTUM fieri volumus, tam futuris quàm præsentibus, quomodò Ecclesia, quæ sita est in Villa quæ vocatur *Fraxina*, nobis sit tradita.

IGITUR antiquitus fuerant inibi, hoc est Fraxinæ, quinque Canonici constituti; quos tandem inde compulit singillatim discedere intolerabilis paupertas ipsius loci; siquidem indies magis ac magis pessundabatur, usque adeo ut ad ultimum ne unus quidem Presbyter qui Parochiam regeret illic inveniretur.

PROINDE quædam Matrona, *Eremburgis* nomine, cui tunc temporis eadem Ecclesia cessit hereditario jure, nimirum reverita, ne Antecessorum suorum devotio in se deficeret, curavit ne tantum Monasterium sine debitæ Religionis culture maneret.

ITAQUE placuit ei dare nobis ipsam Ecclesiam cum suis appendiciis, nec non universa quæ fuerant statuta prioribus Canonicis.

INSUPER etiam duodecim jugera sui Allodii, sperans tam destitutum locum per Monachorum conversationem posse restaurari. Cum ergo oblata suscipere adquievissemus, ita dumtaxat ut quantumcumque de cetero locus ille proficeretur, membrum Haffligemensis Cœnobii perpetuo jure maneret.

ILLA cum liberis suis omnia quæ prædiximus in manibus quatuor Virorum Nobilium, Hugonis de Marbais, & Fratris ejus Hadewardi: Sichardi de Melen, & Fratris ejus Erlebaldi, sub ea scilicet potestate tradidit, ut ipsi, quando commonerentur, heredum vice hanc donationem nobis confirmarent coram Lovaniensi Comite (1) GODEFRIDO, videlicet Patrono nostræ Ecclesiæ.

TRADIDIT inquam liberè, sed tamen sub tali conditione, ut difficiliores injurias quas per nos ipsos justificare non possemus, ad ipsum aut unum

unum Successorum suorum, qui ejusdem loci Advocationem obtineret, referremus, & factâ justitiâ tantùm denarium totius exactionis ei daremus.

Porrò si aut ipse Advocatus injuriam nobis inferret, aut ab aliis illatam justificare sive nollet, sive non prævaleret, tum demum necessariò Comes Godefridus fortior quidem Advocatus, Judex superinduceretur.

Et quidem hujus rei Testes sunt,
Rosardus de Bordel,
Gosuinus de Felliu,
Wedericus de Melen,
Fredericus de Mezevile,
Hillinus Filius Lieberti de Roaviæ, *
Herigordus de Niello.

* Puto nunc Raisve.

Testes etiam sunt itidem quatuor supradicti Viri, quibus hæc Traditio commissa est.

Denique in Festivitate Sanctæ Gertrudis quæ est XVI. Kal. April. illi quatuor, in quorum manibus traditionem factam prædiximus, eo anno Nivellam convenerunt, & secundùm prædictam Conventionem, ipsi cum supradicta Domina Eremburge hanc Donationem in manus Comitis Godefridi, Nobis confirmaverunt.

Cujus etiam rei Testes isti sunt,
Henricus Comes de Greis,
Steppo de Brucsella, & Frater ejus Walterus,
Eustacius de Corbeka,
Sigerus, & Franco Frater ejus,
Makelinus de Marbais, & Filius ejus Astricus,
Godescalcus de Lace, & Frater ejus Walterus,
Franco Castellanus de Brucsella,
Arnulfus Filius Odilæ,
Aldricus de Walehem,

Ipsi etiam qui Donationem fecerunt, scilicet,
Eugo, & Frater ejus Hadewardus,
Erlebaldus de Melen.

Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo nono, Indictione VII. 1099.

Dominus Otbertus Leodiensis Episcopus, Successor Henrici Episcopi, me Ecclesiam hanc desolatam suscipere & Monachos meos inibi constituere annuit, & supradictam Donationem violari sub anathemate interdixit, & Sigilli appositione hæc omnia nobis confirmavit.

(1) *Notatio de Comitibus* Lovaniensibus.

I. Lambertus, non Manassis, ut Lipsius & alii scripserunt, sed Ragineri I. Hannoniæ Comitis & Albradæ Filius, ab Othone I. Imperatore anno 948. constitutus Advocatus Monasterii Gemblacensis, fuit primus Lovaniensium Comes.

II. Lamberto successit Filius (ut ex Archivis Monasterii Gemblacensis colligi datur) Ansfridus, quem Anselmus Rerum Leodiensium Scriptor cap. 53. disertè Comitem Lovaniensem nuncupat. Sigebertus in Chronico anno 997. vocat Comitem Bratuspantium, per quos à Sigeberto designari Brabantos, seu Lovaniensis agri Incolas, ex Gestis anno 1012. liquet. Ansfridus Uxorem habuit *Hilsundem* Comitissam Striensem, & ex ea Filiam nomine *Benedictam*. Hilsundis anno 992. fundavit Monasterium *Thorense*, in Diœcesi Leodicensi, quod nunc est Nobilium Virginum Canonicarum Collegium ad Mosam.

Ansfridus mundo demùm valedicens, creatus est Episcopus Ultrajectinus, & anno 1009. juxta vetus Chronicon Ms. Ultrajectinum, aut anno 1010. juxta Lambertum Scafnaburgensem, obiit; sepultus in Monasterio Montis Sancti, à se condito prope Amersfurtum.

III. Ansfrido suffectus est Lambertus II. Ragineri II. Hannoniæ Comitis Filius, *Gerberga* (quæ fuit Filia Caroli Lotharingiæ Ducis) Maritus, prope Florinas à Godefrido Improle, Lotharingiæ inferioris Duce, anno 1015. cæsus, & Nivellis conditus cum Uxore. Liberos reliquit *Henricum*, *Baldricum*, *Raginerum*, & *Mathildem* Eustathio I. Comiti Boloniensi nuptam. Idem Lambertus Basilicam S. Petri Lovanii construxit. Idem denique templum S. Gaugerici Bruxellis ædificavit; ut ex veteri inscriptione ibidem reperta didici.

IV. Henricus I. Lamberti & Gerbergæ Filius, anno 1038. Lovanii à captivo suo occisus, Nivellis sepelitur in Ecclesia S. Gertrudis, cujus fuerat Advocatus seu Defensor. Genuit Othonem, & tres Filias, *Adelaidem*, *Cunegundem* & *Adelam*: ut in Genealogia S. Arnulfi apud Pithæum legitur.

V. Otho, Henrici I. Filius, obiit Infans.

- *Raginerus I. Comes Hannonia duxit Albradam, obiit 914.*
  - *Gislibertus Dux I. Lotharingia duxit Gerbergam, obiit 939.*
    - *Gerberga Uxor Bertoldi Ducis Bavaria.*
  - *Raginerus II. Longicollus Comes Hannonia duxit Adelam, obiit 970.*
    - *Raginerus III. duxit Hatuidam, obiit 1029.*
      - *Raginerus IV duxit Mathildem.*
        - *Richildis Uxor Balduini Comitis Flandria.*
    - *Lambertus II. Comes Lovaniensis duxit Gerbergam, obiit 1015.*
      - *Henricus I. Comes Lovaniensis, obiit 1038.*
        - *Otho.*
        - *Adelaidis.*
        - *Cunegundis.*
        - *Adela.*
      - *Baldricus Comes Lovaniensis duxit Odam, obiit 1054.*
        - *Henricus II. Comes Lovaniensis duxit Alaidem, obiit 1068.*
          - *Henricus III. Comes Lovaniensis duxit Gertrudem Filiam Roberti Frisii Comitis Flandria, obiit 1095.*
          - *Godefridus Barbatus ex Comite Lovaniensi Dux Lotharingia & Brabantia 1106. obiit 1140.*
          - *Raginerus, obiit 1077.*
          - *Adalbero Episc. Leodiensis Frater uterinus.*
      - *Raginerus.*
      - *Mathildis Uxor Eustathii I. Comitis Boloniensis.*
  - *Lambertus Comes Lovaniensis 948.*
    - *Ansfridus Comes Lovaniensis, obiit Episcopus Ultrajectinus 1009.*
      - *Benedicta Abbatissa Thorensis.*
  - *N. Uxor Berengarii Comitis Namurcensis.*

BALDRI-

VI. Baldricus, aliàs Lambertus Barbatus, Henrici I. Frater, Collegium VII. Canonicorum in templo S. Petri collocavit ac dotavit: cui Præbendam octavam Godefridus Barbatus Brabantiæ Dux, & alii deinde alias usque ad XVIII. adjecerunt: ut constat ex Diplomate Godefridi II. Brabantiæ Ducis suprà pag. 388. recitato.

Idem Baldricus anno 1048. Bruxellis templum & Canonicorum Collegium in monte fundavit, S. Gudulæ corpus ex Basilica S. Gaugerici eò transtulit, & pro Balduino Insulano Flandriæ Comite contra Henricum III. Imperatorem stans, anno 1054. prope Tornacum cecidit, Nivellis apud Majores suos sepultus. Uxor Baldrico fuit *Oda*, Gothilonis Magni, superioris & inferioris Lotharingiæ Ducis, Filia.

VII. Henricus II. Baldrici Filius anno 1068. decessit. Uxor fuit *Aleidis* seu *Adela*, cujus fit mentio in Auctario Lipsiano ad Sigeberti Chronicon. Ex ea nati *Henricus III.* *Godefridus Barbatus*, & *Raginerus* seu *Rinerus*: quorum postremus anno 1077. in Hasbania periit, & Diplomati Lietberti Cameracensis Episcopi subscripsit.

Albero sive Adalbero Episcopus Leodicensis, Aleidæ ex altero Marito Filius Monasterium S. Ægidii (quod est Canonicorum Regularium) prope Leodicum fundavit ac dotavit: ut Ægidius Vallis Aureæ Monachus in Historia Episcoporum Leodicensium testatur.

Henricus III. Affligemium anno 1086. condidit, & Tornaci anno 1096. periit in hastiludio. Uxor fuit *Gertrudis*, Roberti Frisii Flandriæ Comitis Filia, quæ secundis nuptiis juncta fuit Theoderico II. Strenuo Lotharingiæ Mosellanæ, & Alsatiæ Duci. In Diplomate *Affligemiensi* suprà pag. 73. citato *Brachatensis Patriæ Comitem & Advocatum* se nuncupat. Advocatum intellige Ecclesiæ Nivellensis. Genuit autem Filias quatuor. VIII.

Henrico III. sine Filiis defuncto successit Frater Godefridus Barbatus, qui Comitatui Lovaniensi Ducatum Lotharingiæ Inferioris & Marchionatum Antverpiensem anno 1106. adjunxit, atque ad posteros suos Brabantiæ Duces transmisit. Idem Fliderbecanum, Parcense & Bigardiense Monasteria fundavit; obiitque anno 1140. conditus Affligemii, quod mirificè auxit. IX.

Uxor ipsi fuit non Sophia, sed *Ida*: ut ex Godefridi II. Diplomate pag. 388. constat. Ex ea Liberos genuit *Godefridum II.* Brabantiæ Ducem, *Henricum* Monachum Affligemiensem, *Aleidem* Henrico Angliæ Regi anno 1120. nuptam, & Affligemii sepultam, *Idam* Balduini Jerosolymitani Comitis Hannoniæ Conjugem, & *Clarissiam*, quæ innupta obiit.

CAPUT LIII.

Folcardus *Abbas Lobiensis, Ordinis S. Benedicti, bona quædam sui Monasterii propter inopiam vendit, anno* 1100.

Folcardus Lobiensis Ecclesiæ Prælatus & Cœnobii Abbas, omnibus utriusque vitæ felicitatem.

Cum victus ac vestitus Fratribus nostris Deo jugiter famulantibus non sufficerent, quidquid prædii habuimus in Vico *Moringhem* Benzoni de Hermes, & Uxori suæ Odæ, cum Filiis Filiabusque suis, vendere decrevi.

Signum mei ipsius Folcardi,
S. Walteri Præpositi,
Reinardi Decani,
Balduini Comitis,
Gillardi Advocati, &
Filii ejus Ingelberti,
S. Sigeri,
Alardi Judicis,
Godescalci de Tornieorht,
Heldewini de Jachse,
Reineri, &
Amelrici de Galmerage.

Hoc autem factum est Lobiis anno Incarnationis Dominicæ M.C. Indictione X. tempore Henrici Imperatoris, quo à Papa Paschali discordante Episcopus Cameraco defuit. 1100.

CAPUT LIV.

Idem Fulcardus *Abbas Lobiensis, Libellum supplicem offert Henrico IV. aliis III. Imperatori, anno* 1101. *super misero statu & oppressione suæ Abbatiæ.*

Auctum & correctum ex Historia Abbatiæ Lobiensis.

Henrico gratiâ Dei præcellentissimo Romanorum Imperatori Augusto, Fulcardus, Abbas nomine, non merito, & pusillus grex Cœnobii Laubiensis augmentum cælitus victoriæ & pacis ad salutem utriusque hominis.

Salomon Rex quondam pacificus primordia Regni sui justitiæ inditio sub contentione mulierum dedicans, super eo sententiam posteris memoriâ dignam commendat dicens: *Facere misericordiam & judicium magis placet Domino, quàm victimæ.*

Hujus præscripti fiduciâ & spe, misericordiâ & judicio potiundi, Ego Fulcardus, cum delato corpore Patroni nostri, Sancti videlicet Ursmari Pontificis, & Familia præsenti usque ad Thronum Regium temerario ausu prorumpens (etenim in subselliis Imperialibus nusquam locum obtinet justitia, omnes quippe retributiones sequuntur & munera) super multimoda afflictione & egestate nostra, & miserabili direptione prædiorum nostrorum & facultatum, ac pristinæ libertatis Dominæ nostræ Sanctæ Laubiensis Ecclesiæ, oramus patienter nos audias pro tua Clementia, & exaudias in tua justitia.

Ecclesia nostra in angulo Regni tui penultimo fundata sub titulo Apostolorum Petri & Pauli dedicata, jam quingentis annis optimâ libertate

bertàte potita, & priorum Regum banno & authoritate firmiter concessa, necnon amplissimâ prædiorum & possessionum munificentiâ, pro quibus omnibus pene sibi substractis elamat ad Te, utpote Vidua; quoniam non aliàs, si non eoram Te ô Cæsar, obviant sibi veritas & misericordia, nequeullatenus justitia & pax ruunt in oscula.

Tales igitur in Abbatia Lobiensi fuerunt Leges Majorum, quæ integræ perdurarunt usque ad Theoduinum Leodiensem Episcopum. Castellanus Thudiniensis, quod adjacet nobis, Castri, totam præfecturam Abbatiæ debet tenere in manu sua, nec aliquos debet sustinere Defensores, vel Advocatos, nisi qui hereditarii sunt hereditate antecessoriâ.

Modò habentur in Villis Sancti Petri mille Advocati, imo raptores, in aliquibus quinque, in aliquibus quatuor *(hic multæ sequuntur ejusdem argumenti querelæ)* crebrescentibus apud nos malis, jam triginta annis. Infra hoc biennium pervenit gladius usque ad animam, & dum ab æstu tribulationis quærimus nondum inventam requiem, umbramque, incurrimus fuccisionis falcem, & lanceam, quam intulisse nobis plangimus Montensis Comitissæ militiam, quæ in succensionem ignis, deprædationem, & captivitatem ac mortem redegit totam nostri juris viciniam.

In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta; quoniam, quæ prohibebat gladium à sanguine, excessit terris justitia. Sub his diebus *Eibertus* Nobilis Adolescens, bellico ictu vitâ decedens, in agonia positus Sanctum Petrum Sanctumque Ursmarum devovit sibi heredem, quibus omnia sui juris possessiva reliquit, ad sui requiem.

Post triduum obitûs ejus, prælato corpore hujus Beati Patroni nostri Ursmari, omnia legitimè pervadimus: sed præcipuum illud Allodium, *Asgurp* nominatum, non veritus est Sancto nobisque contradicere consobrinus illius, licet injustè, *Henricus Marbasiæ*.

Pro quo vestræ dignitatis Excellentiam imploramus, quatenus ejus Excellentiam, quæ nobis adhuc resistit, ex hoc coërceri impetremus.

De cetero, ne nostra execremini multiloquia, fiat querimoniæ nostræ clausula.

Fiat pax in virtute tua, & sic erit in turribus nostris abundantia, quibus singulis annis deficiunt etiam ipsa victualia. Innoventur à Te nobis, optime Cæsar, pristinæ libertatis Privilegia; prohibeantur leges pravæ, cum prædonum superbia; augeantur Chartis nostris, siqua desunt, pro temporis malitia; quæ præstu sunt si jubeat Dignatio tua: quatenus in ævum recolatur eum laudibus apud Sanctos Petrum & Paulum, Ursmarum & Erminum, apud nos quoque supplices pia tui memoria. Amen.

CAPUT LV.

Henricus III, *aliis* IV, *Imperator Abbatiam Lobiensem, petente Fulcardo Abbate, in suam protectionem recipit, ejusque Privilegia confirmat, anno* 1161.

Auctam & correctum ex Historia Abbatiæ Lobiensis.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis.

(1) Henricus, Divinâ favente clementiâ, tertius Romanorum Imperator Augustus. Notum esse volumus omnibus Dei & nostris fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, Nos Monarchiam Imperii nostri paternâ successione à Deo nobis collati, hujusmodi auspiciis proficere voluisse, ut Christi gloria sub nostro Principatu florescens honorem obtineat debitum, & vigor religionis corroboretur pace Ecclesiarum.

Hujus nostræ voluntatis fautor simul & adjutor Venerandus & Illustris Otbertus, Sanctæ Leodiensis Ecclesiæ Præsul, suggessit Serenitati nostræ pro quadam Abbatia *Laubias* dicta, suæ Ecclesiæ à nostris Antecessoribus jam dudum collata, in honorem Apostolorum Petri & Pauli constructa, ubi pretiosissima Christi Confessorum Ursmari & Ermini requiescunt corpora, cui etiam ipse Episcopus præsenti tempore Fulcardum

(1) Henricus III. Istis, qui Henricum Aucupem Germaniæ Regem in serie Imperatorum omittunt, utpote à Romano Pontifice non coronatum, est tertius illo nomine Imperator: aliis est quartus. Is duas habuit Conjuges, *Bertham* Othonis Marchionis Italiæ Filiam, & *Adelheidem* Eustathii II. Comitis Boloniensis & Idæ Lovaniensis Filiam, Godefridi Bullonii Sororem.

Ex priore nati sunt, *Conradus* qui Florentiæ anno 1161. decessit, *Henricus* V. Cæsar, & *Agnes* Frederico Sueviæ Duci nupta. Posteriorem circa annum 1084. repudiavit: ob quam injuriam Sorori suæ illatam Godefridus Bullonius, tunc S. Romani Imperii ad Scaldim Marchio, bellum Henrico IV. intulit, ipsumque vicit ac turpiter fugere coegit; ut narrat Ordricus Vitalis, qui illo tempore vivebat.

Eumdem Henricum IV. Gregorius VII. Papa 1077. & 1080 excommunicavit, & in ejus locum *Rodulphum* Sueviæ Ducem substituendum curavit, cui & Coronam misit, cum hac inscriptione:

Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rodulfo.

Hunc Sigifridas Archiepiscopus anno 1077. Moguntiæ in Regem benedixit, & factâ à Moguntinis seditione contra eos, Rodulfus cum Archiepiscopo noctu aufugit.

Anno 1080. Henricus Imperator cum Saxonibus gravi prælio congreditur, & in congressu Rex Rodulfus cum multis Saxoniæ Principibus exstinguitur: ut Sigebertus in Chronico loquitur.

Vide Stemma Genealogicum Henrici III. Imp. supra ad pag. 538.

Fulcardum Abbatem concessit præesse; petiitque, ut ejusdem Abbatiæ Privilegia à secundo Ottone Imperatore concessa, nostrâ authoritate, sub prisca emunitate confirmari juberemus.

Cujus petitioni annuentes, pro æterna animæ nostræ seu progenitorum nostrorum remuneratione, Conradi videlicet Imperatoris Avi nostri, Gisilæ Imperatricis Aviæ nostræ, Henrici Imperatoris Patris nostri, Agnetis Imperatricis Matris nostræ, Bertæ Imperatricis Conjugis nostræ; tum pro stabilitate Regni & Imperii nostri, ac Henrici Regis dilectissimi Filii nostri;

Interventione etiam fidelium Curiæ nostræ, scilicet Archiepiscopi Coloniensis Frederici, Burchardi Monasteriensis, Cononis Wormatiensis, Adalheronis Metensis, Walcheri Cameracensis Episcoporum, Ducis Frederici, Marchionum Burchardi & Herimanni, Comitum Seifridi Palatini, Alberti Namurcensis, & Filii ejus Godefridi Lovaniensis, Arnulphi Losensis, Gerardi Guasimbergensis, concessimus eidem Abbatiæ per hoc Præceptum authoritatis Imperatoriæ, ut sicut Christo propitio reliqua Cœnobia sub nostra constituta tuitione, ipsa quoque nostrâ gaudeat defensione, sub perpetua emunitate, conscripto nostro Privilegio ad exemplum ejusdem Domini Ottonis divæ memoriæ.

Ambitum quoque Monasterii, quem Præcinctum vocant, sicut ab eodem Imperatore Ottone determinatus est, Nos quoque concedimus, ut sint undique termini, rivulus videlicet Lothosa dictus, & confines Villæ, quæ dicitur * Anderlobia, & Mons Martini, fluvius quoque Ur, & ultra terminos Villæ Alsoniæ, indeque ad locum qui dicitur Wiscelenata, & finiatur in Villa Hantas dicta. Infra quæ loca nostræ munitatis tuitionem ponimus.... * Andecla

Monasterium autem in Montis ejusdem Cœnobii vertice positum, ubi requiescunt prædictorum corpora Sanctorum, ubi est etiam cimiterium fidelium, duodecim semper Canonicis deputetur, & res quæ eorum victui collatæ sunt, in locis videlicet Risatio & Waldriaco dictis, cum Ecclesiis in Tudinio, & Lederna positis, ut eas perpetualiter inconcussè possideant, & Abbatis seu Monachorum ordinationi subjaceant. Ipse autem Abbas, ut secundùm Constitutionem Leodiensis Episcopi regulariter ordinetur, inviolabiliter stabilimus. Binchii nunc residens.

Et ut hæc nostra Concessio Imperialis per succedentia tempora maneat inconvulsa, manu nostrâ eam firmavimus, atque Sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domini Henrici Romanorum Imperatoris.

Humbertus Cancellarius, vice Rothardi Archicancellarii, recognovi.

Data decimo septimo Calendas Junii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo primo, Indictione octavâ, Anno ordinationis Domini Henrici quadragesimo octavo, Regni verò quadragesimo sexto, Imperii autem octavo. 1101.

Actum in obsidione Castri, vocabulo *Lemburg*, in Dei nomine feliciter. Amen.

CAPUT LVI.

Idem Henricus III. *Imperator Cellam Ebrensbergensem, Laurishamensi Abbatiæ annexam, in protectionem suscipit, anno* 1103.

Henricus Romanorum Imperator.....

Notum sit omnibus, qualiter Abbas Laurissensis *Anshelmus* quandam Cellam in monte *Ebrensberg*, in honore Dei & S. Stephani construxit, & ditavit. Quam Nos Cellam ut in defensionem susciperemus, rogavit: sed antequam hoc fieret, viam universæ carnis intravit. Quo defuncto, Successor illius Abbas *Geroldus* similiter pro eadem Cella in nostram tutelam suscipienda rogavit.

Cujus petitioni adquiescentes, pro remedio animæ nostræ, & Avi nostri *Cunradi*, & Patris nostri *Heinrici*, & Aviæ nostræ *Gisilæ*, & Conjugis nostræ *Berthæ*, pro stabilitate Regni nostri, ac Filii nostri *Heinrici*, ac petitione Regni Principum, videlicet Brunonis Treverensis, Frederici Coloniensis, Archiepiscoporum, Joannes Spirensis, Burchardi Monasteriensis, Adelberonis Metensis, Albuini Merseburgensis, Cunonis Argentinensis, Episcoporum, Stephani Wizeburgensis Abbatis, Frederici & Sigefridi Palatinorum Comitum & aliorum, prædictam Cellam in nostræ defensionis mundiburdium suscepimus.

Actum IV. Nonas Martii anno millesimo centesimo tertio, Indictione XI. regnante Henrico III. Romanorum Imperatore, anno XLIX. imperante XVIII. 1103.

Actum Spiræ.

CAPUT

CAPUT LVII.

MANASSES *Cameracensis Episcopus benefacit Condatensi Canonicorum Collegio in Hannonia, anno* 1103.

Condé EGo MANASSES Cameracensis Episcopus, Altare de *Hedlenniis* S. Mariæ (1) Condatensis Ecclesiæ, pro anima mea, solutis per singulos annos sex denariis, liberum usibus Fratrum concessi.

UT autem hoc ratum permaneat, Sigilli mei Privilegio confirmavi, & authenticarum personarum testimonio roboravi.

Signum Joannis Archidiaconi.
S. Theodorici Archidiaconi.
S. Rodulphi Archidiaconi.
S. Anselli Archidiaconi.
S. Erlebaldi Præpositi.
S. Erlebaldi Decani.
S. Roberti.

ACTUM est hoc anno millesimo centesimo 1103. tertio, Indictione XI. Pontificatûs verò Domini Manassis VI.

EGO Werimboldus, S. Mariæ Cameracensis Ecclesiæ Cancellarius, scripsi & subscripsi.

Additio (1) CONDATUM vulgo *Condé*, ad dextram Schaldis ripam, altero à Valencianis milliari, Oppidum est Hannoniæ egregiè munitum. Illustrissimorum Principum Condæorum Familia, Regii sanguinis apud Gallos, ab hoc Oppido titulum desumpsit. Stemma Genealogicum antiquorum DD. Condatensium sequetur infra ad annum 1200.

Olim fuit ibidem Regalis ac dives Abbatia Puellarum; quibus præ inopia recedentibus, paucorum Monasterium extitit Canonicorum, ubi S. Wasnulphus, gente Scotus, cursu peregrinationis consummato, sepultus in pace obdormivit: teste Balderico in Chronico Cameracensi lib. 2. cap. 42.

Primus in ea Ecclesia instituit tredecim Præbendas Arnulphus Frater Balduini Hannoniæ Comitis circa annum 1085; alii alias instituerunt; ita ut nunc sit Collegium viginti quatuor Canonicorum, unà cum Præposito ac Decano. Præbendarum collationem inter se partiuntur supremus Princeps Patriæ (hodie Rex Galliæ) & Toparcha loci.

CAPUT LVIII.

ODO *Cameracensis Episcopus, anno* 1107. *dotat Ecclesiam Canonicorum S. Joannis Baptistæ in Urbe Valentianensi, quæ nunc est Abbatia Regularium Ordinis S. Augustini.*

ODOARDUS Cameracensium Episcopus..... Libenter Canonicorum Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, cui, Deo auctore, ipsi in Valentianis deserviunt, studui piæ petitioni acquiescere. Hi enim petierunt à me Altare de *Estruem* (sed maximè Tiegerus Concanonicus eorum, qui Altare illud tenuerat) liberum à persona Ecclesiæ præfatæ tradi: quod & obtinuerunt.

Signum Wedrici Abbatis Altimontensis Cœnobii.
S. Lamberti Crispiniensis.
S. Alardi Cellensis Abbatis.
S. Reineri Abbatis de Lætiis.
S. Ivonis Decani.

ACTUM anno millesimò centesimo septimo, Præsulatûs verò mei quarto, Indictione 1107 secundâ.

CAPUT LIX.

GODEFRIDUS I. *Barbatus Brabantiæ Dux, Forestensem Abbatiam Monialium, prope Bruxellam, dotat anno* 1110.

EGo GODEFRIDUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Comes Lovaniensis, tradidi B. Mariæ semper Virgini, & Sanctimonialibus apud Forestum ei servientibus, partem silvæ meæ, ab Ecclesia Hermanni Monachi usque ad rivum Glatbeke, liberè, sicut possidebam, possidendam, assentientibus Filiis meis Godefrido & Henrico, cum decima & omni usu pro animæ meæ & Filiæ meæ redemptione, Parentum quoque meorum ac Filiorum.

UT autem Traditio hæc inconvulsa permaneat, Chartam hanc Sigillo meo signavi, & idoneis Testibus subter-annotatis roboravi.

Signum

Signum Walteri Rochestock,

S. Eleberti.....

Nolo etiam ignorari, quod allodium meum apud Milebecche & apud Montem, ad opus Sanctimonialium Forestensis Ecclesiæ, coram subscriptis Testibus, liberè contuli. Testes,

Lambertus de Crahinhem,

Walterus Rodestock,

Franco Castellanus,

Amelricus de Bigardis,

Franco Loco,

Walterus de Ulenbruc,

Walterus de Anselir, & alii plures.

Acta sunt hæc anno M. C. X. 1110.

CAPUT LX.

Lambertus *Episcopus Atrebatensis, prædia Strumensis Cœnobii (quod est Monialium Benedictinarum in Agro Atrebatensi) confirmari postulat à Paschali II. Papa, circa annum* 1110.

Reverentissimo Domino & Patri Patrum carissimo, (1) Paschali Papæ (2) Lambertus, Dei miseratione Atrebatium Episcopus, continuam Spiritûs Sancti consolationem.

Soror & Filia nostræ Ecclesiæ, Abbatissa Fulgendis præsentium latrix, multùm rogavit, per Nos Sanctitati vestræ commendari. Rogamus ergo Paternitatis vestræ dulcedinem, quatenus præsentem Abbatissam, in eo quo nunc est loco, Professione & Ordine, pondere vestræ auctoritatis, salvo in omnibus jure, & canonicâ dispositione Atrebatensis Episcopi, confirmare dignemini.

Locum Monasterii, qui dicitur (3) *Strum*, & Altare de Hamartvilla, sicut Prædecessor meus Domnus Gerardus Episcopus concessit, & Scripto suo consignavit; Nos quoque spe & amore Religionis, huic præsenti Abbatissæ, succedentibusque sibi Abbatissis, in Monasterio, quo nunc esse dignoscitur, regulariter electis, canonicè promovendis, & absque sæculari strepitu victuris possidendas concedimus.

Ceteras autem res & possessiones justè acquisitas & acquirendas, propter infestationes & deprædationes pravorum hominum, nihilominus corroborare velitis.

Sancta Trinitas, Deus noster, sollicitudinem vestram diutius custodiat incolumem, pro Ecclesia Sancta Catholica laborantem & orantem.

(1) Paschalis II. Papa anno 1099. creatus, anno 1118. decessit.

(2) Lambertus, primus ac proprius Episcopus Atrebatensibus (post separationem à Sede Cameracensi) anno 1093. ab Urbano II. datus, anno 1115. obiit. Cujus hoc Epitaphium Atrebati in Cathedrali Ecclesia legitur:

Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, XVIII. Kalendas Junii, obiit beatæ memoriæ Lambertus *hujus Atrebatensis Sedis Cardinalis Episcopus. Per hunc restituta est dignitas hujus Episcopatûs, quæ per multa tempora Cameracensi Episcopo fuerat commendata. Huic Episcopo, & duobus Jaculatoribus*, Itherio & Normanno, *Beata* Maria *in Ecclesia apparuit, dans eis candelam, per quam sanantur ardentes igne malo.*

De Cereo isto Atrebatensi fusè egimus in Fastis Belg. 30. Junii.

(3) Strun, vulgò *Estreun*, seu *Strumensis* Abbatia, prope Atrebatum, Nobilium Virginum Benedictinarum (ejusdem Instituti, ut Messinenses in Diœcesi Iprensi, & Burburgenses in Audomarensi) fundata fuisse creditur tempore Caroli Magni Cæsaris. Sed postmodùm per Normannorum incursiones diruta, à Gerardo Cameracensium & Atrebatensium Episcopo (ultimo ante separationem horum Episcopatuum) circa annum 1088. fuit restituta. Additio

Anno 1679. novas Constitutiones acceperunt à *Guidone de Seve de Rochechouart* Atrebatensium Episcopo, qui etiamnum (anno 1721. Episcopatûs sui L. ac Jubilari) præest Atrebatensibus, simulque senior totius Galliarum Regni Antistes. Hic præfatas Moniales reformavit, primævamque Regulam S. Benedicti restituit. Est hodie Abbatia valde magnifica, ad quam nullæ nisi Nobiles admittuntur.

CAPUT LXI.

Oddo *seu* Odo, *Cameracensis Episcopus, benefacit Ecclesiæ Nivellensi, anno* 1112.

Oddo Dei gratiâ Cameracensis Episcopus omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ Filiis in perpetuum.

Ego piæ petitioni Richetæ, Abbatissæ S. Gertrudis Nivialensis Ecclesiæ, annuens, audiens etiam preces Dominatum Monasterii & Canonicorum, Altaria, quæ hactenus in Episcopatu Cameracensi per Personas tenuerant, jam omnino absque Personis libera Ecclesiæ trado.

Altaria sunt hæc, Altare de *Iterna*, Altare de *Rosbecca* cum appenditio *Hainueres*, Altare de *Merbeccha*, Altare de *Wambeccha* cum appenditio *Nath*, Altare de *Lombeccha*, Altare

Altare de *Goy*, Altare de *Altres*, Altare de *Guiflines*, Altare de *Lavroila*. Hujus nostræ concessionis Testes sunt,
S. Rudolfi Archidiaconi.
S. Erlebaldi Præpositi.
S. Erlebaldi Decani.
S. Alexandri Decani.
S. Segardi Decaoi.
S. Machelini Decani.
S. Walteri Abbatis Lobiensis.
S. Guidrici Abbatis Altimontensis.
Fulgentii Abbatis Hafflingensis.
Actum est anoo millesimo centesimo duodecimo, Iodictione v. superscripti verò Pontificis anno vii. 1112

CAPUT LXII.

WALTHERUS *Archidiaconus donat Abbatiæ Forestanæ Ordinis S. Benedicti Altaria de Forest & Uccle prope Bruxellam, anno* 1117.

NOVERINT quàm præsentes tam futuri, quoniam ego WALTERUS, licet inutilis Sacerdos, Dei tamen gratiâ Braebatensium Archidiaconus, petitione Fulgentii Abbatis Affligemensis, Sanctimonialibus in Ecclesia de *Forest* Deo famulaotibus Altare ejusdem Ecclesiæ, cum *Ucles* & appenditiis suis, liberum & sine Persona fore concessi, & tradidi ab omni obsonio immune.

Signum Sifridi Burnhemensis Abbatis,
S. Ducis Godefridi,
S. Walteri Militis de Bruxella, & Filii ejus Stephani,
S. Franconis Castellani,
S. Razonis Dapiferi Ducis, & aliorum.
Actum M.C.XVII. 1117

CAPUT LXIII.

BURCHARDUS *Cameracensis Episcopus benefacit Ecclesiæ Canonicorum Regularium S. Joannis Baptistæ Valencenis, anno* 1117.

BURCHARDUS Cameracensium Episcopus..... Valencenensi Ecclesiæ, quæ est in bonore B. Joannis Baptistæ fundata, piè condescendentes, Canonicis ibidem servientibus Altare de *Helperneis*, cum appenditio suo *Peresello*, liberum & sine Persona concessimus.

Signum Theoderici Arcbidiaconi.
S. Erleboldi Præpositi.
S. Erleboldi Decani.
S. Roberti Cantoris.
Actum est boc anno millesimo centesimo decimo septimo, Indictione sextâ, Præsulatûs Domini Burchardi primo. 1117

CAPUT LXIV.

BALDUINUS III. *Hannoniæ Comes S. Dionysii Monasterium, prope Montes Hannoniæ, à Patre suo Balduino Jerosolymitano constructum, dotat, & auget, collatis Præbendis Capituli S. Petri Montibus; anno* 1117.

EGO BALDUINUS, Comes Haionensium, Filius gloriosæ memoriæ Balduini Jerosolymitani & Idæ Uxoris ejus, Cœnobium sancti Martyris Christi Dionysii, quod Pater meus in sui juris alodio constituit, honorificare exopto, & quidquid concessit liberè & sine Advocatia, ad eumdem locum sic concedendo affirmo.

POST quæ omnia notum sit omnibus, quod ego paterna sequens vestigia, eidem Cœnobio pro honore Dei & B. Mariæ, & Martyris Christi Dionysii, servos & ancillas jure perpetuo possidendos concedo; quorum quarumve hîc subtitulantur nomina: Bernardus & uxor ejus Gertrudis, Stahineldis, ipsius Bernardi soror, cum futura posteritate, Huldeburgis quoque & filiæ ejus, Manisendis, Dedela, Fredesendis cum posteritate futura, Lambertus & Belechina, Anna uxor Goderonis Cocci; Oda uxor Amolrici de Oborch, cum posteritatibus suis.

CONFIRMO etiam eidem Cœnobio Donationem, quam Pater meus, consilio Gerardi Cameracensis Episcopi, & Nobilium suorum assensu, concessit, Ecclesiam videlicet S. Petri, quæ sita est in Montibus inter duo Monasteria S. Waldetrudis & S. Germani, cum omnibus appenditiis suis: ita ut Canonici ejusdem Ecclesiæ

clesiæ subditi sint potestati Abbatis, & obeuntibus illis, reditus præbendarum in Monachorum usus cedant.

HANC itaque Confirmationis & Largitionis meæ Donationem mando conservari in perpetuum: ita ut nullus Comitum, Principum, Castellanorum, Nobilium, ignobilium, vel quælibet cujuscumque dignitatis persona amodò eam inquietet.

UT autem hoc ratum permaneat, Nobiles meos, Principes & Potentes, sicut sunt præsentes, ad testimonium appello, & subnotare censeo.

Signum Gossuini de Montibus.
S. Gossuini de Avesnis.
S. (1) Widonis de Cervia.
S. Hugonis de Lens.
S. Tiewini de Herbau.
S. Isaac de Wasnes.
S. Walteri de Silli.
S. Godefridi de Ribodimonte.
S. Godefridi de Arescoth.
S. Anselli de Merbes.
S. Isaac Castellani.
S. Walteri de Jutb.* *Forte Jauche.
S. Gilleberti Majoris.
S. Wascelini Brunoldi.
S. Radulfi de Turnella.

ACTUM anno millesimo centesimo decimo septimo, Indictione X. Epactâ XV. regnante & imperante Henrico Rege, Godefrido Duce, Rodulfo Remensi Archipræsule, Burchardo Cameracensi Pontifice. 1117

*Chievre. WIdo seu Guido, Dominus * Cerviæ (quod est Oppidum Hannoniæ, cultu Deiparæ ac miraculis celebre) & Sarti, ex Ida genuit Idam, Gillengemiensis Monialium Abbatiæ anno 1126. in Hannonia conditricem, multarum prolium ex tribus Maritis Matrem, ac demum Monialem in Gillengemio.

Guido Dominus de Chievre & du Sart duxit Idam.	*Ida heres, Gillengemii 1126. Fundatrix, nupsit* 1 *Ægidio Domino de Chin & Berlaimont,*	Ex 1. *Mathildis Domina de Berlaimont & Chin, Uxor Ægidii de S. Aubert: ex h 1 Domini de Berlaimont.*
	2. *Rasoni Domino Gavera.*	Ex 2. *Raso Dominus Gavera.* *Beatrix Uxor Eustathii Domini de Reux.*
Theodoricus 1117.	3. *Nicolao Domino de Rumigny, Hugonis Filio.*	Ex 3. *Nicolaus Dominus de Rumigny.* *Hugo Dominus de Florines.* *Juliana.* *Clementia.* *Jolenta.*

CAPUT LXV.

BURCHARDUS *Cameracensis Episcopus Ecclesias de Houdeng, Goegnies, & Lembeca, concedit anno* 1119. *Monachis S. Dionysii in Broqueroia.*

BURCHARDUS Divinâ miseratione Cameracensium Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Communicato nostrorum Clericorum consilio, Venerabilis Fratris nostri Henrici, Ecclesiæ S. Dionysii prope Montes Abbatis, piæ petitioni condescendimus, & Altare de *Houdeng*, cum appenditio suo *Goegnies*, Altareque de *Lembeca*, libera & sine Persona, præfatæ Ecclesiæ concedimus. Prætereà Alodium, quod Godescalcus de Gotignies apud Peronam habebat, tam in terris, aquis, quàm silvis, quia eidem Ecclesiæ contulerat, confirmamus, & ab omni Advocatia, seculari districtu, ceterisque angariis liberam, ut erat, assignamus.

Vide sup. pag. 119.

TRADITIONIS hujus Testes sunt,
Gossuinus ejusdem Godescalci Filius,
Gossuinus de Villa.

ALODIA quoque de *Mari-Jolio*, de *Triveriis*, & partem quam in decima de *Houdeng* Herimanus de Ableng habebat, quia sicut sui juris erant, cum servis & ancillis suis, sæpè-fatæ Ecclesiæ contulit, eidem libera penitus corroboramus.

Hujus rei Testes sunt,
Theodericus de Gotignies,
Herimandus de Marcgia.......

ACTUM anno millesimo centesimo decimo nono, Indictione XII. Præsulatûs Domni Burchardi IV. 1119

Ego Werimbaldus Cancellarius scripsi & recognovi.

CAPUT

CAPUT LXVI.

Aldenburgensem Benedictinorum Abbatiam, à S. Arnulfo Episcopo Suessionensi circa annum 1080. *fundatam*, CAROLUS BONUS *Flandriæ Comes, ejusque Buticularius seu Pincerna* WALTERUS, *cum* CONONE *Fratre, anno* 1119. *dotant : quod Theodericus Alsatius, Flandriæ Comes; annis* 1129. *&* 1130. *probavit.*

KAROLUS, Dei gratiâ Flandrensium Comes, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Collatos reditus, tempore nostri Principatûs, B. Petri Principis Apostolorum Aldenborgensi Ecclesiæ, præsenti Schedulæ decrevimus inserere.

NOTUM igitur sit omnibus, quòd WALTERUS Buticularius, & Frater suus CONON, tertiam partem Decimæ de omni annona totius Aldenborgensis Parochiæ, in perpetuos usus Fratrum inibi Deo servientium, liberam ab omni exactione contradiderunt.

SANE huic Donationi manum nostram tamquam supremam contradentes, quidquid nostri juris erat in ea, apposuimus : quoniam eos nobiscum tam sanctæ Donationis participes esse voluimus.

Oudenborg. PRÆTEREA Ecclesiam S. Mariæ in Aldenborg sitam, cum alia tertia parte decimæ, & cum universa minuta decima totius Parochiæ, & octo mensuris terræ, sub hereditario censu & perpetuo, prædicti Fratres in perpetuos usus Fratrum prædictæ Ecclesiæ contradiderunt: eâ videlicet conditione, ut Abbas S. Petri Aldenborgensis, seu Fratres Ecclesiæ præfatis Fratribus, aut eorum Successoribus, quotannis novem libras denariorum Flandrensis monetæ persolvant; retentis tamen novem solidis ex novem libris, quibus Synodale debitum Abbas & Fratres sui annuatim Episcopo persolvant. Cui Donationi secundæ etiam manum nostram addidimus, sicut in prima fecimus.

Signum Karoli Comitis, Filii Regis Danorum,
S. Walteri Buticularii & Fratris ejus Cononis,
S. Bertulfi Brugensis Præpositi,
Willelmi Malet,
Roberti Fratris Willelmi,
S. Gozuini,
S. Desiderii Haket Castellani,
Lamberti Nappin,
Thancmari de Straten,
Theoderici de Dicasmutha,
Berenvoldi de Straten,

ACTUM Brugis in domo Præpositi, XVI. Kal. Augusti, anno M. C. XIX. Indictione XII.
1119. regnante Ludovico Rege Françorum, Filio Philippi, anno XII. quo anno Dominus Guido Viennensis Archiepiscopus in Romanum Pontificem levatus est.

EGO THEODERICUS, Dei gratiâ Flandrensium Comes, omnibus notum facio, quòd quidam nostras Nobilis ac Potens CONON nomine, Filius Adelardi; atque Frater Walteri quondam Buticularii, nostram Mansuetudinem imploraverit, quatenus quandam largitionem, quam dudum tam ipse Conon quàm & præfatus Walterus fecerant, nostræ auctoritatis cognitione firmaremus : cujus votis libenter annuimus..... Ut autem hoc ratum perpetuò maneat, Schedulam hanc Sigilli nostri auctoritate confirmavimus, & nomina Testium, qui interfuerunt, subnotari fecimus.

SIGNUM Theoderici Flandrensium Comitis,
S. Cononis,
Hariulphi Abbatis Aldenborgensis,
Gilleberti Abbatis Heyamensis,
Balduini Gandensis,
Walteri Tornacensis,
Daniëlis Tenremondensis,
Theoderici Castellani de Dicasmuta,
Thancmari de Straten,
Christiani de Gistella. 1129.

ACTUM anno M. C. XXIX. Indictione VII. Concurrente I.

EGO THEODERICUS, Dei gratiâ Comes Flandrensium, notum esse volo cunctis Fidelibus, quòd dum caussâ orationis intrassem Ecclesiam Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, sitam in Oppido Aldenborg, accesserunt ad me Monachi ibidem Deo servientes, cum suo Abbate Hariulfo, & suppliciter petierunt, ut illis remitterem ac perdonarem quandam censûs redditionem, quam annuali debito mihi & Antecessoribus nostris hactenus persolvere cogebantur. Quorum humili petitione compulsus, prout rogaverunt, benignè concessi, & hanc inde fieri Chartam decrevi, & signis nostrorum Fidelium, qui interfuerunt, consignari.

SIGNUM Theoderici Comitis Flandrensis,
S. Conjugis ejus Suanahildis Comitissæ,
S. Arnulphi Nepotis Comitum,
Girardi Cubicularii,
Rogeri Præpositi Brugensis,
Odgarii geruli Sigilli,
Frumaldi junioris Breviatoris,
Gerardi Breviatoris,
Godzuini de Sottegem,
Huberti Cubuc,
Angelramni Fratris Arnulfi Cubicularii,
S. Reingeri Gemmonis,
S. Adalardi Cognati Frumaldi,

Raineri

Raineri Volakin,
Reineri Amans.

ACTUM apud Aldenborg in Ecclesia Apo-
1130. stolorum, v. Kal. Junii, Indictione IX. sub anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXX. regnante Ludovico Rege Francorum, Filio Philippi Regis, anno XXIII. Comitatûs Theoderici anno secundo.

Vide etiam supra pag. 381. & 380.

CAPUT LXVII.

CAROLUS BONUS *Flandriæ Comes*, BALDUINUS & EUSTACHIUS *Flandriæ Camerarii*, *& alii dotant Aldeburgensem Abbatiam ann.* 1119, *& sequent.*

EGO KAROLUS Dei gratiâ Flandriæ Comes, notum esse cupio, quod propter remedium animæ Domini *Balduini* Comitis, Antecessoris mei, Beato Petro Apostolo & Hariulpho Abbati & Monachis ad locum Aldenburgensem condonavi duas partes decimæ, id est, duas garbas totius solitudinis seu deserti, quod Teutonicè vocatur *Utfane* vel *Wostinia*, in Parochia de Erninghem, & ex Ichtenghem, & de Cocalara & de Bovenkarca usque in confinium de Flardello, exceptis illis partibus, quæ ante mortem Domini *Roberti* Avunculi mei fuerunt in culturam redactæ.

QUIDQUID verò hujus deserti vel solitudinis, à die mortis præfati Comitis Roberti, excultum est vel excoletur, prout Comes Balduinus Antecessor meus condonaverat *Guillelmo Maleto*, ipsam eamdem decimam, liberam ab omni meo, vel meorum Successorum jure, tradidi in eleëmosynam Abbati & Fratribus Cœnobii S. Petri Aldenburgensis; præfato Willelmo idipsum flagitante. Qui ut hoc fieri vellet, tam propriâ strenuitate quàm Conjugis suæ *Lismoth* devotione concepit: quatenus Monachi pro salute nostra, & ipsius Guillelmi, ac Conjugis ejus Lismoth, atque pro requie animarum gloriosorum Principum, *Roberti* scilicet apud Atrebas quiescentis, & Filii ejus *Balduini*, in flore juventutis & strenuitatis eximiæ, proh dolor! tam citò defuncti XV. Kal. Julii, Dei misericordiam incessanter implorent.

1119. ACTUM Brugis anno M. C. XIX. XVI. Kal. Augusti, Rege Francorum Ludovico, Filio Philippi, regnante.

EGO WALTERUS de Heines, Advocatus Ecclesiæ S. Petri in Aldenborch, omnia quæ à Patre meo *Conone*, atque Patruo meo *Waltero*, pro remedio peccatorum suorum, sub hereditario censu & perpetuo, præfatæ Ecclesiæ sunt donata, Divini amoris spiritu afflatus, simili modo quo illi Fratribus ibidem Christo militantibus, per manum Theodorici Flandriæ Comitis, liberè contradidi.

1151. ACTUM anno M. C. LI.

BALDUINUS Flandriæ Camerarius, universis Fidelibus in perpetuum.

NOVERIT universa posteritas, quod ego terram illam, quam in Parochia de Westenda de Comite Flandriæ tenebam in feodo, quam & Ecclesia S. Petri de Aldenborgh sub annuo censu XXV. librarum cum relevio sub meo nomine possidebat, Comiti Baldevino coram Baronibus & hominibus suis reddidi & guerpivi, & *Katerinam* Uxorem meam & *Huwemum*, & *Gerardum* Fratres meos, qui aliquid juris in eadem terra in posterum videbantur habituri, similiter guerpire feci. Et ipse Comes ipsam terram cum omnibus appendiciis suis, & si quid alluvione maris accreverit, in eleëmosynam Ecclesiæ jam dictæ contulit.

UT autem Donatio ista rata permaneat, Litteris eam mandari & Sigillorum tam mei quàm Soceri mei *Gerardi* Castellani de Aldenborgh impressione, cum Testium subscriptione, muniri necessarium duxi.

Signum Balduini de Wouma,
S. Lamberti & Gosuini de Sedelghem,
S. Daniëlis Kemel,
S. Balduini de Slipes.

ACTUM in territorio Brugensi anno M. CC. I. 1201.

EGO BALDUINUS Frandriæ & Hannoniæ Comes, posteris præsenti Scripto insinuare curavi, quòd Baldevinus Flandriæ Cubicularius terram illam, quam in Parochia de Westenda de me tenebat in Feodo, mihi liberam reddidit & guerpivit, & *Katerinam* Uxorem suam, & Huwenum & Gerardum Fratres suos, cum *Aalit* Uxore sua, similiter guerpire fecit. Cùm igitur præfatam terram ita in manu mea haberem resignatam, Ego in eleëmosynam præfatæ S. Petri Ecclesiæ contuli.

SIGNUM Gerardi Brugensis Præpositi, Flandriæ Cancellarii,
S. Balduini Comitis de Ghisana,
S. Willemini Castellani,
S. Audomari,
S. Arnulphi de Arden,
S. Balduini de Praat,
S. Willemini Notarii,
S. Gerardi de Rumschura,
S. Reineri de Postkerca.

ACTUM Brugis anno M. C. C. II. mense Martio.

EGO I. de Nigelle Castellanus de Brugis, & 1202.
M. de Hames Flandriæ Justitiarius, universis notum esse volumus, quòd Igramnus, Filius Ingramni de Erneghem, Ecclesiam S. Petri de Aldenborg ab omni vexatione & querela, quam habuit erga ipsam pro decima de Erneghem, coram Nobis & multis aliis liberam & quitam dimisit.

NE ergo res ista solemniter facta per oblivionem

vionem sui redivivæ contentionis pariat scrupulum, scripto mandari & sigillis nostris eam fecimus communiri. Testes,

Bernardus de Rosbais,
Willelmus Wart, Justitiarius Comitis,
Boudelin de Morkerca,
Hugo Filius Mariæ,
Jordanus Buc,
Rolin Bos,

1209. ACTUM anno M. CC. IX. mense Julio, Brugis.

EGO EUSTACIUS Flandriæ Camerarius & Scoutetus de Oudenburgh, universis Christi Fidelibus in Domino salutem. Quoniam Ecclesia S. Petri de Oudenburgh sub mea constituta dignoscitur Advocatia, justissimè teneor eam præ ceteris fovere & ampliare.

INDE est quòd ego in Parochia de Westende anguillarum positionem in Isara extra flusam jacentem, & ad aquæ-ductum mei * Officii pertinentem, dictæ Ecclesiæ S. Petri de Oudenburgh in eleëmosynam contuli.

* Camerlincx ambacht.

UT autem hæc Donatio solenniter facta, & à Domino Waltero Tornacensi Episcopo confirmata, stabilis permaneat, præsentes Litteras sigilli mei impressione, & Testium qui interfuerunt subnotatione munivi.

SIGNUM Walteri, & Jacobi Presbyterorum de Oudenborgh,
S. Willardi Clerici,
S. Willelmi Walghetlinc,
S. Gerardi Fratris mei, de cujus consensu Donationem feci,
S. Hostonis Avunculi mei, Militum.

ACTUM anno M. CC. XXIV. 1224.

UNIVERSIS præsentes Litteras visuris vel audituris *Eustachius* Camerarius Flandriæ, & Scoutetus de Oudenborgh, æternam in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quòd cùm controversia orta esset inter me ex una parte, & Ecclesiam S. Petri ejusdem loci ex altera, super positionibus anguillarum sitis sive jacentibus in Officio meo de Sclipis, quas dicta Ecclesia dicebat Nobilem Virum Eustachium quondam Camerarium Flandriæ, Patruum meum, ipsi Ecclesiæ in eleëmosynam contulisse; tandem Ego Camerarius ex una parte, Abbas & Fratres dictæ Ecclesiæ ex altera, comparuimus Brugis in * Vircharnia coram Domino Guidone Comite Flandriæ super dicta controversia. Dicti verò Abbas & Fratres proposuerunt ibi coram prædicto Comite Privilegium dicti Eustachii Patrui mei.

* vulgo Vierschare.

Quo inspecto, Ego recognovi coram dicto Comite & recognosco me nihil juris habere in præfatis positionibus anguillarum.

SIGNUM prædicti Comitis Flandriæ,
S. Roberti Senescaldi,
S. Balduini de Balliolo,
S. Michaëlis de Lembeca,
S. Walteri de Gandavo,
S. Walteri Grote, Militum,
S. Balduini Filii Refini, Militis, tunc temporis Ballivi Brugensis, & multorum aliorum.

ACTUM in Vircharnia Brugensi anno Domini M. CC. LXI. Sabbato post Jacobi & Christophori. 1261.

CAPUT LXVIII.

BURCHARDUS *Cameracensis Episcopus Ecclesiam S. Petri in Urbe Montensi prope Basilicam S. VValdetrudis olim sitam, & Collegiatam, attribuit & adjudicat Monachis S. Dionysii in Brocqueroia, anno* 1123.

BURCHARDUS, Dei gratiâ Cameracensium Episcopus, notum facimus, Ecclesiam S. Dionysii prope Montes beneficium & Ecclesiam S. Petri, quæ est prope Ecclesiam S. Waldetrudis in Montibus, cum tota sui pertinentia, XXX. & pluribus annis sub regimine trium Abbatum quietè possedisse, & Martinum bonæ memoriæ primum loci Abbatem, Avernis in Concilio Urbani Papæ Claremonti habito, & quàm pluribus Cardinalium, & Remensis & Cameracensis Ecclesiæ Conciliis, ob hæc & cetera Ecclesiæ suæ beneficia præsentanda & munienda, absque canonica cujuslibet calumnia, interfuisse.

CùM autem in præfato municipio Synodum convocatam celebraremus, Canonici S. Waldetrudis in Reverendum Fratrem nostrum Balduinum tertium sæpefatæ Ecclesiæ Abbatem insurgunt, & justitiam super Ecclesiam S. Petri, & ejus possessionem, à nobis & Synodo requirunt. Die igitur utrique parti statutâ, Abbas in Synodo coram Co-Abbatibus se præsentavit, & judicium super hoc requisivit.

UNDE nobis à Synodo judicium requirentibus, Abbates & Archidiaconi cum Personis judicavêre, Abbatem & Successores suos S. Petri, de qua agitur, cum possessione Ecclesiam canonicè deinceps possessuros, & præfatis Canonicis seu Monialibus super hoc minimè responsuros.

EORUM igitur judicio assentientes, calumniatores, si emerserint, quoad resipiscant, excommunicamus, & sub imaginatione & testium subscriptione, sicut Prædecessor noster bonæ memoriæ Odo Episcopus hoc Ecclesiæ S. Petri beneficium sæpè-libatæ S. Dionysii Ecclesiæ Pontificali Decreto assignavit, astipulamus.

Signum Walteri Lobiensis,
Franconis Affligemensis,
Algisi Aquicinensis,

 Gilleberti

Gillcberti Heinamensis,
Odoini Cellensis,
Gerlandi Novicastrensis, Abbatum.

Anno millesimo centesimo vicesimo tertio, 1123
Indictione XV. Præsulatûs Domni Burchardi VIII. Ego Werimboldus Cancellarius recensui.

CAPUT LXIX.

Oda *Nivellensis Abbatissa benefacit eidem Ecclesiæ, anno* 1126.

Ego Oda Nivellensis Abbatissa rebus Ecclesiæ, quas minùs cauta Prædecessorum circumspectio turbaverat vel neglexerat, necessarium duxi fideliter consulere.

Congregatio *Liniacensem Ecclesiam, à multis Abbatissis ad meum usque tempus quoquo modo possessam, frequenter in præsentia Cæsaris, frequentiùs in Leodiensi Audientia proclamatam repetebat. Ad hujus sui juris comprobationem, *Henrici quarti Imperatoris decretale Præceptum, de suarum rerum distinctione in Ecclesia habitum exhibebant, à Prædecessoribus tamen nescio quâ intentione occultatum.

* aliàs Lennick.

* Vide sup. pag. 510.

Super his omnibus fideli usa consilio, præfatam Ecclesiam Congregationi ut verè suam recognovi & reddidi; eo videlicet tenore, ut ejusdem Ecclesiæ universi reditus, in meo anniversario, Fratrum & Sororum commodis absolutè famulentur.

Quod ut inconcussum defendatur, sigillo Domini Alberonis Leodiensis Episcopi imprimi impetravimus.

Actum est II. Kalendas Martii, anno Incarnationis Domini millesimo centesimo vigesimo sexto, Indictione quartâ, regnante Domino Lothario tertio; Testibus Fratribus Sanctæ Leodiensis Ecclesiæ, 1126

Domino Andrea Præposito,
Alexandro, Johanne,
Steppone, Elberto, Archidiaconis,
Arnulfo,
Reimbaldo,
Anselmo Præpositis,
Nostræ autem Congregationis, Hermanno Præposito,
Rothardo Decano,
Gozolone,
Ansfrido, Presbyteris,
Machtilde Præpositâ,
Beatrice Decanâ,
Ementrudâ Magistrâ.

CAPUT LXX.

Rainaldus *Remensis Archiepiscopus Castrum Bulloniense in feudum concedit Alberoni Leodicensi Episcopo, anno* 1127.

Notum sit omnibus, quid & quomodo de Beneficio Remensis Ecclesię, quod ad Castellum, quod *Bullion* dicitur, pertinet, cum Alberone Leodiensi Episcopo statuimus.

Ego Rainaldus, Ecclesiæ Remensis indignus Minister, Beneficium quod Remensis Ecclesiæ ab antiquo esse dignoscitur, quod etiam ad Bullionem pertinere nulli dubium est, Alberoni Leodiensium Episcopo & Successoribus suis, conditione suppositâ, contradidi.

Si ob aliquorum infestationem Remensi Ecclesiæ ingruerit necessitas, Leodiensis Episcopus equitatum trecentorum militum singulis annis mihi vel meo ducet Successori, si quadraginta dies antè præmonitus fuit. Hunc autem equitatum Dominus Leodiensis suis expensis ducet usque Mosonium: quò postquam pervenerit, Remensis ei, cum suis omnibus, & in progressu & in morando, & in revertendo usque Mosonium, victûs necessaria providebit.

Quia verò Leodiensis Episcopus, aliorum more casatorum hominum, nobis facere non potuit Hominium, octo de suis, quattuor videlicet de Castellanis de Bullon, Galterum scilicet de Bullon, Jugonem de Mirewalt, (1) Manassem de Hierge, Jugonem Filium Lamberti, & quattuor de aliis casatis suis, Cuigerum Advocatum, Galterum Castellanum de Hoio, Rainbaldum de Jupperi, Lambertum de Tienbeche, à quibus Hominium suscepimus, nobis produxit.

Signum Odonis Abbatis S. Remigii,
S. Joranni Abbatis S. Nicasii,
S. Ursionis Abbatis S. Dionysii,
S. Joffridi Decani,
S. Leonis Cantoris,

De Laicis:

S. Henrici Casterhone,
S. Blihardi de Hercreio,
S. Nicolai de Burgo,
S. Radulphi de Radulphi-curte,
S. Haimonis Castellani de Alto-monte,
S. Balduini Dapiferi,
S. Alberici Materanni.

De

De Leodienſibus :

S. Alexandri Archidiaconi,
S. Dodonis Archidiaconi,
S. Arnulfi Præpoſiti,
S. Wilelmi Præpoſiti,
S. Heinrici.

De Laïcis :

S. Lamberti Comitis,
S. Guidrici de Walecurte,
S. Guigeri Advocati,
S. Gualteri Huienſis,
S. Cuidrici Dapiferi,
S. Lamberti,
S. Arnulphi,
S. Balduini.

ACTUM Remis anno milleſimo centeſimo viceſimo ſeptimo, Indictione v. regnante Lodovico Francorum Rege anno quinto, Archiepiſcopatûs Domini Rainaldi anno tertio. 1127.

Fulcradus Cancellarius recognovit, ſcripſit & ſubſcripſit.

(1) MANASSES DE HIERGE: Cujus Stemma fusè Guilielmus Tyrius libro 12. De Bello Sacro capite primo explicat: de quo vide & infrà ad annum 1140.

Stemma Comitum Rethelenſium *& Dominorum* de Hierge *in Agro* Leodicenſi.

- *Manaſſes Comes Rethelenſis, 1053. 1066 duxit Juditham.*
  - *Hugo Comes Rethelenſis duxit Meliſindam Filiam Guidonis Domini de Montlhery.*
    - *Balduinus de Burgo, Rex Jeroſolymitanus, obiit 1129.*
      - *Meliſendis Regina Jeroſolymitana Uxor Fulconis Andegavenſis, obiit 1144.*
      - *Aliſa Uxor Principis Antiochiæ.*
      - *Juetta Monialis.*
    - *Gervaſius electus Remenſis, pòſt Comes Rethelenſis, duxit Eliſabetham Comitiſſam de Porcean.*
      - *N Uxor Roberti de Marmion.*
    - *Manaſſes II. Comes Rethelenſis, obiit ſine liberis 1114.*
    - *Mathildis Uxor Galteri Caſtellani de Vitry.*
      - *Gualterus aliàs Itherius Comes Rethelenſis duxit Beatricem Filiam Godefridi Comitis Namurcenſis.*
        - *Joannes.*
        - *Hugo.*
        - *Manaſſes III. Comes Rethelenſis.*
          - *Hugo III. Comes Rethelenſis.*
            - *Hugo IV. Comes Rethelenſis.*
            - *Joannes Comes Rethelenſis.*
            - *Gualterus Comes Rethelenſis.*
            - *Manaſſes Comes Rethelenſis.*
              - *Hugo V. Comes Rethelenſis.*
                - *Joanna heres, Uxor Ludovici de Flandria Comitis Nivernenſis.*
          - *Maria Uxor Sigeri Domini Angiæ.*
        - *Albertus electus Leodienſis 1191 obiit 1200.*
        - *Henricus.*
        - *Balduinus.*
        - *Beatrix Uxor Rogeri Regis Siciliæ.*
          - *Conſtantia Uxor Henrici VI. Imperatoris.*
      - *N. Caſtellanus de Vitry, Pater Henrici.*
    - *Hodierna Uxor Herbrandi Domini de Hierge.*
      - *Manaſſes Dominus de Hierge, 1140. in Syriam ivit.*
        - *Henricus Dominus de Hierge Advocatus Haſbaniæ.*
          - *N. Uxor Raſonis Vexilliferi Leodicenſis, 1212.*
        - *Euſtachius.*

CAPUT LXXI.

BURCHARDUS *Cameracenſis Epiſcopus Bruxellenſibus Canonicis donat Altaria de Etterbeeck & VVeſembeeck propè Bruxellam, anno 1127. & 1129*

Etterbeeck BURCHARDUS, Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, Altare de Iettrebecca,* quod eſt dimidia Eccleſia, ſalvis noſtris & Miniſtrorum noſtrorum debitis, Eccleſiæ, quæ eſt Bruxellæ in honore Dei Genitricis & Sanctæ Gudilæ, liberum aſſignamus. Sic tamen ut Hoſpitalitium pauperum, quod in honore B. Mariæ & duodecim Apoſtolorum memoria ædificatum eidem Eccleſiæ proximum eſt, reditus præfati Altaris, omni exactione ſemotâ, ſolutis ſingulis annis in Nativitate S. Mariæ XII. Bruxellenſis monetæ denariis à præfata S. Gudilæ Eccleſia, in perpetuum poſſideat.

ACTUM anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſeptimo, Indictione quartâ, Præſulatûs Domini Burchardi XI. 1127.

Ego Guerimbaldus Cancellarius scripsi & recognovi.

Wesembeeck. BURCHARDUS, Divinâ miseratione, Cameracensis Episcopus Altare de Wezembecca, omni parte liberum, Ecclesiæ Michaëlis & S. Gudilæ Bruxellensis, ad refectionem pauperum in Hospitalitio S. Nicolai, quod eidem Ecclesiæ adjacet, convenientium, ita concedimus, quatenus annis singulis Ecclesiæ B. Michaëlis de prædicto Altari & à Provisore præfati Hospitalis, in Nativitate S. Mariæ, censum quatuordecim denariorum æternaliter obtineat.

FRUCTUS verò sæpefati Altaris, qui post census & debitorum obsoniorum persolutionem superfuerint, in prænominato Hospitali pauperum solatio, absque defraudatione, modis omnibus suppeditent.

ACTUM anno millesimo centesimo vicesimo nono, Indictione VII. Præsulatûs Domini * Burchardi XIII. 1129.

* Obiit 1130.

Ego Guerimbaldus Cancellarius scripsi & recognovi.

CAPUT LXXII.

Insulensis Canonicorum S. Petri Ecclesiæ hospites seu vasallos ad subsidia pecuniaria in necessitate eidem præstanda teneri, declarant Barones terræ, anno 1128.

EGO JOANNES, Dei gratiâ Morinensis Episcopus.... Cùm Insulani Clerici, summâ Ecclesiæ suæ necessitate constricti, ab Hospitibus Ecclesiæ, more aliorum Dominorum, auxilium postulassent, illi Comitem Flandriæ Guillelmum Normannum adierunt, & ut ipse Clericis ne exigerent, & Hospitibus ne Clericis quidquam darent, prohiberet, effecerunt.

UNDE Clerici antiquam Ecclesiæ suæ libertatem hâc insolentiâ imminui posse formidantes, Francorum Regem Ludovicum & Remorum Archiepiscopum Raimundum, Privilegia Romanæ Ecclesiæ & auctoritatis Regiæ secum deferentes, expetierunt: & ut hanc injuriam ab Ecclesia depellerent, implorarunt.

QUI considerato Privilegiorum tenore, factum Comitis detestati, ei ut ab hoc injusto gravamine desisteret, scripserunt.

UNDE die statutâ cùm & Nos, Litteris Archiepiscopi invitati, præsentes essemus, causâ in utriusque partis præsentia in medium deductâ, communi Baronum terræ judicio diffinitum est, Clericos illos idem potestatis jus super Hospites suos, quod alii Principes terræ super suos, habere.

COMES itaque ratione & judicio publicè convictus jus Ecclesiæ recognovit.

ACTUM Insulæ, in conspectu Ecclesiæ S. Petri, anno millesimo centesimo vicesimo octavo, Indictione sextâ, coram his Testibus, 1128.

Roberto Tornacensi Archidiacono & Præposito,
Absalone S. Amandi Abbate,
Roberto Betuniensi,
Ingelberto de Pitingem,
Galtero Tornacensi,
Balduino Dapifero,
Razone Pincernâ,
Rogero Islensi Castellano,
Ostone de Falchemberga,
Gilleberto Bergensi Castellano, & multis aliis.

CAPUT LXXIII.

AMALRICUS *seu* AMULRICUS DE LANDAST, *Amalrici Filius, & Uxor ejus Ermentrudis, cum Filiis suis, varia Prædia Monachis S. Amandi Ordinis S. Benedicti in Diœcesi Tornacensi restituunt, circa annum* 1131.

EGO WALTERUS indignus Minister S. Amandi, notum fieri volo, quod Dominus *Bovo* senior Abbas ejusdem Ecclesiæ, pro quadam, quam habuit necessitate, coronam argenteam ante Crucifixum pendentem, & tabulam argenteam Altaris S. Cyrici, cum anaglifo opere Ciborii, quo repositæ erant Reliquiæ pretiosi Martyris, cum aliis pignoribus, contra voluntatem Monachorum distraxit, quæ omnia Dominus *Wericus* Abbas fabricari fecit expensis Susannæ Reginæ, quæ propter nimiam, quam habebat erga nostram Ecclesiam, devotionem, post obitum Mariti sui Arnulphi Marchionis Flandriæ, in Aula Regum Franciæ ante Monasterium mansit, multaque beneficia cum variis ornamentis Ecclesiæ nostræ contulit. Et ut ipse Dominus Bovo Abbas aliquos haberet fautores contra Monachos sibi resistentes, quosdam de secularibus

ribus Potentibus sibi ascivit: quorum uni, scilicet Amulrico de Landast, centum solidos denariorum se singulis annis daturum, calumniantibus etiam Monachis, spondendo pepigit.

Ipsis itaque indignè ferentibus, Thesaurum Ecclesiæ Abbatem destruxisse, & ad magnum detrimentum Ecclesiæ contra eos centum illos solidos Laïcali potentiæ singulis annis pepigisse, pars senioris consilii ad tempus cessit ei, & Barisiacum & Altiacum cum Warniaco, invito Abbate, obtinuit. Nec multò pòst ipse Abbas morbo cancri in facie graviter vexari cœpit; quo & tandem incurabili morbo serpente defunctus est. Cui cum Dominus *Hugo* Abbas successisset, illos centum solidos cum Monachis suis multoties calumniatus est: tamen nullo Placito illos ab Amulrico de Landast extorquere potuit: sed ipse & Filius suus Amulricus in vita sua, nolentibus Monachis, violenter tenuerunt.

Ad hoc malum accessit aliud. Sanè post obitum præscripti Hugonis, cum successisset Abbas *Bovo* junior, & ipse similiter pro quadam caussa à Robodo de Ruma inquietaretur, pro tuitione suæ partis, Fratribus non assentientibus, concessit & addidit Amulrico, Filio Amulrici, quoddam alnetum, videlicet Breliolum, & terram censualem: quam terram tenebat Radulphus & Ghenebaldus, reddentes singulis annis novem solidos & quattuor denarios. Post hoc autem non multum tempus transiit, & quod violentia pravorum hominum Ecclesiæ nostræ surripuit, Divina miseratio restituit.

Defuncto enim secundo Bovone Abbate, cùm ego, licet indignus, in Ministerium Ecclesiæ S. Amandi successissem, *Amulricus*, Filius Amulrici, fractus diutinâ infirmitate, tandem ad extrema se perductum sensit; me & aliquos de Fratribus apud (1) Landastum evocavit; se peccatorem & reum contra Dominum, & maximè contra Ecclesiam S. Amandi esse recognovit, meoque hortatu, & admonitu amicorum meorum & suorum, centum illos solidos, Patri suo antea non legitimè concessos, cum præscripto alneto, & terra censuali, sibi similiter non legitimè concessis, Ecclesiæ nostræ, præsentibus Uxore & Filiis, reddidit, & à suo, Filiorum etiam jure, ipsis assentientibus, in perpetuum abdicavit. Deinde Unctionem benedicti Olei à nobis accepit, seque corpore & animâ Nobis & Ecclesiæ nostræ commendavit.

Landas.

Divisis autem singulis Filiorum suorum possessionibus suis, tandem nos humiliter deprecatus est, ut *Gerardo* Filio suo, qui desipuerat & impotens erat, misereremur, & pro amore Dei & sui gratia, quamdiu viveret, aliquid eleëmosynæ ab Ecclesia nostra impertiremur.

Nos itaque tanti Viri precibus compatientes, Gerardo Filio suo quadraginta solidos denariorum singulis annis, in vita sua, Nos daturos pro eleëmosyna concessimus. Deinde cùm vitam finisset, & sequenti die cùm corpus ejus ad eleëmosynam nostram esset delatum, antequam sepulturæ traderetur, Uxor ejus Ermentrudis, Filii ejus Amulricus, Stephanus, Gerardus, Rogerus, Robertus, Hugo, omnia quæ ipse Amulricus, sicut præmissum est, Ecclesiæ nostræ reddiderat, & ipsi in præsentia Religiosorum & Laïcorum, (2) cespite & ramo super Altare positis, reddiderunt, & à suo suorumque posterorum jure in perpetuum abdicaverunt.

Signum Walteri Abbatis,
S. Fulquini Prioris,
S. Alardi,
S. Alwoldi,
S. Alberti,
S. Heremfridi;
SS. Hugonis, Fulquonis, Roberti, Theoderici,
S. Egerici,
S. Amulrici,
S. Ermentrudis Uxoris Amulrici;
SS. Filiorum ejus, Amulrici, Stephani; Rogeri, Hugonis, Roberti,
S. Gerulphi de Senghin,
S. Gerardi de Douen,
S. Amulrici Gerbalt,
S. Norbandi de Nameng,
S. Lietberti de Samion,
S. Gileberti de Ramilgies,
S. Rodulphi Claret,
S. Hermanni Præpositi.

(1) Landastum, vulgò *Landas*, Vicus haud procul à Duaco situs: à quo Nobilis ac vetusta Familia Landastensis cognomentum induit. De qua vide plura lib. 1. Donat. Belg. cap. 92.

Stephanus de Landast, Amalrici & Ermentrudæ Filius, duxit Filiam heredem Athelardi Domini de Heyne seu Eyne prope Aldenardam.

Stephani Filius Gerardus, cum Uxore sua Alborge, Presbyterorum Collegium Heynæ constituit: quâ defunctâ Templariis se adjunxit. De Capitulo Heynensi, quod nunc est in Diœcesi Gandavensi, vide quæ suprà diximus Lib. II. Diplom. Belgic. cap. 107. & 108. item Donat. Belgic. Lib. I. cap. 92. & 93.

Gerardi Filius Arnulphus de Landas, Dominus de Eynes, ex Mathilde genuit Gerardum, Arnulphum & Alidem. Vixit anno 1200. & 1222. ut ex Tabulis Lib. 2. Diplomat. Belg. cap. 107. & 108. recitatis constat.

(2) Cæspite & ramo. Celebris hæc olim fuit traditionis ac donationis Formula, de qua plura observavimus Lib. II. Diplom. Belgic. in Notis ad caput 27. *Redditio.*

Stemma

Stemma Familiæ Landaſtenſis.

- *Amalricus Dominus Landaſti, Amalrici Filius duxit Emmam, 1099 1105.*
  - *Amalricus Dominus de Landaſt & Warlaing duxit Ermentrudem.*
    - *Amalricus duxit Aldem.*
      - *Amalricus Advocatus Marchianenſis duxit Mathildem, 1171. 1180.*
        - *Amalricus Advocatus Marchianenſis, 1224.*
          - *Amalricus duxit Margaritam Dominam de Bouvegnies.*
            - *Ægidius Dominus de Landaſt & Bouvegnies.*
              - *Beatrix heres, Uxor Balduini Domini Mortaniæ, 1300.* *
                - * *Joannes Mortanenſis duxit Mariam Landaſtenſem.*
            - *Amalricus obiit puer.*
            - *Joannes Dominus de Warlaing.*
              - *Maria heres, Uxor Joannis Mortanenſis.*
                - *Joannes.*
                - *Petrus de Landas.*
              - *Hellinus Baro Ciſonienſis.*
                - *Beatrix heres, Uxor Joannis de Orſy, Domini de Walincourt, 1327.*
              - *Sybilla Uxor Henrici Aſiani.*
          - *Margarita.*
          - *Alardus.*
        - *Alardus Dominus de Gruſons.*
      - *Gerardus, 1171.*
      - *Goſuinus.*
      - *Guilielmus.*
      - *Theodericus.*
    - *Stephanus duxit heredem Heyna.*
    - *Gerardus Innocens.*
    - *Rogerus.*
    - *Robertus.*
    - *Hugo.*
  - *Fulcardus Abbas Marchianenſis.*
  - *Stephanus de Landas duxit heredem Ciſonii 1111.*
    - *Engelbertus Advocatus Ciſonienſis.*
      - *Joannes duxit Ermengardem Dominam Petegemii.*
        - *Joannes Advocatus Ciſonienſis duxit Petronillam de Aveſnis, Everardi Epiſcopi Tornacenſis Sororem, 1186.*
          - *Joannes duxit Mariam de Bourgelles.*
            - *Arnulfus.*
            - *Jacobus.*
            - *Rogerus.*
            - *Amalricus*
        - *Petrus.*
      - *Guilielmus.*
      - *Theodericus.*
    - *Guilielmus*

CAPUT LXXIV.

ALPEDA *Nobilis Matrona poſteros ſuos anno* 1133. *obſtringit ad capitalem cenſum Eccleſiæ Turgerloënſi quotannis ſolvendum.*

EGo Henricus, Abbas B. Mariæ de Tungerlo, notum eſſe volo tam futuris quàm præſentibus, quòd ALPEDA nobilis Matrona præfatæ Eccleſiæ B. Mariæ de Tungerlo ſe in perpetuum emancipavit, eâ videlicet conditione, ut omnes Poſteri ejus qui de ſemine ejus procrearentur, tam viri quàm feminæ, ſingulis annis pro capitali cenſu unum denarium Antwerpienſis monetæ, in Nativitate B. Mariæ, ſæpedictæ Eccleſiæ perſolvere debeant, & ſex in matrimonio contrahendo, & ſex in obitu, ejuſdem monetæ.

UT autem hæc rata permaneant, ſigilli noſtri impreſſione Chartulam præſentem ſignari fecimus.

ACTA ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo triceſimo tertio. 1133

CAPUT LXXV.

Notitia Eccleſiarum & Prædiorum Abbatiæ Stabulenſis, deſcripta ex Altaris Tabella argentea, quam VVibaldus Abbas Stabulenſis circa annum 1135. *in illius Monaſterii Templo, retrò Aram ſummam poſuit.*

STABULAUS, Rona, Confines, Joſſes, Ledernau, Baldou, Rahir, Kevuruns, Confdaignes, Louveigneis, Horrion, Tourinnes, Mudreſcheidt, Rhorices, Cauſeis, Fielon, Feriers, Caſtellum Longia, Sprimont, Conſon, Fieziennes, Genuerez, Herpha, Conkieres, Scaltin, Leignon, Feraiges, Fieneval, Wellin, Silveſtrecourt, Doroit, Paliſul, Conſfait, Calcum, Bovingeis, Germineiz, Kerbou, Doma, Wakendorph, Lukefenges, Malmundarium, Waymes, Francorchamps, Nova-Villa, Amblavia, Hoſcenlaer, Baſenheim, Dalehem, Bacenga, Lorenzeis, Scheniaces, Fairon, Comblen, Preſſoir, Walevia, Sclacin, Linſceis, Landermenges, Bocholtz, Wellines, Travant, Grimesburg, Ludeneſtorph.

HOC opus fecit Abbas Wibaldus, in quo ſunt argenti meri LX. marcæ; in deauratura ſunt auri meri IV. marcæ. Tota expenſa operis centum marcæ. De qua publicè excommunicatum eſt, ne quis pro tam parva utilitate tantum laborem & expenſam annihilare præſumat.

CAPUT

CAPUT LXXVI.

LOTHARIUS III. *Imperator Stabulensis Abbatiæ Privilegia confirmat, anno* 1137.

LOTHARIUS, Dei gratiâ Romanorum Imperator, Wibaldo Stabulensi Abbati, suisque Successoribus in perpetuum.

PERSONAM Venerabilis Abbatis Wibaldi, qui eidem Cœnobio præest, præcipuo amore ac familiaritate nostrâ dignam judicamus, cujus fides circa stabilitatem Imperii nostri in hac Italica expeditione manifestè enituit, qui post multos labores & pericula, quæ pro Nobis & Nobiscum in administratione Imperii in Apulia pertulit, Nobis redeuntibus in Monasterium Cassinense *, à Fratribus ejusdem loci & universo populo, violentâ & admirabili prorsus electione, in Abbatem raptus, & ad firmitatem nostri Imperii remanens, nostram Celsitudinem petiit, ut Stabulense Monasterium (cujus curam ipse non deposuerat) & res ad ipsum pertinentes nostro Privilegio Imperiali munire & confirmare dignaremur.

* Nota.

CUJUS petitioni assensum præbentes, jam dictum Stabulense Monasterium, cum Malmundario & omnibus appendiciis, secundùm instituta Regum, Sigiberti, Dagoberti, Childerici & aliorum, nec non Imperatorum Caroli, Ludovici & trium Ottonum, Conradi quoque & Henricorum quinque, in nostram tutelam suscipimus.

CASTELLUM Longiæ cum toto montis corpore, & utrisque vallibus & Comitatu, ad indominicatam Abbatis manum & potestatem & ordinationem, cum omnibus beneficiis & casatis qui ad custodiam Castelli pertinent, spectare decernimus, nec in ipso Castello, aut in possessionibus ad ipsum pertinentibus, aliquam habitationem vel potestatem Advocatum habere permittimus.

ITEM concedimus, ut tam ipse quàm sui Successores XX. marcas, aut XX. marcarum servitium singulis annis, si Aquisgrani venerimus, Nobis aut nostris Successoribus persolvant.

ET ut hoc ratum in omnia tempora maneat, hoc Præceptum propriâ manu signavimus, & Aureâ Bullâ insigniri fecimus. Testes etiam qui affuerunt subter-annotari fecimus.

Albero Trevirensis Archiepiscopus,
Conradus Magdeburgensis Archiepiscopus,
Mengoudus Merceburgensis Episcopus,
Albero Basiliensis Episcopus,
Albero Leodiensis Episcopus,
Andreas Trajectensis Episcopus,
Anselmus Halberstadensis Episcopus,
Henricus Tullensis Episcopus,
Conradus Abbas Fuldensis,
Henricus Dux Bavariæ & Marchio Tusciæ,
Conradus Marchio de Wittim,
Manfredus Marchio,
Fredericus Marchio de Ancona, &
Frater ejus Warnerus,
Comes Landolfus Buccavitelli,
Comes Poppo,
Comes Adulphus, & alii multi Barones Romani Imperii.
Ego Eckardus, vice Henrici Ratisbonensis Episcopi & Archicancellarii, recognovi.
Ego Engelbertus Monachus, vice Bertolfi Notarii, scripsi.

DATA anno millesimo centesimo tricesimo 1137.
septimo, Indictione I. X. Kal. Octobris, anno regni Regis Lotharii XIII. Imperii V.

ACTUM Aquini in Campania.

CAPUT LXXVII.

NICOLAUS *Cameracensis Episcopus fundationem Præpositturæ B. Mariæ Virginis de Capella Bruxellis, factam à* GODEFRIDO BARBATO *Brabantiæ Duce* (*lib.* 1. *Diplom. Belg. cap.* 54.) *confirmat, anno* 1138.

NICOLAUS Cameracensis Episcopus tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

CONSILIO Clericorum nostrorum, Venerabilis Fratris nostri Parvini S. Sepulcri Abbatis petitioni condescendimus, & Altare de *Tornepia*, cum Capella de *Ruschebroc*, eidem S. Sepulcri Cameracensis Ecclesiæ liberè & sine Persona concedimus.

QUOD verò Illustris Lotharingiæ Dux, imò Bruxellæ & Lovaniæ Comes inclytus Godefridus Capellam B. Mariæ, Bruxellæ contiguam, præfato Abbati Parvino, suisque Successoribus tradidit, & Privilegio suo confirmavit, idem eisdem libertate Ecclesiasticâ assignamus, & omnia quæ jam collata in agris, pratis, aquis, & in posterum conferenda sunt, cum duabus partibus decimæ de *Hundesto*, & tertiâ parte

parte decimæ de *Roz* eidem Ecclesiæ confirmamus.

Quod autem *Bauduinus* Decanus, & ceteri S. Gudilæ Canonici, Monachorum ordinatione, Presbyteri ibidem populo Div na celebraturi positionem sæpe-fatæ Ecclesiæ concesserunt, approbamus, & Episcopali auctoritate confirmamus.

SS. Theodorici, Joannis, Alardi, Theodorici, Archidiaconorum,
S. Guidonis Præpositi,
S. Gerardi Decani & Archidiaconi,
S. Alexandri Decani,
S. Werrici Abbatis Lescienfis,
S. Algoti Abbatis,
S. Mainardi Abbatis,
S. Walerici Abbatis S. Auberti.

Actum anno millesimo centesimo tricesimo octavo, Præsulatûs Domni Nicolai secun- 1138.
do.

Ego Gerinbaudus Cancellarius recensui.

CAPUT LXXVIII.

Idem Nicolaus *Episcopus Cameracensis benefacit Abbatiæ S. Joannis Valencenis, Ordinis S. Augustini, anno* 1139.

Nicolaus Cameracensis Episcopus .... Altare de *Estruem*, à Domino Odone bonæ memoriæ Episcopo, Prædecessore nostro, Ecclesiæ S. Joannis Valencenis concessum, eidem ad usus Canonicorum assignamus & confirmamus.

S. Theodorici Archidiaconi,
S. Gerardi Decani & Archidiaconi.

Actum anno millesimo centesimo tricesi- 1139.
mo nono, Præsulatûs Domini Nicolai tertio.

Ego Guerimboldus Cancellarius recensui & scripsi.

CAPUT LXXIX.

Conradus II. *aliis* III. *Imperator, Stabulensi Monasterio benefacit, anno* 1140.

Conradus II. Romanorum Rex, notum facimus omnibus, qualiter Abbas Stabulensis Ecclesiæ Wibaldus nostram præsentiam adiit, conquerens hoc sibi plurimùm nocere, quod Ministeriales sui curtium suarum ministeria, id est, judiciarias potestates & villicationes per feudum & hereditario jure vellent obtinere: unde fiebat ut ordinatio Abbatis & Præpositorum inefficax esset, & coloni Ecclesiæ ad inopiam redigerentur.

Communi itaque Principum nostrorum & generalis Curiæ nostræ, quæ Leodii celebrabatur, consilio, obtentu etiam ejusdem Abbatis Wibaldi, judicari fecimus, quod nullus Judex qui vulgò Scultetus dicitur, nullus Villicus qui vulgariter Major vocatur, ministerium suum diutiùs habere & retinere valeat, nisi quamdiu cum gratia Abbatis deservire queat, sed quotiescumque jussus fuerit reddere, sine contradictione reddat, nec filius post obitum patris per hereditatem repetat.....

Et quoniam Advocatorum violenta rapacitas vix coërceri potest, Stabulensi Ecclesiæ concedimus & præcipimus, ut Advocatus in curtibus ejusdem Ecclesiæ, sive in Ministerialibus vel in tota Familia nullam justitiam, nullum placitum, nullum hospitium, nullam precariam, nullam prorsus exactionem vel servitium habeat, sed omnis justitia, omnes lites, omnes Caussarum & Placitorum utilitas ad Abbatem, & ubi ipse voluerit, pertineat.

Si verò per se Abbas aut per suos aliquid corrigere non potuerit, ad invitationem Abbatis Advocatus sine mora vel contradictione veniat, & tertiam partem de iis, quæ ex illa dumtaxat justitia accreverit, accipiat. Advocatus expeditionem & arma pro summa & debiti sui beneficio Nobis Successoribusque nostris procuret; Abbate & Ministerialibus & totâ Familiâ, atque omnibus ejusdem Ecclesiæ possessionibus super hoc liberis, & nullum Nobis vel Advocato supplementum præstantibus

Hoc quoque quod Prædecessor noster Imperator Lotharius III. de servitio Stabulensis Ecclesiæ diffinivit, & per Auream Bullam confirmavit, Nos immobiliter statuimus, ut nusquam locorum nisi Aquisgrani servitium solvat: ubi post singulas messes, si illuc venerimus, viginti marcas argenti, vel viginti marcarum servitium exhibere debebit.

Porrò in ipsis Monasteriis, vel in Villis ad Monasterium pertinentibus, triginta marcas aut triginta marcarum servitium præstabit Cum autem serviet Abbas, unaquæque Matrix Ecclesia, quæ sui juris & ordinationis est, solvet quinque solidos, & unusquique mansus duodecim denarios ejus monetæ, quæ in Comitatu illo datur ubi possessiones sitæ sunt, nullis Ecclesiis, nullis mansis pro aliquo pacto, aut beneficio aut vadimonio ab hac pensione immunibus.

Non

Non enim regni servitium aliquo alienationis modo obligari vel retardari potest aut debet.

Castellum *Longiæ* cum Opido, quod idem Abbas Wibaldus sub monte construxit, ad Abbatis manum & potestatem in perpetuum pertinere decernimus; ita videlicet ut Advocatus nullam justitiam vel potestatem sive mansionem illic habeat, nec liceat ulli Abbatum inde quidquam in beneficio vel concambio, vel præstaria vel pignore alicui mortalium concedere.

* Vulgò Banlieue.

Terminos * banni-leugæ, sicut in antiquis Privilegiis continentur, ratâ possessione confirmamus; ut nullus Dux aut Marchio, nullus Comes aut Vicecomes in eis aliquam potestatem vel justitiam sive judicium exerceat; nulla persona, quæ ibidem habitet, alium quàm Abbatem Dominum habeat, nec pro imparibus nuptiis, aut pro sanguinis effusione, vel pro defuncta manu, alii nisi Abbati respondeat.

Et ut hoc ratum maneat, Præceptum hoc conscribi, & Sigillo nostro insigniri præcepimus, manuque propriâ corroboravimus. Huic etiam nostræ Confirmationi Testes idoneos adhibuimus, quorum nomina hæc sunt:

Adelbertus Moguntinensis Archiepiscopus,
Albero Treverensis Diœcesis Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus,
Albero Leodiensis,
Stephanus Metensis,
Sigefridus Spirensis,
Bucco Wormaciensis,
Embricho Werceburgensis,
Bernardus Paderburnensis,
Udo Osnaburgensis,
Fredericus Suevorum Dux & Alsatiæ,
Adelbertus Dux Saxoniæ,
Godefridus Dux Lovaniensis,
Wilhelmus Comes Palatinus,
Hermannus Marchio,
Thibaldus Marchio de Norborch,
Geverardus Comes de Sulcebach,
Henricus Comes Namucensis.
Ego Arnoldus Cancellarius, vice Adelberti Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii, recognovi.

Datum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo, Indictione III. regnante Conrado Romanorum Rege II. anno verò Regni ejus secundo. 1140.

Data Wormaciæ V. Idus Februarii.

CAPUT LXXX.

Manasses Dominus de Hierge in Agro Leodicensi, in Syriam profecturus, benefacit anno 1140. *Abbatiæ Bronensi, vulgò S. Gerardi, Ord. S. Ben. in Namurcesio.*

Ego Albero, Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, ratum duximus notificare tam futuris quàm præsentibus quasdam conventiones, quæ habitæ sunt coram me, inter Abbatem Broniensem Ebroinum, & (1) Manassem Nobilem Virum de *Hirge*.

Sunt autem hæ. Cùm idem Manasses resolvisset ire Hierusalem, venit in præsentiam nostram, & quædam Allodia sua, quæ jacent in Pago Hasbaniæ, scilicet *Miele* & *Musin*, cum omni integritate sua, cum Ecclesia, cum servis & ancillis, terris cultis & incultis, tradidit in manu nostra, ad usus Abbatis & Fratrum Broniensis Ecclesiæ, Deo & S. Petro inibi deservientium, his conventionibus interpositis.

Prædictus Abbas, dedit eidem Manassi octoginta marchas; eo rationis modo, ut si in hac peregrinatione contigerit eum mori, aut reversus obierit absque legitimo corporis sui herede, hæc prædicta Allodia jure hereditario Broniensis Ecclesia in perpetuum liberè possideat. Quòd si redierit, & prædicta Allodia redimere voluerit, non plus quàm quadraginta marchas Broniensi Ecclesiæ reddet. Sic tamen, ut si Uxorem duxerit, & legitimos corporis sui heredes ex ea habuerit, tam ipse quàm prædicti legitimi corporis sui heredes in hac possessione sibi succedent. Si autem ex his prædictis suis legitimis heredibus quandoque sine legitima corporis sui successione defecerint, prædicta Broniensis Ecclesia, per ipsam Traditionem, quam ego suscepi, sine aliqua exactione vel contradictione, recipiet possidenda in perpetuum.

Tradidit etiam Allodium de *Neurelesie*, pro salute Parentum suorum inibi quiescentium, ita ut quamdiu vixerit, vel heredes legitimi sui corporis jure suo possidebunt. Si autem omnes defecerint, Broniensis Ecclesia, sicut Miele & Musin, liberè possidebit: ita sanè ut sex Monachi ibi Deo servituri aggregentur; quibus Monachis de reditibus ipsius Allodii & de aliis sufficientia victûs & vestitûs procurabitur: residua verò in usus Fratrum Broniensium cedent. Per hujusmodi traditionem datis sæpedictis Allodiis, Jus Advocationis in manu nostra posuit.

Obtestor autem Ego Albero, Dei gratiâ Leodicensis Episcopus, Successores meos, ut pauperi

(1) Manasses, Dominus de Hierge vel Hirge, in Agro Leodicensi, Herbrandi Filius, Manassis Nepos, fuit Regni Jerosolymitani Comestabilis sub Melesinda Regina. Duxit N. Viduam Domini de Ramath in Syria, & ex ea genuit *Henricum* Advocatum Hasbaniæ & Castellanum Bullonienſem, & *Eustachium*.

Henricus duxit Jolentam, Filiam Nicolai Domini de Ruminy in Thierascia, & anno 1212. decessit.

Henrici Filia & heres nupsit Rasoni, qui jure Uxorio fuit Advocatus Hasbaniæ & Vexillifer Ecclesiæ Leodicensis.

Vide suprà ad annum 1127. pag. 682.

pauperi Ecclesiæ hanc Traditionem retineant.
Hujus rei Testes fuerunt,
Archidiaconi,
Joannes, Reinerus, Elbertus.
Renzo Decanus,
Reimbaldus Præpositus S. Joannis de Insula,
Nicolaus Præpositus S. Dionysii,
Berengerus Fossensis Præpositus,
Bruno de Duras.
De liberis Hominibus,
(a) Lambertus Comes,
Eustachius Advocatus,
Aliàs Fauquemont. Gosuinus de Falconis Monte,
Theodericus de Herlaye,
Theodericus de Argentel, &
Frater ejus Wilelmus de Cennaco,
Cono de Han,
Godeschalcus de Morelmeis,
Joannes de Leaz, &
Berengarius Frater ejus,
Godeschalcus de Ruze, & alii multi.

ACTUM Leodii VI. Kalendas Martii, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo, Indictione tertiâ, regnante Conrado Romanorum Rege secundo, anno Regni ejus secundo. Recognovit supradictam Traditionem idem Manasses tertiâ Dominicâ Quadragesimæ, quæ eodem anno occurrit VI. Idus Martii, in sæpe-dicta Bronienfi Ecclesia, glebas & ramos de singulis Allodiis super Altare S. Petri, quod majus est in eadem Ecclesia, ponens. 1140.

ADDIDIT & B. Petro, post obitum suum, dimidium piscationis suæ de *Han* in perpetuum, duobus diebus per singulas hebdomadas Quadragesimæ, & sextâ feriâ per totius anni circulum; duos etiam modios salis singulis annis de conductu navium in usu Monachorum de *Neureleis*.

Hujus Testes fuerunt,
Joannes de Fen Canonicus S. Lamberti,
Arnulphus Decanus,
Godefridus de Arescot,
Theodericus de Fen,
Eibertus de Bosires, &
Ægidius Filius ejus,
Wedericus P. & alii multi.

(a) LAMBERTUS Comes de Monte Acuto, Cononis seu Cunonis infra memorandi Filius.

CAPUT LXXXI.

NICOLAUS *Episcopus Cameracensis, Isaci Montensis in Hannonia Castellani Filius, Gosuini Castellani Frater, anno* 1141. *dotat Abbatiam S. Joannis in Urbe Valentianensi recens institutam.*

NICOLAUS Divinâ permissione Cameracensium Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

ECCLESIAM S. Joannis Baptistæ Valentianis sitam, sub Regula B. Augustini, modernis temporibus, Abbate & Regularibus Canonicis ordinatam, amplificare decernentes, susceptâ Venerabilis Fratris nostri Clarembolidi, primi ejusdem Ecclesiæ Abbatis, petitione, Altare de Semeriis, liberum & sine Persona, præfatæ S. Joannis Ecclesiæ concedimus.

ACTUM anno millesimo centesimo quadragesimo primo, Præsulatûs Domni Nicolai secundo. 1141.

Ego Guerimboldus Cancellarius recensui.

CAPUT LXXXII.

GODEFRIDUS II. *Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux, Fundationem Præpositurae B. Mariæ Virginis de Capella Bruxellis, factam à Patre suo* GODEFRIDO BARBATO *in favorem Benedictinorum S. Sepulcri Cameraci, Diplomate confirmat, anno* 1141.

Additio ex Archivis Præposituræ Cappellensis Bruxellis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

NOTUM sit tam præsentibus quàm futuris, quod Ego GODEFRIDUS Dux, celeberrimi GODEFRIDI Lotharingiæ Ducis Filius, omnia quæ Pater meus ad honorem Dei & salutem animæ suæ promovit, & pro posse suo promovere studuit: meis temporibus, in quantum gratia Dei permiserit, sustentare, & adaugere laborabo.

NE autem in posterùm, ea quæ ipse Dominus meus fecit, aliquis præsumat aliquo modo infringere, violare vel diminuere, quicquid per eum datum est vel confirmatum Capellæ S. Mariæ Matris Domini, quam præcepit in Alodio suo extra Oppidum Bruxellæ fieri, & contradidit dilecto suo Parvino Abbati ad usus Ecclesiæ S. Sepulchri Cameracensis: liberè idem eisdem trado, & Sigilli mei impressione inrefragabiliter confirmo.

TRADIDIT autem tria bonaria cum omni jure

jure & libertate quam ibi habebat, ubi facta est Matri Domini Capella, & Sigilli sui auctoritate confirmavit.

TRADIDIT & petitione & assensu Franchonis Castellani, & Godefridi Militis Filii Amolrici Scoti, qui ab eodem Castellano obtinebat in feodum sex bonaria, quorum tres partes bonarii erant pratum.

DEDIT etiam duodecim bonaria Theodorici cognomento Scapre, & prati dimidium bonarium, & dimidium bonarium terræ apud Watremale, & curtilia quatuor infrà Oppidum Bruxellæ, nihil juris sibi retento, exceptis XXVII. denariis, qui singulis annis in Festo S. Martini apud velos in censu persolvuntur.

DUO autem bonaria & curtile, quæ erant Vulfronis Grossi, ipso Vulfrone annuente & præsente, eidem Ecclesiæ attribuit. Bonarium ad quokinam suam pertinens, rogatu duorum Fratrum Balduini & Raimboldi, qui ex ministerio suo habebant in feodum, ibidem exhibuit. Adjacens verò curtile Franco Castellanus, ejus permissu, pro sua atque Matris suæ anima, eidem tradidit Capellæ.

SIMILITER Erembaudus bonarium, quod habebat, liberè & absque ulla accensatione; Gillardus quoque & Geldulfus bonarium quod per Uxores eorum, quæ erant Sorores germanæ, ad eos devenerat per manum Patris mei, prædictæ Capellæ attribuerunt.

MANSUM & duas partes decimæ de Hundeslo, & tertiam partem decimæ de Roth cum uno manso, quibus Pater meus Dux eamdem Capellam dotavit, cum primam in fundamento ejus poneret petram;

UNUM mansum ex mei parte, & illam terram quæ ibi superest, pro animæ meæ ac Patrum & heredum meorum salute, omnino liberè & absolutè contribuo.

PRÆTEREA domum Raimbaudi Clerici de Leuves, cum procinctu totius curtis, quam, petitione ejusdem Raimbaudi, Pater meus Tibi, Pater Paruine Abba, tradidit, liberè concedo; & ut Ecclesiam B. Petri quietè possideas, ecce coram Deo me coadjutorem & defensorem esse promitto.

INSUPER autem bonarium prati, quod Theodericus Filius Fulberti, & Socer eorum Arnulfus præfatæ Capellæ tradidit, & curtile unum in Ruschebroc quod Bauduinus Frigidus & Frater ejus Onulfus, cunctis Filiis eorum præsentibus & concedentibus, super Altare B. Mariæ obtulerunt, perpetualiter possidendum, Tibi & tuis Successoribus liberè concedo.

ET ut hæc Donatio mea in æternum inconvulsa permaneat, Sigilli mei impositione, ac legitimorum Testium subscriptione confirmo & corroboro.

S. mei Godefridi Ducis.
S. Franconis Castellani.
S. Alberti Capellani.
S. Walteri Magistri.
S. Bernardi Scolastici.
S. Gossuini Hoseboldi, Capellanorum.
S. Gossuini Ministri.
S. Franconis Pincernæ.
S. Gerardi Militis.
S. Joannis Villici de Roda.
S. Rainboldi Forbuc.

ACTUM apud Issam in Ecclesia S. Martini, anno Incarnationis Dominicæ M. C. XLI. Indictione V. Epacta XI. occurrente II. Imperii 1141
Conradi Cæsaris Augusti III. Præsulatûs Nicholai Cameracensis Episcopi V.

ALia Diplomata, quibus hæc Præpositura à Duce Godefrido Barbato fundata fuit anno 1134. & anno 1138. à Nicolao Cameracensi Episcopo confirmata, lege suprà lib. I: Diplom. Belg. cap. 54. & cap. 77. hujus Notitiæ Ecclesiarum Belg.

Notatio de Antiquis Lotharingiæ *Ducibus, ac Ducibus* Brabantiæ, *ex eorum Stemmate exortis.*

GAlliam Romanis bello ereptam victores Franci, Germaniæ inferioris populi, in *Austrasiam* & *Neustriam* diviserunt. AUSTRASIA ditio (quam *S. Remigius*
Pag. 1. & 616. in suo Testamento *Austriam* nuncupat) ab extremis Burgundionum finibus usque ad mare Frisium, inter Rhenum, Mosam & Scaldim porrigebatur. Itaque Mediomatrices, Treveros, Ubios, Moguntiacum, Clivos, Gelriam, Brabantiam, Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam, Hasbaniam, Tungros, Eburones, Limburgensem & Luxemburgensem Ducatum, denique Alsatiam, Lotharingiam, Palatinatum Rheni, Burgundiam & Arduennam comprehendebat. Regni titulo decorata suos olim Reges habuit: quorum Sedes potissimùm fuit Urbs Mediomatricum ad Mosellam, quam hodie Metas nuncupamus.

Ceterùm rebus, ut fit, temporis lapsu variantibus, ditio illa amplissima, omisso Austrasiæ vocabulo, à Lothario, Lotharii I. Imperatoris Filio (qui Placentiæ in Italia anno 869. obiit) LOTHARINGIA nomen accepit.

Habuit Lotharingia suos quoque Reges ex ordine, ac posteà Duces. Exinde in *Superiorem* seu Mosellanam, & *Inferiorem*, seu Ripuariam divisa fuit: adeò ut uno eodemque tempore duo in Lotharingia Duces imperarent, unus ad Mosellam, alter ad Mosam & Scaldim, vicinisque in locis. Quæ quidem partitio hactenus minùs observata, aut non satis explicata, multis errandi occasionem præbuit.

Hodie vocabulo *Lotharingia* is dumtaxat regionis tractus comprehenditur, quem Mosella intersecat, quique inter *Vosagum* & Juram Montes, itemque Sequanam & Agrum Luxeburgensem excurrit.

NEUSTRIA seu Westrasia, Regnum olim Francorum in Gallia occidentale, regiones omnes inter Mosam & Ligerim sitas complectebatur: cujus Metropolis erat Lutetia Parisiorum. Errant igitur, qui amplissimum istud Regnum unius Normanniæ angustiis includunt.

Reges Lotharingiæ.

ANno 843. Ludovici Pii Imperatoris Filii, *Lotharius*, *Carolus Calvus* & *Ludovicus*, paternum inter se Regnum Virduni diviserunt: ut Nithardus lib. 4. docet. Sed quænam cuique Fratrum pars Regni obtigerit, neque Nithardi liber eo loco mutilus, neque veterum quisquam satis explicat. Ceteris tamen accuratiùs Ado Viennensis

in Chronico id præstitit. Cessit autem LUDOVICO ad Orientem Germania omnis Trans-Rhenana cum paucis aliquot cis Rhenum Pagis & Urbibus, in his Moguntia, Spira & Wormatia, propter vini copiam. CAROLO ad Occidentem Gallia obtigit, non universa, sed quidquid ejus ab Oceano hinç ad Mosam & Scaldim, inde ad Rhodanum & Ararim porrigitur. LOTHARIUS Imperator reliquas Galliæ Provincias, quæ inter Mosam, Scaldim & Rhenum, quæque inter Rhodanum, Ararim & Alpes sitæ sunt, cum Italiæ Regno, obtinuit. Idem Lotharius anno 855. Monasticen in Prumiensi Cœnobio amplexus, Regna tres inter Filios suos distribuit. *Ludovico* Italiam cum Imperio, *Lothario* eam Galliæ partem,
Lotryck. quæ ab ipso exinde Lotharii Regnum & Lotharingia est appellata, *Carolo* autem natu minimo Provinciam attribuit.

I. Ceterùm Lotharingia primùm Regibus, posteà Ducibus paruit. Primus Lotharingiæ Rex fuit LOTHARIUS Junior, qui Placentiæ mense Augusto, anno 869. obiit, non relictâ prole ex Theutperga legitima Conjuge. Ceterùm ex Waldrada pellice liberos reliquit, *Hugonem* anno 885. à Rheginone Prumiensi tonsum, *Gislam* Godefrido Normannorum Regi anno 882. nuptam, & *Bertam*, Matrem Hugonis Italiæ Regis. Lothario defuncto, hereditas jure debebatur ejus Fratri *Ludovico* II. Imperatori, tunc in Italia agenti: pro quo exstat & Rescriptum Hadriani Pontificis Maximi. Sed Patrui ipsius, *Ludovicus Germanicus* & *Carolus Calvus*, obstiterunt. Nam Carolus ut Lotharium obiisse accepit, mox Metas advolavit, ibique eodem ipso anno ab aliquot utriusque Regni Episcopis Rex est consecratus. Ægrè ferente, ut par erat, Ludovico. Regnum Lotharii, cujus ipse partem speraverat, universum à Carolo usurpari, ignitâ tandem pactione, Fratres duo, in Procaspide ad Mosam, in Pago Leodicensi convenientes, Regnum Lothariense æquis inter se portionibus anno 870. diviserunt, suprà pag. 28.

Pag. 184. & 501.

II. LUDOVICUS cognomento Germanicus, Germaniæ & partis Lotharingiæ Rex secundus, anno 876. obiit, relictis ex Emma Conjuge Filiis, Ludovico, Carolomanno & Carolo Crasso.

III. CAROLUS CALVUS, Franciæ & partis Lotharingiæ Rex, idemque posteà Imperator, anno 877. vivere desiit, Ludovico Balbo Filio Regnum Franciæ transscribens. Balbus anno 879. moriens ex Adelaide Uxore reliquit Filium in cunis CAROLUM cognomento Simplicem, ut Flodoardus testatur. Idem Balbus ex Ansgarde repudiata Filios duos reliquit, *Carolomannum* & *Ludovicum*, qui in Ferrariensi Monasterio Reges sunt coronati. Vide suprà pag. 503.

IV. At verò LUDOVICUS, Ludovici Germanici Filius, cognitâ morte æquivoci sui (Ludovici Balbi) Regnum illius invadere disposuit, & transvadato Mosâ, Imperii fines occupavit. Cui occurrerunt duo memorati Fratres Carolomannus & Ludovicus cum valida manu: sed incurrentibus Legationibus, pax est roborata: ut Rhegino loquitur. Sicque Ludovico, Germanici Filio, Lotharingia cessit, ea conditione ut à Regno Franciæ abstineret.

Ludovico anno 882. defuncto, Frater CAROLUS CRASSUS Imperator in totius Lotharingiæ Regno successit, & anno 888. moriens Arnulfum, Carolomanni Fratris sui Baioariæ Regis Filium, habuit Successorem. Vide suprà pag. 644. & 650. V.

ARNULFUS Imperator, Rexque Germaniæ ac Lotharingiæ, Normannos prope Lovanium anno 891. cæcidit, & Wormatiæ in Comitiis existens, anno 895. Suendeboldum Filium naturalem universo Lotharingiæ Regno præfecit: ut Rhegino fusè in Chronicis narrat. VI.

SUENDEBOLDUS ob crudelitatem, quam in suos exercebat, à Stephano, Matfrido, Gerardo & Raginero Haginoensi, Comitibus, bello impetitus, ac demum prælio prope Mosam victus, anno 900. occubuit, in Susterensi Monasterio conditus; Filiabus duabus Benedictâ & Cæciliâ relictis ex Oda, Odonis Francorum Regis Filia. Vide pag. 253. VII.

LUDOVICUS. Arnulfi Imperatoris ex Uta legitimus Filius, post Patris interitum, apud Germanos Imperium gessit. Eidem Lotharingiâ, Suendeboldo Fratre occiso, obtigit, obiitque anno 912. ex Caroli Magni stirpe apud Germanos postremus. Uxor ipsi fuit Emma sive Hemma. Vide suprà pag. 37. & 250. VIII.

CONRADUS, Vir bello clarus ex Francia Orientali, Ludovico mortuo, à Proceribus Regni electus, Imperium Germanicum, cum parte Regni Lotharingiæ, obtinuit, obiitque anno 919. IX.

CAROLUS SIMPLEX Francorum Rex, Ludovici Balbi Filius, anno 898. & 912. magnam Lotharingiæ portionem occupavit, eamque annis aliquot tenuit, Rheginone teste. X.

HENRICUS AUCEPS, Saxoniæ Dux, Conradi in Germaniæ Regno Successor, anno 921. Carolum Simplicem terrore armorum ad restituendam Lotharingiam compulit. Quo quidem anno, mense Novembri, ut Flodoardus in Chronico narrat, dicti Reges Carolus & Henricus apud Bonnam Castellum convenerunt, & pacem inter se facientes fœdus inierunt; & Carolus nunquam sibi ampliùs Lothariense Regnum usurpaturum promittens, est regressus: ut Continuator Rheginonis loquitur; qui tamen ad annum 925. ista non rectè refert. Pactum Pag. 37. namque istud Bonnense ad annum 921. esse referendum, ex Flodoardo, illorum temporum scriptore, certò constat. Exinde Henricus Auceps Viro forti atque industrio *Gisleberto* seu Giselberto, Ragineri I. Comitis Hannoniensis Filio, Lotharingiam gubernandam commisit, ipsique Filiam suam Gerbergam anno 929. dedit Uxorem, ut idem Continuator Rheginonis testatur. Vide suprà pag. 48. & 253. XI.

Duces Lotharingiæ universæ, *hoc est, superioris & inferioris.*

GISLEBERTUS, Ragineri I. Hannoniæ Comitis & Albradæ Filius, primùm Carolo Simplici adhæsit, ejusque nomine Lotharingiæ præfuit. Post mortem verò Caroli Regis, nolentibus Lotharingis Henrico (Aucupi) Germaniæ Regi subesse, quidam Lotharingus nomine Christianus, simulatâ infirmitate, Gislebertum Ducem ad se dolo evocatum cepit, Regique misit, ut per eum Lotharingiam sibi subjugaret. At verò inspectâ industriâ & potentiâ Gisleberti, Henricus Filiam suam Gerbergam ei despondit, & eum iterùm Lotharingiæ præfecit: ut Sigebertus in Chronico loquitur. Hæc ipsa iisdem ferè verbis Witichindus lib. 1. commemorat.

I. Primus ergò Lotharingiæ universæ, id est, superioris & inferioris Dux fuit GISLEBERTUS. Is anno 939. periit, Rheno flumine absorptus, relictâ *Gerbergâ* Filiâ, Bertoldo Duci Baioariorum postmodum nuptâ. Vide suprà pag. 48. & 518.

II. Gisleberto anno 940. suffectus (teste Flodoardo) HENRICUS, Othonis I. Imperatoris Frater, paucis mensibus Lotharingiæ præfuit, pòst Baioariæ Dux ab eodem Othone creatus. Duxit Juditham seu Jutam, Arnoldi Mali Bavariæ Ducis Filiam, & anno 955. obiit; teste Contracto. Vide suprà pag. 343. & 509.

OTHO, Ricuini Filius, post Henricum Dux Lotharienſium anno 944. vita decessit: ut Flodoardus narrat. Vide suprà pag. 652. III.

CONRADUS seu Cuno, Werinheri Filius, Othonis I. Gener, exinde præfuit: qui Socero pòst rebellis, Hungaros in Lotharingiam adduxit. Demùm facti pœnitens, & contra Hungaros fortiter dimicans, anno 957. occubuit. Uxorem anno 947. duxerat *Luitgardem*, Othonis I. Filiam, quæ anno 953. obiit. Vide suprà paginâ 142. & 258. IV.

BRUNO, Othonis I. Frater, in Conradi rebellis locum suffectus, Coloniensis Archiepiscopus & Archidux Lotharingiæ secundas partes in Regno Fratris sui potenter & industriè administravit, ut Sigebertus loquitur, & anno 965. Remis vivere desiit. Laudatur eximiè à Ditmaro, qui ipsum, intercessione S. Pauli Apostoli, in Cœlum fuisse receptum narrat. Ab Ecclesia certè Tornacensi, anniversario ritu, solemniter die XI. Octobris colitur ut Sanctus. Vitæ ejus historia, à Rotgero Monacho conscripta, apud Surium exstat. Vide suprà pag. 142. & 343. V.

Duces

Duces Lotharingiæ *superioris*, *seu* Mosellanæ.

I. LOtharingiæ superioris seu Mosellanæ (quam ferè mediam Mosella fl. intersecat) primus Dux FRIDERICUS, à Brunone Coloniensi Archiepiscopo & Lotharingiæ Archiduce, anno 958. constitutus fuit: ut Flodoardus in Chronico his verbis testatur. Anno 958. Lotharienses à Brunone Duce desciscunt; quibus postmodùm revocatis, Fredericum quendam Comitem eis vice suâ præfecit. Fuit autem Fredericus Adelberonis I. Metensis Episcopi Frater; ut Sigebertus in Chronico testatur. Anno 945. Otho Imperator totam Lotharingiam sibi subjugavit, resistente sibi solo Metensium Episcopo Adelberone, Fratre Ducis Frederici. Anno 963. idem Fredericus Dux subscripsit Tabulis, quibus Sigifridus Comes Castellum Luzilburgum, in Pago Arduennæ situm, à Wikero Abbate S. Maximini Treverensis titulo permutationis acquisivit: ut suprà videre est pag. 142.

Eidem Frederico Uxor fuit BEATRIX, Soror Hugonis Capeti Regis Francorum, Hugonis Comitis Parisiensis
Pag. 341. & 660. & Hadevidæ Filia: duxitque eam anno 954. teste eodem Flodoardo. Anno 954. Fredericus, Frater Adelberonis Episcopi, Hugonis Principis Filiam duxit Uxorem. Ea Beatrice nan sunt Frederico Filii tres. *Theodericus* in Ducatu Successor, *Adelbero* II. Episcopus Metensis anno 984. creatus, & *Wernerus* Episcopus Argentinensis, qui Constantinopoli 1027. obiit; & *Itta* Radebodonis Comitis Hasburgensis Uxor.

II. Mosellanorum secundus Dux fuit THEODERICUS,
Pag. 346. Frederici I. Filius; quem bello cepit Theodericus Metensis Episcopus, S. Cunegundis Imperatricis Frater: ut Sigebertua in gestis anni 1009. narrat. Theodericus, qui circa annum 1020. obiit, genuit *Fredericum* Ducem, & *Adelam* seu Adeladam. Adelada genuit Fulconem & Valeramum, & Filiam unam, quam duxit Henricus Limburgensis, Pater Pagani Aslunensis: ut in S. Arnulfi Genealogia legitur.

III. Theoderico FREDERICUS II. Filius successit, & anno 1033. moriens, reliquit Filias duas, *Beatricem* & *Sophiam*. Beatrix ex Bonifacio Marchione Italiæ genuit Mathildem, Italiæ Marchionissam, quæ virgo manens Godefrido Gibboso Lotharingiæ inferioris Duci primùm, pòst Welsoni Boiariæ Duci nupsit. Sophia ex Ludovico I. Comite de Montbeliard genuit Theodericum Comitem de Montbeliard, Monsson & Bar, Fredericum & Beatricem: ut lib. I. Donat. Belg. cap. 82. docui. Vide suprà pag. 63. & 162.

IV. GOTHILO seu Gozilo Magnus eainde Ducatum superioris & inferioris Lotharingiæ cum Marca Antverpiensi possedit. Libet adnectere verba Sigeberti Gemblacensis. Friderico Mosellanorum Duce mortuo, qui mares Filios non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelo Dux, impetrato ab Imperatore etiam Mosellanorum Ducatu, in Lotharingia potentiùs anno 1034. principatur. Vide suprà pag. 88. & 145.

V. GODEFRIDUS Magnus seu Barbatus, Gothiloni Patri, adhuc viventi, in Ducatu Mosellano suffectus est, juxta Hermannum Contractum, cujus hæc sunt verba: Anno 1044. Gozilo Dux Lotharingorum moriens Goziloni Filio, quamvis Ignavo, Ducatum suum à Rege Henrico promissum, relinquere disposuit. Filius ejus Godefridus jamdudum Dux, cum Ducatum Fratri debitum contra fas à Rege Henrico sibi obtinere nequivisset, jusjurandum fidemque postponens, rebellare Regi præsumit. Anno 1045. Godefridus Dux rebellioni suæ desperans, Regique ad deditionem veniens, in custodiam mittitur. Anno 1045. Henricus Pentecosten Aquisgrani faciens, Godefrido Duci è custodia relaxato, sibique procedenti terrâ-tenus prostrato Ducatum suum misertus reddidit. Fredericus, Frater Henrici Ducis Baioariæ, Dux Lotharingorum, pro Godefridi Fratre Ignavo Gozilone, constituitur. Anno 1047. Godefridus, inter alia quæ contra Regem gessit, Virdunensem Civitatem dolo captam incendit & evertit: cujus Ducatum Adelberto cuidam Henricus Rex tradit. Hactenus ex Contracto. Ceterùm Godefridus Magnus, ab Henrico Imperatore Ducatu Mosellano spoliatus, in Italiam se contulit, & matrimonio sibi junxit *Beatricem*, Frederici II. Ducis Mosellani Filiam, Bonifacii Tusciæ Marchionis viduam. In Galliam demùm reversus, Ducatum Lotharingiæ inferioris ab Imperatore impetravit, & anno 1069. aut 1070. moriens liberos ex N. Priore conjuge reliquit *Godefridum Gibbosum* Lotharingiæ inferioris Ducem, *Idam* Eustathii II. Comitis Boloniensis Conjugem, Godefridi Bullonii Matrem, & N. alteram Filiam cuidam in Germania Comiti nuptam, Hirsaugiæ sepultam: ut Bertoldus anno 1093. tradit. Vide suprà pag. 354.

ADELBERTUS anno 1047. Lotharingiæ Dux ab Henrico Imperatore creatus, & anno 1048. à Godefrido Barbato Duce est interemptus: ut Contractus & Sigebertus testantur. Sunt qui putant hunc Adelbertum esse eumdem cum Alberto II. Comite Namurcensi, Ermengardæ Filio: sed male. VI.

GERARDUS ALSATIUS, Frater Adelberti anno 1048. Adelberto successit, & anno 1070. obiit; teste Sigeberto. Uxorem habuit Hadewidam, Alberti I. Comitis Namurcensis & Ermengardæ Filiam: ex qua Filios reliquit, *Theodericum Strenuum*, suum in Ducatu Mosellano Successorem, & *Gerardum* Comitem de Egisheim: ut suprà lib. I. Diplom. Belgic. cap. 62. & 75. & Lib. I. Donat. Belgic. cap. 64. docui. VII.

THEODERICUS II. cognomento Strenuus, Gerardi Alsatii & Hadewidæ Filius, anno 1075. Henrico IV. Imperatore in bello adfuit contra Saxones, ut Lambertus Scafnaburgensis narrat: Rex venit in Gerstingum: venerunt omnes Teutonici Regni Episcopi & Comites. Aderat Diodericus Dux Mosellæ Regionis; aderat Gozelo (seu Godefridus Gibbosus) Dux Lotharingiæ (inferioris.) Idem Theodericus II. anno 1089. memoratur in Diplomate Metis dato (suprà pag. 164.) quo Henricus IV. Imperator confirmat fundationem Abbatiæ S. Agerici Virdunensis, à Theoderico illius Urbis Episcopo factam. VIII.

Uxor illi fuit *Gertrudis* Roberti Frisii Flandriæ Comitis Filia, Henrici III. Comitis Lovaniensis Vidua. In Archivis Ecclesiæ Collegiatæ S. Deodati in Lotharingia, exstat Diploma Theoderici Ducis Lotharingiæ & Marchionis, datum XIV. Kalendas Aprilis, Indictione VII. anno 1114. in præsentia Filiorum Simonis, Theoderici, Gerardi & Henrici. Ex his Theodericus cognomento Alsatius fuit Comes Flandriæ, Gerardus autem fuit Comes Vademontanus. In Bellæ-Vallis Monasterio, Tullensis Diœcesis, Ordinis S. Benedicti, adservantur Litteræ, anno 1007. à Gerardo Fratre Theoderici II. datæ, hoc initio: Ego Gerardus Comes Vadani-Montis, Filius Domini Gerardi Ducis Lotharingiæ.....

SIMON I. Lotharingiam annis 24 rexit, & die 14. Januarii anno 1139. obiit, sepultus in Bello prato, Ordinis Cisterciensis Cœnobio, quod ejus ævo *Folmarus* Comes Metensis fundarat prope Lunatis Villam, Oppidum Vosagiæ primarium, in Diœcesi Tullensi. Idem Simon Tabulis Ecclesiæ Trajectensis anno 1132. subscripsit. Uxor ipsi fuit *Adeleis*, Lotharii Imperatoris Soror, ex qua Filium sustulit Matthæum. IX.

Duces

Duces Lotharingiæ *superioris*, *sive Duces* Mosellanorum, *itemque Comites* Vademontani *&* Barrenses.

- *Fridericus 954. duxit Beatricem, Hugonis Capeti Franciæ Regis Sororem, fit Dux, 958.*
  - *Theodericus Dux, obiit 1020.*
    - *Fridericus II. Dux, obiit 1033.*
      - *Beatrix Uxor Bonifacii Marchionis Tusciæ.*
        - *Mathildis Uxor Godefridi Gibbosi, 2. Welfonis; obiit sine liberis.*
      - *Sophia Uxor Ludovici I. Comitis de Montbeliard.*
        - *Theodericus Comes de Montbeliard, Monson, Bar.*
          - *Ludovicus II. Comes 1097. in Syria.*
            - *Rainaldus Comes, obiit 1149.*
              - *Rainaldus II. Comes.*
                - *Henricus I. Comes obiit 1193. sine liberis.*
                - *Theobaldus I. Comes, obiit in Syria 1214.*
    - *Adelaida.*
    - *Gerardus de Alsatia 1048. Dux, obiit 1070.*
      - *Theodericus II. Strenuus Dux, obiit 1115.*
        - *Simon I. Dux, obiit 1139.*
          - *Matthæus Dux, obiit 1176.*
            - *Simon II. Dux sine liberis.*
            - *Fridericus Comes de Bitsche.*
              - *Fridericus III. Dux Lotharingiæ, obiit 1214.*
                - *Theobaldus Dux, sine liberis.*
                - *Matthæus II Dux, obiit 1254.*
        - *Theodericus Alsatius Comes Flandriæ, obiit 1168.*
          - *Philippus Comes Flandriæ, obiit in Syria 1191.*
        - *Balduinus.*
        - *Gerardus.*
        - *Henricus.*
      - *Gerardus Comes de Vaudemont genuit Hugonem ex Helwide Nepte S. Leonis IX. Papæ.*
    - *Odelricus.*
  - *Adelbero II Episcopus Metensis.*

X. MATTHÆUS I. Clari-loci Monasterium, Ordinis Cisterciensis, altero milliari à Nanceio construxit, & obiit anno 1163. aut 1176. ibidem conditus. Uxor Juditha, aliis *Bertha*, Frederici Imperatoris Soror fuit: ex qua genuit Simonem suum in Ducatu Successorem, Fredericum Comitem de Bitsche, Matthæum Episcopum Tullensem à quibusdam electum, & Aleidem Comitissam Burgundiæ. His addunt nonnulli Theodericum, electum Metensem Episcopum.

XI. SIMON II. anno 1143. Monasterium Stultzbrunense, Ordinis Cistertiensis, condidit, ibidem posteà sepultus. Uxorem habuit *Idam*, obiitque sine liberis.

XII. FREDERICUS eo nomine tertius, Frederici Comitis de Bitsche Filius, Patruo suo Simoni II. sine liberis defuncto, in Ducatu successit, & anno 1215. decessit. Uxor *Agnes*. Theobaldi Comitis Barrensis ac Briacensis, & Lauretæ Losscensis Filia. Agnetem istam Scriptor Genealogiæ S. Arnulfi vocat Thomascetam seu Thomacellam. Liberi in dicta Genealogia nominantur, Jacobus Metensis Episcopus, Theobaldus & Matthæus Duces, & Regnaldus Comes de Castres.

THEOBALDUS I. Dux Lotharingiæ, & ex parte Uxoris Gertrudis, Comes Metensis & Dagisburgensis, prælio Bovinensi inter Tornacum & Insulas, anno 1214. pro Othone IV. Imperatore pugnans, interfuit, obiitque sine liberis. Gertrudis nupsit posteà Theobaldo III. Comiti Campaniæ. XIII.

Theobaldo Frater MATTHÆUS II. successit. Uxor fuit *Catharina*, Walerami Ducis Limburgensis ac Comitis Luxeburgensis Filia. Matthæus IV. Idus Februarii anno 1250 aut 1254. & Catharina anno 1258. obierunt, sepulti in Monasterio Belli-prati; relicto Filio FREDERICO III. Duce. De quo & aliis Lotharingiæ Mosellanæ Ducibus, ad nostra usque tempora, suis infrà locis dicemus. XIV.

Duces Lotharingiæ *inferioris*, *seu* Brabantiæ.

I. CAROLUS, Ludovici Francorum Regis ex Gerberga Gisleberti Lotharingiæ Ducis Vidua Filius, Lotharii Francorum Regis Frater, anno 977. ab Othone II. Imperatore Dux Lotharingiæ creatus est; teste Sigeberto. Uxor illi fuit *Agnes*, aliis Anna, Heriberti Trecensis Comitis Filia: ex qua nati, *Otho* in Ducatu Lotharingiæ Successor, *Gerberga* Lamberto Comiti Lovaniensi, & *Ermengardis* Alberto Comiti Namurcensi nupta. Ludovico Francorum Rege, Stirpis Carolinæ ultimo, sine liberis anno 987. defuncto, Hugo Capetus Comes Parisiensis Regnum invasit, Carolo ex paterna & avita successione debitum. Quod dum armis repetit, per fraudem 990. à Capeto captus, Aureliæ ad Ligerim in carcere anno 991. obiit. Idem Carolus Bruxellam Aulâ suâ primus nobilitavit, Palatio in Sennæ fl. Insula, haut procul à S. Gangerici Basilica, ædificato. Sacra insuper ossa S. Gudilæ Virginis ex Morsella, Agri Teneræmondani Vico, Bruxellam attulit, & in dicta S. Gangerici Basilica collocavit.

II. OTHO Patri Carolo in Ducatu Lotharingiæ inferioris suffectus, anno 1005. sine liberis obiit. Quapropter Ducatus ejus à S. Henrico Imperatore datus est *Godefrido Improli*, Godefridi Virdunensis Comitis Filio: ut Sigebertus his verbis testatur: Anno 1005. mortuo Othone Duce, Ducatus Lotharingiæ datur Comiti Godefrido, Filio Godefridi Ardennensis. Datus est autem circa annum Christi 1012. interventu Gerardi I. Cameracensis Episcopi: ut ex Balderici Chronico Cameracensi lib. 3. cap. 7. colligitur.

GODEFRIDUS IMPROLIS seu Justus, Godefridi Captivi, Comitis Virdunensis, Filius ex Mathilde Herimanni Saxonum Ducis Filia, Balduini III. Flandriæ Comitis vidua, anno 1023. obiit, nullis relictis liberis; ideoque vulgò Improlis nuncupatur. Obiit, inquam, paulò ante obitum S. Henrici Cæsaris: ut apud Baldericum in Chronico Cameracensi lib. 3. cap. 37. & in Auctario Lipsiano ad Sigeberti Chronicon legitur. Quod nota contra Sigebertum, qui ejus obitum ad annum 1019. refert. III.

GOTHILO seu Gozilo Magnus successit Godefrido Improli, Fratri suo sine prole defuncto. Antequam Dux esset Lotharingiæ inferioris, possedit Marcam Antverpiensem: ut suprà pag. 88. docui. Frederico Mosellanorum Duce anno 1033. sine Filiis mortuo, à Conrado Salico Imperatore, Mosellanum quoque Ducatum impetravit. Anno 1037. die 17. Januarii Odonem Campaniæ Comitem, qui Lotharingiam infestabat, prælio superavit & occidit; Sigeberto teste. Obiit anno 1044. ut Contractus & Sigebertus testantur. Filios reliquit *Godefridum* IV.

Magnum

Magnum seu Barbatum, *Gothilonem Ignavum*, *Fredericum* qui postea fuit Stephanus IX. Papa, *Odam* Baldrico Lovaniensi, & *Regelindem* Alberto II. Namurcensi Comiti nuptam. Vide suprà pag. 354.

V. GOTHILO IGNAVUS, juxta Hermannum Contractum, Patri suo Gothiloni in Ducatu Lotharingiæ inferioris successit, & biennio, hoc est, ab anno 1044. usque ad annum 1046. præfuit. At Sigebertus vult eum in Mosellano Ducatu successisse. Magis tamen placet Contracti opinio, eò quòd Fredericus, Gothilonis Ignavi Successor, in nostra seu inferiore Lotharingia, ut Trudonopoli, Antverpiæ & alibi imperaverit.

VI. FREDERICUS, Adelberonis III. Episcopi Metensis, & Henrici Baioariæ Ducis Frater, Gothiloni Ignavo Successor anno 1046. datur: ut Contractus his verbis testatur. Henricus Imperator anno 1046. Pentecosten Aquisgrani faciens, Godefrido (Magno seu Barbato) Duci è custodia relaxato, sibique procedenti terratenus prostrato Ducatum suum (Lotharingiæ scilicet superioris) miseratus reddidit. Fredericus, Frater Henrici Ducis Baioariæ, Dux Lotharingorum (inferiorum) pro Godefridi Fratre Ignavo Gozilone constituitur.

Fuit autem Fredericus Dux noster sextus ex Familia Comitum Lutzeburgensium, imò & Comes illius Provinciæ, juxta quosdam: ut suprà pag. 346. narravi. Uxorem habuit *Gerbergam* Eustathii I. Comitis Boloniensis Filiam, & ex ea peperit Filiam Mutam seu Jutam, Matrem Henrici Comitis Limburgensis ac Ducis Lotharingiæ inferioris: ut in Genealogia S. Arnulfi legitur. Obiit Fredericus post annum 1067. non relictâ prole masculâ, sepultus Stabuleti, cujus Monasterii fuerat Advocatus.

Vide supra pag. 663. * Quapropter Henricus IV. Imperator Goslariæ existens Godefridum Magnum, ex Italia reducem, Lotharingiæ inferioris Ducem & Monasterii Stabulensis Advocatum constituit: ut ex Berthuldo, Continuatore Contracti, Scafnaburgensi & Sigeberto datur intelligi.

VII. GODEFRIDUS Magnus seu Barbatus secundis nuptiis sibi junxit *Beatricem*, Frederici II. Ducis Mosellani Filiam, Bonifacii Tusciæ Marchionis Viduam. Obiit anno 1070. liberosque ex N. priore Conjuge reliquit *Godefridum Gibbosum*, & *Idam* Eustathii II. Comitis Boloniensis Conjugem, Godefridi Bullonii Matrem.

VIII. GODEFRIDUS GIBBOSUS, Guilielmo Tyrio Strumosus, Patri defuncto successit, præstantis quidem animi adolescens, sed gibbosus, ut Scafnaburgensis loquitur. Is anno 1076. Antverpiæ à sicario confossus est, insidiis, ut putabatur, Roberti Frisii Flandrorum Comitis, Virduni juxta Patrem conditus. Sine liberis moriens Patrimonii sui, ac nominatim ditionis Bulloniensis heredem scripsit *Godefridum*, inde *Bullonium* dictum, Idæ Sororis suæ Filium: ut idem Tyrius Belli sacri Scriptor testatur. Idipsum liquet ex Tabulis ab ipso Godefrido Bullonio anno 1094. in favorem Cellæ S. Petri Bulloniensis datis, quas supra Cod. Donat. Piar. cap. 66. recitavimus.

Godefrido Gibboso Uxor fuit *Mathildis*, Filia Beatricis suprà memoratæ ex Bonifacio Marchione Tusciæ, sed quæ virgo mansit, quæque post obitum Godefridi Gibbosi, secundis nuptiis anno 1089. juncta fuit Welphoni, Welphonis Baioariæ Ducis Filio, Azonis Marchionis Ferrariensis Nepoti, sed intacta, ut anteà: ut Bertholdus & Baronius fusè narrant.

Vide supra pag. 569. Anno 1077. Mathildis varia Tusciæ & Liguriæ Oppida S. Romanæ Ecclesiæ dedit, quæ hodie Patrimonium S. Petri nuncupantur, ac demum anno 1115. è vita decessit: ut Domnizo in ejus vita, & Leo Ostiensis lib. 3. cap. 48. commemorant. Hæc ipsa Mathildis Canonicorum Regularium S. Petri ad Montes Abbatiam juxta *Erie*, in Diœcesi Metensi, fundavit: ut in Chronico magno Belgico legitur.

IX. Godefrido Gibboso sine liberis defuncto, Henricus IV. Imperator Ultrajecti existens Ducatum Lotharingiæ inferioris Filio suo CONRADO, Marcam verò Antverpiensem Godefrido (Bullonio) Gozilonis Ducis Nepoti, Eustathii Comitis Filio, impigro & ad rem militarem acerrimo adolescenti anno 1076. tradidit: ut Scafnaburgensis loquitur.

X. Conrado ad Regnum Italiæ à Patre Henrico IV. Imperatore evecto, idem Imperator anno 1089. Godefrido Bullonio, Godefridi Gibbosi ex Ida Sorore Nepoti, ut Sigebertus loquitur, Ducatum Lotharingiæ inferioris dedit, quem usque ad finem vitæ suæ, unà cum Marcha Antverpiensi, possedit. Idem Godefridus Bullonius Cellam S. Petri, in Municipio Bulloniensi sitam, Monachis Benedictinis à Godefrido Magno, Avo suo materno, traditam, proventibus amplioribus anno 1094. dotavit; Basiensi Ecclesiâ eisdem traditâ. Supra pag. 76.

Est autem Basium, vulgò *Besy*, Vicus Gallo-Brabantiæ ad fluvium Tiliam, haud procul à Villariensi Monachorum Cisterciensium Abbatia: in quo vico natus & enutritus fuit Godefridus Bullonius: ut in Ms. Nivellensi Genealogia Ducum Brabantiæ legitur, utque Traditione velut per manus acceptâ illius loci incolæ narrant.

Antequam in iter versus Terram Sanctam se daret Bullonius, ut expeditionem suam Deo ac S. Michaeli, Militiæ cælestis Principi, commendaret, Antverpiæ Collegium XII. Canonicorum in honorem ejusdem Archangeli instituit ac dotavit. Vide supra pag. 51. Hoc Collegium ex S. Michaelis Templo (petente S. Norberto Ordinis Præmonstratensis conditore) ad Basilicam Marianam anno 1124. translatum, & aliis totidem Canonicis decursu temporis auctum, nunc est Cathedrale. Idem Bullonius pecuniam in usum Belli sacri colligens, *Otberto* Leodicensi Episcopo arcem ac ditionem suam Bulloniensem mille trecentis argenti & tribus auri marcis vendidit; majore sui vendentis, quàm ementis gloriâ. Hanc ipsam arcem ac ditionem hodieque possidet Episcopus Leodicensis, cum titulo Ducis Bulloniensis.

Anno 1096. die 15. Augusti Bullonius iter sacrum aggressus est, cum Balduino Comite Hannoniensi, Hugona Comite S. Pauli, ejusque Filio Engelramo, Rainardo Comite Tullensi, ejusque Fratre Petro, Cunone Comite Montis-acuti, Sororio suo, Henrico & Godefrido Ascanis, Fratribus Brabantis, & aliis plurimis, quos Guilielmus Tyrius & alii enumerant. Præter hos Comites, Familiam habuit regio more instructam. Baldricum & Matthæum illius Dapiferos, Iosfridum & Stabelonem Camerarios, Rothardum poculi Provisorem, Udelradum Consiliarium, Letholdum & Radulfum Milites ejusdem domesticos, idem Tyrius aliique laudant.

Anno 1099. Hierosolyma, belli sacri caput, die XV. Julii, feriâ sextâ, ab Europæis capta est, Godefrido Bullonio omnium primo muros trascendere auso. Exinde Regnum Hierosolymitanum ipsi, cujus potissimùm virtute Urbem captam esse constabat, omnium consensu delatum: quamquam piissimus Princeps nec insigna, nec nomen regium usurpare voluit in ea Urbe, ubi Dei Filium purpurâ indutum, & Regem per ludibrium meminerat appellatum.

Anno 1100. die 19. Julii Jerosolymis obiit, regio more sepultus in Sepulcri Dominici Templo Golgothano: ubi hodieque ejus mausoleum lapide Pario constructum visitur, hâc additâ inscriptione:

Hic jacet inclytus GODEFRIDUS BULION, *qui totam istam terram acquisivit cultui Christiano: cujus anima requiescat in pace.*

Godefrido Bullonio in Syria sine liberis defuncto, XI.
HENRICUS Comes Limburgensis ab Henrico IV. Imperatore anno 1101. in Ducatu Lotharingiæ inferioris & Marca Antverpiensi suffectus est: ut Sigebertus illius temporis Scriptor testatur. Fuit is Filius N. Comitis Limburgensis & Mutæ seu Juthæ, quam Frederici Ducis Lotharingiæ inferioris & Gerbergæ Filiam fuisse diximus.

Henrico Limburgensi ob rebellionem capto, Ducatus XII.
Lotharingiæ inferioris GODEFRIDO BARBATO Comiti Lovaniensi ab eodem Henrico anno 1106. est collatus: teste eodem Sigeberto. Anno 1125. defuncto Henrico Cæsare, Lotharius Saxonum Dux à Germaniæ Principibus electus est Imperator. Huic se *Conradus*, Frederici Suevorum Ducis ex Agnete Filia Henrici IV. Imperatoris Filius, objecit; à nonnullis Germaniæ Proceribus Imperator nuncupatus. Conrado inter alios sese Godefridus Barbatus adjunxerat: quam ob caussam Ducatu à Lothario spoliatus, & *Valeramus* Comes Limburgensis, Henrici Exducis Filius, illo honore est auctus.

VALERAMUS igitur, quamdiu Lotharius vixit, hoc XIII.
est, ferè ad finem usque anni 1137. Lotharingiæ nostræ

Ducatum

Ducatum possedit. Exstat sup. pag 102. Stephani Metensis Episcopi Diploma Averbodiense anno 1126. in quo hujus Walerami Ducis & Marchionis fit mentio. Exinde III. Kalend. Decembris anno 1137. Lothario defuncto, Conradus Imperator Godefrido Barbato anno 1138. Ducatum Lotharingiæ iterum attribuit ac confirmavit. Titulum tamen Ducis, & magnam Arduennæ partem Waleramus ejusque Posteri retinuerunt.

Godefridus porrò Barbatus ex *Ida*, Henrici IV. Imperatoris Filia, liberos sustulit, *Godefridum* suum in Ducatu Successorem, Henricum, Alcidem, Idam & Claritiam: ut suprà pag 671. diximus.

XIV. Barbato successit GODEFRIDUS II. Filius, Lovanii ad D. Perri anno 1143. conditus. Ex *Lutgarde*, Berengarii Comitis Zulzbaceosis Filia, reliquit Filium sibi cognominem ac Successorem, itemque *Albertum* Comitem de Moha & Dagisberg. Albertus porrò Monasterium Vallis S. Mariæ fundavit prope Huum juxta Diploma inferiùs edendum in Supplemento Diplom. ad annum 1210. & Filiam reliquit *Gertrudem*, quæ primùm Theobaldo Lotharingiæ superioris Duci, pòst N. Campaniæ Comiti nupsit, & anno 1234. obiit.

Vide supra pag. 169.

XV. GODEFRIDUS III. *in Cunis* vulgò dictus, Godefridi II. Filius anno 1186. vivere desiit, Lovanii itidem ad D. Petri sepultus. Anno 1180. Hierosolymam se contulit: ut infra in Chronico magno Belgico legitur.

Ex *Margarita*, Henrici Ducis Limburgensis Filia, genuit *Henricum* Successorem, S. *Albertum* Episcopum Leodicensem, & *Aleidem* Othoni IV. Imperatori nuptam. Ex altera Conjuge *Imagina*, Ludovici Comitis Lossensis Filia, procreavit Guilielmum primum Perwesii Dominum, Godefridi Patrem. De priore matrimonio sic legitur in Auctario Affligemiensi, ad Sigeberti Chronicon.

Anno 1155. Godefridus Junior, Dux Lotharingiæ, Margaritam Filiam Henrici Comitis Limburgensis in conjugio sortitus est: per quod tandem rebus omnibus pace compositis, contentio longo tempore protracta, eâ conditione finita est, ut Godefridus confirmatum sibi Ducatum sine ulla contradictione, Advocatiam S. Trudonis, Castellum Rode obtineat. atque omnium, quæ possidet idem Comes, post decessum ejus, medietatem accipiens, hereditario jure Successor fiat. Sicque contentio illa de Ducatu Lotharingiæ inferioris tandem finita fuit, quæ ab anno 1106. inter Lovaniensem & Limburgensem Comites duraverat, mansitque Ducatus penes posteros Godefridi Barbati Comitis Lovaniensis.

Godefrido III. Duci tres ex ordine HENRICI, Pater, Filius, & Nepos successerunt: ex quibus Henricus II. ritulo Lotharingiæ titulum Brabantiæ primus in Diplomatibus adjunxit, hoc est, primus se Lotharingiæ & Brabantiæ Ducem scripsit, cùm ejus Antecessores solus solius Lotharingiæ titulo usi fuissent. XVI.

CAPUT LXXXIII.

ALUISUS *Episcopus Atrebatensis anno* 1141. *benefacit Abbatiæ Canonicorum Regularium Ordinis Præmonstratensis, quæ Castellum Dei nuncupatur, prope Mortaniam, in Diœcesi Atrebatensi.*

EGO (1) ALUISUS, Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

NOVERIT tam præsens ætas, quàm futura posteritas, quòd Altare de *Frasnia* carissimo Fratri nostro Roberto, Abbati de (2) Castello Dei, à nobis traditum, & Privilegio nostro confirmatum, ipso cooperante & concedente, Canonicis Condatensibus sub annuo censu perpetuò tenendum concessimus: eâ ratione, ut unoquoque anno, pro eodem Altari & pro *Audomez* prædicto Abbati & Successoribus ejus, in Festivitate S. Dionysii, triginta & unum solidum persolvant.

IDEM autem Abbas ab eisdem Canonicis Synodalia jura suscipiens, Nobis & Ministris nostris, quia Persona Altaris est, annuatim persolvet, & idoneum Presbyterum communi eorum consilio electum, populo Dei præficiendum, nobis præsentabit, qui de manu nostra Curam suscipiat, & de conversatione sua, sicut canonicum est, Nobis respondeat.

UT autem hanc Pactionis Paginam stabilem manere faciamus, Auctoritatis nostræ Sigillum apposuimus, & præsentium Testium Signa subscribi fecimus.

Signum Lucæ Atrebatensis Archidiaconi.
S. Hugonis Ostrevandiæ Archidiaconi.
S. Petri Præpositi.
S. Absalon Abbatis S. Amandi.
S. Fulconis Hasnoniensis Abbatis.
S. Guarini Abbatis de Casa Dei.
S. Hugonis Abbatis de Monte S. Eligii.
S. Balduini Abbatis de Maerc.

ACTUM Atrebati anno millesimo centesimo quadragesimo primo. 1141.

CAPUT

Additio. (1) ALUISUS successivè è Monacho Bertiniano Audomaropoli, Priore Vedastino Atrebati, & Abbate Aquicinctino juxta Duacum, creatus Episcopus Atrebatensis anno 1131, tertius à restaurata illic Sede Episcopali, vivere desiit in Palestina anno 1143.

(2) CASTELLUM-DEI, vulgò *Chateau l'Abbaie*, ad Scarpum Fluvium apud Mortaniam, secundo à Tornaco lapide, Abbatia est Præmonstratensium sub Diœcesi Atrebatensi, mediocriter dotata.

Canonici Sæculares jam inde ab anno 870. hic fuerant collocati; quibus circa annum 1155. amotis, successêre Canonici Præmonstratenses, Radulpho primo Abbate electo.

Præcipuus Fundator fuit Everardus Radulphus, Mortaniæ seu Mauritaniæ Dominus, ac Castellanus Tornacensis, de cujus Stemmate plura vide supra lib. I. Donat. Belgic. cap. 96. & infra in Chronico Belgico ad annum 1306.

CAPUT LXXXIV.

NICOLAUS *Cameracensis Episcopus, subortas controversias inter Abbatiam S. Joannis Valencenis Ordinis S. Augustini &* * *Prioratum S. Salvii Ordinis Cluniacensis juxta Valencenas, componit ac dirimit anno* 1145.

*Nunc est Abbatia.

NICOLAUS Divinâ miseratione Cameracensis Episcopus.....

CONTROVERSIAM inter Ecclesiam S. Salvii & S. Joannis Abbatiam diu habitam decidentes, Ecclesiæ S. Salvii Possessionis suæ jura, quæ in Parochia S. Gaugerici hactenus tenuerat, auctoritatis nostræ munimento assignamus. Quòd autem antiquitatis argumento, Comitem & servientes suos, Ministeriales quoque, Dapiferum scilicet, Pincernam, Pistorem, Camerarios, & Portarium, Cocum, & Culcitrarum Portitores, (1) duodecim etiam PARES cum domesticis & servientibus, & Canonicos cum Familia sua, Parochianos S. Joannis fuisse collegimus, baptismum & sepulturam, & cetera quæ Parochianis suis necessaria sunt, Ecclesiæ S. Joannis concedimus.

DECRETUM est itaque, ut Parochiani S. Gaugerici, tam in Burgo quàm in Castro Valentianensi commanentes, in baptismate, sepul- Valenciennes. tura, oblationibus, & ceteris quæ Parochialia sunt, ab Ecclesia S. Joannis nullatenus suscipiantur, sed ab Ecclesia S. Gaugerici, sub tutela S. Salvii, irrefragabiliter possideantur.

ACTUM anno millesimo centesimo quadra- 1145. gesimo quinto, Præsulatûs Domini Nicolai XI.

Ego Guerimboldus Cancellarius recensui.

Notatio de XII. Paribus Hannoniæ.

(1) DUODECIM PARES. Ut Regnum Galliæ, sic & Comitatus Hannoniæ à multis retrò seculis Pares XII. habuit: ut ex Diplomate jam producto & aliis liquet. Solent hi XII. Pares, unà cum ipso Comite Hannoniæ, jus dicere & pro tribunali sedere: ut ex tabellis jam olim pictis, & aliis monumentis antiquis constat.

Sic & hodie, si quando graviores Parium aut aliorum Procerum caussæ in Curia Montensi tractentur, ad jus dicendum evocari solent, estque summa illorum auctoritas. Sunt autem hi PARES XII. Hannoniæ,

Dominus de Avesnes, qui nunc est Princeps Chimacensis, ex Familia de Ligne.

Dominus de Chimay, nunc idem Princeps Chimacensis

Dominus de Silly, nunc Marchio de Trazegnies.

Dominus de Longueville, qui nunc est Comes Egmondanus.

Dominus de Baudour, qui nunc est Dux Havræus.

Dominus de Barbanzon, nunc Princeps Barbanzonius, ex Familia de Ligne.

Dominus de Chievre, qui nunc est Dux Havræus, Gallicè de *Hâvré*, ex Gente Croya.

Dominus de Lens, qui nunc est Comes Egmondanus.

Dominus de Reux, nunc Comes de Reux, ex Gente Croya.

Dominus de Rebais qui nunc est Comes Egmondanus.

Dominus de Walincourt, nunc Princeps de Ligne.

Dominus de Quevy, aliàs Petit Kevy, qui nunc est Dux Arschotanus ex Familia de Ligne.

Apud Clarissimum Virum Joannem Jacobum Chiffletium, Medicum Camerarium Regium & Archiducalem, Bruxellæ exstat depicta vetus tabella, in qua repræsentatur Comes Hannoniæ (in medio sedens) cum suis XII. Paribus. Ad dextrum latus sedent Domini de *Avesnes, Silly, Baudour, Chievre, Reux* & *Walincourt*: ad sinistrum Domini de *Chimay, Longueville, Barbanzon, Lens, Rebaix* & *Quevy*.

CAPUT LXXXV.

GODEFRIDUS III. *Brabantiæ Dux dotat Abbatiam Forestanam Monialium Benedictinarum juxta Bruxellam, anno* 1145.

EGo GODEFRIDUS, Dei miseratione Dux & Marchio Lotharingiæ, Ancillas Dei, in Ecclesia Forestensi Deo & S. Mariæ devotè servientes, transitoriæ hereditatis meæ participes facere disposui, quia præfata Ecclesia à me atque Avo & Patre meo libertate donata, tam Sororum numero quàm Religionis testimonio in brevi plurimùm crevit.

VENIENS igitur ad Altare S. Mariæ, cum Matre & magna hominum meorum multitudine, astantibus etiam ejusdem Ecclesiæ Fratribus & Sororibus, quidquid immunitatis seu libertatis Avus & Pater meus jam anteà donaverant, renovando iteravi. Terram quoque Nicolai de Hoeckerche, Curti de Waterlos adjacentem, partim in Filiæ meæ susceptione, partim pecuniæ largitione à Fratribus conquisitam, liberaliter Ecclesiæ contuli. Testes,

Iwanus de Aloft,
Arnulfus de Aldenarden,
Walterus de Tenremonde,
Leonius, & duo Filii ejus Antonius & Leonius,
Arnulfus de Asca,
Walterus & Rabbodo de Crainem,
Walterus de Campenhalt &
Frater ejus Giselbertus Splentre,
Arnulfus Dapifer &
Frater ejus Godefridus,

Renizo de Tildune,
Gerardus de Hildeberch,
Lambertus de Saventem,
Gozuinus de Holthem,
Gozuinus Clutinc,
Gozuinus Clibinck,
Henricus, Pædagogus.
ACTA sunt hæc anno M. C. XLV. Indi- 1145.
ctione VIII.

CAPUT LXXXVI.

THEODORICUS ALSATIUS, *Comes Flandriæ, Laudense Cœnobium, Monachorum Ordinis Cisterciensis, primo lapide ab Insula Flandrorum Emporio, extruit anno* 1147.

Auctum & correctum ex Gal. o Flandria P. Bucellini.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego THEODORICUS Dei gratiâ Flandriæ Comes; NOTUM fieri volo, tam præsentibus, quàm futuris, quòd Monachi de Claravalle emerunt ad opus Ecclesiæ S. Mariæ apud Loz terram Bernardi de Anneckin, quam ipse tenuit in feodo de Petro de Bargas, & idem Petrus eandem terram tenuit de me.

ET ut hoc stabile, & inconvulsum præfatæ Ecclesiæ in perpetuum permaneat, Sigilli mei impressione, & Scripto assignans confirmavi in remissionem peccatorum meorum, & sub testimonio sufficienti.

Signum Rogeri de * Vafrin, &
Petri de Maisnil, &
Hugonis de Loz, &
Derbaldi Fratris ejus, &
Lamberti Filii, &
Joannis Pulchri.

* Alias Wavrin.

ACTUM Insulis anno M. C. XLVII. in Vigilia Pentecostes, dum secundâ vice pergerem ad Sanctam Hierusalem. 1147.

CAPUT LXXXVII.

FOLMARUS *Comes Metensis circa annum* 1150. *fundat Bellum-pratum, Abbatiam Monachorum Ordinis Cisterciensis, prope Lunaris-villam, Oppidum Vosagiæ Primarium.*

EGO (1) STEPHANUS, Dei gratiâ Metensis Episcopus, manifesto generationi quæ nunc est, & futuræ, quòd Folmarus Comes Metensis construxit Abbatiam Monachorum Cistertiensis Ordinis in Banno de *Mortasine*, quod vocatur Bellum-pratum.......

EGO FOLMARUS Comes de Castello, & Comitissa Mathildis, Mater Uxoris meæ, notum facimus, quòd N. dedit Ecclesiæ Belli-prati....

DATUM anno millesimo centesimo sexagesimo primo. 1161.

HOc ipsum Monasterium Belli prati Gerardus illo nomine secundus Comes Wadonis-montis, Hugonis I. & Annæ Lotharingiæ Filius, anno 1169. Hugo & Odo, Gerardi II. Filii, anno 1186. Simon Dux Lotharingiæ anno 1179 & 1183. Ludovicus Comes de Salcreina anno 1185. Bruno Dominus de Roserus, ejusque Filius Albericus anno 1194. & Philippus Dominus de Gerbeuvillers anno 1225. dotarunt.

(1) STEPHANUS Metensis Episcopus, Theoderici I. Comitis de Montbeliard, Monsson & Bar Filius, anno 1164. obiit, sepultus Metis in choro Cathedrali.

Donationes nostras Belgicas lib. I. cap. 71. & 82. consule.

Additio.

Anno 1710. in hanc Abbatiam introducta fuit strictior observantia Regulæ Cisterciensis, secundùm Statuta Abbatiarum Trappensis in Gallia, & Aureæ-vallensis in Ducatu Luxemburgensi.

Quin imo, hortatu & beneficentiâ Serenissimi Principis Leopoldi Ducis Lotharingiæ, advocati fuère ex Aurea-valle duodecim Monachi, ut cæptam Reformationem promoverent. Ceterum celebris est hic locus ob Sepulturas variorum Ducum Lotharingiæ, aliorumque Nobilium.

CAPUT LXXXVIII.

FREDERICUS I. *Imperator Possessiones & Privilegia Stabulensis Abbatiæ Ordinis S. Benedicti confirmat, anno* 1152.

FREDERICUS Divinâ favente clementiâ Romanorum Rex.... QUIDQUID Ecclesia Stabulensis munificentiâ Regum aut Imperatorum largitione obtinuit, tam in fundis, quàm Ecclesiis, sicut hactenus possedit, sive illa quæ deinceps justis modis obtinere poterit, immobiliter ei confirmamus, & præcipuè Villam *Tourinnes*, quam Godefridus Namurcensis Comes quondam invaserat, sed à supradicto Abbate, in præsentia Prædecessoris & Patrui nostri Romanorum Regis Conradi, in Curia Coloniæ celebrata, proclamatus, judicio Principum & maximè Salicorum, in manus ejusdem Regis Conradi reddidit, & refutavit, quam

quam & ipse Rex in manu dicti Abbatis, per Privilegii sui Paginam, ad usus Fratrum delegavit.

Villam quoque *Vilippam* tempore Imperatoris Henrici injustè ablatam supradicto Monasterio reddimus; Villam etiam *Sprimont* cum Ecclesia & decimationibus & terris ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, sicut Dux Fredericus Ecclesiæ tradidit in perpetuum.

Vide supra pag. 608.

Vulgò Banlieue.

Adjicientes hoc ad libertatem Banni leugæ & Opidi Stabulensis, ut nullus Dux aut Marchio, nullus Comes aut Vice-Comes, nulla sæcularis vel Ecclesiastica Persona in omnibus locis, quæ intra terminos ipsius banni leugæ, aut in Opido Stabulensi continentur, aliquam potestatem, justitiam sive judicium exerceat, nulla persona quæ ibidem habitet, alium quàm Abbatem Dominum habeat, nec pro imparibus nuptiis, aut pro sanguinis effusione, vel pro defuncta manu alii nisi Abbati respondeat.

Percussuram quoque monetæ & teloneum, & publicas nundinas in Opido Stabulensi, sicut à Prædecessoribus nostris, ita & à nostra munificentia & à Successoribus nostris Regibus sive Imperatoribus lege in perpetuum valiturâ.....

Et ut inconvulsum per omnia tempora maneat, Præceptum hoc conscribi, & Sigillo nostro insigniri præcepimus, manuque propriâ corroboravimus.

Huic etiam nostræ Confirmationi Testes adhibuimus, quorum nomina hæc sunt:

Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus.
Helinus Trevirensis Archiepiscopus.
Henricus Leodiensis Episcopus.
Fredericus Monasteriensis Episcopus.
Otto Frisingensis Episcopus.
Ortlenus Basiliensis Episcopus.
Henricus Constantiensis Episcopus.
Albertus Marchio de Brandenborgh.
Henricus Dux Saxoniæ.
Matthæus Dux superioris Lotharingiæ.
Henricus Namurcensis Comes.
Gosuinus de Falconis-monte.
Henricus Comes de Limbourg, &
Frater ejus Gerardus.
Conradus de Dalem, & alii quàm plures.

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Henrici Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo, Indictione XV. regnante Frederico Romanorum Rege. 1152.

Data Aquisgrani VII. Idus Martii.

CAPUT LXXXIX.

Theodericus Alsatius *Comes Flandriæ, & Sibilla Uxor ejus benefaciunt anno* 1152. *Abbatiæ Laudensi Ordinis Cisterciensis à se fundatæ.*

Correctum juxta Documenta Abbatiæ Laudensis.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

Ego Theodericus Dei gratiâ Flandriæ Comes, & Sibilla Comitissa, videntes omnem sæculi nitorem in seipsum deficere, & fine molesto concludi, nobis & nostris, Deo aspirante, in salutem prospeximus.

Ecclesiæ namque & Abbatiæ de Los, Clarevallensis Ordinis, terram, quam Walterus de Duremort de nobis tenuit, de Galtero verò Stephanus de Primeka, prece Stephani & salute nostrâ compulsi, sub censu duorum solidorum in perpetuum possidendam, & alias etiam terras, quas in præsenti possident, liberè possidendas annuimus.

Hanc etiam libertatem Ecclesiæ donavimus, ut Monachi in ea Deo servientes ita propriæ custodiæ nostræ & tutelæ addicti sint, ut nulla secularis persona in aliquid eorum, quæ in Comitatu nostro vel possident, vel in futurum possessuri sunt, ullam potestatem habeat.

Præterea hoc dignitatis privilegium Conventui prænominatæ Ecclesiæ concessimus, ut de quocunque negotio cum eis & seculari quolibet agatur, tantùm in præsentia personæ, quæ Flandriæ præerit, responsuri veniant.

Quod ne quâ futurorum adversitate impossiturari valeat, Sigilli nostri testimonio corroboravimus, & subscriptorum Baronum testimonio,

Philippi Filii nostri,
R. Brugensis Præpositi,
R. Brugensis Castellani,
Roberti de Templo,
Gisleberti Dapiferi,
Rogeri de Wafrin, &
Eustacii Camerarii.

Actum est hoc anno M. C. LII. 1152.

Datum per manum Gateri Capellani & Notarii.

CAPUT XC.

Aliud ejusdem THEODERICI *Comitis Diploma in favorem ejusdem Abbatiæ Laudensis, anno* 1152.

Correctum ex Archivis Abbatiæ Laudensis.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen.

EGO THEODORICUS Dei gratiâ Comes Flandriæ, & SIBILLA Comitissa notum fieri volumus, tam futuris quàm præsentibus, quod quandam terram jacentem in loco qui dicitur Loz, in qua Ecclesia ipsius loci sita est, quæ Nobis singulis annis quinque modios tritici & septem raserias reddidit, præfatæ Ecclesiæ inibique Fratribus Deo famulantibus pro salute animarum nostrarum & parentum nostrorum, libertate donavimus.

Ut igitur hoc Donum ratum & indivulsum in perpetuum permaneat, Sigilli nostri corroboravimus Testimonio. Testes interfuerunt,

Gerhardus Tornacensis Episcopus,
Rogerus Brugensis Præpositus,
Desiderius Insulensis Præpositus,
Robertus Tornacensis Præpositus,
Hugo Abbas S. Amandi,
Walterus Abbas S. Martini Tornacensis,
Matthæus Casletensis Præpositus,
Robertus Abbas S. Nicolai Tornacensis,
Reinaldus Insulensis Castellanus,
Stephanus de Landast,
Philippus de Siclin,
Lambertus Filius Richeri,
Hugo de Hulmo,
Eustachius Camerarius,
Hugo de Englos,
Reinerus Monetarius,
Ego Walterus Cappellanus & scripsi, & subscripsi.

ACTUM est hoc Insulis, anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo secundo, in Aula Comitis. 1152.

CAPUT XCI.

LUDOVICUS *Comes Lossensis, declarat se electum fuisse Advocatum Abbatiæ Averbodiensis, Ordinis Præmonstratensis, ad limites Ditionum Brabanticæ ac Leodicensis, anno* 1155.

Additio ex Historia Comitatûs Lossensis.

IN nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.

EGO Ludovicus Dei patientiâ Comes Lonensium, notum facio præsentibus & futuris, quod Walterus Decanus sancti Gereonis, & frater ejus Hubertus, libertatis suæ prædium, quod possidebant in Eicke, quæ supra Mosam est, cum familia ad ipsum pertinente, & omnibus appendiciis ejus, tacti spiritu timoris Dei, Ecclesiæ Averbodiensi legaverunt, observatâ Salicæ Legis omni cautelâ.

IDEM verò Walterus Arnulfum de Diest, hominem liberum, Advocatum suum faciens, donationem prædii sui per ipsum ad me pertulit, ut sub defensione & introductione mea Ecclesia illud usu caperet. Introduxi itaque Abbatem Andream in possessionem, & jurisdictioni ejus ex integro supposui.

CUM autem careret Advocato idem prædium, causâ pacis & amplioris tutelæ, elegit me Ecclesia Averbodiensis in Advocatum, determinato certo redditu pro Advocatia, per annos singulos sex solidos videlicet, quod de manu Abbatis vel Magistri, qui loco præerit, Minister meus accipiet, & perferet ad me.

ERIT verò tam ipsum prædium, quàm familia collatâ cum prædio, liberum ab omni Advocatorum exactione, sive imprecaria, vel angaria, vel placitis, vel hospitiis. Æstimationem bonorum defuncti non consequentur ab heredibus vel à maritandis, nihil ab iis qui defunguntur ab uxoribus expediti.

URGENTE autem necessitate adductus ad placitum, tertium inde consequar denarium, & nihil ampliùs. Hoc ergo ut illibatum apud posteros meos permaneat, præsentia scripta sigilli mei impressione communio, ne res acta vacillet.

TESTES sunt:
Arnoldus de Diest,
Arnoldus de Kesninck,
Godefridus de Materberg,
Cono de Diepenbeck,
Conrardus de Aubertinghe.

ACTA sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo, centesimo, quinquagesimo 1155.
quinto, Indictione III. concurrente XV. Epacta V. regnante Imperatore nostro Frederico.

Notatio

Notatio de Comitibus Lossensibus *in Diœcesi Leodicensi.*

OTTO Comes Lossensis, ut quidam volunt, Filios reliquit *Gislebertum* Comitem Lossensem sine liberis defunctum, & *Baldricum* Episcopum Leodicensem, qui S. Jacobi Monasterium in ea Urbe fundavit, & anno 1017. decessit.

Post Gislebertum ARNULFUS Comitatum Lossensem tenuit, qui ex Lemgarde Flandrensi, Conjuge sua, prolem non sustulit, & anno 1014. moriens Comitatum Lossensem Ecclesiæ Leodicensi, hortante Baldrico Episcopo, Cognato suo, legavit: ut Anselmus rerum Leodicensium Scriptor cap. 59. & 62 commemorat.

ARNULFI Frater aut Cognatus fuit *Hermannus*, Archidiaconus & Canonicus Ecclesiæ S. Lamberti Leodicensis, qui in honorem SS. Petri & Pauli & S. Odulphi Collegium septem Canonicorum in oppido * Lossensi fundavit, & in medio choro ibidem conditus jacet. Nisi fallor, hunc ipsum Comitatum Lossensem seu Hasbaniensem anno 1040. suprà pag. 264. Henricus III. Niger Imp. Nithardo Leodicensi Episcopo donavit. Anno 1067. OTTO Comes Lossensis floruit, qui Tabulas Stabulenses, suprà pag 663. productas, signavit.

* Borchloon

I. Anno 1086. ARNOLDUS sive Arnulfus vixit, qui dictum Comitatum in feudum ab Ecclesia Leodicensi acceptum tenuit: ut rerum Leodicensium Scriptores tradunt. Idem cum Fratre suo Theoderico anno 1101. Andennense Diploma signavit; fitque ejusdem mentio in Diplomate Laubiensi ejusdem anni, suprà pag. 369. & 674.

ARNOLDUS, Arnoldi sive Arnulfi Filius, anno 1119. Diploma Antverpiense signavit, & anno 1135. Averbodium, Ord. Præmonstratensis Abbatiam, fundavit. II.

LUDOVICUS, Arnoldi filius, anno 1146. Antverpiensi, & anno 1165. Heinsbergensi Diplomati subscripsit, & circa annum 1170. obiit, in Lossensis oppidi Begginagio conditus. Ex Ermensinde, Domina de Reneke, Gerardi & Helvidis de Castris Filia, genuit Gerardum Comitem Lossensem, Lauretam Theobaldo Comiti Barrensi, Imaginam Godefrido III. Brabantiæ Duci, & N. Alberto Comiti de *Muha*, nuptas. III.

GERARDUS Comes Lossensis Cœnobium Herkenrodense Monialibus Cisterciensibus ædificavit, anno 1170. contra Radulfum Episcopum Leodicensem bellum gessit, in Syria item militavit, & anno 1191. decessit. Duas habuit conjuges, Adelheidem Gelrensem, & N. Filiam Godefridi Brabantiæ Ducis. Genuit Ludovicum Comitem Lossensem, Henricum, Gerardum & Arnulfum. IV. Vide inferius Supplementum Dipl.

LUDOVICUS Comes Lossensis anno 1201. duxit Adam Theoderici Hollandiæ Comitis Filiam secundò genitam, & pro Comitatu Hollandiæ diu certavit, obiitque 1218. sine Liberis. Idem anno 1202. Comitatum suum Lossensem S. Lamberto tradidit, eumque in feudum ab Hugone Episcopo Leodicensi accepit: ut Joannes Presbyter tom. 2. cap. 22. Rerum Leodicensium fusè narrat. V.

Arnoldus sive Arnulfus Comes Lossensis, 1086. 1101.
- *Arnoldus Comes Lossensis 1135. fundavit Averbodium.*
  - *Ludovicus Comes Lossensis duxit Ermensindem, vixit 1146. 1165.*
    - *Gerardus Comes Lossensis 1170. fundat Herkenrodam, obiit 1188.*
      - *Ludovicus Comes Lossensis 1200. duxit Adam, obiit 1218. sine liberis.*
      - *Henricus.*
      - *Gerardus.*
      - *Arnulfus Comes Lossensis.*
        - *Arnulfus Comes Lossensis duxit heredem Ludovici Comitis de Chiny, & genuit Joannem Comitem; infra ad annum 1296.*

Theodericus 1101.

VI. ARNULFUS Ludovici Frater & heres genuit Arnulfum Comitem Lossensem, qui duxit Joannam Filiam heredem Ludovici Comitis de Chiny, Domini de Agimont & Givet. Ex ea nati, *Joannes* Comes Lossensis, *Ludovicus* Comes Chiniacensis, Dominus de Agimont & Givet, sine liberis defunctus, *Arnulfus* Episcopus Catalaunensis. N. Filia primùm Domino Falcoburgensi, post Vornensi apud Zelandos nupta, *Juliana* Uxor Walteri Domini de Kievrain & Amblise, & *Isabella* Uxor Thomæ de Coucy, Domini de Vervin.

Comites Chiniacenses.

VII. JOANNES Comes Lossensis ex N. Comitis Juliacensis Filia genuit *Arnulfum* Comitem Lossensem & Chiniacensem, *Theodericum* Heinsbergæ Dominum jure uxorio, & *Joannem* Dominum de Agimont, in obsidione Brixiensi 1310. cæsum.

VIII. ARNULFUS Anno 1296. Hasletense Augustinianorum Monasterium dotavit. * Ex Margarita Conjuge genuit *Ludovicum* Comitem Lossensem & Chimacensem, *Arnoldum*, & *Mariam* Uxorem Godefridi Heinsbergæ Domini.

* Vide infrà ad annum 1296

IX. LUDOVICUS, Arnulfi Filius, utriusque Comitatûs heres, anno 1336. moriens ex Joanna de Blamont, aliàs Blankenberg, unicam reliquit Filiam *Margaritam*, Joannis Lotharingiæ Ducis Conjugem, quæ anno 1372. sine liberis decessit, in Aureæ Vallis Monasterio condita.

Ludovico anno 1336. sine prole mascula defuncto, THEODERICUS Heinsbergæ Dominus, Godefridi & Mariæ Filius, Comitatum Lossensem occupavit; ut Joannes Presbyter lib. 2. Hist. Leod. cap. 22. fusè narrat. Filios reliquit *Theodericum*, & *Joannem* Heinsbergæ ac Dalembronci Dominum, & N. Uxorem Arnoldi Domini de Rummis propè Distemium. X.

THEODERICUS, favente Adolfo Marcano Leodicensi Episcopo, cujus Sororem duxerat, Comitatum Lossensem possedit. Anno 1361. non relictâ prole moriens (nam Filius ejus Godefridus anno præcedente sine Liberis decesserat) heredem scripsit Fratrem suum JOANNEM Heinsbergæ Dominum, qui jus suum Sororio suo Arnoldo Domino de Rummis vendidit. XI.

ARNOLDUS post varia prælia in ordinem redactus, demum Engelberto Marcano Leodicensi Episcopo Comitatum Lossensem, acceptâ ingenti pecuniæ summâ, cessit; mansitque is deinceps penes Ecclesiam Leodicensem. Comitatum porrò Chiniacensem, post obitum Margaritæ Ludovici Filiæ, Carolus IV. Imp. Fratri suo Wenceslao Duci Luxeburgensi anno 1372. dedit, mansitque ab eo tempore unitus cum Ducatu Luxeburgensi.

CAPUT

CAPUT XCII.

NIVELLENSES CANONICÆ *alodium Loverolense concedunt Monachis Altimontensibus Ordinis S. Benedicti sub annuo censu, anno* 1158.

EGo Oda Abbatissa, totusque Nivellensis Conventus Ecclesiæ, tam præsentibus quàm futuris.

IN pago Haynoënsi adjacet allodium *Loveroles* nuncupatum, Altimontensi Monasterio contiguum. Hoc allodium in jus perpetuum nostra Nivellensis possidebat Ecclesia: sed quia locus erat desertus, rara vel nulla inde consequebatur commoda.

ALTIMONTENSIS igitur Monasterii Fratres, aspicientes hunc locum, quamvis desertum, sibi tamen vicinum, suisque usibus necessarium & aptum, convenerunt frequenter nos, expetentes à nobis sibi concedi locum prædictum, ut illum excolerent, & exinde singulis annis nostræ Ecclesiæ censum aliquem determinatum persolverent.

TANDEM adquiescentes, concessimus prædictum allodium, Altare etiam & Ecclesiam, quæ & nostri juris erant; ut hæc omnia prædicti Altimontensis Monasterii Fratres à nostra Ecclesia censualiter & sub tutela nostræ tenerent Ecclesiæ, pro allodio persolventes singulis annis XVI. Kalendas Aprilis, sex libras Valencenienfis monetæ.

HUJUS rei Testes sunt subscripti:

Signum Evrardi Præpositi,
S. Gerbergæ Præpositæ,
Evrardi Decani,
Egerici Custodis,
Segardi,
Gerardi, Presbyterorum,
Gosuini,
Nicolai,
Stephani, Diaconorum;
Arnulphi,
Gisleberti,
Goselini, Subdiaconorum;
Hascetæ,
Adelhedis,
Gertrudis,
Idæ,
Item Idæ,
Bertæ,
Item Bertæ,
Margaretæ,
Methæ,
Mathildis,
Item Gertrudis,
Hacuindis, Sororum Ecclesiæ;
Radulphi Cameracensis Archidiaconi,
Igerici Abbatis S. Gisleni,
Theodorici Condatensis Decani.

ACTUM est hoc solenniter in Nivellensi Capitulo, anno millesimo centesimo quinqua- 1158
gesimo octavo, Indictione VI. concurrente secundâ Epactâ.... Frederico Imperatore regnante, Godefrido Duce Lovaniensi juniore, Henrico Leodiensi Episcopo.

CLAREMBALDUS Dei gratiâ Abbas dictus Altimontis, & Conventus Fratrum ejusdem loci, cultoribus justitiæ notitiam veritatis. Est allodium quoddam S. Gertrudis, *Loveroles* dictum, Altimontensi territorio contiguum, quod quia situ erat à Nivellensi Ecclesia remotum, minùs ei videbatur proficuum.

NOS autem .... ut suprà.

CAPUT XCIII.

ROGERUS DE LANDAST *Ecclesiæ Cisoniensis Ord. Canonic. Regularium (cujus erat Advocatus) jura coram Metropolitano recognoscit, anno* 1159.

EGo Sampson divinâ miseratione Remorum Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, universis Ecclesiæ Filiis.

MEMORABILIBUS litteris mandari decrevimus, quo pacto Rogerus de Landast, Ecclesiæ Cisoniensis tunc temporis Advocatus, jura ejusdem Ecclesiæ in his quæ subscripta sunt coram nobis recognoverit, præsentibus venerabilibus Fratribus nostris & Coëpiscopis, Balduino Noviomensi, Godescalco Atrebatensi; Abbatibus etiam Martino S. Vedasti, Gossuino Aquicinctensi, Fulcone Hasnoniensi, Fulberto Aroasiensi, Bulduino Maricolensi, Hemfrido Phalopinensi; Clericis quoque & Militibus quàm plurimis....

Signum Balduini Noviomensis Episcopi,
Godescalci Atrebatensis Episcopi,
Martini Abbatis S. Vedasti, & aliorum.

ACTUM Remis anno millesimo centesimo 1159
quinquagesimo nono, Indictione octavâ, Epactâ nonâ, regnante Ludovico Rege Francorum anno vicesimo secundo, Archiepiscopatûs nostri decimo nono.

ROBERTUS Cancellarius recognovit, & subscripsit.

CAPUT

CAPUT XCIV.

GUALTERUS *Dominus Avesnensis benefacit Monasterio Lætiensi Ordinis S. Benedicti in Hannonia, circa annum* 1160.

NOTUM sit tam præsentibus quàm futuris, quòd Dominus GUALTERUS de Avesnis Lætias veniens, coram Altari S. Lamberti duo molendina de *Estruen* in eleëmosynam Ecclesiæ Lætiensi dedit.

EGO igitur Nicolaus Cameracensis Episcopus, huic operi bono favens, illud sigilli nostri attestatione & munitione tamquam ratum & firmum corroboro.

Notatio de Lætiensis *Ecclesiæ initiis ac progressu.*

Liessies. LÆtiensis Ecclesiæ initia circa annum 751. debentur Wigberto Comiti & Adæ Uxori ejus: quorum Filia *S. Hiltrudis* Virgo, Tabulis Martyrologii Romani 27. Septembris adscripta, & anno 1006. è terra ab Erluino Cameracensi Episcopo levata, atque in loculo decenter posita, ibidem quiescit. Benedictinos porrò Monachos, amotis Clericis, in dicta Lætiensi Ecclesia *Galcherus* Cameracensis Episcopus anno Christi 1095. Pontificatûs sui
1095. primo, collocavit: petente *Theoderico* Domino Avesnensi, & *Ada* ejus Conjuge. Galcheri Successores, in his Manasses anno 1103. Odo anno 1111. & 1112. id ratum esse voluerunt.

Ceterùm Monasterii Lætiensis conditores habentur dictus Theodericus & Uxor ejus Ada de Roucy, Hilduini Comitis Rociensis Filia: ut Hermannus Monachus in Historia Ecclesiæ Laudunensis ante annos quingentos scripta testatur; ex qua Andreas Quercetanus in Genealogia Familiæ Castellionensis lib. 2. cap. 6. hæc recitat.

Rouci. Hildwinus Comes Rociensis duxit Adeladem, germanam Manassæ Remorum Archiepiscopi, ex qua genuit Ebalum Comitem de Roucy, & Andream Comitem de Rameru, septemque Filias. Harum unam nomine *Felicem* duxit Sanctius Rex Aragonensis, & ex ea genuit Hildefonsum Regem, qui Cæsaraugustam & alias Urbes plurimas paganis abstulit. Secundam (nomine Beatricem) duxit Rotholdus Comes Perticensis. Tertia nomine Margareta nupsit Hugoni Comiti Claromontensi. de qua genitus est Rainaldus Comes, qui ex Adelada Veromandensi Comitissa genuit Margaretam, Conjugem Caroli boni Flandrensium Comitis. Quarta nomine *Ermentrudis* nupsit Theobaldo Comiti de Rusnel in Hispania. Quintam nomine *Adam* duxit Godefridus de Guisia, & ex ea genuit Guidonem, Patrem Burchardi. Defuncto autem Godefrido, eadem Ada accepit maritum Walterum de Ath. Quo mortuo accepit tertium maritum Theodericum de Avesnis, & cum eo exstruxit Cœnobium, quod dicitur de Lessiis, in propria possessione sua. Defunctoque eodem Theoderico, ipsa se ex toto contulit eidem Cœnobio, ubi pluribus annis religiosè vivens defuncta & (*juxta maritum*) sepulta est. Sextam duxit Ernulfus Comes de Warem, qui genuit Othonem Comitem de Chisni, qui Otho genuit Aubertum, qui Aubertus genuit Aubertum Comitem, & Ernulfum Episcopum de Verdun. Septimam nomine *Adeladam* duxit Nobilissimus Princeps in Burgundia nomine Falco de Vir vel de Serrata, de qua genuit Bartholomæum Episcopum Laudunensem, & Ermentrudem Uxorem Henrici Comitis de Grandi-prato. *Hactenus ex Hermanni Ms. Historia Laudunensi.*

FASTRADUS, Theoderici & Adæ Roucìensis Filius, ex Richilde Walterum cognomento Pulchrum, Avesnarum & Lutosæ in Hannonia Dominum, & Everardum Tornacensem, suprà pag 71. memoratum, genuit.

Nicolaus Dominus Avesnensis duxit Mathildem Filiam Henrici Namurcensis, Comitis Rupensis in Arduenna.

Jacobus Dominus de Avesnes, Leuse, Condé, Landrecies & Trelon, ad Bellum sacrum cum Brabantis & aliis Belgis profectus, Silvensem Urbem in Lusitania anno 1188. Mauris eripuit, & anno 1191. apud Assur contra Turcos fortissimè pugnans cecidit: ut Guilielmus Neubrigensis lib. 4. cap. 21. & Vitriacus cap. 98. & 99. narrant.

Joannes Avesnensis, Joannis Filius, Burchardi & Margaritæ Constantinopolitanæ, Flandrorum & Hannoniensium Comitissæ, Nepos, Hannoniæ Comes, Cartusiam Valentianensem in Hannonia anno 1288. fundavit.

Domini Avesnenses *in Hannonia.*

- *Wedericus Dominus de Avesnes & Leuse, 1066. pag. 66.*
  - *Theodericus Dominus Avesnensis duxit Adam de Roucy, Lætiis Monachos collocavit 1095 ob. sine lib.*
  - *Gerardus in Syria ob. 1079. sine liberis.*
  - *Ada, aliàs Ida, Uxor Fastradi de Oisy, Advocati Tornacensis 1038.*
    - *Gosuinus de Oisy, 1112. 1117. Dominus Avesnensis & Advocatus Tornacensis ob. sine liberis suprà pag. 678.*
    - *Fastradus II. duxit Richildem.*
      - *Walterus Pulcher Dominus Avesnensis, Advocatus Tornacensis 1164. duxit Idam Filiam Everardi Domini Mortaniæ, Castellani Tornacensis.*
        - *Theodericus II. Dominus Mortaniæ duxit Alidem Filiam Balduini II. Comitis Hannoniæ, pag. 415.*
          - *Everardus Radulfus Dominus Mortaniæ Castellanus Tornacensis 1155. Mortaniæ Abbatiam fundat ob. 1180 p. 696*
        - *Nicolaus Dominus Avesnensis duxit Mathildem Namurcensem, 1180.*
          - *Jacobus Dominus Avesnensis duxit Amelinam filiam heredem Buchardi Domini Guisæ, obiit in Syria 1191.*
            - *Walterus II. Dominus Avesnensis duxit Margaritam Comitissam Blesensem.*
              - *Theobaldus sine liberis.*
              - *Maria Uxor Hugonis Comitis S. Pauli.*
            - *Buchardus adhæsit Margaritæ Constantinopolitanæ.*
              - *Joannes, obiit 1255.*
                - *Joannes Comes Hannoniæ.*
              - *Balduinus Dominus Bellimontis 1267.*
                - *Beatrix Uxor Henrici Comitis Luxeburgensis*
            - *Guido obiit 1219. sine lib.*
            - *Mathildis Ux. Nicolai Domini de Ruminy.*
          - *Ida Uxor Guilielmi Castellani Audomarensis 1186.*
            - *Guilielmus Castellanus Audomarensis 1186.*
          - *N. Uxor N. de Popinelle.*
          - *N. Uxor Ingeranni Comitis S. Pauli p. 704.*
            - *Walterus.*
            - *Matthæus.*
            - *Ægidius.*
        - *Gosuinus Advocatus Tornacensis Dominus de Flamengeries*
        - *Everardus Episcopus Tornacensis 1172.*
        - *Petronilla Uxor Joannis Advocati Cisoniensis pag. 686.*
      - *Everardus.*

CAPUT XCV.

INGERRANNUS II. *Comes S. Pauli Sponsam sibi obtinet N. Filiam Nicolai Domini Avesuensis, circa annum* 1160.

EGo Theodoricus Flandrensis Comes, & Philippus Filius meus, notum facimus tam præsentibus quàm futuris Curiæ Flandrensis Baronibus negotium Ingerranni Comitis S. Pauli, & Nicolai de Avesnis, in præsentia nostra consummatum....

INGERRANNO & NICOLAO cum amicis & proximis suis apud *Fares* in nostro conspectu convenientibus, Ingerrannus, consilio & curâ Rogeri, Dapiferi Flandriarum, Filiam Nicolai obtinuit in Sponsam sibi: cui totum *Busciy* & appenditia ejus, & *Duisans* totum, & terram suam de *Imblingeen*, cum appendiciis ejus, in dotem concessit. Ita quod dotem nominatam in manu mea & Filii mei posuit: de qua Filia Nicolai hominium Nobis fecit, & eam de manu nostra suscepit.

Et quoque prædictæ dotali terrâ investitæ homines ejusdem terræ hominium pro debito fecerunt, & fidelitatem juraverunt, Joannes de Buscoy, Hugo Filius Erinnæ, & omnes alii.

HUIC actioni adstitimus, & quòd illibata permaneret, Ego & Filius meus plegiæ fuimus. Hoc ipse Ingerrannus & Frater ejus Guido, fide & juramento astricti, se observaturos polliciti sunt.

HOMINES quoque Ingerranni fide & juramento plegias se interposuerunt, videlicet Balduinus de Grivilla, Adam Kieret, Eustatius d'Esraines, Eustatius de Longnes.

PRÆTEREA adfuerunt Testes & plegiæ,
Castellanus Insulensis,
Castellanus Duacensis,
Ilbertus de Tarenti,
Simon de Oisy,
Robertus Advocatus Bethuniæ.

Quadringenti ferè Milites seriem rei expositæ viderunt & audierunt, & nullo contradicente, unanimitatis assensum tribuerunt, & prætaxatæ veritati, si opus fuerit, testimonium perhibere possunt.

Notatio de Comitibus S. Pauli, ex Familia Candentis avenæ, vulgò Candavene, *aliis Campi avenæ.*

I. ROGERIUS Comes S. Pauli circa annum 1038. Collegium Canonicorum in Oppido S Pauli apud Artesios fundavit, & anno 1039 Diploma Falempinense suprà pag. 54. & Winnocibergense anno 1067. pag 513. signavit.

HUGO, Rogerii Filius, ex Clementia (post nupta Arnulfo Ardæ Domino) genuit Guidonem Comitem Sancti Pauli sine liberis defunctum, & Hugonem II. Comitem. II.

- *Hugo, Rogeris Filius, Comes S. Pauli, duxit Clementiam.*
  - *Guido Comes S. Pauli, obiit sine liberis.*
  - *Hugo II. Candavina Comes S. Pauli in Syriam 1096 ivit; duxit Elsendem, 2. Margaritam.*
    - *Ex 1. Ingerrannus Comes S Pauli, obiit in Syria sine liberis.*
    - *Hugo III. Comes S Pauli 1137 Cervicampi Abbatiam fundat; duxit Beatricem.*
      - *Ingerrannus II Comes S Pauli 1145. duxit Filiam Nicolai Domini Avesnensis, obiit sine liberis.*
      - *Anselmus Comes S. Pauli 1151 duxit Eustachiam, obiit 1174.*
        - *Hugo IV Comes S. Pauli 1203. duxit Iolam Filiam Balduini Comitis Hannoniæ.*
          - *Elisabeth heres 1196 nupsit Galchero III. Domino de Chastillon.*
          - *Eustachia uxor Joannis de Nesle Castellani Brugensis.*
        - *Ingerrannus genuit Hugonem Dominum de Beauval. 1223.*
        - *Guido Senescallus Pontivi.*
        - *Beatrix Uxor Joannis Comitis Pontivi.*
      - *Guido duxit Mathildem Filiam Jaberti de Dourlens.*
    - *Beatrix Uxor Roberti Domini de Boves.*
    - *Ex 2. Radulfus.*
    - *Guido.*

III. HUGO II. Comes S. Pauli, cognomento Candens avena, *Candavene*, anno 1096. cum Godefrido Bullonio in Syriam ivit. Duxit primò Elsendem, secundo Margaritam, Rainaldi Claromontani apud Bellovacos Comitis Filiam, Caroli Boni Flandriæ Comitis Viduam, quæ tertiò nupsit Balduino de Encre.

IV. HUGO III. Cervicampum, aliis Caricampum, *Chercamp*, Abbatiam Monachorum Ordinis Cisterciensis in Diœcesi olim Morinensi, nunc Bolonensi, circa annum 1137. fundavit. Idem aliud insuper insigne Monasterium *Ursi-campi*, vulgò *Orcamp*, Religiosorum Cisterciensium in Diœcesi Noviomensi condidit. Obiit 1142, in Cervicampo sepultus cum Uxore.

HUGO IV. Comes S. Pauli expeditioni Constantinopolitanæ cum Balduino Flandriæ Comite anno 1204 interfuit: ut Gofridus de Villa-Harduini fusè narrat. Idem cum Philippo Alsatio Flandriæ Comite in Syria anno 1190. militavit. V.

CAPUT

CAPUT XCVI.

PHILIPPUS ALSATIUS *Flandriæ Comes Bergensi Monasterio S. Winnoci Ord. S. Benedicti benefacit* 1165.

Vide pag. 382.

EGo PHILIPPUS, Dei gratiâ Comes Flandriæ, libertatem illam, quam Comes Carolus quondam Ecclesiæ B. Winnoci tradidit & confirmavit, precibus Walteri Abbatis præfatæ Ecclesiæ annuens, concessi iteratò, & Sigilli mei impressione corroboravi.

IPSA itaque libertas hunc habet modum. Abbas Hermes Ecclesiæ Bergensis adversùs Froulfum querelam movit; quam terminare volens, Seniores Castellaniæ præfatus Comes Carolus convocavit, Folcrammum de Prato, Ulricum Filium Ingelinæ, Bernoldum Spretum, Reingerum de Sintonis, Everardum de Coudekerca, Theobaldum Filium Dodonii.

HI ergo per juramentum commoniti, concorditer responderunt, totam illam terram, in cujus australi & occidentali parte Monasterium S. Winnoci situm est, & antiquum Burgum, & salinas in Sintonis, quas Grenas dicunt, habitantes in iis locis, & omnia quæ per manus Comitum S. Winnoco collata sunt, ita libera esse debere, ut soli Abbati de omnibus forisfactis & emendationibus respondeant: excepto raptu mulierum, & adustione domorum, & si per Scabinos comprobari possint, forum vel Ecclesiam pugnando perturbasse. (1) Hospites verò Ecclesiæ Hospitibus Comitis in omni lege & consuetudine ita pares esse dixerunt, ut nec in exercitum vadant, nisi per Abbatis nuntium moniti, quando Comitis Hospites per nuntium ejus moniti iverint.

UNDE & Abbas Rumoldus, quem quidam præfatorum Virorum noverant, Comiti Balduino & Successoribus à singulis Hospitibus Ecclesiæ S. Winnoci sex denarios annuatim dari constituit: per quem videlicet censum ipsos tamquam suos Comes contra omnem molestiam & inquietudinem Castellani vel Ministrorum ejus tueri debeat & manutenere.

PORRÒ denarii præscripti non Ministerialium scilicet Comitis esse proprii debeant: (2) Ministeriales quippe ante tempus hujus pactionis non pauciores vaccas, quàm posteà, coquinæ Comitis præparabunt.

SICUT ergò testimonio præfatorum Virorum determinata sunt, in præsentia prænominati Caroli Comitis, ita Ego Philippus, Dei gratiâ Flandriæ Comes, S. Winnoco perpetuâ libertate possidenda contrado; & hujus Donationis meæ Paginam Sigilli mei auctoritate confirmo.

ACTA sunt hæc anno millesimo centesimo 1165.
sexagesimo quinto, apud S. Audomarum, in Nativitate Domini, in Curia soleoni. Testes, Desiderius Præpositus de Insula, Haket Decanus de Brugis, Eustathius Camerarius, Walterus de Locris, Willelmus Morrant, Segerus de Someringem, & Gerardus Frater ejus, Simon de Tetingem, Alanus de Ipra, Hugo de Stenis, Christianus de Mares.

(1) HOSPITES Ecclesiæ S. Winnoci, hoc est, qui terras Abbatiæ S. Winnoci-Bergensis inhabitant aut colunt. Vide infrà ad annum 1183. & 1225. de Hospitibus Ecclesiæ S. Donatiani Brugensis.

(2) MINISTERIALES... Coquinæ Comitis. Ex his colligi datur. Ministeriales hereditarios Flandriæ, quos hodie Officiarios vocant, olim pro Comitis Flandriæ culina aliquot vaccas aut boves annis singulis aluisse. Ex his Ministerialibus fuerent, Camerarius, Senescallus, Dapifer & Pincerna seu Buticularius.

CAPUT XCVII.

Idem PHILIPPUS ALSATIUS, *Loënse Cœnobium Canonicorum Regularium in Diœcesi Iprensi, dotat anno* 1166. *&* 1177.

EGo PHILIPPUS, Dei gratiâ Comes Flandriæ, notum esse volo tam futuris quàm præsentibus, quòd Ecclesiæ B. Petri de *Lo* illam partem terræ, quæ vulgo dicitur *Mor*, quæ est inter Mor Ecclesiæ S. Vedasti Eversamensis, & aquam illam quam vulgus nominat *Hanakin-Leed*, totam in perpetuum liberè possidendam donaverim.

VIAM etiam illam, quæ circa Claustrum Ecclesiæ jacuit, per quam Grevelenses transire solebant, quam Pater meus & Ego obstrui fecimus, eidem Ecclesiæ obtinendam concedo.

QUOD ut ratum sit, scripto commendare curavi, & Sigilli mei impressione confirmavi coram his Testibus;

Desiderio Præposito Insulensi,
Roberto Præposito Ariensi,
Haketo Decano Brugensi,
Lamberto Notario,
Eustachio Camerario,
Galtero de Locra,
Henrico de Moesteda,
Sigero de Somrighem,
Galtero Gonel, & aliis multis.

Actum hoc anno millesimo centesimo sexa- 1166.

gesimo

gesimo sexto, Dominicâ ante Nativitatem S. Mariæ, Malcæ in nova Ecclesia Comitis.

Ego PHILIPPUS Flandriæ & Viromandiæ Comes, notum esse volo omnibus, quòd dedi in eleëmosynam Canonicis de *Loo* XX. solidos, singulis annis accipiendos Furnis, in Dominica Palmarum, ex officio Leonii Notarii. De istis verò denariis statui, ut solummodo procurentur vinum & panis, ad conficiendum Sacrificium Altaris.

NE igitur in posterum hæc eleëmosyna possit ab aliquo infringi, sigilli mei auctoritate eam confirmari præcepi, anno Domini millesimo 1177. centesimo septuagesimo septimo.

CAPUT XCVIII.

HUGO III. *Dux Burgundiæ anno* 1172. *fundat Capellam Divionensem, & Canonicos X. in ea constituit ac dotat.*

EGO HUGO Dux Burgundiæ notum volo esse præsentibus & futuris, quoniam Jerosolymam proficiscens, præ nimia maris turbatione & imminentis periculi acerbitate, tam ego quàm omnes qui in navigio erant, graviter perterriti fuimus. Ea propter votum faciens, Deo promisi, me constructurum, in mea Dijon. Curte apud Divionem, Ecclesiam in honorem sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & B. Joannis Evangelistæ.

UNDE factum est, ut in reditu meo Romam veniens, quod voveram, per manum bonæ memoriæ Alexandri Summi Pontificis, Deo obtuli, & auctoritate Apostolicâ, quemadmodum in autentico scripto, quod ab eo impetravi, continetur, confirmari feci.

CUM autem rediissem gratiâ Dei, convocatis amicis meis, decem Clericos, pro remedio animæ meæ, & Prædecessorum Successorumque meorum salute, Deo in perpetuum servituros, apud Divionem institui, quibus, laudante *Aalide* Uxore meâ, & *Odone* primogenito meo, in eadem Villa in proprios usus reditus assignavi.

Ut verò iidem Capellani mei de mensa mea & domo esse manifestiùs cognoscantur, in festis annalibus, id est, in Nativitate Domini, in Pascha, in Pentecoste, in omnium Sanctorum, si Dux vel Ducissa Divione fuerint, accipient de expensa Curiæ, tamquam commensales Ducis, in perpetuum duos solidos pro coquina, vel æquivalens.

Oblationes omnes & beneficia Capellæ Ducis & Ducissæ, ubicumque sint, apud Divionem, ex integro ipsorum erunt, nec Capellanus Ducis vel Ducissæ in eis quidquam habebit, nisi jure Canonicatûs, & non jure Capellaniæ. Siquidem nec Dux nec Ducissa Capellanum habebit, nisi Decanum Capellæ, vel aliquem de Canonicis ipsius. Qui videlicet Decanus, vice Domini Papæ, curam animæ Ducis & animæ Ducissæ debet habere, sicut in præsenti habet curam animæ meæ Nicolaus Capellanus meus & Decanus Capellæ, quam curam ipse à Domino Papa Alexandro sumpsit.

QUONIAM igitur Ecclesiam istam, ad honorem Dei & tutamen animarum Ducum Burgundiæ, & ad illustrationem Domûs illorum non dubito pertinere, ipsam tamquam Ducatûs caput & turrim salutis Ducum cupio erigere.

Unde statuo, & Posteritati meæ in salutem suam mando, ut quàm citò quis dominium Ducatûs susceperit, statim tamquam felix operum suorum initium adeat Ecclesiam suam, consortium spirituale Canonicorum suorum recipiat, fidelitatem ei & Statuta præsentis scripturæ se servaturum juret; singulos Canonicos, in signum Fraternitatis, in osculo sancto recipiat, tam illos quàm res illorum in speciale tutamen amplectens.

HOC ipsum Ducissa quoque in initio promotionis suæ, cùm venerit Divionem, faciat: ut à sancto & pio opere incipientes, cætera agenda, auctore Domino, deinceps prosperè succedant.

UT autem hoc in posterum ratum habeatur, præsentem Paginam sigilli mei, & sigilli Odonis Primogeniti mei impressione feci muniri. Testes sunt,

Odo Filius meus Primogenitus, cujus laude hoc totum factum est,
Maria venerabilis quondam Ducissa Burgundiæ, Mater mea,
Aymo de Divione,
Willermus de Orgeolo, milites:
Item Bartholomæus Cambellanus meus,
Rainaldus de Edua Burgensis:
De Presbyteris,
Magister Nicolaus Capellanus meus & Capellæ Decanus,
Vibertus,
Magister Hugo,
Magister Guido Malus panis,
Magister Richardus Diaconus.

ACTUM est hoc anno millesimo centesimo 1172. septuagesimo secundo.

ROBERTO Duce Burgundionum obeunte, quem suprà retulimus, AINRICI Regis fuisse Fratrem, Filio quoque ipsius Ainrico ante obitum Patris mortuo, Filius ipsius Ainrici *Hugo* Ducatum Burgundiæ suscepit. Quo facto Monacho post aliquot annos, Principatum ipsius Frater ejus *Odo* obtinuit.

REX autem Andefonsus quàm strenuus in armis fuerit, quoties Saracenos præliando fuderit, quot expeditiones in eos egerit, non ibi describere decrevimus. Qui etiam Toletum, maximam Urbem eorum, suo subjugavit imperio, magnam suæ habitationis partem eis auferens.

HIC Filiam Roberti Ducis Burgundionum duxit in Uxorem nomine *Constantiam*, de qua suscepit filiam, quam

quam in matrimonium dedit Raimundo Comiti, qui Comitatum trans Ararim tenebat. Alteram Fliam, sed non ex conjugali thoro natam, *Aimrico* uni Filiorum Filii ejusdem Ducis Roberti dedit: hosque ambos in ipsis finibus Hispaniæ contra Agarenorum collocavit imperium. Hactenus ex Fragmento Historiæ Francorum à Roberto Rege usque ad Philippi I. Regis obitum, quod Pithœus edidit.

Burgundiæ Duces ex Familia Capetica : *de qua pag. 659. 660.*

HUGO Capetus, anno 987. Francorum Rex coronatus, liberos reliquit Robertum in regno Successorem, & Adeleidem, Rainaldi Comitis Autissiodorensis & Nivernensis Uxorem. Robertus Rex Filios habuit, Hugonem, Henricum I. Regem, & Robertum Burgundiæ Ducem, anno 1075. defunctum.

I. ROBERTUS I. Burgundiæ Dux ex Helia de Semur, aliis Ermengarde, sustulit *Hugonem* anno 1057. defunctum, *Henricum*, *Robertum* Siciliæ Comitem ex parte Uxoris, *Simonem*, *Constantiam* primùm Hugoni Comiti de *Chalon sur Saone*, post Alfonso VI. Castellæ & Legionis Regi anno 1080. nuptam, Urracæ, dictorum regnorum heredis, ex Marito posteriore Matrem, & *Aldeardim* Uxorem tertiam Guidonis Godefridi, dicti Guilielmi VII. Ducis Aquitaniæ Comitisque Pictaviensis, qui anno 1086. obiit.

II. HENRICUS, Roberti I. Ducis Filius, ante Patrem circa annum 1067. decessit, & ex Sibylla, Rainaldi Burgundiæ Comitis Filia, sustulit *Hugonem I.* Burgundiæ Ducem, qui post Uxoris Jolentæ Nivernensis obitum Monachus Cluniaci 1092. obiit; *Odonem* Fratris in Ducatu successorem; *Robertum* Episcopum Lingonensem, post Monachum Molismensem, S. Brunonis discipulum; *Henricum* Comitem Portugalliæ, ductâ Tereslâ, Alfonsi VI. suprà laudati Castellæ Regis Filiâ naturali; & *Rainaldum* Abbatem Flaviniacensem.

III. ODO I. cognomento Borrellus, Burgundiæ Dux, Cistertiensis Archimonasterii Fundator, in Syria anno 1102. decessit, Cistertii sepultus. Ex Mathilde Rainaldi II. Burgundiæ Comitis suprà pag. 645. laudati filia (quæ post Mariti excessum Monacham in Fonte Ebraldi induit) sustulit *Hugonem II.* suum in Principatu successorem, *Henricum* Monachum Cistertii 1136. defunctum, & *Adeleidem*, aliis Adelam aut Helam, primùm Raimundo Tripolis Comiti, Raimundi Comitis Tolosani Filio, post Guilielmo Talvasio Comiti Pontivi nuptam: quibus nonnulli adjungunt *Florinam* in Syria defunctam.

HUGO II. Pacificus anno 1142. juxta Patrem Cistertii voluit sepeliri. Ex Mathilde Liberos decem procreavit, *Odonem II.* Ducem, *Raimundum*, *Hugonem Rufum*, *Robertum* Episcopum Augustodunensem, *Henricum* A. Lugdunensem, Cistertii conditum, *Gualterum* Episcopum Lingonensem, *Sibyllam* Rogerio Siciliæ Regi, *Mathildem* Guilielmo Montis Pessulani Domino, *Aigelinam* Gerardo I. Wadonis montis Comiti, nuptas, & *Aremburgam* Monialem. IV.

ODO II. Burgundiæ Dux ex Maria Theobaldi Campaniæ Comitis Filia genuit Hugonem III. Ducem. Obiit 1162. Cistertii conditus. V.

HUGO III. sacræ Capellæ Divionensis Conditor in Syriam anno 1171. ivit, teste Tyrio lib. 20. & Roberto Montensi: quorum alter Henricum, alter Odonem non rectè nuncupat. Prior illi conjux fuit Alidis seu Adela, Matthæi I. Lotharingiæ Mosellanæ Ducis Filia: ex qua nati, *Odo III.* Dux & *Alexander*: à quo posteriore stirpem trahunt Domini de Montago, Couches & Sombernon. Posterior Conjux fuit Beatrix Comitissa de Vienne & Albon, ex qua natus Andreas Delphinus, Comes Viennensis & Alboneosis, & Mathildis Uxor Joannis Comitis de Chalon. VI.

- *Robertus I. Burgundiæ Dux, Roberti Regis Franciæ Filius, Hugonis Capeti Nepos, obiit 1075.*
  - *Hugo, obiit 1057.*
  - *Henricus, obiit 1067.*
    - *Hugo I. Dux obiit Monachus 1092.*
    - *Odo I. Dux Cistertii Conditor, obiit 1102.*
      - *Hugo II. Dux, obiit 1142.*
        - *Hugo III. Dux, obiit 1192, Tyri.*
          - *Odo III. Dux, obiit 1218.*
      - *Henricus.*
      - *Alidis.*
      - *Florina.*
    - *Robertus Episcopus.*
    - *Henricus duxit Teresiam Filiam naturalem Alfonsi VI. Regis Castellæ.*
      - *Alfonsus I. Rex Portugalliæ.*
        - *Sanctius Rex.*
          - *Alfonsus II. Rex Portugalliæ.*
    - *Rainaldus.*
  - *Robertus Comes Siciliæ.*
  - *Simon.*
  - *Constantia Uxor Alfonsi VI. Regis Castellæ, obiit 1092.*
    - *Urraca Castellæ Regina nupsit Raimundo Filio Guilielmi II. Burgundiæ Comitis.*
      - *Alfonsus VII. Rex Castellæ & Galleciæ.*
  - *Aldeardis.*

Idem Dux Hugo III. Gauchero Episcopo Lingonensi anno 1178. Comitatum Lingonensem dedit. In Syriam secundò profectus, cum Philippo Augusto Francorum Rege, obsidioni Aconensi anno 1191. interfuit; teste Sanuto. Obiit Tyri 1192. sepultus Cistertii.

VII. ODO III. duxit primò Mathildem, aliàs Teresiam, Alfonsi Regis Portugalliæ Filiam, Philippi Alsati Flandriæ Comitis, in Syria ad Aconem anno 1191. defuncti Viduam; secundò Aleidem Guidonis Domini de Vergy Filiam. Anno 1209. contra Albigenses militavit, & obiit 1218. conditus Cistertii.

VIII. HUGO IV. Odonis III. Filius ex Jolenta, Roberti Comitis de Dreux Filia, genuit *Odonem* Mathildis Comitissæ Nivernensis & Antisiodorensis Maritum, *Joannem* Agnetis Dominæ Borbonii Maritum, *Robertum II.* Burgundiæ Ducem, *Aleidem* Henrici III. Brabantiæ Ducis Conjugem, & Margaritam. Excessit è vita 1272.

IX. ROBERTUS II. Burgundiæ Dux & Thessalonicæ Rex titularis, obiit 1309. Cistertii humatus. Ex Agnete, S. Ludovici Regis Filia reliquit *Hugonem* V. & *Odonem* IV. Duces Burgundiæ, Joannem, Ludovicum, Blancam, Margaritam, Joannam Philippi Valesii Conjugem, & Mariam.

Hugo V. Dux anno 1315. cælebs obiit. X.

ODO IV. anno 1316. duxit Joannam de Francia, Comitatûs Burgundiæ, Artesiæ & Salinarum heredem; ex qua genuit *Philippum*, ante Patrem anno 1346. defunctum, & Cistertii conditum. Philippus porrò, Artesiæ Comes cùm esset, anno 1338. Joannam Guilielmi Boloniæ & Arverniæ Comitis Filiam heredem sibi junxit, & ex ea reliquit PHILIPPUM Ducem Burgundiæ, Comitem Artesiæ, Boloniæ, Arverniæ, & Burgundiæ Palatinum, Dominum Salinarum, qui anno 1361. cælebs decessit. XI. XII.

Ducatus itaque Burgundiæ cessit Joanni Franciæ Regi, Filio Joannæ Burgundæ, quæ fuit Odonis IV. Ducis Soror. Is anno 1363. eundem Ducatum *Philippo Audaci*, Filio suo quartò genito, dedit. Audaci *Joannes Intrepidus*, huic

huic *Philippus Bonus*, illi *Carolus Audax* ex ordine succesſerunt. Caroli Filiam unicam & heredem Mariam matrimonio ſibi copulavit Maximilianus Auſtriacus, Frederici III. Imperatoris Filius. *Hæc ex Clariſſimi Viri Andreæ Quercetani, inter Scriptores Genealogicos facilè principis, Burgundia hauſimus.*

CAPUT XCIX.

ALEXANDER II. *Pontifex fundationem Sacræ Capellæ Divionenſis approbat, anno* 1172.

ALEXANDER Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio, Nobili Viro Hugoni Duci Burgundiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Petitionibus Nobilium & potentum Virorum, quæ rationi & honeſtati noſcuntur inniti, animo Nos convenit placido condeſcendere, & eas libenter & efficaciter exaudire; ut ad Eccleſiarum commodum & profectum ferventiùs accendantur, cùm in eorum juſtis petitionibus ab Apoſtolica Sede facilè ſe noverint exaudiri.

INDE eſt, quòd devotionis fervore, & inſtantiâ tuæ petitionis inducti, fundum quem apud Divionem pro Eccleſia, & Officiis ejus ædificandis, Beato Petro ac Nobis liberaliter obtuliſti, in jus & proprietatem noſtram & Eccleſiæ Romanæ recipimus, & ibidem Eccleſiam conſtruendi, quæ ſoli Romano Pontifici debeat reſpondere, tibi facultatem & licentiam indulgemus. Auctoritate Apoſtolicâ prohibentes, ne cui Epiſcopo vel aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ liceat quidquam juris ſibi in eadem Eccleſia, vel Clericis eidem Eccleſiæ ſervientibus, vendicare.

DATUM Tuſculi, VI. Idus Novembris.

Additio. DIvio, ſeu Divionum, vulgò *Dijon*, Civitas Galliæ populoſa & celebris, primaria Ducatûs Burgundiæ, in Diœceſi Lingonenſi, olim pertinuit ad Philippum Bonum & Carolum Audacem, Principes Belgii noſtri, è Familia Burgundicâ.

Sunt illic duæ inſignes Abbatiæ, una S. Benigni Canonicorum Regularium, de qua ſupra pag. 351. altera S. Stephani, nunc ſæcularis. Præcipuè celebratur Divio per Capellam Sacram ab Hugone III. pro decem Canonicis fundatam anno 1172. quorum numerus auctus dein fuit uſque ad XXIV. Præeſt Decanus ſeu Cuſtos, & ſubeſt Capitulum immediatè Sedi Apoſtolicæ.

Eſt quoque honorabilis hæc Capella, ob Sacram atque Miraculoſam Hoſtiam, hodièque notatam guttis ſanguineis, quæ olim manârunt, dum eam ſacrilegus quidam Judæus, pluribus cultri ictibus confodiſſet.

Hoc ſacrum pignus ab Eugenio IV. Pontifice è Theſauro Eccleſiæ Romanę adeptus eſt anno 1430. Philippus Bonus Burgundiæ Dux atque Belgarum Princeps, ac dono dedit Sacræ Capellę Divionenſi, ubi cum ſumma populi veneratione, plurimorumque Regum ac Principum pretioſiſſimis donariis aſſervatur; feſtivitate annuâ translationis recurrente in Dominicam infrà Octavam Corporis Domini. Diploma Pontificium ſequetur in Supplemento ad Diplomata Miræi.

Demùm notatu dignum, fuiſſe anno 1433. Comitia Ordinis Aurei Velleris, in memorata Capella, ubi Dux Philippus Bonus octo novos Equites creavit, ad celebranda Natalitia Filii ſui Caroli Comitis Caroleſii, quem tunc etiam primo ætatis ſuæ menſe inter eoſdem Equites retulit.

Notandum quoque hîc venit, plures in Galliis eſſe *Capellas Sacras*, ſic dictas ob pretioſum Reliquiarum Theſaurum, qui ibibi aſſervatur.

Nam præter Divionenſem, de qua hoc Diplomate actum fuit, celebris eſt quoque Sacra Capella Pariſiis juxta Aulam, ubi pretioſiſſimus aſſervatur Theſaurus Reliquiarum à Sancto Ludovico Rege è Paleſtina allatus. Canonicis præeſt Theſaurarius, cui ritu Epiſcopali licet ſacris operari.

Alia eſt Sacra Capella in Caſtro Regio Vincennarum juxta Pariſios, ubi ſeptem ſunt Canonici cum Theſaurario & Cantore; alia etiam Biturici, in qua ſunt Canonici XII. totidemque Vicarii.

CAPUT C.

EVERARDUS, *Vir Nobilis, benefacit Capitulo Anderlechtenſi juxta Bruxellam, anno* 1172.

Correctum & auctum ex Archivis Capituli Anderlechtenſis.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Quoniam dicta & facta hominum ex facili elabuntur memoria, niſi ſcripto memoriali poſterorum excitetur notitia, neceſſarium duxi ſcripto committere, quod Ego EVERARDUS curtillum Allodii mei in Anderlecht Domino Lamberto in eadem Villa Canonico, omni eo jure quo ipſe tenui, liberè vendidi, & cum Uxore mea *Heldegarde*, & Filiis meis Theodorico, Galtero, Henrico, & Filia mea Claricia huic facto conſentientibus, publicè in Eccleſia reſignavi.

PRÆTACTUS verò Canonicus Lambertus, ob perpetuam anniverſarii ſui obſervationem, eumdem curtillum Canonicis ejuſdem Eccleſiæ, poſt obitum ſuum, perpetuo jure tradidit poſſidendum. Unde ne qua in poſterum poſſit oriri calumnia, Nobilium & ignobilium non prætermiſſo teſtimonio, Filios meos Teſtes adhibui, & ejuſdem Eccleſiæ Sigilli impreſſione confirmari diligentiùs impetravi.

SIGNA Canonicorum,
Alberti, Lamberti de Watermala,
Giſelberti, Ulrici, Henrici, Sacerdotum.
Subdiaconorum Joannis, Sigeri.
S. Domini Waltheri, S. Oliverii.

SIGNA

SIGNA Militum, Desiderii, Arnoldi de Oppem, Theodorici, Wetherici, S. Walteri, Gozuini.

ACTUM est hoc publicè in Anderlectensi Ecclesia anno M.C.LXXII. regnante glorioso Imperatore Frederico, Duce Lovaniæ Godefrido, & Henrico Filio ejusdem inclyto, & Alardo Cameracensi Episcopo. 1172.

CAPUT CI.

Abbatiæ Floreffiensi raditur circa annum 1173. Ecclesia Postulensis, quæ nunc est Abbatia Canonicorum Regularium Ordinis Præmonstratensis in Campania Brabantiæ & Diœcesi Buscoducensi.

NOtum sit Christi Fidelibus, quod Dominus *Fastradus de Vutwicht* tertiam partem prædii, in quo Ecclesia in *Postelo* fundata est in honore Dei Genitricis Mariæ, Floreffiensi Ecclesiæ dedit. Posteà idem Fastradus habitum Religionis induit; & tertiam partem prædii Ecclesiæ de *Roselo* Cœnobio, quod est in Postelo, dedit: & ut ratum haberetur, primus Abbas de *Ostbruch*, cujus prænominatus Fastradus obediens fuit, testimonio Sigilli sui confirmavit, & protectioni Leodiensis Episcopi Alberonis commisit. Aliàs Reusel.

SEXTAM verò partem Allodii de Roselo & Jus Patronatûs Arnoldus, cognomen habens *Brabent*, communi consilio Filiorum suorum, Berneri, Ottonis, Arnoldi, Ecclesiæ prædictæ dedit, & omne jus quod in prædicto prædio habuit, resignavit, & jure civili Dominus Walterus Bertoldus suscepit. Et ut omnium heredum succedentium querela cessaret, prænominatus Arnoldus Filiam suam *Ivettam* sponsam Christi in prædicto Cœnobio fecit, & prædium idem, in dotem Ecclesiæ & Filiæ dedit.

ALIAM sextam partem ejusdem prædii Nobilis Matrona Berta de *Blartehim*, consensu Filiæ suæ Billæ, & illius Filiæ Filiorum consensu, quorum unus erat Alardus Comes de Megena, alter Theodoricus, tertius Rogerus Scademule, qui omnes juri suo renuntiantes proprietatem prædii, quod est in Blartehim, resignaverunt, & Engelbertus de Bavele suscepit coram multis Testibus, & Rogerus Scademule, in plenum testimonium renuntiationis, à Fratre Rodulfo, pro emendo cultello, in Bremith Ecclesiâ suscepit. Meghem.

UTQUE hæc omnia rata habeantur, Domina Billa, & ejusdem Filia, in præsentia Fratrum & Sororem in Postulo, jus hereditatis & proprietatis in Altari Deo obtulerunt.

ALIAM sextam partem prædii Domina Didradis de *Rieslel*, omnium consensu Filiorum, Henrici videlicet & Balduini, & Filiæ Sibyliæ, prædictæ Ecclesiæ dedit. Acta sunt hæc teste Domino Anselmo de Dil, & testimonio Huberberti cognomento *Cocre*, & Wigeri qui *Blanc* dicitur, & multorum aliorum.

1173. ANNO Incarnationis Dominicæ M.C.LXXIII. Hermannus Abbas Floreffiensis allodium, quod est in *Elmeth*, à Domino de Herlarh empturus, conventionem fecit; hoc fine clausit, ut pro XX. & VIII. marcis Dominus Theodoricus omne jus Advocatiæ suæ, & proprietatem illius Allodii resignaret, & Postulensi Ecclesiæ conferret.

ET Dominus Abbas interseruit, ut Dominus Theodoricus pro eodem pretio omnem interpellationem querelæ suæ de Allodio Postulensi postponeret, & Sororem suam & omnes coheredes successioni hujus hereditatis renuntiare faceret.

HANC conventionem à Domino Abbate inchoatam Frater Rudolfus consummavit, & XXVIII. marcas Domino Theodorico dedit: Dominus verò Theodoricus jus Advocatiæ suæ, proprietatem totius Allodii de Elmet, & omnem querelam terrarum, quas sibi, ut ipse dicebat, pro sexta parte totius Allodii de Postulo vindicabat, exfestucavit, in manus Domini Walteri Bertholdi, & Domini Henrici Advocati de Molle resignavit, in Dominium & proprietatem Ecclesiæ de Postulo tradidit, & Fratres ejusdem loci in possessionem misit.

IN hac conventione & compositione Testes extiterunt,

Henricus de Breda,
Theodoricus de Altena,
Gerardus de Buestel,
& Frater suus Wilhelmus,
Arnoldus de Hosden,
Herbertus de Hese, & alii quam plures.

Post obitum verò Matris Domini Theodorici, quæ vocabatur *Udehilt*, Soror præfati Theodorici, & Vir ejus Florentius de Worne, in judicium & consilium dividendæ hereditatis convenerunt.

DOMINUS Theodoricus, quia ratum habuit quod fide datâ & Ministerialium suorum, Brusteni videlicet & Theodorici Stempel & Amilii, fide interpositâ promiserat, pro recompensatione venditæ hereditatis, Allodium quod est *Gerdingen*, & in Villâ quæ dicitur *Bastwilre*, Sorori suæ & illius heredibus dedit.

HIS omnibus ita peractis, Ecclesia Postulensis possessionem suam quiete possedit. Qui hæc rationabiliter gesta infregerit, anathema sit.

NOVERINT etiam præsentes & futuri, quod Verungus & Vorelinus, Fratres, mansum unum, in quo Domus nostra *Versele* primò ædificata est, Ecclesiæ Postulensi contulerint, & omnem proprietatem XII. jurnalium in manus Sigeberti

Sigeberti de Gestele, ad usum ejusdem Ecclesiæ, pro tribus marcis & dimidia resignaverint.

Domina Bela de Hapert VI. jurnales in *Versele*, quartam partem decimæ in *Riccasterle* Ecclesiæ Postulensi contulit, cùm Filia ejus Gerberga habitum Religionis indueret.

Quartam quoque partem decimæ in *Bladele*, & agros de quibus XII. solidi & IV. denarii Davertrenses solvuntur, & sylvam quæ eis adjacet, nobilis quædam Matrona Berta de Brecte, æquali potestate utilitatis & dominii, cum Domino Wilhelmo de Uctene possedit. Hæc videlicet Berta Monialis in *Euven*, & Domini Huberti Tungerlensis Abbatis obediens facta, partem suam, id est, medietatem prædicti allodii Ecclesiæ Tungerlensi dedit.

Dominus verò Hubertus Tungerlensis Abbas, ut in utiliores usus sibi verteret, partem Ecclesiæ suæ datam pro X. marcis Ecclesiæ Postulensi vendidit, & Fratres ejusdem loci in possessionem misit.

Dominus Wilhelmus de Uctene aliam medietatem prædicti allodii de Bladel pro X. marcis eidem Ecclesiæ Postulensi vendidit, & in manus Domini Hermanni & Fratris sui Udonis de *Alpheim*, ad usus præfatæ Ecclesiæ, resignavit. Hæc omnia cum testimonio Christi Fidelium facta Ecclesiæ nostræ sigillo munivimus.

CAPUT CII.

Godefridus III. *Brabantiæ Dux dotat Liranos S. Gummari Canonicos, anno* 1174.

Notum facimus universis, quòd Ego Godefridus Dux Lovaniensis tertius hujus nominis, omnibus censualibus S. Gummari, tam viris quàm mulieribus, eamdem libertatem concesserim, quam tempore Prædecessorum obtinuerant; scilicet ut ab omni exactione liberi permanerent. Quod ut ratum habeatur, appositione nostri sigilli, ac sigilli S. Gummari, confirmari curavimus; accitis his Testibus, Canonicis Lirensis Ecclesiæ,

Francone Præposito,
Lamberto,
Engero,
Godefrido,
Rummundo,
Canonicis Lovaniensis Ecclesiæ,
Lamberto Decano,
Riczone de Tbenis,
Gilberto,
Reimaro.

Testimonia Militum.

Arnoldi Dapiferi,
Et Arnoldi Filii ejus,
Gozuini de Heverlé,
Galteri de Holtem,
Willelmi de Berchem.

CAPUT CIII.

Galterus *Præpositus & Advocatus Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Anderlechti, eidem benefacit, anno* 1174.

Collatum & auctum juxta Archivia Capituli Anderlechtensis.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen. Galterus Anderlectensis Præpositus, & universum quod cum eo est Capitulum tam præsenti quàm futuræ generationi in perpetuum....

....occasionem futuri litigii rerum ante gestarum sopitur memoria, nisi cautelâ circumspectionis eam excitemus per fidelia litterarum monumenta.

Notum igitur modernis facimus & posteris, quod Lambertus de A, Ecclesiæ Sancti Petri Anderlechtensis decimam quamdam apud *Obecbe* tres marcas & firtonem concessione Evani de *Sellecke*, & Uxoris suæ *Mabiliæ*, qui eandem eodem capitali in vadium acceperant, liberè & legitimè tradidit possidendam, eâ conditione, quod Fratres prædictæ Ecclesiæ anniversarium ejusdem *Lamberti*, & Patris & Matris suæ, sine sonegiis aliis ab istis quotannis faciant.

Si quis autem injuriosus in hujus rei Sanctionem injustè conatus fuerit manum mittere, prædictus Evanus in restitutionem eidem Ecclesiæ tradidit feodum quoddam LX. modios avenæ & XV. solidos, quod per manus ejusdem Galteri tenet & ejusdem concessione.

Si vero coheredes decimam illam redimere velint, eodem capitali eam redimant.

Hujus itaque Donationis scriptum Bullæ nostræ appensione munivimus, & anathematis sententiam in tantæ Sanctionis violatores extendimus. Testes etiam sufficientes & legitimos subnotavimus.

S. Sacerdotum, Lamberti de Watermala,
S. Alberti,
S. Giselberti, & ceterorum.
S. Sigeri,
S. Ulrici Cantoris,
S. Magistri Gozuini,
S. Joannis,
S. Rodolfi, Laïcorum.
S. Franconis Lupi,
S. Desiderii,

S. Goswini de Capella.
S. Wetherici.
S. Waltheri Noche.
S. Anselini.

Actum est autem anno MC.LXXIV. Incarnationis Dominicæ, Electionis Domini Petri VII. 1174

Ego Ulricus scripsi & recensui.

CAPUT CIV.

Galtherus de Bruxella, Maheldis & Leonius *dotant Capitulum S. Petri Anderlechtense juxta Bruxellam, anno* 1175.

Correctum & auctum ex Orig. Cap. Anderl.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen.

Galterus de Bruxella, Anderlechtensis Ecclesiæ Præpositus & Advocatus, & universum ejusdem Ecclesiæ Capitulum, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

Ad vitandam futuri litigii occasionem, & ad cohibendas calumpniantium manus, cum sacris Litterarum monimentis ac munimentis rerum gestarum memoriam perpetuamus.

Sciat igitur Fidelium universitas, quod Domina Maheldis Uxor Leonii de Bruxella, in vita sua cogitans & ad mentis oculos sæpius reducens illud quod Veritas testatur: *Quæ seminaverit homo, hæc & metet*, ob futuræ vitæ bravium & summi Remuneratoris Indulgentiam Ecclesiæ Anderlechtensi Allodium quoddam in eadem Villa, scilicet *Curiam*, * & octo bonaria terræ, & pratum quoddam in *Pithebruc* super rivum, liberè & legitimè ad usus Fratrum * ibidem Deo servientium in eleëmosynam tradidit, tali conditione, quod Fratres prænominati ejus Anniversarium, & Viri sui Domini Leonii, & Liberorum suorum singulis annis solemniter celebrent.

* Id est Curegem.
* Id est Canonicorum.

Ut autem tam legitimi Pacti Sanctio inviolabilis & rata permaneat, idem Scriptum sigillorum nostrorum appensione munimus, & prænominatæ Maheldis Filium Advocatum & Conservatorem hujus Donationis habemus, & anathematis vinculo hoc Pactum calumpniantes subdier obligamus. Testes etiam qui huic Donationi interfuerunt, Nobiles & ignobiles, subscribimus, & Sacerdotum & Canonicorum,

S. Alberti, S. Lamberti, S. Giselberti, S. Lamberti.
S. Diaconorum, S. Ulrici, S. Henrici.
S. Subdiaconorum, S. Joannis, S. Sigeri, & Godescalchi.
Signum Militum, S. Desiderii & Arnoldi de Oppem.
S. Galteri de Oppem.
S. Wetherici, & ceterorum quàm plurimorum adstantium, qui ad hoc Pactum confirmandum convocati fuerunt.

Actum est autem publicè in Ecclesia Anderlechtensi, anno Incarnationis Dominicæ M. C. LXXV, Electionis Domini Alardi primo. 1175

Notum sit universis, quòd ego Galterus de Brucsella quamdam Decimam ex omni terra mea de Querbos, Domino Lamberto Anderlechtensis Ecclesiæ Canonico, ad sublevandam Præbendæ suæ penuriam contuli, eâ videlicet conditione, ut post obitum præfati Lamberti, Decima in usus Giselberti pueri sui cedat: & post obitum illius in usus cedat Fratrum in præfata Ecclesia servientium &c.

Actum anno M. C. LXXV. 1175

Notum sit tam futuris quàm præsentibus, quòd Ego Galterus de Brucsella, Anderlectensis Ecclesiæ Advocatus, dignum duxi Scripto committere, universo præfatæ Ecclesiæ Capitulo consentiente, quòd si quis Canonicus Stationarius ad scholas perrexerit, singularem Præbendam quam à ceteris Canonicis habet divisam, integram recipiat, nullum commune beneficium cum Stationariis participans.

Actum anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXXIX, Indictione septimâ. 1183

Additio.

Patroni & Advocati Insignis Ecclesiæ S. Petri in Anderlecht.

I. Galtherus de Bruxella, Præpositus & Advocatus Ecclesiæ S. Petri de Anderlecht anno 1174.

II. Clementia Domina de Aa & Patrona Ecclesiæ Anderlechtensis, Uxor Leonii de Bruxella circa annum 1210.

III. Waltherus, Filius Oliverii de Sotteghem, Dominus de Wolverthem, Patronus Anderlechtensis simul cum Ægidio de Sotteghem Fratre suo & Arnoldo de Meinsa anno 1233.

IV. Waltherus de Sotteghem, simul cum Patre suo Walthero. prædicto, Domino de Wolverthem ann. 1243.

V. Theodoricus de Walicourt, Dominus de Aa, Anderlecht & * Lenniaco, Hannoniæ Marescallus anno 1297.

* Lennick

VI. Joannes de Walicourt, Filius præcedentis anno 1347.

VII. Joanna de Agimont, Vidua Joannis de Walicourt, nupta Joanni de Petershem anno 1362.

VIII. Maria, Filia Joannis de Walicourt, heres Dominiorum de Walicourt, Anderlecht, Aa, Gaesbeke, Lenniaco S. Martini, Lenniaco S. Quintini, Lombeca nostræ Dominæ, Brania Castri &c. & Wilhelmus de Abcoude Dominus de Wyckte, Duerstede, Hannoniæ Marescallus, Conjuges anno 1372.

IX. Zuederus de Abcoude, Wilhelmi prædicti Frater, Patronus Ecclesiæ Anderlechtensis & Dominus de Walicourt, Anderlecht, Aa, Gaesbeke, Lenniaco S. Martini, Lenniaco S. Quintini &c. anno 1380.

X. Jacobus de Abcoude, Zuederi Filius, Dominus de Gaesbeque, Anderlecht, Abcoude, Putte & de Streyen, Marescallus Hannoniæ anno 1410.

XI. Joannes de Hornes Dominus de Gaesbeque, Baucignies, Honschote, Hese, Leinde, Burgravius perpetuus Montis S. Winoci anno 1434.

XII. Philippus de Hornes Joanni Patri suo successit in Feudum de Gaesbeque anno 1436. Tamquam Patronus & Advocatus Anderlechtensis præstitit juramentum anno 1458.

XIII. Arnoldus de Hornes, Filius Philippi, Dominus de Baussignies, Gaesbeque, Hese, Leinde, Comes de Houtekercke, Binchout, de Geldorp, de Helbustre, Brania Castri, Vice-Comes Villæ & Castellaniæ de Bergis S. Winoci, præstitit juramentum prædictum anno 1488.

XIV. Maximilianus de Hornes, Arnoldi prædicti Filius, Eques Aurei Velleris, Dominus de Gaesbeque, Hondtscote, Houtkercke, Hese, Leinde, Geldorp, Pamele, Leeberghe & Brania Castri, Vice Comes Villæ & Castellaniæ de Bergis S. Winoci, ut Patronus Ecclesiæ Anderlechtensis præstitit juramentum anno 1506.

XV. Henricus de Hornes, Maximiliani major natu, Dominus de Gaesbeque, 1536.

XVI. Martinus de Hornes, Henrici Frater, Dominus de Gaesbeque, Comes de Houtkercke &c. præstitit juramentum Patronorum Ecclesiæ de Anderlecht an. 1544.

XVII. Lamoraldus, Comes de Egmont, Filius Lamoraldi & Sabinæ de Bavaria, Princeps Gavriensis, Toparcha de Fiennes. & Banderetus Dominii de Gaesbeque, Dominus de Walcourt &c. præstitit juramentum 1566.

XVIII. Philippus Comes de Egmont, Filius Lamoraldi, Eques Aurei Velleris, Princeps Gavriensis, Baro de Fiennes, Gaesbeque, Dominus de Armentiers, Nienhove, &c. fecit juramentum anno 1589.

XIX. Maria de Hornes, Filia Martini prædicti, Uxor & heres Philippi Comitis de Egmont, Baronis de Gaesbeque &c. anno 1595. inivit secundas nuptias cum Gaspare Marchione de Lullin.

XX. Gaspar de Geneve, Marchio de Lullin, Baro de Gaesbeque, Eques Ordinis Sabaudici, Gubernator & Capitaneus generalis Ducatûs Augustæ & Ivreæ, simul cum Uxore sua Maria de Hornes prædicta anno 1603.

XXI. Sabina de Hornes, Mariæ de Hornes, Dominæ de Gaesbeque, Walcourt &c. Amitæ suæ heres, & Cleriadus de Geneve, Filius Gasparis, Baro de la Bastie anno 1605.

Renatus de Renesse, Comes de Warfuzé, Vice-Comes de Montenaken, Baro de Gaesbeque, Reives, Elderen, Dominus de Heybes, Montigny ad Mosam, Seneffe, Feluy, Escaussines, Bievre, Hese, Leinde &c. anno 1616. XXII.

Alexander de Renesse, Filius Renati, Comes de Warfuzé, Baro de Gaesbeque &c. anno 1651. XXIII.

Procopius de Lalaing, Comes de Rennenbourg, Baro de Gaesbeque, & de Herchicourt, Dominus de Cantaing, & Montigny ad Mosam, Maritus Mariæ de Renesse, Alexandri Comitis de Warfuzé Sororis natu majoris anno 1663. XXIV.

Philippus Franciscus de Berghes, Aurei Velleris Eques, Comes de Grimberghe, Baro Dominii & Territorii de Gaesbeque &c. Atquennes, Toparcha de Tisselt, Buggenhaut, Semps, Weerde, Montigny, & Cantaing, Maritus Filiæ Comitis de Rennenbourg prædicti anno 1674. XXV.

Cornelius de Man, Eques Banneretus, Toparcha SS. Martini & Quintini Lennick, Walcourt, Watermale, Auwergem, Beaumont, Eyseren, Bisdomme, t'Sart, in Nerische &c. Supremi Brabantiæ Consilii Consiliarius præstitit juramentum Patronorum Ecclesiæ de Anderlecht anno 1689. XXVI.

Franciscus Josephus de Man, S. T. & J. U. L. ex Canonico Anderlechtensis Ecclesiæ, Cathedralis Antverpiensis Canonicus Graduatus, tamquam Patronus fecit juramentum anno 1700. XXVII.

Frater ejus atque futurus heres juxta fideicommissum est Amplissimus Dominus Jacobus Nicolaus de Man, Toparcha SS. Martini & Quintini Lennick, Supremi Brabantiæ Consilii Consiliarius & Vice-Cancellarius &c. cum substitutione ulteriori senioris masculi de Familia. Vide etiam supra pag. 664.

CAPUT CV.

Philippus Alsatius, *Flandrorum & Veromandorum Comes, S. Nicolai Cœnobium Furnense, anno* 1175. *dotat.*

EGo Philippus, Flandriæ & Viromandiæ Comes notum esse volo, quòd Ecclesiæ S. Nicolai de Furnis sexaginta mensuras Mori in Parochia de *Hautthem*, Moro Ecclesiæ S. Augustini ex Orientali parte adjacentes, in eleëmosynam donaverim, ad usum Fratrum in prædicta Ecclesia S. Nicolai Deo servientium.

Signum Walteri Abbatis de Dunis,
S. Halretis Abbatis de Capella,
Lebberti Præpositi de Eversam,
Joannis Præpositi de Ipris,
Lambini Notarii de Brugis,
Gerardi de Messines,
Rogerii Gandavensis Castellani,
Walteri de Locris,
Eustachii Camerarii,
Michaëlis Constabularii.
Actum est Ipris anno M. C. LXXV. 1175.

CAPUT CVI.

Idem Philippus *Comes controversiam inter Marchianenses Monachos Benedictinos, & Amalricum Landastensem terminat, & prædia dicti Monasterii confirmat, anno* 1176.

EGo Philippus, per Dei misericordiam Comes Flandrensis & Veromandensis, notum fieri volo, Joannem Marchianensis Ecclesiæ Abbatem & Monachos, in mea & Baronum meorum præsentia, frequenter querimoniam deposuisse de Amalrico de Landast, qui quondam partem aquę fluminis *Scarp*, quæ propria erat Ecclesiæ, injuste usurpabat. Ad audiendam igitur utriusque partis controversiam, tam Abbati, quàm Amalrico diem apud Ariam denominavi.

Ad hanc igitur Abbas & Monachi cum Privilegiis Antecessorum meorum convenjunt: omnibus

nibus visis & lectis in Audientia omnium, à Baronibus meis judicatum est, quòd tota piscatio fluminis Scarp libera Ecclesiæ Marchianensi remanere deberet.

PROINDE notum sit, quòd supradictus Abbas & Monachi nostram benevolentiam postulaverint, quatenus quod eis in Curia mea à Baronibus meis justè judicatum est, cum possessionibus suprascriptæ Ecclesiæ, quæ à B. RICTRUDE, dum adviveret, munificâ largitate facto testamento, in eleëmosynam eidem Ecclesiæ collatæ sunt, meo Privilegio, ad instar Privilegii Comitis Caroli & Prædecessorum meorum, sub testimonio Baronum meorum, confirmarem.

EGO autem Abbatis & Monachorum petitioni condescendens acquievi, & Marchianensis Monasterii antiquam libertatem in hac Pagina confirmavi.

Marchienes. IN primis Villam Marchianensem, in qua ipsius Sanctæ Corpus, cum aliis Sanctorum Corporibus, requiescit, liberam decernimus, cum locis hinc inde adjacentibus, nemorosis videlicet & aquosis, à terra scilicet quæ descendit à furno Duacensi usque ad terram S. Amandi Sanctique Petri Hasnoniæ; & à terra de Favaing usque ad terram Comitis Flandrensis.

IN Pago Pabulensi Sclusam quoque Scarpi à Marchianis usque prope silvam de Somania. Sclusam quoque de Donc cum vivario & molendino juxtà Villam de Alvo. Locum quoque Hamaticensem cum appendiciis suis Alva & Rilloit, & Wandegnies. Vivarium cum molendino & Etnerchies, & silvam ejusdem loci.

IN Ostrevanno Villas Asconium & Heram, & silvam de Bruilo. In eodem Pago villam Salliacum cum Vivario, Molendino, Furno & Gaulo: Villam etiam Gaugiacum & totum gaulum ejusdem Villæ, quod ego prædictæ Ecclesiæ in eleëmosynam condonavi.

IN Pago Atrebatensi Villam Bariacum, & gaulum cum omni integritate: in Pago Cameracensi Saudemont cum appendiciis suis: in Pago Letigo Villam Hainas, & Masenbargam & Lorgies, cum appendiciis suis.

IN Melenthois Villam Roncinium; in Pago Pabulensi Villam Bcuvry cum Vivario, Molendino, & terris ad eam pertinentibus. De Turre quoque Duacensi censum quinque solidorum, & in eodem Castro familiam SS. Rictrudis & Eusebiæ à teloneo liberam.

IN potestate de Rinenga duas partes totius decimæ; secundùm etiam Prædecessoris nostri Comitis Radulphi scriptum & eleëmosynam, vinagium & pidagium de omni vino, quod Fratres ducunt ad Ecclesiam, ad opus suum, per transitus nostros liberè transire, & nihil omninò à ductoribus vini exigere. Similiter & de omnibus victualibus Fratrum per totam terram meam liberum transitum.

HAS itaque B. Rictrudis Villas seu possessiones, quas suprà scripsimus, sic liberas esse, sicut ab antiquo fuerunt, decernimus: quæ omnes, cum appendiciis suis, sub mea protectione & Advocatione sunt, qui ejusdem Ecclesiæ summus sum Advocatus, & Advocati earumdem possessionum de me suas tenent Advocationes.

UT autem hujus nostræ liberalitatis descripsio firma perpetuò maneat, sigilli mei impressione eam roboravi: Baronum etiam meorum & testium, qui interfuerunt, nomina subtus annotare feci.

SIGNUM Eustachii,
S. Walteri de Locris,
Roberti Advocati,
Hellini Dapiferi,
Michaëlis Conestablensis,
Hugonis de Oisy,
Walteri de Atrebato,
Michaëlis Castellani Duacensis,
Rainaldi de Aria,
Gilleberti de Aria,
Walteri Castellani de Raiscia,
Roberti Præpositi Insulani,
Gerardi de Mescinis,
Notarii & Sigillarii mei.

ACTUM anno Domini millesimo centesimo septuagesimo sexto, VI. Kalendas Maii, in Civitate Atrebatensi. 1176.

CAPUT CVII.

Idem PHILIPPUS *Lensenses in Arthesia Canonicos dotat, anno* 1177.

EGO PHILIPPUS, Flandrensium & Viromandensium Comes, notum esse volo omnibus, quod dedi in eleëmosynam Ecclesiæ de *Lens* quindecim solidos, singulis annis recipiendos Bapalmis, ab eo qui reditus meos ibidem colligit, in Dominica Palmarum.

DE istis verò denariis statui, ut solummodò procurentur vinum & panis, ad conficiendum Sacrificium Altaris.

NE igitur in posterum hæc eleëmosyna possit ab aliquo infringi, Sigilli mei auctoritate eam confirmari præcepi, anno Domini millesimo centesimo septuagesimo septimo. 1177.

CAPUT CVIII.

Suprà pag. 707. **HUGO III.** *Burgundiæ Dux anno* 1179. *Gualtero Episcopo Lingonensi donat Comitatum Lingonensem.*

NOTUM sit omnibus, quod ego HUGO Dux Burgundiæ Comitatum Lingonensem, quem à Guidone de Sauz per commutationem accepi, Ecclesiæ Lingonensis Episcopo Patruo meo* Gualtero, & ejus in Episcopatu Successoribus, in eleëmosynam dedi, & habendum in perpetuum concessi, & eum in manu ejusdem Gualteri guerpivi; laudantibus Filiis meis, *Odone* & *Alexandro*; Henrico etiam Comite Barri, Consanguineo meo, qui præfatum Comitatum à me acceperat in feodum, & Fratribus ejus Theobaldo, Rainaldo & Hugone hanc Donationem confirmantibus & approbantibus, & si quod jus in Comitatu illo à suis Prædecessoribus habebant, præfatæ Ecclesiæ in eleëmosynam concedentibus; necnon etiam laudantibus hanc eamdem Donationem Guidone de Sauz, & Filiis ejus Othone & Henrico, & Liberis ejusdem Othonis.

*Pag. 707.

TESTES sunt,

Clerici :

Manasserus Lingonensis Decanus,
Petrus Barrensis Decanus,
Ebrardus Præpositus SS. Geminorum.

Milites :

Gerardus de Reon,
Biardus Moners,
Simon ejus Frater,
Petrus de Barro,
Servus Henrici Trecensis Comitis,
Boinus Præpositus Castellionensis,
Petrus Major Castellionensis.

ACTUM est hoc anno millesimo centesimo septuagesimo nono. 1179.

CAPUT CIX.

BALDUINUS *Comes Gisnensis benefacit Ecclesiæ Andrenensi, Ordinis S. Benedicti, nunc in Diœcesi Boloniensi, circa annum* 1180.

EGO BALDUINUS Comes Gisnensis notum facio omnibus, quod Vivianus & Mathildis Uxor ejus, & Elembertus propinquus ejus, cambiaverunt totam terram suam apud Campaniam, quam habuerunt, cum Abbate & Capitulo Andrenensi pro terra illa quæ jacet ante portam illorum ad Ruskem. Sed Abbas retinuit sibi Comitatum utriusque terræ & viæ illius quæ tendit ad molendinum.

HOC quia factum est per manum meam, Scriptum istud inde fieri jussi, & per Chirographum dividi.

HUIC commutationi interfuerunt,

Willelmus Frater meus,
Ernulfus & Willelmus Filii mei,
Balduinus de Campaines,
Wichardus de Balinghem,
Eustathius de Wadinghem,
Salvinus Canis, & multi alii.

EGO BALDUINUS Comes Gisnensis notum facio omnibus, quod Clemens de Ardea dedit Deo & Beatæ Rotrudi, & Ecclesiæ Andrenensi, ac Monachis ibidem Deo servientibus tertiam partem decimæ de *Suanakes*, quæ dicitur tertia garba, quam tenebat & possidebat in feodo de Domino Ernulpho de Arda.

ET quia fecit hoc Donum per manum prædicti Ernulphi & per manum meam, ipso rogante confirmavi illud, concedente Uxore meâ Christinâ, & Ernulpho Filio meo. Et hæc confirmatio facta est in plenaria Curia apud Gisnes, ubi coram cunctis Baronibus, ipsius Clementis rogatu, fidejussor exstiti Abbati & Monachis Andrensibus.

TESTES hujus rei sunt,

Eustathius de Lisches,
Hugo de Baudenguehem,
Guffridus de Gisnes,
Guido de Elenbom,
Henricus de Salteun,
Oliverus,
Manasses famulus, & multi alii.

EGO ARNULFUS de Ardea notum facio, quod Clemens de Ardea dedit in eleëmosynam per manum meam Deo & beatæ Rotrudi, & Ecclesiæ Andrenensi, ac Monachis ibidem Deo servientibus tertiam partem decimæ de *Suachet*, quæ tertia garba dicitur, quam tenebat in feodo de me, & proprii sui juris erat. Hoc donum Ego & Domina *Adeliva* Uxor mea concessimus & proprio Sigillo corroboravimus.

TESTES sunt,

Willelmus de Bello-loco,
Robertus Presbyter de Nieles,
Beroldus Capellanus noster,
Vivianus Sacerdos de Campaniis,
Paganus de Norolt,
Simon de Alles, & multi alii.

CAPUT

CAPUT CX.

EVERARDUS, *VValteri Avesnarum Domini & Idæ de Tornaco Filius, ex Præposito Condatensi Episcopus Tornacensis, circa annum* 1181. *testatur Ecclesiam de Fresne olim fuisse possessam à Canonicis Condatensibus.*

DOMINIS & amicis suis Magistro F. Remensi Decano, Magistro R. Archidiacono Suessionensi, Evrardus Episcopus salutem & dilectionem.

Quod oculis vidimus & auribus audivimus, & propriis manibus de verbo hoc contrectavimus, significamus: utpotè qui Præposituram & Thesaurariam Ecclesiæ Condatensis triginta & sex annis ferè tenuimus. Condatensem siquidem Ecclesiam, ante constitutionem Abbatum de Castello, & Ordinis & Religionis appositionem, constat Altare de Frania quietè & cum integritate appenditiorum possedisse. Postmodùm verò Domini Atrebatensis Aluisi petitione, Personatus prædicti Altaris, pro incohatione Abbatiæ, sub censu unius & triginta solidorum datus est eidem Abbatiæ.

PORRÒ Condatensis Ecclesia prædictum Altare sub hoc censu plusquam triennali possessione, absque calumnia & aliqua litis impositione, possedit: siquidem ipsa Abbatia pro prædicto Altari nunquam nisi prænominatum censum habuit.....

CAPUT CXI.

ROGERUS *Cameracensis Episcopus, Ecclesiam Bellingemiensem, prope Hallas Hannoniæ Oppidum sitam, Cœnobio Cantipratensi Canonicorum Regularium subjicit & annectit, anno* 1182.

ROGERUS, Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

NOTUM volumus fieri fidelium universitati, quòd cùm Ecclesiam S. Mariæ de Belinghen dilectis in Christo Martino & Leardicio Presbyteris, habitum Religionis & vitam communem in ea tenere proponentibus, liberam concessissemus, & ab omni sonegia & parochiali exactione fecissemus immunem, postmodùm eorumdem assensu & spontaneâ devotione, eamdem Ecclesiam Ecclesiæ S. Mariæ, in qua Joannes Presbyter Prælatus erat, subjecimus, & quasi Filiam Matri obnoxiam filiali subjectione assignavimus; eo tenore, quòd si prædicta Ecclesia de Belinghen, per successum temporis, Deo propitiante, eatenus cresceret, quòd nomen & institutionem Abbatiæ meritò posset obtinere, consilio nostro, vel Successoris nostri Cameracensis Episcopi, si Ecclesia, cui subjectionem fecit, assensum præberet, in Abbatiam promoveretur. Prædicti Presbyteri Martinus & Leardicius supradicto Joanni obedientiam fecerunt, & Canonicam subjectionem se hactenus exhibituros, & regularis disciplinæ jugum, ad ipsius ordinationem, se observaturos confirmarunt.

ACTUM anno Domini millesimo centesimo octogesimo secundo. 1182.

Additio. CANTIPRATUM, Abbatia Canonicorum Regularium de Congregatione Sancti Victoris Parisiis, olim ad muros Urbis Cameracenæ sita fuit, sed in fundo Arthesiæ, ubi Abbas Cantipratanus consessu & suffragio in Comitiis Statuum Provinciæ gaudebat. Anno 1580. destructa fuit furore militum Gallorum, ita quidem ut nec lapis manserit super lapidem.

RELIGIOSI verò cum omni sacra ac profana supellectile sese receperunt circà annum millesimum quingentesimum octogesimum septimum ad Prioratum de Bellinghen inter Hallas & Angiam, jam olim Abbatiæ Cantipratanæ unitum, transferentes eò titulum Cantiprati.

NEQUE prætermittendum, floruisse aliquando in hoc Cœnobio Venerabilem Thomam Cantipratanum, qui dein ab Ordine Canonicorum Regularium transivit ad Ordinem Sancti Dominici, ubi piè vixit, multa scripsit, ac sanctè obiit circà annum millesimum ducentesimum septuagesimum quintum. Utrùm fuerit Suffraganeus Episcopi Cameracensis, necne, inter Scriptores controversum est. Vide plura de eo infra in Fastis Belgicis ac Burgundicis, ad diem XIII. Maii.

CAPUT CXII.

Idem ROGERUS *Episcopus fundum, ab Hugone de Oisy Castellano Cameracensi donatum Joanni primo Abbati Cantipratensi, ad exstruendum Cœnobium, confirmat anno* 1183.

ROGERUS, Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Dilectis in Christo Filiis Joanni & sociis ejus, Religionis habitum, secundùm Ordinem & institutiones Ecclesiæ S. Victoris Parisiensis, assumere proponentibus, terram illam, quæ est inter Ecclesiam S. Salvatoris & mariscum, quam Hugo Castellanus Cameracensis eis nomine eleëmosynæ contulerat, eisdem & eorum Successoribus absolutam & ab omni decimatione liberam, ad fundationem Ecclesiæ Canonicæ, concessimus, ipsamque Ecclesiam in ea fundatam ab omni sonegia seu aliqua exactione publica immunem & emancipatam esse statuimus; salvâ dumtaxat obedientiâ & reverentiâ, quam Ecclesia illa, sicut & aliæ conventuales Ecclesiæ, Cameracensi Episcopo tenebitur exhibere.

DECREVIMUS etiam, ut ordo prædictus in eadem Ecclesia integer & immutatus permaneat, ibidemque Abbas canonicè ordinetur, & secundùm processum temporis, eodem decedente, à Fratribus ibidem Deo famulantibus liberâ electione instituatur.

PRÆTEREA bono eorumdem proposito, Deo inspirante, admodum delectati, ipsa die susceptionis Ordinis & habitus Canonici, Altare S. Salvatoris & Personatum ejus, atque omnes obventus ad eundem Personatum pertinentes, præter annonam, quam Ecclesia Aquiscinti Thesaurario Ecclesiæ B. Mariæ Cameracensis annuâ pensione persolvit, contulimus & nomine eleëmosynæ in perpetuum assignavimus.

ACTUM anno millesimo centesimo octo- 1183.
gesimo tertio.

NONO Kalendas Decembris obiit Dominus *Rogerus* Cameracensis Episcopus, qui voluit nobis ad fundandum dare locum; sed ad majorem Ecclesiæ nostræ utilitatem Domino Hugoni de Oisiaco, utpotè terræ Principi, in hoc dando voluit cedere. Prætereà profecturus Hierosolymam, Episcopatûs sui reditus uno anno recipiendos dedit nobis. XIII. Kalendas Februarii obiit Venerabilis Pater noster *Joannes*, qui primus Abbas & Inceptor totius nostræ Domûs fuit. Hic ut perfectiùs Dei Filium sequeretur, regiminis honorem reliquit, deinceps usque ad mortem in observantia perseverans. *Hactenus ex Necrologio Cœnobii Cantipratani.*

CAPUT CXIII.

PHILIPPUS *Comes, Brugensem S. Donatiani Ecclesiam Prilegiis adauget, anno* 1183.

EGO PHILIPPUS, Dei gratiâ Flandrensium & Viromandiæ Comes, Theodorici Comitis Filius, Ecclesiam S. Donatiani Brugensia ad statum meliorem promovens, eamdem ei, quam (1) Insulana Ecclesia obtinet, libertatem donavi, quam simul cum quibusdam possessionibus suis explicare necessarium duxi. Hæc inter ceteras libertates gratiâ potitur. Ut (2) Submansores ejusdem Ecclesiæ ab omni publica exactione liberi, omnique jugo etiam nostræ donationis absoluti, nequaquam jure forensi sive alicujus decreto potestatis arceantur, etiam super his, quæ ad terræ legem pertinent, requirendis.

(1) INSULANA Canonicorum S. Petri Ecclesia, à Balduino Insulano Flandriæ Comite fundata, olim magnam cum Brugensi S. Donatianī habuit communionem: adeo ut Brugensis S. Donatiani Præpositus esset & censeretur Ecclesiæ Insulanæ Canonicus, & è contra; idque cum perceptione aliquorum emolumentorum, quę in hodiernum usque diem utrimque præstantur. Exstant Tabulæ super hac re anno 1225. scriptæ. 11

(2) SUBMANSORES ECCLESIÆ. Alio nomine dicuntur Hospites Ecclesiæ, hoc est, qui terras Ecclesiæ subjectas inhabitant aut colunt, & linguâ Flandricâ *Laeten* vulgò nominantur.

Tales sunt duplicis generis apud Brugenses, videlicet Præpositales & Canonicales Hospites: quorum illi Pręposito, alii Capitulo seu Collegio Canonicorum Brugensium subsunt, & habent utrique sua Tribunalia propria ac distincta, in loco juxta Palatium Præpositi, nunc Episcopi, in Urbe Brugensi sito.

Tribunal Hospitum Præpositalium, vulgò *Proostlaeten*, à feudatariis Præpositi regitur, quos Latinè Rationatores, Flandricè *Redenaers* vocant. Hi tam civiliter quàm criminaliter jus dicunt, & appellatio ab eorum decretis immediatè ad Concilium Flandriæ devolvitur; quamvis maxima pars istorum Hospitum Brugas & Ditionem Franconatûs inhabitet.

Idem Præpositus S. Donatiani non solùm Brugis, sed & Furnis, Bellioli, Hondiscotæ, Bergis S. Winnoci & Insulis jurisdictionem in suos exercet: quæ Tribunalia multas sub se Parochias comprehendunt, & ab eis similiter ad Concilium Flandriæ provocatur.

Hospites Canonicales S. Donatiani Brugensis, vernaculè *Canoninxlaeten*, in civilibus judices habent Canonicos quatuor; qui ex ordine singulis hebdomadibus feriâ sextâ pro Tribunali, veste Chorali induti, sedent & caussas decidunt: à quibus ad ipsum Capitulum provocatur. Utrumque istud tribunal multa & magna habet privilegia. Vide infrà Tabulas à Joanna Constantinopolitana Flandriæ Comitissa anno 1218. scriptas.

NULLUS, excepto Præposito Ecclesiæ, super eos potestatem habeat: insuper si aliquid quæstionis judicio terminandæ contra eos emerserit, aut inter eos natum fuerit, non nisi ad Ecclesiam referatur, ibique Præposito judice & Fratrum definitione res terminetur. Sed nec illud de possessionibus silentio prætereundum puto, scilicet ut ubicumque decimas de culta terra possident, ibidem eas de inculta pariter possidere debeant, si fuerit postmodum excolenda.

ILLUD quoque notum fieri volo, quòd quædam ædificia ad usum & decorem Ecclesiæ constructa & ei donata fuerunt; quæ sunt domus Præpositi, & quæ ex alia parte claustri, juxtà ejus longitudinem, extenditur, cum illis ædificiis, quæ juxtà claustri latitudinem porrecta, ceteris contiguas habent extremitates. Hæc verò ad ultimum expressa ædificia *Everardus* Tornacensis à Prædecessoribus meis ut feodum suum sæpè requisivit, & pro eis Ecclesiam infestavit. Sed Ecclesiâ constanter renitente, eò tandem res producta fuit, ut die super hac quæstione concilianda determinato, Ecclesia in negotio prævaleret, & non solùm jure Ecclesiastico, sed etiam lege totius Guriæ Flandrensis quæ possederat jure perpetuo possideret.

HÆC & alia præmissa Sigilli nostri impressione dignum duximus confirmare, & Testium subscriptione corroborare.

ACTA sunt hæc apud Male VIII. Kalendas Aprilis, anno millesimo centesimo octuagesimo 1183.
tertio.

SIGNUM Gerulfi Decani,
S. Wilhelmi Decani S. Audomari,
Gerardi de Mescinis,
Hugonis Ursi,
Wilhelmi Castellani S. Audomari,
Joannis Insulani Castellani,
Eustathii Camerarii,
Walteri de Locris,
Gilberti de Aria.

CAPUT CXIV.

Beginagium Brugense instituitur & dotatur, anno 1185. & sequentibus.

EGO EVERARDUS Dei gratiâ Tornacensis Episcopus notum fieri volumus, quòd *Gertrudis* Brugensis Castellana, & Filius ejus *Joannes* Castellanus, Basilicæ suæ in Brugis, cùm consecraretur in honore B. Mariæ Virginis, in dotem, ad usum Roberti Capellani in vita sua & subsequentium, decimam de Lophem & C. solidos de Guinarden, rogatu mariti sui piæ recordationis *Radulfi*, in memoriam animæ ipsius Radulfi & Filii sui Co. contulerunt.

SIGNUM Gerulfi S. Donatiani Decani,
Theoderici Condatensis Decani,
Willelmi S. Salvatoris Decani,
Desiderii Schoutteti de Maldenghiem,
Iwanni Dapiferi,
Walteri cognomento Pauperis,
Anselli de Plaissiet,
Magistri Henrici Cancellarii, qui appro-
1185. bavit anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo quinto, consecrationis nostræ XIII.

ACTUM Brugis IV. Idus Septembris.

ELISABETH Dei gratiâ Brugensis Castellana notum fieri volo, quòd Socrus mea *Gertrudis* Brugensis Castellana, & Filius ejus *Joannes* Castellanus, Maritus meus, Basilicæ suæ Brugensi in honore B. Mariæ Virginis consecratæ, in dotem reditus nominatos in eorum scripto, pro salute animæ suæ & in memoriam Radulfi Castellani contulerunt. Hanc itaque donationem approbavi, & Sigilli mei appensione corroboravi.

ACTUM Brugis M.C.LXXXV.IV. Idus Septemb. 1185.

DOMINÆ MARGARETÆ Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ Walterus Tornacensis Episcopus salutem.

CÙM bonæ memoriæ Sororis vestræ piam voluntatem devotione debitâ prosequaris, Capellaniam quæ fuit de Castellania Brugensi, in loco in quo manent Beghinæ Brugenses, qui dicitur *Vinea*, velitis deinceps deservìri, ne Capella consecrata fine cultu Divino remaneat, videtur Nobis expediens, ut & ipsam Capellam, cum omni suo ædificio, libris & ornamentis, ad præfatum locum Beghinarum transferri faciatis: & Nos dictæ translationi nostrum adhibemus assensum.

Et sciant, quòd Nos dictum locum Beghinarum à circumjacentium Parochiarum Presbyterorum & Personarum impetitione absolvimus, & ipsis Beghinabus, consecrato jam Cœmiterio, Parochiam, quæ ipsarum ambitu clauditur, concessimus specialem.

DATUM M.CC.XLIV. Dominicâ post Magdalenæ.

WALTERUS Tornacensis Episcopus salutem. Noverit universitas vestra, quòd *Margareta* Flandriæ & Hannoniæ Comitissa Capel- 1244.
laniam (quæ quondam Castellaniæ Brugensi appendebat) sitam in Burgo Brugensi juxta Ecclesiam S. Donatiani, de consensu nostro transtulit ad locum qui dicitur *Vinea* supra Roiam, juxta Domum S. Joannis in Brugis, ad opus Beghinarum.

DATUM anno millesimo ducentesimo qua- 1245.
dragesimo quinto, feria III. post Resurrectionem Dominicam.

CAPUT CXV.

Hugo *de Oisy, Castellanus Cameracensis & Vice-comes Meldensis, dotat Cantipratensem Abbatiam prope Cameracum. Anno* 1186. *& seqq.*

EGo Hugo de Oisy Cameracensis Castellanus tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Sacræ Scripturæ traditio docet, & Ecclesiastica tenet institutio, ad jus Ecclesiæ decimas omnes devolvi debere. Hoc attendens, & Divini Spiritûs commonitioni consentiens, decimam de *Wagnel*....

Signum Stephani de Lambres,
S. Simonis de Rasircort,
Godefredi de Marcon,
Alardi de Salchi,
Petri Canis,
Alardi de Paluel,
Ansclli de Markion.

1186 Actum anno millesimo centesimo octogegesimo sexto.

Hugo Castellanus Cameracensis præsentibus & futuris in perpetuum. Nostræ labentis vitæ conditio in malum prona legitimè gesta sæpiùs solet evertere..... Ad notitiam igitur tam præsentium quàm futurorum hâc vivaci paginâ transferre volumus, quòd Eustachius fidelis noster de *Markion* duas partes decimæ.....

Signum Egid.i Godercort,
S. Wichardi,
Godescaldi, Decanorum,
Philippi de Rumeli,
Stephani de Lambris & Hugonis,
Roberti Dapiferi,
Walteri de Sains, militum.

Ego Hugo Castellanus Cameracensis universis notum esse volo, quòd per assensum *Margaretæ* Uxoris meæ, pro mea & ipsius & Antecessorum suorum salute, Ecclesiæ S. Mariæ de Pratis in Eleëmosynam dedi totum nemus meum, quòd dicitur Vacaria, cum fundo, liberum & ab omi alieno jure emancipatum, possidendum post decessum meum: ita quòd quamdiu vixero quidquid voluero potero ordinare. Hoc Sigillo meo confirmo, & Uxor mea suo.

Testes sunt,
Godescalcus Abbas de Valcellis,
Stephanus de Lambres,
Nievardus de Camegni.

Hugo de Oisy, Cameracensis Castellanus, & Margareta ejusdem Uxor tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

Felix est commercium pro cælestibus terrena dare, & pro transitoriis metere sempiterna. Inde est quòd nos furnos nostros de *Crevecuer* Ecclesiæ S. Mariæ de Pratis.....

Signum Henrici Comitis,
S. Prioris Todoli,
S. Erlebaldi,
Bovini,
Alexandri, Clericorum nostrorum,
S. Hugonis de Hamelaincort,
Egidii de Incy,
Nicolai Bonemer,
Ricoardi, hominum nostrorum.

Actum anno millesimo centesimo octogesimo nono. 1189.

Hugo de Oisiaco Viceccomes Meldensis, Castellanus Cameracensis, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Quoniam quæ Ecclesiis nomine eleëmosynæ conferuntur, in cælesti thesauro reconduntur, dignum est ut perpetuam memoriam & inviolabilem retineant firmitatem.

Meæ igitur animæ, & animæ Uxoris meæ *Margaretæ* saluti piè providere intendens, in omnibus terris meis, ubicumque vectigalia, ad nostram jurisdictionem pertinentia, exiguntur, Ecclesiam B. Mariæ de Pratis liberam esse decrevi, & hoc immunitatis & libertatis beneficium eidem Ecclesiæ unà cum Uxore mea Margareta, perpetua contradidi donatione. Quod ut inconcussum apud Successores meos vel suos permaneat, præsens scriptum tam meo quàm Uxoris meæ Sigillo roboravi, & testes idoneos subscribi mandavi.

Actum anno millesimo centesimo octogesimo nono, 1189.

Margareta Domina de Oisy, Castellana Cameracensis, Meldis Viecomitissa, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Quoniam rerum singularum memoria facilè elabitur, scripto commendamus quòd ad alios in posterum transferri volumus.

Ad notitiam igitur tam præsentium quàm futurorum hâc vivaci paginâ transfundimus, quòd Nicolaus de Walleis, fidelis noster, terragium quod à nobis nomine fœdi possidebat....

Signum Stephani de Lambres,
S. Gerardi de S. Auberto,
Godefridi de Marcog,
Egidii Pincernæ,
Roberti de Oisy,
Hugonis de Crevecuer,
Petri de Incy,
Egidii de Crevecuer.

Datum anno millesimo centesimo nonagesimo. 1190.

Decimo tertio Kalendas Septembris obiit Dominus Hugo de Oiziaco, qui primò fundum Abbatiæ Nobis dedit, secundò decimam de *Wagengnuel*, tertiò terragium de *Raillencort*, quartò nemus Vaccariæ, quintò furnum de *Crevecuer*. Idem de transmarinis partibus rediens, priùs ad nos quàm ad domum propriam divertens, pretiosas, quas ferebat, Sanctorum reliquias Nobis reliquit. A vectigalibus etiam in tota terra sua nos absolvit. *Hæstenus ex Necrologio Cœnobii Cantipratani.*

CAPUT CXVI.

PHILIPPUS *Flandriæ Comes Incolis Oppidi Orchiacensis varia dat Privilegia*, *anno* 1188.

EGO PHILIPPUS, Flandriæ & Viromandiæ Comes, notum fieri volo, quod hominibus de *Orchies* liberè concessi libertatem & legem Opidi Duacensis, & ut nusquam debeant juri stare infra Pevelam, nisi infra Villam de Orchies. Adhuc etiam, ut quicumque in Villa de Orchies diem unum & annum unum sine contradictione & calumnia manserit, liber sit.

CONCESSI etiam eis, ut liceat in perpetuum furnos & cambas facere, & etiam molendinaria caballaria, salvo jure meo.

HOC autem factum assensu illustris Consortis meæ Mathildis Reginæ, ad cujus dotalitium prædicta Villa pertinere noscebatur.

Signum Mathildis Reginæ, inclytæ Consortis meæ,

Signum G. de Messines, Præpositi Insulensis,

S. Jacobi de Avesnis, & aliorum.

Actum Duaci, anno millesimo centesimo 1188. octogesimo octavo, mense Maio.

CAPUT CXVII.

ÆGIDIUS *Comes Claromontanus prima jacit fundamenta Abbatiæ de Roseriis, quæ nunc dicitur Vallis S. Lamberti, Religiosorum Cisterciensis Ordinis juxta Leodium, circa annum* 1188.

Additio ex Ms. Abbatiæ.

OMNIBUS Cisterciensis Ordinis Abbatibus, ÆGIDIUS Dei gratiâ Comes Claromontis salutem.

ORDINEM vestrum præ ceteris in hoc mundo Religionibus Deo placitum credens, ac propterea propensiùs diligens, cum, si quo modo possem, omninò auxiliare disposui.

PROPTEREA notum facio vobis, quòd in Comitatu meo est locus, cui nomen Estriveal, & Plana Vallis, terra fertilis, & amœna, dulcis aquæ fluvium habens præterfluentem, terræ arabilis & bonæ triginta habens carrucatas, territorii circumquaque leucam unam continens, vestræ Religioni per omnia idoneus. Hunc locum vestræ obtuli Sanctitati, Abbati videlicet Signiacensi. Quod enim alicui vestrûm exhibetur, hoc toti Ordini impenditur.

DO præterea minieriam ferri, quæ est sita inter Hoium & Leodium; & liberum per terram meam sine omni vinagio commeatum, & aisantias totius terræ meæ in silvis, aquis, & pascuis.

DESIDERIUM igitur habens Ordinis vestri, Sanctitati vestræ devotissimè supplico, quatenus oblationem meam suscipere non omittatis: sed Religiosos homines ad locum dirigatis. Paratus enim sum, cùm venerint, secundùm voluntatem eorum omnia agere, & plura insuper addere. Orate pro me, ut Deus, qui totius misericordiæ fons est, mei misereatur. Credo enim firmiter, & indubitanter assero, orationibus vestris, & peccata posse remitti, & pœnam pro peccatis inflictam amoveri. Valete

CAPUT CXVIII.

ÆGIDII *Comitis Claromontani, Litteræ datæ anno* 1188. *ad Abbatem Signiacensem, quibus ei committit curam novæ Abbatiæ Ordinis Cisterciensis, quæ nunc dicitur Vallis S. Lamberti.*

Additio.

DOMINO JOANNI Abbati (1) Signiacensi ÆGIDIUS, Comes de Claro-monte salutem.

DEDI Fratribus vestris locum in Comitatu meo idoneum, & sufficientem ad ædificandam grangiam, aut etiam (2) Abbatiam; utrumlibet vobis placuerit. Cujus loci territorium extenditur circumquaque per leucam unam; silvam habens optimam; terræ arabilis & bonæ triginta carrucatas, aquam piscibus refertam, & aptam navigio portando usque in ipsam Leodiensium Civitatem.

DEDI prætereà ferrariam optimam, quam habeo suprà Mosam fluvium contra Clarummontem, cum aisantiis totius terræ meæ. Undè rogo,

rogo, & obnoxiè deprecor, quatenus assumpto uno, aut duobus Co-Abbatibus vestris, maximè Abbate (3) Boni-fontis, cumque Cellerario vestro, cum duobus Fratribus Laicis, qui terræ cognoscendæ, & colendæ periti sint, præsentiam vestram nobis exhibeatis. Meliùs enim in Capitulo generali, & fidentiùs super qualitate loci testimonium perhibebitis, si eum priùs oculis lustraveritis. Neque dubium geratis, quin hæc, & alia his plura liberè vobis tradam, assensu omnium heredum meorum. Valete.

(1) SIGNIACENSI, vulgò *Signi*, antiqua & Illustris est Ordinis Cisterciensis Abbatia, filia Claræ-vallis, in Diœcesi Remensi.

(2) ABBATIA, quæ nunc dicitur VALLIS S. LAMBERTI, primum Fundatorem habuit *Ægidium* Comitem Claro-montanum circa annum 1188, primis Monachis è Signiacensi Cœnobio evocatis. Prima habitatio fuit in loco, cui nomen *Pleinevaux*, ad Urtam fluvium, in Condrusio, dictaque fuit Abbatia *B. Mariæ de Rosariis*, vulgo *Rosieres*. Unde in hunc usque diem Monasterii Sigillum exhibet B. Mariam è Roseto existentem.

Postmodùm visa fuit hæc habitatio minùs commoda, Religiosique Signiacum redierunt. Tum HENRICUS Limburgi Dux, alter Fundator, alium commodiorem locum in sua ditione Religiosis Signiacensibus obtulit, eosque largiùs dotavit circa annum 1196.

Postremo Leodiensium Episcopus HUGO PETRA-PONTIUS extruendo novo Cœnobio locum dictum *Mautorum Campum* obtulit anno 1202, situ ad Mosam peramœno, haud procul Leodio, qui nunc dicitur VALLIS S. LAMBERTI, ubi Abbatia hodieque est florentissima.

(3) BONUS FONS, Abbatia est Religiosorum Cisterciensium in Theorascia, sub Diœcesi Remensi, filia Abbatia Signiacensis.

CAPUT CXIX.

LOTHARIUS *Episcopus Leodiensis confirmat fundationem Abbatiæ Religiosorum Cisterciensium, quæ nunc dicitur Vallis S. Lamberti, anno* 1192.

Additio. IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego LOTHARIUS Dei Gratiâ Leodiensis Episcopus, omnibus ad quos Litteræ istæ pervenerint notum esse volo, quòd Julius Comes * Duracensis pro remedio animæ suæ, Antecessorum, Successorumque suorum, dedit Ecclesiæ Signiacensi, ad construendam Abbatiam, Insulam, quæ dicitur *Rosiers*, & Pratum Piscatorum quòd contiguum est Insulæ, cum terra adjacente, & totum ex integro tenementum Sarti de Strivel, quòd his terminis clauditur.

* Duras,

A latere uno cingitur nemore Episcopali, à latere altero rivo quod oritur Trealtesrwaux, & descendit per Martain usque ad Urtam; ab inferiori parte clauditur Urtâ flumine à Martain usque ad Fresalise, & à Fresalise usque ad nemus Episcopale; à parte superiori à nemore Episcopali usque ad ortum rivi supra Trealtesrwaux limitatur.

QUIDQUID infra prædictos terminos continetur, Villas, homines, censum, medietatem, decimam, terram, nemus, injunctiones, justitiam, jura, reditus universos, sicut hactenùs ipsius juris fuerant, Fratribus ibidem manentibus liberè & absolutè perpetuò possidendum concessit; laude & assensu Henrici Ducis de Limbourg, de cujus feudo erat locus, & Werrici de Valcourt, & Filiorum ejus, universorumque heredum.

DEDIT præterea, eisdem laudantibus, aisantia totius terræ suæ, in silvis, aquis, pratis & pascuis, tam in bosco, quàm in plano, & mineriam ferri, quæ sita est supra Mosam, contra Clarummontem, & piscaturam Urtæ liberam, ut nullus, exceptis Fratribus, piscari audeat à Martain usque ad Vennam, quæ sita est ex altera parte Villæ quæ Hans dicitur. Reliquum piscaturæ suprà & infrà, eisdem Fratribus dimisit, ad medietatem piscium reddendam Domino, quoties nuntium suum miserit. Quòd si Dominum abesse contigerit, quamdiu absens fuerit, Fratrum infirmorum usibus pars Domini reddetur, excepto quod duo aut tria piscium servitia, cuicumque voluerit amicorum suorum Dominus dari præcipiet.

NOTANDUM præterea, quod præfatus Comes, ad ampliandum locum, rebus & hominibus concessit, ut si quis hominum suorum, se & sua, loco prædicto vellet conferre, liberè id faceret, & de tenentiis quæ de eo tenentur in feodum, ab his qui tenent, absque calumnia fieri posset eleëmosyna.

DONUM hoc Gilonis Comitis, recognovit & laudavit Wericus de Valcourt & Filius ejus Terricus, in præsentia nostra, & Cleri.

TESTES,
Signum Auberti Præpositi,
S. Hugonis de Petra-ponte Archidiaconi,
Simonis Decani,
Arnulphi Decani de Sancto Martino,
Joannis Magistri de Sancto Paulo,
Magistri Rudolphi Canonici,
Bedonis de Hosceмont,
Festradi de Dormatio,
Werici Dapitere,
Juliani de Vasart, &
Godefridi Fratris ejusdem,
Conrardi de Loncins,
Winandi, &
Lerrici Civium. 1192.

Actum Verbi Incarnati anno millesimo centesimo nonagesimo secundo, Indict. V. Epacta IV. concurrente III.

Datum per manum Henrici Cancellarii.

CAPUT

CAPUT CXX.

Vulgò Clermarais.

Claræ-paludis Abbatiæ Monachorum Ordinis Cisterciensis, in Artesia, beneficium præstatur, anno 1194.

EGO PHILIPPUS Dei gratiâ de Bergis, & Ego STEPHANUS DE BALANCHS, Abbates, & Ego MATHILDIS de Broburgh Abbatissa, notum fieri volumus, quòd Ecclesia de Claromaresch absolutè, & homines de Lon, fide interpositâ, compromiserunt in Nos super terris & fossatis, quæ continentur in Parochia de Lon, de quibus querela inter eos vertebatur, ut controversia eorum nostro dirimeretur arbitrio.

HORUM autem allegationibus utrimque auditis, ut prædicta Ecclesia prædictas terras cum fossatis in pace possideret, decrevimus ut eadem Ecclesia prædictis hominibus quadraginta libras Flandrensis monetæ tribueret; quod & factum est. Testes sunt,

Bordinus Decanus,
Joannes,
Michaël, Sacerdotes,
Malgerus de Lon,
Illustris etiam BEATRIX Domicella de Broburgh.

ACTUM est hoc anno millesimo centesimo nonagesimo quarto. 1194.

CAPUT CXXI.

Vide suprà pag. 675.

BALDUINUS MAGNANIMUS, *Flandriæ Hannoniæque Comes, & Marchio Namurcensis, Ecclesiæ Condatensi B. Mariæ in Hannonia benefacit, anno* 1195.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen.

NOTUM sit universis Christi fidelibus, quòd Balduinus Comes Haynoniæ, Marchio primus Namucensis, Balduini Comitis & Alidis Comitissæ Filius (qui ex parte ejusdem Matris suæ, & Henrici Avunculi sui, Namucensis & Luceburgensis Comitis, jure hereditario Namurcum adeptus fuit, unde factus fuit Marchio Namucensis & Princeps Imperii) Uxorem habuit Nobilissimam *Margaretam*, Theodorici Comitis Flandriæ Filiam, Philippi Comitis Flandriæ & Viromandiæ Sororem, de qua Filios habuit, videlicet *Balduinum*, *Philippum*, *Henricum*, Milites egregios, & Filias..... quarum una fuit *Elisabeth* gloriosissima Francorum Regina, Philippo Francorum Regi desponsata.

PHILIPPO quippe potentissimo Flandrorum ac Viromandiæ Comite defuncto, prædictus Balduinus Comes Haynoniæ, Marchio Namucensis, cum Uxore sua Margareta, Flandriam per aliquot annos possedit. Defunctâ autem Margareta & Brugis sepultâ, Balduinus eorum Filius in Comitatum Flandrorum successit, & Patre suo sæpedicto defuncto, Balduinus Comitatum Haynoniensem, & Marchiam Namucensem Philippus ejus Frater obtinuit.

Sæpedictus autem Balduinus Comes Haynoniensis, Marchio Namucensis, saluti animæ suæ propensiùs volens providere, in Condatensi Ecclesia B. Mariæ, Altare in honore S. Petri Apostoli, ante introitum Chori instituit: in quo Altari Missa quâque die Dominicâ de S. Spiritu, aliis verò diebus.....

TESTES, Balduinus Comes Haynoniæ,
Balduinus Cambronensis,
Hugo S. Gisleni,
Bartholomæus S. Dionysii,
Abraham Maricolensis,
Nicolaus S. Foliani,
Wedericus S. Joannis Valencenensis, Abbates.

De Hominibus ipsius Comitis Testes,
Henricus, &
Willelmus Fratres ejus,
Nicolaus de Barbentione,
Eustachius de Lens,
Rogerius de Condato,
Gislebertus Montensis Præpositus,
Seiwardus de Marlis,
Rogerius de S. Petro.

De Ecclesia Testes,
Petrus Præpositus,
Georgius Decanus,
Godefridus Custos,
Eustachius Frater ejusdem Comitis, & plures alii.

ACTUM in solennitate Conceptionis Gloriosæ Virginis Mariæ, anno millesimo centesimo nonagesimo quinto. 1195.

CAPUT CXXII.

HENRICUS *Dux Limburgi rogat circa annum* 1196. *Abbatem Cistercii, ut remittat Religiosos, qui ob loci insalubritatem recesserant, promittens se alium locum opportuniorem in terris suis concessurum, ad fundandam Abbatiam, quæ nunc est Vallis S. Lamberti Ordinis Cisterciensis, juxta Leodium.*

Additio. DOMINO Cisterciensi, & ceteris Co-Abbatibus ad generale Capitulum constitutis, HENRICUS de Lemborc salutem & paratum obsequium. Rogamus universitatem vestram, & attentiùs deprecamur; quatenùs Conventum, quem D. Abbas Signiaci à Roseriis revocavit, autoritate vestrâ redire faciatis. Providebimus enim per Dei gratiam, quòd ad sinum Matris reverti de cetero nullâ occasione cogentur.

SI enim de loci angustia, vel incommoditate conquerantur, licèt eos ibi manere mallem, quàm alibi, tamen si in tota terra mea sedem sibi gratiorem invenerint, paratus sum eis impertiri.

AD ultimum etiam, si aliter fieri non potest; malo aliàs secundùm optionem ipsorum Claustrum construi, salvis sibi possessionibus quas contuli; & salvo Mihi, ac Successoribus meis, Jure Patronatûs, & suffragiorum patrocinio; quàm in confusionem meam, & dedecus Ordinis, opus tam solemniter inchoatum sine debito defraudari. Quinimo etiam omnibus negotiis, ubicumque meo indiguerint auxilio, me fidelem invenient, & propitium adjutorem...

CAPUT CXXIII.

BALDUINUS *Flandriæ & Hannoniæ Comes, pòst Imperator Constantinopolitanus, Monasterio S. Dionysii prope Montes Hannoniæ anno* 1197. *benefacit.*

BALDUINUS, Comes Flandriæ & Hannoniæ, universis tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

CONSTAT quòd Prædecessor meus BALDUINUS Comes Hainoensis, Balduini Comitis Flandrensis & Hainoensis & Richeldis Comitissæ Filius, Ecclesiam S. Dionysii in Broqueroia fundavit, & eam allodio suo adjacente, in quo Villa sita est, assensu Matris suæ RICHELDIS Comitissæ, legitimè dotavit, & prædictam Villam eidem Ecclesiæ contulit. Quæ quidem omnia Avus meus *Balduinus* Comes Hainoensis, & Pater meus *Balduinus* Comes Hainoensis & Marchio primus Namucensis, eidem Ecclesiæ recognoverunt & confirmaverunt.

ITEM allodium de *Obrechies*, cum servis & ancillis, silvis, pratis, paludibus & molendinis, terris cultis & incultis, omninò liberum Ecclesiæ collatum, Avus meus sæpedictæ Ecclesiæ recognovit.

AD hæc etiam satis constat, quòd Prædecessor meus sæpedictus, Ecclesiæ S. Dionysii Fundator, incisionem lignorum in silva de *Havrets*, quam tunc temporis ad manus suas propriam habebat, ad omnes usus ipsius Ecclesiæ perpetuò, tam in structura ædificiorum, quàm in fomentis ignium, sæpedictæ Ecclesiæ concessit. Quam incisionem diu habitam tam Avus quàm Pater meus eidem Ecclesiæ recognoverunt & confirmaverunt.

DUM verò super incisione illa diu habita gran- dis inter *Henricum* Castellanum Montensem, Fidelem meum (cujus Antecessores à meis Antecessoribus de proprietate illius silvæ, post concessam incisionem, infeodati fuerant) & Ecclesiam S. Dionisii oriretur dissensio; tandem communi Ecclesiæ & Henrici consensu, pacis perpetuæ seriem inter ipsam Ecclesiam & Henricum Castellanum ordinavi.

ABBAS siquidem & Capitulum Ecclesiæ juri incisionis illius prorsus renuntiavit. Henricus autem sæpedictus Castellanus quartam partem nemoris prædicti ultrà fluvium Hainam, versùs S. Dionysium, tam in fundo quàm in comblo, liberam & quietam in manus meas reportavit, & illi parti prorsus renuntiavit.

Ego verò illam nemoris quartam partem, in manus meas liberè resignatam, tamquam meam propriam ab omni Advocatia & villicatione & forestaria; & quorumlibet hominum incisione liberam & emancipatam, sæpedictæ Ecclesiæ S. Dionysii in eleëmosynam, tamquam proprium allodium perpetuo possidendum, liberè & legitimè donavi. Testes,

Philippus Comes Namucensis, Frater meus,
Henricus Frater meus,
Henricus Patruus meus,
Gerardus de Jacea,
Walterus de Avesnis,
Alardus de Cimaco,
Eustacius de Lens,
Nicolaus de Barbentione,
Willelmus Patruus meus,

Gillebertus

Gillebertus Præpositus Montensis,
Walterus Præpositus Malbodiensis,
Gossuinus Præpositus Sonegiensis,
Nicolaus de Ruminio,
Walterus de Villa,
Gerardus de Proui,
Gossuinus de Wavrin,
Engelbertus de Aenghien,
Henricus Castellanus Binchiensis,
Gillenus Castellanus Bellimontis,
Renardus de Strepi;
Henricus de Nasta,
Simon de Havrets;
Renerus de Montibus.

ACTUM anno millesimo centesimo nonage- 1197
simo septimo.

CAPUT CXXIV.

Idem BALDUINUS *Comes benefacit eidem Abbatiæ S. Dionysii Ord. S. Bened. anno* 1198.

BALDUINUS, Comes Flandriæ & Hannoniæ, universis tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

WILLELMUS Miles, Advocatus Montensis, qui in nemoribus de *Obourcq* habebat partem de jure Advocatiæ, omnem partem quam in nemoribus illis habebat, in omni jure & proventu, omnibusque commodis, cum brueria suprà S. Dionysium versùs *Castel*, & cum terra infrà nemus, in manum viri nobilis Domini sui Eustacii de
Ruex. Ruez, à quo ea in feodo tenebat, reportavit, sub testimonio quàm plurium Parium suorum, ipsius Eustacii fidelium Hominum. Et in his nihil juris ulteriùs sibi suisque heredibus retinens, interveniente Filiæ suæ *Mariæ* primogenitæ, & Mariæ viri *Petri* laudamento legitimo, ore proprio sibi abjudicavit, & à Paribus suis, Domini sui Eustacii Hominibus, adjudicari fecit, ut ea legitimâ donatione in proprietatem Ecclesiæ S. Dionysii in Brokeroia devenirent.

EUSTACIUS verò in mea constitutus præsentia Montibus in Castro, sub testimonio Parium suorum, quia hæc prænominata de feodo Paritatis suæ & stagii Montensis à me tenebat, ipsa in manum meam liberè reportavit.

EGO autem hæc omnia prædicta in manus meas resignata, & primò, sicut prædictum est, Willelmo ore suo proprio, & à Paribus suis; deinde Eustacio per os suum proprium & per Pares suos abjudicata, Ecclesiæ S. Dionysii, per manum Domini Bartholomei ejusdem loci Abbatis, in eleëmosynam perpetuam donavi.

TESTES Fideles mei ipsius,
Walterus de Avesnis,
Eustacius de Lens,
Willelmus Patruus meus,
Willelmus de Kevi, & alii Nobiles Fideles mei;
Gillebertus Præpositus Sancti Germani in Montibus,
Walterus Præpositus Malbodiensis,
Walterus de Villa,
Godefridus de Tuin,
Buissardus de Borghella.

De Fidelibus verò Eustacii Hominibus Testes,
Hugo de Crois,
Walterus prædictus de Villa,
Henricus Castellanus Montensis,
Robertus de Carneriis,
Simon de Hosden;
Balduinus, agnomine Bajulus;
Alardus de Ruez,
Gillebertus de S. Dionysio, & quàm plures alii.

ACTUM anno millesimo centesimo nona- 1198
gesimo octavo.

CAPUT CXXV.

Idem BALDUINUS *Comes benefacit Capitulo Nivellensi, anno* 1198.

EGO BALDUINUS Flandriæ & Hainoniæ Comes notum fieri volui universis, quòd post longas contentiones, quibus Joannes Miles agnomine *Trive* Ecclesiam Nivellensem in bonis, quæ ipsa Ecclesia in Villa & potestate de *Giveri* habet, diu vexaverat, ipsa Ecclesia & Joannes prædictus in bonum pacis perpetuæ convenerunt: ita quidem quòd Joannes & ejus filii Gerardus & Walterus, & ipsius Joannis Frater Rolandus, penitus renuntiaverunt in bonis prædictis, & eadem ore proprio sibi abjudicaverunt, & à Paribus suis, & ab Hominibus meis sibi abjudicari fecerunt.

Ad hæc Ecclesia Nivellensis prædictis Hominibus concessit unum bonarium terræ, & promerium unum prati in potestate de Giveri, & mansuram unam sub annuo censu XXXI. denariorum Hainoniensis monetæ, in Natali Domini solvendorum. Testes,
Guilelmus Patruus meus;
Nicolaus de Barbencione,
Eustatius de Rues,

Egidius de Trasiniis,
Hugo de Crois,
Nicolaus de Condato,
Egidius de Brena,
Gillenus Castellanus Belli-montis,
Gossuinus de Heriepont, & quàm plures alii.

Actum Binchii, anno millesimo centesimo nonagesimo octavo. 1198.

CAPUT CXXVI.

Idem Balduinus *Comes benefacit Abbatiæ S. Joannis Valencenis anno* 1200.

EGo Balduinus, Flandriæ & Hainoensis Comes, notum facio, quòd Ecclesiam S. Joannis Baptistæ de Valencenis, & quidquid inpræsentiarum possidet, vel in posterum est possessura, in mea protectione suscipio; Ordinemque, qui secundùm Regulam & Institutiones B. Augustini in ea observatur, laudo & approbo, & Successores meos, ut eamdem Ecclesiam in sempiternum manuteneant, exoro.

Quod ut stabile perseveret, præsentem Paginam proprii Sigilli appensione munivi, & testium, qui interfuerunt, subscriptionibus roboravi.

S. Uxoris meæ Mariæ, Flandrensis & Hainoensis Comitissæ,
S. Willelmi Patrui mei,
S. Nicolai de Barbencon,
S. Raineri de Trith,
S. Gisleni Castellani de Bello-monte,
S. Petri de Duaco,
S. Godefridi Fratris mei, Cameracensis Arch.
S. Egidii de Trasegnies,
S. Gerardi de Maucicourt,
S Raineri de Montibus,
S. Alulfi de Struem,
S. Magistri Guteri,
S. Heluini, Clericorum meorum,
S. Balduini Senescalci mei.

Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo, v. Kalendas Aprilis, in Capella mea quæ dicitur Gloriele, apud Valencenas. 1200.

Ego Balduinus Flandrensis & Hainoensis Comes, omnibus notum facio, quòd (1) Jerosolymam profecturus, tempore discessûs mei, quidquid exactionis & talliæ in terris Beati Joannis Baptistæ de Valencenis, quæ sunt apud Villam de *Estruem*, singulis annis accipiebam, eidem Ecclesiæ in eleëmosynam in perpetuum contuli, penitus & remisi.

Ut igitur hujus donationis eleëmosyna rata futuris temporibus observetur, præsentem Paginam Sigilli mei appensione & subscriptorum testium annotatione dignum duxi roborare.

S. Mariæ Uxoris meæ, Flandrensis & Hainoensis Comitissæ,
S. Willelmi Patrui mei,
S. Balduini de Lobes,
S. Hugonis Kaprioli de Querceto.

Actum apud Valencenas, anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo, v. 1200.
Kalendas Aprilis.

(1) JEROSOLYMAM PROFECTURUS. BALDUINUS Flandriæ Hannoniæque Comes, in Terræ sanctæ subsidium cruce signatus, anno 1203. in iter versus Venetias sese dedit, inde in Syriam, ut speraverat, trajecturus.

MARIA Uxor ejus, quæ tunc erat gravida, postquam Margaritam Filiam peperisset, Maritum suum subsecuta, mari mediterraneo emenso, ex Massilia Aconem appulit: ubi existens Maritum suum à Latinis Imperatorem Constantinopoli anno 1205. electum fuisse læta intellexit; sed paulò post ibidem obiit: ut fusè narrat Geofridus de Villa-Harduini in Historia Expeditionis Constantinopolitanæ: ex qua de Balduini Comitibus hæc habe.

1202. INITIO Quadragesimæ post feriam Cinerum BALDUINUS Flandriæ & Hannoniæ Comes, & ejus Uxor *Maria*, Theobaldi Campaniæ Comitis Soror, Brugis Crucem assumpserunt.

POSTEA Henricus ejus Frater, Theodericus ejus Cognatus, Filius Philippi Flandriæ Comitis, Guilielmus Advocatus Betuniæ, Cono ejus Frater, Joannes de Neelle Castellanus Brugensis, Rainerus de * Trait (* Trit.), Rainerus ejus Filius, Mattheus de * Valencort (* Walincourt), Jacobus de Avesnis, Balduinus de * Belveior (* Beaumont), Hugo de Belines, Girardus de Machicort, Hugo de Ham, Guilielmus de Gomeignies, Drogo de * Belraim (* Beaurain), Rogerius de Marche, Eustachius de Sambruic, Franco de Colemy, Gualterus de Bousiers, Reinerus de Montibus, Gualterus de Stombe, Bernardus de * Soubrenghiem (* Somerghem), & alii multi similiter Crucem assumpserunt.

POST hos Hugo Comes S. Pauli, & cum eo Petrus de Ambiano ejus Cognatus, Eustachius de Cantelen, Nicolaus de Mailly, Anselmus de Lien, Guido de Hoideng, Gualterus de Neelle, Petrus ejus Frater, & multi alii Cruce se signarunt.

Item Ægidius de Trazignies (qui erat homo ligius Balduini Flandriæ & Hanoniæ Comitis, & ab ipso acceperat summam quingentarum librarum, ut comitem se adjungeret in bello sacro:) item Abbas de Loz, Henricus de Araines, Theodericus de Loz (postea Senescallus Imperii Constantinopolitani) Henricus Dorine, Theodoricus de * Dies (* Fortè Diest.), Alexander de Villers.

ITEM quidam de Flandria qui vocabatur Ægidius de Landas, Magister Joannes de Noviomo, qui erat Cancellarius Balduini Flandriæ Comitis, Jacobus de * Avernes (* Fortè Avelnes.), Guido Castellanus de Coucy, Rogerus de Saint-Cheron, Balduinus de Neuville, Balduinus de Aulbigny.

ITEM Eustachius Frater Henrici postea Imperatoris Constantinopolitani, Walterus de Escornay, Anselmus de Calieu, Carolus de Vercli, Jacobus de Bondine, & alii.

EX Syria in Græciam venerunt Hugo de Tabaria, Radulfus Frater ejus, & Theodericus de Tenremonda, postea Conestabilis Romaniæ.

Sic ferè Villharduinus.

CETERÙM de expugnata per Latinos Constantinopoli exstat in Annalibus Arnoldi Lubecensis Epistola Ducum seu Principum, ad Othonem IV. Cæsarem scripta; itemque Epistola Balduini Imperatoris Constantinopolitani, à nobis edita in Cod. Donationum piarum cap. 101.

CAPUT

CAPUT CXXVII.

Canonici S. Petri Lovanienſis anno 1200. FRANCONI *conferunt Vicariam Eccleſiæ S. Gertrudis, quæ nunc eſt Abbatia Nobilis Canonicorum Regularium in eadem Urbe.*

NOtum ſit omnibus, quòd ego Henricus, Dei gratiâ Eccleſiæ S. Petri in Lovanio Præpoſitus, & ſeptem Canonici (quorum hæc ſunt nomina, Gerardus Filius Villici, Simon Epiſcopus, Goſſuinus de Nivella, Henricus de Liera, Arnoldus de Bruxella, Joannes de Sterrebeka) & Ego Henricus Præpoſitus ſeptem aliorum, ad quos ſeptem ſpectat donatio omnium Capellaniarum Lovanienſis Parochiæ, contulimus Vicariam Eccleſiæ S. Gertrudis in Lovanio Magiſtro Franconi, viro idoneo & litterato, in perpetuum habendam. Et ut hoc ratum permaneat, præſens ſcriptum Ego Præpoſitus auctoritate mei Sigilli confirmavi, & præterea nos ſeptem Canonici præfati Sigillum Eccleſiæ noſtræ appoſuimus.

HUJUS rei teſtes ſunt Canonici noſtri, Balduinus Cantor & Magiſter Scholarum,

Godefridus,

Alſſo,

Lambertus de Peudela,

Simon Filius Ducis,

Franco Villici Filius & alii.

Item Vicarii Eccleſiæ,

Godefridus Abeloi,

Walterus Cuſtos,

Franco Filius Walteri,

Franco Canis,

Henricus Clericus: Parochiani,

Lambertus Clericus Præpoſiti,

Arnoldus Bec & alii.

Item Vicarii Capellarum,

Joannes de Hove,

Herſo de Capella,

Jonas de Blyſt,

Sigerus de S. Michaële.

ACTUM anno milleſimo ducenteſimo, Innocentio Papâ, Alberto de Kuc Præſule. 1200.

Vide ſuprà pag. 114.

CAPUT CXXVIII.

ROGERIUS *Condati pro parte Dominus, circa annum* 1200. *dotat Collegium Canonicorum Condatenſium in Hannonia.*

Condé.

SCIANT præſentes & poſteri, quòd Ego ROGERIUS, in parte Dominus de Condato, contuli Eccleſiæ B. Mariæ apud Condatum omnem portionem, quàm in decimatione totius ſecoli de Condato habebam.

HANC autem decimationem dicta Eccleſia duobus filiis meis Clericis *Godefrido* & *Gualtero* contradidit, quoad vixerint, percipiendam.

ITA tamen quòd altero decedente, reliquus nihilominùs eandem decimationem totam percipiet: ambobus verò defunctis, Eccleſia liberè & abſolutè illâ utetur ut propriâ.

UT autem prætaxata Eccleſia jam dictâ gaudeat decimatione, Chartam hanc, cum Sigillorum mei & *Nicolai* Filii mei, de cujus conſilio & aſſenſu hoc factum & aſtipulatum, appenſionibus, prædictæ contuli Eccleſiæ.

PETRUS Condatenſis Eccleſiæ Præpoſitus, G. Decanus, & totum ejuſdem loci Capitulum univerſis, ad quos præſentes Litteræ pervenerint, ſalutem in vero Salutari.

Noverit univerſitas veſtra, quòd inter Eccleſiam noſtram & domum ſive locum de *Macourt*, quæ domus infrà terminos Eccleſiæ & Parochiæ noſtræ ſita eſt, de conſilio diſcretorum & Nobilium Virorum, ad hunc tandem pervenimus compoſitionis modum....

UT autem pactiones dictæ ratæ & inconcuſſæ permaneant, Sigillo Domini & Patroni noſtri primi *Balduini* Flandrorum & Haynoenſium Comitis, & (1) *Walteri* de Aveſnis, & (2) *Rogerii* de Condato, patronorum ſimiliter noſtrorum in parte, & noſtro etiam Sigillo fecimus communiri: Sigillo præterea Domini *Henrici*, Fratris Comitis Flandriæ & Haynoniæ.

TESTES, Nicolaus de Condato, &

Gerardus Frater ejus,

Carolus de Fraſne,

Hugo de veteri Condato, & Matthæus Filius ejus, & Egidius de Denaing, Milites, cum omnibus aliis, qui Sigilla ſua appoſuerunt, & toto Capitulo Condatenſi.

ACTUM Condati anno Incarnati Verbi milleſimo ducenteſimo. 1200.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen. Cum omnia depopuletur mortalis corruptio, ſenectutis & mortis nulla eſt inter mortales aſſertio poſt mortem tam veridica & teſtimonialis, quàm atteſtatio litteralis.

QUAPROPTER omnibus noſtræ conditionis naturaliter ingredientibus viam univerſæ carnis, eorum teſtimonio ſecum præeunte, per hoc

Scriptum testificamur præsentibus & futuris, quia Ego Walterus de Avesnis, & Ego Rogerius, Domini de Condato, hominibus nostris Condatensibus, tam natis quàm nasituris, tota paseua, infra Allodium Condati, territorio Brabantiæ contermina, concorditer & benigno assensu nostro, per manum Egidii nostri ibidem Villici, in perpetuum contulimus.

Hanc autem Donationis nostræ conditionem imparentes, constituimus quòd singulis annis in festivitate S.Dionysii quinque solidos Valencennensis monetæ pro censu Nobis persolvant. Ut verò traditio ista rata & illæsa permaneret, Sigillis nostris, & testium subaratorum annotatiooe præsentem Paginam corroboravimus.

Signum Walteri de Proisy.
S. Bernardi de Houseans.
S. Willebaldi de Buillemont.
S. Walteri de Frasne.
S. Hugonis & Matthæi de Vies-Condet, Militum.
S. Egidii Majoris.
S. Everardi,
Terriei,
Goberti,
Laurentii,
Hellini,
Werinici,
Condatensium Scabinorum.

Si quis autem Traditionem istam in posterum infirmare præsumpserit, anathema sit.

Fiat, fiat in perpetuum.

HAs Tabulas, ut & alias, ex archivo Ecclesiæ Condatensis fideliter depromptas, R. D. Bartholomæus Petit, ejusdem Ecclesiæ Canonicus, antiquitatum Belgicarum peritissimus, nobiscum communicavit. Sunt au-
1150. tem scriptæ circa annum millesimum ducentesimum, quo *Walterus* de Avesnis & *Rogerus* de Condato dominium Condatense simul & indivisim possederunt.

Hinc liquet à quatuor & ampliùs sæculis Condatum duos habuisse Dominos (ut & Asca olim, & Trajectum Mosæ, itemque Grimberga etiamnum habent) usque ad tempora Mariæ Montmorenciæ, quæ primùm Carolo Comiti de Lalain, pòst Petro Ernesto Comiti Mansfeldio nupta fuit, & alterum ex Dominiis Condatensibus à Ludovico Borbonio Duce Montpenserio circa annum 1560. vivente marito priore, alterum à Christophoro Ersingio, origine Germano, vidua existens, pretio comparavit.

Utrumque igitur Dominium Maria Montmorencia prima possedit: cujus Filius Emanuel de Lalain, (Marchio de Renty jure Uxoris Annæ de Croy) reliquit Filiam unicam heredem *Joannam* utriusque ditionis Condatensis Dominam, nuptam Joanni Croyo Comiti Solrano, hodieque superstiti. Ex quibus natus Philippus-Ambrosius, & Filiæ duæ Gulielma & Anna.

(1) Walterus Dominus de Avesnes, Condè, Leuse, Landrechies & Treslon (Filius Jacobi de Avesnis, Viri fortissimi, qui in Syria apud Assur anno 1191. occubuit) duxit Margaritam Comitissam Blesensem.

(2) Rogerius Condati pro parte Dominus duxit primò *Alidem*, Gosuini Castellani Montensis Filiam, secundò *Beatricem* viduam; cui Beatrici Filia fuit Agnes, infra ad annum 1218. memoranda. Ex Alide nati sunt *Nicolaus* Condati Dominus, *Godefridus* Cameracensis Episcopus anno 1234. defunctus, & *Gualterus* Cameracensis Ecclesiæ Thesaurarius.

Nicolaus Condati Dominus duxit N. Filiam heredem Arnulfi de Morelli-manso, *Moriamez*, in agro Leodicensi. Ex quibus nati, *Jacobus* Condati & Ballioli seu Bellioli in Hannonia Dominus, & *Elisabetha* de Moriamez, Uxor Roberti Betuniæ ac Teneræmondæ Domini, anno 1248. defuncti, ut suprà pag. 396. diximus.

- *Rogerius Dominus Condati 1150. duxit A. lidem, 2. Beatricem.*
  - Ex 1. *Nicolaus Dominus Condati.*
    - *Jacobus Dominus Condati & Ballioli 1245.*
      - *Nicolaus Dominus Condati & Ballioli.*
    - *Isabella Uxor Roberti Domini Betuniæ, qui obiit 1248. pag. 396.*
      - *Mathildis Uxor Guidonis Flandriæ Comitis, pag. 396.*
  - *Godefridus Episcopus Cameracensis, obiit 1234.*
  - *Gualterus Thesaurarius Cameracensis.*

CAPUT CXXIX.

Henricus *Dux Limburgi fundat anno* 1200. *Abbatiam Vallis S. Lamberti, de qua suprà pag.* 719.

EGo Henricus Dux de Lembore, & Marchio de Arlo, omnibus in Christo fidelibus salutem in perpetuum. Notum facimus universitati vestræ, quòd Abbati, & Fratribus, qui de Segniaco venientes in Episcopatu Leodicensi construxerunt Abbatiam, damus in eleëmosynam pro remedio animæ nostræ, Antecessorum, Successorumque nostrorum, & pro recompensatione viæ Jerosolymitanæ, quam propter hoc D. Papa remisit, locum de Roseriis, & sartum d'Estriveal totum, Strivenu.
ut liberè, & quietè illud possideant, & utantur, quomodocumque voluerint, & ad utilitatem suam; & loco, in quo perpetuò mansuri consederint, & Claustrum ædificaverint.

Damus præterea aisantias totius terræ meæ in campis, aquis, silvis, & pascuis, etiam faginæ, & glandium, gratis: & ut ipsi, & res

eorum

corum sub mea sint protectione, & defensione in omni loco dominationis nostræ.

Hæc ut rata permaneant præsenti conscriptione, & sigilli nostri appensione jussimus roborari.

Actum Verbi Incarnati anno millesimo ducentesimo. 1200.

CAPUT CXXX.

Henricus I. *Brabantiæ Dux, ejusque Frater* Guilielmus, *Dominus de Peruwes & Rusebrouck, dotant Cœnobium Bruxellense S. Jacobi in Monte frigido, anno* 1201.

Notum sit tam præsentibus quàm futuris, quòd Ego Henricus Dux Lotharingię terram in *Rusbruc*, quæ Wilhelmi Sacerdotis fuit, quam Wilhelmus Frater meus à censu annuo, ab omni jure suo & ab omni exactione liberam mihi resignavit & desestucavit, in usus Canonicorum S. Jacobi in Caldenberga liberam contuli, & Sigillorum, mei videlicet & Wilhelmi Fratris mei attestatione, & Testium subscriptione corroboravi. Testes

Ruysbroeck.

Cauwenbergh.

Sigerus Cameracensis Archidiaconus in Brabantia,
Michaël Parochianus,
Arnoldus Notarius,
Heinricus Villicus,
Alardus Rapa,
Arnoldus de Bigardis,
Hugo Maurus,
Walterus Bach.

1201. Actum anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo primo.

Ego Willelmus, Dominus de Perweys & de Rusebruc, omnibus hoc Scriptum intuentibus in perpetuum. Scire vos volumus, quòd Willelmus devotus Sacerdos terram quandam XII. bonaria continentem, inter terram arabilem & prata, à parentibus suis hereditario jure ei relictam, in Rusebruc nostro Dominio jacentem, libere & absolutè per Scriptum Domini & Fratris nostri Ducis Lotharingiæ in eleëmosynam contulit Ecclesiæ S. Jacobi de Caldenberga, ad usus Clericorum ibidem Deo deservientium. Censum verò & exactiones, quas eadem terra nobis debuit, prædictæ Ecclesiæ contulimus in eleëmosynam perpetuam liberrimè possidendam.

Et ut hoc nostrum Scriptum perpetuâ firmitate roboratum teneatur, Domini & carissimi Fratris nostri Sigillo ac nostro duximus utile Paginam præsentem communiri. Hujus facti Testes sunt,

Magister Sigerus Cameracensis Archidiaconus,
Heinricus Bruxellensis Decanus,
Magister Michaël,
Arnoldus Ducis Protonotarius,
Henricus de S Joanne, de .erscoet, &
Henricus de Hilduberga.

CAPUT CXXXI.

Hugo IV. *Comes S. Pauli, suprà pag.* 704. *laudatus; ejusque Uxor* Iole, *cum Canonicis S. Salvatoris in Oppido S. Pauli apud Artesios concambium faciunt, anno* 1201.

Ego Hugo Comes S. Pauli, & Jole Uxor mea, notum fieri volumus, quòd consensu generorum meorum, Galteri de Castellione, & Joannis Domini de Nigella, & Filiarum mearum Elizabeth & Eustathiæ, concambium fecimus cum Ecclesia S. Salvatoris de S Paulo super molendino quod habebat apud Manilium, in hunc modum.

Assignavimus Thesaurario prædictæ Ecclesiæ quattuordecim sextarios frumenti, ad mensuram S. Pauli, percipiendos de multura melioris frumenti, quod moletur ad molendinum in medio burgo; assensu Domini Lamberti Morinensis Episcopi, Præpositi Ecclesiæ S. Salvatoris, & consilio Balduini Decani & totius Capituli Morinensis, & Petri Thesaurarii & Canonicorum de S. Paulo. Rogavimus etiam Dominum Episcopum & Capitulum Morinense, ut super hoc concambio facto scriptum suum facerent autenticum.

Ut autem permutantia ista & excambium illibata permaneant, præsentis Scripti patrocinio communiri fecimus, & Sigilli mei & Uxoris meæ, nec non & prædictorum generorum nostrorum, & Filiarum nostrarum appensionibus Sigillorum confirmari.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo primo, mense Januario. 1201.

CAPUT

CAPUT CXXXII.

ADELISA, *Gerardi Grimbergæ & Ninoviæ Domini Vidua, dotat Abbatiam Grimbergensem Ord. Præmonstr. anno* 1201.

EGO ADELISZA Grimbergensis Ecclesiæ Advocata ...... Noverint universi, quòd post obitum Gerardi Mariti mei, Grimbergensium Principis, Liberi nostri parvuli, WALTERUS BERTOLDUS, *Gerardus* posteà dictus, & *Willelmus*, unà mecum in eleëmosynam contulerunt Ecclesiæ Grimbergensi..... Testes,

Gerardus &
Willelmus Filii mei,
Rogerus Frater meus.

DATUM anno millesimo ducentesimo primo. 1201.

Notatio de Grimbergæ, Mechliniæ & Ninoviæ *Dominis.*

I. WALTERUS I. Dominus Grimbergæ anno 1096. Diploma Affligemiense suprà pag. 78. signavit, & Monasterium Grimbergense circa annum 1110. fundare cœpit, adjutante Odone Cameracensi Episcopo, qui anno 1108. electus, anno 1113. obiit. Idem Walterus tres Filios reliquit, *Gerardum, Arnulfum & Alvericum*, ut ex Tabulis suprà pag. 96. recitatis constat. Gerardus & Arnulfus, Patre defuncto, Monasterium Grimberganum S. Norberto ejusque Sodalibus anno 1128. tradiderunt; quod Liethardus Episcopus Camaracensis anno 1132. approbavit, ut suprà pag. 96. citatâ docui.

II. Gerardo sine liberis defuncto, in Grimbergæ Dominio successit Frater *Arnulfus*, qui in prælio Grimbergano anno 1147. cecidit, relictis duobus Filiis, Waltero Grimbergæ Domino & Gerardo.

WALTERUS II. Arnulfi Filius ad Damiatam anno 1169. periit. Filium reliquit *Walterum Bertoldum*, Mechliniæ Dominum, *Ægidium Barbatum* Berlariæ Toparcham, & *Henricum* Duffelæ ac Gelæ Dominum: de quorum Posteris alibi egimus. III.

GERARDUS, Walteri II. Frater, Grimbergæ Dominus circa annum 1167. duxit Mathildem, Gerardi Ninoviæ in Flandria Domini Filiam heredem, & ex ea genuit *Gerardum & Arnulfum*, suprà ad annum 1167. pag. 541. memoratos: qui duo Fratres (ut & Posteritas ipsorum in hunc usque diem) Grimberganum municipium indivisim possederunt. Quorum quidem Posteritas quia hactenus ignota fuit, in gratiam Nobilissimæ Gentis, breviter referam quæ ex vetustis Grimbergani, Ninivensis & aliorum Cœnobiorum Tabulis hausi. IV.

Stemma GERARDI Grimbergæ & Ninoviæ *Domini.*

V. GERARDUS, Gerardi Grimbergani & Mathildis Ninovianæ Filius, Grimbergæ & Ninoviæ Dominus, duxit Adelisam (cujus Diploma jam recitavi) & anno 1188. & 1199. vixit, obiitque circa annum millesimum ducentesimum, relictis duobus Filiis *Waltero Bertoldo* (qui postea Gerardus dictus fuit) Grimbergæ & Ninoviæ Domino, & *Guilielmo* Alcæ Domino: quibus nonnemo tertium adjungit Arnoldum, & N. Filiam.

VI. WALTERUS Bertoldus, dictus postea Gerardus, Grimbergæ & Ninoviæ Dominus, Uxorem habuit Agnetem, & anno 1201. & 1227. vixit; obiitque relictis duabus Filiabus *Alicia & Agnete*: quarum posterior nupsit cuidam Ingelramno.

VII. ALICIA Grimbergæ & Ninoviæ Domina nupsit Godefrido Domino Peruiciaci, *Peruwes*, in Gallo-Brabantia, & annis 1236, 1240. & 1249. floruerunt. Ex eis nati duo Filii, *Gerardus & Godefridus*, Peruiciaci, Grimbergæ & Ninoviæ ea ordine Domini, sine liberis defuncti, & Filia una nomine *Maria*.

VIII. MARIA, Grimbergæ & Ninoviæ post Fratres defunctos Domina, nupsit Godefrido Comiti Viandæ in Agro Luxeburgensi. Vixerunt anno 1278. & 1280. & Filios duos genuerunt *Godefridum & Philippum* Rumstæ Dominum: quorum posterior, nisi fallor, Tabulas Cortebergenses suprà pag. 446. citatas ad annum 1312. signavit.

IX. GODEFRIDUS Viandæ Comes, & Grimbergæ pro parte ac Ninoviæ Dominus, duxit Alidem de Aldenarda, & anno 1285. Monasterio Ninivensi benefecerunt: ut liquet ex Tabulis infrà recitandis. Filios duos reliquerunt *Philippum & Godefridum*.

X. PHILIPPUS Viandæ Comes & Grimbergæ Dominus Tabulas Cottebergenses anno 1312. signavit, & ex Sophia de Scornaco, *Escornay*, prolem non sustulit. GODEFRIDUS itaque Philippo Fratri sine liberis defuncto in Viandæ Comitatu & Grimbergæ Dominio successit, duxitque Filiam Joannis I. Comitis Namurcensis, & ex ea unicam reliquit Filiam *Adelheidem*, Obiit in Cypro Insula anno 1337.

ADELHAIDIS Viandæ Comitissa & Grimbergæ Domina nupsit Otthoni Comiti Nassavio, qui anno 1369. obiit, Dillemburgi in Germania sepultus. XI.

JOANNES, Othonis Filius, anno 1400. moriens, ex Margarita Marcana seu Clivensi reliquit *Adolfum & Engelbertum*: quorum prior Adolfus anno 1420. moriens non nisi Filiam nomine *Juttam* reliquit. ENGELBERTUS itaque Fratri suo Adolfo in Comitatu Nassaviensi ac Viandensi, itemque in Dominio Grimbergensi suffectus, anno 1404. Joannam Polanam Bredæ & Leccæ Dominam duxit, & anno 1442. decessit, Bredæ conditus. XII.

JOANNES, Engelberti & Joannæ Polanæ Filius, duxit Mariam Filiam Joannis Lossensis seu Heinsbergensis, quæ in dotem attulit Herstallum, Ganglam, Vuchtam, Millam, Ruttam & Steinfurtum. Ex iis nati Filii duo *Engelbertus & Joannes*, & Filiæ tres *Anna, Adriana & Odilia* prima Priorissa Montis-pacis, quod Monasterium Mater prope Bredam ædificaverat, inde Liram anno 1610. translatum. Joanni attributus fuit Comitatus Nassaviensis cum Dillemburgo & aliis prædiis trans Rhenum sitis. XIII.

Cisrhenanas diriones, in his Viandam & Grimbergam, natu major ENGELBERTUS possedit: qui anno 1473. Eques Velleris aurei creatus, anno 1504. obiit, Bredæ conditus, non relictâ sobole ex Lutgarde, Caroli Marchionis Badensis Filia. Scripsitque heredem Joannem Fratrem suum, seu ejus Filium Henricum. Idem Engelbertus II. Guilielmo Duci Juliacensi Millam, Ganglam & Vuchtam cessit, & pro iis Distemium, Sichenas, Collem asperum & Vicecomitatum Antverpiensem accepit. XIV.

JOANNES, Engelberti Frater & heres, anno 1516. moriens liberos reliquit *Henricum, Guilielmum, Elizabetham & Mariam*. Ex his *Henricus* Renatum Principem Arausionensem sine liberis defunctum, *Guilielmus* Guilielmum Delfis anno 1584. cæsum & Joannem, Guilielmus Philippum, Mauritium & Henricum, Joannes Joannem, Joannis Nassavii, Equitis Velleris Aurei, Patrem genuit. XV.

De his plura vide superiùs in Stemmate Principum Arausionensium pag. 219.

Walterus

- Walterus Dominus Grimbergæ 1096. vixit, & Grimbergensem Abbatiam fundavit sub Odone Episcopo Cameracensi.
  - Gerardus Præmonstratensis evocavit, 1128. obiit sine liberis.
  - Arnulfus periit in prælio Grimbergensi. 1147.
    - Walterus II. obiit ad Damiatam 1269.
      - Walterus III. Bertoldus Dominus Mechliniæ, obiit 1219.
        - Walterus IV. duxit Adelivam de Enghien. Du-Chesne in Gis. p. 303. Idem Walterus dicitur duxisse Margaritam Filiam Comitis Britanniæ, & sic duas habuit Conjuges.
          - Walterus V. Dominus Mechliniæ duxit Mariam Arvernam, 1288.
            - Walterus VI duxit Alidem de Gisnes.
              - Joannes.
                - Joannes sine liberis.
              - Ægidius Dominus Mechliniæ sine liberis.
            - Florentius Dominus Mechliniæ. 1312.
              - Sophia Uxor Rainaldi I. Ducis Gelriæ, quæ obiit 1343.
                - Maria Uxor Guilielmi I. Ducis Juliacensis.
            - Guilielmus Episcopus Ultrajectinus.
            - Sophia.
            - Mathildis.
          - Henricus duxit Filiam heredem Castellani Montensis.
          - Alicia Domina Grimbergæ, fuit Uxor Godefridi Domini de Perunes, 1236. 1249.
            - Gerardus & Godefridus sine liberis.
            - Maria Uxor Philippi Comitis Viandæ.
              - Godefridus Comes Viandæ, Dominus Grimbergæ duxit Alidem de Aldenarda.
                - Philippus 1312. sine liberis.
                - Godefridus Comes Viandæ, Dominus Grimbergæ, obiit 1337. relictâ Adelheide Uxore Othonis Nassavii.
              - Philippus Dominus Rumstæ. 1312.
          - Agnes.
        - Ægidius.
        - Henricus.
    - Gerardus Dominus Grimbergæ duxit Mathildem, Gerardi Domini Ninivæ Filiam heredem. 1167.
      - Gerardus Dominus Grimbergæ & Ninivæ duxit Adelisam, obiit 1200.
        - Walterus Bertoldus, post dictus Gerardus, duxit Agnetem.
        - Guilielmus Dominus Ascæ 1230.
          - Guilielmus.
      - Arnulfus Dominus Grimbergæ pro parte, duxit Sophiam 1188. 1214.
        - Arnoldus Dominus Grimbergæ duxit Adelsciam 1229 ob. sine liberis.
        - Oda 1236. Domina Grimbergæ. Uxor Walteri de A. 2. Sigeri de Gandavo 1237.
          - Ex 1. Leonius de A. Dominus Grimbergæ duxit Hymanam at infra ad ann. 1256.
            - Walterus.
            - Gerardus Dominus Grimbergæ 1272 duxit Annam de Brugis.
              - Gerardus de A. Dominus Grimbergæ pro parte, 1312. 1320.
            - Imania.
            - Adelscia.
  - Alvericus.

Stemma Arnulfi *seu* Arnoldi Grimbergæ *pro parte Domini, qui fuit* Gerardi Grimbergani *&* Mathildis Ninoviæ *Filius alter.*

ARNULFUS Grimbergæ pro parte Dominus, Frater Gerardi, cujus Stemma jam explicuimus, annis 1188. 1197. 1198. 1204. 1211. 1214. floruit: ut ex variis Diplomatibus didici. Duxit Sophiam, (postea nuptam Leonio Castellano Bruxellensi) & ex ea Arnulfum seu Arnoldum & Odam sustulit. Oda anno 1236. Grimbergæ pro parte Domina, primùm Waltero de A. Domino de Pollaer prope Niniven, post Sigero de Gandavo nupsit.

ODA ex Leonio Filio Nepos Gerardus de A. duxit Annam, Filiam Geldolfi de Bruges aliàs de Gruthuse. Gerardi Filius, Gerardus de A. Tabulas Cortebergenses anno 1312. signavit, & Leonium. Leonius Joannem anno 1350. celebrem genuit. Joannis Filia & heres Joanna de A. Henrico de Bautersem, Domino Bergarum ad Zomam, & Joannæ Filia Joanna Bautersemia Joanni de Brabantia aliàs de Glimes (Joannis III. Brabantiæ Ducis Filio naturali, sed anno 1344. per Ludovicum Bavarum legitimato) anno 1418. nupsit: ut ex Emundi Dinteri manuscriptis Brabantiæ Chronicis, & ex vetustis Curiæ feudalis Brabantinæ Codicibus constat.

I. JOANNES DE GLIMES, ex Joanna Bautershemia genuit JOANNEM LABBONEM Bergizomii & Walhemii Dominum (cujus Posteritatem fusè descriptam vide superiùs Lib. I. Diplom. Belgic. Cap. 95.) & PHILIPPUM, Grimbergæ pro parte Dominum.

II. PHILIPPUS anno 1440. & 1456 floruit, & ex Joanna de Hamalia Filios duos reliquit, Philippum anno 1477. in prælio Nanceiano juxta Carolum Audacem Ducem Burgundiæ cæsum, Uxore nondum ductâ, & Jacobum.

III. JACOBUS DE GLIMES, ex Isabella de Boshuysen reliquit Georgium.

GEORGIUS, ex Philippa t'Serclasia, genuit Petrum anno 1582. sine prole defunctum, Ferricum, de quo infra, Hieronymum Abbatem Winnocibergensem Ordinis S. Benedicti in Flandria, qui obiit anno 1574, & Joannem Canonicum Cathedralis Leodiensis &c. IV.

FERRICUS, duxit Annam Sterck, Dominam & heredem de Bucquoi, Wyneghem, Staebroeck, Lichtaert, Casterlé &c. quæ septemdecim prolium Mater extitit, è quibus Georgius, qui sine prole obiit, Gerardus, de quo infra, Gulielmus ex Episcopo Antverpiensi Archiepiscopus Cameracensis obiit anno 1609. &c. V. Additio. Vide supra pag. 481.

GERARDUS, Dominus de Stabroeck, duxit Annam de Hamalia. VI.

GODEFRIDUS, Gerardi Filius, anno 1625. à Philippo IV. Hispaniarum Rege primus Comes Grimberganus creatus est. Uxorem habuit Honorinam de Hornes Dominam de Arquennes, Filiam Gerardi Comitis de Hornes & Baucignies, quæ genuit Eugenium, de quo infra, Alphonsum Archiepiscopum Mechliniensem qui obiit anno 1689. Ignatium Præpositum Chviensem, & octodecim alios liberos. Obiit Godefridus anno 1635. VII. Vide supra pag. 617.

EUGENIUS Comes Grimbergæ, Baro Arcaniæ, Toparcha de Buggenhaut, Semps, S. Amand, Rode, Weerde, Baesrode, Thisselt, Felui &c. Turmæ Legionariæ Equitum in Belgio Præfectus, anno 1641. Uxorem duxit Florentiam Margaretam de Renesse, Filiam Renati Comitis de Warfuzé & Albertinæ (aliis Margaretæ) de Egmond Dominæ de Gaesbeeck. Filios habuit Philippum Franciscum, de quo infra, & Georgium Ludovicum Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Canonicum. VIII.

PHILIPPUS FRANCISCUS, anno 1686. à Carolo II. Hispaniarum Rege renuntiatus fuit primus Prin- IX.

ceps Grimbergæ; fuit quoque Eques Ordinis Aurei Velleris, Comitatus Hannoniæ supremus Præfectus, Urbiumque Montensis, ac dein Bruxellensis Gubernator. Uxorem duxit N. de Lalaing Comitissam de Rennebourg, è qua reliquit anno 1704. Bruxellæ moriens, Filium Alphonsum Franciscum de quo infra, & N. Perillustris Ecclesiæ S. Gertrudis Nivellæ Abbatissam, pluresque alias Filias.

X. ALPHONSUUS FRANCISCUS DOMINICUS Princeps de Berghes, Eques Aurei Velleris, Uxorem duxit Annam Henricam Carolam de Rohan, ex Principibus de Montbazon in Gallia; obiit sine liberis anno 1720. die 4. Aprilis.

CAPUT CXXXIII.

* alias Montmirail.

JOANNES* *Montis-Mirelli seu Mirabilis & Oisiaci Dominus, ejusque Uxor ac liberi, Cantipratensem Abbatiam dotant*, anno 1202.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ego JOANNES Montis Mirabilis & Oisiaci Dominus, Cameracensis Castellanus, & * HELUIDIS Uxor mea, notum facimus præsentibus & futuris, quòd assensu liberorum nostrorum, videlicet *Willelmi* & *Joannis* Filiorum nostrorum, & *Elisabeth* Filiæ nostræ, donavimus in perpetuam eleëmosynam Ecclesiæ B. Mariæ de Cantiprato.... Huic autem donationi adfuerunt

* Alias Heluidis.

Benaudus de Vergeriis,
Gerardus de Castellione,
Joanne de Valle-campi,
Simon de Fontenelle,
Ivo Liwandres,
Willelmus de Vileres,
Nicolaus de Buxiaco.

ACTUM anno millesimo ducentesimo secundo, mense Martio. 1202.

- *Hugo de Oisy Castellanus Cameracensis, 1050. duxit Adam Neptem Richildis Comitis Hanoniæ.*
  - *Hugo Castellanus Cameracensis duxit Heldiardem 1130. & Valcellas fundat, obiit 1132.*
    - *Simon Castellanus Cameracensis 1160.*
      - *Hugo Castellanus Cameracensis fundat Cantipratum, duxit Margaritam Vicecomitissam Meldensem, obiit 1190. sine liberis pag. 718.*
      - *N. Uxor Andreæ Domini de Monte-Mirelli.*
        - *Joannes Dominus de Montmirail, Oisy, Castellanus Cameracensis duxit Heluidem Valcellis, sepultam.*
          - *Guilielmus*
          - *Joannes.*
          - *Elisabeth.*
    - *Filia V.*

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis Engelramus Couchiachi, Montis-Mirelli & Oisiaci Dominus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quòd Nos volumus & concedimus, quòd dilecta nostra Ecclesia de Cantiprato habeat & possideat in perpetuum viginti arpenta nemoris, quæ quondam carissimus Avunculus meus bonæ memoriæ Dominus MATTHÆUS Montis-Mirelli & Oisiaci Dominus...

DATUM anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, mense Martio. 1264.

CAPUT CXXXIV.

HUGO DE PETRAPONTE *Episcopus Leodiensis concedit anno* 1202. *Religiosis Cisterciensibus locum juxta Leodium, qui prius Maurorum Campus, nunc vero mutato nomine Vallis S. Lamberti dicitur.*

Additio ex Histor. Leodiensi

EGO HUGO Dei gratiâ Leodicensis Episcopus, omnibus in Christo fidelibus in perpetuum.

NOVERIT universitas vestra, quòd dederimus in perpetuam eleëmosynam assensu Capituli nostri, Abbati Signiacensi, & Fratribus ibidem Deo servientibus, centum triginta duo bonnaria terræ, & nemoris, in loco, qui antea Maurorum campus vocabatur, nunc autem in melius mutato vocabulo, Vallis S. Lamberti appellatur; ut ibidem construant Cisterciensis Ordinis Abbatiam.

ADJECIMUS præterea aliam possessionem, totum videlicet territorium loci, qui dicitur Chamdebure, ut in ipso grangiam ædificent.

QUIDQUID igitur infra locorum prædictorum terminos, quos metæ circumquaque positæ designant, continetur, ita quittum, & liberum, & sine aliquâ exceptione, vel exactione, tam fundum, quàm nemus, & aquam ipsis contulimus: ut si nemus conservare, aut cædere, exsartare, aut etiam vendere voluerint, liberè

liberè, & fine aliqua contradictione id faciant. Aquam præterfluentem ad omnes utilitates suas convertant; nec in ipsa cuique hominum, præterquam ipsis piscari licitum sit.

Quia verò infirmorum imbecillitas ad sanitatis recuperationem lautioribus cibis exigit sustentari, si quid fortè venatu, vel aucupio, secundùm quod Ordo patitur, infra prædictos terminos capere potuerint, ipsis concessimus.

Præterea dedimus eis aisantia pasturarum, & usum faginæ, & glandium, & ferrariæ in Banno de Serain, & de Nandren, omnis generis animalibus, tam in bosco, quàm in plano, & vias intrandi, & exeundi ad possessiones suas, & usum lapidicinæ & tegulariæ lapideæ, ubicumque invenerint. Et sub nostra protectione, & tutela eos suscepimus, & volumus ut sint liberi ipsi, & res eorum, ab omni sæculari exactione, & consuetudine; ut telonei, winagii, & similium.

Hæc ut rata permaneant, præsentem Paginam tam nostro, quàm Capituli nostri Sigillo jussimus roborari.

Actum anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo secundo. 1202.

CAPUT CXXXV.

Thomas Sabaudiæ *Princeps, ejusque Uxor* Joanna, *Flandriæ Comites benefaciunt Abbatiæ Laudensi Ordinis Cisterciensis, anno* 1202.

Thomas Flandriæ & Hainoniæ Comes, & Joanna Uxor ejus Comitissa, universis præsentes Litteras inspecturis salutem.

Noverit universitas vestra, quòd nos concedimus, & volumus, quòd de terris & aliis possessionibus, quæ sunt, aut erunt de dominio Ecclesiæ de Laude Cisterciensis Ordinis, si eas ab hominibus & hospitibus dictæ Ecclesiæ vendere contigerit, ultra quadraginta dies elapsos, eorum proximi ad terras, aut possessiones venditas redire non possint, nec venditionem factam modo aliquo revocare: ita tamen, si, antequam facta fuerit, venditio publicetur.

Ad hanc autem Concessionem nostram denunciandam coram Hominibus nostris, Thomam Baillivum nostrum Insulensem ponimus loco nostro.

Datum Insulæ anno Domini M.CC. II. mense Decembri. 1202.

CAPUT CXXXVI.

Imaïna de Los, *Abbatissa Belisiensis (vulgo Munster-Bilsen, ubi nunc Capitulum Nobilium Canonicarum) concedit Abbatiæ Averbodiensi Ordinis Præmonstratensis Personatum de Nere, anno* 1203.

Additio ex Butkens Troph. Brabant.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. (1) Imaina, Dei gratiâ Abbatissa Bilisiensis, cum Fratrum & Sororum Capitulo, notum facimus præsentibus & futuris, quod nos ex consensu Ludovici Comitis de Los Advocati de Bilisia & Averbodio, piâ intentione, Averbodiensi Monasterio, sine omni jactura Monasterii, Personatum de Nere concessimus, &c.

Actum anno Incarnati Verbi millesimo ducentesimo tertio, Indictione VI. concurrente 1203. cum II. In nomine Domini, Amen.

Additio. (1) Imaina. Filia Ludovici Comitis de Loz, fuit secunda Uxor Godefridi III. Lotharingiæ ac Brabantiæ Ducis. Erant illi ex priore Conjuge Margareta Heorici III. Limburgi Ducis Filia, duo Filii. Henricus I. Paternarum Ditionum heres, & S. Albertus Martyr, S. R. E. Cardinalis & Leodiensium Antistes: item Filia unica N. Sanctimonialis in Foresto juxta Bruxellas.

Imaina Godefrido Duci peperit Filios duos Guilielmum & Godefridum, dictos de Lovanio; quorum prior Dominia de Peruwez & Ruysbroeck in Brabantia, à Patre suo obtinuit, & longam posteritatem reliquit, relatam ab Abbate Butkens Lib. VIII. Trophæorum Brabantiæ.

Imaina, defuncto Godefrido III. Duce anno 1190, mundo ac sæcularibus curis renuncians, Monasticen amplexa est Bilisiæ, vulgò *Munsterbilsen* in Diœcesi Leodiensi prope Tungros, ubi nunc est illustre Nobilium Canonicarum Collegium, cui præest Abbatissa. Ad hanc dignitatem olim quoque assumpta fuit Imaina, obiitque circa annum 1213.

CAPUT CXXXVII.

ADAM *Dominus de VVaulaincourt benefacit Cœnobio Cantipratensi Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, anno* 1204. *&* 1207.

Suprà pag. 697. EGO ADAM, Dominus de Waulaincort, notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd cùm Hugo Fornier homo meus, in extremis laborans, Ecclesiæ B. Mariæ de Pratis quattuor modiatas.....

Signum Goberti de Vaucellis, &
Hugonis S. Autberti Cameracensis, Abbatum,
S. Walteri de Bethencort,
Walteri de Vieslir,
Joannis Creton,
Theodorici de Douci, Militum & Hominum meorum,
Pag. 686. S. Arnulfi de Landas,
Joannis de Marcoing,
Jacobi de Raillancort, Militum.

1204. ACTUM anno millesimo ducentesimo quarto, mense Martio.

OMNIBUS Christi fidelibus, ad quos præsens Scriptum pervenerit, *Adam* Dominus de Waulaincort salutem.

NOVERIT universitas vestra, quòd Adam Miles de Cauderi homo meus, & Uxor ejus Elizabeth, possessionem suam de *Iries*..... Hæc autem omnia ordinata sunt & recitata, præsentibus & testificantibus,

Goberto Abbate de Vaucellis,
Hugone Abbate S. Sepulcri,
Guidone Cantore B. Mariæ Cameracensis,
Roberto Camerario, &
Godefrido de Oisy, ejusdem Ecclesiæ Canonicis,
Balduino Buridam,
Simone de Aisemvile,
Theoderico de Douci,
Waltero de Vieslis,
Joanne de Deheries.

DATUM anno millesimo ducentesimo septimo, mense Aprili. 1207.

CAPUT CXXXVIII.

ALARDUS *Dominus de Antoing & de Croisilles benefacit Monasterio Cantipratano anno* 1207. *& Ecclesiæ Condatensi, anno* 1216.

EGO (1) ALARDUS, Dominus de Antoing & de Croisilles, notum facio præsentibus & futuris, quòd cùm carissima Mater mea *Agnes* suam vellet animam à periculo liberare, Ecclesiæ B. Mariæ de Pratis, quidquid decimæ in tota Parochia & Territorio de Ormegnies, de proprio Alodio pertinebat.... Sigilli mei impressione munivi, eorum qui adsuerunt nominibus subnotatis.

Signum Reimundi Decani de Croisilles,
S. Joannis de Croisilles, Militis,
S. Matthæi prædictæ Ecclesiæ Abbatis.

1207. ACTUM anno millesimo ducentesimo septimo.

EGO ALARDUS, Dominus de Antonio, notum facio omnibus, quòd Vir Nobilis Dominus *Matthæus* de veteri Condato, & Nobilis Mulier Domina *Eva* Uxor ejus, & ejusdem Successores, *Nicolaus* Frater suus, & Dominus Ægidius de Peronne, & Dominus Joannes de Crespinio, venditione factâ, omnes decimas quas possident in Territorio Condatensi, Ecclesiæ veteri & novæ Ecclesiæ S. Mariæ de novo Condato spontanei obtulerunt, exceptis vicinis de *Grimaumes* 1207. & de *Elmonte*.

QUÒD si fortè evenerit (quod nunquam accidat) quòd Domina Eva, prædicti Matthæi Uxor, medietatem prædictarum decimarum, quâ dotata erat, velut dotem suam velit reclamare, & exinde damnum incurrat Ecclesia, præ- 1207. dictus Matthæus quoddam feodum apud Condatum, quod de me tenet, & ad meum spectat dominium, in manu mea reddidit; & prædictæ Ecclesiæ, loco restitutionis decimarum, usque ad quattuordecim modios annuatim conferam, donec prædictâ Evâ viam universæ carnis ingressâ, vel ab hac inquietatione sedatâ, præfatæ decimæ ad præfatam Ecclesiam penitus revertantur.

PRÆTEREA si aliquis ex eorum heredibus, vel alius præfatæ Ecclesiæ de decimis istis vellet injuriari, eas illi debebo guarandire, ut Fidejussor & Dominus. Et ut omnis ambiguitas abscin- Crayn. bem. datur, Ego Alardus Dominus de Antonio decimas

(1) ALARDUS Dominus de Antonio, prope Tornacum, & de Croisilles, Filium, ut existimo, habuit Hugonem: cujus hoc exstat Diploma in Tabulario Ecclesiæ Condatensis:

Jou Hues, Sires d'Espinoit & d'Antoin, fache scavoir, que Thierris le Doyen de Condet à rapporté en main à Hommes d'Eglise de Condet huict bonniers de terre, qu'il tenas de my à Bury. Fait l'an 1232. le vigile dou Noël en mois de Decembre.

mas illas, quas sæpedictus Matthæus & Uxor ejus Eva in manu mea penitus reddiderunt, & quas judiciali sententiâ Homines mei Nobiles & Ignobiles nihil ampliùs in eis habere testificati sunt, coram Hominibus meis Nobilibus, hujus rei Testibus, super Altare Dei Genitricis Mariæ de Condato obtuli. Testes hujus venditionis, & emptionis & oblationis sunt ex Hominibus meis,

Vir Nobilis Arnulphus Dominus de Perwez,
Dominus Gosellus del Quesnoy,
Dominus Ægidius de Peronne,
Dominus Oliverius de Roucourt,
Dominus Gossuinus de le Val,
Walterus Poignes; & alii non Homines mei,
Dominus Bertholdus de Rache,
Dominus Walterus del Caisnoet,
Evrardus Presbyter illius loci.

ACTUM in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis Mariæ apud Condatum, anno millesimo ducentesimo decimo sexto, Dominicâ primâ Adventûs Domini. 1216.

EGO PETRUS, Præpositus Ecclesiæ Condatensis, notum fieri volumus, quòd medietatem decimarum illarum, quas Ecclesia Condatensis de manibus Domini *Matthæi* de Veteri Condato, Uxorisque ejus *Evæ*, pretio mediante extorsit, Godefrido Presbytero, Filio Domini *Evrardi* de le Pont, tenendam concessimus: ita tamen quòd ipso mortuo ad nostram Ecclesiam revertatur.

RELIQUAM verò medietatem Waltero Fratri suo, quamdiu vixerit, contulimus; tali conditione, quòd si Walterus, antequam Frater suus Godefridus, debitum mortis solverit, medietas illa Godefrido cedet in usus.

ACTUM anno millesimo ducentesimo decimo sexto. 1216.

CAPUT CXXXIX.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux, Leonius Castellanus Bruxellensis, & Oliverius de Sotteghem dotant Abbatiam de Camera, Monialium Ordinis Cisterciensis, anno 1207. & seq.*

MODERNIS innotescat & posteris, quòd ego LEONIUS de Bruxella, de consensu Uxoris meæ *Clementiæ*, decimam quam in Parochia de Sanbergen possidebam, Abbatissæ & Conventui de Camera, Ordinis Cistertiensis, in eleemosynam donavi.

Signum Reinbaldi de Lake,
Daniëlis,
Reinbaldi de Dilbeke, Militum.

1207. ACTUM anno MCCVII. VIII Idus Aprilis in prædicto Cameræ Cœnobio.

EGO OLIVERIUS de Sottenghem, de Conjugis meæ *Peronæ* consensu, de Allodio meo decem bonaria terræ in Parochia de Anderlecht Sanctimonialibus de Camera contuli.

1207. ACTUM MCCVII. XIV. Kalendas Septembris.

EGO HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ omnibus in perpetuum modernis innotescat & posteris, quòd Nos tres mansos incultæ terræ & nemoris Fratribus & Sororibus Cœnobii B. Mariæ de Camera, in * prima ipsius fundatione, promisimus, & partem fecimus assignari. * 1201.

POSTEA verò, cùm essemus in procinctu itineris terræ Jerosolymitanæ, partem residui de nemore nostro, prædicti Cœnobii terræ contiguo, assignamus. Testes,

Arnoldus de Walhein,
Walterus Clutinc,
Bastinus de Dist,
Henricus Prits,
Walterus Vleminc, &
Lambertus Filius ejus.

DATUM anno millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense Junio. 1221.

CAPUT CXL.

Idem Dux HENRICUS I. *Canonicis Liranis anno 1209. & 1211. benefacit.*

EGO Henricus Dux Lotharingiæ notum facio universis, quòd Willelmus de *Crayhenem*, & Nepos ejus Ægidius, omni juri, quod dicebant se habere in aggere molendini de *Scintfort*, renuntiaverunt ad opus Canonicorum de Lira, quorum idem est molendinum, & omne jus eisdem recognoverunt, & in Altari S. Gummari resignantes tradiderunt. (Crayhem.)

QUOD ut ratum permaneat, Sigilli mei appositione roboravi, Testibus subnotatis, quorum ista sunt nomina:

Walterus Bertoldus,
Arnoldus de Diest,
Walterus de Campenholt,
Radulphus de Lovanio,
Willelmus de Lira,
Balduinus de Maesfoert,
Willelmus de Dedelaer,

Nicolaus de Sant,
Reinerus Notarius,
Henricus,
Rummundus,
Godefridus, & alii tam Clerici quàm Laïci.

1209. ACTUM anno millesimo ducentesimo nono.

HENRICUS Dux Lotharingiæ.... Notum sit omnibus, quòd fundus ille, in quo molendina nostra Liræ constructa sunt, Magistro Heinrico de Lira XII. denarios Antverpienses singulis annis persolvebat.

NOS autem in recompensatione dicti censûs dedimus ei X. denarios annuatim, quos ipse, nostro consensu, S. Gummaro & Canonicis ejus in eleëmosynam contulit. Testes,

Reinerus Notarius de Hugardis,
Willelmus,
Lidericus,
Arnoldus,
Brummicus,
Hermannus,
Heinricus,
Amelius,
Godescalcus, Scabini.

ACTUM anno millesimo ducentesimo undecimo, in Ecclesia S. Gummari. 1211.

CAPUT CXLI.

OTHO IV. *Imperator Nivellensi Ecclesiæ benefacit, anno* 1209.

OTTO Divinâ favente clementiâ Romanorum Rex Augustus..... Accedens ad Nos fidelis nostra *Berta*, Nivellensis Abbatissa, flebili querimoniâ proposuit quòd...

JUXTA Privilegium Frederici Romanorum Imperatoris ipsi Abbatissæ & Ecclesiæ restituimus & confirmamus Burgum & ipsam Villam Nivellensem, cum mercato, teloneo, moneta ac mensis concambiorum, cum maceria, quæ alio nomine *Grut* appellatur, cum cambis & molendinis, terris cultis & incultis. Hujus rei Testes sunt,

Everhardus Salzburgensis Archiepiscopus,
Joannes Cameracensis Episcopus,
Vulferannus Abbas * Wisemburgensis,
Gerardus Præpositus de * Carpena,
Sibodo Præpositus S. Adelberti de Aquis,
Hermannus & Fredericus Marchiones de Baden,
Boppo Comes de Louse,
Rodolphus de Kiselowe,
Henricus de Scarfemb.
Conradus de Bobardia,
Henricus de Rivere,
Reinardus & Joannes Fratres de Lucra, & alii quàm plures.

* Weissembourg
* Kerpen.

EGO Conradus Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Sifridi Moguntinensis Sedis Archiepiscopi & totius Germaniæ Archicancellarii, recognovi.

ACTA sunt hæc anno M. CC. IX. Indictione 1209. XII. regnante Ottone Romanorum Rege.

DATUM apud Spiram, XVI. Kalendas Julii.

CAPUT CXLII.

NICOLAUS *Dominus de Lalaing prope Duacum, Marchianensi Abbatiæ Ordinis S. Benedicti benefacit, anno* 1209.

EGO NICOLAUS Dominus de Lalaing, Miles, notum fieri volo quòd pro animæ meæ & Antecessorum meorum salute quitavi in perpetuum Ecclesiæ Marchianensi omne wienagium, quod exigere vel capere solebam de blado & vino & aliis catallis ad Ecclesiam pertinentibus; indulgens ut in omni potestate mea tam per terram quàm per aquam, liberè & absque ulla tributi exactione res Ecclesiæ transeant.

QUOD ut debitam obtineat firmitatem, præsentem Paginam nostri appensione Sigilli fecimus insigniri.

NE quis igitur nostrum hoc perturbare beneficium præsumat, noverint omnes, quòd in præsentia Domini Abbatis Michaëlis & totius Conventûs, quidquid juris habebam in wienagio, per cespitem & ramum super Altare prædictæ Ecclesiæ reddidi, & hoc ipsum coram Domino Atrebatensi Episcopo, & Domino Petro, & Domino Simone Ostrevatensi Archidiacono, & Domino Bartholomæo Decano, & multis aliis Canonicis & Clericis recognovi.

ACTUM anno M. CC. IX. IV. Kal. Octobris. 1209.

CAPUT

CAPUT CXLIII.

EUSTACHIUS DE CAMPANIIS, *Vir Nobilis, dotat Andrense Cœnobium, Ordinis S. Benedicti annis* 1206. *&* 1210.

EGo EUSTACHIUS de Campanies notum fieri volo, quòd dedi in eleëmosynam Andrensi Ecclesiæ XIII. polkinos frumenti de illis decem & VII. polkinis quos Andrensis Ecclesiæ Eleëmosynarius singulis annis mihi debebat.

POST modicum verò temporis, cum Fratribus ejusdem Ecclesiæ apud *Fielnes* proficiscens, quod factum fuerat, coram Domino Willelmo, à quo præfatam eleëmosynam, cum aliis bonis, in feodum tenueram, & coram Paribus meis recognovi; & ut ipse assensum præberet impetravi. Ipse verò tanquam superior Dominus petitioni meæ annuit, & huic Scripto Sigillum suum apposuit.

1206. ACTUM anno M. CC. VI. mense Februario. Testes sunt,

Dominus Radulfus de Fielnes,
Joannes de Tingri,
Ingelramnus de Renningessem,
Balduinus de Lo,
Adam de Boninges,
Balduinus Peleth,
Lambertus Pip, qui omnes sunt Pares mei,

& multi alii.

EGO Eustachius de Campanies notum fieri volo, quòd dum nuper eruce signatus essem, & multa mala quæ Andrensi Ecclesiæ irrogavi mente revolverem, compunctus eidem Ecclesiæ dedi in eleëmosynam, per manum Domini mei Arnulphi Comitis Gisnensis, assensu Uxoris meæ *Mathildis*, concedente Filiâ meâ primogenitâ *Eufemiâ* per manum Domini *Ingelramni* Fratris mei, quem suum Advocatum constitui, quidquid ego vel Prædecessores mei solebamus habere apud *Hames*.

ANDRENSES verò Monachi quattuor anniversaria se facturos promiserunt, primum pro Patre meo, secundum pro Fratre meo *Balduino*, tertium pro Uxore mea, quartum pro meipso.

ACTUM est hoc coram Domino meo Arnulpho Gisnensi Comite, & coram Paribus meis;

Radulpho & Andrens, Avunculo meo,
Wido de Elembom,
Eustachio de Liskes,
Daniële de Bavelinghem,
Jacobo de Nieles,
Ægidio de Lotessa,

& multis aliis, anno millesimo ducentesimo decimo, mense Julio. 1210.

CAPUT CXLIV.

ARNULPHUS *Comes Gisnensis, donationem* EUSTACHII DE CAMPANIES *in favorem ejusdem Andrensis Abbatiæ, confirmat anno* 1210.

EGo ARNULPHUS Comes Gisnensis scire volo præsentes & futuros, quòd Eustachius de Campaniis, homo meus, recognovit se dedisse in eleëmosynam Ecclesiæ Andrensi quædam jura & consuetudines, quæ apud *Hames* ei & Prædecessoribus suis ab antiquo debebantur, pro IV. anniversariis ibidem faciendis, pro se scilicet & Uxore sua *Mathilde*, pro Patre suo, & *Balduino* Fratre suo.

ET quia ipsa eleëmosyna de meo fuerat feodo, rogavit me ut devotioni suæ assensum præberem, & tanquam Ecclesiæ Andrensis Advocatus eamdem eleëmosynam ipsi Ecclesiæ warantirem.

EGO verò precibus ejus acquievi. Ipse quoque & prædicta Uxor sua, & Filia primogenita *Eufemia*, per manum Ingelramni de Campaniis, qui suus est Advocatus, hanc eleëmosynam liberaliter contulerunt.

FACTA est autem hæc Donatio & hæc mea confirmatio anno M. CC. X. mense Augusto, 1210. apud Andream, eo tempore quo memoratus Eustachius eruce signatus ad terram Albigensium ire proposuit.

CAPUT

CAPUT CXLV.

INNOCENTIUS III. *concedit Episcopo Tornacensi Ecclesiam de Eynes anno* 1212. *ubi exiguum est Canonicorum Collegium, nunc sub Diœcesi Gandensi.*

Additio ex Ms.

INNOCENTIUS Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Tornacensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum.

EAPROPTER Venerabilis in Christo Frater, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, Ecclesiam de Eines cum pertinenciis suis ad te rationabiliter pertinentem, sicut eam justè possides & quietè, Auctoritate tibi Apostolicâ confirmamus, & præsentis Scripti patrocinio communimus.

NULLI ergo omnino hominum liceat hanc Paginam nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

DATUM Laterani XII. Kal. Junii, Pontificatûs nostri anno tertio decimo. 1213.

CAPUT CXLVI.

Senatus Populusque Valencenensis benefacit Religiosis Præmonstratensibus Abbatiæ Viconiensis, anno 1213.

Additio ex Hist. Valencen.

IN nomine Domini. Sciant præsentes, sciant & posteri, quod ego Wericus cognomento de Petra, & Nicolaus dictus Bourgois Præpositi, & qui nobiscum sunt Jurati & Scabini concorditer Ecclesiæ S. Mariæ Viconiensis pro suarum orationum participatione, & peccatorum nostrorum remissione viginti solidos in perpetuum remisimus, quot ab ea annuatim accipiebamus, pro *le Calciage*.

ET vecturæ Viconienses liberæ ab hujusmodi exactione amodo per Fines Valencenenses transibunt, ut & nos sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Hoc autem ut ratum & stabile permaneat, Sigillo de Halla, & legitimis Testibus confirmavimus.

S. Andreæ Coelette,
Walberti de Ripa,
Walcheri Aliechet, Scabinorum.
S. Matthæi Villici,
S. Walteri de Pons,
Alemanni Filii ejus,
Willermi Brifcloke, Juratorum,
S. Siewardi de Marlis,
Matthæi Rivii,
Amandi Ruscelli.

ACTUM anno Domini M. CC. XIII. 1213.

CAPUT CXLVII.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux benefacit Abbatiæ S. Gertrudis, Canonicorum Regularium Lovanii anno* 1214.

EGO HENRICUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, notum esse volumus, quòd Nos tertiam partem decimarum de (1) *Bercle* Capellæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctique Willebrordi de Bercle recognoscimus, & perpetuò possidendam liberè dimisimus; & has Litteras nostras dictæ Capellæ dedimus in testimonium, Sigilli nostri munimine roboratas.

1214. ACTUM anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XIV. in Vigilia Circumcisionis Domini, apud (2) Oosterwyck.

HÆC eadem recognitio priùs etiam facta fuit eodem anno in Festo SS. Cosmæ & Damiani Martyrum, præsente Viro Nobili Galtero de Tilborch. Qui similiter eas decimas eidem Capellæ in perpetuum liberè dimisit, & recognoscens eidem solenniter resignavit; Testibus

Arnoldo Dapifero nostro,
Arnoldo de Arschot,
Wilhelmo de Gestel,
Gerardo de Gorle,
Magistro Renero de Hocgheem,
Magistro Sigero, Notariis nostris, &
Olivero Sacerdote & Investito, & multis aliis.

Additio.

(1) BERCLE, hodie *Berckel*, Vicus sub Municipio Oosterwicano, in Majoratu Sylvæducensi, qui etiam *Oost-Tilborgh* nuncupatur.

(2) OOSTERWYCK, celebre Municipium sub Majoratu Sylvæducensi, Miraculosâ Deiparæ Virginis Imagine quondam frequentatum: de qua agit VVighmans in Brabantia Mariana Lib. II. cap. 35. Jus Patronatûs habuit Abbatia Gertrudana ab Henrico I. Brabantiæ Duce ab anno 1230, decimas vero titulo emptionis, partim ab Arnoldo Camerario ab Esthen Viro Nobili anno 1233, partim à Gilberto Milite de Tilborgh anno 1234.

CAPUT CXLVIII.

ENGELBERTUS *Angiæ Dominus*, *cum Uxore sua* IDA *& Filiis suis* SIGERO *ac* JACOBO, *dotat Cantipratense Cœnobium*, *anno* 1215.

EGo ENGELBERTUS Dominus de * Angien, notum facio quòd Ecclesię B. Mariæ de Cantiprato quidquid decimæ in Parochia de *Breges* habebam, consentientibus Uxore meâ *Idâ* & Filiis meis *Sigero* & *Jacobo*, in perpetuam eleëmosynam, per manum Domini Cameracensis, contuli.

*Enghien.

1215. DATUM anno Domini M. CC. XV.

ENGELBERTUS Dominus de Angien universis hoc Scriptum inspecturis in Domino salutem.

CUM Dominus Egricus de Risoer contulerit in eleëmosynam Ecclesiæ Cantipratensi omnes suos reditus, quos habebat apud *Herinet* & reditus nemoris de *Raspalt*, & tria dietaria terræ allodii de *Lo*, & tria bonaria terræ & dimidium, partim sita in territorio de *Boengardis* Bogaerde. & partim in territorio de *Hault-Croix*; & par- Heycruyssen. tim in territorio de *Castres*.... Hanc collatio- Kester. nem ratam habeo & confirmo, & ad petitionem prædicti Egrici Sigillum meum apposui huic Scripto.

ACTUM anno millesimo ducentesimo vicesimo sexto. 1226.

CAPUT CXLIX.

LEONIUS DE BRUXELLA, OLIVERIUS, HENRICUS, & ÆGIDIUS DE SOTTEGHEM, *aliique Nobiles Viri dotant Anderlechtense Canonicorum Collegium*, *anno* 1215. *& seq.*

EGo (1) LEONIUS de Bruxella posterorum notitiæ duxi committendum, quod consilio & voluntate Matris meæ *Gislæ*, Uxore meâ *Clementiâ*, Filio meo *Waltero*, & reliquis liberis meis assensum præbentibus, decimam quam in Anderlectensi Parochia possidebam, cum jam vitæ meæ terminus appropinquaret, Ecclesiæ Anderlectensi in eleëmosynam legavi. Ita videlicet quòd Canonici residentiam ibidem facientes & in Ecclesia canonicè ministrantes, usu perpetuo fructus recipiant ejusdem, nec aliquam prorsus ejusdem Ecclesiæ Canonici Foranei recipiant portionem.

HANC igitur Donationem ratam permanere cupiens, Testium nomina subnotari, & memoratæ Matris meæ, cum mei & Cognati mei Castellani Bruxellensis Sigillorum impressionibus præsentem Paginam feci communiri.

ADFUERUNT autem, cum hæc fierent,
Godefridus Castellanus Bruxellensis,
Franco de Ruyscabrouc,
Henricus de Wembelne,
Henricus de Alsinghem,
Reinbaldus de Dielbeca,
Balduinus de Pithia, Milites.

1215. ACTUM anno MCCXV. mense Julio.

AD posterorum transeat memoriam, quòd Cruce signatus. Ego * OLIVERUS de Sottegem, unà cum Conjuge *Perona*, decimam, quam in Anderlectensi Parochia à Prædecessoribus meis ad Nos devolutam possidebamus, Ecclesiæ de Anderlecht, unanimi consensu liberorum, contulimus.

ACTUM MCCXV. mense Septembri, IV. 1215. Kalendas Octobris.

UNIVERSIS Christi Fidelibus HENRICUS de Sottengem salutem.

PRÆSENTI duxi committendum memoriali, quod Ego omnem decimam de allodio meo quod in Parochia de Dielbeka teneo, de consensu *Walteri* Fratris mei, Ecclesiæ B. Petri de Anderlecht, ad usus Canonicorum ibidem servientium, liberè contuli, & contra *Ægidium* Fratrem meum, cujus copiam de facili habere non potui, quia Parisius studuit, & alios quoscumque, dictam Ecclesiam supra præfata decima promisi warandire.

ACTUM MCCXXV. mense Aprili.

UNIVERSIS ... Ego ÆGIDIUS de Sottegem 1225. omnem decimam in Parochia de Dilbeca in usus Canonicorum S. Petri Anderlectensis contuli. Testes interfuerunt,
Henricus Decanus,
Godefridus,
Joannes Scholasticus,
Theodoricus,
Andreas,
Michaël, Presbyteri;
Joannes,
Henricus,
Arnoldus,
Renerus,
Franco, Canonici Anderlectenses;
Vir Nobilis Leonius Castellanus Bruxellensis,
Hugo Miles de Borgevael,
Walterus de Ruchebruc, &

 Willelmus;

Willelmus,
Franco,
Daniel, Fratres de Uckela,
Godefridus,
Leonius, Filii dicti Nobilis.

In hujus rei testimonium, præsentem Paginam, quia proprium non habeo Sigillum, Sigilli Avunculi mei dicti Nobilis appensione duxi communire.

1230. Actum anno M. CC. XXX. mense Augusti.

Universis præsentes Litteras inspecturis, *Henricus* Dux Lotharingiæ, Walterus de Aa, Osto de Crainhem, Arnoldus de Meinsa, Ægidius de Sottenghem, Patroni Anderlechtensis Ecclesiæ, salutem in Domino.... Et quia Ego Osto de Crainhem, Ego Arnoldus de Meinse, & Ego Ægidius de Sottegem propria non habemus Sigilla, (2) usi sumus Sigillo Domini Walteri de Aa.

Actum M. CC. XXXIII. mense Julio. 1233.

Cùm Nos *Joannes* Dux Brabantiæ, Theodericus Dominus de Aa, & Renerus de Crainehem, Viri Nobiles & Fideles, simus Patroni Ecclesiæ Anderlectensis...

Actum M. CC. XCVII. 1297.

Universis præsens Scriptum inspecturis (3) Theodericus de Walicourt, Dominus de Aa & Leniaco, ac Hannoniæ Marescalcus, do Lennick præbendam vacantem Domino Ægidio...

Datum M. CCC. XL. Feriâ sextâ post Festum 1340. S. Matthæi.

(1) Ego Leonius de Bruxella, anno 1215. Fuit is, ut arbitror, ex Illustri Familia de Aa, cujus Familiæ gentilitium insigne, Crucem videlicet transversam seu notam istam X. quam Gallicè *Sautoir* vocant, in sigillo dicti Leonii expressam vidimus Anderlechti. Idem Leonius cum Uxore sua Clementia Moniales in Camera prope Bruxellam anno 1207. dotavit: ut suprà pag. 733. docui.

(2) Usi sumus sigillo Domini Walteri de Aa. In quo quidem sigillo expressus est Leo, & in pectore Leonis visitur Crux transversa, quam *Sautoir* vulgò nuncupant. Fuit autem Walterus iste (ut existimo) Filius Leonii de Bruxella & Clementiæ: quorum Tabulas anno 1215. datas hoc ipso capite pag. 737. recitavimus.

(3) Theodericus de Walicourt, Dominus de Aa & Lennick, Marescalcus Hannoniæ, anno 1340. obiit. Ex Margarita de Lidekercke Filium reliquit *Joannem* de Walicuria, Marescalcum Hannoniæ, à quo Tabulæ anno 1347. scriptæ exstant in Archivio Anderlechtensis Ecclesiæ. Alterutrius, nisi fallor, tumulus marmoreus exstat in navi dictæ Ecclesiæ Anderlechtensis, sine inscriptione. In scuto visitur Aquila alis expansis, cum lambello, ut loquuntur.

CAPUT CL.

Rogerus *Condati pro parte Dominus &* Ægidius de Trit *benefaciunt Canonicis Condatensibus anno* 1218.

Ego Rogerus de Condato, & Uxor mea *Beatrix*, & *Agnes* Uxoris meæ Filia, ad quam hereditas spectabat, notum facimus universis, præsentes Litteras inspecturis, quòd Nos assensum nostrum præbuimus benigniter & integrè dono & eleëmosynæ, quam Petrus Præpositus Condatensis contulit Ecclesiæ B. Mariæ de Condato, videlicet tria bonnaria terræ, juxta Villam de *Bleki* jacentia, quæ à nobis tenebat in feudum, cum alio feudo spectante & descendente à Dominis de *Bleki*. Assensum autem istum & eleëmosynam Sigillo nostro, & Hominum nostrorum testimonio confirmavimus, quorum nomina sunt hæc:

Herbrandus de Ellignies,
Alardus de Fosseis,
Gossuinus Comes,
Joannes Comes.

1218. Datum anno Incarnationis millesimo ducentesimo decimo octavo.

Sciant præsentes & posteri, quòd ego *Rogerus* in parte Dominus de Condato contuli Ecclesiæ B. Mariæ apud Condatum omnem portionem, quam in decimatione totius feodi de Condato habebam.

Hanc autem decimationem dicta Ecclesia duobus Filiis meis Clericis (1) *Godefrido* & *Gualtero* contradidit, quoad vixerint, percipiendam: ita tamen quod altero decedente reliquus nihilominùs eamdem decimationem totam percipiet. Ambobus verò defunctis, Ecclesia liberè & absoluté illâ utetur ut propriâ.

Ut autem prætaxata Ecclesia jam dictâ gaudeat decimatione, Chartam hanc Sigillorum mei & Nicolai Filii mei, de cujus consilio & assensu hoc factum & astipulatum est, appensionibus prædictæ contuli Ecclesiæ.

Noverint universi, quòd ego Ægidius de Trit decimas, quas Willelmus Miles de Main in ejusdem Villæ territorio de me in feodo tenebat, in præsentia Hominum meorum, de consensu *Ricaldis* ejus Uxoris, reddidi Ecclesiis de Condet & (2) *Crespin* liberè & absolutè. Testes,

Walterus de S. Petro,
Amandus de Puis, & ipse
Willelmus de Main, Milites.

Actum anno millesimo ducentesimo decimo octavo. 1218.

CAPUT

Additio. (1) Godefridus, paulò post è Canonico Condatensi electus fuit Episcopus Cameracensis, consecratus anno 1220. & mortuus anno 1238.

(2) Crespin, latinè *Crispinium*, Abbatia Benedictinorum S. Petro sacra, fundata à S. Landelino, sita est inter Condatum & Valencenas.

CAPUT CLI.

JOANNA *Flandriæ Comitiſſa beneficit Eccleſiæ S. Donatiani Brugis, anno* 1218.

EGo JOANNA, Flandriæ & Hanoniæ Comitiſſa, tam futuris quàm præſentibus notum fieri volo, quòd dilectus & fidelis meus Wilhelmus Præpoſitus Brugenſis, & Flandriæ Cancellarius, mihi ſervivit & Concilio meo de ſexcentis libris, pro hoſpitibus ſuis de Præpoſitura. Teſtes,

Sibylla Domina d: Wavrin,
Michaël de Harnis,
Hello de Wavrin Patruus,
Walterus de Curtraco, &
Arnulfus de Teruanna, Clericus meus.

DATUM Curtraci anno Domini milleſimo 1218.
ducenteſimo decimo octavo, poſt Octavas Epiphaniæ.

CAPUT CLII.

GILLEBERTUS DE SOTTEGHEM, *Gerardi Domini de Raſſegem & Beatricis Dominæ de Maſmines Filius & heres, dotat anno* 1220. *Pitſeburgum, Domum Equitum Teutonicorum, in Urbe Mechlinienſi.*

GILLEBERTUS DE SOTTEGEM omnibus Chriſti Fidelibus in perpetuum ſalutem. Noverint tam moderni quàm poſteri, quòd ego Gillebertus de (1) Sottegem contuli Fratribus Domus (2) B. Mariæ Teutonicorum de Jeruſalem waſtinam, quam habui inter (3) Felſeka & Elne, & ad opus prædictorum Fratrum liberè reſignavi, ſalvâ tamen mihi & Succeſſoribus meis juſtitiâ de cauſſa ſanguinis. Teſtes,

Hillinus Presbyter de Racengheem,
Boidinus,
Henricus, Fratres de Landengheem,
Boidinus de Rode,
Boidekinus van Larne, & alii multi.

1220. ACTUM anno Domini M. CC. XX. quintâ menſis Maii.

NOTUM ſit omnibus, quòd ego *Beatrix* Domina de (4) Maſſeme, per conſenſum Filiorum & Filiarum mearum, ad conſulendum animæ meæ & cari Mariti mei *Gerardi* de Sottengheem piæ memoriæ in waſtina mea jacente prope Maſſeme, ad vagos hoſpitandos & pauperes reficiendos, novam Domum, ſcilicet (5) Hoſpitale, feci conſtrui & ædificari.

AD eamdem verò Domum ſuſtentandam novem jugera terræ de præfata waſtina, & duos manipulos liberæ decimæ Allodii mei in Maſſeme in perpetuum contuli.

AD opus autem Capellani, in eadem Domo celebrantis, ſexdecim menſuras terræ ad *Wilhemskercke* jacentes, quas Godefridus tenuit, tribui.

UT hoc autem ratum permaneat, præſens Scriptum Sigillo noſtro & Sigillis Filiorum meorum feci communiri.

Additio. (1) SOTTEGHAM. Municipium atque antiquus Baronatus Flandriæ, Gandavum inter & Gerardimontium, illuſtriſſimæ Familiæ nomen dedit, de qua ſupra quoque egimus pag. 315.

(2) DOMUS B. MARIÆ TEUTONICORUM, vulgò dicta *Pitzembourg*, in Urbe Mechlinienſi, ampliſſima eſt, atque pulcherrima, ſub Baliviatu Confluentino. Eccleſia quæ S. Eliſabethæ ſacra eſt, jus habet Parochiale; ita ut nec ipſe Commendator nec quiſquam alius de ejus Familia alicui alteri Eccleſiæ ſubſit. Primus Commendator legitur anno 1269. *Frater Jacobus*, eique in hodiernum uſque diem ſucceſſere Viri Nobiliſſimi.

(3) FELSEKA, Vicus prope Sotteghemium, hodie *Velſicke*, dives Antiquitatum Romanarum locus, cui vicinus eſt Elene.

(4) MASSAMA, aliàs *Maſmines*, Vicus inter Gandavum & Aloſtum, Principatûs titulo illuſtris, cujus dominium ad Familiam Ganda-Villanam, & Jus Patronatûs cum pluribus prædiis ad Commendatorem de Pitzenbourg pertinet.

(5) HOSPITALE hoc non à pauco tempore evanuit, bonaque poſſidet Domus Pitſemburgica Mechliniæ.

Gerardus Goſuini Filius de Sottegem, Dominus Raſſegemii duxit Beatricem Maſminia & Larna Dominam, anno 1199 pag. 558.
- *Gillebertus de Sottegem duxit Mathildem Filiam Guilielmi Domini Betunia & Machtilda Domina Teneramonda.*
  - *Gerardus de Sottegem, duxit heredem de Lens in Hannonia.*
    - *Gerardus de Sottegem, Dominus de Raſſegem & Lens duxit Alidem de Gavre Dominam Breda & Ledekerka.*
  - *Robertus ſine liberis.*
  - *Gillebertus de Sottegem, Dominus Maſminia & Larna.*
    - *Gerardus de Sottegem: à quo Familia de Bette, & Equites Velleris Aurei.*
  - *Machtildis.*

CAPUT CLIII.

WALTERUS *Dominus de Sotteghem benefacit Monasterio Virginum Præmonstratensium in Novo Sarto juxta Grimbergam, circa annum* 1220.

EGo Walterus de Sothengem, cum Fratre meo, *Olivero ....*

NOTUM sit, quòd eleëmosynam, quam Pater noster *Walterus*, nostraque Mater *Alaisa* Sororibus in (1) Novo Sarto Deo & B. Mariæ deservientibus contulerunt,

Nos quoque eis annuimus....

Additio. (1) NOVUM SARTUM, olim Virginum Ordinis Præmonstratensis Cœnobium, altero lapide à Grimberga, sub Parochia de Meys, jam dudum desiit. Solebant enim antiquitus in proxima vicinia cujusque Monasterii Virorum Præmonstratensium esse Monialium Cœnobia, uti de Abbatia S. Michaëlis Antverpiæ supra notatum fuit pag. 176. de Monasterio Pellenbergh prope Abbatiam Parcensem (quod nund est in Ghempe) supra pag. 586. de Abbatia quoque Postulensi pag. 709.

Walterus Dominus Sottegemii 1193. duxit Alisam.
- *Walterus Dominus Sottegemii duxit Richildem Filiam Everardi Castellani Tornacensis.*
  - *N. Sottegemii Domina, Uxor Sigeri Domini Angia 1230.*
- *Oliverius.*

CAPUT CLIV.

Hondeschotanam in Flandria Domum Trinitariorum, à Patre suo GALTERO *Hondeschotæ Domino (anno* 1204. *defuncto & ibidem sepulto) fundatam, Clari Vivarii nomine olim celebrem, dotat Filius & heres* GALTERUS *anno* 1220.

EGo GALTERUS Miles de (1) Hondeschota, de consensu Uxoris meæ *Aclidis* & heredum meorum, scilicet *Joannis* primogeniti mei & aliorum, dedi in perpetuam eleëmosynam Fratribus Ordinis (2) Sanctæ Trinitatis & captivorum Christi, terram meam de Vivario, à capite scilicet vivarii versùs meridiem usque ad pontem qui est sub molendino; & à ponte, sicut via illius pontis ducit, usque ad terram heredum Bruning de Houtheem; & à terra illa usque ad terram Gileberti Albi; item versùs meridiem & arbores quæ sunt circa vivarium sitæ, cum fundo earumdem, & molendinum cum libera moutura, & omnia jura ad molendinum pertinentia, & viginti millia cespitum & decem libras Flandrensis monetæ supra decimam de * Hosthoc. Oosthove.

PRÆTEREA terram illam quæ fuit Domini Roberti Militis de Bambeka, Castellani de Furnis, de consensu Roberti Filii sui de Bambeca, quæ jacet in Parochia de Hondeschota per partes divisa.

ET ut hoc ratum permaneat, hanc Paginam impressione Sigilli mei roboravi, his Testibus,

Domino Ingelmaro Abbate, &
Galtero Priore,
Joanne Walois,
Michaële, Nepote dicti Abbatis,
Joanne Filio Zachariæ, Monachis de Bergis;
Joanne Capellano Domini Galteri de Hondeschota,
Theodorico de Quatipra, Presbyteris,
Domino Roberto de Bambeca,
Domino Joanne de Ipris, Militibus,
Michaële Clerico,
Zacharia, Joanne Filio Tiflini,
Nicolao Ruschart, Scabinis de Bergis, & multis aliis.

ACTUM anno millesimo ducentesimo vicesimo. 1220.

DATUM Bergis in Festivitate Beati Laurentii Martyris & Levitæ.

Additio. (1) HONDESCHOTA, vulgò *Honschote*, Oppidum est Flandriæ sub Castellania Winoci-Bergensi ac Diœcesi Iprensi: cujus temporale dominium est penes Principem Hornanum.

(2) S. TRINITATIS. Hic Ordo Fundatores habuit SS. Joannem de Matha & Felicem de Valois, concessâ ab Innocentio III. Pontifice Regulâ anno 1198. Obiit S. Joannes de Matha anno 1213. aliàs 1214, sepultus in primo sui Ordinis Monasterio Romæ in Monte Cœlio.

Utuntur Trinitarii veste candidâ, superadditâ cruce rubro-cæruleâ, qualem Angelus præfato Innocentio III. Pontifici divina celebranti ostenderat. Tenentur ex professo stipem colligere, eamque captivis à Turcica & Piratarum Africanorum servitute liberandis impendere: quod & sedulò præstant (maximè in Hispania, Gallia & Belgio) æs colligendo tum in Pagis, tum in Oppidis; in quibus Sodalitia habent sub titulo SS. Trinitatis erecta.

Provincia Picardiæ ac Belgii quatuordecim continet Monasteria,

Additio. Monasteria, è quibus hæc sunt in Belgio nostro.

Hondiscotanum, in Diœcesi Iprensi, fundatum circa annum 1204. de quo hoc loco.

Atrebatense, fundatum anno 1219. de quo vide Chronicon Ferreoli Locrii.

Duacense, in Diœcesi Atrebatensi, fundatum circa annum 1252. per Virum Nobilem Evrardum à S. Venantio. Floruit hìc Vir Doctissimus Robertus Gaguinus.

Audrigniacense, in Diœcesi Cameracensi, fundatum circa annum 1220. par Alardum loci Dominum.

Lendiense, in Diœcesi Cameracensi, fundatum circa annum 1223.

Tornacense, erectum circa annum 1230.

Esterrense, vulgò *Stegers*, in Diœcesi Iprensi, fundatum anno 1228. à Joanne de Berkin Milite.

Orivallense juxta Nivellas, in Diœcesi Namurcensi; cujus fundator principalis fuit Henricus Dux Brabantiæ circa annum 1254.

Lerinense prope Hannutum, in Diœcesi Namurcensi, fundatum circa annum 1215. per Ægidium de Lerines Militem, ejusque Conjugem Petronellam de Waha.

CAPUT CLV.

MATHILDIS *Teneramundæ Domina transigit cum Joanna Flandriæ Comitissa anno* 1221.

EGo MACHTILDIS Domina de Tenremonde notum facio, quòd talis est conventio inter me & Dominam Comitissam Flandriæ & Hannoniæ circa terram de Alost & Tenremonde; quòd neutra potest vestigare & sequi servos, neque albinos, nec hominem Advocatiæ nec ancillam de uno dominio in alterum; sed in feudis potest vestigare & sequi, & earum homines sequentur, ubicumque solebant.

ET est sciendum quoad Advocatiam S. Bavonis Gandensis, quòd remanet eo modo, quo fuit eo tempore quo Comes Balduinus servabat hanc consuetudinem erga Advocatum Wilhelmum: idque debebit resciri per fidam inquisitionem Domini Bernardi de Morsele.

HÆC conventio debet servari, si Comes non contradicat, quando erit egressus è carcere.

DATUM Cortraci M. CC. XXI. 1221.

CAPUT CLVI.

INGELBERTUS *Angiæ Dominus, anno* 1224. *dotat Prioratum seu Cellam Bellingemensem prope Hallas, quæ nunc gaudet jure ac titulo Abbatiæ Cantipratanæ, Ordinis S. Aug.*

EGo INGELBERTUS Dominus de Ainghin, præsente *Sigero* Filio meo primogenito, sub testimonio proborum virorum, H. Prioris de Bellengin, Walteri de Moriamez, O. Fratris ejus, Walteri de Mussem, mansum de *Bruc*, vivarium cum prato usque ad terram arabilem, & decem bonaria terræ, prædicto manso propinquiora versùs Villam de Santhes, Ecclesiæ de Bellenghin, in qua locum sepulturæ meæ elegi, in eleëmosynam legavi perpetuam.

SIMILITER Ecclesiæ de Cambron decem bonaria terræ, Ecclesiæ S. Auberti Cameracensis octo, Ecclesiæ S. Dionysii in Brokeria sex, Ecclesiæ S. Adriani de Gramont quattuor, Ecclesiæ S. Gudulæ Bruxellensis tria, Ecclesiæ de * Auwirez septem, Ecclesiæ de Grimberges quattuor, Ecclesiæ de Camera sex, & Ecclesiæ Ninivensi duo contuli in eleëmosynam perpetuam.

* Aquiris.

ET præsentibus Litteris sigillum Decani de Hal, sigillum Sigeri Filii mei, & sigillum *Ostonis* Patrui mei, cum meo feci apponi.

1224. ACTUM anno millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense Martio.

EGO Ingelbertus Dominus de Engien notum facio universis, quòd Ecclesia Cantipratensis comparavit sibi nemus quinque bonariorum & dimidii.....

HIS omnibus præordinatis interfuerunt, ex Clericis

Brictius,
Henricus,
Robertus, Presbyteri,
Walterus de Mussem,
Henricus de Rist, Milites,
Walterus Lelhapt,
Walterus Charon,
Walterus de Buvenghen,
Ingelbertus de Haucroix,
Soto de Bongardes,
Mauritius de Bonne, Testes.

EGO Engelbertus, ad preces & instantiam Adæ & Belæ Uxoris ejus, & Fratrum suorum...

ACTUM anno millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense Septembri. 1225.

EGO Sigerus, Filius Engelberti Domini de Enghien, dictus Dominus de *Sotengin, notum facio universis, quòd Ecclesia Cantipratensis sibi comparavit titulo emptionis novem bonaria terræ & pratorum...... ab Engelberto de Otenges, Mathilde ejus Uxore spontè consentiente.

* Jure uxorio.

ACTUM anno millesimo ducentesimo tricesimo, mense Februario. 1230.

OCtavo Kalendas Martii obiit Vir Nobilis *Engelbertus* Dominus de Angien; de cujus beneficio habemus ad valorem XXXVI. bonariorum terræ, & centum modios filiginis & avenæ, annuatim in perpetuum recipiendos. Ad extremum verò in Ecclesia nostra de Bellinghen suam elegit sepulturam. X. Kalendas Octobris obiit *Ida* Domina de Angien, quæ in loco nostro de Bellinghen sepeliri elegit. De cujus etiam dono habuimus decimam de *Breiges*, & sex bonaria terræ arabilis apud *Herines*, & pallium sericum & centum solidos.

XI. Kalendas Junii obiit *Egricus* Miles de Risoy, qui dedit nobis quadraginta mencaldas nemoris, modò redactas in terram arabilem in nemore de *Raspalt*. Dedit etiam nobis tres mencaldas terræ arabilis & decimam sex bonariorum terræ & reditus de *Hennes*. Dedit etiam nobis domum suam de *Risoy*, modo sitam in atrio de Bellinghen, ad habitationem Fratrum. *Hactenus ex Necrologio Cœnobii Cantipratani.* Ceterùm Abbatia Cantipratana olim ad muros Urbis Cameracensis, sed in fundo Artesiæ sita, sævientibus bellis Gallicis, cùm in cineres fuisset redacta, nostro ævo Bellingemium seu Bellingam, Bellingen. prope Hallas Hannoniæ Oppidum, est translata.

CAPUT CLVII.

HENRICUS I. *Brabantiæ Dux benefacit Capitulo Nivellensi anno 1225.*

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, bonorum Ecclesiæ Nivellensis Advocatus....

NOVERINT universi, quòd homo noster Sigerus Miles de *Archenne*, & Fratres sui, Go- Archenne
defridus, Robertus & Gerardus, villicationem Nivellensis Opidi, in qua se jus habere aliquando dixerant, coram nobis venerabili Dominæ *Helwidi* Dei gratiâ Nivellensi Abbatissæ, & Successoribus suis in perpetuum quita clamaverunt; omni juri, quod se dixerant habere, renuntiantes. Testes,

Abbas Villariensis,
Walterus de Campenhor, & Filii sui Walterus & Guilielmus,
Bolinus de Ottigni,
Arnulphus de Lievale,
Renerus de Lana,
Walterus de la Conte, Canonici Nivellenses, & alii quàm plures Clerici & Laïci.

ACTUM Lovanii, anno M. CC. XXV. mense 1225.
Januarii.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ omnibus salutem. Notum vobis facimus, quod Gerardus Clericus de Faucouwes sextam partem decimæ in *Ittere*, quæ ipsum jure hereditario Ittre.
contingebat, per manus Domini Cameracensis Episcopi & nostras, Ecclesiæ contulit B. Gertrudis in Nivella; petens à nobis, tanquam ab Advocato dictæ Ecclesiæ, ut huic suæ donationi debitam præstaremus warandiam & defensionem.

Datum Trajecti anno M. CC. XXV. mense Fe- 1225.
bruario.

CAPUT CLVIII.

HENRICUS *VVormatiensis Episcopus anno 1225. Heidelbergense Castrum, cum Burgo adjacente, in feudum tradit* LUDOVICO *Comiti Palatino Rheni, ejusque Filio* OTTONI *Marito Agnetis.*

HENRICUS, Dei gratiâ Wormatiensis Episcopus, Domino *Ludovico* Illustri Duci Bavariæ & Comiti Palatino Rheni salutem.

QUIA vobis commisit Dominus potestatem, & Dominæ (1) *Agneti*, Uxori (Ottonis) Filii vestri, per quam Wormatiensem Ecclesiam juvare potestis, & ei assistere in suis necessitatibus; ut ad auxilium & consilium tam nostrum quàm ejusdem Ecclesiæ, tam vos quàm Successores vestri, & Dominæ Agnetis, qui per masculinum sexum descendunt, sitis perpetuò obligati, vobis & Successoribus dictis in feodum concessimus & assignamus, de communi consensu Capituli nostri (2) Castrum in *Heidelberg* cum Burgo ipsius Castri, & (3) Comeciam *Stalbobel*, cum omnibus attinentiis suis.

ACTA sunt hæc Wormatiæ anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo quinto, IX. 1225.
Kalendas Aprilis, Indictione XIV.

(1) AGNES, UXOR OTHONIS. Otho Ludovici Bavariæ Ducis Filius, Othonis Nepos (teste Aventino lib. 7.) anno 1225. duxit *Agnetem*, Henrici ultimi ex illa Familia Comitis Palatini Filiam heredem. Hoc fœdere matrimoniali in unum coierunt duo nobilissimi Germaniæ Principatus, Bavaria & Palatinatus Rheni. Sed & insignia illa gentilicia utriusque Domûs, Palatinæ & Bavaricæ, uno in scuto sive umbone tunc coaluerunt, quæ priùs distincta erant; ut Leo coronatus in campo nigro Palatinæ, textum verò illud decussatim albo cæruleoque colore variegatum, Bavaricæ Familiæ deigma decorum esset.

(2) CASTRUM in..., Hinc constat arcem eo tempore ibi exstitisse, *Heidelberg* nomine, eamque Burgum subjectum habuisse, id est, opidulum muro cinctum portisque clausum. Id enim est *Burgum* seu Burgus veteri voce Francicâ. Unde Otfridus Monachus (quo nullus Scriptor Germanici idiomatis antiquior habetur) illum Evangelii locum, Ite in Civitatem, ita vertit; *Faret in thia burg* Quomodo & Notgerus in Psalmorum Paraphrasi passim Unde vetera Germanorum Oppida. Asciburgium, Teutoburgium. Unde & *Burgundiones* dicti, Isidoro & Paulo Diacono auctoribus; unde item *Burgenses* pro civibus.

(3) COMECIA, Comitia, sive Comitatus, cui *Stalbubel* nomen olim fuit, hodie *Stalberg* fortasse.

Porrò Heidelberga sita ad Necram fluvium in Diœcesi Addidio
Wormatiensi, successu temporis facta est Civitas populosa

Additio. losa & ampla, atque Palatinatûs inferioris Capui. Universitatem habet insignem & celebrem, fundatam anno 1346. à Roberto Rufo Comite Palatino ac Duce Bavariæ, qui Præpositum Ecclesiæ Collegiatæ S. Spiritûs ibidem constituit perpetuum ejusdem Academiæ Cancellarium.

Fuit autem hæc Ecclesia ultimis hisce temporibus plurimarum turbarum occasio. Etenim cum priores Electores Palatini Lutheranis cultibus dediti eandem suæ Sectæ Prædicutis tradidissent, modernus Elector CAROLUS PHILIPPUS, Princeps verè zelosus atque Catholicus in eadem anno 1719. avitam Religionem restituere, totamque ritibus Catholicis tradere decreverat.

Sed hinc mox ortæ sunt omnium penè Regum ac Principum Lutheranorum ac Calvinistarum oppositiones, qui fatalia contra Catholicos repressallia in suis ditionibus moverunt. & vix non ad bellum generale inter Catholicos & Acatholicos in Germania ventum fuit.

CAPUT CLIX.

ROBERTUS BETUNIUS *Teneræmondæ*, INGELBERTUS *Angiæ*, GERARDUS *Rassegemii*, *Toparchæ*, *Suivecanas Moniales dotant anno* 1226. *& sequentibus.*

EGO (1) ROBERTUS DE BETUNIA, Dominus de Tenremonde, notum facio universis, quòd concedo assignari Ecclesiæ Claustrali de Tenremonde à dilecta Domina & Amita mea (2) *Margareta* de Tenremonde partem illam decimæ de Molenbeke, quam de me tenebat, & in eleēmosynam donari perpetuam.

1226. DATUM M. CC. XXVI. mense Februario.

EGO ENGELBERTUS Dominus de (3) Adengem notum facio universis, quòd (4) Domus de Monte B. Mariæ assignavit Abbatissæ & Conventui de Tenremonde XL. libras alborum, super quinque bonariis terræ suæ jacentis in loco qui dicitur Loch. Et dicta Abatissa & Conventus, sive eorum nuntius, debent eligere dicta quinque bonaria in decem bonariis hereditatis, quam dicta Domus de Monte B. Mariæ de me tenet, ubicumque voluerint: ita quòd residuum dictorum decem bonariorum remaneat indivisum.

1237. ACTUM anno Domini M. CC. XXXVII. in Vigilia Purificationis B. Mariæ.

EGO (5) MACHTILDIS Domina de Rasseghem notum facio universis, quòd ego per consensum dilecti Filii mei senioris *Gerardi* contuli Abbatissæ & Conventui B. Mariæ de Suiveke juxta Tenremondam, Ordinis Cistertiensis, pro anniversario meo & *Gilberti* Mariti mei bonæ, memoriæ, quoddam pratum situm in Palude S. Odulphi, quod emi propriis meis denariis tunc temporis dum ex titi Domicella.

DATUM M. CC. XLIII. mense Aprili. 1243.

(6) GERARDUS de Sottenghem, Dominus de Rassenghem, universis salutem. Universitati vestræ innotescat, quòd cum nobilis Mulier Domina de Rassenghem, Mater nostra, Conventui B. Mariæ de Tenremonde, Ordinis Cistertiensis, pro anniversario suo & *Gilberti* Mariti sui bonæ memoriæ, nobilis Viri, quondam Patris nostri, pratum suum in Palude S. Odulphi contulisset, donationem suam laudavimus & approbavimus.

ACTUM anno Domini M. CC. XLVI. mense 1246.
Aprili, feriâ VI. post *Quasi modo*.

UNIVERSIS MARGARETA nobilis Mulier Domina de *Woume* salutem. Universitati vestræ innotescat, quòd ego dedi Abbatissæ & Conventui de Zuiveke prope Tenremondam, Ordinis Cistertiensis, ad anniversarium meum & *Joannis* bonæ memoriæ dilecti Filii mei, XXX. solidos Flandrensis monetæ, annuatim super allodium meum apud Masmine accipiendos. Testes hujus Donationis sunt, nobilis Mulier Domina de Rassenghem *Machtildis*, Filius suus *Gerardus* de Sottengem Dominus de Rassenghem, Frater suus Dominus *Robertus*, Soror prædictorum nobilium Domicella de Rassenghem *Machtildis*, & Dominus *Michaël* de Bernet.

ACTUM apud Zuiveke anno Domini mil- 1245.
lesimo ducentesimo quadragesimo quinto, feriâ IV. post Annuntiationem B. Mariæ, mense Martio.

Additio. (1) ROBERTUS DE BETUNIA. Betunia est Oppidum Artesiæ, cujus Domini olim valde potentes, præterea Dominium Teneramundanum acquisierunt. Eorum Stemma vide superiùs pag. 396.

(2) MARGARETA de Tenremonde. Walterus Teneræmondæ Dominus, Walteri Filius, ex Adelisa genuit *Machtildem* Teneræmondæ Dominam, Guilielmo Rufo Betuniæ Domino nuptam, *Margaretam* hîc laudatam (quæ
* Appels. Suivecanis Monialibus vicum S. * Apolloniæ aliaque prædia donavit, & cælebs obiit) & *Adelisam* Guilielmo de Grimbergis, Domino Asce. nuptam. *Guilielmus* Rufus ex Machtilde Teneræmondana sustulit Daniëlem, Robertum, Joannem, Guilielmum & Machtildem, suprà pag. 396. memoratos.

Additio (3) ADENGEM, vulgò *Enghien*, Hannoniæ Oppidum, jam olim illustres habuit Toparchas, quorum Stemma supra exhibuimus pag. 448. Vide etiam infra ad annum 1234.

(4) DOMUS DE MONTE B. MARIÆ, nunc Bigardia minor dicitur, estque Prioratus Monialium Ordinis S. Benedicti de quo supra pag. 420. & sequentibus egimus.

(5) MACHTILDIS Domina de Rassenghem, Guilielmi Rufi Betuniæ Domini Filia, ex Gilberto Sottegemio Rassegemii Domino peperit Gerardum, Robertum & Gilbertum, suprà pag. 739. laudatos. Ex his Gilbertus genuit Gerardum: cujus, itemque Uxoris annos funerales ex veteri Necrologio hîc lubet subnectere. XVII. *die mensis Maii* 1338. *obiit Gerardus de Rassenghem, Dominus de Masmines, Miles.* X. *Januarii* 1326. *obiit Elisabeth de Maldeghem, Domina de Lecke & Wesseghem, Uxor quondam Gerardi de Masmines, Militis.*

Anno 1366. die 6. Martii Joannes de Masmines contractum antenuptialem cum Margarita de Oudenhove, Joannis Filia, iniit: dicti Joannis Patre Gerardo de Rasseghem Masminiæ Domino, cum Uxore sua Margareta, & ejusdem Joannis Fratre seniore Gerardo de Masmines, Domino de Berleghem, adstantibus: ut ex tabulis publicis mihi constat.

(6) GERARDUS DE SOTTENGHEM; de quo fit mentio supra pag. 739. Additio.

CAPUT CLX.

Vallis Rosarum, Monialium Ordinis Cistertiensis Abbatia, in Brabantia ad Netham fluvium sub Toparchia Dusselensi, prope VValem, anno 1227. *ab* ÆGIDIO BERTOLDO *dotatur decimis in Berlaer & Ghele.*

IN nomine Sanctæ & Individuę Trinitatis, (1) ÆGIDIUS BERTAUT, Vir Nobilis, omnibus Christi Fidelibus in perpetuum.

NOTUM esse volumus tam futuris quàm præsentibus, quòd Nos intuitu miserationis Divinæ, & pro animarum Prædecessorum nostrorum salute, decimas de *Berlaere* & de *Ghele* Conventui Monialium Cistertiensis Ordinis de Claustro juxta *Walem* in honore Dei Genitricis Mariæ constructo, in quo etiam Filias nostras locavimus, cum omnibus attinentiis suis, perpetuò possidendas in eleëmosynam contulimus, & coram ipso Conventu, multisque aliis, tam Nobilibus quàm ministerialibus, in Altari B. Mariæ reportavimus; his omnibus nostris heredibus assensum præbentibus.

ET ut hæc pia Donatio firma permaneat, Scriptum præsens nostro Sigillo munire curavimus. Hujus rei Testes sunt,

Walterus Bertaut, &
Henricus Frater ejus,
Eustachius Camerarius de Flandria, &
Gerardus Frater ejus, aliique quàm plurimi.

ACTUM anno gratiæ M. CC. XXVII. 1227.

EX his colligi videtur, Ægidium Bertoldum, Monasterii * Vallis Rosarum non tam fundatorem quàm dotatorem primarium fuisse. Quis autem illud & quo anno primùm fundaverit, ex illius loci Archivis hactenus erui non potuit. Hoc constat, quartam ordine ibi Abbatissam fuisse *Sophiam Bertout*, Florentii Bertoldi Toparchæ Dusselensis Filiam, & ab anno 1294. usque ad annum 1328. præfuisse, atque ab eodem Fratre suo wastinam seu miricam Monasterio vicinam, & Villam *Staeydeke*, Dusseliæ sitam, emisse.

* Roosendael.

Ceterùm ob tumultus bellicos hodie Moniales in Urbe Mechliniensi agunt: & inter alia adservant Diploma Confirmationis, quod Innocentius IV. Papa anno Christi 1244. Pontificatûs sui primo scripsit.

(1) ÆGIDIUS BERTOUT seu Bertoldus. Idem Ægidius anno 1235. fundum dedit ad Cœnobium Loci S. Bernardi in Vico *Vremde* exstruendum, ad Scaldim secundo lapide ab Antverpia: ut suprà docuimus Codice Donat. Piarum cap. 103.

CAPUT CLXI.

HENRICUS VI. *Imperator Gisleniana Abbatiæ in Hannonia Privilegia confirmat anno* 1229.

HENRICUS Dei gratiâ Romanorum Rex universis Imperii Fidelibus notum fieri volumus, quòd fidelis noster Galterus Abbas Monasterii S. Gisleni in Pago Hainau, ad Celsitudinis nostræ magnificentiam veniens, supplicavit ut nos ipsi Ecclesiæ suæ jura, libertates & omnia bona ad eamdem Ecclesiam pertinentia confirmare dignaremur.

NOS igitur dicti Abbatis petitionibus aurem benignam præbentes, dicto Abbati & Ecclesiæ suæ jura & libertates, servos quoque & ancillas ad eamdem Ecclesiam pertinentes, omnia etiam bona auctoritate Regiâ communimus, concedimus, confirmamus, & confirmando Sigillo aureo Sublimitatis nostræ corroboramus, atque ipsum locum, & omnia sibi pertinentia, in nostram defensionem suscipimus; præcipientes ut nullus Dux, nullus Comes, nullus Marchio, aut aliqua alia persona ipsum Monasterium perturbare, vel super rebus ad ipsum pertinentibus molestare præsumat. Testes qui præmissis interfuerunt ii sunt:

Sivridus Moguntiæ Archiepiscopus,
Hermannus Herbipolensis,
Heinricus Wormatiensis, Episcopi,
Otto Præpositus Aquensis,
Henricus Comes de Seina,
Cunradus Burgravius de Nurimberch,
Fridewicus Comes de Riginhage,
Gelraeus de Butingin,
Hermannus de Mulmarche,
Gotfridus de Hoinloch,
Everhardus Dapifer de Walpurg,
Cunradus Pincerna de Winterstetin,
Cunradus Pincerna de Clinginburc,
Cunradus de Smidebelt,
Ulricus de Truchtelingin,
Conradus de Winsperc, Fratres
L. L. & E. de Grindelahe, & alii quàm plures.

DATUM apud Worm anno Dominicæ Incarnationis ducentesimo vicesimo nono, XVI. 1229.
Kal Febr. Indictione II.

CAPUT

CAPUT CLXII.

GREGORIUS IX. *Pontifex*, LEONIUS *Castellanus Bruxellensis*, WALTHERUS *Dominus de Aa*, ALIDIS *Domina de Boular*, *& alii dotant Cameram Abbatiam Monialium Cistertiensium*, *ann.* 1229. *& seqq.*

WALTERUS de A, & *Arnoldus* Frater suus, ad posterorum transfundimus notitiam, quòd nos Conventui de Camera, ducti amore Sororis nostræ, quæ ibidem Domino famulatur in habitu Religioso, XXV. bonaria
* Forté Laecken. terræ apud **Lakes*, & XIII. bonaria in *Anderlecht* in eleëmosynam contulimus. Huic donationi interfuerunt, Walterus Clutinc, Henricus de Alsenghem, Henoinus Villicus noster de A. Præsentem verò Paginam Sigilli Henrici Ducis, & Sigilli nostri, & Sigilli Domini Castellani Bruxellensis appensione duximus roborari.

1229. ACTUM anno M. CC. XXIX.

GREGORIUS, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo Filiabus Abbatissæ de Camera, ejusque Sororibus in perpetuum. Quæcumque bona Monasterium S. Mariæ de Camera possidet, aut in futurum poterit adipisci, vobis illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est, grangias de *Lanfrode*, Nova Curia & Qualenbeca, grangiam novam de *Houthem* cum pertinentiis suis, decimas & possessiones de *Hunsenghem*, *Holar*, *Zant-*
* Vilvoorden. *berch*, *Eppenghem*, *Hallet*, * *Filfort*, cum pratis, terris, vineis, nemoribus & pascuis.

DATUM Laterani, per manum Magistri Bartholomæi S. R. E. Vicecancellarii, XI. Kal. Aprilis, Indictione VII. Dominicæ Incarnationis
1234. anno M. CC. XXXIV. Pontificatûs Domini Gregorii Papæ VIII. anno VIII.

LEONIUS Castellanus Bruxellensis, omnibus notum facimus, quòd nos Domui de *Camera*, ad opus pauperum ad portam ejusdem Domûs, in eleëmosynam contulimus omnem censum, qui nobis debebatur de Curtili quod situm est
Boondale. in *Bondale*, quod Domus de Camera emit erga Godefridum, Filium Geldolfi de Boodale, & de Curtili quod similiter dicta Domus emit erga Henricum Fratrem ejusdem Godefridi; exceptis duobus denariis quos nobis reservamus: ita ut sæpedicta Domus præfata Curtilia à nobis teneat jure hereditario sub annuo censu duorum denariorum.

HOC etiam sciri volumus, quòd nos pro necessitate pauperum sublevanda, omnes manentes & perpetuò mansuros in sæpe fatis Curtilibus ab omnibus petitionibus pecuniariis, quas à vicinis suis hominibus nostris exigere consuevimus, reddimus absolutos & liberos: jus tamen dominii nostri circa eosdem nobis reservantes.
* in pectore Leonis. Hæc autem ut rata permaneant, præsens Scriptum * Sigilli nostri roboramus appensione.

ACTUM anno M. CC. XXXIV. mense Maio. 1234.

ALIDIS Domina de Boular omnibus notum facimus, quòd Nos donationem à Domino *Leonio* de Bruxella, Viro Nobili, Conventui de Camera quondam factam, titulo eleëmosynæ, de decimis de *Zanbergis*, quas ipse de manu nostra Sanberghe.
jure tenebat feodali, ratam habemus & gratam. Quidquid etiam juris habuimus in dictis decimis præfato Conventui in eleëmosynam contulimus, de consensu Filiorum nostrorum, perpetuo jure possidendum.

ACTUM anno Domini M. CC. XXXV. mense 1235.
Martio.

LEONIUS Castellanus de Bruxella omnibus præsens Scriptum visuris salutem. Ad notitiam universorum pervenire volumus, quòd *Franco* Miles de Brania, dictus de Strata, ad terram Jerosolymitanam perrecturus, duo bonaria prati, quæ à nobis apud *Rode* jure possidebat feodali, Conventui de Camera in eleëmosynam contulit. Huic donationi interfuerunt,

Leonius Filius noster,
Godefridus de Brania,
Rogerus,
Arnoldus de Larbeka,
Joannes de Zaventinis.

DATUM anno M. CC. XXXVII. 1237.

UNIVERSIS LUDOWICUS *Bertoldus* salutem. Innotescere volumus, quòd nos vendidimus Domui de Camera V. bonaria terræ palustris. Huic facto interfuerunt,

Gosuinus cognomento Boc Miles,
Walterus Scellinc Dapifer noster.

DATUM anno M. CC. XLIII. 1243.

UNIVERSIS WALTERUS Miles de *Rusebroc* Ruysbroeck.
salutem. Noverint universi, quòd ego vendidi Domui de Camera tria bonaria silvæ, quam Pater meus *Franco* Miles à Duce Brabantiæ in feudum possidebat, & quæ me tamquam primogenitum Filium dicti Franconis debebat contingere.

DATUM M. CC. XLV. 1245.

UNIVERSIS præsentem Paginam inspecturis, ELISABETH Domina de Asca salutem. Noverint universi, quòd nos de consensu *Willelmi* de Grimbergis, Mariti nostri, & Filiorum nostrorum *Willelmi* & *Henrici* Militum, Conventui de Camera Ordinis Cistertiensis vendidimus quinque bonaria in Aska. Huic facto interfue- Asschen
runt,

Gilbertus de Wesebeke &
Macarius de Esken, Milites.

ACTUM M. CC. XLVIII. 1248.

EGO ARNOLDUS dictus de A Miles...

DATUM M. CC. XLVII. 1247.

Notum sit universis, quòd Leonius Castellanus Bruxellensis, & Filius ejus *Leonius* Mi- tes, & jam dicti Leonii Militis Filia *Machteldis* resignaverunt...

1252. Actum anno M. CC. LII.

Universis præsentes Litteras visuris *Maria* Domina de Gasbeka, & *Henricus* de Lovanio, ejus Natus, salutem. Universitati vestræ innotescat....

Datum M. CC. LVIII. mense Martio. 1258.

Joannes Dux Brabantiæ, Florentius Bertout Dominus Mechliniæ, Gerardus Dominus de Diest, Rogerus de Levedale...

Datum M. CC. XXII. 1222.

Beatrix de Lovanio, Domicella de Harstal, Gasbeque & Moncornet in Tirassia....

Datum M. CC. XXXIII. & M. CC. XXXIX. 1233. 1239.

CAPUT CLXIII.

Arnoldus *Grimbergæ Dominus, ejusque Soror & heres* Oda, *benefaciunt Suivecanæ Cistertiensium Monialium Abbatiæ, ann. 1230. & seqq.*

Ego Leonius Bruxellensis Castellanus, & *Sophia* Uxor mea ejusdem Villæ Castellana, notum facimus universis, quòd (1) *Arnoldus* de Grimbergis, Filius prædictæ Sophiæ Uxoris meæ & Arnoldi quondam Grimbergæ Domini, septemdecim bonaria nemoris de Allodio suo in Buggenhout, sita juxta locum qui dicitur Bedrinvelt, Claustro Monialium B. Mariæ juxta Tenremondam, Ordinis Cistertiensis, in eleëmosynam liberè contulit. Quæ ut rata permaneant, Sigilli nostri munimine roboravimus.

1230. Actum anno Domini M. CC. XXX. mense Martio.

Ego (2) Oda de mera voluntate Matris meæ *Sophiæ*, & Domini *Leonii* Mariti ejus, & prædilecti *Walteri* Domini de A Mariti mei, liberè vendidi Abbatissæ & Conventui B. Mariæ, Cistertiensis Ordinis, de Tenremonde, XVI. bonaria de Allodio meo jacentia in Territorio de Buggenhout.

Præterea eleëmosynam quinque solidorum Bruxellensium, quos dilectus germanus meus *Arnoldus* de Grimbergis contulit prædictis Abbatissæ & Conventui, approbo, & consensum meum eidem eleëmosynæ plenè adhibeo.

1235. Actum anno Domini M. CC. XXXV. mense Maio.

Ego Oda de Grimbergis, Uxor quondam Viri Nobilis Domini Walteri A, notum facio quòd ego contuli Sanctimonialibus Ecclesiæ B. Mariæ de *Suiveke* in eleëmosynam sex bonaria terræ, sita in Buggenhout, quæ à me Arnoldus de Spelt Miles tenuit.

1236. Actum anno M. CC. XXXVI. mense Maio.

Noverint universi, quòd Vir Nobilis Sigerus Miles dictus de Gandavo, & Uxor ipsius *Oda* de Grimbergis, licentiaverunt cuidam Homini suo Gosuino Rufo agnomine de Buggenhout, quòd ipse Gosuinus vendidit Abbatissæ & Conventui de *Suiveke* quattuor bonaria terræ sitæ in loco qui dicitur *Groot-Varent*.

1237. Actum annn M. CC. XXXVII. mense Maio.

Universis Christi fidelibus Dominus Leonius de A salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quòd Abbatissa & Conventus de *Surveke* Monasterii Tenremondensis, Cistertiensis Ordinis, omnem terram & pratum, quæ inferiùs nominabuntur, à me tamquam à Domino fundi tenent, & ea legitimè possident, & hoc eis coram meis Scabinis & Hominibus recognosco. Et quia super iis indebitam movi quæstionem, illam penitus quitam clamavi, volens quòd hoc idem faciat meus heres.

Unde cùm Alisia Filia mea, vel si casu contingente alius fuerit heres, ad annos pervenerit discretionis, hoc idem debet recognoscere coram meis Hominibus & Scabinis. Quòd si requisita facere noluerit, dabo dictis Abbatissæ & Conventui 100. libras Flandrenses, & dictam terram & pratum pacificè possidebunt eo jure quo huc usque possederunt. Et de dictis centum libris constitui eis plegios, scilicet Dominum Guilbelmum de *Grimberge*, Dominum Arnoldum de *Rotslaere* & Dominum Gerardum de *Rasenghem*.

Præterea omnia bona dictis Monialibus ab Antecessoribus data approbo & confirmo. Hæc autem est terra & pratum de quibus supra facta est mentio: sex bonaria terræ sitæ in loco qui dicitur *Paleke*, quam tenent dictæ Moniales in Allodio, & decem & septem & dimidium bonarium terræ sitæ juxta viam Affligemensem, quatuor bonaria terræ sitæ in Campo qui dicitur *Groote-Varent*; item quinque bonaria terræ quam tenuit Frater Henricus, quam dedit postea de consensu Domini Leonii.

Item Moniales emerunt duo bonaria prati sita in prato de Buggenhout, per consensum Domini Leonii.

Datum anno M. CC. LVI. mense Junio. 1256.

Universis Christi fidelibus Leonius de A Miles notum facio, quòd Religiosæ Dominæ Abbatissa & Conventus Monasterii B. Mariæ de *Suiveke* juxta Tenremondam, Cistertiensis Ordinis, omnem terram subscriptam, quam in Parochia de Bughenhout acquisiverunt, à me tamquam à Domino fundi tenent & possident, & à meis in perpetuum tenere & possidere tenebuntur, sub annuo censu.

Et ut hæc omnia rata permaneant, præsentem Paginam Sigilli mei, unà cum Sigillo Uxoris meæ Dominæ *Hymanæ*, munimine prædictis Religiosis tradidimus roboratam.

Datum anno M. CC. LXVII. mense Aprili. 1267.

Arnoldus

(1) ARNOLDUS, sive Arnulfus, Grimbergæ pro parte Dominus, Gerardi Grimbergani & Mathildis Ninovianæ Filius, suprà pag. 728. & 729. laudatus, annis 1188. 1211. 1214. floruit. Uxorem habuit *Sophiam*, quæ secundis nuptiis juncta fuit Leonio Castellano Bruxellensi. Leonius (ex Sophia, nisi fallor) Filium reliquit Leonium itidem Castellanum Bruxellensem. Arnoldus porrò ex Sophia genuit *Arnoldum* Grimbergæ anno 1229. Dominum, sine liberis defunctum, & ODAM.

(2) ODA, post Arnoldi Fratris sui sine liberis defuncti obitum, Grimbergæ Dominium pro parte obtinuit. Nupsit primùm Waltero de Aa, post Sigero de Gandavo, Militi, Sigeri Castellani Gandensis Filio, Hugonis itidem Castellani Gandensis Fratri.

- *Sophia Uxor Arnoldi Domini Grimbergæ, 1188. pòst Leonis Castellani Bruxellensis,* 1214. 1230. 1247. 1252.
  - Ex 1. *Arnoldus Dominus Grimbergæ 1230. duxit Adeliciam, obiit sine liberis.*
  - *Oda Domina Grimbergæ 1235. Uxor Walteri de A. 2. Sigeri Gandensis, 1237.*
    - Ex 1. *Leonius de A Dominus Grimbergæ 1267. duxit Hymanam.*
      - *Alisia, 1256. Minorennis.*
      - *Gerardus de A.*
  - Ex 2. *Godefridus* 1230.
  - *Leonius Miles 1252. 1253. Castellanus Bruxellensis 1258. 1269.*
    - *Machtildis 1258 Castellana Bruxellensis, 1289.*

In Cameræ Monasterio prope Bruxellam exstat Diploma à Leonio Castellano Bruxellensi anno 1258. signatum, & alterum à Machtilde Castellana Bruxellensi anno 1289. Gallicâ linguâ scriptum.

CAPUT CLXIV.

Bellum-pratum, Monialium Cistertiensium Abbatia, ad Teneram fluvium, annis 1229. & 1230. ab ALIDE *Domina Boulariæ conditur.*

EGo (1) AELIDIS, Domina de Boular, notum facio, quòd ego novem modios siliginis de reditibus meis, quos habebam in Parochia de *Grimengem*, & duodecim modios avenæ, & quadraginta capones & octo de reditibus pratorum jacentium in Parochia memorata, & octo bonaria nemoris & dimidium, & dimidium bonarium prati in eadem Parochia siti, contuli, de assensu liberorum meorum omnium, Sanctimonialibus Cistertiensis Ordinis de (2) *Bello-prato* juxta Grimenghem in eleëmosynam, & Chartam istam proprio signavi Sigillo.

* obiit 1230.

EGO verò * *Michaël* Constabularius Flandriæ, Ego *Philippus* de Boular, Ego *Osto* de Trazegnies, Ego (3) *Ægidius le Brun*, heredes præfatæ Aelidis carissimæ Matris nostræ, eleëmosynam prænotatam approbantes, eam nostro consensu firmavimus testimonio Sigillorum nostrorum.

ET quia Ego *Raso* proprium Sigillum non habeo, usus sum Sigillo Venerabilis Abbatis Gerardimontis, sæpe dictam eleëmosynam approbans. Ego quoque *Gosuinus* de Scendelbeka, Maritus Filiæ Dominæ memoratæ, meum apposui Sigillum, pleno favore confirmans eleëmosynam supra dictam.

ACTUM anno M. CC. XXIX. mense Maio. 1229.

EGO AELIDIS, Domina de Boular, notum facio quòd *Ægidius le Brun* Filius meus resignavit in manus meas reditus duodecim modiorum avenæ & XLVIII. caponum, quos de me tenebat in feodum de reditibus pratorum jacentium in Parochia de *Grimengem* recipiendos, ad opus Sanctimonialium de Bello-prato.

EGO verò præfatos reditus, ad petitionem prædicti Ægidii, de consensu etiam omnium

(1) AELIDIS, aliàs Alidis & Ada, Boulariæ Domina ex suo capite, nupsit primùm *Michaeli* Domino de Harnes prope Duacum, Constabulario Flandriæ, pòst *Ægidio* Domino de Trasignies, & tertiùm circa annum 1212. *Rasoni* de Gavere, Filio Rasonis Domini de Gavere & Claricíæ. In fundo primi sui Mariti, cùm esset Vidua, Monasterium Braellense anno 1196. condidit: ut suprà pag. 557. docui, Tabulis in medium productis, in quibus *Ada de Harnes Constabularia Flandrensis* nuncupatur.

Ex Michaele nati sunt, *Michaël* Flandriæ Constabularius, qui anno 1218. Diploma suprà pag. 739. signavit, & anno 1229. aut 1230. sine prole obiit; *Philippus* Boulariæ Dominus, & *Ada* Gosuini Scendelbecæ Domini Conjux.

Additio. (2) BELLO-PRATO. Plures in Ordine Cistertiensi Abbatiæ *Belli-prati* nomine indigitantur: nam præter hanc memoratam propè Gerardimontem, quæ est sub Diœcesi Mechliniensi (vide Donat. Belg. lib. I. cap. 102.) est & alia Virginum Abbatia prope Marvillam in Diœcesi Audomarensi, fundata anno 1220. à Daniele Bethuniæ Domino.

In Lotharingia haud procul Nanceio, visitur Abbatia ejusdem nominis, Religiosorum Cistertiensium, de qua superiùs cap. 87. egimus. Sunt & duæ Abbatiæ Belli-prati Religiosorum Cistertiensium in Gallia, una Diœcesis Bellovacensis, altera Tullensis.

(3) ÆGIDIUS LE BRUN Dominus de Trasignies cruce signatus in Oriente militavit, ut suprà pag. 724. ex Vilharduino docui. Ex Ægidio nati sunt, *Osto* Dominus de Trasignies, *Ægidius* Niger, gallicè *le Brun*, Regni Franciæ Connestabilis, & *Raso*. Ægidius Niger genuit *Ostonem* Nigrum, aliàs *le Brun*, infrà an. 1256. memorandum, & *Mariam* Uxorem Thomæ de Mortaigne, de qua vide inferiùs Chronicon nostrum Belgicum.

Filiorum meorum, & *Gosuini* Domini de Scendelbeka, & Uxoris ejus *Adæ*, Filiæ meæ, contuli præfatis Dominabus in perpetuum possidendos.

Ut autem Donatio prænotata perpetuâ gaudeat libertate, præsente Paginâ Sigilli mei appensione munitâ, & præterea Sigillis Filiorum meorum, *Philippi* scilicet Constabularii, *Ostonis* de Trazegnies, *Ægidii le Brun*, *Gosuini* de Scendelbeka, & Abbatiæ de Geraldimonte, pro *Rasone* Filio meo (quia proprium Sigillum non habet) corroboratam, contuli jam dictis Dominabus in munimen.

1230. Actum anno M. CC. XXX. mense Julio.

Universis Christi Fidelibus, Ego *Ægidius le Brun* de Trazegnies Miles notum facio, quòd Arnulphus de Mergeen & Gertrudis ejus Uxor, Henricus etiam de Mergeen & Margareta ejus Uxor, à me in feodum duo bonaria terræ sita in Parochia de *Grimengben* possederint, & dicti Arnulphus & Gertrudis ejus Uxor, tanquam veri heredes & Successores prædictam terram, de mea voluntate ac licentia, vendiderint Ecclesiæ B. Mariæ de Belloprato, Cistertiensis Ordinis, & in manu mea reportaverint ad opus ipsius Ecclesiæ.

Ego verò eamdem terram, mutato jure feodali in Allodium, contuli jam dictæ Ecclesiæ perpetuò possidendam in Allodium. Astiterunt autem, cùm hæc facta fuerunt, in testimonium vocati Homines carissimæ Matris meæ & Dominæ *Alidis*, Dominæ de Boulario, scilicet,

Oevo de Moutbeke,
Simon de Vos,
Joannes de Warembeghe,
Daniël de Hunebeke,
Arnulphus de Overboular,
Joannes Vleests, &
Michaël Piscator, & alii quàm plures. In cujus rei testimonium exhibui præsentes Litteras ipsi Ecclesiæ, appensione Sigilli mei roboratas.

Actum anno M. CC. XXX. mense Julio. 1230.

CAPUT CLXV.

Henricus I. *Brabantiæ Dux Moniales Ordinis Præmonstratensis è Vico de Pellenbergh juxta Lovanium trasfert in Vicum de Winghe, ubi nunc suum habent Monasterium sub nomine* Insulæ Ducissæ, *iisdemque benefacit Anno* 1229.

Additio ex Archivis Monasterii.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego Henricus Dux Lotharingiæ & Marchio Antverpiæ notum vobis facio tam præsentibus quàm futuris, quòd cum in Parochia de (1) *Pellenberga* Conventûs Dominarum Ordinis Præmonstratensis in cantando & legendo Deo devotè servientium per aliquot dies sim commoratus, & idem locus Religioni non fuerit satis aptus, earum considerans incommodum & miseratus defectum, de habundanciis meis earum alleviare defectum proposui, & locum Religiosis magis congruum providi.

Cum ergo ante multos annos duodecim circiter bonaria tam terræ vacuæ quàm nemoris & prati vel broci in Parochia de Winga ab Hominibus terræ meæ comparaveram, & in quieta pace possederam, dicto Conventui ad Claustrum suum ibidem construendum, & se ut ibi maneant transferendum, de consensu Majoris Filii mei Henrici, cum molendino meo super vivarium, quòd ibidem habeo, constructo, in perpetuam eleëmosynam devotè contuli.

Et dictam Congregationem, ac omnia ad ipsam pertinentia tam mobilia quàm immòbilia, de cetero in meam ac Successorum meorum defensionem ac conservationem suscepi; omnem eis aisentiam & usum in pascuis, aquis & aliis communitatibus per totam terram meam & ditionem concedens, & tantâ ac tam plenariâ (quâ omnes Abbatiæ Præmonstratensis Ordinis in terra mea congaudent) libertate condonans.

Ut autem hæc omnia rata in ævum maneant & inconcussa, præsentem Paginam tam mei quàm præfati Filii mei Sigillorum emisimus munimine roboratam.

Actum apud Lovanium anno Domini M. CC. XXIX. mense Novembr. 1229.

Additio.

(1) Pellenberga, in districtu Lovaniensi sita (de qua supra fol. 586.) ejusque Urbis obsidionis tempore, & non semel antea, cum vicinis Pagis belli ruinas & incommoda perpessa, ampli Territorii Pagus est. Nec alium olim nisi Regem Dominum agnovit, qui illum anno 1650. 21. Aprilis vendidit Joanni Roberto de Hoves, hodie Civitatis & Territorii Lyrani Sculteto. A quo acquisivit titulo emptionis Joannes de Wissenkercke, Ægidii Domini de Cauwerven, Campen, Vosmaer, Olsende &c fortiter pro Rege in expeditione contra Batavos dimicando, extincti, & Mariæ de Cate Filius: in cujus gratiam & heroica Parentum erga Domum Austriacam præstita servitia hoc dominium anno 1655. 2. Junii titulo Baronatûs condecoratum est. *Jurisprudentia Heroica circa Nobilitatem & Insignia art. 7. fol 316.*

Hæc Nobilis Familia de Wissenkercke ortum suum trahit ex Zelandia, jam tum ab anno 1353. ibidem cognita in Henrico de Wissenkercke, qui tempore quo Hollandia in duas factiones separata erat, vulgo nominatas *Houex* & *Cabiliaux*, Guilielmi Comitis Hollandiæ & Zelandiæ partes secutus fuit cum multis aliis Equitibus & Armigeris Hollandiæ & Zelandiæ. Hunc subsecutus est

Joannes de Wissenkercke Eques circa annum 1400, Toparcha de Piet, qui Filios reliquit Michaelem de Wissenkercke Equitem improlem, &

Henricum de Wissenkercke Armigerum, Consiliarium & Receptorem Generalem Zelandiæ, qui à Comite Hollandiæ titulo emptionis acquisivit Dominium de *Cauwerven* & ex Jacoba de Stapele procreavit

Joannem de Wissenkercke Dominum de Cauwerven, qui in prælio juxta Oppidum S. Trudonis contra Leodienses anno 1744. à Carolo Duce Burgundiæ Eques creatus est, ut habet Chronicon Zelandiæ, ubi etiam Consiliarius & Receptor Generalis fuit. Eum ex N. de Marl-

Maelstede subsecutus est

Antonius de Wissenkercke Eques, Dominus de Cauwerven, Baillivus de Middelbourg, postea Receptor Generalis Zelandiæ. Vide idem Chronicon ad annum 1474. Dein Maximiliani V. Imperatoris ejusque Filii Philippi Archiducis Consiliarius. Ei ex secunda sua Uxore Routa de Schengen natus est

Franciscus de Wissenkercke Armiger, Dominus de Cauwerven, qui ex sua secunda Uxore Maria van Hooglande reliquit

Antonium de Wissenkercke Armigerum, Dominum de Cauwerven, Baillivum de Middelbourg anno 1549. cui ex tertia sua Uxore Maria vanden Abeele successit

Hubertus de Wissenkercke Dominus de Cauwerven, Armiger, qui mortuus 2. Novembris anno 1596. reliquit ex Anna de Wolfwinckel

Ægidium de Wissenkercke Equitem, Dominum de Cauwerven, Campen, Vosmaer, Ollende &c. qui, relictâ Patriâ propter fidem, Dux in expeditione navali quâ Zelandiam Patriam pro Rege Catholico recuperare missus fuit contra Batavos dimicando occidit 13. Septembris anno 1631, qui idcirco ejus Dominia de Vosmaer, Cauwerven, Campen, Ollende &c. Fisco addixerunt, uti constat ex Literis erectionis Baronatûs de Pellenberg. Duxerat in Uxorem Mariam Cats, quæ ei peperit

Joannem de Wissenkercke Baronem de Pellenberg, suprà citatum in Jurisprudentia Heroica, Prætorem Lovaniensem, postea Statuum Brabantiæ Deputatum: qui obiit anno 1680. condique voluit in Templo Societatis Jesu Lovanii in Sacello S. Crucis ab eo extructo, ubi etiamnum Insignia ipsius conspiciuntur. Ei ex sua Uxore Barbara Isabella de Tuyl de Bulkensteyn Domina de Sprang &c. procreatus est

Jacobus Cornelius de Wissenkercke Baro de Sprang, Leopoldi Cæsaris *Cataphractorum Capitaneus*, in obsidione Ultrajectensi ex vulnere suo 11. Augusti anno 1673. ante Patrem mortuus. Duxerat anno 1667. Eleonoram Filiam Baronis de Lisola & Sacri Romani Imperii præfati Cæsaris Legati, ex qua Filium reliquit

Franciscum Carolum de Wissenkercke Baronem de Pellenberg, Sprang & Sacri Romani Imperii, Capitaneum & *Turmæ Equitum Ducem*, qui duxit Annam vander Duyn è Familia Brederodia, Filiam Nicolai & Annæ de Berchem: cujus Soror Cecilia de Wissenkercke nupsit Alexandro Marchioni de Bay Ordinis Aurei Velleris Equiti, Capitaneo Generali & Gubernatori Estramaduræ. Præfatus Franciscus occidit 8. Maii 1699. relictâ unicâ Filiâ Major de Brigade.

Anna Maria de Wissenkercke Baronissâ de Pellenberg, Sprang & Sacri Romani Imperii, quæ juncta est 19. Maii anno 1716. Melchiori Josepho de Villegas, Didaci Ferdinandi Baronis de Hovorst, Domini de Viersel, Bouchant, Wersler &c. Cameræ rationum in Brabantia Præsidis & Statuum Belgii Austriaci Consiliarii, & Mariæ de Villegas Filio unico: cui, dum hæc scribimus, natus est Filius Hyacinthus Philippus Melchior.

Vide M. Smallegange in Novo suo Chronico Zelandiæ de hac Familia de Wissenkercke *fusè tractantem.*

CAPUT CLXVI.

Hugo de Chastillon, *Comes S. Pauli & Blesensis, anno* 1231. *confirmat donationes à se factas Monasterio Pontis Dominarum, Ordinis Cisterciensis, quod in Diœcesi Meldensi fundarat.*

Ego Hugo de Castellione, Comes S. Pauli, notum facio omnibus, quod de assensu Mariæ Uxoris meæ, Filiæ Galteri de Avesnes & Comitis Blesensis, confirmo omnia dona quæcumque feci, antequam essem Comes S. Pauli, & postquam fui Comes, Abbatiæ Sanctimonialium B. Mariæ de Ponte, Cisterciensis Ordinis, à tempore quo fundavi dictam Abbatiam.

Actum anno millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense Aprili. 1231.

Notatio de Comitibus S. Pauli *ex Familia de* Chastillon. *De antiquioribus Comitibus suprà pag.* 162. 669. & 704. *egimus.*

- *Galcherus III. Dominus de Chastillon duxit Elisabetham Filiam heredem Hugonis Comitis S. Pauli, obiit 1219. suprà pag. 704.*
  - *Guido I. Comes S. Pauli duxit Agnetem de Donzy, obiit 1226. Avenione.*
    - *Galcherus Dominus de Donzy.*
    - *Jolenta.*
  - *Hugo I. Comes S. Pauli duxit Mariam Filiam heredem Gualteri de Avesnes & Margaritæ Comitissæ Blesensis, 1231.*
    - *Joannes Comes Blesensis, Carn. Dominus Avesnensis duxit Alidem Britannicam, obiit 1279.*
      - *Joanna Uxor Petri Comitis Alenc. obiit sine liberis 1891.*
    - *Guido II. Comes S. Pauli, Dominus Avesnensis duxit Mathildem Brabanticam, obiit 1289.*
      - *Hugo Comes Blesensis.*
      - *Guido III. Comes S. Pauli duxit Mariam Britanniam, obiit 1289. sepultus in Cervicampo.*
        - *Mathildis Uxor Guidonis de Luxeb. Comitis de Ligney.*
          - *Waleramus obiit 1415. ex Bona reliquit Joannam Antonio Brabantiæ Duci nuptam, Matrem Joannis & Philippi Ducum.*
      - *Jacobus Dominus Condati & Lutosæ.*
    - *Galcherus Dominus de Chastillon.*
    - *Hugo sine liberis.*
    - *Philippa Uxor Othonis Comitis Gelriæ.*
    - *Elisabeth Uxor Gerardi Diaboli.*
  - *Elisabeth Uxor Radulfi II. Domini de Coucy.*
  - *Eustathia Uxor Danielis Domini Betuniæ.*
  - *Beatrix Uxor Auberti de Hangest.*

*

*WALERAMUS Luxeburgius anno 1415. decessit, Ivodii conditus. Ex *Bona* unicam reliquit Filiam *Joannam* Foræ sepultam, quæ ex *Antonio Burgundo* Brabantiæ Duce peperit *Joannem* Brabantiæ Ducem, & *Philippum* Comitem S. Pauli & Ligneii.

Philippus Avo suo materno *Waleramo* in Comitatu S. Pauli successit, & cœlebs obiit.

Margarita Luxeburgica Domina de Beaurevoir, Comitissa S. Pauli.

Petrus Luxeburgius, Comes de Cooversan & Braine, Dominus de Eughien & Fiennes, Margaritæ in Comitatu S. Pauli suffectus, Eques Velleris Aurei, anno 1433. obiit, sepultus in Cervi-campo, Monachorum Cisterciensium in Artesia Cœnobio.

Ludovicus Luxeburgius, Connestabilis Franciæ, anno 1475. Parisiis capite plexus est jussu Ludovici XI, sepultus ibidem apud Minores.

Joannes Luxeburgius Ludovici Filius periit cœlebs ad Nanceium, pro Carolo Audace pugnans.

Petrus Luxeburgius, Joannis Frater, Angiæ 1482. obiit, in Cervi-campo conditus.

Maria Luxeburgia, Petri Filia, anno 1483. Jacobo Sabaudo Comiti de Romont, Ludovici Sabaudiæ Ducis Filio, pòst Francisco Borbonio Comiti Vindocinensi nupsit.

Franciscus Borbonius Comes de Vendosme & S. Pauli.

Maria Borbonia, Francisci Filia ex Leonoro de Orleans, Longevillæ Duce, genuit inter alios liberos *Henricum* Longevillæ ac Toutevillæ Ducem, & *Franciscum*.

Franciscus de Orleans, Comes S. Pauli, Dux de Fronsacq, Par Franciæ, anno 1630. vivebat. De his fusiùs Andreas Quercetanus in sua Historia genealogica Castellionensi.

CAPUT CLXVII.

FERNANDUS LUSITANUS, & JOANNA ejus Uxor, *Flandriæ & Hannoniæ Comites dotant Abbatiam S. JoannisValencianensem Ordinis S. Augustini anno* 1231.

FERNANDUS Flandriæ & Hainoniæ Comes, & *Joanna* Uxor ejus, Flandriæ & Hainoniæ Comitissa, notum facimus, quòd contulimus in eleemosynam Ecclesiæ S. Joannis in Valenceenis decem modiatas nemoris, in nemore nostro de Vieonia, versùs Villam de *Escaupons*, juxta vivarium Domini Goffardi de *Lalaing*, pro libito voluntatis suæ incidendas; nobis & heredibus nostris altam justitiam & caebiam venationis in prædicto nemore retinentes.

ACTUM Valencenis anno millesimo ducentesimo trigesimo primo, mense Julio. 1231.

CAPUT CLXVIII.

JOANNA *Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, Privilegia ac possessiones Abbatiæ Laudensis Ordinis Cistertiensis confirmat anno* 1234.

JOANNA Flandriæ & Hainoniæ Comitissa, universis præsentem Paginam inspecturis salutem.

NOVERINT universi, quod nos Privilegia Monasterii de Laude Virorum Illustrium Prædecessorum nostrorum Comitum Flandriæ Sigillis solemniter confirmata, diligenter inspeximus, in quibus continebantur expressè ea, quæ inferiùs annotantur: &c. *In hunc verò modum concludit:*

NOS igitur, quæ speciali affectu diligimus Monasterium memoratum, omnia jura ipsius semper in omnibus volumus salva fore; & prædicta omnia, quæ per Privilegia Prædecessorum nostrorum, & per nostra eidem Monasterio concessa sunt, & hactenus pacificè observata, approbamus, & præsenti Privilegio confirmamus, &c.

ACTUM anno Domini M. CC. XXXIV. mense Aprili. 1234.

CAPUT CLXIX.

WALTERUS DE TILBORG *Vir Nobilis dotat Lovaniense S. Gertrudis Cœnobium anno* 1234.

GILBERTUS Miles de Tilborgh, Nobilis Vir, universis notum facimus, quòd *Waltherus* Miles, Nobilis Vir de Tilborg, Frater noster, tertiam partem veteris decimæ sitæ in territorio de *Bercle*, quam à nobis habuit jure feudali, in manus nostras reportavit & effestucavit, ad opus Canonicorum Regularium B. Gertrudis in Lovanio, novellæ decimæ jure sibi reservato.

NOS autem volentes subvenire prædictis Canonicis, decimam prænominatam eisdem contulimus, sub annuo censu duorum denariorum Coloniensium, ad Vincula B. Petri persolvendorum, ab eisdem Canonicis B. Gertrudis perpetualiter

petualiter possidendam. Testes hujus Donationis facti sunt hi,

Arnoldus Nobilis Vir de Dist,
Arnoldus de Wesemale,
Henricus &
Renerus Milites de Kuch,
Gosuinus Boch,
Otthomannus de Dormala,
Henricus de Stercbeke,
Wilhelmus Hosse,
Henricus de Gochevorch, & alii quàm plures.

ACTUM apud * Busch, anno millesimo du- 1234.
centesimo tricesimo quarto, in Festo Philippi & Jacobi.

* BUSCH, id est, Sylva-ducis.

CAPUT CLXX.

WALTHERUS DE BERTHAUT, *Dominus de Mechlinia benefacit Abbatiæ S. Bernardi ad Schaldim Ordinis Cisterc. anno* 1235.

Dominus Mechliniæ.

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis * WALTERUS Bertolt Vir Nobilis salutem.

SCIANT præsentes & futuri, quòd nos eleëmosynam, quam in Villis de *Vrimde*, *Millenghem*, *Brochem*, & *Ouden* Cognatus noster *Ægidius* Bertolt contulit, ad construendum Monasterium Ordinis Cisterciensis, ratam habemus. Testes,

Ægidius Bertolt Frater Domûs Teutonicorum,
Henricus Frater noster,
Willelmus de Grimbergis,
Eustatius Camerarius Flandriæ, &
Gerardus Frater ejus, Viri Nobiles;
Henricus de Hexbruec, &
Walterus de Hagt, Milites.

ACTUM M. CC. XXXV. feriâ III. ante Purifi- 1235.
cationem B. Mariæ.

Stemma Ægidii Bertoldi, *qui Locum S. Bernardi fundavit.*

- *Walterus Bertout Walteri Filius, Arnulfi Nepos, Dominus Mechliniæ 1179. Obiit 1219 sepultus ad S. Rumoldum, pag. 729*
  - *Walterus Bertout Dominus Mechliniæ, obiit 1243.*
  - *Ægidius Barbatus Dominus Berlara, duxit Catharinam, 1219. in Syria militavit*
    - *Ægidius Bertout duxit Heluidem, Vallem Rosarum 1227. pag. 744. dotat, Locum S. Bernardi 1235. fundat.*
      - *Filiæ duæ Moniales in Valle Rosarum.*
    - *Ludovicus Dominus Berlara 1245 1266. duxit Sophiam Dominam de Gramines.*
      - *Florentius.*
      - *Joannes Dominus de Gramines 1296.*
        - *Joannes Bertout dictus Berlar, Dominus de Helmont & Keerbergo 1294. 1312. in Cortenberg, 1323*
          - *Joannes de Berlar Dominus Helmondæ 1372. 1415.*
      - *Ludovicus.*
      - *Raso Cantor Antverpiæ 1296.*
    - *Godefridus.*

CAPUT CLXXI.

HENRICUS II. *Dux Brabantiæ confirmat & auget fundationem Abbatiæ S. Bernardi, anno* 1235.

HENRICUS, (1) Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quòd nos eleëmosynam, quam contulit Vir nobilis *Ægidius* Bertout, quæ continet quidquid juris idem Ægidius habebat in Vrimde, Millengem, Brochem & Ouden, in manus Abbatis Villariensis, ad opus novi Monasterii Monachorum Ordinis Cistertiensis (sicut eam Vir nobilis Walterus Bertout, à quo præfatus Ægidius ipsam tenebat in feodum, in in manus nostras tamquam Domini superioris reportavit) ratam habemus. Testes

Walterus Bertout,
Arnoldus de Dist,
Gerardus Frater ejus, Viri nobiles,
Henricus de Attenhoven,

Walterus

Additio. (1) HENRICUS II. Brabantiæ Dux, fuit benefactor munificus Ordinis Cistertiensis; nam præter dotationem Abbatiæ S. Bernardi, de qua hoc loco, fundavit quoque Abbatiam Vallis Ducis prope Lovanium, in qua Filiam suam Margaretam collocavit, quæ dein fuit secunda ejusdem Cœnobii Abbatissa. Benefecit etiam Prioratui de Ter-Banck Monialium ejusdem Ordinis juxta Lovanium, item Abbatiæ Villariensi, in qua moriens anno 1247. sepeliri voluit.

Extat illic hodieque magnificum ejusdem Ducis Monumentum, sed sine Epitaphio.

Walterus Clutinc,
Walterus de Huldeberges, & plures alii.
1235. ACTUM M. CC. XXXV. mense Martio.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ.. Noveritis quòd Nos omne Allodium de Villa nostra *Westmalle*, cum omnibus decimis, silvis, pratis, terris & totali silva quæ vocatur *Hodunc*, in eleemosynam contulimus, ad construendum novum Monasterium Cistertiensis Ordinis, quod *Locus S. Bernardi* vocabitur, in manus Domini Abbatis de Villari. Testes,
Godefridus de Perues, Walterus Bertaut,
Arnoldus de Wesemale,
Arnoldus Dapifer de Rotselare,
Henricus de Attenhove,
Carolus de Arschot,
Walterus de Haacht,
Remboldus de Thunis,
Gerardus de Iska & plures alii.
DATUM M. CC. XXXV. mense Martio. 1235.

CAPUT CLXXII.

Fons B. Mariæ, Monialium Ordinis Cistertiensis Abbatia, vulgò Differtangen, *in Agro Luxeburgensi fundatur, anno* 1235.

EGO ALEXANDER de Solubrio notum esse volo, quòd de assensu Theodorici Trevirorum Archiepiscopi, in quadam parte Allodii mei, in loco qui vulgariter dicitur *Fons B. Mariæ*, sito apud *Tifferdinghen*, Villam meam nuper fabricatam, in honore B. Mariæ Virginis dedicandam obtuli, novellâ plantatione Sanctimonialium Ordinis Cistertiensis ibidem collocatâ.

Differtangen.

ET de assensu uxoris meæ *Hadewidis*, de rebus à Deo mihi collatis quæ subscripta sunt contuli: locum videlicet dictæ fabricæ & ambitûs ipsius, item curiam & bona tam in agris quam in silvis apud *Hosterborn* ad meam proprietatem pertinentia: item molendinum & vivarium in *Tifferdingen*, carratam vini singulis annis persolvendam in Autumno de reditibus in *Reile*; item molendinum meum in *Tunthigen* cum prato de *Holdingen*, duos mansos in *Redigen* meæ Advocatiæ, quorum proprietatem à Domino Godefrido de Pepingen & Philippo de Monte S. Martini, Militibus, comparavi.

QUÆ autem subscripta sunt contuli eidem loco possidenda post mortem meam, si ea egestate compulsus ante mortem meam non vendidero, & ab hoc sæculo migravero sine prole; videlicet Familiam meam mihi servili conditione annexam in Zolubrio, & in *Rur*; item omnia bona mea tam in *Visbach* quàm in *Reile* & de *Opignen*, quæ emi à Canonicis Trevirensibus S. Paulini.

Actum anno Domini M. CC. XXXV. mense 1235.
Maio.

CAPUT CLXXIII.

ENGELBERTUS *&* SIGERUS *Angiæ Domini*, JOANNES *de Monte Vir Nobilis, &* AELIDIS *Aldenardæ ac Lessiniæ Domina, Cantipratense Cœnobium, supra pag.* 715. *&* 730. *laudatum, dotant ann.* 1234. *& seqq.*

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis ENGELBERTUS Dominus de Enghien salutem. Noverit universitas vestra, quòd Dominus *Joannes* de Monte Miles, in præsentia mea constitutus, præsentibus Hominibus meis Ducatûs Brabantiæ, & Paribus ejusdem Joannis, decem bonaria terræ in Parochia de Bogardis, in nemore de Raspale, quæ à me tenebat in feodum, Ecclesiæ de Cantiprato.... Et ut præmissa rata permaneant, ad instantiam Domini Joannis de Monte & Margaretæ Uxoris ejus, præsentem Paginam Sigilli mei munimine feci corroborari.

ACTA sunt in domo mea in nemore de *Stri-*
1234. *bout*, anno M. CC. XXXIV. mense Junio.

EGO verò SIGERUS primogenitus Domini de Enghien omnibus præmissis meum præbui assensum, & Sigillum meum, cum Sigillo Patris mei, feci Litteris præsentibus apponi.

EGO SIGERUS Dominus de Anghien notum facio, quòd omnia acquisita ab Ecclesia de Cantiprato juxta Cameracum, in dominio & potestate mea, secundùm quod in Chartis Sigillo Patris mei sive meo sigillatis pleniùs continetur, laudo & approbo. Et nos *Aelidis* Uxor prædicti Sigeri, & *Walterus* primogenitus eorumdem....

Actum anno M. CC. XLVI. mense Septembri, 1246.
in Festo SS. Cosmæ & Damiani.

EGO SIGERUS Dominus de Enghien universis notum facio, quòd pro remedio animæ meæ... In cujus rei testimonium Nos prædictus Sigerus Dominus de Enghien, & *Alaidi* Uxor ejus, & *Walterus* Miles primogenitus eorumdem, præsentem Chartam Sigillorum nostrorum appensione fecimus roborari.

Datum

1246. Datum anno millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, mense Septembri.

SIGERUS Dominus de Enghien universis præsentes Litteras visuris salutem. Noverit universitas vestra, quòd cùm lis & controversia mota esset inter Dominum *Ægidium* Militem de Ham ex una parte, & Ecclesiam de Cantiprato juxta Cameracum ex altera, super quodam nemore sito in Parochia de Bergheecines, quod nemus *Balduinus* bonæ memoriæ de Ham Miles, frater dicti Ægidii Militis, dedit in eleëmosynam prædictæ Ecclesiæ, præfatus Ægidius per consilium meum & Michaëlis Maioris de Brania-Comitis, cum *Jacobo* primogenito suo, dictam eleëmosynam approbavit...

ACTUM apud Haucrois, in cœmeterio retro cancellum, præsentibus,

Milone Abbate de Cantiprato,
Her. Capellano meo,
Domino Waltero Stue,
Domino Joanne de Malbruc, Milite,
Olivero de Tuibeke,
Colino de Tonbeke,
Colino de Bontage,
Ostone Villico de Haucrois,
Hermanno Fratre suo,
Colino Fratre suo,
Waltero Botersbruge,
Ruekino de la Noet,
Nicolao de Botersbruge,
Scalkino Calle, & pluribus aliis.

DATUM anno M. CC. XLVIII. mense Februario. 1248.

NICOLAUS Dei gratia Episcopus Cameracensis.... Cùm Nobilis mulier *Aelidis* Domina quondam de Audenarde, & nunc Domina de Lessines, ducentas libras donaverit Ecclesiæ de Cantiprato, pr emendis reditibus ad opus unius Altaris ve Capellaniæ in Ecclesia prædicta instituendæ, pro anima bonæ memoriæ *Arnoldi* quondam Mariti sui defuncti, nos prædictam donationem & institutionem auctoritate nostrâ confirmamus.

DATUM anno millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, feriâ secundâ ante Magdalenam. 1259.

Notatio de Dominis Angiæ.

- *Ingelbertus Dominus Angiæ duxit Idam, 1224. Bellingam fundat, ibidem sepultus, pag. 737. 741.*
  - *Sigerus Dominus Angiæ duxit Alidem Filiam heredem Walteri Domini de Sottegem, 1246.*
    - *Walterus Dominus Angiæ, obiit 1271.*
      - *Walterus Dominus Angiæ, Fundator Cartusiæ Herinensis obiit 1309.*
        - *Walterus Dominus Angiæ duxit Isabellam de Brienne, Sororem heredem Gualteri Ducis Athenarum, in Pictavis 1356. cæsi.*
          - *Walterus, obiit ætatis 18.*
          - *Sigerus Dominus Angiæ 1362. decapitatus Querceti.*
            - *Walterus Dominus Angiæ, obiit 1381. Gandavi.*
          - *Ludovicus Comes Briennæ & Compsæ.*
            - *Maria Uxor Joannis de Luxeburg.*
          - *Jacobus,*
          - *Guido,*
          - *Ingelbertus Dominus de Rameru.*
            - *Ingelbertus.*
          - *Joannes Episcopus Tornacensis & Leodiensis.*
    - *N. Dominus Sottegemii.*
      - *Maria heres Uxor Hugonis Castell. Gandensis.*
  - *Jacobus.*

ANgia Oppidum Hannoniæ, Gallis *Enghien*, Flandris *Edinghem*, multos sub se Pagos seu Vicos Parochiales comprehendit, ex quibus nonnulli sunt juris Brabantini, alii juris Hannoniensis.

Brabantiæ Feuda sunt novem, videlicet *Senesse*, *Ronkiers*, *Hemeries*. *Tubise*. *Rebecque*. *Bierges*, *Bongardes*, *Laerbeke* & *Beringen* : ut ex libris Curiæ feudalis Brabantinæ didici.

CAPUT CLXXIV.

GODEFRIDUS *Peruesii, Grimbergæ pro parte & Ninoviæ Dominus, &* INGELRAMNUS *Frater ejus benefaciunt Ecclesiæ Grimbergensi Ord. Præmonst. anno* 1236.

GODEFRIDUS Dominus de Pereweis, & Ingelramnus Frater ejus notum facimus, quòd Nos vendidimus Ecclesiæ Grimbergensi viginti octo boneria silvæ in Parochia de * *Mense*, in loco *Voerst*, præsentibus & consentientibus *Aaliciâ* Uxore Filii mei Godefridi, & *Agnete* Uxore Fratris mei Ingelramni, quæ boneria ex parte Uxorum nostrarum ad nos spectabant.

* Meys.

ACTUM anno millesimo ducentesimo tricesimo sexto. 1236.

CAPUT CLXXV.

JOANNA *Flandriæ ac Hannoniæ Comitissa dotat Bellum-pratum, Abbatiam Monialium Ordinis Cistertiensis prope Gerardi-Montem anno* 1237.

EGo JOANNA Comitissa Flandriæ ac Hannoniæ universis salutem. Innotescat præsentibus & sciant posteri, quòd ego in eleëmosyam contuli quinque bonaria nemoris mei, quod dicitur *Raspaille*, siti juxta Geraldimontem, inter nemus nobilis Matronæ *Aelidis* Dominæ de Boulario, & Nobilis Viri nemus Domini Ægidii de *Hallut*, Monasterio Sanctimonialium, Cistertiensis Ordinis, de Bello-prato in perpetuum possidenda.

ACTUM publicè coram Hominibus meis, anno millesimo ducentesimo trigesimo septimo 1237.
mense Septembri.

CAPUT CLXXVI.

OTHO CLAUDUS *Gelriæ Comes cum* HENRICO *Montis seu Herenbergæ Domino anno* 1237. *transigit super Advocatia Embricensi in Clivia, ubi hodieque Canonicorum est Capitulum.*

EGo OTTO Comes Gelriensis præsenti scripto protestor, quòd super caussa, quæ inter me ex una parte & Nobilem Virum fidelem & consanguineum meum Dominum (1) *Henricum* de Monte ex altera vertebatur, sic ordinatum est.

Heerenberghe.

EGO Advocatiam, quam dictus Henricus infra fossatum Embricense habuit, ab ipso conquisivi tali conditione, quòd nulli Homines, qui dominio vel juri ipsius Henrici attinent, ab isto die in antea in libertatem Embricensibus concessam recipientur, nec ad manendum infra munitionem eamdem intrabunt.

INSUPER Embricenses memorato Henrico nullam prorsus injuriam in comitia sua, sive bonis, sive rebus aliquibus irrogabunt. Testes verò qui interfuerunt huic facto, hi sunt,

Otto Aquensis & Trajectensis Præpositus,
Gerardus de Randenrade,
Goswinus de Millen,
Wilhelmus de Hoirne,
Fridericus de Reden: & Ministeriales,
Goswinus de Stralen,
Gerardus Dapifer,
Joannes de Zutphania, & alii plures.

ACTA sunt hæc apud Castrum Gelriense, anno Domini M.CC.XXXVII. mense Aprili, in crastino Palmarum.

Notatio de Comitibus Bergensibus *seu* Herenbergensibus.

(1) HENRICUS de Monte, quod est Oppidum in Comitatu Zutphaniensi situm, Comitatûs titulo nunc clarum, quod Teutonicè *s' Heerenberghe* nuncupant. Vetus est traditio, districtum Montensem seu Herenbergensem esse portionem hereditariam ex Comitatu Zutphaniensi desumptam: ut Tabulæ publicæ anno 1482. linguâ Teutonicâ scriptæ testantur.

Hæ Tabulæ à Collegio Canonicorum S. Walburgis Zutphaniç. & à Senatu ejusdem Urbis scriptę sunt in favorem *Osualdi* Domini de Monte seu Bergis, qui primus Comes Bergensis seu Herenbergensis à Frederico III. Imperatore creatus fuit. Cujus quidem Stemma hìc subnectere haut abs re fuerit.

I. OTHO Dominus de Hedele, vulgò *Hele* in Bomelia insula, ex Castellanis Leidensibus & Wassenare Dominis oriundus, Joannis Domini de Polanen & Lec (qui Bredam anno. 1351. à Joanne II. Brabantiæ Duce sibi suisque emit) & Margaritæ Lippiensis Filius, circa annum 1390. aut 1400. duxit *Sophiam*, Montis seu Herenbergæ heredem, & ex ea genuit Guilielmum.

II. GUILIELMUS Herenbergæ Dominus ex Mathilde de Benthem genuit Osualdum suprà nominatum.

III. OSWALDUS, primus Herenbergæ Comes anno 1473. creatus ex Elisabetha Meursensi habuit Filium Guilielmum.

IV. GUILIELMO ex Anna Egmondana natus est Oswaldus illo nomine secundus Comes.

V. OSWALDUS II. ex N. Domina de Dorth Guilielmum procreavit.

VI. GUILIELMUS ex Maria Nassavia, Guilielmi Principis Arausionensis Sorore, Hermannum & Fredericum Velleris Aurei Equites Henricum Gelriæ Ducatûs Gubernatorem, & alios liberos sustulit.

VII. HERMANNUS ex Mancia de Witthem, Joannis de VVitthem Domini de Beersele & Margaretæ Merodiæ Marchionissæ Bergarum ad Zomam Filia ac herede genuit Filiam unicam Mariam-Isabellam, dicti Marchionatûs & Comitatûs de Walhain heredem. Obiit Hermannus anno 1611.

VIII. MARIA ISABELLA nupsit ALBERTO, Herenbergensi Comiti, Frederici Patrui sui ex Francisca de Ravanelles Filio: sed anno 1633. sine liberis extincta, eandem hereditatem ad Materteræ suæ Filiam Mariam transmisit. Additio,

IX. MARIA Filia fuit Henrici Comitis Bergensis, qui fuit Hermanni supra memorati Frater natu minimus. Hic duxit Uxorem Margaritam VVitthemiam alteram Filiam Joannis de VVitthem & Margaroetæ Merodiæ supra memoratorum, & ex eâdem Filiam unicam Mariam sustulit.

Hæc Maria anno 1641. nuptias iniit cum Eitelio Frederico Comite de Hohenzollern: cujus Stemma supra prosecuti sumus lib. I. Diplom. Belg. cap. 95. inter Marchiones Bergizomenses.

CAPUT CLXXVII.

ALIDIS *Boulariæ Domina benefacit anno* 1238. *Abbatiæ Belli-prati, de qua ſupra cap.* 164.

EGo ALIDIS Domina de Boular univerſis præſentium tenore declaro, quod de aſſenſu & voluntate Filiorum meorum, videlicet *Philippi* majoris natu, *Oſtonis*, *Ægidii* & *Raſonis*, Domini *Goſuini* de Scendelbeka & *Adæ* Filiæ, Uxoris Goſuini, contuli in eleëmoſynam Eccleſiæ B. Mariæ de Bello-prato ſeptem bonaria ſilvæ.

UT autem tam pia collatio noſtra ſtabilis perſeveret, Scriptum præſens Sigillo meo volui confirmare, & huic Scripto præfati Filii mei ſua ſigilla pariter appenderunt.

SED quoniam *Raſo* Filius meus tunc temporis proprium Sigillum non habebat, uſus eſt Sigillo Abbatis de Geraldimonte.

Actum anno gratiæ M. CC. XXXVIII. menſe Martio. 1238.

CAPUT CLXXVIII.

***Eadem* ALIDIS *Boulariæ Domina ſervos & ancillas Boularienſes manumittit, anno* 1238.**

UNIVERSIS ad quos notitia præſentis ſcripti pervenerit, Ego AELIDIS, Domina de Boulario, ſalutem.

INNOTESCAT tam præſentibus quàm futuris, quòd Nos de conſenſu Filiorum noſtrorum & *Adæ* Filiæ noſtræ, & Domini Goſſuini de Scendelbeka, Mariti ejuſdem Adæ, videlicet *Philippi* majoris natu, *Oſtonis* de Trazegnies, *Ægidii le Brun* & *Raſſonis*, omnes ſervos & ancillas, in dominio de Boulario commorantes, abſolvimus ab omni exactione & taliis. Hoc excepto, quòd tenebuntur Domui de Boulario ad melius catellum ad mortem; & quidem tenebuntur ad nuptias puerorum meorum, & ſi quem contingit fieri Militem, ad hoc nobis conferre juvamen.

ET contulimus eoſdem ſervos & ancillas & advenas, ſi qui fortaſſis veniunt in terram noſtram, pro licentia matrimonii contrahendi, & ad mortem ad duodecim denarios legalis monetæ patriæ, in remiſſionem peccatorum noſtrorum, ad commorandum, Eccleſiæ B. Adriani de Gerardimonte, & manumiſimus eos.

ITA quòd dictæ Eccleſiæ tenebuntur ad cenſum annualem duorum denariorum annuatim quilibet eorum, & ad ſex denarios, pro licentia matrimonii contrahendi, & ad mortem ad duodecim denarios legalis monetæ patriæ, in remiſſionem peccatorum noſtrorum & Anteceſſorum noſtrorum. Illos autem de inferiori Boulario prædicto modo contulimus Eccleſiæ memoratæ, & ſub eadem forma.

UT autem hæc manumiſſio ſtabilis permaneat, nos prædicti Filii cariſſimæ Matris noſtræ præſentes Litteras noſtrorum appenſionibus Sigillorum fecimus roborari.

ACTUM anno Domini M. CC. XXXVIII. in Cœna Domini. 1238.

CAPUT CLXXIX.

LEONIUS *Caſtellanus Bruxellenſis benefacit Abbatiæ Vallis-Ducis Monialium Ciſtertienſium juxta Lovanium, anno* 1238.

EGo LEONIUS Filius Domini Leonii Caſtellani Bruxellenſis, ad notitiam fidelium volo pervenire, quòd ego decimam totalem, ſicut eam in Parochia de *Lewis* à Viro nobili Daniële de Wange in feodum tenebam, ad opus Abbatiſſæ & Dominarum **Vallis-Ducis*, Ordinis Ciſtertienſis, in manus ejuſdem Daniëlis reportavi, in præſentia Hominum ſuorum, Giſelberti Militis de *Weſenbeke*, & Godefridi de *Stertbeke*, in eleëmoſynam perpetuam.

* 's Herto-gendale.

ET ut hæc collatio illibata conſervetur, Sigilli mei appenſione roborandam duxi, Sigillo Patris mei ſupra nominati eamdem faciens roborari.

Acta ſunt hæc M. CC. XXXVIII. ſub teſtimonio Domini Walteri de Sottenghem Militis, & aliorum, feriâ poſt Aſſumptionem Beatæ Mariæ. 1238.

CAPUT CLXXX.

Idem Leonius *&* Daniel de Wanghe *eidem Abbatiæ Vallis-Ducis donant decimas S. Petri-Leeuwensis juxta Bruxellam, anno* 1238.

S. Petri-Leeuw.

EGo Daniel de Wanghe duxi significandum, quòd *Leonius*, Filius Domini Leonii Castellani Bruxellensis, decimam de Lewes, quam à me tenebat in feodum, in manus meas, in præsentia Hominum meorum Giselberti Militis de *Wesenbeke*, & Godefridi de *Sterbeke*, ad opus Abbatissæ & Conventûs Vallis-Ducis reportavit, effestucavit & werpivit.

Ego verò eamdem decimam in manus præfatæ Abbatissæ, ad opus ipsius suique Conventûs, allodialiter contuli possidendam.

Acta sunt hæc M. CC. XXXVIII. sub testimonio Domini Walteri Militis de *Zotteghem*, & aliorum. 1238.

CAPUT CLXXXI.

Guilielmus *Castellanus Audomarensis transigit cum Abbate S. Bertini Ordinis S. Benedicti, anno* 1239.

HOc Chirographum testatur, quòd cùm inter Abbatem & Conventum S. Bertini ex parte una, & Nobilem Virum Willelmum Castellanum S. Audomari ex altera, super jure habendi cygnos in Mera, & super jure tendendi retia ad capiendas aves in eadem, quod dictus Castellanus ad se pertinere dicebat, quæstio verteretur; tandem de consensu unici Fratris sui *Willelmi* de S. Audomaro, Domini de Pergam, fuit Pax inter eos reformata in hunc modum...

Huic Paci Ego Willelmus Castellanus S. Audomari, & Ego Willelmus de S. Audomaro, Dominus de Pergam, consentimus, coram Testibus,

Willelmo Planel, &
Hugone de Cornhus, Militibus,
Willelmo Waffelun, &
Nicolao Fratre suo, Burgensibus S. Audomari.

Actum apud Niverlet M. CC. XXXIX. mense Julio. 1239.

Notatio de Castellanis Audomarensibus *&* *Dominis de* Crequy.

- *Guilielmus Castellanus de S. Audomaro, 1130. sup. pag. 278.*
  - *Guilielmus Castellanus ibidem, duxit Idam de Avesnis, 1186. suprà pag. 702.*
    - *Guilielmus Castellanus, 1239.*
    - *Guilielmus Dominus de Pergam*
    - *Alaidis Uxor Balduini Domini de Crequy.*
    - *Margarita Uxor Balduini junioris Domini de Crequy.*
      - *Philippus Dominus de Crequy duxit sororem Gerardi de Piquony Vice-domini Ambianensis.*
        - *Balduinus Dominus de Crequy duxit heredam de Heilly.*
          - *Joannes Dominus de Crequy duxit Idam de Poffeux.*
        - *Hugo.*
        - *Philippus.*
        - *Engelramus Episcopus Cameracensis, 1273. & Morinensis 1292.*
        - *Margarita.*
      - *Margarita Abbatissa Messinensis.*
      - *Balduinus de Crequy Dominus de Torchy.*
        - *Guilielmus dominus de Torchy.*
        - *Philippus.*
        - *Balduinus.*

EX Castellanis Audomarensibus oriundus fuit *Gaufredus* de S. Audomaro, qui anno. 1118. Ordinem Templariorum Militum in Syria cum Hugone Pagano instituit: ut Tyrius lib. 12. cap. 7. tradit.

Guilielmus Castellanus Audomarensis Abbatiam S. Andreæ in Nemore, quæ est Regularium Ordinis Præmonstratensis in Diœcesi Ambianensi, prope Hesdinium Artesiæ Oppidum, ex loco humiliore in salubriorem, quo nunc visitur, anno. 1156. transtulit.

Margarita, Engelrami Cameracensis Episcopi Soror, quattuor Maritos habuis. Primus fuit *Joannes* primogenitus Domini Gistellæ in Flandria. cui Filium peperit qui post mortem Domini Walteri successit in Dominio de Formeselles. Secundus Margaritæ Maritus *Jacobus* de Harchicourt sine liberis decessit. Tertius fuit *Walo* de Bevre. & quartus Dominus de Trasignies.

Ramelinus Dominus de Crequy in Syria militavit, & Rivovillam, vulgo *Ruisseauville*, Canonicorum Regularium Abbatiam in Artesia & Diœcesi Bolonensi circa annum 1127. fundavit.

CAPUT

CAPUT CLXXXII.

Vide supra pag. 78.
PETRONILLA DE GANDAVO *prima Abbatissa * Forestensis, Ord. S. Benedicti juxta Bruxellam anno 1239. recenset originem sui Cœnobii.*

Accedunt varia fragmenta Diplomatum in favorem ejusdem Abbatiæ data à variis Nobilibus.

EGo (1) PETRONILLA, prima Abbatissa in loco qui vocatur Forestum omnibus notum fieri volumus, quòd quidam Miles Gilbertus nomine, Filius Balduini de Alost, Filii Rodulphi, Alodium quod ab Abbate S. Petri de *Hasnon* emerat, Ecclesiæ quæ nunc dicitur *Forestum* contulit in eleëmosynam: ut in loco qui dicitur *Merbem* Ecclesia & Claustrum in honore B. Mariæ construeretur, ubi sub Regula S. Benedicti Mater sua nomine *Oda*, cum Filia sua Leodegarde, Monachicam duceret vitam.

1096. HÆc autem acta fuerunt anno M. XCVI. tempore Fulgentii primi Abbatis Affligemensis, qui loca ipsius Allodii peragrans, & situm Congregationi construendæ aptum non inveniens, in Ecclesiam Forestensem, ab *Odone* Cameracensi Episcopo dictis Sororibus traditam, eædem Sorores translatæ sunt.

NOTUM etiam sit universis, quòd *Godefridus* Dux Lotharingiæ Alodium quod apud Forestum tenebat, ad construendum ibidem Monasterium, contulit in eleëmosynam eisdem Dominabus.

DIVISIONE autem factâ Monasterii de Foresto à Monasterio Affligemensi, Ego *Petronilla*, Filia Domini Segeri Templarii, quondam Castellani de Gandavo, electa fui in Abbatissam apud Forestum anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono, Idibus Augusti, & eodem anno consecrata fui apud Cameracum in Ecclesia B. Virginis à Guidone Episcopo Cameracensi, VI. Nonas Octobris. 1239.

Additio. HOc Diploma intelligendum est, non de prima fundatione Parthenonis Forestensis prope Bruxellam facta à Fulgentio Abbate Affligemiensi anno 1096, quando Godefridus Dux Lotharingiæ Allodium suum quod apud Forestam tenebat, ad construendum ibidem Monasterium contulit, uti constat ex ejus Diplomate supra exhibito in Codice Donat. Piarum cap. 68. sed de erectione Foresti in Abbatiam, quando Petronilla Filia Domini Segeri Templarii, quondam Castellani de Gandavo, electa fuit in primam Abbatissam anno 1239. authoritate Guidonis Cameracensis Episcopi. Nam antea erant tantùm Priorissæ Affligemiensi Monasterio subjectæ, à cujus jurisdictione hoc anno separatæ sunt. *Ita notavit P. Martene Ordinis S. Benedicti in Thesauro Anecdotorum tom. 3. p. 718.*

EGO GODEFRIDUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ omnem hereditatem, quam Geldulfus & Gislardus Fratres, cum Matertera sua Iota, Ecclesiæ Forestensi vendiderant, & mihi reddiderant, eidem devotè contuli.

Signum Franconis Castellani,
Ingelberti de Atrio,
Henrici Pœdagogi,
Franconis Bolens,
Godefridi de Valle,
Henrici de Stalle, &
Bernardi Care, in cujus hoc actum est Camera, eo anno quo Grimbergense Castrum cepi, incendioque delevi.

Non habetur data in Autographo.

EGO GODEFRIDUS Dux & Marchio Lotharingiæ notum fieri volo, Lauretam Filiam Comitis Theodorici in Ecclesia Forestensi Religionis habitum suscepisse, & Allodium Gosuini de Erpe apud Anderlecht positum ad opus Ecclesiæ Forestensis comparasse. Testes,

Leonius de Bruxella,
Walterus &
Gerardus Filii Gosuini de Erpe.

1173. Acta sunt hæc M. C. LXXIII.

EGO GODEFRIDUS Dux & Marchio Lotharingiæ notum fieri volo... Testes,

Walterus de Stalle,
Olivir de Gest,
Gorwinus de Saventem,
Gorwinus de Leve.

Acta sunt hæc M. C. LXXIII. Indictione VI. 1173.

EGO GISLA de Aa, & *Leonius* Filius meus, notum facimus quòd VI. bonaria Allodii apud Watermale, pro anima Domini & Mariti mei *Walteri* de Aa, Ecclesiæ Forestensi dedimus in eleëmosynam. Testes,

Henricus de Stalle,
Razo de Quaquenbeke.

Actum M. C. XCI. 1191.

EGO INGELBERTUS Dominus de Aenghien notum facio, quòd *Elisabeth* Mater mea piæ memoriæ VI. bonaria, quæ jacent in Parochia Anderlechtensi, contulit Monasterio Forestensi.

Signum Castellani de Bruxella,
S. Leonii Domini de Aa,
Petri de Santes,
Arnulfi de Larbeke.

Actum M. CC. XIV. 1214.

EGO GODEFRIDUS Dux & Marchio Lotharingiæ notum fieri volo, Rabbodonem de Crainhem, assentientibus tribus Filiis Fratris sui, Daniele scilicet, Rainero, Willelmo, mansum de Quedinenort Ecclesiæ Forestensi vendidisse. Testes,

Walterus de Aa,
Arnulfus de Dieft,
Henricus de Birbeke,

Henricus de Asca & Frater ejus
Leonius,
Giselbertus Magnus &
Lambertus Frater ejus,
Arnulfus Dapifer,
Gosuinus de Heverle,
Arnulfus de Bigardis,
Gosuinus de Saventhem,
Henricus de Stalle,
Henricus de Ietterbeke,
Sigerus de Bornhem.

1173. ACTA sunt hæc M. C. LXXIII.

Innotescat tam posteris quàm præsentibus, quòd Ego GODEFRIDUS Dei gratiâ Bruxellensis Castellanus duos mansos terræ in Wolue Ecclesiæ Forestensi recognovi. Testes,
Godescalcus Afflegemensis Abbas,
Henricus de Stalle.

1185. ACTUM M. C. LXXXVI.

GODEFRIDUS Dux Lovaniæ omnibus notum facimus, Aludium apud Oldrenghem (quod *Franco* Castellanus senior ab Avo meo Duce Godefrido sibi concessum triginta annis & ampliùs possederat, Filiisque *Franconi* & *Henrico* reliquerat) Filiam Henrici *Idam*, heredem ipsius, cum Matre sua *Lutgarda*, ad opus Ecclesiæ Forestensis mihi dedisse; & sic quod Pater meus Dux Godefridus & Franco Castellanus Patruus Idæ prærordinaverant, me & illam implevisse, testimonio
Arnulfi Avunculi Idæ,
Arnulfi Dapiferi de Oppenthrop,
Reinzonis de Tildunc,
Henrici Snepart,
Gerardi de Hildeberge,
Henrici Pœdagogi, &
Gosuini de Eversbergh.

SIGERUS Dei gratiâ Castellanus Gandavi, *Petronillæ* Uxoris meæ & Filiorum meorum *Sigeri* & *Danielis* assensu, dedi Forestensi Ecclesiæ XXXII. mensuras terræ in officio de Hasnede. Reliqua duæ Filiæ meæ *Beatrix* & *Petronilla*, quamdiu vixerint, usufructuario possidebunt: quibus mortuis transeunt in jus Ecclesiæ.

UT autem hæc rata permaneant, Sigillo Mathildis Reginæ roborata sunt. Testes,
Gerardus de Sotrengem,
Walterus de Sottengem,
Oliverius Frater ejus,
Arnulfus de Wendeca,
Radulphus de Hasebrock,
Eustatius de Dichsmude.

1190. Anno millesimo centesimo nonagesimo.

Ego PETRONILLA, Uxor quondam Viri Nobilis *Sigeri* Castellani Gandensis, notum facio quòd Robertus Abbas Affligemensis Decimam quandam in Parochia Anderlechrensi à Viro Nobili Olivero de Sottegem, consensu Capituli de Anderlecht, pignori accepit. Testes,
Theodoricus &
Walterus Filii ejusdem Petronillæ,
Rogerus de Curtraco,
Ingelbertus de Lupengem, Milites,
Mathildis Advocata Bethuniæ,
Margareta Soror ejusdem, & alii quàm-plures.

ACta sunt hæc anno M. CC. XIV. 1214.

HENRICUS Dux Lotharingiæ notum fieri volumus, quòd Oliverus de Sorteghem Vir Nobilis, Uxore suâ, Filiis quoque & Filiabus suis assensum præbentibus, XLII. bonaria quæ habuit apud Dilbekam in manus nostras resignavit, & nos ad petitionem ipsius ea Forestensi Monasterio contulimus. Testes,
Walterus de Birbeca,
Henricus de Sterbeca.

ACtum M. CC. XVII. 1217.

EGO ÆGIDIUS Miles Dominus de S. Auberto, & M. Uxor mea.... anno M. CC. XIX. 1219.

EGO HENRICUS Dux Lotharingiæ, & *Henricus* Filius meus, venientes ad Altare S. Mariæ Forestensis, XLII. bonaria terræ apud Dilbekam, quæ *Oliverus* de Sottegem & Uxor ejus Perona, & Henricus Filius eorum, reddiderunt in manus nostras ad opus Ecclesiæ Forestensis, & nos liberè Ecclesiæ contulimus.
Signum Godefridi Fratris Domini Ducis Henrici,
S. Godefridi Filii præscripti Godefridi,
S. Ingelramni de Perweys,
S. Henrici de Sterbeca &
Henrici Filii ejusdem,
S. Gregorii de Vilvordis,
Arnoldi de Walchem,
Walteri de Huldebergis,
Willelmi de Tubeca,
Alardi de Isca,
Reingoti de Bosut,
Walteri de Niel.

ACTUM apud Forestum M. CC. XX. mense Martio. 1220.

HENRICUS Dei gratiâ Lotharingiæ Dux omnibus notum facio, quòd Franco cognomento Bole quasdam possessiones suas in Parochia de Foresto, quas de me tenebat in feodum, medietatem quoque molendini aquatici apud Quakenbeke, ad opus Ecclesiæ Forestensis, in manus meas resignavit. Testes,
Leonius Castellanus,
Arnoldus de Wesemale,
Joannes de Crayenhem Præpositus Antwerpiensis.

ACTUM M. CC. XXIV. 1224.

HENRICUS Dux Lotharingiæ omnibus salutem. Noverint universi quòd omnem Familiam B. Mariæ de Foresto liberam dimisimus ab omni exactione & servitio. Testes,
Walterus Clutinck,
Gregorius de Filfort,
Henricus de Sterbeke.

ACTUM in Foresto M. CC. XXVIII. 1228.

UNIVERSIS THEODORICUS Miles de Gandavo notum facio, quòd cùm Priorissa & Conventus Ecclesiæ de Forest me super XXXII mensuris terræ, jacentis in quatuor Officiis Gandensibus in Parochia de Wilemskercke, convenissent, tandem pro bono Pacis in *Bernardum* Præpositum Harlebecensem, & *Walterum* Militem

litem de Gandavo, Fratres meos, compromisimus super prædictis: qui arbitrando pronuntiaverunt..... His interfuerunt,

Bernardus de Gandavo Præpositus Harlebecensis,
Walterus Miles de Gandavo,
Walterus de Gandavo Canonicus Atrebatensis,
Fulcro dictus Dives.

1232. DATUM Gandavi apud S. Pharaildem, anno millesimo ducentesimo trigesimo secundo, mense Julio.

EGO HENRICUS Dei gratia Borburgensis Castellanus, & *Beatrix* uxor sua Ecclesiæ de Vorst damus....

M. Comitissa Viennensis, Domina de Pereweis & de Grimbergis...

1265. ANNO M CC. LXV.

Universis FLORENTIUS de Stalle Dominus de Riveria, & Daniel Dominus de Stalle, Fratres, Milites salutem. Ad honorem Dei & B. Virginis Mariæ in Curia nostra de Stalle, & in Capella ibidem ab antiquis temporibus statuta Capellaniam perpetuam institui cupientes, bona & reditus infrascriptos ad fundationem ipsius Capellaniæ duximus assignandos....

DATUM M. CCC. LXVII. 1267.

MACHTILDIS Castellana Bruxellensis notum fieri volumus, quòd nos conferimus licentiam Gerardo, Filio Ingelberti, dicti de Busco, heredandi Abbatissam & Conventum de Foresto in quadam decima sita apud Woluë S. Petri.

ACTUM M CC. LXXI. 1271.

JOANNES Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ..... Noverint universi, quòd Leonius de Berlele, Miles, omnem decimam suam, quam à nobis tenebat in feodum apud Berlele, in manus nostras reportavit. Testes

Godefridus frater noster,
Walterus Bertout Dominus Mechliniensis,
Ægidius eius Frater,
Arnoldus de Lembeca,
Daniel de Wanghe,
Franco de Lovanio, Milites,
Godefridus de Viana,
Reinerus de Crainhem,
Reiner s de Clutinc,
Willelmus Blomart.

ACTUM anno M. CC. LXXVII. 1277.

Castellani Gandavenses. SIGERUS Castellanus Gandensis, Arnulfi Filius, Wenemari & Gislæ Gisnensis Nepos Balduini Comitis Gisnensis Frater, ex *Petronella* Rogerii Castellani Curtracensis Filia genuit *Sigerum* Castellanum Gandensem, *Theodericum* Militem, *Bernardum* Ecclesiæ Harlebecanæ Præpositum, ibidem sepultum, *Walterum* Militem, *Beatricem* & *Petronillam* primam Abbatissam Forestensem anno. 1239. creatam. Demum Templarius circa annum 1203 obiit.

SIGERUS II. Castellanus Gandensis ex Beatrice de Housdain genuit *Hugonem* Castellanum Gandensem, *Sigerum*, *Gerardum* cognomento Diabolum, Gerardi Patrem, & *Rogerium*.

HUGO Castellanus Gandensis, Bornhemii & Husdinii Dominus, ex Oda de Champlite *Hugonem* Castellanum Gandensem, *Sigerum*, *Villanum* Alexandri Villain dicti Patrem, Villanæ stirpis auctorem, & Eglinam procreavit.

HUGO II. Castellanus Gandensis Bornhemium anno. 1250. Margaritæ Flandrorum Comitissæ suprà pag 422. vendidit, & ex Maria Eustathii Rodiensis in Hannonia Toparchæ Filia sustulit *Hugonem* qui cælebs decessit, & MARIAN Castellanam Gandensem, Husdinii Dominam, *Gerardo* de Enghien Sottegemii Domino nuptam.

HUGO de Enghien, Gerardi & Mariæ Filius, Castellanus Gandensis & Dominus de Sottegem, sibi iunxit Beatricem de Putte & Stryen. Horum Filia & heres ISABELLA de Enghien ex Hugone de Antoin Spineti Domino genuit ISABELLAM de Antoin, quæ Marito suo Joanni de Melun Castellaniam seu Vicecomitatum Gandensem in dotem attulit, quam hodieque Melunii possident: ut suprà pag. 315. docui.

De Castellanis Gandavensibus plura vide superiùs pag. 45. 315. & 430.

CAPUT CLXXXIII.

WALTERUS DE AVESNIS & JACOBUS DE CONDATO, *Domini Condatenses, benefaciunt Ecclesiæ Condatensi ann. 1240. & seqq. & consentiunt ut illius loci Canonicatus omnes ad æqualitatem redigantur.*

NOVERIT universitas vestra, quòd Robertus de (1) Waregny, Walterus Filius ejus, Milites, & (2) Joanna de (3) Escaupont, Uxor prædicti Walteri Militis, vendiderunt decimam quam habebant in Territorio de Waregny, pro CCXL. libris, coram Viro nobili (4) Gerardo Gauchia, Domino de Gommignies, à quo ipsa decima in feodum tenebatur.

1240. Actum M. CC. XL.

WALTERUS Dominus de Avesnis universis notum facimus, quòd Nos laudamus & approbamus, ut Jacobus de Condato, Avunculus Evrardi de Condato, Capellaniam constituat in Ecclesia B. Mariæ de Condato, de terra quam idem Jacobus habet apud Condatum, salvo in aliis jure nostro. Datum M. CC. XLIII. feriâ sextâ ante Pentecosten. 1243.

UNIVERSIS Jacobus de Condato, Dominus de Balliolo, salutem. Noverint universi, quòd Nos laudamus & approbamus, ut Jacobus dictus de Montibus, Avunculus Evrardi de Condato Castellani, Capellaniam constituat in Ecclesia B. Mariæ de Condato, de terra, pratis & reditibus, quæ idem Jacobus habet apud Condatum, & tenet de nobis, & hoc salvo jure nostro.

DATUM in Vigilia Divisionis Apostolorum, M. CC. XLIII. 1243.

THOMAS Flandriæ & Hannoniæ Comes, & Joanna Uxor ejus, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, omnibus salutem. Noverint, quòd cùm tredecim Præbendæ inæquales & valore dispares,

dispares, spectantes ad donationem nostram, essent in Ecclesia Condatensi, Nos indemnitati ipsius Ecclesiæ consulere volentes, ita duximus ordinandum, ut Canonicorum dictæ Ecclesiæ nunc viventium, qui consentire voluerint, dictæ Præbendæ ad æqualitatem omnimodam redigantur.

Si verò dicti Canonici nunc viventes in hoc non consenserint, statuimus, ut decedentibus Canonicis, qui pinguiores Præbendas obtinent, Præbendæ ipsorum & Præbendæ minores in portiones æquales dividantur, & accrescat minoribus Præbendis quod de majoribus excrescebat; & sic fiat, donec omnes Præbendæ ad æqualitatem sint redactæ.

Hanc autem Ordinationem volumus, tamquam Patroni & heredes Fundatorum dictæ Ecclesiæ, ab omnibus Canonicis dictæ Ecclesiæ inviolabiliter in perpetuum observari.

1243. Datum anno Domini M. CC. XLIII. mense Februario.

Walterus Dominus de Avesnis, & *Jacobus* de Condato, Dominus de Balliolo, Patroni Ecclesiæ Condatensis, omnibus salutem. Noverint universi, quòd cùm undecim Præbendæ inæquales & valore dispares, spectantes ad donationem nostram, essent in Ecclesia Condatensi: *ut suprà.*

1245. Actum M. CC. XLV. mense Octobri.

Universis Th. Præpositus, I. Decanus, totumque Capitulum Condatense salutem. Noverit universitas vestra, quòd cùm in Ecclesia nostra Condatensi sint duodecim Præbendæ, duæ apud *Bavegnies*, & decem apud *Ostiche* in Brabantia existentes, & prædictæ duæ de Bawegnies præfatis decem de *Ostich* inæquales essent & valore dispares, quarum undecim ad Virorum nobilium, *Walteri* de Avesnis, & *Jacobi* de Condato, Domini de Balliolo, duodecima verò, quæ Decania vocatur, ad Capituli Ecclesiæ nostræ Condatensis noscuntur collationem pertinere, & præfati Nobiles consenserint tanquam heredes Fundatorum Ecclesiæ nostræ, ut decedentibus vel resignantibus Canonicis, qui in Ecclesia Condatensi obtinent XI. Præbendas jam dictas, ad æqualitatem omnimodam redigantur: Nos, ad quorum collationem duodecima Præbenda, quæ Decania vocatur, dignoscitur pertinere, statuimus & ordinamus, ut dicta duodecima Præbenda ad æqualitatem omnimodam cum aliis undecim prædictis redigatur; salvâ ipsi Decano portione duplici in blado, avena, denariis, cera, & aliis communibus, quam ipse Decanus in prædictis hactenus recipere consuevit ultra simplicem aliorum Canonicorum portionem.

Actum M. CC. XLVII. feriâ secundâ post *Quasi modò.* 1247.

Universis Nicolaus Dei gratiâ Cameracensis Episcopus salutem. Noverint universi, quod cùm in Ecclesia Condatensi essent tredecim Præbendæ inæquales & valore dispares, spectantes ad donationem dilectæ in *Christo* Filiæ *Margaretæ*, Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ, Patronæ ipsius Ecclesiæ in hac parte, Nos attendentes utilitatem jam dictæ Ecclesiæ, Ordinationem prædictam Auctoritate ordinariâ confirmamus.

Actum M. CC. XLIX. mense Julio. 1249.

(1) Waresiacum, *Waregny*, Vicus Hannoniæ prope Condatum.

(2) Escaupont, Antonino in Itinerario *Pons-Scaldis*, Vicus cum Ecclesia Parochiali ad Scaldim fluvium, spectat ad Abbatem Monasterii S. Amandi: quo loco hodieque exstant sub aquis rudera veteris Pontis, à Romanis structi in via militari, quæ per illum ducebat. Hujus Pontis, frustrà ab aliis quæsiti, inventionem debemus R. D. Bartholomæo Petit, Canonico Condatensi, Viro curioso & erudito.

Joanna de Escaupont nupsit primùm Waltero Roberti Filio, Domino de Waregny, & postea circa annum 1250. Sebastiano de Helpignies, Militi.

(3) Gerardus de Gauchia, aliàs Jacia vel Jacea, quæ est vetus Baronia in Gallo-Brabantia, hodie ad Familiam de *Cottreau* pertinens. Ejusdem Gerardi Diploma, vulgari illius ævi idiomate scriptum, exstat in Tabulario Ecclesiæ Condatensis: *Jou Gerars de Gauche, Sires de Gommignies, fach à sçavoir, que Messires Robers de Waregny avoit une dime à Waregny, lequel il tenoit de mi... Tesmoings mes Hommes, Baudris de Roisin, Messires Watiers de Geulaing, Regiers de Lemmes. Ce fut fait 1243.*

- *Gerardus Dominus de Jauche & Gomignies duxit Bertam de Biuvel 1240. 1260. Patrem habuit Gerardum.*
  - *Gerardus Dominus Jacea duxit N. de Aunoy prope Valentianas.*
    - *N. Dominus Jacea duxit Filiam Nicolai Domini de Condé, Bailleul, & Moriamez.*
  - *Guilielmus de Jauche Dominus de Gomignies 1278.*
    - *Gerardus Dominus de Mastain & Gomignies 1329.*
      - *Guilielmus Dominus, ut supra, duxit Margaritam de Antoin, obiit 1373.*
        - *Guilielmus Dominus ut sup. duxit Isabellam de Trasignies, obiit 1388.*
          - *Joannes obiit 1398.*
      - *Joanna.*

Jaceana Familia, *de Jauche*, est una ex antiquioribus Brabantiæ: ex qua hodieque superest *Philippus* de Jauche, Comes de Mastain, Dominus de Herimez & Brugelette, qui anno 1617. duxit Mariam Merodiam Filiam Philippi Comitis Middelburgensis.

Suprà ad annum 1096. pag. 77. *Godescalcus* de Jacea inter Testes recensetur.

Rainerus Dominus de Jauche circa annum 1160. duxit Alidem Filiam Gosuini Castellani Montensis.

Item suprà ad annum 1221. pag. 301. memoratur *Gerardus* Dominus de Jacea, qui duxit Melesindem Guilielmi Domini de Gomignies Filiam heredem.

Horum Filius fuit *Gerardus*, qui Bertam Goberti de Biuvel Filiam duxit, & anno 1260 varias Reliquias sacras Monachis Aquicinctinis prope Duacum donavit.

Joannes Dominus de Mastain & Sassignies duxit Elisabetham de Rochefort, heredem de Herimez & Brugelette in Hannonia, & anno 1398. decessit: ut ex epitaphio constat.

Filios

Filios reliquit, *Adrianum*, qui Margaritam Roberti Domini de Masmines, Equitis Velleris Aurei, Filiam heredem duxit, & *Quintinum* qui Athi Franciscanorum Monasterium ædificavit, & cœlebs obiit.

Reliquam stirpem à R. D. Bartholomæo Petit Canonico Condatensi exspecta; à quo & ista accepimus.

Joannes de Jauche, Dominus de Gomignies, Guilielmi Filius, reliquit Filiam unicam *Annam* Dominam de Gomignies & Beuvrage, Joanni Domino de Esnes nuptam: quæ anno 1410. obiit, sepulta Condati cum altero Marito Joanne Domino de Hamaide & Condé.

Ceterùm Domini de Jauche olim Castrum & Vicum de *Hierge* in agro Leodicensi possederunt: ut apud Chapeavilium ad annum 1267. legitur. Hinc nonnulli conjiciunt, ipsos stirpe aut saltem affinitate conjunctos fuisse cum Manasse de Hierge suprà Pag. 689. laudato.

CAPUT CLXXXIV.

GILBERTUS DE TILBORGH & CAROLUS DE AERSCHOT *Viri Nobiles dotant Abbatiam S. Gertrudis Ord. S. Augustini Lovanii an. 1240. & seq.*

GILBERTUS, Miles Nobilis Vir de Tilborg, universis notum facimus quod jus omne quod habuimus in decima de *Bercle, quam Gisela, relicta Arnoldi quondam Camerarii de Etthen, Nobilis Viri, titulo pignoris tenuit obligatam, contulimus Canonicis Regularibus Ordinis Beati Augustini Præposito & Conventui Beatæ Gertrudis in Lovanio.

* Berckel, alias West Tilburgh

1240. DATUM annno millesimo ducentesimo quadragesimo, feriâ secundâ post Urbani.

UNIVERSIS Gilbertus Nobilis Vir de Tilborg salutem. Noverit universitas vestra, quòd nos ad Illustrem Principem Dominum nostrum Henricum Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ accedentes... Testibus,

Ottone Comite Gelriæ,
Godefrido Domino de Peruweis,
Ludovico Bertout,
Gerardo Domino de Jacia,
Leonio Castellano Bruxellensi,
Henrico de Attenhove,
Gerardo de Ischa Dapifero,
Waltero Clutinck,
Remboldo de Thunen, Militibus.

1244. DATUM M. CC. XLIV.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, universis salutem. In nostra præsentia constitutus Nobilis Vir Gilbertus de Tilborg, fidelis noster, nobis supplicavit, ut decimam quam habebat in Parochia de *Tilborch*, & quam à nobis in feudum tenebat, liceret ei vendere. Cumque ab Hominibus nostris, Paribus suis, in Curia nostra judicatum fuisset, quòd eam vendere posset; ipse eamdem decimam Præposito & Conventui S. Gertrudis in Lovanio vendidit, & eam ad opus eorumdem in manus nostras reportavit, werpivit & effestucavit.

Nos ergò eamdem decimam Præposito & Conventui memoratis contulimus in eleëmosynam, & eam allodiavimus. Hujus rei Testes sunt Fideles nostri,

Otto Comes Gelrensis,
Godefridus Dominus de Perweis,
Ludovicus Bertout,
Gerardus de Jacia,
Leonius Castellanus Bruxellensis,
Henricus de Attenhove,
Gerardus de Ischa Dapifer,
Conso Joannes de Monte,
Karolus de Arschot, & plures alii.

ACTUM apud Parcum juxta Lovanium, in die B. Nicolai, anno M. CC. XLIV. 1244.

UNIVERSIS KAROLUS de Arschot Miles salutem. Noveritis quòd nos Jus Patronatûs Ecclesiæ de *Beteghem* Præposito & Conventui Ecclesiæ S. Gertrudis in Lovanio contulimus. Betecum. Actum in Castro prope Lovanium, in præsentia Domini Henrici Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ,

Comitis Lossensis,
Henrici de Attenhove, Militis,
Walteri Clutinck,
Renboldi de Thunen,
Gerardi de Ischa,
Consonis Joannis de Monte,
Wilhelmi de Heversberghe, Militum,

M. CC. XLIII. feriâ quintâ ante Assumptionem B. Mariæ. 1243.

CAPUT CLXXXV.

HUGO *Dominus de Steenlant; benefacit Abbatiæ de Dunis Ordinis Cisterciensis, quæ nunc est Brugis, anno* 1241.

EGO HUGO Miles & Dominus de Steenlant, & Schoutetus de Assenede, & *Eglina* Uxor mea, notum facimus omnibus, quòd Nos vendidimus Fratribus Ecclesiæ de *Dunis*, Cisterciensis Ordinis, omnem morum nostrum jacentem in Parochia de *Parbome*, pro trecentis libris Artesiensibus....

UT igitur omnia robur perpetuum obtineant firmitatis, præsentes Litteras Sigillo nostro & Sigillis *Hugonis* Castellani Gandensis, *Sigeri* Patrui ejus, & *Gerardi* cognomine *Diaboli*, similiter Patrui Castellani Gandensis, fecimus communiri. . . .

ACTUM apud Assenede millesimo ducentesimo quadragesimo primo. 1241.

ABbatia, B. Mariæ, *de Dunis* communiter nuncupata, Ordinis Cisterciensis, quarta fundationis ordine in Belgio, originem habuit anno 1107. in agro Furnensi inter monrosa & arenosa maris litora, Fundatore Ligerio Anachoreta.

Anno 1138. tradita fuit S. Bernardo ejusque Regulæ. Sæculo XVI. inter fatales Belgii tumultus combusta ac diruta, anno 1627. translata fuit Brugas.

Vide Sanderum Tomo I. Flandriæ illustratæ pag. 246. ubi memorantur Abbates.

CAPUT CLXXXVI.

GISELBERTUS DE TILBORG, BEATRIX DE GAGELDUNCK, & HADWIGIS, *donant Abbatiæ Tongerloënsi Ord. Præmonstratensis decimas de VVest-Tilborgh in Majoria Sylvæducensi, anno* 1241. *& seqq.*

EGo GISELBERTUS Miles de *Tilborch* tertiam partem totius decimæ de novalibus quæ sunt in *West-Tilborch*, cum omnibus pertinentiis, in manus Joannis Abbatis Ecclesiæ de Tongerlo & Conventûs eiusdem loci liberè resignavi.

1241. ACTUM M.CC.XLI.

EGO BEATRIX de Gageldunck, Uxor Andreæ de Mallant, Militis, notum facio, quòd omne jus, quòd in decima Ecclesiæ de *West-Tilborch* habebam, & ad me iure hereditario pertinebat, Ecclesiæ B. Mariæ de Tongerlo, de consensu dicti Andreæ Mariti mei, vendidi, & eidem juri, coram Hominibus Comitis Hollandiæ, renuntiavi. Ut autem hæc venditio firma permaneat, Sigillis præfati Andreæ Mariti mei, & Viri nobilis Hugonis de Gageldunck, Fratris mei, præsens Scriptum feci roborari.

ACTUM M.CC.LIII. mense Aprili. 1253.

NOTUM sit omnibus quòd HADUIGIS, quondam Uxor Wilhelmi dicti de Gandavo, decimam quandam in Parochia de West-Tilborch sitam, erga virum nobilem *Wilhelmum* Dominum de Horne, dudum comparatam ab ipsa Haduige tempore dicti Mariti sui, ad opus Abbatis & Conventûs B. Mariæ in Tongerlo, contulit & legavit.

DATUM in Vigilia Purificationis B. Mariæ M.CC.LXXVII. 1277.

CAPUT CLXXXVII.

Senatus Populusque Antverpiensis FF. Prædicatores Argentorato Antverpiam evocant anno 1243, *eisque Conventum erigere promittunt.*

RELIGIOSIS Viris & discretis, honorandis, Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum Teutoniæ, & Fratribus Diffinitoribus Capituli Provincialis apud Argentinam, Schabini & Communitas Antverpiensis, Cameracensis Diœcesis, salutem & sinceram in Domino charitatem.

QUAMVIS mundanis pulveribus obfuscati, comparatione felicitatis spiritualis multarum Civitatum, quibus in populo & aliis temporalibus termini nostri superabundant, nostram necessitatem vobis invitamur exponere.

CùM itaque secundùm præsentem statum, ministerium vestrum sanctæ Dei Ecclesiæ comprobetur per necessarium, & nos hucusque consolatione vestrâ (quod cum dolore proferre possumus) caruerimus, nisi in quantum B. Fratres vestri Domûs Lovaniensis, vel alii remotiores nos duxerint visitare, omni devotionis affectu vestram propulsantes exoramus charitatem, quatenus nobis & nostris compatiamini, & Collegium Fratrum vestrorum Antverpiam destinari faciatis.

HOS enim ipsos affectu sincero, & dilectione stabili pertractare compromittimus: firmam tenentes fiduciam, quòd, cùm Dominus benedixerit domui Ægypti propter introïtum Joseph, & domui Laban propter Jacob, benedictionis Divinæ munus ad introïtum eorumdem consequemur.

DATUM in Inventione S. Stephani, anno M.CC.XLIII. 1243.

CAPUT CLXXXVIII.

JOANNA *Flandriæ & Hannoniæ Comitissa Privilegia Abbatiæ Laudensis Ordinis Cistertientiensis tuetur anno* 1243.

JOANNA Flandriæ & Hainoniæ Comitissa, universis Bailliviis, Præpositis, Hominibus suis, salutem in Domino. Cùm bonæ memoriæ Pater meus Balduinus Flandriæ, & Hainoniæ Comes, & Prædecessores mei Th. & Ph. Comites Flandriæ Ecclesiam Beatæ Mariæ de Laude Cistertiensis Ordinis specialiter dilexerint, & sub sua protectione susceperint contra malefactores & injuriatores quoslibet defendendam; & Ego similiter eorum exemplum prosequi desiderans, & mereedem

apud Deum assequi cupiens in hac parte, mando vobis, præcipio, & volo finaliter, quatenus prædictam Ecclesiam & ejus personas cum omnibus bonis suis ab omnibus malefactoribus incursibus defensare, & manutenere in omnibus satagatis; jura ipsorum tanquam propria mea essent, ubique viriliter conservantes illæsa; nec sustineatis eis inferri ab aliquo molestiam vel gravamen; securi pro certo, quod quidquid eis honoris, vel beneficii fuerit exhibitum, vel molestiæ aut gravaminis illatum, mihi-met ipsi factum penitùs reputabo; & volo, ut & vos similiter reputetis.

Sciatis etiam, quòd Ego pro salute animæ meæ, & Antecessorum & Successorum meorum, prædictam Ecclesiam ab omni exactione wienagii, passagii, tholonei, rotagii, ponderationis, & consuetudinum hujusmodi, de iis, quæ pertinent ad proprios usus suos, tam in nundinis, quàm extra, per totam terram meam, quantum ad me pertinet, omnino emancipatam & liberam esse volo penitùs, & immunem.

Datum anno M. CC. XLIII. mense Maio. 1243.

CAPUT CLXXXIX.

Walterus Bertholdus *Mechliniæ Dominus, Abbatiam Cisterciensem S. Bernardi curat transferri in alium locum juxta Schaldim, anno 1244.*

Suppletum ex Descript. Abbatiæ S. Bernardi per Sanderum.

UNiversis præsentes Litteras inspecturis, Walterus dictus Bertolt, Vir nobilis, cognoscere veritatem.

Cùm piæ recordationis *Ægidius Bertout*, Consanguineus meus, pro suæ remedio animæ & Antecessorum suorum, Abbatiam Cisterciensis Ordinis de bonis suis fundari decreverit, quidquid juris habebat, vel habere poterat in quattuor Villis *Vrimde*, *Millegem*, *Brocchem* & *Ouden*, cum omni integritate, sicut de Patre meo piæ memoriæ *Waltero* dicto *Bertoldo* in feodum tenebat, ad sustentationem Fratrum dicti Cœnobii, in puram & perpetuam contulit eleëmosynam, de plena voluntate & consensu dicti *Walteri* Patris mei, tali conditione quòd infra terminos prædictarum villarum Abbatia fundaretur memorata.

Et quia locus competens idoneus & sufficiens ad id faciendum in dictis locis inveniri non potest, Ego Illustris Principis *Henrici* Domini mei, Ducis Brabantiæ, & amicorum precibus inclinatus, intuitu Dei & ob remedium animæ meæ, Patris & Matris, ad commodum & utilitatem Fratrum in dicta Abbatia degentium, laudo & plenariè quantum in me est, concedo dictæ Abbatiæ ad locum sibi magis aptum fieri translationem.

1244. Datum anno Dominicæ Incarnationis quadragesimo quarto supra millesimum ducentesimum, mense Augusto.

Universis præsens Scriptum visuris, Vir nobilis *Walterus Bertout*, salutem in Domino.

Noverit universitas vestra, quòd nos omnes decimas, quas habuimus in *Heysta*, *Wawere*, *Ryn* & *Musen*, contulimus in eleëmosynam, vivente primâ Uxore nostra *Maria*, Abbati & Conventui Loci S. Bernardi.

1244. Actum M. CC. XLIV. mense Julio.

Universis præsens Scriptum visuris, Vir Nobilis Walterus Bertout, Advocatus
1244. Machliniensis.... Datum M. CC. XLIV.

Universis in Christo Fidelibus præsens Scriptum inspecturis, Hugo Presbyter Curatus perpetuus Ecclesiæ de Hemixem salutem & omnibus cognoscere veritatem. Noverint universi, quod ego Hugo Presbyter, de voluntatis meæ arbitrio, & proborum ac religiosorum adhibito consilio, concessi & plenariè licentiavi, ut Viri Religiosi Abbas & Conventus loci S. Bernardi, factâ nobis priùs abundanti recompensatione juris Parochiæ meæ de Hemixem, suam possint transferre Abbatiam.

Et quia hæc compromissio & satisfactio coram me Samuele de Burne Decano Christianitatis Antverpiensis, & multis aliis Viris honestis & fide dignis, scilicet Ægidio Presbytero de Schelle, Henrico Presbytero de Casteele, & multis aliis Ecclesiasticis & Laicis, cum magna deliberatione facta fuit, ad submovendam in posterùm omnis dubietatis super præmissis quæstionem, rogatus ab utraque parte, præsentem Paginam Sigilli mei munimine, unà cum Sigillo prædicti Hugonis Curati de Hemixem consuli roboratam.

Actum anno quadragesimo quinto supra millesimum ducentesimum, feriâ tertiâ post, *Invocavit me*. 1245.

Nicolaus, Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, universis præsentes Litteras visuris, in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod Nos consentimus & assensum nostrum præbemus, quantum in nobis est, quod Viri Religiosi Abbas & Conventus Monasterii loci S. Bernardi Cisterciensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis, Monasterium suum ad alium locum, qui tamen in Cameracensi Diœcesi consistat, transferant, prout utilitati Monasterii & Personarum viderint expedire.

Datum anno Domini quinquagesimo primo 1251.
supra millesimum ducentesimum, in Vigilia divisionis Apostolorum.

Nos Guido Comes Flandriæ, Machtildis Uxor nostra, Atrebatensis Advocatissa, Betuniæ & Tenremondæ Domina, Henricus de Asca Miles, & Joänna Uxor ejus, Domina de *Spineto, notum facimus, quod nos paludem de *Morska dedimus.... Actum M. CC. XLV.

* Al. Epinoy
* Al. Moerleke.

CAPUT CXC.

GODEFRIDUS *Bredæ Dominus anno* 1246. *condit Testamentum verè pium, & erga varias Ecclesias beneficum.*

Suppletum ex Joannis Bap. Gramaye Antiquit. Bredanis

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego GODEFRIDUS Dominus de Breda, ob remedium animæ meæ Parentumque meorum, tale condidi Testamentum. Prædicatoribus in *Antverpen*, apud quos sepulturam elegi, centum libras Lovaniensium, in decem annis solvendas, pro quibus annuatim apud *Hilderxisse* 50. sextaria avenæ infra dictum terminum accipiant, in eleëmosynam contuli.

ITEM in subsidium Terræ Sanctæ, pro redemptione Crucis in terra de Breda 100. marcas Sterlingorum. In molendino cum ductibus & 20. sextariis siliginis & 20. sextaria hordei.... ..... tam à me, quam à Patre & Matre...... Insuper Arnoldo de Diest, Fratri meo, 1000. libras Lovanienses in eleëmosynam contuli super Villas *Schoeten*, *Merxem* & *Eeckeren*, quas cum omni jure integraliter tenebit; salvo Testamento prænotato, & salvo jure Uxoris meæ, fructibus in sortem non computandis, donec dictæ 1000. libræ Lovanienses à meis heredibus ipsi Arnoldo totaliter fuerint persolutæ.

INSUPER cuilibet Ecclesiæ in terra mea sitæ, ad faciendum reparandum, viginti solidos Lovanienses contuli. Sacerdotibus verò istarum Ecclesiarum trecenalem. Monialibus de Borchflito centum solidos Lovanienses. Hospitali de Breda tres libras Lovanienses; Hospitali de Bergen tres libras Lovanienses, Hospitali Antverpiensi viginti solidos Lovanienses annuatim, quos nobis super diversa bona in censu solvere tenebantur Ita tamen, quod in recognitione dominii inde heredibus solvere tenebuntur sex denarios Lovanienses, & pro ista eleëmosyna anniversarium meum in perpetuum servabunt, & de his denariis in die anniversarii mei pauperes reficientur.

Leprosis ibidem quadraginta solidos Lovanienses; Beginis clausis ibidem viginti solidos Lovanienses; Mechliniæ Leprosis 50. solidos Lovanienses; Hospitali triginta solidos Lovanienses. Ad Fabricam Ecclesiæ Fratrum Minorum ibidem 50. solidos Lovanienses; Sacerdotibus ibidem triginta solidos Lovanienses. Ad Fabricam B. Catharinæ ibidem viginti solidos Lovanienses; Beginis decumbentibus ibidem 20. solidos Lovanienses; Ecclesiæ B. Mariæ ibidem 5. solidos Lovanienses; Ecclesiæ B. Rumoldi 5. solidos Lovanienses; in Valle Liliorum 100. solidos Lovanienses; in Valle Rosarum 100. solidos Lovanienses; ad Fabricam Monachorum S. Bernardi 100. solidos Lovanienses; ad Fabricam Ecclesiæ de Schoeten 30. libras Lovanienses; Sacerdotibus ibidem 30. solidos Lovanienses; Decimam meam de Santvliet, Conventui B. Michaëlis in Antverpen in eleëmosynam contuli. Ita videlicet, ut si Ego, vel aliquis Antecessorum meorum, Conventum illum turbavi, vel damnificavi, per dictam eleëmosynam absolvamur, & quod anniversarium meum ibidem observent.

ITEM Abbati de Conventu Villariensi 100. Marcas sterlingorum in eleëmosynam contuli.

ITA videlicet, ut si ego vel aliquis Antecessorum meorum ipsos in aliquo damnificavimus, vel molestavimus, per istam eleëmosynam inde absolvamur.

DE controversia autem, quæ inter ipsos & Nos vertitur, in Abbatem S. Michaëlis in Antverpen, & Priorem Fratrum Prædicatorum in Antverpen sic compromittimus, ut ipsi diligenter & fideliter inquirant jus Monasterii Villariensis & nostrum, & quicumque de jure habebuntur, eis liberè assignent.

HOMINES verò in terra nostra manentes & servilis conditionis existentes liberos dimittimus; tali conditione, ut post obitum eorum singuli 12. denarios Lovanienses pro turmodo persolvant à *Fryssendyck*.

10. Libras Lovanienses ad Capellanum meum in domo mea *Schoeten* assigno; ita videlicet, ut Ego, vel Successores mei, vel Uxoris meæ, dum ibidem non manemus, Capellanus in Ecclesia de Schoeten ad Altare B. Virginis tenebitur deservire, & si Uxor mea medietate istorum proventuum noluerit carere, ipsi rerum pentatio fiat ubicumque rationabiliter elegerit in terra nostra.

ITEM Henrico Filio meo unico 100. Marcas Colonienses in eleëmosynam contuli super medietate conductûs de Breda, & super tres mansos, videlicet *Wyllybanch*, & Henrico Vulpis, & Joanne de Colonia.

ANSELMO dicto Heya pro servitio suo dedi 20 libras Lovanienses; Danieli de Zela 20. libras Lovanienses; Henrico de Baerle decimam de Ginneken, quam à me in pacto habuit, liberam dimitto.

ROGERO 100. solidos Lovanienses; Conæ 100. solidos Lovanienses; Bodino de Bergen 100. solidos Lovanienses; Nicolao de Beke Notario meo 10. libras Lovanienses; Joanni Garcioni meo 3. libras Lovanienses.

HUJUS igitur Executores Testamenti duxi eligendos Viros Religiosos, Abbatem videlicet de Villers, & Abbatem S. Michaëlis in Antverpen, & Priorem Fratrum Prædicatorum in Antverpen; quibus eò libentiùs, ut fideliter pro Testamento meo laborarent, eleëmosynam meam contuli; cum hoc etiam facere teneantur, cum sim Cruce signatus.

INSUPER cum eis Executores meos elegi Viros

ros Nobiles, Aencotam Beth. D.H. etiam Berthout, & D. W. de Grimbergen; quibus humiliter pro animæ meæ remedio supplico intuitu divinæ pietatis, ut hoc Testamentum meum fideliter exequantur eum Viris Religiosis prænotatis.

Et si aliquem de prænominatis Executoribus præpeditum negotiis abesse contigerit, & Abbates vel Prior unum de suis Fratribus per Litteras suas ad executionem hujus Testamenti pro se miserint, in omnibus potestatem ipsorum obtineant, ac si ipsi Abbates & Prior essent præsentes.

Si tamen Nobiles tum etiam aliquando interesse non poterunt, quoscumque etiam per Litteras suas patentes pro se transmiserint, potestatem eorum in his exequendis obtinebunt. Testes autem, qui huic facto interfuerunt, scilicet

Magister Godefridus Decanus Lovaniensis,
Frater Wilhelmus de Eckerna, &
Frater Lambertus suus socius,
D. H. de Berthout, &
D. Wilhelmus de Grimbergen, &
D. Ægidius de Beichlaer,
Nicolaus Canonicus de Beke,
Anselmus Heya &c....

Ne igitur &c.... cum appensione Sigillorum nostrorum testamur, Godefridum istud condidisse Testamentum &c..... & quia ego pro Domino Abbate S. Michaëlis &c....

Actum anno M. CC. XLVI. ipso Festo S. Marci Evangelistæ. 1246.

- *Godefridus Dominus Bredæ & Bergarum ad Zomam 1212. 1246. duxit Machtildem.*
  - *Henricus 1267. duxit Sophiam, Walteri Machliniæ Domini Filiam, obiit circa 1273. pag. 729.*
    - *Isabella Domina Bredæ & Bergarum Uxor Arnoldi de Levanto, quæ obiit post annum 1287.*
      - *Alicia seu Aleidis Domina Bredæ. Uxor Rasonis de Gavre Domini Ledekercæ.*
      - *Maria Domina Bergarum Uxor Gerardi de Wesemale.*
    - *Sophia Domina de Schoten & Merxem 1274.*

Suprà pag. 89. ad annum 1125. Arnulphus & Ingelbertus de Breda memorantur. Godefridus Bredæ & Bergarum Dominus, qui anno 1246. Testamentum jam recitatum condidit, Uxorem habuit *Machtildem*, Beginagii Bredani Fundatricem: ut ex illius loci Archivis colligi videtur.

CAPUT CXCI.

Osto *Dominus de Trasegnies & Braine-le-Chateau, benefacit Bruxellensi S. Joannis Baptistæ Xenodochio, anno* 1247.

Universis, Ego Osto de Trasiniis, Dominus de* Brania Castelli, notum facio, quòd bonæ memoriæ Pater meus *Osto* contulit Hospitali B. Joannis in Bruxella Litteras suas in hunc modum.

* Braine-le-Chateau.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ego Osto Dominus de Trasiniis universis notum fieri volo, quòd Ego in nomine eleemosynæ contuli unum modium bladi, Bruxellensis mensuræ, Hospitali B. Joannis in Bruxella, annuatim sumendum in perpetuum ad molendinum meum in Brania Castelli, in Natale Domini.

Actum anno M. CC. XXVI. mense Julio. 1246.

Ego autem prædictam collationem ratam habeo. In cujus rei confirmationem præsentibus Litteris Sigillum meum feci apponi.

Datum anno M. CC. XLVII. mense Maio. 1247.

(1) Osto Trasiniaci in Gallo-Brabantia Dominus, Par de Silly in Hannonia, Ægidii Filius, Ostonis Nepos, duas habuit Conjuges.

Ex altera, Agnete Domina de Hakinis, genuit *Ægidium* Trasiniaci, *Ostonem* Braniæ Castelli in Gallo-Brabantia, Dominos, *Alidem* & *Mahedam*.

Idem Herlaimontanam Ordinis Præmonstratensis Cellam seu Prioratum, à Floreffia dependentem, tumulis Dominorum Trasiniaci celebrem, circa annum 1230. aut 1240. fundavit.

Stemma Dominorum Trasiniaci, *vulgò*, Trasignies.

- *Osto Dominus de Trasignies 1179. pag. 107.*
  - *Ægidius Dominus Trasiniaci duxit Alidem Dominam Boularin, obiit in Syria, pag. 747.*
    - *Osto Dominus Trasiniaci 1218. Fundator Herlaimontis duxit Agnetem Dominam de Hakinis.* *
      - Ex 1.
      - *Ægidius Dominus Trasiniaci, anno 1256.*
        - *Ægidius Dominus Trasiniaci. 1307.*
          - *Joannes Dominus Trasiniaci 1325. sine liberis.*
          - *Agnes Uxor Eustachii Domini de Reux in Hannonia.*
      - *Osto Dominus Braniæ Castelli 1243 sine liberis.*
      - *Alidis.*
      - *Maheda.*
    - *Ægidius le Brun Franciæ Constabularius pag. 747. 1248. 1263.*
      - *Osto le Brun 1256. 1276.*
        - *Ægidius 1276.*
      - *Maria Uxor Thomæ de Mortania.*
    - *Raso.*

* Aliam Conjugem habuit idem Osto, è qua sex liberos, genuit; sed nomina singulorum ignorantur.

CAPUT CXCII.

LEONIUS *Castellanus Bruxellensis Ecclesiæ S. Gudulæ Bruxellis Patronatum de Holaer, aliaque beneficia confert ann.* 1248. *&* 1249.

UNIVERSIS, LEONIUS Castellanus Bruxellensis, Patronus Ecclesiæ de *Holaer*, cognoscere veritatem. Noverint universi, quòd nos Patronatum de Holaer, ad nostram spectantem collationem, Ecclesiæ S Gudilæ Bruxellensis contulimus perpetuò possidendum..... Actum anno Domini M. CC. XLVIII.
1248. mense Aprili.

UNIVERSIS, LEONIUS Castellanus Bruxellensis salutem. Ad notitiam singulorum perveniat, quòd Amelricus Thesaurarius Bruxellensis Ecclesiæ domistadiom, in quo mansit quondam Helsuend Mulier, quod idem Thesaurarius emit à nobis jure hereditario possidendum, Decano & Capitulo Bruxellensi contulit in eleëmosynam perpetuò possidendum.

PRÆDICTUS verò Decanus dictum domistadium à nobis relevavit; salvo jure annui censûs duorum denariorum Bruxellensium, Nobis & Heredibus nostris in Natali Domini persolvendorum.

DATUM anno Domini M. CC. XLIX. mense 1249.
Januario.

CAPUT CXCIII.

HENRICUS II. *Brabantiæ Dux aliique FF. Prædicatoribus Antverpiam admissis (ut supra cap.* 187.) *beneficia largiuntur, anno* 1249. *& seqq.*

HENRICUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, Scolteto, Scabinis, ceterisque Opidanis Antverpiensibus salutem. Cùm Fratres Ordinis Prædicatorum elegerint in nostro Opido mansionem, illum fundum, quem quondam *Arnoldus de Lira*, & *Willelmus* post eum, natus eius, occuparant minùs justè, eò quòd ad nostrum Dominium noscebatur pertinere, insuper & fossata antiqua & nova, quibus area ipsorum dignoscitur circumcingi, cum viâ à tergo eorum exeunte versùs portam vaccarum, eorumdem Fratrum usui deputamus.

DATUM apud *Lunderscle* in vigilia Pentecostes
1249. M. CC. XLIX.

UNIVERSIS, HUGO dictus Noze, Opidanus Antverpiensis, notum facio quòd cùm olim *Willelmus*, quondam Arnoldi de Lira Filius, fundum quendam super *Drist* in Antwerpia, quem à me tenebat in feodum, & Domum superpositam, cum suis attinentiis, Fratribus Ordinis Prædicatorum, in eodem Opido commorantibus, in suo Testamento legasset, consensum voluntarium in præmissis adhibere curavi.

1249. DATUM M. CC. XLIX.

UNIVERSIS, Scoltetus & Scabini Antverpienses salutem. Noverit universitas vestra, quòd cùm *Sibylia* relicta Willelmi de Lira, & *Willelmus* Filius suus, quem habuit ex dicto Willelmo, Walterum de *Berchem*, Militem, Tutorem suum fecerint coram nobis, idem Miles in nostra præsentia constitutus recognovit, quòd præfatus Willelmus fundum & Domum sitam super *Drist* Fratribus Ordinis Prædicatorum de Antwerpia in eleëmosynam contulit.

ACTUM Antwerpiæ M. CC LI. 1251.

UNIVERSIS, WALTERUS de Berchem Miles salutem. Cùm *Willelmus* dictus de Lira legaverit Fratribus Ordinis Prædicatorum in Antwerpia Domum suam cum fundo sitam super *Dries* in Antwerpia, & post decessum dicti Willelmi, *Sibylia* relicta sua, & *Willelmus* Filius suus, me constituerint Tutorem suum, universitati vestræ notum facio, quòd ego prædictam Domum cum fundo reportavi in manus Thomæ Scabini Antwerpiensis, ad opus dictorum Fratrum. Præsenti itaque Scripto, sub testimonio Samuëlis Decani Antverpiensis, Joannis Presbyteri de Ranst, Michaëlis Militis, & *Catharinæ* Uxoris meæ, Sigillum meum appendi.

DATUM M. CC. LI. 1251

UNIVERSIS, ANTONIUS de Cromslit salutem. Cùm bonæ memoriæ *Willelmus* dictus de Lira, Maritus Filiæ meæ Sibyliæ, fundum & Domum suam sitam super *Driesch* in Antwerpia Fratribus Ordinis Prædicatorum Antwerpiensium, de consensu ejusdem Filiæ meæ Sibyliæ, Uxoris suæ, in eleëmosynam dederit, Nos ratam habentes eamdem eleëmosynam, ne dicti Fratres ex parte Willelmi, quem Sibylia ex prædicto Willelmo genuit, qui adhuc infra annos est, in posterum molestentur, obligamus nos pro eodem.

DATUM M. CC. LI. 1251

WALTERUS Miles de *Ranst*, dictus de *Berchem*, ... quod cum olim inter *Sibyliam*, relictam Willelmi de Lira ex una parte, & Fratres Prædicatores Antwerpiæ commorantes ex altera, gravis quæstio verteretur.....

DATUM M. CC. LX. 1260

GERARDUS de Ilcha Miles, & Uxor ejus *Oda*

Oda de Anderstat, notum facimus, quòd bonæ memoriæ *Hugo Noze*, Socer noster, habens affectum specialem ad promotionem Fratrum Ordinis Prædicatorum in Antwerpia, contulit eis in eleëmosynam Allodium suum jacens ante portam ipsorum, quod protenditur à domo quondam Everardi Noze usque ad molendinum aquaticum. Nos igitur & liberi nostri, quantum in nobis est, prædictam Donationem approbamus.

1262. DATUM M. CC. LXII.

GERARDUS de Iske Miles, & Uxor ejus *Oda* de Anderstat, notum facimus quòd *Willelmus*, natus Arnoldi de Lira, legavit in Testamento suo Fratribus Prædicatoribus in Antwerpia Domum suam supra *Driesch*, & fundum ibidem jacentem; tali appositâ conditione, quòd dicti Fratres solverent LX. libras Lovanienses legatariis sui Testamenti.

DEFUNCTO verò dicto Willelmo, cùm postea nasceretur ei Filius, Walterus de Berchem Miles, dicti pueri Tutor, prædictam donationem ratam habuit. Cui Donationi & ratihabitioni bonæ memoriæ Hugo Noze, quondam Socer noster, & Pater Uxoris nostræ, tamquam Dominus feodi, suum præbuit assensum.

PROCEDENTE verò tempore cùm dictus puer *Willelmus* venisset ad annos pubertatis, præfatam Donationem à Patre suo factam approbavit.

NOS autem & liberi nostri supradictæ Donationi consentimus; renuntiantes omni juri quod nobis competere poterat in domo vel fundo supra dictis.

DATUM M. CC. LXIV. 1264.

CAPUT CXCIV.

WALTHERUS BERTHOLDUS *Mechliniæ Dominus*, BEATRIX *Henrici Bertholdi Gelæ Domini Vidua*, *&* HENRICUS *de Asscha benefaciunt Abbatiæ S. Bernardi ad Schaldim Ordinis Cistertiensis, ann.* 1251. *& seqq.*

WALTERUS Bertaut, Vir Nobilis, Dominus de Machlinia, notum facimus, quòd Willelmus ds Ekerna * decimam, quam tenebat à Nobis jure feodali in Parochia de Duffle, in manus nostras, ad opus Abbatis & Conventûs Loci S. Bernardi, resignavit. Et Nos eamdem decimam & partem decimæ, quam in dicta Parochia possedimus, præfatis Abbati & Conventui, ob remedium animæ nostræ & Dominæ Mariæ uxoris nostræ, contulimus.

* Alias Ekeren.

1251. ACTUM M. CC. LI.

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis, BEATRIX, relicta Viri Nobilis bonæ memoriæ Henrici Bertout, Domini de Gele, salutem.

Noverint universi, quòd Ego coram Nobili Viro Waltero Bertout, Domino de Mechlinia, usufructuario, quem habui in decima de Gele, quam Henricus Filius meus Abbati & Conventui Loci S. Bernardi, Cistertiensis Ordinis, vendidit, propriâ voluntate abrenuntiavi, nihil juris in ea mihi reservando. Huic abrenuntiationi interfuerunt

Dominus Henricus Bertaut,
Arnoldus Dapifer de Rotselare,
Leonius Filius Castellani Bruxellensis, Viri Nobiles;
Henricus de Boutersem,
H. de Heinsbroec,
Petrus de Kereberge, Milites;
Walterus de Haren, & plures alii.

ACTUM M. CC. LIII. mense Maio. 1253.

HENRICUS de Hascha Miles, & Joanna Uxor ejus, Domina de Spineto *, in spe æternæ retributionis à Domino, Viris religiosis, Abbati & Conventui Loci S. Bernardi, Cistertiensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis, qui in palude de Moerseke, tam pro se quàm pro nobis, quàm etiam pro suis simul in dicta palude coheredibus, fideliter laborantes perseverant, arenam, quæ sita est in Parochia de Moerseke, in loco qui dicitur * Gastella, prædictæ paludi contiguam, quam ad præsens fossatis & sepibus incluserunt, pro suis ædificiis, & aliis usibus inibi conservandis & habendis, in eleëmosynam liberè contulimus, & ab omni calumnia penitus liberatam.

* Alias Epinoy.

* Alias Gastel.

DATUM anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, mense Junio. 1259.

Domini Dufflæ & Gelæ ex Bertoldis.

- *Walterus Bertout Dominus Mechliniæ 1179. sepultus ibidem ad S. Rumoldum 1219. supra pag. 729.*
  - *Walterus Dominus Mechliniæ duxit Margaritam Britannam, obiit 1243.*
    - *Walterus Magnus Dominus Mechliniæ duxit Mariam Arvernam, obiit anno 1286.*
    - *Henricus Dominus Dufflæ & Gelæ duxit Beatricem, obiit 1252.*
      - *Henricus Dominus de Gele & Zeelem duxit Imaniam Dominam de Malstede, sepultus in Monte Sion prope Mechliniam, vulgò Blydenbergh.*
        - *Gerardus.*
        - *Henricus Dominus Dufflæ & Gelæ duxit Margaritam 1312. fuit Cortebergæ, 1339*
          - *Catharina hæres, Uxor Theoderici de Hornes, Domini de Peruez, qui Cortebergæ fuit 1372.*
    - *Ægidius Dominus de Hunsbike.*
  - *Ægidius Barbatus Dominus Berlare; Pater Ægidii. supra pag. 751.*

CAPUT CXCV.

ARNOLDUS *Diestensis in Brabantia Dominus, Begginagium ibidem anno* 1254. *fundat; quod Filius ejus Arnoldus anno* 1271. *probavit.*

UNIVERSIS ARNOLDUS Dominus de *Diest* salutem. Cùm nos Allodium Abbatis & Conventûs S. Trudonis, Ordinis S. Benedicti, quod habebant prope *Beghinas* Sanctæ Catharinæ ad Campum, infra limites Parochiæ de *Webbecum* consistens, ab eisdem Abbate & Conventu acquisiverimus per commutationem Allodii nostri, Henrici Leodiensis Electi accedente confirmatione; nos considerantes quòd dictæ Beghinæ de Campo in Diest plures, ex eo quòd in diversis degunt Parochiis, incommoditates & pericula animarum patiuntur, dictis Beghinis liberam concedimus facultatem infra dictum Allodium nostrum Ecclesiam construendi.

UT autem dictæ Beghinæ commodiùs Domino famulentur, eis concedimus quòd in perpetuum ab omnibus exactionibus sint immunes.

DATUM apud Diest, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto mense 1254.
Januario.

UNIVERSIS ARNOLDUS Dominus de Diest, & Castellanus Antwerpiensis, salutem.

CUM piæ recordationis Dominus de Diest Beghinabus Beatæ Catharinæ de Diest Ecclesiam, Cœmeterium & Sacerdotem proprium unum vel plures habendi dederit facultatem; Nos factum prædicti Patris nostri ratum habentes, dictis Beghinabus immensitate crescentibus, in Allodio, in quo sunt, terminum ampliamus, eodem jure, privilegio & libertate....

DATUM feria II. ante Annuntiationem Domini, anno millesimo ducentesimo septuagesi- 1271.
mo primo.

- *Arnoldus Dominus Distensis, Arnoldi Filius & Nepos, 1254. duxit Elisabetham de Britannia Obiit 1296. sepultus Distæ apud Minores, quos fundavit.*
  - *Gerardus Dominus Distensis, 1333. obiit sine liberis.*
  - *Joannes Episcopus Cameracensis & Ultrajectensis obiit 1340.*
  - *Thomas Dominus Distensis, obiit 1349.*
    - *Henricus Dominus Distensis, 1372. obiit 1386.*
      - *Thomas Dominus Distensis.*
        - *Joannes, obiit ante Patrem.*
          - *Joanna Domina Distensis Uxor Joannis Lossensis Domini Heinsberga.*
      - *Guilielmus Episcopus Argent.*
      - *Joannes.*
      - *Maria.*
      - *Alidis.*
    - *Arnoldus obiit sine liberis.*
  - *Arnoldus Dominus de Rumez.*
    - *Isabella Uxor Hugonis de Ailly.*
      - *Gerardus de Ailly*

ARNOLDUS de Diest sub Godefrido II. Brabantiæ Duce anno 1142. & 1143. in Chronico Trudonensi Ms. memoratur. *Arnoldus* Dei gratiâ Princeps de Diest, & Gerardus Frater ejus, anno 1200. & 1202. in Archivis Monasterii Averbodiensis celebrantur. & anno 1202. Diploma Ecclesiæ Antverpiensis signavit.

Hujus Filius fuit *Arnoldus*, qui Beginagium Distense fundavit.

Ex Bertha Gerardi Castellani Antverpiensis Filia heredegenuit Arnoldum, qui duxit Isabellam Comitis Britanniæ minoris Filiam.

Horum Filius *Gerardus* Diestense Canonicorum S Joannis Collegium, & Cartusiam de Zeelem in agro Distensi fundavit, in dicta Cartusia humatus. Fundationem hujus Diestensis Capituli exhibuimus supra lib. I. Donat. Belgic. cap. 136; & cap. 147. ibidem fundationem alterius Capituli S. Sulpitii per Abbatem Tungerloënsem.

JOANNES primùm Cameracensis, pòst Ultrajectensis Episcopus, ac demùm, Gerardo Fratre defuncto, Dominus Distensis & Burggravius Autverpiensis, Collegium XII Canonicorum Amersfurti in Diœcesi Ultrajectensi fundavit anno 1337. Fundationis hujus Diploma inferiùs exhibebitur in Supplemento ad Opera Diplomatica Auberti Miræi.

Joannis Frater junior *Arnoldus* duxit Isabellam Arnulfi Domini Mortaniæ Filiam, Dominam de Rumez in agro Tornacensi: qui Vicus olim apud Lannoios, nunc ad Comitem Solranum ex Gente Croya pertinet.

Ceterùm quâ ratione territorium Distense cum annexo titulo Burggravii Antverpiensis ad Familiam Principum Nassaviorum pervenerit, suprà lib. 1. Diplomatum Belgicorum cap. 73. & lib. 1. Donationum Belgicarum cap. 136. explicui.

CAPUT

CAPUT CXCVI.

LUDOVICUS & WALTHERUS BERTHOLDUS, FELICITAS DE HOBOKE, HENRICUS *Dufflæ & Gelæ Dominus*, GUILIELMUS DE BERCHEM *& alii, beneficia præstant Abbatiæ S. Bernardi ad Schaldim Ordinis Cistertiensis, anno 1256. & seqq.*

EGo LUDOVICUS Vir Nobilis, dictus Bertaut, notum facimus quòd nos omnem eleëmosynam, quam Abbati & Conventui Loci S. Bernardi contulit felicis recordationis germanus noster Ægidius Bertaut in Villis de *Vrimde*, *Houden*, *Millenghem & Broghem*, ob remedium animæ nostræ & Dominæ Sophiæ Uxoris nostræ, ratam habemus.

1256. DATUM M. CC. LVI. mense Augusto.

UNIVERSIS præsens Scriptum visuris, WALTERUS BERTAUT & MARIA ejus Uxor salutem. Præsentium tenore testamur, quòd constituta in nostra præsentia Filia nostra Sophia, relicta bonæ memoriæ Henrici Domini de Breda....

1270. DATUM M. CC. LXX.

UNIVERSIS præsens Scriptum visuris, SOPHIA de Machlinia, relicta bonæ memoriæ Henrici quondam Domini de Breda....

1278. DATUM M. CC. LXXVIII.

NOS HENRICUS Dominus de Boutersshem, notum facimus, quòd in eleëmosynam contulimus Abbati & Conventui Loci S. Bernardi decimam raparum apud terram nostram de Santhoven proventurarum, nec non decimam geluniam in omni terra nostra.

1273. DATUM apud Lovanium in crastino B. Laurentii, anno M. CC. LXXIII.

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis, FELICITAS dicta de Perweis, Domina de Hoboke, relicta Godefridi Domini de Perweis, salutem.

NOVERIT universitas vestra, quòd Nos bona, quæ ab Abbate & Conventu S. Cornelii Indensis justo titulo acquisivimus in Territorio de * Puderse, vendidimus Abbati & Conventui Monasterii Loci S. Bernardi, Cistertiensis Ordinis.

* aliàs Puers.

1278. ACTUM M. CC. LXXVIII.

WALTERUS dictus Bertaut, Dominus Machliniensis, & MARIA ejus Uxor, notum facimus, quòd Nos, de consensu primogeniti nostri Walteri Bertaut, contulimus in eleëmosynam Abbati & Conventui Loci S. Bernardi decimationem novalium quam habuimus in Parochia de Dufsle. His interfuerunt Homines nostri feodales,

Joannes Bertaut Dominus de Gramines,
Ægidius Bertaut Frater noster, & alii.

1280. ACTUM M. CC. LXXX. feriâ quintâ antè Festum B. Magdalenæ.

NOS ARNOLDUS de Lovanio, Dominus de Breda, notum facimus, quòd dedimus Domicellæ Beatrici de Breda tres sextarios siliginis, annui reditûs..... Huic Donationi interfuerunt Ægidius de Breda, & alii.

DATUM M. CC. LXXXI. 1281.

ROBERTUS de Grimbergis, Dominus de Asca, & Maria ejus Uxor, notum facimus, quòd Nos vendidimus Abbati & Conventui Loci S. Bernardi....

DATUM M. CC. XCII. 1292.

GERARDUS dictus de Wassenberge, Dominus de Borge, notum facio, quòd Willelmus, Filius quondam bonæ memoriæ Joannis de Geneffia Militis, duas partes decimæ de Zeelem ad opus Abbatis & Conventûs Loci S Bernardi donavit in eleëmosynam. Testes;

Arnoldus Comes Lossensis, &
Willelmus de Warois Miles.

DATUM M. CC. XCIII. 1293.

HENRICUS Bertaut dictus de Dufsle, Miles, de Gela & de Zeelem Dominus, notum facimus, quòd Nos omnem calangiam, quam piæ memoriæ Henricus Bertaut, Pater meus, aut Nos super decima novalium in Parochia de Gela contra Abbatem & Conventum Loci S. Bernardi movebamus, indebitam fuisse recognoscimus ac minùs justam.

Et Nos Ægidius Bertaut Dominus de * Hunebeke, Florentius Bertaut Dominus de Berlar, Joannes Bertaut Dominus Neckerspule, Milites, & Nos Ægidius dictus de Lare, Miles, Sigilla nostra præsentibus apposuimus in testimonium præmissorum.

* aliàs Hunbbeke

Datum M. CC. XCIV. in crastino Ascensionis Domini. 1294.

JOANNES, primogenitus Viri Nobilis Domini Joannis Bertaut dicti de Berlar, Militis, notum facio, quòd noster consanguineus Walterus de Hemmexem, dictus de Pouderle, recognovit se vendidisse Abbati & Conventui Monasterii Loci S. Bernardi, Cistertiensis Ordinis, quidquid juris habebat in L. bonariis wastinæ apud Gele.

Datum M. CC. XCIV. 1294.

JOANNES dictus Bertant, primogenitus Joannis Bertaut dicti de Berlar, notum facio, quòd consanguineus meus & feodalis Dominus Willelmus dictus de Berchem Miles recognovit se vendidisse Abbati & Conventui Monasterii S. Bernardi propè Scelle XII. bonaria terræ arabilis in Parochiis de *Boughout* & *Vrimde*. Testes,

Joannes Bertaut, dictus de Berlar, prædicti Joannis Pater,

Walterus dictus de Berchem, Frater Willelmi,
Ludovicus dictus Bertaut, Milites, &
Walterus dictus de Poderle, &
Willelmus dictus Noze.

1296. Datum M. CC. XCVI. in Festo B. Michaëlis Archangeli.

NOS JOANNES Bertaut, dictus de Berlar, Miles, & Joannes ejus primogenitus, notum facimus quòd Nos eleëmosynam universorum bonorum immobilium, datam quondam Abbati & Conventui Monasterii Loci S. Bernardi, ad fundationem prædicti Monasterii, à Domino Ægidio Bertaut, quondam Avunculo mei prælibati Joannis dicti de Berlar Militis, ratificamus. In quorum testimonium Nos præfatis Religiosis contulimus præsentes Litteras, Sigillorum nostrorum munimine roboratas, quibus utimur.

EGO enim Joannes dictus de Berlar, Miles, utor adhuc Sigillo meo quod habui eo tempore quo fui Dominus de Gramines. * Rogamus quoque Joannem Bertaut Dominum Mechliniensem, ejus Mamburnum Florentium Bertaut Dominum de Berlaer, Ægidium Bertaut Dominum de Honebeke*, Henricum Bertaut Dominum de Dufsle, Ludovicum Bertaut Militem, & Rasonem Cantorem Ecclesiæ B. Mariæ Antverpiensis, Fratres germanos mei Joannis Bertout Militis suprà dicti....

* Vicus prope Hal lebecam in Flandria.

* Humbeke

Datum anno M. CC. XCVI. in die S. Catharinæ. 1296.

VIRO Nobili consanguineo suo Domino FLORENTIO dicto Bertaut, Domino de Berlar, Joannes Bertaut dictus de Berlar, Miles, & Joannes ejus primogenitus, salutem. Vestræ discretioni supplicamus....

Datum M. CC. XCVI. in die S. Catharinæ. 1296.

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis JOANNES dictus Bertout, Dominus Mechliniensis, salutem. Cum Viri Nobiles & Consanguinei nostri & feodales, Joannes Bertaut dictus de Berlar, Miles, & Joannes ejus primogenitus, de beneplacito Patrui nostri & Tutoris Domini Florentii dicti Bertaut, Domini de Berlar........ omnes conventiones prædictas ratificamus.

Datum M. CC. XCVII. 1297.

CAPUT CXCVII.

ÆGIDIUS DE TRAZEGNIES, *Constabularius Franciæ*, ALEIDIS *Boulariæ, de qua pag. 755. Filius, &* JOANNA DE NEVELE *dotant Abbatiam Belli-prati Ordinis Cistertiensis, ann. 1256. & 1341.*

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis ÆGIDIUS dictus le Brun de Trazegnies, Constabularius Franciæ, salutem.

Noverint universi, quòd cùm *Osto* quondam Dominus de Trazegnies, Frater meus, haberet quintam partem omnium Allodiorum Villæ de *Grimengem*, ratione escheanciæ *Aelidis* quondam Dominæ de Boulers, Matris suæ & meæ, prædictus Osto de duabus Uxoribus liberos decem procreavit, quibus prædicta quinta pars dictorum Allodiorum devenit, ratione escheanciæ Patris sui. Quattuor vero prædictorum liberorum decem, quos de prima Uxore sua *Agnete*, quondam Domina de Hakinis, procreavit, scilicet *Ægidius* & *Osto* Fratres & Milites, *Aelidis* & *Makeda*, Sorores prædictorum Militum, mihi contulerunt omnem illam partem, quæ ad eos devenerat ratione prædictæ escheanciæ Patris eorum de illa quinta parte Allodiorum, quam in Villa de Grimenghem Pater eorum possederat, ad faciendam meam omnimodam voluntatem.

Id est, quattuor ex decem.

EGO verò omnem illam partem prædictæ escheanciæ prænominatorum quattuor liberorum, quam mihi contulerunt, dedi Abbatiæ de BELLO-PRATO, Ordinis Cistertiensis, juxta Geraldi-montem.

INSUPER eidem contuli inventionem apum, quæ fieret super Allodia sua. Contuli etiam quendam rivulum fluentem infra clausuras dictæ Ecclesiæ. Contuli etiam singulis annis decem ancas accipiendas in Villa mea prænominata.

QUOD ut ratum maneat, præsentes Litteras dedi Sigilli mei munimine roboratas.

EGO verò OSTO dictus le Brun, Filius Domini Ægidii de Trazegnies, Constabularii Franciæ, hanc collationem approbo. Et ad majorem securitatem Sigillum meum huic Chartæ, unà cum Sigillo Patris mei, apposui.

DATUM anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, mense Octobri, feriâ sextâ post Festum Lucæ Evangelistæ. 1256.

Ego JOANNA de Nevele, Domina de Boular & Scendelbeke, do in eleëmosynam Abbatissæ & Conventui Belli-prati pratum in *Rasebeke*.... pro anima Dominæ meæ *Machtildis*, quæ fuit Filia Roberti Boni Comitis Flandriæ, & Dominæ de Florines & Beverne; pro anima *Sigeri* de Lidekercke, qui fuit Dominus de Boular; pro anima Roberti Domini de Nevele; pro anima meæ Joannæ prædictæ; pro anima *Nicolai* de Baileul, Domini de Rossoit, & pro anima *Machtildis* Dominæ de Rossoit, ipsius Uxoris....

ACTUM anno millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, die III. Martii. 1341.

CAPUT

CAPUT CXCVIII.

Monasterio de Op-Bigardis, seu Minoris Bigardiæ, Virginum Benedictinarum juxta Bruxellam, confertur Decima apud Hallas, anno 1259.

Universis præsentes Litteras visuris Maria relicta quondam Domini G. de Lovanio. Noveritis, quòd Jacobus de Sellcka in nostra præsentia constitutus, recognovit se recepisse decimam jacentem apud *Hall*, quæ olim fuit Domini *Waltheri Lotthe*, ad opus Priorissæ & Conventûs de Opbigardis, &c.

Præmissa autem facta fuit recognitio in præsentia *Gerardi* & *Adæ de Liefringen Presbyterorum*, *Geselini del Borgh*, *Lamberti del Borgh* & Giselini de Hendenaka, Joannis Corturint de Elongh, & aliorum quamplurium.

In cujus rei testimonium præsentes Litteras nostro Sigillo roboravimus.

Datum anno Domini M. CC. LIX. in crastino 1259.
B. Mariæ Magdalenæ.

CAPUT CXCIX.

WALTERUS *Magnus Bertoldus, Machliniæ Dominus, Cœnobio Monialium Victorinarum ibidem in Monte Sion anno* 1260. *benefacit. Walteri Filia* SOPHIA *anno* 1287. *Capellaniam fundat Mechliniæ.*

WALTERUS dictus Bertout, Dominus Machliniensis, notum fieri volumus, quòd Nos Priorissæ & Conventui S. Victoris in Machlinia omnia bona mobilia & immobilia... (Sacerdotibus in Machlinia concessa) donamus, de consensu Scabinorum & Villæ Machliniensis, pacificè in perpetuum possidenda.

1260. Datum M. CC. LX. feriâ V. post Decollationem B. Joannis Baptistæ.

UNIVERSIS SOPHIA de Machlinia, relicta felicis memoriæ Henrici quondam Domini de Breda, salutem.

NOVERINT universi, quòd Nos in remissionem omnium peccatorum nostrorum, dilecti quondam Patris nostri *Walteri* Bertout, Domini de Machlinia, *Henrici* quondam Mariti nostri prædicti, Domini de Breda, dilectæ quondam Matris nostræ *Mariæ*, duodecim libras censûs annui perpetuis temporibus capiendas de censu nostro de Wincelcum à nostris censuariis, ad Capellaniam in Ecclesia B. Rumoldi Machliniensis, ad Altare de novo constructum, secus tumulum Domini Machliniensis prædicti deserviendam, assignamus.

ET ut hæc assignatio perpetuam obtineat firmitatem, Fratres nostros, *Walterum* Bertout Dominum de Machlinia, * *Wilhelmum* Præpositum Lovaniensem & *Florentium*, dictos Bertout, *Ægidium* Avunculum nostrum exoramus, ut Sigilla sua præsenti Litteræ cum nostro apponant.

* Obiit Episc. Ultrajectin.

Datum anno M. CC. LXXXVII. feriâ quartâ ante Nativitatem B. Joannis Baptistæ. 1287.

UNIVERSIS SOPHIA de Machlinia, Filia Walteri dicti Bertout, quondam Domini de Machlinia, salutem.

Cùm Nos Capellaniam de nostris propriis reditibus fundaverimus in Ecclesia B. Rumoldi, coram tumulo Patris nostri prædicti deserviendam, & Nobis ac nostro Nepoti *Bartoldo*, primogenito dilecti Fratris nostri Walteri Bertout, bonæ memoriæ, dumtaxat collationem, ratione primæ fundationis, reservaverimus, volumus quòd post decessum nostrorum, videlicet Mei Sophiæ & Bartoldi primogeniti, ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ B. Rumoldi Machliniensis ipsa collatio perpetuò devolvatur.

Datum M. CC. LXXXVII. mense Maio. 1287.

Notatio de Bertoldis Mechliniæ Dominis.

MEchliniam duas in partes seu regiones Dilia fluvius secat. In regione ampliore (quæ olim ad Episcopum Leodicensem pertinuit) Basilica S. Rumoldi nunc Metropolitana visitur: in qua Notgerus Leodicensis Episcopus circa annum salutis millesimum Canonicorum XII. Collegium collocavit.

Alterius regionis (quæ Bruxellensibus & Grimberganis est cis-Diliana) olim Bertoldi fuerunt Domini, qui & Advocati seu Tutores dictæ Ecclesiæ S. Rumoldi extiterunt, eumque titulum in suis Diplomatibus non raró expresserunt. Ex his *Walterus Bertoldus*, Walteri Filius, Arnulfi Grimbergæ Domini Nepos, anno 1219. obiit. Filios reliquit, Walterum II. Mechliniæ Dominum & Ægidium Barbatum Berlaræ Toparcham: cujus posterioris Stemma suprà pag. 751. explicuimus.

Walterus II. duxit Margaritam Comitis Britanniæ minoris Filiam, & anno 1231. Monasterium Franciscanorum Mechliniæ fundavit, ibidem anno 1243. conditus. Filios reliquit Walterum Magnum, Henricum Dufflæ & Gelæ Dominum, cujus posteritatem suprà pag. 767. descripsimus, & Ægidium Humbecæ Toparcham.

Walterus III. Magnus anno 1260. Monialium Victorinarum Cœnobium Blidenbergense, aliàs Montem Sion dotavit, & anno 1286. mortuus est, in S. Rumoldi Basilica sepultus. Ex Maria Arverna, suprà pag. 767. laudata, liberos sustulit; Walterum IV. & Florentium Mechliniæ Dominos, Guilielmum ex Præposito Sancti Petri Lovaniensis Episcopum Ultrajectensem, anno 1301. defunctum, & Sophiam Henrico Bredæ Domino nuptam.

Walterus IV. Mechliniæ pro parte Dominus, ann. 1288. in prçlio Woeringano cçsus, ex Adelisa seu Alisa de Gisnes genuit Bertoldum. Joannem & Ægidium. His sine prole sublatis, patruus *Florentius* successit, qui Tabulas Cortebergenses an. 1312. signavit, & Filiam unicam *Sophiam* reliquit heredem, Rainaldo Duci I. Gelriæ nuptam: qui Ludovico Malano Flandriæ Comiti suam Mechliniæ portionem anno 1343. vendiderunt. Vide suprà pag. 729.

CAPUT CC.

RENERUS DE RIVIRIS *Lovaniense S. Gertrudis Nobilium Canonicorum Cœnobium anno 1265. dotat.*

UNIVERSIS RENERUS Decanus Christianitatis in Lovanio salutem.

Noverint universi, quòd *Renerus* Miles dictus Cluet de *Riviris*, cum Filiis suis, *Joanne* seniore & *Karolo*, in præsentia nostra & Arnoldi Decani Ecclesiæ Thenensis, & Arnoldi dicti Harde de Rillaer, constitutus, contulit Præposito & Conventui S. Getrudis in Lovanio in eleëmosynam, pro salute *Beatricis* Uxoris suæ, ac ipsius Reneri & suorum, quidquid juris in Patronatu & collatione Ecclesiarum de *Werde* & de *Langdorp* habebat. Vide sup. pag. 418.

Actum in Vigilla B. Matthæi. M. CC. LXV. 1265.

CAPUT CCI.

PHILIPPUS *Viandæ Comes, ejusque Uxor* MARIA *Peruesii & Grimbergæ pro parte Domina, & Mariæ Filius* GODEFRIDUS *Cognato suo Henrico Grimbergio dant Buggenboutum, anno 1266.*

PHILIPPUS Comes Vianensis, Dominus de Grimbergis, & *Maria* ejus Uxor, Domina dictorum locorum, notum facimus, quòd Nos fidelem nostrum *Henricum* de Grimbergis hominem nostrum fecimus, conferendo eidem pro homagio nobis ab ipso facto, ratione perpetui feudi, Villam nostram de *Buggenhout*, cum reditibus, hominibus & mansionariis.

1266. Datum M. CC. LXVI. mense Junio.

PHILIPPUS Comes Viennensis & *Maria* ejus Uxor, Comitissa Viennensis & Domina de Perweis & de Grimbergis, universis notum facimus, quòd Nos XX. bonaria silvæ nostræ sitæ in Parochia de Buggenhout, jacentia ante domicilium dilecti nostri *Henrici* de Grimbergis Militis, juxta silvam suam, contulimus pari consensu nobili mulieri *Machtildi* & ipsi Henrico Marito ejus in meliorationem & augmentum feodi sui, quod pridem à nobis tenebant.

DATUM anno Domini M. CC. LXXI. mense Aprili. 1271

GODEFRIDUS Comes Viennensis, Dominus Grimbergæ, notum facimus quòd Nobilis Vir Cognatus noster *Henricus* de Grimbergis & *Machtildis* Uxor ejus tenent à nobis dominium de Buggenhout cum omnibus justitiis altis & bassis, exceptis XXX bonariis, quæ tenet Nobilis Mulier *Maria* de Asca, Uxor *Roberti* Domini de Asca. Testes,

Ægidius Bichet Miles,
Henricus de Grimbergis Morskæ Dominus,
Joannes Volckart Miles &
Walterus de Wynegem.

DATUM M. CC. XCII. Dominicâ ante Nativitatem S. Joannis Baptistæ. 1292

Notatio de Comitibus Viandæ *in Agro Luxeburgensi: quorum Stemma, suprà pag.* 441. *reperies.*

Vide pag. 441. Godefridus Viande Comes, qui anno 1285. Monasterio Ninivensi benefecit, & Alidem de Aldenarde Uxorem habuit, pro certo Matrem habuit *Mariam*. Sed an Patrem habuerit Philippum Viandæ Comitem, an alterum dictæ Mariæ Maritum, sunt qui dubitant; ob insignium gentiliciorum Godefridi & Philippi discrimen, quod Vir Clarissimus David Lindanus in Buggenhoutano Ducis Bournonvillii Archivio observavit.

Godefridi & Alidæ Aldenardensis Filius *Philippus*, Viandæ Comes & Grimbergæ pro parte Dominus, duxit Sophiam de Scornaco, *Schorissen*, in Agro Alostano; Tabulas Cortebergenses anno 1312. signavit, & sine liberis decessit. Successit Frater ejus *Godefridus*, qui duas habuit Coniuges, *Lutgardim* Dominam de Ligny, Lets & Fleris anno 1318. superstitem; & *Margaritam* Joannis I. Comitis Namurcensis Filiam. Obiit in Cypro 1337. cum Sororio suo Philippo Comite Namurcensi.

Anno 1380. *Simon* Walrami Comitis Spanhemensis Filius, Spanhemensem & Viandensem Comitatum tenuit. Elisabetha de Spanheim Domina Grimbergæ, anno 1404. superstes erat.

Demum Viandæ Comitatus, cum Baronia Grimbergensi pro parte, ad Familiam Nassaviam est devolutus, cùm *Otho* Nassavius, Henrici Filius, ex stirpe Dillenburgica, duxit Adelheidem, dicti Comitatûs Viandensis, Baroniæ S. Viti & Grimbergæ pro parte heredem.

CAPUT

CAPUT CCII.

Henricus, *Bredæ Dominus, Filius Godefridi de quo suprà pag. 764. dotat Begginas Bredanas anno 1266. iisdemque paulò post benefacit* Henricus *Leodiensis Episcopus.*

Suppletum ex Antiquit. Bredanis Joann. Grammaye.

Universis &c. Henricus Dominus terræ de Breda salutem, & rei gestæ noscere veritatem. Præsentium testimonio notum facimus universis, quod Nos ob remedium animæ nostræ & Parentum nostrorum omne domistadium, in quo Beginæ de Breda ad præsens habitant, quod hactenus à Nobis ac Prædecessoribus nostris sub annuo censu jure hereditario possidebant, conferimus eisdem in recto Allodio ulteriùs possidendum, quitas, clamantes dictas Beginas ab omni jure & servitio, quod Nobis huc usque dare consueverunt; & quanrum in nobis est illam Capellam & Cœmeterium ibidem fieri licentiamus.

Volumus etiam quod quidquid ibidem ulterius constructum, seu ædificatum fuerit, ibidem permaneat ad usus & utilitatem supervenientium Beginarum.

In cujus rei testimonium & munimen præsentem Litteram Sigilli nostri munimine contulimus eisdem Beginis roboratam.

Datum feriâ tertiâ post Dominicam *Oculi*, anno millesimo ducentesimo sexagesimo sexto. 1266

Henricus Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, dilectæ in Christo novellæ Congregationi Beginarum, in una Curti apud Bredam commorantium, salutem.

Concedimus vobis, quòd apud vos proprium habeatis Cœmeterium, ac propriam sepulturam, absque juris Parochialis præjudicio.

Datum anno millesimo ducentesimo septuagesimo, in Festo B. Leonardi. 1270

CAPUT CCIII.

Ottho *Comes Gelriæ Ruræmondense Virginum Ordinis Cisterciensis Monasterium dotat anno* 1268.

Vide supra pag. 304.

Universis Otto Comes Gelrensis salutem. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quòd cùm Theodericus de *Ruremonde* dictus Advocatus census, decimas & alia quædam bona, unà cum Jure Patronatûs Ecclesiæ Parochialis in Ruremonde, à Nobis teneret in feodum, dictus Theodericus dictum Jus Patronatûs in manus nostras, in eleëmosynam, ad opus Abbatissæ & Conventûs S. Mariæ in Ruremonde, Cistertiensis Ordinis, Uxore suâ *Udelinde*, & *Godefrido* Fratre dicti Advocati, præsentibus & consentientibus, reportavit.

Nos verò dictum jus sæpedictis Dominabus Abbatissæ & Conventui contulimus perpetuò possidendum.

Acta sunt hæc apud Ruremonde, præsentibus

Renaldo nostro Filio,
Gerardo de Batenburg,
Joanne Domino de Kuc,
Arnoldo de Steine,
Joanne de Gransbeke,
Sigero de Bruchusen, Militibus,
Gerardo de Tigelen,
Cunone quondam Priore in Ruremonde, 1268
& aliis quàm pluribus, anno millesimo ducentesimo sexagesimo octavo mense Septembri.

CAPUT CCIV.

Leonius *Castellanus Bruxellensis benefacit Abbatiæ Frigidi Montis Ordinis S. Augustini Bruxellis, anno* 1269.

Leonius Miles, Castellanus Bruxellensis, omnibus notificamus, quòd Religiosi Viri Præpositus & Conventus Ecclesiæ B. Jacobi Bruxellensis acquisierunt erga Nos partem terræ nostræ Allodialis, prout sita est & adjacet domistadiis eorum, juxta Castrum nostrum apud Frigidum Montem, à fine domistadii super quo manet Heinricus, Filius Ermentrudis, usque ad murum, prout ibidem limitatum est & signatum, pro certa pecuniæ summa, quam Dominus Præpositus & Conventus nobis in pecunia numerata persolverunt.

Actum anno M. CC. LXIX. mense Julii. 1269

CAPUT CCV.

JOANNES DE GISTELLA *Vir Nobilis fundat Augustinianos Brugenses, anno* 1275.

EGO JOANNES de Gistella Miles, Dominus de Formesellis & Wastina, notum facio universis, quòd Ego ad honorem Dei, omnium Sanctorum, & præcipuè S. Nicolai, omne jus quod mihi quolibet modo competere potest in fundo, in quo sita est Capella B. Nicolai in Brugis, ac in ipsius attinentiis, cum jure etiam Patronatûs, ad ampliandum Divinum Officium in eadem, Religiosis Viris Fratribus Eremitis S. Augustini in eleëmosynam contuli.

Actum M. CC. LXXV. Sabbato post Epiphaniam Domini. 1275.

Notatio de Gistellæ *Dominis in Diœcesi Brugensi.*

I. Vide supr. pag 185. ARnoldus Gistellæ Dominus anno 1171. floruit & anno 1180. Aldeburgense Benedictinorum Monasterium dotavit. Ex Agnete Filios quattuor sustulit, Joannem Gistellæ Dominum, Rogerium in prælio Bovinensi anno 1214. cæsum, Walterum & Gillebertum.

II. *Joannes* Gistellæ Dominus duxit Grielam de Lichtervelde, & anno 1218. decessit, sepultus Gistellæ cum Conjuge.

III. *Joannes* Joannis Filius & heres vixit anno 1254. & duxit Filiam heredem Walteri Domini de Formeselle.

IV. *Joannes* III. Gistellæ, Formesellæ, Mottæ & Voestinæ Dominus, duxit Isabellam Voestinæ Dominam, & Brugense Monasterium Augustinianorum anno 1275. fundavit. Genuit Joannem IV. Walterum Mottæ Dominum, (à quo Domini de Provene & la Motte stirpem suam deducunt) Wolfardum & Jacobum.

V. *Joannes* IV. Gistellæ Dominus, Camerarius Flandriæ, 1297. duxit Margaretam Luxeburgiam, Gerardi Filiam, anno 1316. Brugis sepultus apud Augustinianos.

VI. *Joannes* V. duxit Mariam de Haveskerke, anno 1340. cæsus in prælio Cresliacensi.

VII. *Joannes* VI. duxit Isabellam de Rodes, Engelmunsterii Dominam, Gerardi Filiam. Pictaviensi prælio anno 1356. interfuit: Aldenardæ obsidionem anno 1379. sustinuit, cum duobus Fratribus suis Gerardo & Rogerio Domino de Utzelle & Straten jure uxorio. Filios quattuor reliquit, Joannem VII. Antonium Gistellæ Dominos, Guidonem & Gerardum, in prælio Nivellensi anno 1381. cæsos.

Joannes VII. Gistellæ, Harnæ & Borburgi Dominus, VIII.
Philippi Audacis Burgundiæ Ducis Flandriæque Comitis Camerarius. ex Joanna de Chastillon Filios sustulit Joannem anno 1408. & Ludovicum 1415. in prælio Azincuriensi, utrumque sine liberis defunctum.

In Dominio Gistellensi successit *Antonius* Joannis VII. IX.
Filius, qui unicam reliquit Filiam heredem *Isabellam*, primùm Hugoni Melunio, Domino de Antoin & Espinoy, sed sine liberis, pòst Roberto Betunio Vicecomiti Meldensi nuptam.

Joanna Filia ejus unica ex Roberto Barrensi Comite X.
peperit *Joannam*, Comitissam de Marle & Soissons, Gistellæ & Borburgi Dominam, Ludovico Luxeburgio Comiti S. Pauli nuptam.

CAPUT CCVI.

MARIA *Domina de Bausignies & Gaesbeke, Vidua Godefridi de Lovanio, ejusque Filius* HENRICUS *de Lovanio Capellanias aliquot fundant in Castro Gaesbecano, anno* 1277.

UNIVERSIS E. Dei gratiâ Abbatissa, G. Præpositus, I. Decanus, totumque Ecclesiæ Nivellensis Capitulum salutem. Noveritis quòd Nos nobilibus personis, *Mariæ* relictæ quondam nobilis Viri Godefridi de Lovanio, Dominæ de *Beaucignis* & *Gasebeke*, & *Henrico* de Lovanio Domino de Harstallo, ejus Filio, concessimus, quòd vacantibus Capellaniis, quas ipsi instituerunt in Castro suo de *Gasebeke*, in nostro Patronatu sito, dictæ nobiles personæ, & earum heredes, ad dictas Capellanias personas Capitulo Nivellensi præsentabunt, & Nos ipsis eas conferemus.

1277. ACTUM millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, mense Maio, Sabbato ante Festum B. Urbani.

E. Dei gratiâ Abbatissæ de Nivella, G. Præposito. I. Decano, totique Capitulo Ecclesiæ Nivellensis, *Maria* relicta nobilis Viri Godefridi de Lovanio, Domina de Bausignies, *Henricus* de Lovanio, ejus Filius, Dominus Harstallii, salutem.

Cùm per resignationem Domini Petri, quondam Capellani nostri, in Castro nostro apud *Gasebeke* vacet Capellania S. Elizabeth, ad nostram præsentationem spectans, & ad vestram collationem, transmittimus Ægidium Presbyterum, vos rogantes, quatenus eidem Ægidio, quem vobis præsentamus, dictam Capellaniam conferatis.

DATUM millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, Sabbato ante Festum Simonis & Judæ. 1277.

Domini

Domini de Peruez, Herstal, Gaesbeke, Breda *&* Berges sur Zoom.

JOANNES de Lovanio, Henrici Filius, Godefridi Nepos, Dominus de Herstal & Gasbeque, 1334. obiit sine liberis. Beatrix de Lovanio, Henrici Soror, Domina de Herstal, Gasbeque & Moncornet in Tirascia, anno 1339. similiter sine liberis decessit. Post cujus obitum Gasbeca, Bausigniacum* & Moncornetum devoluta sunt ad Guilielmum Hornæ Dominum, Gerardi & Joannæ de Lovanio (fuit ea dictæ Beatricis Amita vel Matertera, puto) Filium, Is ut Hornæ & Gasbecæ Dominus Pactum Flandrense supra recitatum pag. 323. anno 1339. signavit.

Rasonis & Alidæ Bredanæ Filius PHILIPPUS, Lidekercæ & Bredæ Dominus, anno 1324. obiit, sepultus Lidekercæ, relictâ unicâ Filiâ Adelisâ, quæ nupsit Gerardo de Sottegem Domino de Rassegem in Flandria.

- *Godefridus III. Dux Brabantiæ.*
  - *Henricus I. Dux Brabantiæ, primus gessit Leonem*
    - *1. Henricus II. Dux Brabantiæ.*
    - *2. Godefridus de Lovanio Dominus Herstalli & Gaesbecæ duxit Mariam Dominam de Bausignier, & Moncornet.*
      - *Henricus de Lovanio, Dominus ut supra, duxit Filiam Theoderici Domini Bevera & Dixmuda. 1258. supra pag. 774.*
        - *Joannes, obiit 1324 sine liberis.*
        - *Henricus.*
        - *Beatrix, obiit 1340 sine liberis.*
      - ** Joanna de Lovanio.*
      - *Arnoldus de Lovanio duxit Elisabetham Filiam Henrici Domini Bredæ & Bergarum, sup p. 765. & infrà p. 776.*
        - *Alidis Domina Bredæ Uxor Rasonis de Gavre. 1291. Domini Lidekerke pag. sequenti.*
          - *Philippus Dominus Bredæ, obiit 1324. Pater Adelisa.*
          - *Raso.*
        - *Maria Domina Bergarum Uxor Gerardi Wesemalii pag. seq.*
          - *1. Arnoldus Dominus Bergarum.*
          - *2. Gerardus pag. sequenti*
          - *3. Godefridus Dominus Merxemi.*
  - *S. Albertus, Episcopus Leodiensis.*
  - *N. Monialis.*
  - *Guilielmus Dominus Peruesii, 1201. pag. 727.*
    - *Godefridus Dominus Peruesii duxit Aliciam Dominam Grimberga & Ninive, 1230. 1249.*
      - *Guilielmus, Gerardus & Godefridus, sine liberis pag. 728.*
      - *Maria Uxor Philippi Comitis Viande anno 1280. pag. 729.*
        - *Godefridus de quo pag. 728.*

* Joannam de Lovanio. Godefridi de Lovanio, & Mariæ Dominæ de Bausignies & Moncornet Filiam duxit Gerardus Dominus de Hornes circa annum 1294. & jacet sepultus dictus Gerardus Bruxellæ in Capitulo Carmelitarum cum Uxore, habens in Scuto tria Cornua: sed Uxoris insigne non videtur. Vidi utriusque Diploma Gallicum 1303. datum apud Rilwyck, & in Sigillo Joannæ est Leo Brabantinus.

CAPUT CCVII.

JOANNES *Dux Brabantiæ, post mortem Arnoldi de Lovanio, Bredæ & Bergarum Domini, Bredam Razoni de Gavere, Bergas Gerardo de VVesemaele attribuit anno* 1285.

Integrè positum ex Gramaye in Antiquit. Bredanis.

JOANNES Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi Dux, universis has Litteras visuris & audituris salutem & noscere veritatem.

NOVERIT universitas vestra, quòd propter obsequium quòd (1) *Gerardus de Wesemale* Miles frequenter nobis impendit, & adhuc nobis impendet, proborum usi consilio, eidem recognoscimus tanquam suam veram hereditatem, ac legitimam Majorum, dimidietatem totius terræ de Breda, prout infra circulum seu districtum terræ nostræ Brabantiæ sita consistit, cum omnibus juribus & omnibus pertinentiis ad præfatum Dominium & ipsam terram de Breda spectantibus, post decessum nobilis Viri consanguinei nostri (2) *Arnoldi de Lovanio Domini de Breda* habendam & liberè possidendam, in hunc modum: quòd *Raso Dominus de Liedekerke* habebit Oppidum de Breda, & relevabit omnia feuda ad dictam terram de Breda spectantia, à quibuscumque Dominis tenentur & descendunt, & respectu dicti Oppidi de Breda ac dictorum feudorum, habebit dictus *Gerardus de Wesemale* pro se & parte sua, ex parte quondam Matris suæ proveniente, ad dictam terram de Breda jus habente, bona his Oppido de Breda & feudis æquivalentia, & hoc facto participabit residuum sæpedictæ terræ de Breda præfatus *Gerardus de Wesemale* cum dicto *Domino de Lidekerke* de pede ad pedem, in alto & basso, in humido & sicco.

SIMILITER *Domino de Lidekerke* prænotato, omnibus cavillationibus ac malo ingenio penitus exclusis, acceptante & indulgente, eidem Ge-

rardo

rardo Domino de Wesemale concessimus, quòd hæc bona quæ sibi de dicta terra de Breda cedent, & suæ parti, ut est prædictum, ipse *Gerardus* & sui Successores de Nobis & nostris Successoribus secundùm jus & consuetudinem terræ nostræ Brabantiæ, in feudum tenebunt & liberè possidebunt.

Promittentes eidem contra quoscumque de dictis bonis de Breda ad jus & diem comparere: volentes tamquam Dominus rectam Warandiam præstare, præsentium testimonio Litterarum, Sigillo nostro sigillatarum. Et ut præmissa singula & universa quemadmodum conscripta sunt superiùs, sæpedicto *Gerardo de Wesemale* & suis Successoribus à Nobis & nostris Successoribus rata in perpetuum teneantur & firma, ad majorem evidentiam & securitatem præmissorum, rogamus Charissimum Fratrem nostrum *Godefridum Dominum de Arschot & de Virson* & dilectum Consanguineum nostrum *Walterum Bertbaut Dominum Mechliniensem*, *Arnoldum Dominum de Walhaim*, *Arnoldum Dominum de Wesemale*, *Gerardum Dominum de Rotselaer*, *Henricum Dominum de Bauterssem*, *Walterum Volkaert* & *Iwanum de Meldert*, Milites nostros, ut sua Sigilla unà cum Sigillo nostro, præsentibus apponant & appendant.

ET nos Godefridus, &c. ad preces & instantiam dilecti Domini nostri Ducis memorati, nostra Sigilla unà cum Sigillo suo præsentibus duximus apponenda.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo octingentesimo septimo, Dominicâ ante Nativitatem B. Joannis Baptistæ. 1287.

(1) GERARDUS de Wesemale Dominus Bergarum ad Zomam tres reliquit Filios, *Arnoldum* de Wesemale Bergarum Dominum, *Gerardum* & *Godefridum*: ut ex Tabulis Loci S. Bernardi suprà pag. 769. recitatis constat.

(2) ARNOLDUS de Lovanio Godefridi Gasbecæ Domini Filius secundò-genitus, ex Isabella Domina Bredæ (sub qua ditione & Opidum Bergizomense, cum Territorio adjuncto, tunc comprehendebatur) duas genuit Filias, *Alcidem* Rasoni de Gavere, Lidekercæ prope Alostum Domino, & *Mariam* Gerardo Wesemalio, nuptas.

Rasoni Opidum Bredanum, Gerardo dimidia pars terræ Bredanæ, hoc est, Bergizomense Territorium cessit, post obitum dicti Arnoldi de Lovanio. Qui quidem Arnoldus, post obitum Uxoris suæ Isabellæ, Bredam & Bergas totâ vitâ suâ possedit, beneficio Joannis I. Brabantiæ Ducis: ut ex hujus Tabulis publicis, quæ in Monasterio Loci S. Bernardi prope Antverpiam servantur, didici: *Jean Duc de Brabant à tous.... Comme il soit ainsi que la terre de Breda nous soit issue par la mort de Isabelle. Femme de Arnould de Lovain nostre Cousin, jadis Dame de Breda, pour le service qu'il nous a faict, nous lui avons donné la terre de Breda sa vie durant*, Signarunt, Willelmus Dominus de Hornes, Joannes Dominus de Cuck, Theodericus Dominus de Herlaer, Milites, & Frater noster Godefridus de Brabant Dominus de Arschot & de Virson, Cognatus noster Henricus de Lovanio, Walterus Bertaut Dominus de Mechlinia, anno 1281. die Jovis post Pascha.

Domini Lidekercæ, *item de* Fresin, Rassegem & Lens.

- *Raso de Gavre Dominus Lidekercæ, Rasonum Filius & Nepos duxit Alicam Dominam Bredæ, 1291. fundavit Canonicos Bredæ pag. 444.*
  - *Philippus Dominus Lidekercæ & Bredæ duxit Sophiam de Gant, obiit 1324. sepultus Lidekercæ.*
    - *Adelisa Uxor Gerardi de Sottegem, Domini de Rassegem & Lens. sive Filia Gilberti pag. 743.*
      - *Joanna de Sottegem Domina Lidekercæ, Rassegem & Lens.*
        - *Arnoldus de Gavre duxit Margaritam de Bautersem Filiam Joannis Domini Bergizomensis sepultus Bruxellæ apud Minores. Fundavit Carmelitas Alosti.*
          - *Joannes Episcopus Cameracensis 1413. obiit 1438 sepultus Cameraci cum Fratribus 1. Philippo. 2. Henrico cæsis 1415. Azincurio.*
          - *Guillelmus Archidiaconus Leodiensis vixit 1445.*
          - *Margarita Domina Lidekercæ & Rassegemii. Uxor Joannis de Villain.*
          - *Gertrudis Uxor N. de Romejwal Domini de Lodick*
        - *Sibylla.*
  - *Raso Dominus de Brugelet & Herimez.*
    - *Gerardus Dominus Steinkercæ duxit Florentiam de Elselot, Dominam de Herchies.*
      - *(1) Arnoldus duxit Joannam de Sottegem.*
      - *Guilielmus Dominus Steinkercæ duxit Joannam de Berlo, Dominam de Fresia, obiit 1400 sepultus Camberonæ.*
        - *Godefridus Rinchaut de Gavre.*
          - *Godefridus Pater Jacobi de Gavre Equitis Velleris Aurei.*
    - *Raso Dominus de Brugelet & Herimez.*
      - *Joanna Uxor Joannis Lossensis Domini de Agimont.*

CAPUT

(1) ISTE Arnoldus non potest esse Frater Guilielmi Domini Steinkercæ; quia tempus repugnat.

CAPUT CCVIII.

JOANNES DE AVENIS *Hannoniæ Comes confirmat Privilegia & jura Parochialia Ecclesiæ S. Joannis Valencenis Canonicorum Regularium anno 1287. ejusque Abbatem suum Cappellanum vocat.*

Correctum juxta Historiam Valencenens. P. d'Outreman.

JOANNES de Avesnis Comes Hannoniæ, notitiam veritatis cum salute. Fidelis interest Principis Ecclesiarum negotia piâ fide, favorabilique obsequio jugiter promovere &c.

PATEAT igitur universis, quod Nos antiquitatis argumento Comitem Hannoniæ, Comitissam, liberos, ac universam familiam eorumdem, domesticos etiam & familiares, & sibi servientes, & de pane aut beneficio eorum viventes, Ministeriales quoque in Curia, Feodatos scilicet, Dapiferos, Pincernas, Pistores, Camerarios, Portarios, Coquos, culcitrarum Portitores, Ballivos, Præpositos, & Receptores, & eorum officia gerentes, cum familia Ministerialium, Ballivorum, Præpositorum, & Receptorum, & eorum officia gerentium; Castellanos quoque, & XII. Hannoniæ Pares cum domesticis suis & familiaribus, & sibi servientibus, ac de pane, aut beneficio eorum viventibus, & Canonicos cum familia suâ, & omnes etiam totius Villæ Clericos, & Scholares, quâcumque occasione Scholas frequentent, cum de pane dictæ Ecclesiæ viventibus, Parochianos dictæ Ecclesiæ S. Joannis collegimus, experimentoque probabili, & experientiâ notabili, fideque oculatâ, & munimentis certis percepimus, quod Nos omnes & singuli præsentes & futuri infra metas, seu limites Villæ Valencenensis prædictæ existentes, tam de jure, quàm de consuetudinibus antiquis, approbatis, & legitimè præscriptis subsumus, & suberimus, & subesse debemus juri Parochiali, & Patronatui immediatè Ecclesiæ S. Joannis antedictæ.

BAPTISMUM quoque & sepulturam, & cetera quæ Parochianis sunt necessaria, ab eadem Ecclesia tenemur Ecclesiastica recipere Sacramenta.

DONATIONEM etiam Scholarum Valencenensium, sive collationem, & cetera jura Patronatûs, veluti Mater Ecclesia, & principalis, cum præmissis omnibus, & singulis ritè & canonicè obtinet & possidet.

SANE in prædicta Ecclesia tredecim Canonici fuerunt in obsequio divino specialiter instituti, quorum superior, videlicet Abbas, tanquam familiaris & domesticus, perpetuusque Capellanus noster, & Sacerdos, consilio Principis, sive Comitis Hannoniæ assistere poterit & debebit.

Nos igitur &c. sæpedictam Ecclesiam promovere, eidemque reverentiam exhibere, honorem, & gratiam cupientes &c.

Datum apud Valencenas anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, die 1287. Lunæ ante Festum BB. Apostolorum Philippi, & Jacobi.

Notatio de Comitibus Hannoniæ & Hollandiæ ex Familia Avesnensi, *suprà pag. 703. explicata.*

BUchardus Avesnensis, Jacobi Toparchæ Avesnensis & Amelinæ Guisiæ Filius, ex Margarita Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, genuit *Joannem* & *Balduinum* Avesnenses. Balduinus Belli-montis in Hannonia Dominus ex Felicitate de Coucy genuit *Joannem* & *Beatricem*, Henrici VII Imperatoris Matrem. Joannes Balduini Filius ex Agnete de Valentia genuit *Joannem* & *Balduinum*, qui juvenilibus annis obierunt.

JOANNAS Avesnensis, Buchardi & Margaritæ Filius, ex Aleide, Guilielmi Hollandiæ Comitis ac Cæsaris Sorore, genuit *Joannem* Hannoniæ Comitem, *Buchardum* Metensem, *Joannem* Cameracensem, *Guidonem* Ultrajectensem, Episcopos, *Florentium* Achaiæ & Moreæ Principem, jure Uxorio Isabellæ, Guilielmi Vilhardonii Filiæ. Ex quibus nata *Mathildis* de Hannonia Princeps Achaiæ & Moreæ, Uxor Ludovici de Burgundia, qui fuit Filius Roberti II. Ducis Burgundiæ & Agnetis Franciæ.

JOANNES Avesnensis, Hannoniæ & Hollandiæ Comes, ex Philippa Luxeburgica, Henrici Comitis Luxeburgensis & Margaritæ Barrensis Filia, genuit *Joannem* Crudelem, Comitem Ostrovandiæ, sine liberis defunctum, *Guilielmum* Hannoniæ & Hollandiæ Comitem, *Joannem* Belli-montis Dominum, *Henricum* Canonicum Cameracensem, *Margaritam* Roberto II. Artesiæ Comiti, *Isabellam* Radulfo Claromontano, Neslæ Domino, Franciæ Conestabili, *Alidem* Guilielmo Pembrocæ in Anglia Comiti, & *Mariam* Ludovico primo Duci Borbonio, nuptas.

GUILIELMUS I. Hannoniæ & Hollandiæ Comes cognomento Bonus anno 1305. duxit *Joannam* Philippi Francorum Regis Sororem: ex quibus nati *Joannes* & *Ludovicus*, qui pueri obierunt. *Guilielmus* II. Hannoniæ & Hollandiæ Comes, anno 1345. à Frisiis cæsus, non relictis liberis; *Margarita* Ludovico Bavaro Cæsari in schismato electo, *Joanna* Comiti Juliacensi, *Philippa* Eduardo III Angliæ Regi, nuptæ. & *Elisabetha* quæ cælebs obiit.

JOANNES de Hannonia, Guilielmi I. Comitis Frater Bellimontis in Hannonia, Tholæ Insulæ in Zelandia, Goudæ & Sconhoviæ in Hollandia Dominus. Monasterium Carmelitarum Sconhoviæ fundavit. Uxorem habuit Margaritam Suessionensem, Hugonis Comitis Suessionensis ac Domini Chimacensis Filiam: & anno 1338. obiit, sepultus Valentianis apud Franciscanos.

Joannes

- *Joannes de Hannonia, Dominus Bellimontis, Goude, Thelæ, Sconhoviæ, duxit Margaritam Filiam heredem Hugonis Comitis Suessionensis, obiit 1338.*
  - *Joanna heres, Uxor Ludovici de Chastillon Comitis Blesensis & Domini Avesnensis.*
    - *Ludovicus Comes obiit 1372. cælebs.*
    - *Joannes Comes Blesensis, Suessionensis, Dominus Avesnensis, duxit Margaritam Gelrensem, obiit sine liberis 1381. sepultus juxta avum.*
      - *Joannes de Blois, Dominus de Trelon duxit Sophiam de Arckel.*
        - *Joannes Dominus de Trelon, Pater Adriani.*
      - *Guido de Blois sepultus Tholæ.*
        - *Liberi plurimi.*
    - **Guido Comes ut suprà. duxit Margaritam Namurcensem, obiit 1397.*
      - *Ludovicus obiit ante Patrem sine liberis 1391.*

* Guido Fratrum suorum Ludovici & Joannis heres, adeoque Comes Suessionensis & Blesensis, Dominus de Avesnes, Chimay, Beaumont, Landrecies, Dargies, Nouvion, Sconhove & Goude, duxit Mariam Guilielmi I. Comitis Namurcensis & Catharinæ Sabaudæ Filiam: ex qua unicum genuit Filium Ludovicum anno 1391. sine liberis defunctum.

Idem Guido prole carens Comitatum Blesensem & Dunensem Ludovico Duci Aurelianensi, Caroli Galliæ Regis Fratri, vendidit, ac demùm anno 1397. vivere desiit, Valentianis juxta Avum apud Franciscanos sepultus. Guidonis Capellanus fuit Joannes Froissardus, Chronicorum Scriptor celebris, Canonicus Insulensis & Chimacensis: ut ipse lib. 4. cap. 51 testatur.

Defuncto sine liberis Guidone, dominia de Beaumont, Beaufort, Sconhove & Goude cesserunt *Alberto* Bavaro Hannoniæ & Hollandiæ Comiti.

Dominia de Avesnes & Landrecies in Hannonia, & de Nouvion in Thierascia obtinuit *Joannes* de Blois, Caroli de Chastillon Britanniæ Ducis Filius, cujus posteritatem Quercetanus lib. 5. in Historia Genealogica illius Gentis describit.

Chimacum sibi vindicavit Dominus de Moreul ex Familia Suessionensi, qui illud Hannoniæ Oppidum postea vendidit Joanni de Croy.

CAPUT CCIX.

ARNOLDUS *Comes Lossensis ejusque Uxor* MARGARETA *dotant Hassletense Monasterium Eremitarum S. Augustini, anno* 1296.

Integrè positum ex Historia Lossensi.

UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis, (1) ARNOLDUS Comes Lossensis, salutem & cognoscere veritatem. Noveritis quòd Nos, de consensu & voluntate expressa Dominæ Margaretæ Uxoris nostræ carissimæ, ob salutem & remedium animarum nostrarum, & purè propter Deum, Priorem & Conventum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini, unà cum fundo seu loco, in quo morantur in Oppido nostro de Hasselt, ac ædificiis in eodem loco seu fundo constructis & Deo dicatis, necnon instituendis in futurum, à solutione censûs in quo idem locus ratione fundi in Curia nostra jurisdictionis inferioris de Hasselt, Nobis singulis annis tenebatur, ex nunc & in perpetuum hereditario jure, ex gratia speciali absolvimus, quittamus & quittos clamamus per præsentes; mandantes attentè nostris Justitiariis, ac aliis Nobis subditis mandatum ex parte nostra habentibus, ne contra præmissa per se vel per alios quidquam attentaverint in futurum, quod sit contra piam nostram intentionem, & gratiam à Nobis præmissis concessam.

IN cujus rei testimonium Nos Arnoldus Comes prædictus, pro Nobis & nomine Uxoris nostræ prædictæ, Sigillo tradimus sigillatas anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo 1296
sexto, in crastino Beati Gregorii Papæ & Doctoris.

(1) ARNOLDUS Comes Lossensis & Uxor ejus *Margareta*, cum consensu Filiorum Ludovici & Arnoldi, anno 1304 dicto Monasterio Hassletensi aliquot modios siliginis super molendino de Hasselt in eleemosynam assignarunt.

Idem Comes Arnoldus pro remedio animæ suæ, & animæ Margaretæ quondam Uxoris suæ, anno 1321. statuit unam Capellaniam seu Altare in eodem Monasterio in honorem S. Huberti, assignatis certis censibus: ut ex illius loci documentis didici.

Comitatum porrò Lossensem Episcopus Leodicensis, & Comitatum de Chiny hodie Rex Hispan. possident.

- *Joannes Comes Lossensis & Chiniacensis, Arnulfi Filius, suprà pag. 701.*
  - *Arnoldus Comes Lossensis & Chiniacensis, 1296. 1321. duxit Margaritam.*
    - *Ludovicus Comes Lossensis & Chiniacensis duxit Joannam, obiit 1336.*
      - *Margarita Uxor Joannis, Ducis Lotharingiæ, sine liberis.*
    - *Arnoldus.*
    - *Maria Uxor Godefridi Domini Heinsbergæ.* *
  - *Theodericus Dominus Heinsbergæ per Uxorem supr. pag. 280.*
    - * *Godardus alias Godefridus Dominus Heinsbergæ duxit Mariam Lossensem.*
      - *Theodericus Comes Lossensis duxit N. Marcanam, obiit 1361. sine liberis.*
      - *Joannes Dominus Heinsbergæ, Dalembrouck &c.*
        - *Joannes Dominus ut suprà.*
          - *Guilielmus Dominus ut suprà.*
            - *Guilielmus Comes Blanckenhemii obiit sine liberis.*
          - *Joannes Episcopus Leodiensis, obiit 1430.*
          - *Joanna.*
      - *N. Uxor Arnoldi Domini de Rummis.*
  - *Joannes Dominus de Agimont, obiit 1310.*
    - *Joannes Dominus de Agimont, & Walhain, 1312. 1339.*
      - *Joannes Dominus ut suprà.*

CAPUT CCX.

JOANNES III. *Brabantiæ Dux concedit* JOANNI DE BUSCO *Eremitæ habitationem in Viridi Valle, anno* 1304; *è qua Eremo ortus fuit paulò post Prioratus Canonicorum Regularium in Sylva Soniæ.*

NOs JOANNES Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgiæ, notum facimus universis, quòd nos *Joanni de Buschо* Eremitæ, Domum nostram sitam in nostro nemore Zoniæ, in loco dicto *Groenendael*, & fossatum, quòd hactenus de licentia nostra ibidem fecit, cum spatio intra fossatum dictum contento, tenendam, quamdiu vixerit, conferimus.

Ita ut si eum alibi transferri vel mori contingat, ex tunc in posterum alter Religiosus ad serviendum ibi Deo perpetuis temporibus morabitur.

DATUM die veneris post Assumptionem Virginis Mariæ, M. CCC. IV. 1304

CAPUT CCXI.

Idem JOANNES *Brabantiæ Dux, Plebcis Magistratibus amotis, Patritios Bruxellenses pristino statui restituit, anno* 1306.

JOANNES Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi.... Ob graves discordias, quæ inter Patritias Familias nostræ Urbis Bruxellensis (quarum hæc sunt nomina, *Ser-hughes, Swerts, Leeus, Rodenbeke, Ser-Roelofs, Uten-Steenweghe* & *Coudenberge*) ac plebeios ejusdem Urbis aliquamdiu fuerunt, quasque nostro arbitrio componendas compromiserunt, Nos re maturiùs expensâ sancimus, ne plebs ullo unquam tempore ad Reipublicæ gubernacula admittatur.

PATRITIIS prædictarum VII. Familiarum immunitates ac privilegia, quæ Patris, Avi & Proavorum nostrorum temporibus ipsi atque eorum Majores habuerunt, restituimus.

SANCIMUS præterea, ut singulis annis octiduo ante Natalem S. Joannis Baptistæ ex septem Patritiorum Familiis septem Scabini deligantur..... Rogamusque Principes & Barones nostros, ut præsenti Chartæ sua Sigilla appendant. Et nos

Gerardus Comes Juliacensis,
Arnoldus Comes de Los & Chiny,
Joannes Dominus de Cuyck,
Florentius Bertout Dominus de Berlaer,
Raso Dominus de Lidekercke & Breda,
Gerardus Dominus de Diest,
Gerardus de Wesemale Dominus Bergarum ad Zomam & Woude,
Gerardus Dominus de Rotselare,
Arnoldus Dominus de Wesemale, Marscallus Brabantiæ,
Otto de Cuyck Dominus de Zalem,
Joannes de Lovanio Dominus de Herstal,
Ægidius Bertout Dominus Mechliniæ,

Daniel de Bochout,
Henricus de Wange Senescallus Brabantiæ,
Iwanus de Meldert,
Walterus de Wineghem, Sigilla nostra cum Domini Ducis Sigillo huic Chartæ affiximus.

DATUM anno millesimo tricentesimo sexto, mense Junio. 1306.

CAPUT CCXII.

THEOBALDUS DE BARRO *Leodiensis Episcopus anno* 1310. *instituit Canonicorum Collegium in Ecclesia S. Gertrudis in Gertrudimontio, petente ac Fundatrice Margaretâ Abbatissâ Thorensi.*

UNIVERSIS THEOBALDUS Leodiensis Episcopus salutem. Supplicavit Nobis *Margareta* Abbatissa Ecclesiæ Thorensis, nostræ Diœcesis, ut cum Ecclesia Parochialis *Montis S. Gertrudis*, ejusdem Diœcesis, quæ ad ipsius Abbatissæ præsentationem dignoscitur pertinere, abundet proventibus annuis, in tantum quod de ipsis octo personæ cum Investito ipsius Ecclesiæ possint commodè sustentari, quod nos eandem Ecclesiam erigeremus in Collegiatam.

NOS autem ad honorem Dei & B. Gertrudis Virginis (cujus veneratio agitur in dicta Ecclesia) piæ supplicationi dictæ Abbatissæ duximus annuendum; erigentes Ecclesiam ipsam Montis S. Gertrudis in Collegiatam, ac statuentes quod in ea sint octo Canonici, ex quibus unus sit Decanus, unus Scholasticus; & unus Custos: quorum Canonicatuum collatio ad Abbatissam dictæ Ecclesiæ Thorensis pertinebit.

ET si contigerit proventus dictæ Ecclesiæ processu temporis augeri, concedimus numerum usque ad XII. Canonicos augmentari.

Datum millesimo trecentesimo decimo, in Vigilia B. Laurentii. 1310.

ET convenient singulis diebus in Capitulo dictæ Ecclesiæ omnes Canonici, Sacerdotes, & Capellani post primam celebratam, audituri ibidem legi Regulam D. Augustini, & anniversaria pronuntiari, dicturi *Miserere mei* pro animabus benefactorum; & *Collectam* pro prædicta Margareta Fundatrice eorum. Et addent consensus Sigillaque sua Gerardus de Nassou, Archidiaconus Campiniæ, Arnoldus de Blanckenheym, Præpositus, Joannes Decanus, Archidiaconi, totumque Capitulum Leodiensis majoris Ecclesiæ, & ultimo Wilhelmus de Horne, Investitus Ecclesiæ de Monte S. Gertrudis.

CAPUT CCXIII.

CAROLUS IV. *cognomento* PULCHER, *Rex Galliæ disponit de Comitatu Flandriæ in favorem Roberti Casletani, anno* 1322.

CAROLUS Dei gratiâ Francorum & Navarræ Rex, notum facimus, quòd cùm *Robertus* de Flandria, Miles, Filius defuncti Roberti quondam Comitis Flandriæ, tanquam proximior & unicus superstes ejus Filius, ut dicebat, diceret se esse saisitum per consuetudinem patriæ notoriam, quâ dicitur, quod mortuus saisit vivum, de Comitatu & Patria Flandriæ.... ex una parte, & *Matthæus* de Lotharingia, Miles, nomine & ratione *Mathildis* Uxoris suæ, Dominæ de Florenges, Filiæ dicti Comitis, & ipsa Domina pro se: dicentes dictam Dominam esse proximiorem in successione dicti Comitis; ex eo, quia Filia dicti Comitis, & quia dictus Robertus, & Joanna Domina de S. Gobano, Soror ipsius, renuntiaverunt omni juri successionis dicti Comitis Nivernensis, Filii primogeniti defuncti Comitis Flandriæ.... Domina verò de S. Gobano, Filia dicti defuncti Comitis Flandriæ.....

Datum anno millesimo trecentesimo vicesimo secundo. 1322.

CAPUT CCXIV.

JOANNES III. *Brabantiæ Dux fundat ac dotat Prioratum Viridis Vallis Canonicorum Regularium, in Sylva Soniæ, apud Bruxellas, anno* 1343.

Ita habet Sanderus in Brabantiæ Descript.

JOANNES Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ, ac Limburgiæ Dux, Sacrique Imperii Marchio: universis ad quos præsentes Litteræ pervenerint, salutem in eo qui est omnium salus.....

NOVERINT igitur universi, tam præsentes quam futuri, quod pro Nobis, nostrisque Heredibus & Successoribus intuitu Dei, nec non pro salute animarum nostrorum Prædecessorum, dilectæque collateralis nostræ piæ memoriæ, ac etiam pro salute nostra, Heredum, ac Successo-

rum nostrorum, conferimus ac donamus in perpetuum dilecto Nobis in Christo Domino Franconi de Frigido-Monte Presbytero, quendam locum dictum *Groenendael*, olim per Prædecessores nostros pro quâdam eremo ibidem construendâ traditum & concessum, situm in nostro nemore de Zonia, in Parochia de *Hoelaert*, cum magno vivario ibidem adjacente: tali conditione, quod idem locus cum clausura & pertinentiis suis sit & maneat in futurum habitatio quinque Virorum Religiosorum ad minus, divina officia ibidem ad laudem & gloriam & honorem Omnipotentis Dei, & Gloriosæ Virginis Mariæ ejusdem Genitricis, omniumque Sanctorum, & Electorum suorum celebrantium, & exercentium.

De quibus duo ad minus erunt & esse tenentur Presbyteri, viventes religiosè. Et ut hæc nostra concessio in perpetuum firma permaneat & inconcussa, præsentem Chartam per appensionem Sigilli nostri fecimus communiri.

Datum Bruxellis feriâ quartâ in Festis Paschalibus, anno Domini millesimo trecentesimo 1343.
quadragesimo tertio.

CAPUT CCXV.

Carolus IV. *Imperator concedit Privilegia* Joanni de Arckel *Episcopo Ultrajectensi*, *anno* 1349.

Carolus Dei gratiâ Romanorum Rex, semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

Etsi Regiæ dignitatis circumspecta benignitas universorum saluti teneatur intendere, illorum tamen indemnitati speciali quodam favore dignanter occurrit, qui Divini Numinis laudibus deputati, pro salute Christiani populi creatorem omnium continuatis precibus deprecantur.

Sane attendentes præclaræ devotionis insignia Venerabilis Trajectensis Episcopi, Principis ac & devoti nostri dilecti, quibus idem adinstar felicis recordationis Prædecessorum ipsius, Nos ad Sacrum Romanum Imperium hactenus devoto studio frequentiùs honoravit, ad ipsius & Ecclesiæ suæ Trajectensis utilitates, honores, & commoda tantò diligentiùs, tantâque majoris gratiæ ubertate prorsus intendimus, quantò ipsum inter alios Sacri Imperii Principes majoris fidei & constantiæ puritate præditum experimur.

Ea propter sibi, nec non universis Successoribus suis Episcopis Trajectensibus devotis nostris dilectis infra-scriptas libertates & gratias de speciali nostræ Majestatis favore liberaliter erogamus.

In primis videlicet, quod supradictus Episcopus & Successores sui in perpetuum possessiones bona & jura quæcunque, quas, vel quæ ipsi ad se vel Ecclesias asserunt pertinere (si super eisdem ipsis quæstio aut controversia aliqua moveatur) Episcopus, qui pro tempore fuerit, cum septem Prælatis aut Canonicis Ecclesiarum suarum Trajectensium, easdem possessiones bona & jura propriis juramentis valeat obtinere, secundùm quod sui Prædecessores per consuetudinem hactenus introduxerunt; & sicut hoc est pro præteritis temporibus observatum.

Item quia infra territorium Mensæ Episcopalis Trajectensis hujusmodi corruptela surrexit, quæ pro consuetudine obtinetur ibidem, videlicet, quod quicunque homicidium ibi perpetravit, Episcopus eum punire non possit, nisi ad requisitionem & instantiam Parentum, & Consanguineorum occisi: qui Parentes & Consanguinei aliquando propter potentiam homicidæ, aliquando propter negligentiam aut favorem seu collusionem, sive ex aliis causis frivolis exquisitis, occisi injuriam prosequi prætermittunt; pro consuetudine etiam abutentes, ut nullus occisi etiam injuriam prosequatur, nisi coram Episcopo Trajectensi corpus occisi præsentetur, quod corpus quandoque rapitur vel occultatur; & sic plerumque maleficia tam enormia remanent impunita, atque per consequens frequenter occasio nascitur similia perpetrandi.

Quapropter consuetudinem hujusmodi minùs justam, immò corruptelam potiùs, juri contrariam & iniquam, de Regalis auctoritate nostræ excellentiâ, penitus abolentes, ipsi Episcopo & suis Successoribus sub districta Imperiali offensa præcipimus & mandamus, quatenus non obstante consuetudine seu corruptelâ prædictâ, de homicidiis quibuslibet in eorum Mensæ territoriis jam ante perpetratis, aut postea perpetrandis, justitiam faciant expeditam.

Etiamsi Parentes aut Consanguinei occisorum causâ, vel occasione quâcunque occisi injuriam prosequi negligant vel postponant, aut si occisi Parentes vel Consanguinei, corpus ipsius occisi coram Episcopo Trajectensi non præsentaverint, aut fortasse noluerint præsentare; præsentium sub nostræ Majestatis Sigilli testimonio Literarum.

Datum Coloniæ anno Domini millesimo 1349.
tricentesimo quadragesimo nono, Indictione secundâ decimâ septimâ Kalendis Septembris, Regnorum nostrorum Romani anno quarto, Bohemiæ verò tertio.

CAPUT CCXVI.

Elenchus Virorum Nobilium ad Comitia Cortebergenſia circa annum 1350. evocatorum.

Walterus de Berchem,
Florentius de Bigarden,
Joannes de Hamme,
Daniel de Craynhem,
Ægidius vander Tomme Ægidii Filius,
Ægidius vander Tomme Guilielmi Filius,
Joannes de Holeghem,
Daniël van Liere,
Walterus van Seebroeck,
Joannes van Marſelaer,
Otto de Eppeghem,
Philippus van Wavere,
Joannes van Wavere,
Henricus de Quaderebbe,
Joannes de Suivegem,
Joannes vander Meeren,
Henricus vander Heyden,
Henricus de Roſires,
Godefridus van den Broecke,
Balduinus de Rixiſſard,
Henricus de Waelhem,
Joannes Pilyſer,
Florentius de Stalle,
Henricus de Stalle,
Henricus Happart,
Joannes de Craynhem,
Gerardus Dominus de Vorſlar,
Daniël de Bouchout,
Joannes de Walicourt Mareſcallus Hannoniæ,
N. Dominus de Cuyc,
Gerardus de Rode,
Joannes Dominus de Agimont & Waelhem,
N. Dominus de Duffle & Gele,
Theodoricus de Hornes,
Guilielmus de Herlar,
Henricus Eſtor,
Arnoldus de Orle Dominus de Rummene,
N. Comes Loſſenſis,
Ludovicus van Diepenbeke,
Joannes Dominus de Wittham,
N. Dominus de Ooſterhout,
N. Dominus de Blaeſvelt,
Joannes de Meldert,
N. Dominus de Gasbeke,
Henricus van Bouterſem,
Gerardus vander Heyden,
Jacobus de Glimes, 1358.
Joannes de Schoonhoven,
Walterus de Huldenberghe,
Joannes de Polanen Dominus vander Lecke,
Joannes de Sombref junior,
Simon de Orbais.

CAPUT CCXVII.

Carolus IV. *Imperator confirmat Dominium Boxtellenſe in Campinia Theoderico de Merheym, anno* 1356.

Carolus IV. Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex, Nobilibus, *Theodorico* de Merheym Militi, & Mariæ de Bucſtele, Conjugibus, Sacri Imperii Fidelibus, gratiam ſuam & omne bonum.

Attendentes fidelitatis obſequia, quæ veſtri Progenitores Sacro Romano Imperio hactenus impenderunt, omnia & ſingula feuda, quæ quondam Nobilis *Willelmus* de Bucſtele, tui Mariæ prædictæ Frater germanus, à Nobis & ab Imperio, dum viveret, obtinebat, Tibi Mariæ, tamquam heredi eorumdem feudorum, & Tibi Theodorico ejus Marito conferimus. Teſtes hujus rei ſunt,

Sereniſſimus Kaſemirus Poloniæ Rex,
Arneſtus Archiepiſcopus Pragenſis,
Joannes Olomucenſis,
Theodricus Mindenſis, &
Henricus Lubucenſis, Epiſcopi,
Illuſtres, Bolko Suidincenſis &
Bolko Falkenbergenſis, Duces.

Datum Pragæ milleſimo trecenteſimo 1356
quinquageſimo ſexto, Indictione nonâ die vigeſimâ nonâ Aprilis, Regnorum noſtrorum anno decimo.

CAPUT

CAPUT CCXVIII.

JOANNES SERCLAES, *tunc Canonicus, pòst Episcopus Cameracensis, Frater Everardi Viri Nobilis (à quo Comes de Tilly Stirpem trahit) anno* 1377. *fundat Domum Scholarium in Urbe Bruxellensi.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti amen. Ego *Joannes* Serclaes, Cameracensis ac Bruxellensis Canonicus, Archidiaconus in Hannonia, cupiens de bonis mihi largiter à Deo collatis opus aliquod agere, per quod suæ Divinæ Majestati gratum obsequium, Ecclesiæ & Reipublicæ, disciplinæque Scholasticæ utile præstare possim augmentum, post varias considerationes habui specialem devotionem ad opus pium, & ut spero fructuosum faciendum, videlicet unam Domum pauperum puerorum Scholarium, qui in aliis locis *Boni Pueri*, & vulgariter *Bons enfans* nuncupantur: quod
* Secretarius Bruxellæ 1358. opus dudum bonæ memoriæ Dominus * *Petrus* de Hussle, Capellanus in Ecclesia Bruxellensi, in sua ultima voluntate de suis bonis fieri voluit, sed jamdiu, quia bona non sufficiebant, imperfectum & quasi derelictum remansit; addendo de facultatibus meis in tantum, quòd unà cum bonis dicti Domini Petri ad hoc relictis, dictum opus perduci poterit ad effectum.

IGITUR ad opus Fundationis contuli & donavi Domum meam extra portam B. Gudilæ Bruxellensis sitam, in Vico vocato vulgariter *Scharenbekestrate*, cum suis pertinentiis, ornamentis, libris, supellectilibus & aliis bonis quibuscumque, sicut eam ibidem ornavi & disposui pro ipsorum Scholarium habitatione; nec non reditus annuos sexdecim modiorum cum dimidio siliginis, & centum Florenorum de Florentia pro ipsorum victu & sustentatione: ordinans quòd in dicta Domo sint duodecim pueri pauperes Scholares, ætatis inter novem & decem & octo annos; qui habere debent unum Magistrum principalem Domûs, & unum Pœdagogum juvenem, aptos & litteratos, qui curam Domûs & Scholarium gerant diligenter.

ROGANS dilectum Fratrem meum Dominum *Everardum* Serclaes, quatenus in signum approbationis Sigillum suum unà cum meo præsentibus appendat.

DATUM Bruxellæ anno millesimo tricentesimo septuagesimo septimo, die decimâ Octobris. 1377.

CAPUT CCXIX.

CAROLUS DE IMMERSELE *Dominus de Hameide emit Ictegemium in Agro Lirano, anno* 1380.

MACHTILDIS Dei gratiâ Ducissa Gelriæ, Comitissa de Blois & Zutphen, & Domina terræ Mechliniensis, cunctis notum facimus, quòd Nos vendidimus *Carolo* de Immersele Domino de Hameide, & *Margaretæ* de Meldert ejus Conjugi, Villam nostram de *Ietegbem*, cum omnibus appenditiis suis. Et dictus Carolus tamquam homo ligius de eo Nobis præstitit juramentum fidelitatis, in præsentia nostrorum Hominum feudalium, Joannis de Immersele Militis, Filii Godefridi de Immersele, Rumoldi Bauwe, Henrici de Mechlinia, & aliorum.

Et ad majorem firmitatem, rogavimus Cognatam nostram Ducissam Luxemburgi & Brabantiæ (à qua dictum Pagum de Ietegem & terram nostram Mechliniensem in feudum tenemus) in præsentia suorum Hominum feudalium, Joannis Domini de Bouchout, Burgravii Bruxellensis, Joannis Domini de Bornival, Joannis de Callere, Militis, & Constantini de Ranst Scutiferi, ut dictam venditionem ratificare dignaretur.

ET Nos JOANNA Dei gratiâ Ducissa Luxemburgi, Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi, Marchionissa S. Imperii, ad instantiam nostræ Cognatæ Dominæ Machtildis, dictam venditionem ratificavimus & ratificamus.

ACTUM anno millesimo trecentesimo octuagesimo, die decimâ Martii, stilo Curiæ Cameracensis. 1380.

CAPUT

CAPUT CCXX.

JOANNES *Episcopus Cameracensis, concedit Gasebecæ in Agro Bruxellensi Jus Parochiæ, anno* 1382. *ad instantiam Suederi de Abcoude, loci hujus Toparchæ.*

JOANNES Episcopus Cameracensis notum facimus universis, quòd licet aliàs de Capella & duabus Capellaniis in Villa de Gasebeke sitis Ecclesiam ereximus Parochialem, eam extrahendo ab Ecclesia Parochiali S. Quintini de Lenniaco, consensu Capituli Ecclesiæ B. Gertrudis Nivellensis (cui ratione Juris Patronatûs, quoad præsentationem, dignoscitur subesse) interveniente, intentionis tamen nostræ non fuit, dicto Capitulo in aliquo jure eorum præjudicare.

1382. DATUM anno millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, die VIII. Septembris.

VENERABILIBUS Dominis Decano & Capitulo Ecclesiæ B. Gertrudis Nivellensis, Diœcesis Leodiensis, Swederus de *Apcoude* Baro, Dominus de Gasebeke, Putte & Striene salutem. Cùm Nos de Capella quondam B. Mariæ in nostra Villa de Gasebeke Ecclesiam Parochialem per Cameracensem Episcopum, loci Ordinarium, erigi, fundari & confirmari procuravimus, vestro Dominorum consensu & voluntate intervenientibus, præsentationi primi Presbyteri Parochialis ibidem instituendi mihi consensistis.

DATUM anno millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, die XXVIII. Aprilis. 1382.

- *Suederus Dominus de Abcoude & Wyck te Durstede duxit Mabiliam Filiam Joannis de Arkel, obiit 1347. sepultus in Wyck.*
  - *Gisbertus Dominus ut suprà. Canonicos X. 1361. in Wyck fundavit. duxit Joannam de Hernes; emit Gasbecam, obiit 1376. sepultus in Wyck.*
    - *Guilielmus Dominus ut suprà, duxit Mariam Dominum de Walecourt prope Bruxellam. obiit 1407. sepultus in Wyck apud Dominicanas quas fundarat, ut & Cartusiam Ultrajecti, 1392.*
      - *Joannes, Gisbertus & Maria obierunt cælibes.*
      - *Joanna Uxor Joannis Domini Brederodæ. post Dominicana in Wyck, obiit 1411.*
    - *Suederus de Abconde Dominus Gasbecæ, 1363. 1382. duxit Annam Filiam Comitis Lignæ, obiit 1400.*
      - *Jacobus 1415. Dominus de Abcoude, Gasbeke, Wyck, Putte. Stryen, duxit Joannam de Ligne, 2. Margaritam de Schonvorst, obiit 1459.*
        - *Ex 1. Antonius, obiit cælebs 1429.*
      - *Jolenta Uxor Huberti Domini de Culenburg.*
  - *Mabilia.*

JAcobus Dominus de Abcoude, Gasbeke, Putte. Stryen & Wyck te Durstede in Diœcesi Ultrajectina, fœdus inter Brabantos & Limburgenses anno 1415. initum

Pag. 315. signavit. Vocatur ibidem Marescallus hereditarius Hannoniæ & Dominus de Walecourt in Agro Anderlechiensi prope Bruxellam: de quo Vico ejusque Toparchis suprà pag. 711. & 738. egimus. Idem Jacobus Abcoudam & Dorestatum Rodolfo Ultrajectensi Episcopo vendidit.

Hæc ex veteri Codice Ms. hausimus.

CAPUT CCXXI.

JOANNES *Dominus Bredæ & Leckæ fundat Præbendam in Ecclesia B. Mariæ Bredæ anno* 1388. *&* JOANNES *de Polanen &* HENRICUS *de Lecka aliis Ecclesiis benefaciunt.*

UNIVERSIS JOANNES Dominus de Lecka & Breda salutem. Cupientes divinum Cultum adaugere; Capellaniam seu Præbendam de bonis propriis de novo creamus, fundamus & dotamus, in hunc modum; quòd ejusdem Capellaniæ collationem Nobis & nostris Successoribus Dominis de Breda perpetuò reservamus.

INSUPER ille, qui continget de præfata Capellania provideri, sit sub tutela Decani & Capituli Ecclesiæ B. Mariæ in Breda; Verumtamen tenebitur Nobis & Successoribus nostris singulis diebus Missam celebrare in Castro nostro de Breda, seu in Capella nostra Choro Capituli contigua. Assignamus autem ad dotem decimas nostras de *Sprangbe* prope *Besoyen*; easdem

per

per præsentes amortizantes, ac eisdem exfestucando renuntiantes in perpetuum.

1388. ACTUM M. CCC. LXXXVIII. Maii die VI.

PATEAT universis, quòd Nos (1) *Joannes* de Polanen, Miles, Dominus de Lecka, cum quibusdam aliis Parochianis de *Velzen*, ad Capellaniam in Altari B. Mariæ & B. Petri in dicta Ecclesia de *Velzen* fundandam, damus sex jurnalia in *Poeldyc*, & agrum unum...

1347. DATUM M. CCC. XLVII. feriâ quartâ post Octavam Pentecostes.

VENERABILI Viro Domino Archidiacono Campaniæ in Ecclesia Leodiensi, *Henricus de Lecka* Miles, Tutor Domicellæ *Joannæ* Dominæ temporalis Dominiorum de Lecka, Breda & Oosterhout. Dudum recolendæ memoriæ *Wilhelmus* Dominus temporalis de Oosterhout, Consanguineus noster, in Ecclesia Parochiali de Oosterhout in honore B. Mariæ & SS. trium Magorum unum Altare dotavit; & antequam hujusmodi Altaris dotatio confirmaretur, idem Consanguineus noster ex hac luce est subtractus, dictaque Domicella Neptis nostra in Dominio de Oosterhout successit. Volentes igitur dicti Consanguinei nostri ordinationem piè inchoatam ad effectum deducere....

DATUM apud Castrum de Breda M. CCCC. II. Junii die XXII. 1402

(1) JOANNES, Dominus de Polanen & Leck, Joannis & Catharinæ Brederodiæ Filius, Philippi Nepos, duxit Mariam Brabantinam. Anno 1351. emit à Ioanne III. Brabantiæ Territorium Bredanum, sicut illud antea tenuerat Philippus Dominus Lidekercæ & Bredæ; & ut Bredæ Dominus *Joannes* Comitiis Cortebergensibus anno 1372. interfuit, ac demum anno 1377. vivere desiit. Filium reliquit *Joannem* de Lecka nuncupatum, Bredæ Dominum, cujus Filia *Joanna* nupsit Engelberto Comiti Nassavio.

CAPUT CCXXII.

EUGENIUS IV. *Pontifex, Canonicorum Collegium instituit Bergis ad Zomam in Ecclesia S. Gertrudis anno* 1442. *ad instantiam Domini Joannis de Glimes.*

EUGENIUS Episcopus, Servus Servorum Dei..... Dudum pro parte quondam *Joannis de Glimes*, Domini Opidi de *Bergis* supra Zomam, Leodiensis Diœcesis, felicis recordationis Martino Papæ V. Prædecessori nostro exposito, quòd in Opido ipso (ad quod magna de diversis mundi partibus anno quolibet, & potissimè in publicis, quæ binâ vice inibi habentur nundinis convenire populi consueverat multitudo) notabilis erat Parochialis Ecclesia, in qua præter ipsius Personatum ac perpetuam, cui Parochianorum ibidem animarum cura incumbebat, Vicariam, nonnulla sine cura Altaria fore noscebantur, fuerantque aliàs per quondam *Henricum* de Boutershem, Dominum dicti Opidi, nonnulli reditus annui deputati; ac ipse *Joannes* plerosque pro quotidianis distributionibus; nec non *Wito* Joannis Toluers pro una, ac *David* Rock, Opidani dicti Opidi, pro alia, inibi instituendis Præbendis, annuos reditus assignarunt; idemque Joannes jus Patronatûs Ecclesiæ de *Hilderniffe* dictæ Diœcesis, ad hoc donare proponebat; nec non de octo per ipsum *Joannem*, sive quondam *Joannam* ejus Conthoralem, ad id eligendis ex dictis Altaribus, nec non de ipsorum, ac per suppressionem Personatûs ejusdem, etiam de illius proventibus, Decanatus & octo aliæ pro totidem Canonicis Præbendæ fierent & dotarentur; quodque Abbatissæ & Capituli S. Gertrudis Nivellensis (ad quos Personatûs collatio pertinebat) accedebat consensus: dictus Prædecessor noster Episcopo Cameracensi dedit in mandatis, ut....

CUM autem, sicut exhibita Nobis Nobilis Viri *Joannis* de Glimes, moderni dicti Opidi Domini, ipsorum quondam Joannis & Joannæ nati petitio continebat, ad ipsarum executionem Litterarum sit processum, Nos....

DATUM Florentiæ M. CCCC. XLII. Kal. Julii, Pontificatûs nostri anno XII. 1442

CAPUT CCXXIII.

FREDERICUS III. *Imperator, Jacobum de Hornes, ejusque heredes Comitis titulo donat anno* 1450.

NOS FREDERICUS Dei gratiâ Rex Romanorum considerantes servitia quæ Vir Nobilis *Jacobus* de Hornes & sui Prædecessores Nobis & Sacro Imperio præstiterunt, creamus dictum Jacobum & ejus liberos legitimos, tam masculos quàm feminas, Comites & Comitissas Sacri Imperii....

Hornes. DATUM in Neustat, die Veneris post Festum S. Thomæ Apostoli, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo. 1450.

CAPUT CCXXIV.

JOANNES *Dominus de VVesemale, prole legitimâ carens, Carolum Comitem Carolesii, Philippi Boni Burgundiæ Ducis Filium, heredem instituit anno* 1462.

NOBILIS & potens JOANNES Dominus temporalis de Wesemale, de Phaleis & terræ Mechliniensis, Marescalcus Hereditarius in Patria Brabantiæ, suum Testamentum condidit modis hîc sequentibus.

Vult quòd Domicella *Joanna*, Uxor Petri de Huldenberghe, ejus Filia naturalis, de sepultura sua & expensis funeralium suorum habeat dispositionem omnimodam.

Idem Testator Domino *Carolo* de Burgundia, unigenito Filio Domini Ducis Burgundiæ & Brabantiæ, Comiti de Charlois, quingentos Florenos Rhenenses hereditariè legavit.

Idem legavit eidem Illustri Carolo Dominium & terram de *Wesemale* cum singulis suis dependentiis, nemora & Curtem dictam *Fleron* sitam juxta Hoium, & Advocatiam de Duffle, cum molendino de Wesemale.

IDEM legavit *Joannæ* Filiæ suæ naturali supradictæ omnia & singula mobilia bona sua in quibuscumque rebus consistentia, sive in auro, sive in argento; utensilibus, vaccis, equis, bobus, porcis, bladis & aliis, quomodocumque nuncupentur, existentibus tam in Castris de *Phaleis*, *Westerle*, *Anderstat*, & eorumdem Castrorum attinentiis & dependentiis reperiendis....

Acta fuerunt hæc Lovanii M. CCCC. LXII. Indictione X. die VI. Septembris, Domini Pii Papæ II. anno V. 1462.

CAPUT CCXXV.

HENRICUS *Dominus de Naeldwyck Hereditarius Hollandiæ Mareschallus fundat anno* 1485. *Prioratum B. Mariæ in Bethleem, Religiosorum Ordinis Cisterciensis, vulgò* Waeteringiam, *juxta Hagam Comitis in Hollandia; approbantibus* Davide à Burgundia *Episcopo Ultrajectensi*, Joanne *Abbate Generali Cistercii, &* Henrico *Abbate Campensi.*

Integrè positum ex Historia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis per Jongelin.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Attestante Divo Augustino, Majores nostri, quia decimas & primitias dabant & Cæsari censum, omnibus abundabant copiis.

NUNC verò quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci, & quod non capit Christus, tollit fiscus.

UNDE Malachias: In fame & penuria maledicti estis, quia parte meâ defraudastis, & nihil in meos Thesauros, sed in vestra horrea deportastis.

HINC si fames, & penuria rerum omnium quandoque mundum opprimant, si non tantas pluvias vel nimias cataractæ cœli effundant, sciamus hoc ex ira Dei descendere, qui se in pauperibus, si non accipiant eleëmosynam, fraudari loquitur.

NOS igitur HENRICUS Dominus de (1). aeldewyck, & de Ca ella, Miles, hereditarius Marscalcus Hollandiæ, & Mathildis de Raephorst Domina de *Naeldewyck*, revolventes in primis possessionum nostrarum ubertatem, & ante omnia divinæ pietatis beneficia, quæ non propter nostra merita, sed ex sua largiflua bonitate & sua gratia largâ manu effundit abundè, horum beneficiorum non immemores, noctes sæpè & iterùm duximus insomnes, otioque meditandi Nos contulimus, & ne fraudetur Christus parte suâ, certa prædia, sive possessiones pro fundatione Conventûs Ordinis Cistertiensis fœlici commercio terrenarum in cœlestia, transitoria in æterna commutare, Deo disponente intra cordis secreta concepimus, & firmiter conclusimus.

AD rem igitur præconceptam accedentes, ad honorem Dei & Domini nostri Jesu Christi & gloriosæ Virginis & Matris Mariæ & totius Curiæ cœlestis, ac pro Divini cultûs augmento, nostrarumque & Progenitorum animarum salute, ordinariâ auctoritate ad id accedente, animo & intentione fundandi & erigendi Conventum appellandum *Beatæ Mariæ in Bethleem*, Ordinis Cistertiensis, sive Sancti Bernardi, ad numerum tredecim Monachorum & quatuor Laïcorum, sive Conversorum, quem quidem numerum infra triennium completum esse volumus, donavimus & contulimus.

SI is præsentibus donamus & conferimus pro Conventu in eo fundando, Castrum sive Domistadium nostrum in Villa nostra de *Wateringe* cum omnibus pertinentiis & ædificiis intra fossatum

tum extremum conclusum, unâ cum circumferentia dictâ *die Cingel*.

Verum cum spiritualia sine temporalibus subsistere non valeant, ut Prior & Conventus habeant undè vivant, in dotem dedimus & contulimus, damus, donamus, & per præsentes conferimus dicto Conventui donatione inter vivos, redditus primales ad summam quinquaginta librarum grossorum monetæ Flandriæ: ut sequitur.

In primis pomerium magnum ad valorem sexaginta librarum Hollandiæ currentium annui reditûs.

Item prædium dictum *die Hoffweyde* Castro à parte anteriori contiguum ad valorem viginti librarum annuarum.

Item & tertio Campum unum appellatum *dat Duyf-huys camp*, situatum retro Castrum ad taxam & valorem viginti duarum librarum currentium.

Item & quarto prædium dictum *dat Molenweer*, ad quantitatem triginta quatuor jugerum ad valorem centum librarum annui reditûs.

Item quinto adhuc tria prædia, contigua ad prædium dictum *dat Molenweer*, continentia simul quadraginta quinque jugera, ad valorem centum & octo librarum Hollandiæ currentium.

Item sexto unum prædium dictum *dat Lendt* ad quantitatem novem jugerum, ad valorem quadraginta librarum currentium.

Item septimo, adhuc septem jugera cum septem Hondis, ad valorem viginti septem librarum currentium.

Item octavo & ultimo, adhuc septem jugera jacentia ad viam communem dictam *die Noomwech*, ad valorem viginti trium librarum, sex solidorum & octo denariorum currentium.

Et istorum prædictorum & Domûs proprietatem & directum ac utile dominium, in Priorem & Conventum antedictum transferimus, in finem ut ea possideant pleno jure & prout utile fuerit de eis disponant, victum sibi constituant, & Domum in esse conservent, salvis Nobis & heredibus nostris jure nostro feodali, feodariis nostris, causâ dictæ Domus de *Wateringe*, investitis.

Insuper volumus, quod Prior pro tempore & Conventus, dictis prædiis & redditibus dotalibus sint contenti, quodque infra districtum de *Wateringhe* & in *Naeldewyck* nec prædia aliqua emere nec conducere, neque in emphiteusim, aut sub annuo censu recipere debeant quovis modo.

Quod si quæ prædia ipsis donata aut legata fuerint, aut ex successione hereditaria in dictis districtibus eis accreverint, aut alio quovis modo, pro illis æstimationem recipient, & statim cum potuerint, aut infra annum vendent, & ad manus secularium deducent, & valorem sive æstimationem recipient in pecunia numerata, quam de alio districtu, quàm in *Wateringhe* & *Naeldewyc*, in prædia & possessiones collocabunt & convertent.

Et si, quod absit, hæc minime fecerint, & prædia sic acquisita retrovendere noluerint, sed contumaciter occasione Privilegiorum retinere: Nos Dominus Henricus & Domina Machtildis, relicti, aut heredes nostri, nisi moniti moram statim purgaverint, poterimus illapso anno dum Nobis placuerit, aut heredibus nostris, ordinariâ auctoritate petitâ licet non obtentâ, dicta prædia sic donata, legata, aut alio quocumque modo in dictis districtibus acquisita, vendere & alienare, & pretium pro eisdem recepturi, Priori & Conventui numerare & deliberatè illud in alia prædia extra districtus prædictos convertere, reclamatione Prioris & Conventûs aut aliis Privilegiis, juribus & exemptionibus non obstantibus.

Et quia hæc omnia & singula, fundationem & dotationem & conditiones & modos ut supra, districtè observari volumus à Nobis & heredibus nostris, & à Priore & Conventu; in robur & testimonium & fidem præmissorum, has Litteras fundationis & dotationis communis fecimus Sigilli nostri appensione muniri.

Rogantes Reverendum in Christo Patrem & Dominum, D. David de Burgundia Episcopum Trajectensem, quatenus fundationem & dotationem nostram, & alia supradicta, ex certa scientia, auctoritate ordinariâ confirmare & stabilire dignetur. Cujus personam conservet Altissimus ad regimen Ecclesiæ Trajectensis, feliciter & longevè.

Datum & actum in Haga, in Domo habitationis nostræ, sub anno Domini M. CCCC. LXXXV. in profesto S. P. Bernardi. 1485

David de Burgundia, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Episcopus Trajectensis, ad universorum notitiam deducimus & deduci volumus per præsentes, quod Nos omnia & singula contenta, narrata & descripta, in Littera cui hæ nostræ præsentes Litteræ sunt transfixæ, ex certa nostra scientia ratificamus & approbamus, rataque & grata habemus, & inviolabiliter volumus observari.

Nos Frater Nicolaus Prior, totusque Conventus Beatæ Mariæ de Bethleem in *Wateringhe*, Cistertiensis Ordinis, Trajectensis Diœcesis &c. pro nunc notum facimus per præsentes universis & singulis Christi Fidelibus, has nostras Patentes Litteras visuris & audituris, quod dudum generosus Vir Henricus Miles, Dominus de *Naeldewyck*, de *Wateringhe* &c. una cum nobili Conthorali sua Domina Machtilde de Raephorst, attento, quod ex conditione humanæ fragilitatis non possent diu subsistere membris omnibus sui corporis, incolumes, sanâ mente, sanoque consilio, non fraude vel dolo, aut aliâ quâcunque sinistrâ machinatione circumventi, sed ex propria mera & spontanea voluntate, merâ præhabitâ deliberatione, de facultatibus à Deo sibi ipsis collatis cupientes propriæ saluti, nec non parentum & amicorum suorum debitè providere, fundare proposuerunt, & dotare, definiteque fundaverunt & dotarunt, quendam Conventum Cistertiensis Ordinis, sub observantia regulari, vulgariter nuncupatum *Bethleem*, in fundo proprio, Castri scilicet de *Wateringhe*, cum

cum certis possessionibus, terris & prædiis, in Litera Fundationis latiùs specificatis, salvis tamen certis conditionibus & articulis, in his inferiùs planè declaratis, & ad longum digestis.

PRIMÒ quod in dicto Conventu à tempore receptionis loci quod fuit anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, circa Festum Omnium Sanctorum, infra triennium, erunt tredecim Fratres Sacerdotes Viri Religiosi, aut litteratæ personæ ad Sacerdotium in Congregatione susceptæ, cum tribus Laïcis, & semper perpetuò permanebunt, qui totum Divinum Officium cantando, & religioso more secundùm tenorem Regulæ Sancti Patris Benedicti, aliaque ad rigorem Ordinis spectantia perficient, & integraliter prout humana fragilitas admittit, persolvent.

INTERIM tamen propter ædificiorum gravamina, poterunt satisfacere in prædictis, cum novem Fratribus Sacerdotibus.

SECUNDÒ quod Fratres ejusdem Conventûs infra districtum Dominii de *Naeldewyck* vel *Wateringe* non ement, nec ad excolendum assument, aut quovis alio colore usurpabunt, aut appropriabunt domos, agros, prædia, redditus, vel alia quæcunque immobilia ultra primam donationem factam à Fundatore Domino de *Naeldewyck*, videlicet ultra summam quinquaginta librarum grossorum; & ipsi tantummodo colent tres pecias terræ, videlicet *Molenweer*, *Duysbuyscamp*, *die Hofweyde*: nisi non possent ad summam prædictam venire, tunc licitum esset eis hujusmodi terram colere.

EXTRA tamen districtus Dominiorum prædictorum, acceptare poterunt, quantum Deus eisdem providerit, & sic crescentibus temporalibus augeri, ut Fratrum numerus à tredecim usque ad viginti quinque Sacerdotes, & non ultra ascendat.

QUOD si quocunque tempore, infra terminos prædictorum Dominiorum, ultra bona in prima fundatione eisdem collata & concessa, quæcunque immobilia eisdem advenerint aliquâ hereditariâ successione, vel aliâ piâ legatione, emptione vel donatione, & infra annum non vendiderint, ex tunc Fundatores & eorum Successores superexcrescentia bona liberè vendere possunt. Emolumenta tamen inde provenientia ad prædictos usus eisdem Fratribus restituere.

TERTIÒ, quod Fratres prædicti Conventûs inclusi in observantia & rigore Regularis disciplinæ, secundùm Regulam & Statuta ejusdem Ordinis perpetuò vivent, sub Priore ab eis pro tempore eligendo, & nunquam sub Abbate quem nunquam eligent, nec quovis modo ab aliis deputatum admittent.

SIMILITER nec curam quarumcumque Monialium acceptabunt. Si verò in posterum quocunque tempore, quod Deus avertat, ab observantia declinaverint, aut aliquid prædictorum temere attentaverint, ter moniti ad requisitionem Patroni pro tempore, per Visitatores aut alios ab Ordine deputandos, infra annum emenda subsecuta non fuerit, ex tunc Patronus auxilio Superioris ejusdem Ordinis, aut aliorum per eosdem deputandorum, rebelles expellere, aliosque Fratres religiosæ vitæ ejusdem Ordinis introducere, & ad singulorum bonorum possessionem admittere possent, ac si ibidem à principio recepti fuissent, sine cujusquam contradictione.

QUARTÒ, quod omnes prædicti Fratres perpetuò tam in summa Missa, quàm in Missis privatis specialem mentionem habebunt Fundatoris & Fundatricis cum parentibus utriusque, similiter & in singulis Capitulis secundùm modum Ordinis commendabuntur orationibus, & aliis bonis operibus Fratrum. 1485.

INSUPER quater in anno secundùm eorundem ordinationem & provisionem, tam in pauperes quàm in Conventuales eorum, solemnis celebrabitur memoria, cum novem cereis ardentibus, & distributione panum pauperibus ad unius libræ valorem quâlibet vice, libra verò quindecim stuferorum valorem exprimet.

UNDE etiam & nos Prior totusque Conventus planè his nostris litteris cognoscimus, per venerabilem Virum Henricum Militem, Dominum de *Naeldewyck*, ejusque Conjugem Dominam Machtildem de Raephorst, tantam pecuniarum summam acceptam, unde valebimus futuris perpetuis temporibus eorum desideriis in pauperum distributione, candelarumque accensione, quater in anno dignè respondere.

SUMMA tamen Missa in talibus exequiis, eis viventibus erit de Spiritu sancto, & post mortem de Requiem.

QUINTÒ, si contigerit prædictum Conventum aliquo casu subverti, guerrarum turbine quassari, vel igne proprio aut alieno conflagrari, ita quod ad tempus Divinum Officium ibidem convenienter explere non possent, sed ad alia loca se divertere cogerentur ad tempus, mox cessante periculo infra duos menses ad pristinum locum redire tenebuntur, & prolapsa quanto citius restaurare, pro eorum posse & nosse, & cuncta præmissa observare.

SI verò funditus cum terris circumjacentibus, aquis diluvii submergi contingeret, absque spe facilis recuperationis, ex nunc impetrabunt exhumandi licentiam & auctoritatem, & ex tunc de facto exhumabunt corpora primi Fundatoris & Fundatricis, si ibidem sepulti fuerint, & secum ad locum quem acceptaverint, asportabunt, ibique sepelient, & suffragia pro eisdem sicut priùs continuabunt.

NOS igitur Frater Nicolaus Prior prælibati Monasterii, totusque Conventus, attendentes talem fundationem cum omnibus articulis annexis, forè justam, sanctam rationique consonam, maturâ deliberatione præhabitâ, petitâ priùs & obtentâ licentiâ & assensu Superiorum nostrorum, eandem acceptamus cum omnibus suis præfatis clausulis & articulis, obligantes Nos & Successores nostros, ad omnium præmissorum inviolabilem & inconcussam manutentionem, sub pœna amissionis omnium bonorum, secundùm modum superiùs expressum.

ET pro majori robore & certificatione omnium

nium præmiſſorum, Confirmationem à noſtro Capitulo generali, & à Summo Pontifice Patentes Litteras & Bullas.

Et ne ſucceſſu temporis prædicta à memoria Fratrum labi poſſent, duæ Literæ conficientur, quarum unam Fundatores eorumque Succeſſores ſervabunt, aliam Conventus, quam ſingulis annis quater Fratribus ſimul congregatis promulgabunt pariter & explanabunt.

In quorum omnium teſtimonium, Sigillum noſtri Conventûs duximus præſentibus appen-
1485 dendum, anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſexto, alterâ die Petri ad Vincula, videlicet ſecundâ die menſis Auguſti.

Nos Frater Henricus Abbas Monaſterii Campenſis, Ciſtertienſis Ordinis, Colonienſis Diœceſis &c. Notum facimus univerſis præſentes Literas inſpecturis & auditaris: quod omnia & ſingula in Literis Prioris & Conventûs Monaſterii noſtri dicti *Bethleem* in *Wateringhe* præfati noſtri Ordinis, Trajectenſis Diœceſis, Sigillo ipſius Conventûs ſigillatis, quibus præſentes noſtræ Literæ ſunt transfixæ, contenta, ex certa ſcientia confirmamus, ratificamus, & præſentis Scripti patrocinio communimus, & authoritate quâ fungimur noſtri Capituli generalis, ratificamus.

Datum in dicto Monaſterio noſtro de Bethleem, ſub appenſione noſtri Abbatialis Sigilli, ipſo die Inventionis S. Crucis, anno Domini M. CCCC. LXXXVIII. 1488

Nos Frater Johannes Abbas Ciſtertii, cæterique Diffinitores Capituli generalis Ordinis Ciſtertienſis. Notum facimus univerſis, quod in eodem generali Capitulo, die XIII. menſis Septembris, anno Domini M.CCCC.LXXXIX. apud Ciſtertium celebrato, facta fuit quædam diffinitio, cujus tenor ſequitur, & eſt talis:

Abbati de Veteri-Campo Colonienſis Diœceſis præſens generale Capitulum committit, quatenus quanto citiùs commodè poterit ad Monaſterium ſeu Prioratum noviter per ſtrenuum ac Deo devotum Militem, Dominum Henricum de Naeldewyck, ac generoſam Dominam Machtildem de Raephorſt, ejus Conjugem fundatum & notabiliter dotatum, perſonaliter accedat.

Et ſi locum ad noſtræ ſanctæ Religionis, ſanctas Regulares inſtitutiones obſervandas commodum & in ædificiis diſpoſitum, cæteriſque neceſſariis ad cultum ſanctæ religionis deſervientibus munitum invenerit: Illum cum omnibus membris, bonis & dotationibus ſacro Ordini noſtro uniat & incorporet, in plenaria Ordinis noſtri poteſtate

Datum ſub appenſione Sigilli Diffinitorum ejus Capituli generalis, anno, die, menſe, & loco prædictis.

Fundationem iſtam David à Burgundia Epiſcopus Ultrajectenſis, Joannes Abbas Ciſtertienſis anno 1489. & Henricus Abbas Campenſis ſuis Tabulis firmarunt. Fuit autem Prioratus iſte Wateringanus (ut & alii plures per Hollandiam) olim incluſus, ut vulgò loquuntur, inſtar Cartuſienſium, ſub Obſervantia regulari.

Henricus Naldevici & Wateringæ Dominus, qui Caſtrum ſuum Wateringanum in Monaſterium convertit, ex Mathilde de Raephorſt unicam reliquit Filiam *Guilielmam*, Joanni Vice-Comiti Montfortio nuptam.

(1) Naeldwyck, Naldevicus, Municipium Hollandiæ prope Graveſandam, ſecundo lapide ab Haga-Comitis, olim potentes habuit Dominos, qui erant hereditarii Mareſcalli Hollandiæ. Ex his *Guilielmus* Miles Collegium ſex Canonicorum Naldevici anno 1307 fundavit, quem numerum Guilielmus Armiger, Guilielmi Militis Filius aut Nepos, anno 1369. duplicavit. Sicque XII. Canonicis Collegium Naldevicenſe conſtituit olim in Ultrajectenſi, pòſt in Harlemenſi Diœceſi. Fundationis Tabulas habes ſupra pag. 321. & 322.

Naldevicenſe Municipium, cum Vicis adjunctis & arce vetuſta *Honsholo* nuncupata, Carolus Comes Arenbergius Henrico Naſſavio, Mauritii Fratri, nunc Principi Arauſionenſi, noſtrâ memoriâ vendidit.

CAPUT CCXXVI.

Carolus *Rex Caſtellæ, dein Imperator, Guilielmum de Croy, Dominum de Chievre, creat Ducem Soranum in Regno Neapolitano, anno* 1516.

Nos Joanna & Carolus ejus Filius primogenitus, Dei gratiâ Regina & Rex Caſtellæ, recolentes innumeras egregiaſque dotes religionis, illuſtre genus, æquitatem, prudentiam, fortitudinem, ceteraſque virtutes illuſtris & magnifici Viri *Guilielmi* de Croy, Domini de Chievre, de illuſtri genere deſcendentis, Equitis noſtri Ordinis Velleris aurei, Conſiliarii & Camerarii noſtri Primarii; revolventes etiam multa præclara ſervitia tam per Te quàm Genitores & Conſanguineos tuos Prædeceſſoribus noſtris de Domo noſtra Burgundiæ ingenti fide in utroque eventu tam bellorum quàm pacis præſtita: his & aliis moti reſpectibus, cùm ad Nos, in noſtro Siciliæ citra Pharum regno, juſto titulo devolutæ ſint infraſcriptæ Civitates, Opida, Caſtra, terræ, videlicet Civitas *Sori* cum titulo & honore Ducatûs, Brocoliſola, Caſtellùtia, Fontana..... per ſententiam & confiſcationem in noſtro Regio Concilio dicti regni latam contra illuſtrem Franciſcum Mariam de Rovre Ducem & utilem Dominum olim dicti Ducatûs & terrarum; tenore præſentium te eumdem illuſtrem Guilielmum de Croy, cum Heredibus & Succeſſoribus tuis etiam tranſverſalibus, in Ducem erigimus & extollimus, Ducatûſque titulo & dignitate decoramus.

Datum in Opido noſtro Bruxellarum, die XV. Decembris, V. Indictione, anno Domini M. D XVI. Regnorum noſtrorum, videlicet Reginæ Caſtellæ, Legionis, Granatæ anno XIII. Navarræ II. Aragonum verò, utriuſque Siciliæ & aliorum primo, Regis verò, omnium primo.

CAPUT

CAPUT CCXXVII.

CLEMENS VII. *Pontifex Canonicorum Collegium in honorem B. Mariæ Virginis instituit Hooghstratæ in Campinia anno* 1531. *ad instantiam Antonii de Lalaing, & Isabellæ de Culembourg.*

CLEMENS Episcopus, Servus Servorum Dei... Dudum pro parte nobilis Viri *Antonii* de Lalain, Comitis de Hoochstraten & *Isabellæ* de Culenborch, ejus Consortis, Nobis exposito, quòd *Joannes* de Cuyck, dum viveret, Baro & Dominus loci prædicti, in Ecclesia S. Catharinæ de Hoochstraten quatuor Capellanias ac septem Horas Canonicas instituerat ac dotaverat; ac in eadem Ecclesia institutæ essent diversæ aliæ Capellaniæ, ad Decani & Capituli B. Mariæ Antverpiensis collationem pertinentes, ex quibus quatuor aliis primo dictis quattuor Capellaniis convenienter aggregari, & ex eis unum corpus octo Capellanorum erigi posset; Nos...

DATUM M. D. XXXI. 1531.

CAPUT CCXXVIII.

PIUS IV. *Pontifex Episcopatum Daventriensem in Transisulania Archiepiscopatûs Ultrajectini suffraganeum, anno* 1560. *erigit; Ecclesiam Collegiatam S. Lebuini nominans Cathedralem, ac pro dote Episcopi assignans Præposituras Ecclesiarum Daventriensis, Zutphaniensis & Oldezaliensis, nec non Prioratum Montis Sanctæ Agnetis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini prope Zwollam.*

PIUS Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Regimini universalis Ecclesiæ disponente Domino præsidentes pro Ecclesiarum quarumlibet præsertim noviter erectarum illisque præsidentium & in divinis servientium statum salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti Pastoralis Officii tenemur, solicitæ considerationis aciem extendimus, & ad ea, per quæ Ecclesiarum ipsarum dotationi, decori & venustati, suorumque Præsulum, Capitulorum & aliarum personarum divinis ibi laudibus insistentium statui & oportunæ subventioni cum divini cultûs augmento & animarum Christi fidelium salute consulitur, nostræ solicitudinis partes libenter adhibemus, ac aliàs super his etiam nonnulla, quæ à Prædecessoribus nostris licet consultè gesta fuerint, immutanda disponimus, prout locorum, temporum personarumque qualitas exigit ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

CUM itaque sicut accepimus aliàs, postquam felicis recordationis Paulus PP IV. Prædecessor noster, ut providum decebat Pastorem, in ea inferioris Germaniæ parte, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hereditario jure subjecta est, pro tanta celeberrimorum quæ inibi erant Oppidorum frequentia populorumque multitudine adeo paucas Ecclesias Cathedrales inesse considerans, ut earum Episcopi eâ quâ opus erat diligentiâ tantam animarum multitudinem regere nequirent, idque quibusdam eò erat difficilius quòd Diœcesani sui inter se vulgari idiomate institutisque differebant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant ut ipsos ad Sedem Episcopalem evocari non liceret, unde præfati Episcopi sanam fidei Catholicæ doctrinam ac rectam vivendi rationem, populum illum docere & in delinquentes animadvertere commodè nequibant, ipsaque fides & animarum salus illic ob pullulantes Hæreticorum & Schismaticorum, quibus Regio ipsa undique ferè circumdata erat, insidias pestiferasque doctrinas maximo in discrimine versabatur.

HIS aliisque gravibus causis impulsus, volens etiam prædicti Philippi Regis hoc illi humiliter supplicantis precibus pioque desiderio in ea parte satisfacere, habitâ, sicut tantæ rei pondus exigebat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, maturâ deliberatione, de eorum consilio deque Apostolicæ potestatis plenitudine Trajectensem Civitatem & Diœcesin à Coloniensi Provincia, cui tunc erat Metropolitico jure subjecta, ac Daventriense à Trajectensi & diversa alia tunc expressa Oppida insignia dictæ Regionis cum omnibus & singulis suis terminis, territoriis, Cleris, populis & personis, Monasteriis & Beneficiis Ecclesiasticis cum cura & sine cura secularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, aliisque piis locis à suis quodque Diœcesi & Provincia per quasdam sub plumbo perpetuo segregaverat, diviserat & separaverat, ac Daventriense, ceteraque Oppida prædicta

prædicta sic divisa in Civitates; Sedem verò Trajectensem tunc Episcopalem in Metropolitanam, ac Collegiatam S. Lebuini Daventriensem, certasque alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias in Cathedrales pro totidem Episcopis creandis, qui suæ cuique Ecclesiæ præessent, ac Daventriensi aliisque Ecclesiis & Civitatibus prædictis certos districtus per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos pro suis Diœcesibus concesserat, nec non Daventriensem & certas alias tunc expressas Ecclesias, Civitates & Diœceses Ecclesiæ Trajectensi pro sua Provincia subjecerat, singulisque Daventriensis & aliarum noviter erectarum Cathedralium Ecclesiarum Mensis Episcopalibus annuum redditum 3000. ducatorum auri de Camera ex certis decimis & bonis, ac fructibus, redditibus & proventibus Ecclesiasticis per dictum Nuntium specificandis & repartiendis ex tunc prout ex ea die & è contra, postquam specificati & repartiti, ac interim donec specificatio & repartitio hujusmodi factæ ac effectum sortitæ forent & non ultra, cuilibet ex prædictis Mensis pro earum dote alium annuum redditum 1500. ducatorum similium per ipsum Philippum Regem ex redditibus & proventibus, quos ex eadem Regione percipiebat, Daventriensi aliisque noviter institutis Episcopis pro tempore existentibus, singulis annis, quousque specificatio & repartitio prædictæ ac pro ea tantùm parte quæ plenarium suum effectum minimè sortita foret nec ultra, integrè & proportionabiliter persolvendum applicaverat, ac eidem Philippo Regi ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas ac alias certis tunc expressis modo & formâ qualificatas ad Daventriensem & alias Cathedrales Ecclesias sic erectas tam à primæva illarum erectione hujusmodi, quàm quotiescunque illas pro tempore vacare contingeret, per ipsum Romanum Pontificem pro tempore existentem in Episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos in perpetuum reservaverat.

Et deinde per alias suas in forma Brevis Literas Venerabili Fratri nostro tunc suo Salvatori Episcopo Clusino & Apostolicæ Sedis in partibus illis Nuntio dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias & Diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem Ecclesiis ipsis assignandam, à Monasteriis ac Præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria facienda vice suâ deputaret, dilectus Filius noster Antonius S. R. E. Presbyter Cardinalis tunc Episcopus Atrebatensis ac quatuor alii scientiâ & probitate insignes viri, quos ipse Salvator Episcopus dicto Prædecessore interim de modio sublato prætextu mandati & posteriorum Literarum hujusmodi ad id loco sui substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non esset, quæ ad id canonicè subdelegari possent: facta nihilominus per quam diligenti rerum indagine ac omnibus maturè pensatis animadvertentes conducibilius forè aliquot Monasteria & Præposituras illarum partium supprimere illorumque suppressorum fructus, reditus & proventus Daventriensi aliisque nonnullis Episcopalibus Mensis pro earum dotibus applicare, ac designationes & limitationes Provinciarum & Diœcesium divisionesque & distributiones Oppidorum & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium illis, quæ per primò dictas Literas statuebantur, commodiores, numerum denique Personarum ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum & Officiorum, statum quoque & formam in præfatis Ecclesiis etiam per hujusmodi suppressiones, applicationes & alias in universum magis accommodas rationes habendas censuerint: & inter alia Ecclesiæ ac pro tempore existenti Episcopo Daventriensi pro Diœcesi sua Oppida, Castra, Pagos, Villas & loca infra scripta, videlicet:

Daventria, Zutphania, Zwolle, Campis, Harderwyck, Elburgh, Hattem, Druisburg, 's Heerenbergh, Dotechem, Hasselt, Goor, Lochem, Diepenheim, Bredefoort, Vollenhove, Hardenbergh, Almeloo, Euschede, Lingen, Steenwyck, Otmaersen, Grol, Delden, Oldenzeel, Ommen, Bathmen, Arkenstein, Gruterinck, Op den Dyck, Willep, Hengvorden, Wesep, Holten, Marckelot, Ryssen, Diepenveen, Boxbergen, Olst, Verssen, Wbye, Vorchten, Swanenburgh, Windesheim, Helderen, Berghkloester, Heinde, Raelte, Wengele, Borgel, Op de Maet, Wytmen, Rechteren, Wierden, Sonnenbergh, Geelmuyden, Camperveen, Osterwolde, Puttenstein, Destrum, Oldenbronck, Putten, Doernspyck, Apperloe, Scotenbrouck, Millinghen, Nuenspeedt, Gortel, Bissel, Hoop buysen, Vierbolten, Hierden, Hulsborst, S. Joris Spitael, Staverden, Elspeedt, Niersen, 's Heerenloe, Ermelen, Nelerbolt, Op drie Bergen, Hooghe Souren, Handorp, Opensolt, Garderen, Cootwyck, Sallick, Bockborst, Caten, Eerst, Sachennervolt, Claerewaeter, Hulsbergen, Horn, Eep, Voerst, Oyen, Niebrenck, Woelde, Willep, Twelle Heerden, Suick, Eede, Oen, Tongeren, Welsum, Kannenburgh, Vaessen, Niebrouck, Welden Veenen, Wissen, Lattemer, Twelloe, Holthnys, Fryenberg, Loe, Apeldoorn, 't Neer Veen, Engelerbolt, Liervelt, Nienbeeck, Beckbergen, Voorst, Zunderen, Hoverbeyde, Horst, Opbeeck, Loenen, Terleth, Diesespen, Middachten, Ellekom, Dieren, Spanckeren, Spanckersche Toorn, Op Rees, Koldenhoeve, Hal, Brummen, Fondenbergh, Eertbeeck, Veken, Vest, Gorsel, Dorterhoeck, Honnep, Dorth, Almen, Herffsen, Verwoelde, Aemsen, Laer, Henep, Geesteren, Neede, Kluys, Ruerloe, Hekeren, Schuylenwynckel, Vorden, Galileen, Warsnvelt, Wildenburgh, Lathem, Angelree, Wynberghen, Kemna, Keppel, Hummel, Inghuysen, Karwel, Dremp, Oldekeppel, Hengel, Oldehoven, Steender, Bronckborst, Senlenburgh, Anbolt, Weert, Toldyck, Baeck, Hackfort, Wychmoet, Zion, Bilheim, 't Zelheim, Anlackerweerth, Slangenburgh, Brunsfelt, Aelten, Schaer, Marvelt, Marfel, Cybergen, Hervelt, Lichtenvoorde, Vrageren, Westerfoort, Luynborst, Lael, Hees, Meurs, Beeck, Unthorst, Netterden, Swanenburgh, Genderingen, Werderbrouck, Ulst, Lengel,

Lengel, *Asswyn*, *Zeddum*, *Padesfoort*, *Berwer*, *Aldam*, *Haeckxbergen*, *Ulrebeck*, *Es*, *Twyckel*, *Marckeloe*, *Holten*, *Gelmuyden*, *Sonneberg*, *Wilsum*, *Maslebrouck*, *S. Jans Camp*, *Toutenburgh*, *Clarenburgh*, *Swarte Sluys*, *Wanneperveen*, *Giethoorn*, *Blockzyel*, *Baerle*, *Swarte Waeter*, *Dalfsen*, *Heimis*, *Ham*, *Sypkeloe*, *Frisenveen*, *Laeghe*, *Tubbergen*, *Albergen*, *Weerseloe*, *Losser*, *Borne*, *Hengeloe*, *Heuxbergen*, *Oldelingen*, *Bavinckel*, *Lengerick*, *Thuynen*, *Freren*, *Scholde*, *Schaepen*, *Beesten*, *Plantlunne*, *Bramsche*, *Backum*, *Sunderen*, *Mettingen*, *Recke*, *Brochterbeeck*, *Steenwyckerwolt*, *Scherwolde*, *Paesloe*, *Oldemarckt*, *Yselham*, *Blanckenham*, *Slyckenburgh*, *Veenbuysen*, *Kuynder*,

eorumque Districtus & Territoria assignaverint ac super majore præmissorum parte processus rebus omnibus serie digestis formandos curaverint, prout in illis & singulis Literis præfatis aliisque scripturis desuper forsan confectis plenius continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quòd semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, attendentes quod si priscis temporibus dum ejusdem Regionis populi multiplicari cœperunt, ibi Cathedralium Ecclesiarum numerus similiter adauctus illisque de Catholicis bonisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, tot perniciosa hæresum dogmata, quibus in circumvicinis partium illarum locis Religio Christiana miserè laceratur, non ita invaluissent.

Porrò cum ad illa quæ istuc ex vicinorum contagio jam pridem influxerunt exstirpanda, dictosque populos in sinceritate fidei continendos nulla alia magis quàm præmissa opportuna adhiberi remedia potuisse videantur, ut illa juxta cordis nostri desiderium promptos & felices sortiantur effectus, eis nostri ministerii partes impartiri volentes ac partitionis & ordinationis per eosdem Subdelegatos, quantum ad Ecclesiam, Civitatem & Diœcesin Daventriensem pertinet, prudenter examinatarum & in scriptis concorditer digestarum etiam quoad limites Diœcesis Daventriensis ac omnia & singula Oppida, Castra, Villas & alia loca in eis comprehensa, nec non ordinationis commodæ Subdelegatorum hujusmodi ac Literarum prædictarum aliarumque scripturarum desuper confectarum tenores, nec non Canonicatuum, & Præbendarum dictæ Ecclesiæ Sancti Lebuini, fructuum, redituum & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, eaque omnia & singula ac prout illa concernunt reliqua in dictis Literis & scripturis contenta, & inde secuta Apostolicâ Auctoritate ex certa scientia confirmantes & approbantes, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicientes, omnesque & singulos juris ac facti defectus, si qui forsan intervenerint, in iisdem supplentes ac illis in hac parte penitus inhærentes, Literasque dicti Prædecessoris quoad illa & quæ Literis ipsis non consonant ceteraque infra scripta immutantes, & nihilominus pium & laudabile ejus institutum prosequi & ad hunc effectum Mensæ Daventriensi de congrua dote providere volentes, motu proprio & ex certa scientia ac de simili potestatis plenitudine, S. Lebuini in Cathedralem erectæ hujusmodi, ac Zutphaniensis, ubi pro tempore existens Episcopus Daventriensis Conventum sive Curiam Episcopalem pro Comitatu Zutphanico & parte Ducatûs Geldriæ habiturus est, & Oldenzaliensis ubi Episcopum frequenter præsentem esse propter Dominium de Linghen, quod ibi adjacet, oportebit, Ecclesiarum Præposituras, quæ Dignitates inibi principales forsan existant, ac dilectis Filiis illius Canonicis propter intolerabilem, quam ab hæreticis & incendariis aliisque grassatoribus inibi patiuntur, vexationem, hoc ita fieri petentibus, Monasterium Montis S. Agnetis Ordinis S. Augustini Can. Reg. olim Trajectensis nunc verò Daventriensis Diœcesis, quorum insimul & illis forsan annexorum fructus, redditus & proventus 3000. ducatorum auri de Camera secundùm communem existimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, ex nunc prout ex tunc & è contra, cum primùm illa per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum seu quamlibet aliam dimissionem, vel amissionem modernorum Præpositurarum Præpositorum & Monasterii hujusmodi Abbatis vel Commendatarii, aut aliàs quomodolibet etiam apud Sedem prædictam vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut præmittitur, vel aliàs vacent, & tanto tempore vacaverint, quod Præpositurarum collatio & Monasterii prædictorum provisio juxta Lateranensis Statuta Concilii aut alias Canonicas sanctiones ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipsæque Præposituræ dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservatæ existant & ad illas consueverint qui per electionem assumi, eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, & super eis ac eodem Monasterio inter aliquos lis seu super illorum possessorio molestia, cujus statum ac verum & ultimum eorumdem Præpositurarum & Monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio etiam in corpore Juris ita resultet, præsentibus haberi volumus pro expressis, pendeat indecisa, ipsiusque Monasterii provisio ad Sedem prædictam specialiter vel generaliter pertineat, ac de illo consistorialiter disponi consueverit seu debeat: ipsum videlicet Monasterium ac in eo nomen, titulum & denominationem Abbatis, ac ordinem & dependentiam omnemque Regularem statum dictâ autoritate perpetuò supprimimus & exstinguimus, ac illius fructus, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta ac alia quæcunque bona unà cum suis præeminentiis, prærogativis, superioritatibus, jurisdictionibus, administrationibus, juribus & pertinentiis universis dictæ Mensæ Episcopali Daventriensi, etiam perpetuò applicamus & appropriamus: Præposituras verò prædictas cum juribus & pertinentiis suis eidem Mensæ etiam perpetuò unimus, annectimus & incorporamus, ita quòd hujusmodi vacationibus occurrentibus liceat Episcopo Daventriensi, pro tempore existenti, per se vel alium

seu

ſeu alios corporalem poſſeſſionem Præpoſiturarum & illis annexorum, ac fructuum, redditnum, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum & aliorum bonorum Monaſterii hujuſmodi propriâ auctoritate liberè apprehendere & retinere, illaque, deductâ tamen congruâ fructuum, redditnum, & proventuum ejuſdem Monaſterii portione pro uno Eccleſiæ dicti Monaſterii, quæ etiam forſan Parochialis exiſtit, Rectore qui dilectorum Filiorum Parochianorum Eccleſiarum animarum curam exerceat, illiſque Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtret, & pro alio Presbytero Sacellano qui Rectorem ipſum adjuvet, ac etiam pro eleëmoſynis ibi fundatis annuatim diſtribuendis, in ſuos & dictæ ſuæ Menſæ uſus & utilitatem convertere,

Nec non omnia & ſingula Prioratus, Præpoſituras, Canonicatus & Præbendas, Dignitates, Perſonatus, adminiſtrationes ac officia, ceteraque beneficia Eccleſiaſtica cum cura & ſine cura, ſecularia & quorumvis Ordinum Regularia ad collationem, proviſionem, præſentationem, inſtitutionem, electionem, confirmationem & quamvis aliam diſpoſitionem pro tempore exiſtentium Præpoſitorum & Abbatis prædictorum communiter vel diviſim quomodolibet ſpectantia, perſonis idoneis conferre & de illis etiam providere, ſimiliſque perſonas ad illa præſentare, eligere, & præſentatas vel electas inſtituere ac confirmare, & aliàs de illis liberè diſponere, ceteraque in præmiſſis & circa ea neceſſaria ac opportuna & quæ eorumdem Monaſterii Abbas & Præpoſiturarum Propoſiti hactenus facere & exequi ſoliti ſunt, potuerunt & debuerunt facere, & exequi, cujuſvis licentiâ deſuper minimè requiſitâ.

Et inſuper eidem Epiſcopo Daventrienſi, qui pro tempore erit, ut Eccleſiam Monaſterii hujuſmodi, ſi opus ſit, in Parochialem, & in ea unum perpetuum Beneficium Eccleſiaſticum pro dicto Sacellano erigere & inſtituere, illiſque ac pro Eleëmoſynis diſtribuendis præfatis congruam fructuum, redditunm & proventuum Monaſterii partionem hujuſmodi aſſignare liberè & licitè valeat, eâdem auctoritate concedimus & indulgemus.

Et ut Eccleſia Daventrienſis prædicta aliquot Dignitatibus & officiis decoretur, in illa unum Archidiaconatum pro uno Archidiacono qui poſt tamen dilectorum Filiorum moderni ſeu modernorum ejuſdem Trajectenſis Eccleſiæ Archidiaconorum juriſdictionem in ipſa Diœceſi habentium ceſſum vel deceſſum plenariam juriſdictionem Archidiaconalem in univerſa Diœceſi Daventrienſi, quam ceteri Cathedralium Eccleſiarum partium illarum Archidiaconi de jure vel conſuetudine habent & habere debent:

Ac unum Archipresbyteratum Civitatenſem nuncupandum, Dignitates ibidem pro uno Archipresbytero Civitatenſi nuncupando, qui ſpecialem Paſtorum ſeu Rectorum Parochianorum, & verbi Dei Prædicatorum in eadem Civitate curam habeant: ac unam Pœnitentiariam pro uno Pœnitentiario Diœceſano dictæ Eccleſiæ, cujus officium ſive munus circa curam conſcientiarum populi totius Diœceſis prædictæ verſetur, etiam perpetuò erigimus & inſtituimus,

Nec non ſuppreſſionem, extinctionem, applicationem & appropriationem, unionem, annexionem, incorporationem & alia præmiſſa ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus & derogationibus ſimilium vel diſſimilium ſuppreſſionum, extinctionum, applicationum, appropriationum, unionum, annexionum & incorporationum per Nos & Sedem præfatam ſub quibuſcunque tenoribus & formis ac cum quibuſvis clauſulis & decretis pro tempore factis minimè comprehendi, ſed ab illis ſemper exceptas & quatenus illas ſuſpendi, revocari, aut illis derogari contigerit, toties eas de novo conceſſas & in ſtatum priſtinum reſtitutas, & ad hoc ut ſub revocationibus, ſuſpenſionibus & derogationibus hujuſmodi minimè comprehendantur ex nunc verè & non fictè ſuum plenarium effectum ſortitas, ac unionem, annexionem, incorporationem, ſuppreſſionem, extinctionem, applicationemque & approbationem prædictas de non vacaturis ſed de vacantibus Præpoſituris & Monaſterio præfatis factas, & per illas ex nunc Menſæ Epiſcopali & Epiſcopo Daventrienſi pro tempore exiſtenti jus in re quæſitum exiſtere, præſentiumque Litterarum ſuſpenſiones, revocationes, derogationes & alias contrarias diſpoſitiones pro novis illarum conceſſionibus & reſtitutionibus haberi & cenſeri decernimus:

Omnes autem & ſingulos ejuſdem Monaſterii Canonicos & alias perſonas, qui ad Daventrienſem prædictam vel alias ſeculares Eccleſias tranſire volent à Regularibus ipſius Ordinis inſtitutis eorumque obſervatione & habitûs regularis geſtatione, ac paupertatis voto eiſdem auctoritate & tenore prorſus abſolvimus & liberamus,

Ac ad Statum Clericorum ſecularium, ita quod ſe illis in omnibus & per omnia conformare ac omnibus & ſingulis illorum privilegiis, exemptionibus, libertatibus, communitatibus, gratiis & indultis, quibus ipſi ſeculares Clerici quoquo modo utuntur, potiuntur & gaudent, etiam quoad Beneficiorum Eccleſiaſticorum ſecularium quorumcunque aſſecutionem, & plenariam ad illa, nec non quæcunque bona capacitatem & liberam de quibuſvis bonis mobilibus & immobilibus ad eos quovis modo ſpectantibus teſtandi facultatem, citra tamen conſanguineorum ſuorum in bonorum ſucceſſione præjudicium, uti, potiri & gaudere valeant, reducimus & planè ſecularizamus, ac ſingulis eorum quæ ad Eccleſiam Daventrienſem tranſierint ſingulas Præbendas, & aliis ad alias ſeculares Eccleſias potiùs tranſmeare volentibus ſingulas portiones 100. aureorum Rhenenſium donec illis abundè de ſimili redditu Eccleſiaſtico Canonicè proviſum fuerit: reliquis verò qui ad alia Regularia loca transferri maluerint, ad eorum vitam duntaxat ſingulas portiones annuas quinquaginta ducatorum ex fructibus, redditibus & proventibus Monaſterii hujuſmodi eorum ſingulis per pro tempore exiſtentem Epiſcopum præfatum

annuatim persolvendas auctoritate & tenore prædictis assignamus, ac cum ejusdem Regularibus Canonicis ad statum secularem per præsentes reductis, ut quæcunque, quotcunque vel qualiacunque cum cura & sine cura aliàs tamen se invicem compatientia Beneficia Ecclesiastica per Clericos seculares obtineri solita, aliàs sibi Canonicè conferenda recipere & retinere, bonaque etiam temporalia quæcunque possidere liberè valeant, de specialis dono gratiæ dispensamus:

Ac dilectis Filiis S. Lebuini, Zutphaniensis & Oldenzelensis Ecclesiarum Capitulis ac Conventui Monasterii hujusmodi aliisque quibusvis in virtute Sanctæ Obedientiæ & sub Excommunicationis majoris latæ sententiæ, nec non privationis omnium Dignitatum, Officiorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa & alia per contrafacientes imposterum obtinenda eo ipso incurrendis pœnis, ne ad electionem seu postulationem in Præpositos vel Abbatem Ecclesiarum vel Monasterii prædictorum, cùm illa vacare contigerit, etiamsi nunc vacent ut præfertur, procedere vel se aliàs in eis vel eorum aliquo intromittere quoquo modo præsumant, districtiùs inhibemus, & nihilominus quascunque electiones seu postulationes hujusmodi earumque confirmationes vel admissiones, nec non provisiones, præfectiones, commendas aliasque dispositiones, quas ex nunc de cetero etiam per Sedem prædictam de Præposituris & Monasterio præfatis quomodocunque fieri contigerit, nullas & invalidas nulliusque roboris vel momenti fore decernimus.

Et ut idem Episcopus suam Ecclesiam personis, ut insignem decet Cathedralem, eruditis & ad jurisdictionem inibi exercendam ceteraque munia Ecclesiastica obeunda idoneis debitè instructam habeat, perpetuò statuimus & ordinamus, quod ex omnibus Canonicatibus & Præbendis ipsius Ecclesiæ S. Lebuini qui sunt numero viginti, decem Canonicatus & totidem Præbendæ, quos primo loco, postquam eidem Ecclesiæ de Episcopo Canonicè provisum fuerit per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum seu quamvis aliam demissionem vel etiam privationis viâ amissionem quomodolibet decem Canonicorum ejusdem Ecclesiæ aut aliàs vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc quovis modo vacent & tanto tempore vacaverint, quòd eorum collatio ut præfertur devoluta ipsique Canonicatus & Præbendæ vel eorum aliqui dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati existant, & ad illos consueverint qui per electionem assumi: super ejus quoque vel eorum aliquibus inter aliquos lis, cujus statum etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa: unus & una videlicet Episcopo, ratione quorum sit Capitularis habeatque in Capitulo locum & vocem super Decanum & reliquos Canonicos ipsius Ecclesiæ Confratres suos, ac tres alii tribus Magistris aut Licentiatis in Theologia, & tres alii aliis tribus Doctoribus Decretorum seu in eis Licentiatis, & reliqui tres Canonicatus & totidem Præbendæ tribus Nobilibus ejus Diœcesis, qui etiam in Jure vel Theologia saltem ad gradum Licentiaturæ in famosa quapiam Universitate Studii generalis cum rigoroso examine sint promoti, ordine servato, in perpetuum concedi & assignari debeant.

Quodque ad sex priores tam Nobiles quàm Ignobiles ut præfertur tamen Graduati, ad reliquos verò tres Canonicatus & tres Præbendas ex reliquis è novem Canonicatibus & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles & Graduati ut præfertur assumi possunt, ipsam tamen Nobilitatem à sex prioribus Canonicatibus & Præbendis non excludendo.

Ex tribus autem prioribus Graduatis unus ex designatione Episcopi Archidiaconus, alius Archipresbyter Civitatensis & reliquus Pœnitentiarius Diœcesanus præfati existant. Postremò apud alios duos Doctores vel Licentiatos seniores unum videlicet Theologum, alterum verò Jurisperitum potestas totam Diœcesin Daventriensem dum & quoties ab Episcopo suo requisiti fuerint ejusdem Episcopi nomine visitandi: quibus etiam reliqui Graduati quoties ad id similiter requirentur assistere debeant: apud Archidiaconum verò & tres alios ex Graduatis hujusmodi duos videlicet Theologos & unum Jurisperitum potestas Clericos ad Ordines Sacros promovendos & Rectores Parochianos de Parochialibus Ecclesiis vel perpetuis illarum Vicariis quacunque auctoritate provisos ad curæ Pastoralis exercitium admittendi sit & permaneat, ita quod ipsi nullos prorsus nisi idoneos & quantum ad animarum curam pertinet quidem personalem facient residentiam expressè juratos admittere valeant, ac in universa Diœcesi prædicta tot Archipresbyteri vel Decani Rurales deputentur, quot esse conveniet, ita quod hi qui nunc sunt in Officio suo cum solitis emolumentis, salvâ tamen ipsius Episcopi moderatione, remaneant, ac tam Archidiaconus, Archipresbyter & Pœnitentiarius quàm reliqui sex Canonici ratione suarum Præbendarum hujusmodi consilium & operam in negotiis Ecclesiæ & Religionis ceterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quando & quoties ab eodem Episcopo requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim fideliter præstare teneantur.

Et ut Viris spectatæ doctrinæ & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratiùs prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus & novem Præbendæ sic affecti hâc primâ vice per Episcopum duntaxat, qui illos Graduatis & Nobilibus alternatis vicibus conferat, & deinde quoties illos perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, ad electionem Episcopi & aliorum Graduatorum præfatorum superstitum per eos conferantur, ita quod in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris sive momenti quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, quo in casu iteratum Episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat: reliqui autem Canonici Capitulares

lares reliquorum Canonicatuum & Præbendarum dictæ Ecclesiæ collationem in turno ordinario separatim, sed Vicariarum cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum ejusdem Ecclesiæ collatio sit omnibus communis per turnos, prout hactenus observatum est.

Quodque posthac primi decem dicti Canonicatus & Præbendæ hujusmodi sub nullis specialibus & generalibus etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non exspectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando aut aliàs disponendo, primariis precibus aut aliis gratiis preventivis per Nos aut Reverendissimos Pontifices pro tempore existentes ad dictam Sedem vel ejus Legatos, etiam consideratione, intuitu vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum aut aliorum Principum quorumcunque ut S.R.E. Cardinalium & ex quacunque causa quantumlibet urgenti pro tempore factis & concessis comprehendantur, nec etiam tanquam vacantes apud Sedem præfatam aut ullâ aliâ ratione generaliter aut specialiter reservari nec illorum vacatione per resignationem etiam ex causa permutationis etiam apud Sedem eandem pro tempore occurrente per Reverendissimum Pontificem aut Sedem eandem de illis provideri aut aliàs quoquo modo disponi possit.

Et quoniam impia Hæreticorum studia temporisque malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patitur, quod si Canonici Graduati prædicti ab ipsa Ecclesia nisi ab Episcopo vel Capitulo missi per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, ipsique fructus Capitulo cedant:

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solùm qui divinis in Choro deservierint & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat; nec quisquam ullâ dispensatione vel Privilegio Apostolico quacunque causâ impetrato vel concesso sese à residentia hujusmodi eximere possit, eisdem autoritate & tenore perpetuò statuimus & ordinamus.

Jus omne decem Canonicatus & decem Præbendas affectos præfatos conferendi & de illis disponendi vel ad illos eligendi seu nominandi ab Episcopo, Præposito & Capitulo Ecclesiæ S. Lebuini hujusmodi aliisque ad quos spectat post promotionem primi Episcopi Daventriensis hujusmodi perpetuò harum seriè abdicantes & amoventes illudque in præmissum electionis modum immutantes ac ad Episcopum & novem Canonicos præfatos transferentes.

Et ut novem Præbendæ totidem Canonicis Graduatis ut præmittitur affectæ paulò uberiores sint & ad illas libentiùs recipiendas viri docti inducantur, Episcopo præfato, quod unum secularem vel Ordinis cujusvis regularem partium illarum Præposituram, vacatione etiam illius in mensibus prædictis occurrente, etiamsi Conventualis, electiva, curata etiam curâ jurisdictionali animarum specialiter vel generaliter reservata ac litigiosa sit ut præfertur, eisdem novem Canonicatibus & Præbendis Graduatis affectis vel eorum massæ communi de Philippi Regis & Archiepiscopi prædictorum consensu, autoritate prædictâ perpetuò etiam ut præfertur unire, annectere & incorporare liberè & licitè valeat, autoritate & tenore prædictis licentiam & facultatem concedimus.

Sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores & S R.E. Cardinales in quavis causa & instantia, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & autoritate, judicari & diffiniri debere, ac quidquid secus super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Quocirca præsentibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi ac Attrebatensi & Feltrensi Episcopis per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium vel alios præsentes Literas & in ea contenta quæcumque, ubi & quandò opus fuerit ac quoties pro parte Episcopi Daventriensis & Canonicorum, aliorumque prædictorum quorum interesset & quomodolibet intererit, fuerint requisiti seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant autoritate nostrâ Episcopum Daventriensem & alios præfatos confirmatione, approbatione, adjectione, suppletione, suppressione, extinctione, applicatione, unione, annexione, incorporatione, absolutione, reductiono, dispensatione, statuto, ordinatione aliisque præmissis ac præsentibus Literis & aliis in eis contentis pacificè frui & gaudere, ac easdem præsentes & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes Episcopum, Canonicos & alios præfatos desuper per quoscunque quomodolibet indebitè molestari, perturbari vel impediri: contradictores quoslibet & rebelles sibique in præmissis non parentes etiam per excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum inhabilitatisque ad illa & alia imposterum obtinenda, ita quod beneficia & officia hujusmodi tanquam per privationem legitimè & canonicè factam vacantia ab aliis impetrari, & per locorum Ordinarios liberè conferri possint, aliasque sententias & pœnas tam Ecclesiasticas quàm pecuniarias arbitrio suo imponendas, moderandas & applicandas eò ipso incurrendas appellatione postpositâ compensando, nec non legitimis super his habendis servatis processibus censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstante voluntate priori & aliis præmissis ac nostris de valore tam in impetrationibus quàm aliis gratiis etiam motu simili factis exprimendo, & de non tollendo jus quæsitum

ac de non expediendis Litteris reservationis etiam motu simili alicujus pensionis nisi de consensu illam solvere habentis, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati uniones perpetuas nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii PP. VIII. etiam Prædecessoris nostri de una & Concilii Generalis de duabus dictis, dummodo quispiam ultra tres dietas vigore præsentium non extrahatur, aliisque quibusvis Apostolicis etiam reservatoriis etiam in corpore juris clausis ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, nec non Cancellariæ Apostolicæ regulis & revocatoriis & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum & aliàs in contrarium quomodolibet editis & edendis, nec non Monasterii, Præposituraruim, Ordinum, Ecclesiarum & locorum præfatorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus, ac Concordatis inter Sedem prædictam & Nationem Germanicam dudum initis: nec non quibusvis specialibus vel generalibus etiam mentalibus reservationibus, exspectativis & aliis gratiis etiam in Canonicos ereationibus, aliis unionibus etiam perpetuis absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus & regressus facultatibus, mandatis, Litteris & concessionibus quibuscunque personis cujuscunque dignitatis, status, gradûs & conditionis existentibus, etiam Cardinalatûs honore fungentibus, ac nostris etiam antiquis & descriptis familiaribus, continuis commensalibus ac Prælatis domesticis, nec non Reverendæ Curiæ Officialibus etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, consideratione, intuitu vel respectu etiam Imperatoris, Regum, Ducum & aliorum Principum contemplatione ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis & decretis etiam irritantibus & clausulis etiam derogatoriarum de rogatoriis etiam præsentibus derogantibus etiam motu & scientiâ similibus & aliàs quomodocunque concessis, quos & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes eorumque omnium vim & effectum quo ad præmissa omnino suspendimus, & in præmissis effectum sortiri aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus,

Nec non Privilegiis, Indultis & Litteris Apostolicis illis & aliis quibusvis per quoscunque Reverendissimos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos & Sedem præfatam etiam per viam generalis legis & statuti perpetui, nec non initi & stipulati contractûs seu quasi & aliàs sub quibuscunque tenoribus & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriarum aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis irritantibusque & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione vel ad instantiam præmissorum, & quorumque aliorum, seu motu, scientiâ & potestatis plenitudine similibus nec non consistorialiter ac aliàs quomodocunque, qualitercunque & quotiescunque concessis, confirmatis & etiam iteratis vicibus innovatis ac concedendis ac innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint quæ sub clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda in supplicatione apposita non intelligantur aut aliàs comprehendantur:

Nihilominus in genere & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus contrariis quibuscunque: aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Præposituris hujusmodi speciales vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem Literas & processus habitos per easdem & inde secuta quæcunque ad Præposituras & Archidiaconatum ac Canonicatus & Præbendas hujusmodi volumus non extendi: Sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem Præposituraruim & Canonicatuum & Præbendarum vel beneficiorum aliorum præjudicium generari:

Aut si Conventui præfatis & dilectis Filiis Vasallis & aliis subditis dicti Monasterii Montis S Agnetis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis & Literis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, ac de quibus quorumque tenoribus totis habenda sit in nostris Literis mentio specialis.

Volumus autem quod per unionem, annexionem & incorporationem Præposituraruim hujusmodi Divinus Cultus in eis nullatenus minuatur, neque animarum cura in eis, si qua illis immineat, negligatur, sed earum congruè supportentur onera consucta.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam nostræ suppressionis, exstinctionis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, concessionis, indulti, erectionis, institutionis, decreti, absolutionis, liberationis, reductionis, sæcularizationis, assignationis, dispensationis, inhibitionis, statuti, ordinationis, abdicationis, amotionis, commutationis,

tationis, translationis, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac BB Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

DATUM Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, septimo Idus Augusti, Pontificatûs nostri anno secundo. 1561

Subscriptum erat: FED. CARDINALIS CESIUS.

Et alio loco: CÆ. GLORIERIUS.

Item alio loco: A. DE ALEXIIS.

EPISCOPI DAVENTRIENSES.

Additio. DAventria, Metropolis Transisalaniæ, quæ una est è VII. Belgii Confœderati Provinciis, sita est ad Isalam fluvium. Nomen suum habuisse creditur à *Davone* quodam, honorifico ac potenti Viro, qui familiarissimus fuit S. Lebuino, in Ecclesia ibidem primaria quiescenti, de quo vide Molanum & Miræum inter Sanctos Belgii ad diem 4. Novembris.

Fuit illic postmodum à Sancto Bernulpho Ultrajectensi Episcopo institutum Capitulum Canonicorum XX. cum Præposito & Decano, in honorem ejusdem S. Lebuini circa annum 1050. Fama est, Præsulem memoratum ad opus fundationis hujus partem Canonicorum ex Ecclesia S. Salvatoris Ultrajecti transtulisse, assignando ex bonis dictæ Ecclesiæ, quæ admodum opulenta erant, quibus perpetuò illic Deo militarent.

Plura vide, unà cum Diplomatibus, in Historia Episcopatûs Daventriensis, recenter reimpressa in Historia Episcopatuum Belgii Fœderati.

Cum Paulus IV. Pontifex anno 1559. ad instantiam Philippi II. Hispan. Regis Episcopatum Ultrajectensem in Archiepiscopatum erexisset, eique inter ceteros Episcopatum Daventriensem Suffraganeum assignasset, anno 1561. Pius IV, Pauli Successor novo huic Episcopatui limites ac dotem assignavit, ceteraque ad Diœcesim hanc specialiter pertinentia, per Bullam jam relatam ordinavit.

Dos prima novi Episcopi desumpta fuit è Monasterio Montis S. Agnetis juxta Zwollam Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini è Congregatione Windesemensi, in quo olim floruit ac præfuit Venerabilis Asceticus *Thomas à Kempis*. Fuit itaque illud Monasterium prorsus suppressum; Ecclesia è Conventuali facta fuit Parochialis; dataque fuit optio Canonicis Regularibus, ut vel ad alia ejusdem Instituti Cœnobia transirent, vel in Ecclesia Daventriensi, assumpto statu Clericorum Sæcularium, suâ Præbendâ gauderent.

Præterea fuere unitæ Mensæ Episcopali tres Præposituræ notabiles & opulentæ, S. Lebuini Daventriensis, S. Walburgis Zutphaniensis, & S. Plechelmi Oldensaniensis, unà cum Canonicatu in qualibet istarum Ecclesiarum.

I. JOANNES MAHUSIUS, vulgo *Mahieu*, Aldenardensis, quondam primus in Scholis Artium Lovanii, dein Ordinis FF Minorum Religiosus, nominatus fuit primus Daventriensium Episcopus anno 1559. Sed oriente jam tum hæresi, multâque oppositione Statuum Transisalaniæ circa dotem dignitati ejus assignatam, consecratus non fuit. Anno 1565 interfuit Concilio Provinciali Ultrajectensi; factusque paulò pòst impar oneri Episcopali, sponte renunciavit. Tum Aldenardæ vitam agens privatam, anno 1572. die 4. Octobris in expoliatione Oppidi hujus, multa ab Hereticis & Rebellibus passus, vulneribus sauciatus, pedibus conculcatus, ac semi-vivus relictus fuit. Obiit ibidem die 10. Maii 1577, sepultus apud FF. Minoritas.

II. ÆGIDIUS DE MONTE, Peruetio Gallo-Brabantiæ Municipio oriundus, Ordinis FF. Minorum, & Provinciæ Belgicæ actualis Provincialis, anno 1570. die 29. Octobris consecratus est Episcopus Daventriensis. Præfuit tempore turbulento, magno zelo & studio. Obiit Swollis die 26. Maii 1577, sepultus Daventriæ in Æde Cathedrali.

Postmodùm Daventriense Capitulum tres successivè elegit Vicarios Generales Sede vacante, flantibus utcunque Catholicis Ritibus; videlicet BERNARDUM HERINCK, ÆGIDIUM DE MONTE Nepotem prædicti Antistitis, ambos Canonicos Daventrienses, & ALBERTUM A TH[illegible]L Canonicum Zutphaniensem.

Sed prior illud onus sponte deposuit; alter exauthoratus dein factus est Decanus Liranus in Brabantia, ubi obiit 1598; tertius verò cessante publico Catholicæ Religionis exercitio authoritatem suam simul vidit ablatam.

III. GISBERTUS COEVERINCX, ex Rodâ S Odæ, Majoratûs Sylvæducensis Municipio, S. T. L. ex Archidiacono Decanus Cathedralis Sylvæducensis, dein à Philippo II. Hispan. Rege nominatus fuit anno 1590. Episcopus Daventriensis. Sed priusquam Româ Litteras confirmatorias accepisset, sequenti anno 1591 Civitas illa venit in potestatem Fœderatorum Belgii Ordinum: mansitque Antistes jam memoratus in residentia sua Sylvæducensi, ubi diem extremum obiit circa annum 1615.

CAPUT CCXXIX.

PIUS IV. *Pontifex erigit Episcopatum* HARLEMIENSEM *in Hollandia, Archiepiscopatûs Ultrajectini primum suffraganeum, anno* 1560; *eique pro dote assignat Abbatiam Egmondanam Ordinis S. Benedicti; Cathedram Episcopalem in Ecclesia S. Bavonis collocat; & ad fundandas Canonicorum Præbendas, partim transfert Capitulum Geervlitanum, partim supprimit Monasterium Heyloënse Canonicorum Regularium.*

Additio. PIUS Episcopus, Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto Nobis desuper Apostolicæ servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum decori & venustati, ac illis præsidentium, & eis divinis laudibus insistentium personarum statui & opportunæ subventioni cum divini cultûs augmento, & animarum Christi fidelium salute valeant salubriter provideri, ac desuper etiam ea quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, ex saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cùm itaque, ficut accepimus alias, poftquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster providè confiderans eam partem inferioris Germaniæ, quæ chariffimo in Christo Filio noftro Philippo Hifpaniarum Regi Catholico hereditario jure etiam tunc fubjecta erat, paucos habere Epifcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo & frequentiffimorum Opidorum celebritas, ac longè latèque diffitorum Caftrorum & Pagorum fuorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ inftitutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expoftulabat, hifque & alis gravibus caufis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei Catholicæ fuccurrere, pioque defiderio dicti Philippi Regis fatisfacere, habitâ, ficut magnitudo rei poftulabat, cum Fratribus fuis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione maturâ; de eorum confilio & Apoftolicæ poteftatis plenitudine, Cameracenfem, Trajectenfem, Atrebatenfem & Tornacenfem Ecclefias, Civitates & Diœcefes, ac Remenfem, & Colonienfem Provincias, ac Mechlinienfem & Harlemenfem, ac diverfa alia tunc expreffa Oppida infignia hujufmodi Regionis à fua quoque Diœcefi & Provincia perpetuò fegregaverat & diviferat, necnon Mechlinienfem, Harlemenfem, ac reliqua Opida prædicta fic divifa in Civitates:

Cameracenfem verò & Trajectenfem tunc Epifcopales Sedes, ac olim Collegiatam S. Rumoldi Mechlinienfem & Metropolitanam, ac Parochialem S. Bavonis Harlemenfem, ceterafque alias aliorum Oppidorum, in Civitates erectorum, prædictorum Ecclefias, in Cathedrales Ecclefias, pro totidem Archiepifcopis & Epifcopis, qui fuæ quifque Ecclefiæ præeffent;

Nec non Harlemenfi, alifque Ecclefiis Civitatibufque prædictis certos tunc expreffos diftrictus per Nuntium fuum, poftmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro fua cujufque Diœcefi perpetuò concefferat; necnon Ecclefiæ Trajectenfi prædictæ Ecclefiam, Civitatem & Diœcefin Harlemenfem hujufmodi inter alias pro fua Provincia adjunxerat. Præfato quoque Philippo Regi, illiufque Succefforibus, qui pro tempore ejufdem Regionis in temporalibus Domini effent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore exiftenti perfonas idoneas, ac alias certis tunc expreffis modo & formâ qualificatas, ad Harlemenfem & alias Ecclefias erectas tam à primaria erectione hujufmodi, quàm ex tunc deinceps quotiefcunque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepifcopos & Epifcopos ad nominationem hujufmodi ordinandos in perpetuum refervaverat, per quafdam fub plumbo, & denique per alias fuas in forma Brevis Litteras, Venerabili Fratri noftro, tunc fuo, Salvatori Epifcopo Clufinenfi, fuo & Apoftolicæ Sedis Nuntio in partibus illis, dederat in mandatis, ut perfonas idoneas, quæ dictas Provincias & Diœcefes diftinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclefiarum à Monafteriis & Præpofituris fub illis confiftentibus difmembrarent, cum poteftate omnia in his neceffaria faciendi vice fuâ deputaret. Dilectus Filius nofter Anthonius, Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Presbyter Cardinalis, tunc Epifcopus Atrebatenfis, & quatuor alii fcientiâ & probitate infignes, quos ipfe Salvator Epifcopus & Nuntius, dicto Prædeceffore interea de medio fublato, vigore feu prætextu mandati & pofteriorum Litterarum hujufmodi fubftituerat, licet forfan eorum aliqui de illis perfonis non effent, quæ ad id canonicè fubdelegari poterant; factâ nihilominus diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè penfatis, animadvertentes quod per difmembrationes bonorum in Monafteriis & Præpofituris præfatis, fi fieret, cultus Monafticus non mediocriter læderetur, ipfa Monafteria & Præpofituras menfis prædictis pro Dote fuarum Ecclefiarum, ad hoc, ut Epifcopi etiam illorum curam perinde atque fuam propriam perpetuò gererent, potiùs effe unienda: ac defignationes & limitationes Provinciarum & Diœcefis, divifionefque & diftributiones Oppidorum, & Jurifdictionum, in nonnullis partibus ipfarum Diœcefium commodiores illis, quæ per primò dictas Litteras ftatuuntur, nec non conftitutiones & affignationes Dotium, & denique numerum perfonarum, ac Dignitatum, Præbendarum, beneficiorum & officiorum, ftatum quoque & formam in prædictis Ecclefiis, etiam per hujufmodi difmembrationes, applicationes, fuppreffiones, translationes, novas inftitutiones, & alias in univerfum accomodas rationes habendas cenfuerint, ac fuper majori illorum parte proceffus, & fcripturas feriè digeftis rebus omnibus formandos curaverint.

Collatio Sedis Epifcopalis penes Regem.

Et inter alia dictæ Ecclefiæ Harlemenfi, & pro tempore exiftenti Epifcopo Harlemenfi:

Harlemum, *Amfterdamum*, *Beverwyck*, *Alcmaria*, *Monickdam*, *Eedam*, *Purmerende*, *Horn*, *Enchufia*, *Medenblick*, *Schaegen*, *Groetebrouck*, *Spaerwoude*, *Cleeff*, (1) *Te twcede*, *Aelbrechtsberge*, *Schoeten*, *Brederoden*, *Santvoirt*, *Sparendam*, *Santpoert*, *Velfen*, *Berckenroede*, *Heemfteide*, *Hillegom*, *Noetwyckerhout*, *Lyffe*, *Teylingen*, *Saffenem*, *Voerhont*, *Oeftgeeft*, (2) *Noertwyck op Zee*, *Catwyck op Zee*, *Catwyck op den Ryn*, *Alkemaede*, *Valkenburch*, *Hoechmaede*, *S. Jacobs-Woude*, (a) *Aire*, *Caege*, *d'Oude Weteringe*, (b) *Brafem*, (c) *Nieuwetten*, *Leymuden*, (d) *Calftae*, *Cudelftaert*, *Aelfmeer*, *Amfterveen*, *Nieuwerkerck*, *Rietwyck*, *Hoen*, *Scellincwoude*, *Dorrigendam*, (e) *Laemsdorp*, *Buckefloet*, *Fynderdorp*, *Hollefloet*, *Wedam*, *Saerendam*, *Lantsmeer*, *Snytwoude*, *Brouck*, *Elpendam*, *Marcken*, *Purmerlant*, *Wormer*, *Ghifp*, *Neck*, (f) *Ouwoude*, *Follendam*, *Affenburck*, *Wyck op Zee*, *Heemskerck*, *Uytgeeft*, *Caftricom*, *Akerfloet*, *Limmen*, (g) *Egmond op Zee*, *Heyloe*, (h) *de Hoeft*, *Affendelft*, *Weeftfanen*, *Cromenye*, *Cromenyerdyck*, *Ryp*, *Graef*, *Scermer*, *Scermenhorn*, *Quadyck*, (i) *Madekerwarden*, (k) *Efterhem*,

Territorium Diœcefis Harlemenfis.

(a) Fortè Aade. (b) Fortè Braffemermeer. (c) Fortè Nieu-Wetering. (d) Kalflage. (e) Fortè Landdorp. (f) Ooftwoude. (g) Egmond binnen. (h) Hoeff. (i) Vulgò Warden.

(1) *Tetrode*, *Cleef*, *Aelbrechts* feu *Aelberts-berg*, *Schoten*, *Brederodin* &c. Nobilium Harlemo vicinæ arces.

(2) Omittitur *Noortwyck* fcilicet *binnen*, feu intra, à Jac. La Torrio inter Municipia numeratum.

(k) Ettersem. (l) Berckhout. (m) Otterleeck. (n) Weretersshoeve. (o) Woggenum.

(k) *Esterhem*, *Gastbuyssen*, *Beetsen*, *Scaerdam*, *Oudendyck*, *Diricksborn*, *S. Marten*, *Valkerwege*, *Grossbuys*, *Scaerwoude*, *Avenhorn*, (l) *Kerckout*, *Rustenborch*, *Ursem*, *Oosterbeeck*, *Heyensbrouck*, *Spierdyck*, *Opdam*, *Weydenisse*, *Scellinck*, *Swack*, *Westerblock*, *Oosterblock*, (m) *Leeck*, *Hem*, *Westerwoude*, *Venbuysen*, *Binnewysen*, *Hocgekerspel*, *Lutkebrouck*, *Boevekerspel*, (n) *Waersaertshoeve*, *Westeynde*, (o) *Woggeman*, *Venbuysen*, *Spanbrouck*, *Watwyde*, *Harinckbuys*, *Berningerhorn*, *Henys*, *Nubixwoude*, *Abbekerck*, *Mitwoude*, *Winkel*, *Lambertschaege*, *Twisch*, *Opperdoes*, *Almerdop*, *Opmeer*, *Sybekerspel*, *Benninckbrouck*, (p) *Oudereneyercop*, (q) *Nieuwerneyercop*, *Hoichwoude*, *Aertswoude*, *Bergen*, *Coedyck*, *S. Pancraes*, *Brouck*, *Scoorle*, *Suydscherwoude*, *Groeden*, *Noertscherwoude*, *Crabbedam*, *Outkerspel*, (r) *Eigenburch*, *Harinckerspel*, *Diricksborn*, *Camp*, *Petten*, (s) *Torge*, *Huysduynen*, Oppida, Villas, Castra, Pagos, & loca respectivè pro sua Diœcesi designaverunt, prout in singulis Litteris, ac Processibus & Scripturis prædictis pleniùs continetur.

(p) Oud. Nyeroop. (q) Nieu-Nyeroop. (r) Aliàs Eerigenburch. (s) Fortè Texel, quia hic non recensetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique nuper Monasterium *Egmondense*, Ordinis Sancti Benedicti, olim Trajectensis, nunc verò Harlemensis Diœcesis, certò tunc expresso modo vacans, Mensæ Episcopali Harlemensi pro ejus dote perpetuò univimus, annexuimus & incorporavimus; attendentes, quod si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciosa hæresum dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, atque affligitur, haud ita violenter invaluissent.

Unitur Monasterium Egmondanum.

Nunc autem, cum ad illa arcenda & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia magis opportuna remedia potuerit adhibere, ut ea juxta cordis sui atque nostri desiderium promptos & felices sortiantur effectus, nostri ministerii partes præmissis adjicere, illaque omnibus, quibus possumus rationibus juvare & promovere volentes; ac singularum Litterarum, & processuum ac scripturarum prædictorum veriores tenores, ac Mensæ Episcopalis Harlemensis & Monasterii de Heylo & Canonicatûs & Præbendæ, eidem Mensæ uniendorum infrascriptorum fructuum, redditjuum & proventuum veros annuos valores, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volentes; continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro salute dictorum populorum enixè prosequentis excitati;

Motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, divisionibus, limitationibus, & distributionibus dictorum Subdelegatorum, in præfatis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis, inhærendo, ac concessionem & assignationem, per priores Litteras Prædecessoris hujusmodi factas, quoad infra scripta immutando, omnia & singula Oppida, Castra, Pagos, Villas, & loca in posteriori designatione Subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis etiam Parochialibus, Monasteriis, Collegiis etiam Canonicorum, Capellis, Hospitalibus, etiam beneficiis, locis & personis, ac officiis Ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, ac populis, & quibuscunque aliis sub eis comprehensis, prædictæ Ecclesiæ Harlemensi, juxta designationem illi per præfatos Subdelegatos factam prædictam, perpetuò concedimus & assignamus.

Et ut Episcopus Harlemensis pro tempore existens, Ecclesiam suam Dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis, Officiis, ac Personis Ecclesiasticis, Litterarum scientiâ præditis jugiter decoratam habeat, Monasterium de Heylo, Ordinis S. Augustini, olim Trajectensis, nunc verò Harlemensis Diœcesis, quod à nonnullis annis bis deflagravit, ad præsens certo modo Prioris regimine destitutum, seu cùm vacaverit, & in eo Dignitatem Prioratûs, seu Conventuale, ac omnia & singula, Canonicales portiones, Officia, Beneficia Regularia, Prioratus etiam ab eo dependentes, nec non Canonicos & personas, ac denique ordinem, omnemque statum & essentiam regulares, in illis ac ipsis Canonicis, Prioribus & Personis, penitus supprimimus & extinguimus, illaque omnia & singula ad statum secularem reducimus, ac tam ipsos sic secularisatos, quam etiam Collegiatos Ecclesiæ Geervlitensis dictæ Trajectensis, vel alterius Diœcesis, Capellam Regiam nuncupatam in Puthen, & quæ seu eorum aliqua forsan de Jure Patronatûs præfati Regis existunt.

Monasterium Heylonense supprimitur.

Ejusdem Ecclesiæ Geervlitensis Decanatum & alias Dignitates, Canonicatus & Præbendas, Personatus, administrationes, & officia, perpetuas Capellanias, ceteraque Beneficia & Officia Ecclesiastica, cum omnibus & singulis ejusdem, nec non dicti Monasterii suppressi proprietatibus, bonis, Juribus, Jurisdictionibus & pertinentiis suis, exceptis Vicariis, Capellaniis, supellectile, & ornamentis, ac aliis ad curam animarum dictæ Ecclesiæ Geervlitensis etiam Parochialis deputatis, seu per præfatos Subdelegatos deputandis, ad præfatam Ecclesiam Harlemensem, in qua dilecti Filii, Decanus & Capitulum Ecclesiæ Geervlitensis & Canonici suppressi Monasterii hujusmodi, posthac quilibet videlicet in suis dignitate & ordine residere debeant, etiam perpetuò transferimus; ac in ipsa Ecclesia Harlemensi unum Archidiaconatum pro uno Archidiacono, qui talem Jurisdictionem per totam Diœcesin Harlemensem prædictam habeat, post cessum vel decessum illius, vel illorum qui nunc sunt, in illa parte ejusdem Diœcesis, qualis Archidiaconus Ecclesiæ Trajectensis habiturus est, & unum Archipresbyteratum Civitatensem pro uno Archipresbitero Civitatensi nuncupando, qui curam Rectorum Parochialium Ecclesiarum Verbi Dei, & Sacramentorum Civitatis Harlemensis, & unam Pœnitentiariam Diœcesanam, nuncupandas Dignitates, inibi pro uno Pœnitentiario, qui curam conscientiarum populi, per Diœcesin universam Harlemensem specialiter habeant, nec non

Capitulum Geervlitense transfertur Harlemum.

Erectio Archidiaconatûs & aliarumque dignitatum.

non tot ex pinguioris proventûs Capellaniis ad dictam Ecclesiam Harlemensem translatis, quod Episcopo Harlemensi visum fuerit expedire, 10 Canonicatus & Præbendas ejusdem Ecclesiæ Harlemensis, pro illas nunc obtiuentibus, & totidem aliis futuris Canonicis (jure tamen ordinariis Collatoribus, nec non Patronis, etiam Laicis si qui sint, præsentandi, vel conferendi, aut alias disponendi, salvo & illæso quoad dictas Capellanias remanente) ac tot alios Canonicatus & Præbendas, quot Canonici dicti Monasterii suppressi ad eandem Ecclesiam Harlemensem translati existunt, quotque ex ejusdem Monasterii suppressi proventibus ad æquivalentiam fructuum, Canonicatuum, & Præbendarum dictæ Ecclesiæ Geervlitensis creari possint, perpetuò erigimus & instituimus; ac Canonicatibus & Præbendis pro Canonicis Monasterii suppressi, aliisque de ejus bonis erectis, pro eorum dote, bona, proprietates, & proventus hujusmodi etiam perpetuò applicamus & appropriamus.

Decem Canonicatus, & decem Præbendæ in [illegible] pro Graduatis.

PRÆTERERA statuimus & ordinamus, quod ex omnibus Canonicatibus & Præbendis tam de Ecclesiæ Geervlitensis translatis, quàm pro Canonicis Monasterii suppressi hujusmodi erectis, decem Canonicatus & decem Præbendæ ejusdem Ecclesiæ Harlemensis, quos primò per cessum, & ex causa permutationis, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem illorum possessorum, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam, aut aliàs quovis modo & ex cujuscunque persona, etiam in abquo ex mensibus in quibus vacantium beneficiorum dispositio Nobis aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Institutiones Apostolicas vel Cancellariæ Apostolicæ regulas reservata existit seu fuerit, aut Litteras alternativarum, vel Concordata Nationis Germaniæ, seu alia privilegia & indulta, ordinariis Collatoribus quomodolibet concessa & concedenda, vacare contigerit, vel etiam si actu nunc vacent, ac tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam prædictam legitimè devoluta, ipsique decem Canonicatus & Præbendæ dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ita perpetuò affecti remaneant, quod idem Episcopus unum & unam omnium primo vacaturos, tanquam Mensæ suæ Episcopali perpetuò unitos, & quos Nos similiter ex nunc prout ex tunc & econtra, ipsi Mensæ perpetuò unimus, annectimus & incorporamus, obtinere, illorumque ratione persona Capitularis esse, vocemque & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum & Canonicos habeat:

Pro Episcopo ex his unus;

Novem pro reliquis (?) Canonicis.

RELIQUI verò novem Canonicatus & Præbendæ prædicti, tribus Magistris, aut Licentiatis in Theologia, & tribus Docteribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, ac tribus aliis Nobilibus ejus Diœcesis, etiam in Jure vel Theologia, saltem gradu Licentiaturæ in famosa quapiam Universitate Studii generalis secundùm tenorem primò dictarum Litterarum promotis, ordine præmisso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant:

Quodque ad sex priores, tam Nobiles, quàm Ignobiles, ut præfertur, tamen qualificati; ad reliquos verò tres Canonicatus & tres Præbendas, ex reliquis novem Canonicatibus & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles, & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum consilium & operam in negotio Ecclesiæ & religionis, ceterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo prædicto requisiti fuerint, tam conjunctim, quàm divisim præstare teneantur;

Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquus ex dictis Graduatis Pœnitentiarius ad Pœnitentiariam hujusmodi, ad nominationem dicti Episcopi, assumi & omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus & præbendas prædictos, simili ordine consequi debeant.

UT autem de Viris spectatæ doctrinæ & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratiùs prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus & novem Præbendæ hâc primâ vice per præfatum Episcopum duntaxat, & deinde, quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat, quodque post hac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ, sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo, primariis precibus nuncupatis, aut aliis gratiis præventivis, per Nos aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam prædictam, vel ejus Legatos, aut consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacunque causa, quantumlibet urgenti pro tempore factis & concessis comprehendantur,

Graduati semper electivi.

Nec etiam tanquam apud Sedem Apostolicam prædictam vacantes, aut ullâ aliâ ratione generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis, & apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem hujusmodi de illis provideri, aut aliàs quoquo modo disponi possit: sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullâque causâ infringi debeat; quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor,

seu

seu etiam Licentiatus, seniores, ratione suarum Præbendarum facultatem habeant visitandi per universam Diœcesim Harlemensem prædictam, quoties ab Episcopo Harlemensi : ceteri verò Canonici Graduati prædicti, quandocunque requisiti fuerint, illis assistere teneantur, ac ex reliquis senioribus Canonicis prædictis duo in Theologia & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, unà cum Archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad sacros Ordines, & admittendos ad curas animarum, quâcunque authoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum medio juramento promittentem, admittendo.

De Absentiis Graduatorum.

Et quoniam impia hæreticorum studia, temporisque malitia Viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patiuntur; quod si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo vel Capitulo missi per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant. Ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui Divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, nisi necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat; nec quisquam ullâ dispensatione vel alio privilegio Apostolico quacunque causâ impetrato vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Ceterum Ecclesiæ Civitatis sub cura dicti Archipresbyteri Civitatensis, extra verò eam & in Diœcesi Harlemensi existentes, vel sub suis Decanatibus aliisque Jurisdictionibus, prout hactenus, remaneant, vel meliori modo, arbitrio dicti Episcopi, distribui, ipsorumque Decanatuum Decani, salvâ dicti Episcopi moderatione, emolumenta hactenus percipi solita percipere possint.

Districtiùs inhibentes Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, ceterisque locorum Ordinariis, nec non Conventibus, Superioribus & Personis, illique vel illis, ad quem vel quos decem Canonicatuum & Præbendarum affectorum prædictorum collatio, provisio, & quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ac quibusvis aliis, cujuscunque Dignitatis, statûs, Ordinis, & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub Excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris, & pœnis, nec non privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac inhabilitatis ad illa & alia imposterum obtinenda, de decem Canonicatibus & Præbendis prædictis, si vacent, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum affectus & executionem in aliquo quantumcunque modico impedire, aut molestiam vel injuriam quampiam irrogare, quoquo modo præsumat;

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omninò acquisitum esse, & super his beneficio Regularum, de non tollendo jure quæsito, ac de annali & triennali possessore, nec non Privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacificè quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, plenariè uti, potiri, & gaudere,

Nec decem Canonicatus & decem Præbendas affectos prædictos, per quoscunque, & prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, & juxta Concordata prædicta, expectativarum, & quarumcunque aliarum gratiarum quoquo modo acceptari posse, & nihilominus quascunque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones, incorporationes, & aliàs dispositiones, de eisdem aut eorum aliquo etiam per Nos & Sedem prædictam quomodolibet factas & faciendas, nullius prorsus roboris vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum;

Attamen possidendi tribui posse concessionem, assignationem, suppressionem, extinctionem, redactionem, translationem, erectionem, applicationem, appropriationem, statutum, ordinationem, unionem, annexionem, incorporationem, & præterea præmissa ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & censeri; nec sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, vel limitationibus, etiam unionum, suppressionum, extinctionum, applicationum, appropriationum, etiam effectum non sortitarum, quæ post hac per Nos, vel Successores nostros tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summum Apostolatûs apicem, quàm aliis quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocunque tempore fient, minimè includi:

Sed illis non obstantibus, in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa esse, sicque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse, esse, & fore, ac præsentes Litteras, nullo unquam tempore de surreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari aut in Jus vel controversiam quacunque ratione vel causâ vocari posse, sicque per quoscunque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa & instantia, sublatâ eis & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere; irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Trajectensi & Episcopo Amerinensi, & dilecto Filio Decano Ecclesiæ Hagensis Trajectensis Diœcesis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro

parte

parte moderni & pro tempore existentis Episcopi Harlemensis & aliorum, quorum intereft, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ Episcopum Harlemensem & alios prædictos concessione, assignatione, suppressione, extinctione, translatione, erectione, institutione, applicatione, appropriatione, statuto, ordinatione, unione, annexione, incorporatione, ac Litteris, & aliis in eis contentis prædictis pacificè gaudere, & alias Litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari;

Non permittentes illos per quoscunque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet & rebelles per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, Censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis,

Non obstantibus voluntate priori, & aliis præmissis, & nostris de exprimendo valore, tam in unionibus, quàm etiam impetrationibus, & aliis gratiis etiam motu simili factis; nec non Litteris super Beneficiis de Jure Patronatûs Laicorum, ut supra, nisi de consensu illorum, aut collatione devolutâ non expediendis; nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis, fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacis Papæ Octavi, etiam Prædecessoris nostri, de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dietis,

Aliisque Apostolicis Constitutionibus & Ordinationibus, etiam reservatoriis, etiam in Corpore Juris clausis, nec non aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, etiam revocatoriis & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliàs in contrarium quomodolibet editis, & edendis, nec non Monasteriorum & Ordinum, ac Ecclesiarum, & Collegiorum, ac locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus,

Nec non quibusvis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, expectativis vel aliis gratiis, etiam in Canonicos creationibus, aliis unionibus etiam perpetuis absque consensu Coadjutorum, deputationibus, nominationibus citra accessus & regressus, facultatibus, mandatis, Litteris & concessionibus, quibuscunque personis cujuscunque dignitatis, status, gradus & conditionis existentibus, etiam Cardinalatûs honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis familiaribus, continuis Commensalibus, ac Prælatis domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officiasua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causâ, consideratione, intuitu, vel respectu etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis & decretis etiam irritantibus, & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu & scientiâ similibus, & aliàs quomodocunque concessis;

Quas & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum, quoad præmissa omnia suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus: nec non Privilegiis, Indultis & Litteris Apostolicis, illis & aliis quibusvis, per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos & Sedem prædictam, etiam per modum Statuti perpetui, nec non initi, ac stipulati contractûs, seu quasi, & aliàs sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolutis clausulis irritantibusque & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcunque aliorum, seu motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliis quomodocunque, qualitercunque, & quotiescunque concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis ac concedendis & innovandis.

Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, corumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Litteras generales, idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes: quamvis talia etiam & multa sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda in supplicatione apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur:

Nihilominus in genere & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus contrariis quibuscunque.

Aut si aliqui Apostolicâ præfatâ, vel aliâ quâvis auctoritate in dicta Ecclesia Geervlitensi in Canonicos sint recepti, vel, ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus & Præbendis, ac Dignitatibus, administrationibus & officiis ipsius Ecclesiæ Geervlitensis ac hujusmodi speciales vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetravit, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum vel alias quomodolibet sit processum;

Quas quidem Litteras & processus habitos per easdem ac inde secuta quæcunque ad Canonicatus & Præbendas, nec non Dignitates alias, & Decanatum, administrationes, & officia, ac Capellanias hujusmodi docuimus non extendi:

Sed

Sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Canonicatuum & Præbendarum, Dignitatum, administrationum, & Officiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis & Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam nostræ concessionis, assignationis, suppressionis, extinctionis, reductionis, translationis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, statuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, mandati, decreti, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno
Incarnationis Dominicæ millesimo quingente- 1560.
simo sexagesimo, quarto Idus Martii, Pontificatûs nostri anno secundo.

Subscriptum erat: Fre. Cardinalis Cesius.
Inferiùs habebatur: Cæ. Glorierius.
Item A. de Alexiis.

EPISCOPI HARLEMENSES.

Additio. Harlemum ampla & elegans Hollandiæ Civitas, distat Amstelodamo tribus, & quinque Lugduno-Batavorum milliaribus. Magnam sibi acquisivit famam ob inventam illic, uti fertur, circa annum 1440. Artem Typographicam à Cive *Laurentio Costero*.

Ecclesia primaria S. Bavoni sacra est, quem Gandavenses suæ etiam Ecclesiæ babent Patronum. Fuit olim Parochialis tantùm; Rector ejus, qui *Persona* vocabatur, opulentis gaudebat proventibus; sed quoniam Comitis Hollandiæ Sacellanus & passim è nobili Familia assumptus erat, eundem comitari solitus, sacra curabat non per se, sed per institutos Vicarios.

Dum autem anno 1560. erectus fuit novus Episcopatus Harlemensis, in præfata Ecclesia institutum fuit Canonicorum Collegium, partim translatum ex Municipio Geervlitano, quod constabat XIV. Canonicis cum Decano, fundatum ibidem anno 1307.

Suppressum insuper fuit Monasterium Canonicorum Regularium Ordinis S Augustini in Heylo, translatique sunt inde Harlemum decem Canonici, facti sæculares. Ultimus eorum Prior, Jacobus Sathus, factus est primus Præpositus & Archidiaconus novæ Cathedralis; ultimus verò Decanus Geervlitensium Georgius Lestanier, primus fuit Decanus & Archipresbyter Ecclesiæ Harlemensis.

Dos novi Episcopi, præter Præbendam è Monasterio Heyloensi, & partem bonorum quæ ad Personatum Ecclesiæ S. Bavonis pertinebant, præsertim desumpta fuit ex Abbatia Egmondana Ordinis S. Benedicti. Vacabat illa tunc per obitum Wilhelmi Goesani XXXVII. Abbatis an. 1560. defuncti; sed paulò post cùm Religiosi novum sibi Abbatem è suo gremio acquisiissent Antonium Hovæum, ut inde nullum foret novum Episcopo Harlemensi impedimentum, data fuit à Rege Philippo II. eidem Hovæo Abbatia Epternacensis ejusdem Ordinis S. Benedicti in Ducatu Lusemburgensi.

I. Nicolaus à Nova terra, vulgò Nieuwlandt, Egmondanus Batavus, à Philippo II. Hispan. nominatur anno 1559. primus Harlemensium Episcopus, cùm jam pridem fuisset Episcopus Hebronensis & Suffraganeus Episcopi Ultrajectini Fuit quoque Persona seu Rector S. Bavonis Harlemi, & Abbas Egmondanus Ordinis S. Benedicti, factâ istius Monasterii ad Mensam suam Episcopalem unione.

Anno 1564. Synodum Diœcesanam Harlemi habuit, & anno sequente Concilio Provinciali Ultrajectensi interfuit. Anno 1569. ob gravissimos Belgii tumultus, provectamque ætatem factus Episcopali oneri impar, renunciavit, & in Oppido Zelandiæ, cui nomen *Sinte-Martens-dyck*, diem extremum obiit anno 1579.

II. Godefridus à Mierlo, sic dictus à loco nativitatis in Majoram Sylvæducensi, ex Ordine FF. Prædicatorum S.T. Doctor, consecratus fuit Episcopus Harlemensis anno 1570, ac paulò post obtinuit possessionem insignis Præposituræ West Frisiæ suo Episcopatui unitæ.

Anno 1570. Synodum Diœcesanam Harlemi habuit, & Tridentini Concilii Decreta publicavit. Anno 1578. factâ Hæreticorum & Iconoclastarum irruptione in Cathedralem Ecclesiam, in qua Episcopus ipso die SS. Corporis Christi Divinis Officiis intererat, vix ipse mortem evasit. Tunc discrimen majus fugâ vitare coactus, Monasterium Westphaliæ recessit, ubi vices Suffraganei egit aliquamdiu.

Deinde Daventriam, Sede vacante anno 1587. evocatus, Cathedralem Ecclesiam impiè profanatam reconciliavit, atque è vivis exemptus die 28 Julii ejusdem anni 1587. ibidem tumulatus fuit. Post hæc, occupatâ per Hæreticos Urbe ac Diœcesi Harlemensi, nullus ultra nominatus fuit hujus Sedis Episcopus.

NOTATIO

De Ducibus, Principibus, Marchionibus *&* Comitibus *Feudatariis in Belgio.*

Dignitatum nomina ac moneta mirò modo surgere, procedere & variare solent. Apud Romanos & Germanos olim dicebantur *Comites*, qui Principem suum sequebantur, & ad latus ejus versabantur; vel qui Legatos Principis, Magistratus & Judices Provinciarum sectabantur, eisque assidebant: ut Papinianus Auctor est non uno loco.

Es horum ordine cùm plerumque sumerentur ii qui ad Provincias regendas mittebantur (unde *Missos* Franci vocabant) factum est, ut Rectores illi deinceps *Comites* nominarentur; & Comites essent non jam Principis à quo aberant, sed Provinciæ quam ipsi cum dignitate Comitiva gubernarent.

Sic Comitem Africæ Tingitanæ, Comitem Littoris Saxonici, Comitem Britanniæ, Italiæ, Argentoratensem in Notitia Imperii sub Honorio & Arcadio legimus. Apud Francos sanè Comites erant Judices ordinarii, qui Jus per pagos dicebant: qui & *Graphiones* sunt nuncupati: quæ vox apud Germanos superiores & inferiores, *Graffen* & *Graven*, permansit.

Crescente tandem ambitione, Comites honorarii (ut & Duces, Principes ac Marchiones) sunt creati, qui neque Principi adessent, neque regionem, districtum aut Comitatum regendum haberent; sed aut meritis suis aut Principis gratiâ eam dignitatem titulo tenus obtinerent.

Tales hodie in Provinciis Belgicis sunt Duces de Arschot,

ſchot & Havrech ; PRINCIPES de Barbenzon, Chimay, Eſpinoy, Gavre, Ligne & Robecque, MARCHIONAS de Aiſeaux, Berges in Brabantia, Dainze, Liſbourg, Moibeque, Renty, Roubais, Traſignies, Trelon, Vere & Wefterlo ; COMITES de Sancte Aldegonde, Anappes, Anholt, Beaurepair, Bailleol, Beaumont, Berges alias Herenberge in diſtrictu Surfanienſi, Berlaimont, Boſſu, Bruay, Buren, Buſquoy, Cantecroy, Coupigny, Crois, Culenburg, Egmont, Eſterres, Eſtré, Falais, Fauquenberge, Fonteyne, Freſin, Gamerage, Giblou, Gomignies, Grimberges, Hennin, Herlies, Hochſtrate, Houtkercke, Henghien, Lalain, Lerdam, Marles, Maſtain, Meghem, Middelburg in Flandria, La Motterie, Mouſcron, Noyelle, Oelen, S. Pol, Reux, Seneghem, Solre, Thiant, Tilly, Vertain, Vianden, Wacke, Walhain, Willerval, Watoue & Wils.

Præter noſtratia iſta Feuda titulis illuſtria, Proceres Belgæ & alias ditiones ac dignitates in Provinciis exteris poſſident, ut *Principatum* de Orange, *Ducatus* de Croy & Bournonville in Regno Galliæ, *Comitatus* de Naſſau, Arenberges, Meurs & Renneburg in Germania, de Beaurieu, Grousbeque, Gronſtelt, Here, Pere, Reckem & Warfuſé in agro Leodicenſi, de Bauſigny in Francia, & de Fontenoy in Lotharingia.

FRIDERICUS III. Imperator Jacobum Hornæ Dominum anno 1450. Comitem Imperii, & anno 1473. Oſwaldum Herenbergæ Comitem (ut ſuprà pag. 754. diximus) creavit. Ex noſtris Principibus primus CAROLUS AUDAX ſupremum iſtud creandorum Comitum jus in uſum deduxit; utpote qui anno 1473. menſe Februario Brugis exiſtens *Joannem* de Croy magnâ ſolemnitate ac
* Chimay. pompâ primum * Chimaci in Hannonia Comitem renuntiavit.

Caroli Gener MAXIMILIANUS I. Imperator an. 1486. Chimacenſem Principatum, Egmondanum 1486. Buranum & Lerdamenſem 1492. Comitatus inſtituit. Maximiliani ex Philippo Pulchro Nepos CAROLUS V. Imperator anno 1531. Arſchoti Ducatum, *Spineti 1541. & Ga- * Eſpinoy.
veræ 1553. Principatus; Bergizomenſem in Brabantia 1533. Rentyenſem in Arteſia 1533. & Verienſem in Zelandia Marchionatus; itemque Comitatus de Hochſtrate 1518 Beaumont 1519. Lalain 1522. Reux 1530. Walhain 1532. Ligne 1544. Boſſu 1555. & Culenburg 1555. conſtituit.

Caroli Filius PHILIPPUS II. Rex Catholicus Marchionatus de Havrech anno 1574. & de Roubais anno 1579. Comitatus de Cantecroy 1570. Berlaimont 1574. Herlies, Buſqnoy, Hennin 1579. Henghien 1582. & Solre 1590. condidit.

ALBERTUS Belgarum Princeps, Philippi II. Gener, Principatus de Ligne 1602. & Barbenzon 1614. Marchionatum de Traſignies 2614. Comitatus de S. Aldegonde, Freſin 1602. Anappes, Bruay 1605. Eſterres 1611. Willerval 1618. Vertain 1614. Mourbeque 1614. Bailleul 1614 Falais 1614. Gomignies 1614 Noyelle 1614. Croix 2617. Middelburg in Flandria 1617. Marles 1621. erexit.

PHILIPPUS IV. Hiſpaniarum Indiarumque Rex Ducatum de Havrech 1627. Principatum de Robeque 2630 Marchionatus de Dainze 1625. Aiſeaux 1625. Trelon 1626. Weſterlo 1626. & Liſbourg in Arteſia 1629. Comitatus de Beaurepair 1622. Eſtré prope Duacum 1623. Gamerage in Hannonia 1623. Coupigny in agro Inſulenſi 1624. Grimberges 1625. Maſtain in Hannonia 1626. Thiant 1627. Wacke 1627. de la Motterie 1628. Watouë in Flandria 1629. Wils in agro Luxeburgenſi 1530 & Gomiecourt in Arbeſia 1634 inſtituit.

Sic & FERDINANDUS II. Imperator Comitatus de Tilly, de Rechem prope Trajectum Moſæ 1620 Here prope Trudonopolim 1623 Gronſtelt prope Trajectum Moſæ, Grousbeque, Pere in Campania Leodicenſi, & alios in vicinia noſtra conſtituit.

BARONIÆ VETERES
Brabantiæ, juxta Petri Divæi ſententiam.

BArones Brabantiæ (ita vocari ſolent ii Proceres qui vexillum in bellum efferebant) cenſentur in diſtrictu Lovanienſi Domini de *Dieſt, Arſchot, Sichene, Rode S. Agatha, Rotſelaer* & *Weſemale*, in diſtrictu Bruxellenſi Domini de *Grimberges, Gasbeke, Duffele* & *Leſdale*; in Marchia Antverpienſi Domini de *Breda* & *Berges*; in Gallo-Brabantia Abbas de *Giblou*, Domini de *Engien, Peruez, Revez, Sombref* & *Jauche*; in diſtrictu Buſcoducenſi Domini de *Cuyck, Boxtel* & *Ceanendone*; in diſtrictu Thenenſi Dominus de *Bauterſem*. His acceſſerunt, *Hoboke*, anno 1600. *Grobbendonc* 1602. *Saventhem* & *Wemmele*. In comitiis Ordinum Brabantiæ Abbas & Comes Gemblacenſis (ut ſuprà pag. 141. dixi) primum inter Barones locum obtinet.

Angia inter Hannoniæ Oppida & Baronias quidem recenſetur, ſed illius loci Dominus Vicos Parochiales ac feuda novem in Brabantia poſſidet, videlicet *Seneffe, Ronckiers, Hemeries, Tubiſe, Rebecque, Bierges, Bongardes, Loerbeke* & *Beringhen*; ut ex codicibus Curiæ Feudalis Brabantiæ conſtat.

BARONIÆ VETERES
In Flandriæ Comitatu.

SUnt quattuor primariæ, quibus Urſi vulgò ſolent appingi: *Ciſoin, Heyne, Pamele*, & *Boulers*. His adduntur à quibuſdam, Gant, Gruthuſe, Bornhem, Lidekerke, Nevele, Mortaigne, Lannoy, Halewin, Giſtelles, VVedergraet, Praet, Maldegem, Ooſtcam, Pouckes, Lumbeke, VVinendale, Lichtervelde, Dixmude, Doulieu, VVoeſtine, Haveskerke, Honſcote, Goutere, Lede, VVackene, Cooliſchamp, Chaſtinge, Bievres, Male, Deſpieres, Eſclebeque, Nort-Vrie, Deſoo, Ingelmunſter, Ronzen, Landas, Pecq, Pottes, Delwatines & Bousbeke.

In Comitatu Aloſtano, præter duo Oppida Aloſtum & Gerardi-montem, quinque Baroniæ ſeu Præfecturæ (Flandricè *Roeden*) numerantur: *Rodes, Gavere, Sotteghem, Boulers* & *Eſcornay*, Flandris *Schorisſen*.

BARONIÆ VETERES
XXII. in Hannonia.

ENghien, Leuze, Havrech, Ligne, Antoing, Werchin, Fontaine, Hamaide, Quievrain, Berlaimont, Ville, Gomignies, VVarſin, Senzelle, Condé, Hourdain, Balleul aliàs Belleule, Fagneolle, Bouſie, Roiſin, Freſne & Harchies.

De XII. Paribus Hannonis ſuprà pag. 415. & 697. egimus. Ex quibus Dominus de VValicourt eſt nunc Princeps de Eſpinoy: reliquos citato loco reperies.

FINIS.